MAGNUM
LLARIUM
ROMANUM,

LEONE MAGNO

USQUE AD 5/6

NEDICTUM XIII

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

A BEATO LEONE MAGNO USQUE AD S. D. N. BENEDICTUM XIII.

OPUS ABSOLUTISSIMUM,

LAERTII CHERUBINI, Præstantissimi Jurisconsulti Romani, à D. ANGELO MARIA CHERUBINO Monacho Cassinensi, deinde à R. R. P. P. ANGELO A LANTUSCA & JOANNE PAULO A ROMA, Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ, ac tandem eorum cura & studio qui recentiorum Pontificum Constitutiones hactenus promulgatas collegerunt, illustratum & auctum.

EDITIO NOVISSIMA,

OCTO VOLUMINIBUS COMPREHENSA.
Accedunt, prout in Editione Romana, Vitæ omnium Pontificum, Appendices insuper suis Locis restituti.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

TOMUS QUINTUS.


URBANI VIII. Reliquas, *deinde* INNOCENTII X. Constit. *complectens.*

Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ. MDCLXXII.

LUXEMBURGI,

Sumptibus ANDREÆ CHEVALIER, Bibliopolæ & Typographi.

MDCCXXVII.



AMPLISSIMO PRINCIPI

AC EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

PAULUTIO ALTERIO

S. R. E. CARDINALI CAMERARIO,

ET

S. D. N. CLEMENTIS X.

NEPOTI MERITISSIMO.

FR. JOANNES PAULUS ROMANUS, Strictioris Observantiæ S. Francisci Felicitatem.



EGES humanas in duas distribui classes Pontificum, & Cæsarum in se placita continentes optimè nosti EMINENTISSIME PRINCEPS, qui per utriusque Juris vehiculum ad Purpuratum Ecclesiasticarum Dignitatum culmen evectus pervigil Justitiæ Vindex, optimis Legibus, & Institutis populos moderaris, & Orbem, & Juris, & æqui retinentissimus sua cuique, quem imperio temperas, tribuis. Ast quia amplitudo Pontificiæ Majestatis, etsi plurimis modis humano generi innotescit, constitutione tamen diplomatum suam propriè auctoritatem ostendit, & tuetur. Idcircò ego Religioso alioquin Habitu, & Claustro sepositus insectans vestigia eorum, qui laudabiliter Sanctiones Canonicas jam dudùm in quatuor peculiaria volumina digesserunt,

gesserunt , ut cætera superstites , quæ ad hæc usque nostra tempora vagantur faciliori posteritatis usui se præbeant , in duos alios Tomos ex postremis Pontificum Constitutionibus collectos , Quinto , & Sexto inscriptos , cum Indicibus , tamquam Phidiæ Minervæ peplo , & emblemate annexis fructus operis Religiosi TIBI offerre non erubesco , qui Sacro Regio Capiti , & Christi Vicario proximus , Fideique Catholicæ , Dictionisque Pontificiæ Achilles , & Propugnator maximoperè vales , nedum protegere : quinimò emicantissimis Gentilitiorum Syderum fulgoribus illustrare , EMINENTIÆ TUÆ erit illos agnoscere , tanquam ad TE spectantes , qui tantùm Dignitatis culmen laboræ substentas , & vigilantia , itaut in hoc procelloso Ecclesiæ pelago , & difficillimis hisce temporibus Providentiæ TUÆ sit datum populum inopia non periisse. Nonne Vigilantiæ TUÆ testimonium perhibent Illustrissimorum Apostolicæ Cameræ Clericorum Cœtus , cui feliciter adscriptus , Auditoris Generalis subindè ejusdem Apostolicæ Cameræ pondus , quo integerrimè functus , Episcopalis priùs apex Montis Falisci , ad quem zelo Divini cultus elatus , & mox non solùm Sedes Archiepiscopalis Ravennæ , quàm supremo annuente Flamine , sortitus , Pontificalisque dictio , cui Vicarius delegatus , verùm etiam S. R. E. Camerarij Officium , ad quod omnium plausu assumptus , omnia inquam , quæ antea TUUM probavere , modo probant ingenium. Augustum Regalis TUÆ Purpuræ Patrocinium huic Volumini humillimè flagito , & ipsius operis argumentum , quo Summorum Pontificum leges , & Jura complectuntur præclari auspicia Principis sibi vindicat , inter quos quantoperè fulgeas brevis epistolæ fines includere nequeunt , cum nulla satis , vel profusissima historia complecti pro dignitate possit. Æquitatis leges patrocinium TUÆ Purpuræ ambiunt, & quia ingenio præclarissimus, & sapientia præter cæteras disciplinas complexus animo es , quæ prisci sapientes ad rectè temperandas Respublicas decreverunt. Quod si Pindarus dixit Principes animatas esse mortalium leges , quo nomine appellabimus TE , qui Principum ipsorum legem , normam , & ideam TE exhibes ? Perperam igitur me laborasse existimarem si alium hisce meis lucubrationibus adoptassem Patronum , quam TE Cardinalis ALTERI , *cujus Familiæ antiquitatem venerandam , Nobilitatem spectabilem , Illustrium Heroum numerum propemodum innumerum , Atavorum seriem celeberrimam Romana ingenuitas semper agnovit. Jure igitur meritò Constitutiones , quæ à Justitia , & Pietatis Sacrario prodeunt ad tantum Patronum , & Tutelarem , veluti ad proprium centrum se sistunt.* Vale , *& ad sæculi præsidium diutissimè impera , atque hoc qualecumque mei devinctissimi Vectigal obsequii humanissimo TUO vultu dignare.*

LECTORI BENEVOLO, ET STUDIOSO.


ULLARII Romani perinsigne opus, adeò laboriosè, diligenter ac sapienter plurimorum annorum intervallo collectum, concinnatumque, & in *Tomos tres* à LAERTIO CHERUBINO disectum, *Quarti* autem editione à Patre D. ANGELO MARIA Monacho Cassinensi, & dicti LAERTII filio adauctam juxta temporum Chronologiam, publicoque Juri prælo traditum, tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus personis in universa Republica Christiana maximam semper attulit utilitatem, potissimum verò regiminibus, sivè spiritualibus, sivè politicis addictis, qui leges, sanctiones, literas, seù diplomata Summorum Pontificum præ manibus habere necessariò tenentur. Hinc meritò ipsum continuare (D. *Zenobio Masotto* Typographiæ Cameralis Præfecto instante, & ut publicæ utilitati prosit, expensas haud exiguas amplectente) multa cura ac sollicitudine studuit P. ANGELUS A LANTUSCA hujus Romanæ Provinicæ Reformatæ Ordinis Minorum Alumnus. Verum ipso morte prævento, requè imperfecta remanente. Ego ipse conatus sum, illud amplecti, ac prosequi, ne commune bonum, tam peculiari munere privaretur, & Deo juvante absolvi nullo parcens labori, nihil relinquens industriæ, ac diligentiæ, ut hæc duo alia subsequentia Volumina, quæ *Quintus*, & *Sextus Tomus* conscribuntur in ordine ad prædicta, antecedentibus correspondeant. Tantam molem Apostolicarum Constitutionum (quibus veluti divinis oraculis Pontificia jura, imo Juris prudentia, & ipse leges civiles, nedum sacri Canones, Patres, & Concilia, quin & Romana fides nituntur) in præsenti catalogo quinque Summi Pontificcs firmitèr regunt videlicet *Urbanus VIII.*, *Innocentius X.*, *Alexander VII.*, *Clemens IX.*, & *Clemens X.*, qui nunc summa quiete, & tranquillitate in Sede Petri eminet, quem Deus diutius incolumem servet. Fruere ergo (benevolè, ac studiose Lector) hisce paginis, quoniam in ipsis nihil reperies, quod censuræ tuæ subjaceat, animumque molestet, ac turbet, sed totum id habes, quod venereris, quodque fortè tantoperè, & ipse obtaveras, ut cunctis proficuum, & necessarium.

OPUS *Bullarii Romani in Quintum*, *& Sextum Tomum* per Patrem JOANNEM PAULUM A ROMA, Ordinis S. P. nostri Francisci, nostræque Provinciæ Romanæ Reformatæ novissimè collectum, & compilatum, ac copiosis Summariis, Scholiis, & Indicibus refertum, & perornatum in lucem publicæ, utilitati emitti, & Typis mandari posse nos infrascripti Theologi adhoc specialiter deputati fidem facimus, & attestamur. Datum Romæ in nostro Conventu S. Francisci Transtyberim die 2. Januarii 1672.

Fr. *ALEXIUS A MARINO*, *Povinciæ Romanæ Reformatæ Minister Provincialis.*

Fr. *MARCELLINUS*, *Romanus Conventus S. Francisci Guardianus.*

FR. FRANCISCUS MARIA RHINI DE POLITIO, *totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris nostri S. Francisci Minister Generalis*, *& Servus*. Dilecto Nobis plurimum in Christo Patri Fratri JOANNI PAULO ROMANO Theologo, Provinciæ nostræ Reformatæ Romanæ salutem in Domino sempiternam.

Cum juxtà Apostolicas, & Ordinis nostri Constitutiones revisi, & approbati fuerint à Theologis nostræ Religionis duo Tomi *Bullarii Romani* à te collecti scilicet *Quintus*, & *Sextus*, harum nostrarum vigore cum salutaris obedientiæ merito facultatem tibi facimus, quatenus, servatis servandis, illos Typis mandare possis, & valeas. Datum Romæ ex Aracœli die 29. Januarii 1672.

FR. FRANCISCUS MARIA RHINI DE POLITIO,
Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Suæ Reverendiss. Paternitatis,

Fr. PIUS A PLACENTIA, Secret. Ordinis.

INDEX
DUORUM ROMANORUM
PONTIFICUM,

Quorum Constitutiones juxta temporum seriem in Quinto Tomo continentur.

Imprimatur, Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.
I. de Angelis Archiep. Urbin. Vicesg.

Imprimatur, Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatii Apost. Magister.

INDEX.

Initiorum omnium, & quarumcumque Constitutionum, quæ in hoc Opere continentur.

A

C

D

Domini

Quamvis,



INDEX.

Initiorum quarumcumque Constitutionum, ac Rubricarum juxtà seriem Annorum Pontificum, qui in hoc opere habentur.

54. Hu-

Anno Septimo.

Anno Octavo.

Anno Nono.

audeat

244. Pro-

Index Initiorum quarumcumque Conſtitutionum, ac Rubricarum earumdem INNOCENTII PAPÆ X. juxtà ſeriem annorum.

Anno Primo.

Index Initiorum quarumcumque Constitutionum, ac Rubricarum earumdem ALEXANDRI VII. juxtà seriem annorum.

Anno Primo.

Anno Secundo.

Anno Tertio.

Anno Nono.

Anno decimo.

Anno Undecimo.

Anno Duodecimo.

Index Initiorum quarumcumque Constitutionum, ac Rubricarum earumdem CLEMENTIS PAPÆ IX. juxtà seriem annorum.

Anno Primo.

Anno Secundo.

Anno Tertio.

37. Quod

Index Initiorum quarumcumque Conſtitutionum, ac Rubricarum eorumdem CLEMENTIS PAPÆ X. juxtà ſeriem annorum.

Anno primo.

30. Cum



BULLA-

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS QUINTUS.

URBANUS OCTAVUS
PONTIFEX CCXXXIX.
ANNO DOMINI MDCXXIII.

Anno 1623. URBANUS OCTAVUS, Florentinus, Maphæus anteà dictus, Antonii Barberini filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Onuphrii; Romæ die sexta Augusti Summus Pontifex pronuntiatus, Anno Domini 1623. & die 29. Septembris ejusdem anni coronatus. Creavit Cardinales 72. obiit die 29. Julii 1644. Et propè Sedem Principis Apost. ejusdem Basilicæ requiescit. Vacavit Sedes mensem unum, dies 17. Anno 1623.

I. Canonizatio S. Philippi Nerii Congregationis Clericorum Sæcularium Oratorii Fundatoris.

Hunc Philippum Gregor. XV. retulerat in Sanctorum Confessorum numerum, una cum SS. Isidoro, Ignatio, Francisco Confessoribus, ac Teresia Virgine, sed morte præventus, Bullam desuper expedire non potuit, & ideo hic Pont. modo illam expedivit.

Iste Sanctus, dum viveret, erexit Congregationem enunciatam in rubr. quàm posteà approbavit Greg. 13. ut videre est in sua Const. 101. *Copiosus*, tom. 2. ubi omnia ad eam spectantia adnotavit.

URBANUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.



RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut eà, quæ de Romani Pontificis providentiâ processerunt, licet ejus superveniente obitu Literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Deus quotidie in terris suscitat Sanctos. §. 1. Dudum siquidem fel. rec. Greg. Papa XV. Predecessor noster piè præmeditatus, quòd supremus ille, & diligens Pater familias, qui ab origine mundi plantavit vineam suam, universalem scilicet Ecclesiam in eam quotidiè non desinat mittere operarios, quorum assiduitate culturæ illa vepribus expurgata fructum afferat, vel centesimum, vel sexagesimum, vel trigesimum; quoque antè Incarnationem Verbi misit in eam Patriarchas, & Prophetas, virosque sanctissimos, qui portaverunt pondus diei, & æstus, post assumptam vero humanitatis nostræ substantiam venit vocare novissimos, sanctos videlicet Apostolos, qui vineam hanc, & fidei fervore, & prædicationis verbo, per universum propagarunt orbem, iisque adjunxit non solum fortissimorum Martyrum exercitus, qui effuso sanguine illam irrigarunt uberrimè, sed etiam Confessorum laudabilem numerum, quorum sanctitatis exemplo hæc vinea ubique terrarum odorem afflat suavissimum.

§. 2. Inter quos paucis antè annis sanctimoniam redolere satis constiterat Beatum Philippum Nerium, Congregationis Oratorii Fundatorem, cujus, & vitæ puritas, & omnium virtutum congeries, & miraculorum gloria plurimum elucebat, ipsius Beati Philippi Catalogo Sanctorum adscriptioni decrevit intendere. Et his temporibus Philippum Nerium Sanctorum cœtui Greg. XV. addere intendit.

§. 3. Cumque jam ab ipso die, quo dictus Beatus Philippus obdormiverat in Domino fame sanctitatis, & miraculorum ejus adeo crevisset, ut statim dignus Canonizatione acclamaretur, & multi viri graves de illa promovenda cogitassent, & apud piæ memoriæ Clementem Octavum etiam Prædecessorem Nostrum desuper egissent, & ejusdem Clementis Prædecessoris auctoritate vivæ vocis oraculo concessa, statim eodem ipsius Beati Philippi obitus anno, in Urbe, & extra eam fuissent receptæ informationes, & facti processus super illius virtutibus, sanctitate, & miraculis. Formatus processus super ipsius sanctitatem.

§. 4. Et successivè coram similis recordationis Paulo Quinto pariter Prædecessore Nostro, pro eadem canonizatione charissimus in Christo filius Fiant instantiæ super Canonizatione.

Noster Ludovicus Franciæ, & Navarræ Rex Christianissimus, & Charissima etiam in Christo Filia Nostra Maria, ejusdem Ludovici Regis mater, ac Dilecti Filii nobiles viri Senatus Populusque Romanus, & Maximilianus utriusque Bavariæ, nec non Carolus Gonzaga Nivernienslum, & dum in humanis agerent, Ferdinandus Primus, & post ejus obitum Cosmus Secundus Magni Hetruriæ eis subjectæ Duces, & Dilectæ in Christo Filiæ nobiles mulieres Christina Cosmi mater, & Catharina Caroli præfati uxor, ac etiam Dilecti Filii Presbyteri dictæ Congregationis institissent.

Congr. Sac. Rit. Format processum in genere.

§. 5. Et Paulus Prædecessor prædictus Venerabilibus Fratribus Nostris, tunc suis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, super Sacris Ritibus deputatis per suas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris desuper expeditas Literas commisisset, ut inquirerent in genere prius, ac deinde in specie super fama Sanctitatis, virtutibus, & miraculis dicti Beati Philippi formarent juris ordine servato processum.

Devenitur ad processum in specie.

§. 6. Eoque diligentissimè peracto, & factâ, per bon. mem. Dominicum ejusdem S. R. E. Cardinalem Pinellum nuncupatum, relatione, ex processu videlicet in genere facto, plenè constare de fama sanctitatis, & miraculorum dicti Beati Philippi, ac deveniri meritò posse ad inquisitionem in specie.

Committitur examen Auditoribus Rotæ.

§. 7. Dictus Paulus Prædecessor, bonæ memoriæ Francisco Peniæ Rotæ Decano, & Horatio Lancellotto, ipsoque Horatio promoto ad Cardinalatus honorem, Alexandro Ludovisio tunc in minoribus constituto, qui deinde ad Summi Apostolatus apicem assumptus, Gregorius XV. prædictus fuit nuncupatus, ac Venerabili Fratri Nostro Dionysio de Marquemont Ecclesiæ Lugdunensi postmodum præfecto, omnibus causarum Palatii Apostolici tunc Auditoribus, ut conjunctim, vel saltem duo eorum procedentes, inquisitiones, & probationes hujusmodi facerent, factasque referrent, demandasset.

Qui Canonizandum esse retulerunt.

§. 8. Dictique Auditores Commissarii injuncto sibi officio, diligenter perfuncti, totius negotii seriem in scriptis eidem Paulo Prædecessori retulissent.

Idem confirmatum fuit per plures Congreg.

§. 9. Et dictus Paulus Prædecessor relationem, ut præfertur, factam unà cum iteratis instantiis, ac precibus dictorum Principum, & Presbyterorum dictæ Congregationis Oratorii, ad prædictos Cardinales, ut præfertur, deputatos remisisset, ac omnibus per bonæ mem. Robertum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Belarminum nuncupatum, ad id specialiter electum examinatis, & relatis in octo Congregationibus, diversis temporibus habitis, de validitate processuum in specie factorum, tam in dicta Urbe, quam extra eam, & de Fide, Spe, Charitate, Virginitate, de Prophetia, aliisque donis, & virtutibus, de fama sanctitatis, & miraculis quam plurimis tum in vita, tum post obitum dicti Beati Philippi plenè constare, servatis servandis conclusum, & decretum extitisset.

Paulus V. indulsit Missam & officium.

§. 10. Idem Paulus Prædecessor, ut in illius honorem tamquam de Confessore non Pontifice Missa celebrari, & officium recitari in Ecclesia Beatiss. Virginis Mariæ, & S. Gregorii in Vallicella de Urbe licitè posset, indulsit, & successivè indultum hujusmodi ad alias ejusdem Instituti Congregationes in aliis Ecclesiis extra Urbem canonicè erectas extendit.

Greg. XV. Canonizationem perficere constituit.

§. 11. Dictoque Paulo Prædecessore viam universæ carnis ingresso, prædictus Gregorius Prædecessor, qui illi in Apostolatus ministerio successit, Beati Viri sanctitatem (quippe qui virtutum illius excellentiam in minoribus, ut præfertur, constitutus, benè noverat) veneratus, & Christifidelium devotione, precibusque dictorum Principum instantius quam unquam repetitis permotus, negotium Canonizationis illius perficiendum constituit.

Qui commisit iterum process. Sac. Rit. Congreg.

§. 12. Et ad hunc effectum prædictis Cardinalibus dictæ Congregationis Sacror. Rituum mandavit, ut prædictos processus omni qua decebat diligentia, rursus inspicerent, & universam causam sibi referrent.

Judicant eum fore canonizandum.

§. 13. Qui quidem Cardinales dictum Robertum Cardinalem denuò elegerunt, eoque ab humanis exempto, Dilectum Filium Nostrum tunc ejusdem Gregorii Prædecessoris, Petrum Paulum ejusdem S. R. E. Card. Crescentium nuncupatum, in ejus locum subrogarunt, & negotio exactissimè discusso, ac diligentissimè examinato servatis similiter servandis, unanimiter congregati censuerunt plenissimè constare tam de validitate processuum, quam de vitæ sanctitate, virtutibus, & miraculis, tum in vita, tum post mortem dicti Beati Philippi, ita ut si dicto Gregorio Prædecessori videretur posset dictus Beatus Philippus in Sanctorum numerum adscribi.

Fit relatio in Consist. secreto.

§. 14. Cumque nihil jam superesset ulterius idem Gregorius Prædecessor voluit in Consistorio suo secreto de his omnibus relationem fieri, & Venerabilis Frater Noster, tunc suus, Franciscus Maria Episcopus Ostiensis, tunc Portuensis, & Cardinalis à Monte nuncupatus, suo, & aliorum dictæ Sacror. Rituum Congregationis Card. nomine summam processus exposuit, & ex rebus ab ipso Beato Philippo præclarè gestis selegit nonnullas, quas disertis plane verbis enarravit, ac se, cæterosque dictæ Congregationis Sacrorum Rituum Card. censuisse asseruit, dictum Beatum Philippum, si ipsi Gregorio Prædecessori visum foret, Sanctorum Catalogo aggregari posse, in quorum sententiam reliqui omnes Cardinales in dicto Consistorio tunc assistentes, de quorum numero Nos quoque tunc eramus, suo quisque suffragio ex ordine devenerunt.

In alio Consistor. confirmatur.

§. 15. Et successivè idem Gregorius Prædecessor ex antiquo Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, tunc suorum, instituto publico Consistorio, in quo præter dictos Card. etiam Venerabiles Fratres Nostri Patriarchæ, Archiepisc. Episcopi, ac alii Romanæ Curiæ Prælati, & dicti Gregorii Prædecessoris familiares Dilecti Filii convenerunt, convocato, Dilectus Filius Magister Joannes Baptista Spada junior, Aulæ Consistorialis Advocatus, de vita, virtutibus, & miraculis dicti Beati Philippi dixit, & nomine prædictorum Principum illius Canonizationem suppliciter petiit. Quibus auditis, dictus Gregorius Prædecessor respondit, se precibus libenter assentire.

Imploratur arbitrium divinæ voluntatis.

§. 16. Sed quoniam non audebat Sancta Sedes librum æternæ vitæ perscrutari, nisi Spiritu Sancto aperiente, velle se diutius immorari, ac maturius procedere, & propterea omnes in Domino rogavit, ut secum una orationibus, jejuniis, ac eleemosynis divinæ voluntatis arbitrium explorarent.

In alio Consist. concluditur Canonizatio.

§. 17. Demum vero Consistorio, quod semipublicum vocant, indicto, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicæ Notarii, & causarum dicti Palatii Auditores Dilecti Filii interfuerunt omnes Beatum Virum Canonizandum esse publicis suffragiis judicarunt, quorum unanimi consensu audito, ipse Gregorius Prædecessor aperiens os suum in benedictione, gratias egit divinæ clementiæ, quod tantam contulisset gratiam servo suo.

Decrevitque illum canonizare cum aliis 4. Beatis.

§. 18. Statuitque illum inter Sanctos referre una cum Beatis Isidoro Agricola, & Ignatio Lojola, ac Francisco Xaverio, necnon Teresia: de cujus quidem Beati Viri Philippi origine, vita, vir-

virtutum donis, & miraculis aliqua ex multis in processu deductis recensenda duxit.

Recensentur nonnulla de ejus vita miracula.

§. 19. Est igitur natus Beatus Philippus Florentiæ, millesimo quingentesimo decimoquinto salutis anno, sedente Leone X. Pontifice Maximo, & in Ecclesiâ S. Joannis Baptistæ Baptismali fonte ablutus. Franciscum Nerium, & Lucretiam Soldiam honestissimæ vitæ, atque probatæ integritatis habuit; à quibus adhuc puerulus, optimis moribus imbutus, ab ipsâ ineunte ætate ob præclaram, quam præferebat naturæ indolem, non modo aliorum animos in sui rapiebat amorem, ut Philippus bonus appellaretur, sed divinâ in omnibus juvante gratiâ, videretur de se magnum aliquid præponere.

Delapsus præceps in cellam vinariam, liberatur.

§. 20. Non octo annos natus, una cùm asello, quem conscenderat, in cellam vinariam præceps delapsus, atque jumenti onere oppressus, ingenti admiratione, qui mortuus credebatur, extractus est vivus, & incolumis.

§. 21. Ubi verò ad annum pervenit ætatis decimum octavum, missus est à Patre ad Oppidum S. Germani, ut ibi apud Patruum, opibus abundantem, mercaturam exerceret: qui adolescentis optimi lætificatus adventu, ipsum brevi propter ejus probitatem in hæreditatem vocare constituit.

§. 22. At verò Philippus cœlestium desiderio in dies ardentior, à Patrui gratiâ, & benevolentiâ sibi timere cœpit, donec duobus annis transactis, mercaturæ nobilioris avidus, contemptâ viginti millium aureorum hæreditate ab illo oblatâ, Romam inde se contulit: ubi oportunum, & aptum ad solida virtutum officia nactus locum, pietatis operibus, Philosophiæ, ac Theologiæ studium adjunxit.

§. 23. Et interim arctam vitæ viam ingressus, humi plerumque cubare, tenui victu, atque assiduo jejunio delectari, & aliquando per triduum ab omni cibo abstinere, septem præcipuas Urbis Ecclesias obire, & in Cœmeterio Callisti nuncupato, in oratione pernoctare sæpè consuevit.

Mirabilem habebat palpitationem cordis.

§. 24. Ac vix annum ætatis suæ vigesimum nonum attigerat, cum inter alia divinitùs accepta dona, planè mirabilis cordis palpitatio fuit, ac fractura costarum: quæ publico Medicorum testimonio præter naturæ ordinem obtigit, quasi mentis dilatato sinu, etiàm caro dilataretur, & exultaret in Deum vivum.

§. 25. Et ad animarum propterea subsidium se multò magis vocari sentiens, de solitariæ vitæ severitate divino nutu remittere cœpit, atque inter cujusque conditionis homines eâ mente versari, ut publicis adhortationibus, & privatis colloquiis Christo Domino quàmplurimos lucraretur, nullo incommodo, nullo penitùs devitato labore.

§. 26. Eodemque ferè tempore, quo Sanctissimæ Trinitatis Confraternitas ad Peregrinorum, & Convalescentium commoditatem ipsius consilio, atque opera fuit instituta, cum unoquoque mense quadraginta horarum supplicatio decreta esset, ipse totas penè noctes deducebat insomnes, & Confratres ad orationem hortabatur, & exemplo mirificè incitabat.

§. 27. Cùm verò ad trigesimum sextum annum pervenisset, Confessarii jussu Sacerdos factus, & audiendis fidelium confessionibus præfectus, in ædibus Sancti Hieronymi de Charitate nuncupati habitavit.

§. 28. In cujus Ecclesia ad Sacramentorum frequentiam, & ad dandam scientiam salutis semper intentus, in proprio etiàm cubiculo piâ de divinis collocutione illos erudiebat, qui ejus se se disciplinæ tradiderant.

Pro obtinendo martyrio Indias adire cupiebat.

§. 29. Et in hoc ipso suorum progressu attendit animum Indias adeundi, ad vineam Domini excolendam, & fructus uberiores etiam profuso sanguine reportandos.

§. 30. Ut autem eâ de re supernum consilium exploraret, virum Cisterciensis Ordinis pietate insignem consuluit, quo revelante Deo admonitus est, ejus Indias Romæ futuras.

Infideles ad Fidei lumen adduxit.

§. 31. Quamobrem majori succensus ardore, non solùm durissimâ peccatorum servitute pressos ad Christi Domini obsequium traducere studuit, verùm etiàm sedentes in tenebris, & umbra mortis infideles ad clarissimum Fidei lumen adduxit, quo illustrati nonnulli Hebræi Christum recipere, & Hæretici ad Catholicam veritatem redire non dubitarunt.

§. 32. Certè de novatoribus revincendis, vel ad Romanam Ecclesiam reducendis, maximè visus est fuisse sollicitus, cum bonæ memor. Cæsarem Presbyterum Cardinalem Baronium nuncupatum, adhuc in minoribus constitutum, ad opus Annalium per tot annos urgere non destitit, ut ipsemet posteà Cardinalis scripserit, non se Annalium Ecclesiasticorum, sed Philippum auctorem extitisse.

Congregationem Oratorii fundavit.

§. 33. Jamque in Ecclesiâ Sancti Hieronymi piis, ac familiaribus colloquiis diu ad virtutes erudierat confluentes, cum ad majorem fructum ex verbi Dei semine percipiendum, ex filiis quos Christo genuerat, delectis nonnullis recol. mem. Gregorii XIII. etiam Prædecessoris Nostri auctoritate, apud dictam Ecclesiam Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sancti Gregorii, Congregationem prædictam Oratorii fundavit.

Familiares sermones stabilivit.

§. 34. Et congruentibus institutis à prædicto Paulo Prædecessore posteà confirmatis in Presbyterorum Secularium statu, absque voti ullius, vel promissionis vinculo, ad quatuor familiares sermones singulis in hebdomada feriis, exceptâ die Sabbati, divinis de rebus habendis, ad quotidianam sub vesperam in Oratorio publico Orationem ad Sacramentorum frequentiam, & ad alias complures Christianæ pietatis exercitationes retinendas munivit, ac stabilivit.

Ignis divinus aliquando in ejus facie redundabat.

§. 35. Ut autem speciatim tanti viri virtutes agnoscantur, &per viam salutis incedentibus subsidio esse valeant: non est omittendum quod is fuit in primis charitate in Deum admirabili, ut internus ille ignis nonnumquam dum attenderet ad divina, redundaret in corpus, & facies, atque oculi scintillulis micarent, atque etiàm ex improviso, illa Apostoli verba sæpius usurparet, Cupio, sed mox animadvertens, suæ in Deum devotionis occultandæ gratia, reliquum sententiæ reticebat, nimirum, dissolvi, & esse cum Christo.

§. 36. Perpetuò atque ardenti studio venerandum Eucharistiæ colebat Sacramentum, vel enim Laicus, vel Sacerdos celebrans, vel ægrotans in lectulo, illius quotidiana susceptione reficiebatur. Verum inter celebrandum fervidus ligneum Altaris gradum quodam exultationis tremore concutiebat.

§. 37. In ipsa Dominicæ Passionis memoria, atque iniquorum hominum ingratitudine gemitus fundebat uberrimos, & miraculo tribuebatur, quod præ assiduâ lacrymandi consuetudine vim oculorum non amisisset.

§. 38. Inter cætera quibus ad hujusmodi charitatis gradum pervenit Philippus, summum fuit orationis studium, cui inexplicabili desiderio semper addictus, omnia Congregationis exercitia in eam quodammodò tendere curavit, ut indè merito Oratorii Congregatio fuerit appellata.

Charitate in proximos singulariter enitebat.

§. 39. Hæc ipsa Beati viri charitas miris modis redundabat in singulos cujusque conditionis homines, nam omnium utilitati, ac necessitati expositus, nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suæ parceret valetudini, & quod habitabat cubicu-

cubiculum non pateret aliorum commoditati summâ lenitate excipiens ad se venientes, factus omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret.

§. 40. Singulari præsertim industriâ per Christianæ lætitiæ semitas deduxit adolescentes, qua vel septem Urbis Ecclesias, vel Xenodochia, vel alia pia exercitia frequentantes labore, ac molestiâ ex parte levarentur.

§. 41. Summâ item assiduitate visebat ægrotantes, præsertim è suis, nec eos deserebat, dum nosset mortis periculum instare.

Dæmones fugabat.

§. 42. Tentationes diaboli repellebat mirabiliter, atque à plurimis laborantibus in extremis, cum ipse accederet, proferretque verba, quis isthic? Dæmones ad vocem perterriti, se se in fugam visi sunt conjicere.

Eleemosynas indigentibus suppeditabat.

§. 43. Curabat autem hominum saluti non solùm interno, sed etiàm externo subvenire subsidio, & numerosis plerumque familiis necessaria suppeditare, dotem indigentibus Virginibus elargiri: egenis Religiosorum domibus opem ferre, vinctis in carcere eleemosynas abundanter impertiri, ut merito Pater animarum diceretur, & corporum, quem caritatis affectum etiàm miraculis Dominus comprobavit.

§. 44. Intempestâ enim nocte panem deferens ad familiam, in egestate multa constitutam, in profundam foveam incidens, ab Angelo incolumis ereptus est, qui etiam aliàs Angelo sub specie pauperis eleemosynam sibi petenti omnem pecuniam, quam apud se habebat prompto atque hilari obtulit animo.

Virginitatis dono fuit dotatus.

§. 45. Caritati Virginitatis donum adjunctum habuit, quo multi, qui cum ipso versabantur vel vultus, atque oculorùm intuitu, vel suavi fragantiâ, quâ illius corpus redolere consueverat, recreabantur.

Ex odore impudicitiâ dignoscebat.

§. 46. Solitus ipse pudicitiam ex odore, impudicitiam ex fætore dignoscere, soloque manuum contactu impuris tentationibus esse remedio.

§. 47. Huic integerrimæ puritati sæpe humani generis hostis per impudicas mulieres tetendit insidias: ipse vero ad orationem semper confugiens victor gloriosus evasit.

§. 48. Eam ob causam perpetuæ debitus abstinentiæ, loco prandii tenui utebatur jentaculo, cui cœna succedebat non absimilis. Abstinuit semper à cujusvis generis lacticiniis, raro pisces, carnes vero rarissimè degustavit, potu fuit admodùm tenui, aquâ magis usus, quàm vino. Ea demùm erat potus, cibique parcitas, ut sustentari Medicorum attestatione naturæ viribus non valeret. Crederetur tamen (præsertim à suis) Eucharistiæ virtute vitam ed senectutem traduxisse.

§. 49. Cum hujusmodi abstinentiâ conjunxit etiam rerum omnium mundanarum contemptum, non modo enim hæreditatem, ac patrimonium respuit, & quam multas sibi testamento relictas facultates summâ animi constantiâ repudiavit, sed etiam dum in ædibus S. Hieronymi habitaret, nudis contentus cellulis, consueta stipendia recusavit.

Ecclesiasticas dignitates recusavit.

§. 50. Ab honoribus, atque Ecclesiasticis dignitatibus alienus, adduci nunquam potuit, ut pensiones, atque Beneficia reciperet. Canonicatus in Urbe primos, Episcopatum, & Cardinalitiam dignitatem à piæ etiàm memoriæ Gregorio XIV. & prædicto Clementi Prædecessoribus Nostris sibi oblatam omninò recusavit.

§. 51. Humillimus fuit, atque Beati Francisci exemplo se maximum ex peccatoribus constanter affirmabat, ideòque contestari quotidiè solitus Deum his ferè verbis, à me tibi caveas Domine, te enim hodie traditurus sum, & omnia perpetraturus mundi peccata, nisi tuâ me gratiâ benignè protexeris.

§. 52. Cùmque ægrotaret aliquando, atque ipsum obsecrarent adstantes, ut suorum saltem beneficio, illam Sancti Martini dirigeret ad Deum orationem. Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; summâ animi demissione respondit: Non sum ego Sanctus Martinus, nec me talem unquam existimavi, quod si me vobis necessarium reputarem, perditum crederem.

§. 53. Atque hinc est, quod se Rectoris, & Præpositi, nec non Congregationis à se erectæ Fundatoris titulo ægrè admodum tulerit appellari. Quinimo biennio ante obitum, Congregationis administrandæ munus deposuit.

Rectoris nomine appellari abhorruit.

§. 54. Tantæ ejus humilitati patientia non defuit. Tranquillo semper animo excitatas tàm adversum se, quàm Oratorii sui exercitia persecutiones tolerans, in quibus etiàm pro persecutoribus verus Christi imitator assiduè deprecabatur, isque fuit deprecationum fructus, ut ex eis plurimos solâ patientiâ ad Deum converterit, qui verò ab incœptis non destitere, divinam ultionem sint experti.

§. 55. Magnæ insuper patientiæ extitit in perferendis diuturnis corporis infirmitatibus, quibus singulis fere annis divexabatur, ita ut ad extremum vitæ perductus, oleo sancto quater inunctus fuerit, quo autem tempore ægrotabat, nullâ unquam de doloribus habitâ querimoniâ, sed hilaris facie incredibilem animi lætitiam indicabat, ab ipsâ verò infirmitate quantùmvis gravi, convalescere sæpè solebat repentè prorsùs, ac mirabiliter.

§. 56. In Christianâ mortificatione adeò præcellebat, ut merito habitus fuerit ejusdem virtutis singularis magister, & in primis, mentis discursum, quem ipse rationalem nominare consueverat, assiduè comprimere, & captivare intellectum in obsequium Christi studuerit, ideòque ea ipse plerumque faciebat, & facienda proponebat aliis, quæ intuentibus animi potiùs levitatem, atque stultitiam saperent.

§. 57. Jam verò nonnulla etiàm dona recensenda sunt, quibus Beati Viri virtutes immensa Dei bonitas illustravit, frequenter enim ecstasim raptusque divinos patiens, è terra sursum totus undique splendore circumfusus elevabatur.

Extases frequentes patiebatur

§. 58. Cœlestibus item visionibus dignabatur assiduè, Dominicæ etenim Nativitatis nocte Christum in Altari pueri specie intuitus est, & aliquando in Sacratissimâ Hostiâ Paradisi gloriam conspexit. Vidit etiàm Beatissimam Virginem veteris Ecclesiæ S. Mariæ in Vallicella tectum manibus sustinentem, donec imminentis casus ademptum est periculum. Eamdem iterum vidit, cùm anno ante obitum ægrotaret, quem ipsa sibi obviam sublatum in aëre mirificè recreatum repentè sanavit.

B. V. Mariam Ecclesiæ tectum sustinentem vidit.

§. 59. Quamplurimùm insuper confitentium, atque amicorum animas evolantes in Cœlum intueri, atque Angelos concinentes interim audire solitus erat, quin etiàm interiorem eorum pulchritudinem qui essent in statu gratiæ divinitùs agnoscebat.

§. 60. Sanctorum Caroli Borromæi, & Ignatii Lojolæ facies miris splendoribus vidit coruscantes.

§. 61. Eâ erat purdentiâ præditus, & discretione spirituum ita excellebat, ut propterea cujusque conditionis homines ad ipsum, tanquam ad oraculum consulendi gratia confluerent, & ipsi Summi Pontifices Prædecessores Nostri, ejus consilium magni semper facerent.

§. 62. Veras à falsis visiones discernebat, & licèt sæpissime antiquus nostri generis horribili se formâ videndum offerens, deterrere ipsum conaretur, semper tamen fortis, & invictus de eodem

gloriosè

gloriosè triumphans, pacem, veramque tranquillitatem, quâ fruebatur interiùs, retinuit.

Prophetiæ dono emicabat.

§. 63. In Prophetiæ dono, & absentium rerum, ac si præsentes essent prævisione, occultisque cordis humani divinitùs dignoscendis talis erat, ut de ipso verè affirmari possit, non est inventus similis illi.

Absentibus apparebat.

§. 64. Illud etiàm Philippo collatum à Deo fuit, ut dum uno esset in loco in alio longè distante, uno eodemque prorsùs tempore nonnullis apparuerit.

§. 65. Quàpropter cum in ædibus S. Hieronymi commoraretur, cuidam è suis apud dictam Ecclesiam Beatissimæ Virginis Mariæ, & S. Gregorii degenti, se præsentem ostendens, subsidio quo indigebat adfuit.

Pœnitetem in mari penè submersum liberavit.

§. 66. Et Romæ aliàs existens, quemdam ex numero sibi confitentium, in mare penè submersum, mediis è fluctibus capillis apprehensum liberavit.

§. 67. Iterumque cum in Urbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam, sub Regulâ S. Augustini Monialem, Prati in Hetturia commorantem, longo temporis spatio est allocutus.

Miraculis in vita fuit illustris.

§. 68. Inter hæ miram ad patranda miracula à præpotenti Domino consecutus gratiam, quamplurimos liberavit à quâcumque detinerentur infirmitate.

Crucis signo ægrotos liberabat.

§. 69. Nonnullos enim solo Sanctissimæ Crucis adhibito signo, alios salutari manuum contractu, inter quos Clemens Octavus Prædecessor Noster gravissimis chiragræ doloribus oppressus sanus illico factus est, & Nobilis quidam Romanus à pestifera corporis contagione curatus. Alios præthereà pristinæ sanitati restituit solâ orationis virtute.

§. 70. Alios morbis, quibus tenebantur, tantùm imperando, quod præcipuè contigit Mariæ Felici à Castro, in Monasterio Turris speculorum Moniali, quæ continuâ febri correpta, Philippo jubente, statim convaluit.

Card. Baronium à debilitate capitis liberavit.

§. 71. Aliòs remediis omnio contrariis curavit, quod dictus Cæsar Cardinalis est expertus, cui stomachi & capitis debilitate ita laboranti, ut retinere vix cibum, atque orare nulla ratione posset impetravit, ut coram se panem integrum cum malo citreo comederet: qui statim atque Servi Dei mandatum executus est, stomachi, atque capitis molestiis sensit se omnino liberatum.

Ab ulcere narium mulierem curavit.

§. 72. Alii verò, rebus, quibus utebatur Philippus morbo admotis, sanitatem pristinam recepere: inter quos Eugenia Mansueta de Colle Scipionis: naribus ulcere quodam decem & octo mensium spatio horrendum in modum infectis, linteoli parte Servi Dei, adhuc viventis, sanguine respersa, ulceri summâ fide appositâ, confestim curata est.

Mortuum ad vitam revocavit.

§. 73. Quin etiàm constat, mortuos fuisse ejus voce vitæ restitutos: quod Paulo Fabritii de Maximis Filio contigit, qui mortuus, nomen illius inclamante Philippo, illicò ad vitam rediit, & cofessione peractâ, ab eodem interrogatus, an libens iterum à vita decederet, annuens, in pace quievit.

§. 74. His virtutibus ac donis, quibus à Deo tàm liberaliter auctus est Philippus, tantæ extitit mortalibus admirationi, ut qui Servum Dei nossent, ejus Sanctitatem ubique prædicarent, & prædicti Prædecessores Nostri summo honore, ac veneratione prosequerentur. Clemens Prædecessor prædictus ejus manus etiàm osculans, & Gabriel Paleottus in libro quem scripsit de bono senectutis Philippum, adhuc viventem, tamquam verum eximiæ Sanctitatis, atque virtutum omnium exemplar proposuerit: & Augustinus dictæ S. R. E. Cardinalis Veronen. nuncupat. Libellum quem composuit, Beato Viro itidem vivente, Philippum, seu de lætitia Christianâ inscripserit. Summæ etiàm venerationi habitus est Sanctis viris, & quamplurimis Dei famulis, ut à Sancto Carolo, qui quotiescumque eum adibat, ponere genua, & manus ejus osculo petere consuevit.

Die 26. Maji obdormivit in Domino.

§. 75. Verum ingravescente jam ætate, cum incitato semper cursu susceptam salutaris vitæ rationem feliciter persequutus esset, die mortis suæ, atque horâ multifariam prædictis, plenus dierum, septimo Kalendas Junii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, quâ die Dominici corporis celebritas contigit, cum mane vehementi devotionis spiritu, quasi præ lætitia concinens, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrasset, & nonnullis adstantium, quorum confessiones audierat, Eucharistiæ Sacramentum ministrasset, consuetis exercitationibus de more expletis, post mediam noctem, eà quâ prædixerat horâ, omnipotenti Deo, cui fideliter servierat, spiritum placidissimè reddidit, & post obitum quamplurimis, tàm Romæ, quàm alibi gloriæ claritate illustris apparuit.

§. 76. Et summo mane Servi Dei corpore in Ecclesia super feretrum exposito, mortis felicissimæ famâ jam divulgatâ, innumerabilis cujusque conditionis hominum illuc multitudo convenit: inter quos multi ex viris Principibus, Præsulibus, atque Cardinalibus confluxere: & toto bidui spatio, quo corpus antequam conderetur in Ecclesiâ piè reservatum est, ingenti populi frequentiâ, absque intermissione, manus, pedesque exosculari, coronas, atque rosaria venerando corpori admovere non destitit: & ii, quibus præ multitudine ad corpus non dabatur accessus, feretrum, in quo jacebat osculabantur.

§. 77. Eo interim tempore multa sunt, ejus suffragantibus meritis, edita miracula.

Post mortem duos liberos à strumis curavit.

§. 78. Inter cæteros enim adolescens unà cum sorore, strumis diu laborantes, Servi Dei manu loco admotâ, ubi morbus residebat, extemplo curati sunt.

§. 79. Quemadmodum & mulier quædam à diutina difficultate respirandi, & alii quamplures à variis infirmitatum generibus convaluere.

§. 80. Post hæc, ubi selectiore in loco corpus reconditum est, ad ipsum venerandum populi concursus fieri, votivæ deferri tabellæ, donaria permulta appendi, ac suavissimus quidam odor à multis indè percipi cœpit.

Puerum à propinquâ morte liberavit.

§. 81. Septem autem post annos, integrum repertum, summâ omnium lætitiâ translatum est in sacellum erectum, atque ornatum à quondam Nerio de Nigris, Nobili Florentino, & Domicello Romano: cui Deus Sancti hujus intercessione Filium concessit, Philippum propterea à parentibus nominatum: quem post menses decem, & octo, gravi morbo correptum, mortique jam proximum Beatus vir sibi commendatum, pristinæ statim sanitati restituit.

§. 82. Sed ne videamur singula recensere miracula, quibus servum suum mirificavit Altissimus, nosse satis erit, alios præcordiis ejusdem sanatos, ut Theodosiam Monialem Monasterii S. Luciæ in Silice de Urbe, quæ splenis morbo decem, & quinque annos afflicta extemplo curata fuit.

Puerum ad vitam revocavit.

§. 83. Alios verò capillis, ut puerulum natum mortuum, qui ut baptismo oblui posset, est revocatus ad vitam.

§. 84. Alios quibusdam Servi Dei coronis, ut Felicem Sebastianam, quæ à diuturnis crurium ulceribus, statim convaluit.

§. 85. Alios linteolis, ut Septimiam Neria, quæ in interiori oculi parte, ignito ferro incautè à sorore percussâ, illæsa omninò remansit.

§. 86. Et Josephum Sermejum, qui cum ob gra-

vem infirmitatem eo devenisset, ut omnium judicio mox efflaturus animam crederetur, sanus repentè factus, è lectulo, in quo jacebat incredibili omnium admiratione surrexit.

§. 87. Alios aliis ejusdem Reliquiis, gravissimis tentationibus ereptos, ut Stephanum Calcinardum, qui ab impurissima quadam fœmina sollicitatus, Sancti Viri Reliquiis, quas devotionis ergò secum deferebat, sibi pectus occultâ quâdam vi percuti sensit, & vocem ejus audiens increpantis se, ut à peccato caveret, atque inde festinus abiret, dicto obtemperans, continuò aufugit.

§. 88. Nonnullos solâ ejus vitæ lectione, ut Vicentium Valesium, qui vehementi vexatus tentatione supradictum exemplum perlegens, ex animo Philippum compellans, his verbis affatus est: cur modò non idipsum mihi abs te Pater? eodem temporis instanti discessit omnis illa permolesta mentis agitatio.

§. 89. Quamplures miris apparitionibus, ut Drusillam Fantinam, quæ præcipiti casu prostrata, ac horribili capitis, oculorum, & totius corporis collisione semiviva jacens, tribus Servi Dei apparitionibus mirabiliter liberatur. Non absimile accidit Leonardo Rovello, cui sanitatem, jam à Medicis desperatam petenti, Philippus in sui festi pervigilio, noctu apparens, pronuncians que verba illa: Fili vade in pace, confestim præbuit: & adveniente die Leonardus accepti Beneficii memor ad audiendam in ejus sacello missam, pro gratiarum actione, Ecclesiam adivit.

Ægrotos ejus sepulchrum visitantes salvavit.

§. 90. Multos sepulchrum ejus visitantes, veluti Claudiam Grignanam, quæ post longam sexennii infirmitatem, non valens in ipsa summa dolorum acerbitate loco se penitùs movere, ad Philippi sepulchrum aliorum auxilio perducta, vovens de servando singulis annis in vigilia festivitatis ejus, panis & æquæ jejunio, statim doloribus, quibus tenebatur, liberata est, & omninò sana per Ecclesiam nullius adminiculo incessit.

§. 91. Denique ferè innumerabiles editis votis, ut fratrem Joannem Baptistam Massiam de Valentia, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis redemptiones captivorum, qui Neapoli cum esset, annumque ageret suprà septuagesimum, vovens se Dei Servo eâdem prorsùs horâ, qua Romæ in ejusdem Sacello sacrum votivum peragebatur, tribus desperatis infirmitatibus, quibus toto biennii spatio laboraverat, & ita consumptus fuerat, ut de facie vix ampliùs agnosceretur, repentè curatus est.

§. 92. Præscripto itaque Canonizationis die, in festo S. Gregorii Magni nuncupati, quarto videlicet Idus Martii, Pontificatus ipsius Gregorii Prædecessoris anno secundo, iterum dictus Gregorius Prædecessor est hortatus ad iteratas preces, jejunia, & eleemosynas, ut in tanto opere exequendo lumen ejus, qui lucem habitat inaccessibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinæ gloriæ honor, & Catholicæ Ecclesiæ fides augeretur.

Die 12. Martii SS. Catalogo adscribitur cum Beatis Isidoro, Ignatio, Francisco, ac Teresia.

§. 93. Omnibus verò (juxta Sanctorum Patrum traditiones, Sacrorumque Canonum instituta, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem ritè, & rectè peractis, dictâ die, quarto Idus Martii, idem Gregorius Prædecessor, ad Principis Apostolorum Basilicam, cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & ipsius Gregorii Prædecessoris familiaribus, nec non Dilectis Filiis Clero seculari, & regulari, ac maxima populi frequentia convenit, & post iteratas, primò, secundò, ac tertiò pro Canonizationis Decreto, petitiones, per Dilectum Filium Nostrum, tunc suum, Ludovicum Tituli S. Mariæ Transpontinæ Presbyterum Cardinalem Ludovisium nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea institerant, post Sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces, & post imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum decrevit, & definivit, dictum Philippum Nerium Florentinum, dictæ Congregationis Oratorii Fundatorem, unà, cum Beatis Isidoro, & Ignatio, ac Francisco, nec non Theresia prædictis, Sanctum, & Sanctorum Catalogo adscribendum esse, prout adscripsit, & aggregavit.

§. 94. Statuens, ut ab Universis Christi fidelibus, in ejus honorem Ecclesiæ, & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari.

§. 95. Et quolibet anno dictâ die illius obitus, septimo videlicet Kalendas Junii, festum ipsius, & officium tanquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii præscriptam, solemniter celebrari possint. Ejusque festum die 26. Maji agi jubet.

§. 96. Insuper eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, quia annis singulis ipsius festo ad sepulchrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum, & quadraginta dies; iis verò, qui in ejusdem festi octava id fecerint etiam quadraginta dies de injunctis eis, aut aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Sepulchrum ejus visitantibus elargitur. Indulg.

§. 97. Et decantato solemniter Hymno Te Deum laudamus, & divinâ ope imploratâ S. Philippi, & aliorum Sanctorum prædictorum meritis per peculiarem ad id orationem, quam dictus Gregorius Prædecessor piè, & solemniter recitavit sacro sanctum Missæ sacrificium, solemni pompa, & ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad Altare Principis Apostolorum celebravit: & omnibus Christi fidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem ad Dei laudem, & gloriam Sanctorum ejus impertitus fuit.

§. 98. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione, aliisque præmissis, pro eo, quod super illis ipsius Gregorii Prædecessoris Literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodòlibet hæsitari; Volumus, & Apostolicâ auctoritate decernimus, quod Decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque præmissa à dicta die, quarto Idus Martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii Prædecessoris Literæ, sub Datum ejusdem diei, confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præsentes Literæ ad probandum plenè Decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, aliaque præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Hic Pontifex expedit Bullam Canonizationis.

§. 99. Cæterùm quia difficile foret, præsentes Nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Exemplis hujus Bullæ credi jubet.

§. 100. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostrarum voluntatum, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Sanctionemque pœnalem imponit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, octavo Idus

Augusti Pontificatus Nostri Anno primo.

† Ego URBANUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†

† Ego Franciscus Maria Episc. Portuen. Cardinalis à Monte.

† Ego Odoardus Episc. Tusculan. Card. Farnes.

† Ego Oct. Episc. Præneftin. Card. Bandinus.

† Ego Jo. Baptista Episc. Albanen. Card. Detus.

† Ego Federicus tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Card. Borromæus.

† Ego And. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Perettus.

† Ego B. tit. Sanctæ Mariæ in Transtyberi Presbyter Card. Bevilaqua.

†

†

† Ego Dominicus tit. SS. Apostolorum Presbyter Card. Gymnasius.

†

† Ego Carolus tit. S. Cæsarii Presbyter Cardinalis Madrutius.

† Ego S. Cardinalis Burghesius tit. S. Chrysogoni Major Pœnitentiarius.

† Ego Jo. Garsia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Millinus.

† Ego M. tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.

†

†

† Ego Jo. B. tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Lenius.

† Ego A. tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Capponius.

†

† Ego D. tit. S. Martini in Montib. Car. Rivarola.

† Ego Petrus Paulus tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardin. Crescentius ejusdem S. Philippi Discipulus.

†

† Ego Fr. Aug. tit. S. Mariæ de Aracœli Presbyter Card. Sanctæ Romanæ Eccl.

† Ego G. tit. S. Crucis in Hierus. Card. Borgia.

† Ego Felix tit. S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis Asculanus.

† Ego Robertus tit. S. Alexii Presbyter Cardinalis Ubaldinus.

† Ego Tib. tit. S. Priscæ Presbyter Card. Mutus.

† Ego Gabr. tit. S. Bartholomæi in Insula Card. de Trejo.

†

† Ego Julius tit. S. Sabinæ Presb. Card. Sabellus.

†

† Ego Melchior tit. S. Mariæ de Pace Presb Cardinalis Kleselius.

† Ego P. tit. Sancti Thomæ in Parione Cardinalis Camporeus.

†

† S. Presbyter Card. S. Susannæ S. R. E. Bibliothecarius.

†

† Ego Franciscus Cenninus Card. S. Marcelli.

†

† Ego Guido tit. Sanctæ Mariæ de Populo Presb. Card. Bentivolus.

†

†

† Ego Julius S. Mariæ suprà Minervam Presbyter Card. Roma.

†

† Fr. Desiderius tit. S. Clementis Presb. Card. de Cremona.

†

† Ego Ludovicus tit. S. Laurentii in Damaso Presbyter Card. Ludovisius, S. R. E. Vicecancellarius, & Summator Sanctissimi.

†

†

†

†

† Ego Cosmus tit. S. Pancratii Presbyter Cardin. de Torres.

†

†

†

†

† Ego C. S. Nicolai in Carcere Diac. Cardin. Pius.

† Ego M. S. Eustachii Diac. Card. de Sabaudia.

† Ego Carolus Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconus Cardinalis Medices.

† Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Ursinus.

†

†

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Boncompagnus.

† Ego Hipolytus S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.

†

Canonizatio S. Ignatii Lojolæ Societatis JESU Fundatoris, ejusque relatio in Sanctorum Confessorum numerum, ac institutio suæ festivitatis pro die 31. Julii. II.

Advertas lector, quòd (licet hanc Bullam expedierit iste S. D. N. Urbanus VIII.) istum Sanctum, una cum Sanctis Isidoro Agricola, Francisco Xaverio, & Philippo Nerio Confessoribus, ac Theresia Virgine Canonizaverat Greg. XV. qui morte occupatus litteras desuper expedire non valuit.

De tota verò Societatis, quam vivens iste Sanctus instituit, materia, plenissimè habes indicata in 2. & 3. Rubr. ad Constit. 25. Pauli III. incip. *Regimini*, sup. tom 1.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu, Literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Excitavit Dominus spiritum Ignatii ad disseminandum nomen ejus, ideò Grego. XV. intendit eum Canonizare.

§. 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor Noster, piè attendens, quod ineffabilis Dei bonitas, & misericordia disponit, & præteritis seculis, sive ad disseminandum Evangelium inter gentes, sive contrà subnascentes hæresiarchas, destinavit plures sanctitate, ac doctrinâ illustres viros; novissimis temporibus, cum pii Lusitanorum Reges in longinquas Indiarum Terras, ac remotissimas Insulas latè patentem vineæ Domini propagandæ aditum aperuissent; nec non minorem Catholici Castellæ Reges novum in Orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem Religionem, omnemque illis sanctitatem, ac perfectioris vitæ professionem Lutherus, monstrum teterrimum, aliæque detestabiles pestes blasphemis eorum linguis in Septentrionis partibus corrumpere, & depravare, ac Sedis Apostolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitavit spiritum Ignatii Lojolæ, qui ex medio honorum cursu, & à seculari, & terrena militia admirabili quadam ratione vocatus, ita

se divino imperio regendum, & formandum tradidit, ut demùm novâ Societatis JESU, quæ inter alia pietatis, & charitatis opera Gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis, & Romani Pontificis potestati tuendæ ex instituto se totam impendit, religione fundatâ, vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus; ejusdem Ignatii Catalogo Sanctorum adscriptioni, de qua dudum agebatur, decrevit intendere.

Fiunt instantiæ super Canonizatione.

§. 2. Quippe increbescente in dies in diversis mundi partibus ipsius Ignatii sanctitatis famâ, & miraculorum gloriâ; cum claræ memoriæ Philippus Secundus, & Philippus Tertius, Hispaniarum Reges Catholici, & Maria similis memoriæ, Maximiliani Secundi Romanorum Regis Illustris, in Imperatorem electi, & Margarita dicti Philippi Tertii Regis conjuges, nec non plures Ecclesiarum Præsules, & Populi, unà cum Dilectis Filiis Præposito, & aliis dictæ Societatis Religiosis, apud piæ mem. Clementem Papam VIII. etiam Prædecessorem Nostrum, oblatis illi processibus, per diversos locorum Ordinarios, etiam auctoritate tunc existentis Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncii, super prædictis sanctitate, & miraculis fabricatis, pro Literarum remissorialium, & compulsorialium, ad faciendos pro canonizatione progressus, concessione institissent.

Clemens VIII. committit negotium Sacr. Rit. Cong.

§. 3. Ipseque Clemens Prædecessor oblatos processus, & petitionem ad Dilectos Filios Nostros, tunc suos, S. R. E. Cardinales super sacris Ritibus deputatos, discutiendos commisisset; dictique Cardinales petitioni prædictæ satisfaciendum esse censuissent, si ita eidem Clementi Prædecessori placuisset; & dictus Clemens Prædecessor morte præventus nihil desuper constituere potuisset.

Paulus V. committit causam Auditoribus Rotæ.

§. 4. Similis recordationis Paulus Papa V. similiter Prædecessor Noster, repetitis per dictos Principes, ac Præpositum, & Religiosos, ac novis, per claræ etiam memoriæ Henricum quartum Francorum, & Navarræ Regem Christianissimum, porrectis instantiis permotus, prædicto Gregorio Prædecessori, tunc in minoribus constituto, & officio Auditoris causarum Palatii Apostolici fungenti, ac Dilectis Filiis Alphonso Manzanedo, & Joanni Baptistæ Pamphilio, etiam causarum earumdem Auditoribus, dedit in mandatis, ut causam hujusmodi in statu, & terminis, quibus reperiebatur, reassumentes, conjunctimque procedentes, acta omnia, & probationes perpenderent, & si opus esset, alios testes, super vita, & miraculis ejusdem Ignatii per se, & alios ab eis subdelegandos, de novo in genere reciperent, & super his suum ipsorum interponerent judicium: ut si ex iis constaret, inquisitiones, probationes, ac processus hujusmodi esse legitimè factos, causamque sufficienter esse instructam, ea posset ipse Paulus Prædecessor exequi, quæ Sanctorum dogmata, & sacrorum Canonum postulant instituta.

Declaratur Beatus cum Officio & Missa.

§. 5. Unde dicti Auditores visis, & diligenter discussis processibus coram eis exhibitis, censuerunt cum illis debere conjungi processus auctoritate Apostolicâ conficiendos: & ad hunc effectum per se ipsos in Romana Curia, & per nonnullos Archiepiscopos (& Episcopos extra eam, in diversis mundi partibus ab eis subdelegatos, juridicos processus super præmissis confici curarunt, quibus jussu ejusdem Pauli Prædecessoris, ad eosdem Cardinales super Sacris Ritibus, ut præfertur, deputatos transmissis, & per eos visis, & perpensis, idem Paulus Prædecessor, ex sententia eorumdem Cardinalium, quòd dictus Ignatius Beatus nuncupari, & de eo Missa, & Officium de communi Confessoris non Pontificis celebrari posset, benignè concessit, & indulsit.

Iterum traditur negotium examinandi Auditoribus Rotæ.

§. 6. Et deindè cum preces eorum, qui pro canonizatione ejusdem Beati Ignatii instinterant, fierent in dies arctiores; volens idem Paulus Prædecessor in hujusmodi causa secundum consuetudinem Sanctæ Sedis Apostolicæ procedere, eisdem Auditoribus per speciale rescriptum mandavit, ut processus factos etiam denovo perpenderent, & alios testes super veritate præmissorum in specie diligentissimè examinarent, & ipsi Paulo Prædecessori referrent.

§. 7. Quod quidem mandatum Auditores prædicti exequi, prout par erat, volentes, causam similiter de novo excutere cœperunt: & alios quam plures testes super eisdem præmissis per se ipsos receperunt in dictâ Curiâ; & per alios ab eis subdelegatos extrà eam examinari curarunt: ac nonnulla jura ad causam facientia ex Archivio dictæ Societatis extraxerunt: & Alphonsus, ac Joannes Baptista Auditores prædicti, nec non Dilectus Filius Noster Franciscus, ejusdem S. R. E. Cardinalis Sacratus nuncupatus, tunc tamquam Archiepiscopus Domascenus, unus ex Auditoribus causarum dicti Palatii Locumtenens, & in locum dicti Gregorii Prædecessoris, qui jam ad Ecclesiam Bononiensem assumptus fuerat, subrogatus, in pluribus Congregationibus, inter eos habitis de novo fabricatos, & alios processus prædictos etiam perpenderunt, illosque legitimè confectos, ac probationes in eis contentas ritè, & rectè peractas, ac sanctitatem, & miracula satis, superque probata fuisse, prædicto Paulo Prædecessori retulerunt.

Remittitur iterum causa Sacrot. Rit. Congr.

§. 8. Cumque ipso Paulo Prædecessore viam universæ carnis ingresso, dictus Præpositus ejusdem Societatis humiliter apud Gregorium Prædecessorem prædictum institisset, ut ad ulteriora in Canonizatione ejusdem B. Ignatii procedere dignaretur, idem Gregorius Prædecessor illius petitionem benignè audiens, relationem, ut præfertur, factam, ad eosdem Cardinales super prædictis Sacris Ritibus deputatos recognoscendam etiam remisit.

In Consistorio Secreto concluditur Canonizatio.

§. 9. Cumque pendente dictæ relationis discussione, supervenissent charissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Francorum, & Navarræ Regis Christianissimi primùm; mox verò nobilis viri Maximiliani utriusque Bavariæ Ducis, & successivè etiam charissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, preces accessissent; dictique Cardinales relationem prædictam comprobassent; Venerabilis Frater Noster Franciscus Maria Episcopus Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinalis à Monte nuncupatus, rei summam, suamque & aliorum, ut præfertur, deputatorum Cardinalium sententiam in Nostro, tunc ejusdem Gregorii Prædecessoris, Consistorio secreto exposuit: & alii, qui in illo Consistorio aderant Cardinales, Dilecti Filii Nostri, in eamdem sententiam devenerunt, posse videlicet dictum Gregorium Prædecessorem juxta sacros dictæ S. R. E. ritus, dictum B. Ignatium inter Sanctos referre.

Recensentur nonnulla de ejus vita, miracula.

§. 10. Quare idem Gregorius Prædecessor ad ulteriora procedi mandavit, voluerat autem ipse Gregorius Prædecessor nonnulla ex iis, quæ in processibus, & actis de vita, sanctitate, & miraculis ejusdem B. Ignatii constabant, in eodem Consistorio recenseri, videlicet.

§. 11. Natus est B. Ignatius in ea Hispaniarum regione, quæ ad Pyrenæum pertinet, ad Oppidum Aspeithiæ Pampilonen. Diœcesis, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, ex Beltramo Lojola, & Maria Sanchez nobilibus, catholicis, & piis parentibus: qui simili pietate filium educandum curarunt.

§. 12. Adolescens ille factus, cum esset eximiâ & animi, & corporis indole, missus fuit in claræ similiter memoriæ Ferdinandi Regis Catholici

Curiam;

Curiam: ubi cum inter honorarios pueros aliquandiu mansisset; ad tunc existentem Navarræ Proregem, in Civitate Pampilonen. degentem, se contulit, & rei militari operam dare cœpit. Cumque dicta Civitas ab exercitu Gallorum obsideretur; ipsi Ignatio ante alios dimicanti lapis, ex muro bombardæ vi excussus, lævam læsit tibiam; dexteram verò ita confregit, ut semivivus corruerit, quorum vulnerum acerbam, gravem, & diuturnam curationem ita patienter tulit, ut omnibus esset domesticis admirationi. Cumque eidem, in lecto affixo, libros profanos, tunc sic Deo volente, non repertos, petenti, nonnulli pii libri, legendi causa porrecti fuissent, ex eorum lectione tàm ardenter fuit incensus, ut ingenti sui odio concepto, decreverit Christi, & Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ut sacra illa loca veneraretur, & fideles in spiritu promoveret, ac infideles ad Evangelium adduceret.

§. 13. Curatis ergò vulneribus, patriam, parentes, res omnes fluxas, & caducas, reliquit: & Christo deinceps militaturus, ad Monasterium B. Mariæ de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti Vicen. Diœc. perrexit: ibique generali confessione peractâ, gladio, & pugione in templo ejusdem Monasterii suspensis, asperâ talari tunicâ indutus, fune præcinctus, nudo capite, baculum manu gestans, totam eam noctem, cui dies festus Angelicæ salutationis illuxit, ante aram ejusdem B. MARIÆ Virginis inter preces, & lacrymas vigilavit, seque penitùs divino cultui, novum exindè militiæ genus sequuturum, addixit.

§. 14. Minoressam indè vicinum Oppidum petiit & ad Hospitale S. Luciæ divertit: & in eo, & quodam specu, ad præterfluentis amnis ripam sito, faciens dignos pœnitentiæ fructus, pauperem, atque asperam vitam transegit inter egentes, & sordidos homines, quibus etiàm humillimis inserviebat obsequiis.

§. 15. Post aliquod verò tempus Almam Urbem Nostram, & successivè Venetias, ac postmodum Hierosolymam contendit: & perlustratis sacris locis, ibidem permanere, & animarum saluti incumbere vetitus, rediit ad partes Hispaniarum, & quò melius posset in spiritu proximis utilitatem afferre triginta natus annos, Grammaticæ primò in Civitate Barchinonen. deinde Compluti Philosophiæ, & Theologiæ per annum cum dimidio operam dedit: ac demum Parisiis omnia illa studia repetiit, ex eleemosynis victitans, & officia caritatis, humilitatis, & pœnitentiæ non intermittens, sociis ejusdem propositis, inter quos fuit Franciscus Xaverius vir Sanctus, & Indiarum Apostolus, collectis: & voto cum eis nuncupato, ut consummatis studiis inceptis, Evangelicâ contenti paupertate, Hierosolymam omnes adirent; unanimi, ac summo conatu saluti proximorum inservituri: quod si per annum navigandi se non offerret occasio, vel Hierosolymis permanere prohiberentur; illo voto absoluti Romam irent, & suam ipsorum operam Summo Pontifici in auxilium spirituale proximi offerrent.

§. 16. Verum cum ex studiorum laboribus, & vigiliis gravem stomachi morbum Parisiis contraxisset; jussu medicorum, & ex sociorum consilio, in patriam rediit, anno ejusdem Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto: ibique per tres menses in Hospitali Sanctæ Mariæ Magdalenæ, ostiatim victum emendicans, & pauperibus inserviens, tempus sedulò traduxit.

Ad Sacerdotium promovetur, & vota emisit.

§. 17. Quo transacto, cum convaluisset, Venetias, quo socii ex composito venire debebant, etiàm ipse profectus; in ea Civitate ad Sacerdotium promoveri voluit; & paupertatis, castitatisque in manibus Hieronymi Veralli Archiepisc. Rossanen. in ea tunc Sedis Apostolici Nuncii, Votum emisit.

§. 18. Et elapso anno inter eos condicto, & navigatione in Palæstinam, propter pacem inter Turcas, & Venetos per id tempus sublatam, interclusâ, Romam cum sociis venit, anno millesimo quingentesimo, trigesimo septimo: ubi à quodam Quirico Garzonio Romano cive, in quadam ipsius Garzonii vinea sub Monte Pincio receptus hospitio, constitutam operam piæ similiter memoriæ Paulo Tertio, pariter Prædecessori Nostro, ad animarum salutem obtulit paratissimam.

§. 19. Quam causam quò uberiùs, & cumulatiùs tractare posset, dictam Societatem à se institutam, ad tria cum aliis Religionibus communia vota quarto adjuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam in Missionibus, non petito viatico, etiàm ad infideles, Turcas, Hæreticos, Schismaticos, & quoscumque alios obeundis; à prædicto Paulo Tertio Prædecessore confirmandam curavit: eamque postmodum optimis etiam constitutionibus, & legibus stabilivit; & in Præpositum Generalem electus, summa cum prudentia, & probitatis laude moderatus est.

Romæ 1556. 31. Julii obdormivit in Domino.

§. 20. Ac post multos labores, JESUM appellans, in eadem Urbe piè obdormivit in Domino, pridie kalen. Augusti anni ejusdem Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti. Vir verè, quem præelegerat Dominus, ut eorum Dux foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen coram gentibus, & populis, & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, suique in terris Vicarii auctoritatem defenderent.

Fide, & Spe excelluit.

§. 21. Ornavit enim illum Dominus magnitudine, & excellentiâ Fidei, & maximâ Spe communivit, ut satis, superque ejus testantur actiones.

§. 22. Assiduum autem obsequium, quod pauperibus, & ægrotis exhibuit in hospitalibus, & eleemosynarum distributio, quas à piis personis suo ipsius studio corrogabat; maxima etiam cura, & studium, quod jam indè à principio suæ conversionis in eo posuit, ut rudes, & pueri doctrinam Christianam perdiscerent, & detentorum in carcere visitatio, ac sublevatio, quam instituit, & exercuit accuratè; nec non per universum terrarum orbem Missiones, quas fecit; & domus, Ecclesiæ, & Collegia, quæ erexit, & in dicta Urbe, præter scholas Grammaticæ, & Humanarum litterarum, quas gratis aperuit, Collegium Germanicum, ac Orphanorum, & Catechumenorum, domus, & S. Marthæ, ac S. Catharinæ Monasteria, aliaque loca pia, quæ excitari curavit; & dissidentium reconciliatio, salubria consilia data; & spiritualia exercitia ab eo composita, Sacramentorum frequentationes procuratæ; injuriarum denique remissio, & pro inimicis oratio, quam ardenter amaret proximum propter Deum, planè demonstrant.

Dilectione erga Deum emicuit.

§. 23. Deum autem ipsum quantoperè diligeret patet ex illa summa cura, & diligentia, qua studuit propter Deum proximo in spiritualibus, & temporalibus semper benefacere, & ex maxima vigilantia, qua curavit cor suum mundum custodire. A sua conversione nullum in eo deprehensum est dictum, factumve, quod censeri posset esse peccatum mortale: omnes suas cogitationes, verba, & opera in Deum, tanquam in finem referebat, & Deum, & Dei gloriam, & honorem destinabat: atque hæc verba videlicet, Ad majorem Dei gloriam, uti symbolum in ore semper habebat.

Prudentia admirabilis.

§. 24. Prudentia quoque fuit in eo admirabilis. In negotiis enim ad Dei honorem peragendis priùs quidem omnia Deo commendabat: deindè solerti habitâ consultatione, & rationibus ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem adhibebat præsidia, & eo pacto contingentia mala facilè declinabat.

§. 25. Ejus erga Deum, & homines justitiam, aspera vita, & voluntariæ pœnitentiæ, quibus offenso jam Deo satisfacere se putabat, spiritus devotio, & religio, qua Deo reddidit debitum cultum, & honorem; gratitudo quoque, quam erga suos, & Societatis benefactores continuò ostendit, & pura veritas, quæ ex ejus ore sine ulla fallacia, fuco, fictione, aut obscuritate procedebat, cum cordis puritate, & simplicitate satis commendant. Animi præclara magnitudo ex pœnitentiis, obsequio erga ægrotos, ex operibus charitatis, à quibus propter labores, & difficultates, irrisiones, injurias, & contumelias non recessit; sed in illis constanter usque ad optatum finem perseveravit.

Patientiâ emicuit.

§. 26. Patientiâ verò admirabilis, & mansuetudo ex multis, & ingentibus laboribus; ex opprobriis, confusionibus, & persecutionibus, libenter, & alacriter pro Dei amore perpessis; ex gratiarum actione in maledicentes relata, & beneficiis in injuriantes collatis apparent.

§. 27. Jejunium ipse adeò coluit, ut eo tempore, quo fuit Minorossæ, & Barchinonæ, per totam jejunans hebdomadam, exceptis diebus Dominicis, solo pane vesceretur, & aquam biberet: & propter continuatas orationes, & abstinentias semel, & iterùm debilis, ac ferè sine viribus est inventus.

Castitatem custodivit.

§. 28. Castitatis fuit adeò diligens custos in se, & in aliis, ut in Constitutionibus Societatis voluerit, illam suis esse tàm perfectè servandam, ut eniti debeant, corporis, mentisque munditiâ, Angelicam puritatem imitari.

§. 29. Profundæ etiàm humilitatis non obscurâ dedit indicia, dum se ad novæ vitæ genus accingens, noluit suum audire germanum, sibi familiæ nobilitatem, opes, & in militia strenuitatem, ac futuram inde gloriam repræsentantem; sed statim atque ex morbo, & vulnere convaluit, seculo nuntium remisit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis causa rediens, cum se à quodam jam cognitum esse animadvertisset, timens honorem, quem & germanum, & incolas Aspeithiæ sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, à quo cognitus fuerat, via recta Aspeithiam proficisci; sed per montes, & semitas obliquas solus illuc accessit: & nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissimè commutavit; nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur.

Mundi gloriam contempsit.

§. 30. Denique non solùm vanam mundi gloriam, sed etiam ipsum egregiâ magnanimitate contempsit: renunciatus enim Præpositus Generalis Societatis, tamdiu id muneris subire recusavit, quoad ejus Confessarius ei, ut demandatum reciperet officium, impetravit, & post receptum munus, ut eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortatur verbo, firmaret exemplo; primùm quidem in coquinæ ministeriis aliquot versatus est dies, tum docere aggressus est pueros, & rudes doctrinam Christianam.

§. 31. Excellentem verò famuli Sui Sanctitatem comprobari voluit etiam Altissimus supernaturali splendore vultus, quem dum viveret aliquando viderunt B. Philippus Nerius, & quondam Oliverius Manareus Flander, ejusdem Societatis Religiosus.

Miraculis claruit.

§. 32. Ac testimonio miraculorum: quorum plura etsi ab eo vivente facta in processibus recensentur, insigniora tamen post ejus felicem dormitionem edita probantur.

Moniali ægrotandi sanitatem restituit.

§. 33. Isabella enim Rebelles Monialis, Ordinem S. Claræ in Monasterio S. Elisabethæ Barchinonensi ejusdem Ordinis expresè professa, annos nata sexaginta septem, dum aliquid operis alto in loco molitur, repentè tam gravi casu ad terram est collapsa, coxendicis, seu femoris os, quod maximum est in humano corpore, totum fuerit confractum: & per quadraginta dies, & ultrà adhibitis per medicum, & chirurgum, eventu planè irrito, medicamentis, ac dolore, & febri, quæ ex confractione supervenerant, non cessantibus; ægrota apud omnes erat citra ullam salutis opem, quæ saltem naturalibus parari possent remediis, ut eâdem die moritura crederetur: petitâ tamen piâ cum religione, & impetratâ reliquiâ Beati Ignatii, & super coxendicem applicata, statim sana est reddita, & coxendicem, & tibiam priùs tumentem, atque immobilem expeditè, ac sine dolore movere cœpit; & die proxima surrexit, ac liberè, & perfectè ambulavit.

§. 34. Joannes Leida Majoricensis in valdè acutam, & periculosam febrim inciderat: augebat periculum maxima stomach inausea: post duodecimum, vel tertium decimum diem aucto periculo, cum Deo se se per merita B. Ignatii impensè commendasset, sequenti nocte somno excitatus, magno splendore circumfusum cubiculum vidit: & uxorem inclamans: Nonne, inquit, vides me à B. Ignatio sanatum? & illucescente die sanus, & valens sine alicujus auxilio è lecto surrexit, & vestibus se induit, ac in gratiarum actionem templum Societatis expeditè adiit.

Puero lethale vulnus consolidavit.

§. 35. Hieronymus Honuphrius Hetruscus, incola Oppidi Gandiæ Valentinæ Diœces. puer decennis, cum lethale in supercilio propè tempora, vulnus accepisset, propter quod totius oculi tumor, & vehemens febris accesserant, & post adhibita per mensem integrum per chirurgum, ex artis præscripto, medicamenta, vulnus non solum, non solidaretur; sed adeò latum, & profundum esset, ut linamentum digitale inserendum esset; ac tanta sanies, & putredo flueret, ut chirurgus ipse miraretur, & crederet os aliquod intus confractum; & alterum chirurgum etiam vocari jussisset, & ambo coram infirmo convenissent; remotis fasciis, quibus vulnus erat opertum, & obligatum: præter omnem expectationem, meritis Beati Ignatii, cui mater pueri, voto jam facto, illum commendaverat, vulnus illud penitus obductum, clausum, & solidatum invenerunt.

Obstructiones mulieris expulit.

§. 36. Magdalena Talavera, in eodem Oppido Gandiæ commorans, cum per tres annos gravibus laborasset obstructionibus, quæ in hydropisim, quam confirmatam appellant, terminaverant; ejusque ventrem adeò tumentem, & inflatum reddiderant, ut se de loco ad locum movere non posset, nisi permolestè; videns remedia, per duos medicos adhibita sibi nihil profuisse, ad divina confugit subsidia: & voto Deo facto, ac Imagine dicti Beati ventri admotâ, statim melius se habuit, depulsusque est morbus obstructionis, & hydropisis, ita prorsùs, ut intra tres, vel quatuor dies detumuerit venter, & exindè illa se benè habuerit.

§. 37. Ferdinandus Pretel de Mendoza, cum in febrim incidisset tertianam, quæ mox in duplicem, deindè in pestilentem unà cum mentis stupore, & extraordinariis horroribus, ex humorum abundantia, & virium naturalium defectu accidentibus degeneraverat; & ex multis purgationibus incassum adhibitis, vis morbi adeò aucta esset, ut à medicis destitutus, in supremo jam mortis discrimine versaretur, ritè confessus, & communione instructus, ac sacro perunctus oleo, manibus tenens Imaginem Beati Ignatii, quam collo pendentem gestabat, & ex toto corde illi se commendans, convalescere cœpit, & morbo est liberatus.

§. 38. Anna Barzellona ferè sexagenaria, cum toto biennii spatio morbo paralysis graviter vexata immobilis esset ad omne opus laboris: & gradus ascendere, aut ex illis descendere non pos-

set,

set, nisi scipionibus innixa: & insuper novus apoplexiæ in altero latere morbus accessisset; humanis remediis omninò destitutam se intelligens, voto nuncupato melius se habere cœpit: & toto illo die, ac nocte insequenti inchoatâ, valetudo ita est aucta, ut jam illucescente manè sana omnino ad Ecclesiam Collegii dictæ Societatis accurerit expeditissimè, gratias Deo, ac B. Ignatio redditura.

Cœcitate laboranti visum restituit.

§. 39. Joannæ quoque Claræ, & Noqueræ, mulieri Majoricensi, annos natæ quinquaginta sex, cœcitate laboranti, videnti facultatem reddidit Beatus Ignatius.

§. 40. Bartholomæus Contesti chirurgus adeò acerbis, & diuturnis capitis doloribus opprimebatur, ut præ nimiò dolore sæpè ad terram alliderетur: accessit in oculorum altero tam gravis inflammatio, ut alterum etiam divexaret, ita ut ne tenuissimum quidem lucis radium perferre, aut aliquantulum quiescere posset: ob idque in tenebroso conditus cubiculo inde non egrediebatur: & eo deventum est, ut ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, quòd si quidam chirurgus jam defunctus in humanis ageret, oculum sibi erui jussurus esset: religione demum eximiâ erga Beatum istum incensus, illius Reliquiam ad se afferri jussit: & in puncto, quo fuit illa delata benè se habuit, capitis, & oculorum cessavit dolor, visum recuperavit, & lucis splendorem sine ulla offensione sustinuit, utque intelligeretur, subitam curationem divinæ virtuti, atque intercessioni B. Ignatii tribuendam esse; bis, remota sacrâ Reliquiâ è cubiculo exportatâ, dolor rediit: eâque in cubiculum reductâ, illicò morbus discessit: quo facto admonitus Bartholomæus, sacram Reliquiam penes se retinuit: atque ita intra tres, vel quatuor dies ita perfectè sanatus est, quasi numquam ægrotasset. Quo audito Columna Cortei, & Vich, quæ capitis dolore ita vexabatur, ut neque noctu quiesceret, & supervenіente in uno oculorum tanto cruciatu, ut palpebram attollere non posset, & cœca denique remansisset: misit, qui eamdem Reliquiam ad se deferret: quâ allatâ, & super oculos, prævіâ invocatione ejusdem Beati, impositâ, palpebra, quæ priùs per chirurgos aperiri non poterat, confestim ultrò, ac per se cœpit aperiri: cessavit dolor, lucis splendorem Columna pertulit, & intra tres dies paulatim visum omninò recuperavit, & perfectè convaluit.

Dolorem mamillæ sanavit mulieri.

§. 41. Joanna quoque de Aragona, & Pignarella, Ducissa Terræ novæ, quæ quatuor jam menses vehementissimo dolore cruciabatur ex tumore, & duritie alteriùs mamillæ, eoque reducta erat, ut neque pedes, neque brachia movere posset, quin sibi viscera transfigi quodammodò viderentur, ad opem ejusdem Beati confugiens, & illius Imaginem religiose de manè venerata, & illi se commendans, vesperè ejusdem diei sana sine tumore, sine duritie, & sine ullo doloris sensu reperta est.

Denique in Consistorio secreto canonizandum judicant.

§. 42. Demum his, & compluribus aliis permotus idem Gregorius Prædecessor, ex antiquo Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, tunc suorum, instituto publico priùs, in quo præter prædictos Cardinales, etiam Venerabiles Fratres Nostri Pratriachæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ac alii Romanæ Curiæ Prælati, & dicti Gregorii Prædecessoris familiares Dilecti Filii convenerunt: & Dilectus Filius Nicolaus Zambecarius Aulæ Pontificiæ Consistorialis Advocatus, dicti Beati Ignatii merita, & Principum, ac Populorum super hujusmodi Canonizatione vota retulit.

§. 43. Et successivè altero, quod semipublicum vocant, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicæ Notarii, & causarum dicti Palatii Auditores Dilecti Filii interfuerunt: & omnes, quòd dictus Beatus Ignatius canonizandus esset, publicis suffragiis judicarunt: convocatis Consistoriis, toto cordis affectu exultans in Domino eumdem Beatum Ignatium, unà cum Beatis Isidoro Agricola, & Francisco Xaverio inter Sanctos referendam duxit.

In Sanctorum Confessorum Catal. adscribitur.

§. 44. Præscripto itaque Canonizationis die festo S. Gregorii Magni nuncupati, quarto videlicet Idus Martii, Pontificatus ipsius Gregorii Prædecessoris Anno secundo: iterum d. Gregorius Prædecessor est hortatus ad iteratas preces, jejunia, & eleemosynas: ut in tanto opere exequendo, lumen ejus, qui lucem habitat inaccessibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinæ gloriæ honor, & Catholicæ Ecclesiæ fides augeretur. Omnibus verò juxta Sanctorum Patrum traditiones, sacrorumque Canonum instituta, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem ritè, & rectè peractis, dictâ die quarto Idus Martii, idem Gregorius Prædecessor ad Principis Apostolorum Basilicam cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & ipsius Gregorii Prædecessoris familiaribus prædictis; necnon Dilectis Filiis Clero seculari, & regulari, ac maxima populi frequentia, convenit: & post iteratas primò, secundò, ac tertiò pro Canonizationis Decreto petitiones per Dilectum Filium Nostrum tunc Suum Ludovicum tituli S. Mariæ Transpontinæ Presbyterum Cardinalem Ludovisium nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea institerant: post Sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces, & post imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem Sanctiss. & individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, decrevit, & definivit, dictum Ignatium Lojolam, prædictæ Societatis Fundatorem, una cum Isidoro, & Francisco præfatis, ac Beatis Philippo, necnon Theresia, Sanctum, & Sanctorum Catalogo adscribendum, & aggregandum esse, prout adscripsit, & aggregavit.

Ejus festum die 31. Julii agi jubet.

§. 45. Statuens, ut ab universis Christi Fidelibus in ejus honorem Ecclesiæ, & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari: & quolibet anno, dicta die illius obitus pridie Kalend. Augusti, festum ipsius, & officium, tamquam de Confessore non Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breviarii præscriptam, solemniter celebrari possint.

Sepulchrum ejus visitantibus Indulgentias elargitur.

§. 46. Insuper eâdem auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis ipsius festo ad sepulchrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum, & quadraginta dies: iis verò, qui in ejusdem festi octava id fecerint, etiam quadraginta dies de injunctis eis, aut aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

§. 47. Et decantato solemniter hymno, Te Deum laudamus, & divinâ ope imploratâ, S. Ignatii, & aliorum Sanctorum prædictorum meritis, per peculiarem ad id orationem, quam dictus Gregorius Prædecessor piè, & solemniter recitavit sacro Sanctum Missæ sacrificium solemni pompa, & ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare Principis Apostolorum celebravit, & omnibus Christifidelibus, tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, ad Dei laudem, & gloriam Sanctorum ejus, impertitus fuit.

Pontifex expedit Bullam Canonizationis.

§. 48. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione, impertitione, aliisque præmissis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii Prædecessoris Literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodòlibet hæsitari: Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd decretum, defini-

tio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impertitio, aliaque præmissa à dicta die quarto Idus Martii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii Prædecessoris Literæ sub Datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes nostræ literæ ad probandum plenè decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, impertitionem, & alia præmissa ubique sufficiant: nec ad id approbationis alterius adminiculum requiratur.

Exemplis hujus Bullæ credi jubet.

§. 49. Cæterum quia difficile foret, præsentes Nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset deferri; Volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionemque pœnalem imponit.

§. 50. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam utriusque nostrarum voluntatum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, octavo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

† Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†
† Ego Franciscus Maria Episc. Portuen. Cardinalis à Monte.
†
†
† Ego Oct. Episc. Prænestin. Card. Bandinus.
† Ego Jo. Baptista Episc. Albanen. Card. Detus.
† Ego And. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Perettus.
† Ego B. tit. Sanctæ Mariæ in Transtyberi Presbyter Card. Bevilaqua.
†
†
† Ego Dominicus tit. SS. Apostolorum Presbyter Card. Gymnasius.
† Ego Carolus tit. S. Cæsarii Presbyter Cardinalis Madrutius.
† Ego S. tit. S. Chrysogoni Presb. Cardinalis Burghesius Major Pænitentiarius.
† Ego Jo. Garsia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Millinus.
† Ego M. tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.
†
† Ego Jo. B. tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Lenius.
†
†
†
† Ego D. tit. S. Martini in Montib. Car. Rivarola.
†
†
†
† Ego G. tit. S. Crucis in Hierus. Presb. Card. Borgia.
† Ego Felix tit. S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis Asculanus.
†
† Ego Tib. tit. S. Priscæ Presbyter Card. Mutus.
† Ego Gabr. tit. S. Bartholomæi in Insula Card. de Trejo.
†
† Ego Julius tit. S. Sabinæ Presb. Card. Sabellus.
† Ego Melchior tit. S. Mariæ de Pace Presb. Cardinalis Klefelius.
†
†
† Ego S. Presbyter Card. S. Susannæ S. R. E. Bibliothecarius.
†
†
†
† Ego Guido tit. Sanctæ Mariæ de Populo Presb. Card. Bentivolus.
†
†
†
†
† Fr. Desiderius tit. S. Clementis Presb. Card. de Cremona.
†
† Ego Ludovicus Card. Ludovisius, tit. S. Laurentii in Damaso S. R. E. Vicecancellarius.
†
†
†
†
† Ego Cosmus tit. S. Pancratii Presbyter Cardin. de Torres.
†
†
†
†
† C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Cardin. Pius.
† M. S. Eustachii Diac. Card. de Sabaudia.
†
† Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Ursinus.
†
†
† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Boncompagnus.
† Ego Hipolytus S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.
†

III.

Edita An. D. 1623.

Canonizatio S. Francisci Xaverii è Societate Jesu, Indiarum Apostoli, ejusque in Sanctorum Confessorum numerum adscriptio, cum institutione ejus festivitatis die 2. mensis Decembris.

Prœmium, & causæ hujus const.

Hunc S. Franciscum canonizavit Greg. XV. die 12. Martii anno 1622. cum BB. Isidoro Agricola, Ignatio Lojola, Philippo Nerio Confessoribus, ac Theresia Virgine; sed morte præventus const. Canonizationis non potuit expedire.

Constitutiones autem pro Societate Jesu editas à diversis Pontificibus lege sup. in Pauli III. const. 25. *Regimini* tom. 1.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu, Literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor Noster, piè præmeditans, quod unigenitus, & coæternus æterni Patris Filius, cum de regalibus sedibus in hunc mundum, ut salutem humani generis operaretur, descendisset, semen bonum verbi sui in agro Orbis terrarum semina-

verat, ut omnium cœlestium virtutum, & ad extremum æternæ vitæ fructum credentibus germinaret: quodque, cum, pro divinæ hujus segetis incremento, pretiosissimum sanguinem suum, ignominiam Crucis voluntariè subiens, effudisset; ac, perfecto demum opere, ad quod missus fuerat, super omnibus Cœlorum sublimitatibus ad dexteram Patris in sæculorum æternitate consessurus ascendisset; plurimos servos, & amicos suos in terris reliquerat, qui laboribus, vigiliis, atque ad ipsius exemplum proprii sanguinis effusione, divinam hanc excolentes sementem, messem quàm uberrimam in horreum ejus congregarent; ejusque fines eousque dilatarent, donec, juxtà promissionem Patris, omnes gentes, & termini terræ darentur ei in hæreditatem, & possessionem. Et quamvis, verbum ejus semper à generatione in generationem prosperatum esset; attamen, quando ab æternis temporibus prædestinatum beneplaciti ejus tempus advenerat, ut abundare faceret, quasi imbrem inundantem, misericordiam suam magnam super universum semen filiorum Adam; gloriamque Crucis suæ usque ad ultimum terræ, & in mari longè propagaret; verè admirabilis facta erat potentia ipsius, cum, revelatis incognitis anteà Tribubus, & linguis ac populis, & nationibus messem magnam atque uberem aperuerat, atque in ea operarios multiplicaverat; tantaque fructuum abundantia labores eorum compleverat; ut ipsis annunciantibus Evangelicæ prædicationis sonus usque ad extremos Orbis terrarum fines penetrasset, & à Solis ortu usque ad occasum, ab Aquilone & mari, magnum nomen Domini Dei nostri in universis gentibus redditum esset. Inter cæteros verò, quos ad perficiendum voluntatis suæ sacramentum, in tantarum gentium vocatione Dominus præordinaverat, egregius Servus ejus Franciscus Xaverius, novus Indiarum Apostolus, gloria Sanctitatis, & meritorum splendore præcipuè emicuerat: Qui, cum à juventute sua perfectè coram Deo ambulasset, spretisque, ac conculcatis divitiis, ac sæculi dignitatibus, ac semetipso juxta verbum Domini abnegato, animam suam pro nomine Domini nostri Jesu Christi tradidisset; dignus inventus erat, qui à Spiritu Sancto in tam insigne opus assumeretur: ac, tanquam aliorum Dux divina providentia constitutus, Apostolicis charismatibus affluenter decoraretur: etiam ob signa Apostolatus; quæ in eo in omni patientia, in signis, & prodigiis, ac virtutibus, manifesta facta erant, novarum gentium Apostolus unanimi totius Christiani Orbis consensu meruerat appellari: Ac propterea decebat, ut tantum Dei famulum, qui pro gloria ejus, & animarum Domini nostri Jesu Christi sanguine redemptarum salute, innumeros, maximosque labores, atque ærumnas perpessus erat; ingentiaque terra marique subjuverat pericula; quem Deus adeo magnificaverat, ut nomen ejus honorabile esset apud omnes gentes.

Recenset eximias, & præcellentes virtutes & merita S. Francisci Xaverii quibus permotus Greg. XV. eum in Sanctorum Confessorum numerum retulit.

§. 1. Idem Gregorius prędecessor, pro suo Pastorali munere, verè Sanctum, & Electum Dei, in militanti Ecclesia declararet; ejusque virtutes, tanquam eximias, & præcellentes, universis Christifidelibus imitandas proponerent: ut populus Christianus actiones suas ad honorem Dei, ipsius exemplo, dirigens; eum apud Deum, & Dominum Jesum Christum in ejus necessitatibus habere mereretur intercessorem: atque, ut omnes Christifides promptius ad laudandum Deum Omnipotentem secundum multitudinem magnitudinis ejus excitarentur, devotionisque ardor erga tantum Dei famulum augeretur; dum ejus in terris cœlestem, & laudabiliter actam vitam Orbi terrarum explicaret, & patefaceret: In primis & ante omnia præmitteret quod natus erat insignis hic Dei Servus Navarræ in Oppido Xaverio Pampilonen. Diœcesis, maternæ ditionis loco, nobilibus ac piis progenitoribus. Qui, cum ipsum ab infantia timere Deum, ac ab omni peccato abstinere edocuisset; ubi ætas demum adoleverat, Lutetiam Parisiorum, studiorum gratia eumdem miserant. Quibus cum alacriter operam daret; post haud multum temporis de eo domum revocando pater cogitare cœperat. Quod cùm, tunc in humanis agens Maria Magdalena ejus soror, quæ Monasterium Monialium Oppidi Civitatis nuncupati Gandiæ, Ordinis Sanctæ Claræ, Discalceatarum nuncupatarum, Valentinæ Diœc. non sine ingenti sanctitatis fama tunc regebat, persensisset, Fratris vocationem, divinitus edocta, per literas cum patre vehementius egerat, ut Francisci studia omni ope etiam cum rei domesticæ detrimento, foveret: cum enim incognitarum gentium Apostolum divina providentia præordinatum esse prævidebat. Cumque Lutetiæ commoraretur, in familiaritatem Sancti Ignatii insinuatus, ac postmodùm in socium ipsius, qui id ardentibus precibus à Deo ad ingentem Ecclesiæ utilitatem præstandam postulaberat, adscriptus, eoque duce ingressus erat arctam viam, quæ ad vitam ducebat: ut enim spiritu vivificaretur carnem suam, ad antiquorum Sanctorum Patrum exemplum, severissime mortificaverat. Interdicto enim sibi, non solùm carnis, & vini, sed panis etiam triticei usu; vilibus tantummodo ac insulsis cibis iisque quam parcissimè, usus erat: Quin etiam frequenter integro biduo triduoque ab omni cibo prorsus abstinuerat; aliquando verò omnes majoris hebdomadæ dies usque ad Sabbathum Paschalis jejunus transegerat; somnoque brevissimo vires reficere consueverat: humi, vel lectulo vilissimis stragulis contecto, jacens. Corpus suum ferreis flagellis adeò diverberabat, ut sæpè copiosùs sanguinis efflueret: aliquando autem, funiculis arctissimè constrictis lacertis, & coxendicibus, iter aggressus erat: cumque plures dies in eo cruciatu perseverasset, vincula adeò corpori ejus infixa erant; ut præ doloris magnitudine viribus destitutus, in via concideret: ac, nisi pręcipuo Dei beneficio, absque ulla humana ope, dirupta fuissent; de ejus vita omninò desperatum fuisset. Quam præclarè vero in ejus animo reliquæ Christianæ virtutes effulsissent: quam potenter scuto fidei protectus omnia nequissimi ignea tela extinxisset; & quàm firmiter in Deo sperasset; & Sacramentorum frequentia, quibus non solum semetipsum, sed & alios etiam summa cum devotione, ac indefessa assiduitate pascebat; & verbi Dei assidua prędicatio, qua tam ingentem Orbis terrarum partem illuminaverat, insigniter attestabantur. Sed inter cœteras ejus virtutes, quasi sidus matutinum, pręcipuè resplenduerat Charitas: quæ in omnibus quidem ejus actionibus, pręsertim tamen cum ægrotis inserviret, manifestabatur. Eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos, qui in domibus hospitalibus morabantur se gerebat; ut raro ab eis discederet: tantaque sensum mortificatione quantumvis sordidissima ministeria peragebat; ut aquam sępius, qua horribilia, & incurabilia ulcera laverat, ebibisset. Cùm verò de vita periclitarentur, tunc cibi somnique prosus oblitus, & pręter proprias vices à Deo confortatus, veluti à commissa custodia nec die nec nocte discedebat: illisque sanctissima Eccclesiæ Sacramenta, cœterasque spirituales alimonias præbebat. Quæ adeo libenter atque hilariter exequabatur; ut deliciæ ejus deservire ægrotis, ac morientibus esse dicerentur, & quasi aliquod talentum, sibi divinæ benignitatis munificentia creditum, negotiaretur: assiduamque hanc erga ægrotos curam ac vigilantiam toto vitæ suæ tempore ubicumque moraretur, exercuerat. Sed & per eandem charitatem, quæ per Spiritum Sanctum dif-

fusa erat in corde ipsius, adeò ad Deum accedebat, tantoque spiritus fervore in oratione perseverabat; ut hujusmodi cibo intentus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras transigeret: nec, cum in navi esset, atque in aperto vitæ discrimine in summis tempestatibus versaretur, desisteret, aut quidquam animo commoveretur: fieretque aliquando talis super eum mentis excessus; ut oculis in cœlum defixis, divina vi à terra elevaretur; vultu adeò inflammatus, ut angelicam prorsus charitatem repræsentaret; nec divini amoris perferre valens incendium, sæpius exclamaret. *Satis est Domini satis est.* Cùm verò Sacrosanctum Missæ: celebraret sacrificium, sæpenumero à sensibus usque adeò abalienabantur; ut nec ministri vestem succutientes, nisi post diuturnam moram, excitare possent. Quin etiam aliquoties altius cubito à terra elatus, ab universa adstantium multitudine, miraculi magnitudinem obstupescente, ac Servi Dei sanctitatem suspiciente, conspectus fuerat. Nec solum vigilans vir Sanctus Deum in corde, & ore habebat, sed & dormiens in ipso requiescebat. Frequenter enim in somnis sanctissimum nomen Jesu cum summa mentis dulcedine proferre audiebatur: Cumque tam singularibus floreret virtutibus, atque in dies à Deo potioribus augeretur muneribus; non modò non extollebatur, sed crescebat in eo semper virtus humilitatis: adeò ut infima quæque domus officia semper, tamquam omnium postremus, obiret. Vestibus verò adeo pannosis ac vilibus utebatur; ut pueris quandoque derididiculo esset. Venerabatur autem eximiè vir Dei non Episcopos modo, sed Sacerdotes quoscumque: Sancto verò Ignatio, tunc Præposito suo, nonnisi flexis genibus scribebat. Honores verò ac laudes hominum adeò horrebat: ut amplissimam Apostolici Nuncii dignitatem, qua instructus in Indias à Summo Pontifice missus fuerat, quàm studiosissimè occultaret: nec nisi semel ea potestate, necessitate coactus, usus fuerat. Cæterum, tantus vir in signe stadium à Deo consequutus erat, in quo gloriosè usque ad consumationem cursus, & coronam justitiæ, decertaret.

Ad Indias Orientales missus tempore Pauli PP. III. varia perpessus incommoda, multum in vastissimis illis regionibus proficit ad animarum salutem.

§. 2. Cùm etenim claræ memoriæ Joannes Lusitaniæ Rex à piæ memoriæ Paulo Papa III. tunc dicti Gregorii, nunc etiam nostro respective prædecessore, nonnullos ex Ignatii Sociis postulasset, quos ad Orientales Indias, ut in vastissimis illis regionibus Verbum Dei disseminarent, transmitteret; idem Pontifex, S. Ignatii hortatu, ad tantum opus peragendum Franciscum Xaverium elegerat; quem etiam Apostolici Nuncii dignitate, & amplissima potestate decoraverat. Cùmque viatici nomine plurima ei à Prætore Regio pararentur; homo, qui pro viatico ac pera de Dei benignitate, in cujus Evangelii opus segregabatur, præsumebat; nunquam adduci potuerat, ut quidquam, præter vilissimum centonem, acciperet: & in navi super funem nauticam dormiebat, ac è mendicato vivebat: ægrotis in vilissimis ministeriis indefessa charitate, noctu, diuque serviebat. In Indiam ut pervenerat; statim, nec modico quidem tempore ad quietem post longissimam, ac difficilimam navigationem sumpto ad prædicandum illis gentibus Evangelium se accinxerat: & indutus virtute ex alto, Apostolico spiritus fervore ministerium, quòd sortitus erat, tanto cum fructu exequebatur; ut, gratia Dei efficaciter verbo ejus cooperante, non solum Christianorum mores depravatos ad meliorem frugem passim toto Oriente revocaret; sed multa centena hominum millia, qui in tenebris, & in regione umbræ mortis ambulabant, ad agnitionem veræ lucis perducti, regenerationis lavacrò mundarentur. Nam, præter Indos, Brachmanes, & Malabres, in quorum Regnis Apostolica prædicatio, quæ antiquis temporibus illic viguerat, sed hostis humani generis fraude ex omnium memoria prorsus abolita erat, Xaverii prædicatione revixerat: Ipse primus Paravis, Malais, Jais, Acenis, Mindanais, Malacensibus, & Japonibus Evangelium Christi annunciaverat: multique illarum nationum Reges, & magni Principes, ingenti cum fidei nostræ emolumento, suavi Christi jugo colla subdiderant. Incredibilia autem videbantur, quæ propter nomen Domini nostri Jesu Christi toleraverat. Per diversa etenim Regna, in vastis illis Orbis terrarum spatiis, semper pedibus, & sæpius nudis, per arenas calidas pergebat: per spinas longissima itinera conficiebat: contumelis sæpè numero, probris, & illusionibus, quin etiam verberibus, & lapidibus appeditus in periculis hostium, in periculis itinerum versatus, sæpe naufragus, vigilias, frigus, & nuditatem, sitim, famemque perpessus erat, contractis, ob assiduos ac intollerabiles labores, gravissimis morbis: nec enim Apostoli exemplo animam suam faciebat pretiosiorem quam se, dummodo consummaret cursum suum, & ministerium verbi, quod acceperat, testificari Evangelium gratiæ Dei.

Multis signis ac miraculis prædicationem Servi sui Francisci dum in vita fuit, Dominus confirmavit. quæ hic enarrantur.

§. 3. Signa verò, & prodigia, quibus Dominus Apostolorum suorum sermonem in nascentis Ecclesiæ exordiis confirmavit, ad illius novæ sobolis incrementum; in manu etiam servi sui Francisci misericorditer renovaverat. Subito enim à Deo diversarum ac incognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus; disertissimè, quasi in iisdem terris educatus esset loquebatur: & acciderat quandoque, ut eum, ad diversarum nationum populos concionem habentem, unusquisque eodem tempore lingua sua, in qua natus erat, magnalia Dei loquentem cum stupore, & ecstasi audiret: eoque miraculo multitudo magna commota, reciperet Verbum Dei. Hinc post præmissa, ad Christi fidelium ædificationem, aliqua ex insignioribus prodigiis, & signis, quibus prædicationem & gesta ipsius Dominus illustraverat recenseret.

Et primum illud memorandum videbatur; quòd cum numerosus Badagarum exercitus in exitium Christianorum à Francisco baptizatorum immineret; atque omnia atrocitatis exempla se in Christianos editurum minaretur; ipse solus fide armatus præcedens obviam, ac severe eorum impietatem increpans, steterat illico immobili vestigio universus exercitus, deterritus (ut milites Ducesque referebant) ab homine quodam magno, nigris vestibus induto, qui juxta Franciscum stabat; cujus majestatem ac splendorem, vultu oculisque micantem, ferre non poterant: itaque vir Sanctus, quos Christo pepererat à cæde ac direptione liberaverat.

Successivè apud Comorinum Promontorium cum in quadam Ecclesia Servus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret; facta oratione, jussit sepulchrum, in quo pridiè defunctus tumulatus fuerat, aperiri: ac populo significans, ad comprobandam Christianæ fidei veritatem, mortuum, Dei voluntate rursum victurum; linteo, quo cadaver involutum erat, rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo ut viveret imperaverat: qui statim stupentibus omnibus surrexerat vivus: quo tam insigni miraculo commoti, qui aderant, cum alii multi, crediderant in Deum.

Eodem postea loco mendicus quidam Beato viro occurrerat ulceribus plenus: cujus plagas Franciscus magno charitatis affectu lavans atque aquam, qua eas laverat, ebibens, ac deinde Deum Patrem misericordiarum, ut illius pauperis misereretur orans; è vestigio ab omni plaga, atque ulcere, Dei munere, pauper ipse omninò liber surrexerat.

Sed & puer quidam Mutani in Orientali India pestilenti febre vita sublatus, ac linteo insutus de

more gentis, viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulchrum: quos ut vir Dei vidit, misericordia motus super eos, Deum Omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus fuerat: atque aqua benedicta aspersum, rescisso linteo, signo Crucis signaverat: apprehensaque manu ejus, in nomine Domini Jesu Christi vivum atque incolumen parentibus restituerat: erecta illo in loco, ad tantæ rei memoriam conservandam, ab incolis magna cum celebritate Cruce.

Et successivè apud Oppidum Comburturæ in ora Piscariæ puer alius in puteum delapsus, suffocatusque maximo cum matris, & cognatorum eiulatu efferebatur: cumque ex proxima Ecclesia Franciscus occurrisset, misertus eorum in genua provolutus, oculisque in cœlum fixis, Deum pro vita pueri precatus, eum apprehensa manu in nomine Domini Jesu Christi surgere jusserat: & confestim puer surrexerat vivus: quem Sanctus vir reddiderat matri suæ stupentibus omnibus, ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus: quibus ipse præcepit, ne cui rem gestam narrarent.

Insuper, dum in Japonia Insula Franciscus Christi fidem prędicaret; accesserat ad eum mercator quidam à multis annis cœcus; petens, ut sibi à Deo, ut videret, impetraret: Franciscus, recitato super eum Evangelio, signum Crucis oculis ejus impresserat: qui eodem temporis momento lucem amissam recuperaverat. Posterò verò die, reversus ad eum cum uxore ac universa familia, genibus advolutus gratias agens, & Christianam Fidem professus, ad baptismi gratiam una cum suis omnibus pervenerat.

Exierat autem tam illustris miraculi fama per omnem terram illam: ac multi relictis Idolis suis conversi erant ad verum Deum, & Jesum Christum Filium ejus: Cùmque Servus Dei ad Sinas in magna navi, qua quingenti vehebantur navigaret; cessaverant adeò venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco hæsisset immota. Cùmque, inter cęteras difficultates, aquæ penuria valde laboraretur, multique jam siti deficerent; vir Sanctus omnia navis vasa, marina aqua impleri jusserat fusisque instanter ad Deum precibus, super ea signum Crucis fecerat; ac repente aqua illa salsa, dulcis, salubrisque effecta erat. Quo miraculo plures, qui in navi erant, infideles crediderant in Deum: quin etiam aquæ illius, quæ abundè superfuerat, potu plurimi per multas Indiarum Provincias variis quibus vexabantur, morbis sanati fuerant.

Ad easdem Sinas contendens, cùm, sevissima orta tempestate, omnes de se actum esse existimarent, & gubernator navis, ne repentinæ vis procellæ scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam alligari jussisset; non multo post abruptis retinaculis, scapham tempestas abstulerat tanto impetu; ut penè temporis momento omnium conspectum effugisset: & pro ut quisque cognatos, & necessarios in scapha habebat, certatim eorum casum deplorare cœperant. Franciscus ergo universos collacrymantes bonum eos habere animum jusserat: ac prædixerat, fore ut ante triduum filia remearet ad matrem: significans, scapham ad onerariam redituram: prout, Deo dante, aparere visa fuerat, & recte ad onerariam tendere, & spontè ad illius latus accedere; atque ita aptè se applicare, ut illi omnes, qui in ea erant, comode excepti fuissent: quæ etiam in mediis fluctibus, nemine illam retinente, tamdiu steterat; quoad religaretur ad navim, attonitis omnibus ex miraculo remanentibus.

Ad Moluchas Insulas etiam Franciscus advenerat, ubi magno spiritus fervore verbum Dei primus annunciabat; atque in Urbe Tolo vigintiquinque millia hominum baptizaverat: qui, cum suasu Tyranni ejusdem Christi fidem deseruissent, Ecclesiam solo æquassent, Cruces, Sanctorumque Imagines confregissent, & conculcassent; Franciscus, zelum Domini zelatus, viginti Lusitanos, ac quadringentos circiter indigenas adultionem tanti sceleris incitaverat: eoque duce ac victoriæ sponsore, tam pauca militum manus adversus Urbem munitissimam, Christi rebellem, expeditionem aggrediebatur: sed, cum prope Urbem pervenissent, substiterat vir Dei, ac orationi se dederat: statimque vicinus mons magnum emiserat incendium: adeoque ingentem cineris, ac pumicum vim eructaverat; ut Urbis atque arcis, quæ in edito sita erat, mutos æquasset; horribilisque propterea terræ motus totam Urbem concusserat, plurimasque domos subverterat; quibus malis exterriti incolæ, deserta urbe, in proximas silvas confugerant: Urbs itaque à Francisci militibus facile capta erat: cives verò ad ejus pedes prostrati, acceptaque salutari pœnitentia, delicti veniam impetrarant.

Ulterius, cum inter easdem Insulas Franciscus navigaret, ac sævissima orta esset maris tempestas; ad eam sedandam, Crucifixi imaginem, quam collo appositam gestare solebat, undis immiserat: quæ vi processæ è manibus excussa, in profundum maris, non sine magno ejus mærore, delapsa erat: sed lętificaverat Dominus animam Servi sui: nam, cum ad terram applicuisset, ac secus littus iter faceret; marinus cancer ex undis subito prosilverat: atque antè pedes ipsius steterat, eamdem Crucem morsibus elevatam gerens: & Franciscus in genua provolutus eam devotè susceperat, ac diuturna oratione ob tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophetico etiam spiritu Deus Servum suum, quem in lucem Gentium dederat, illuminaverat: atque adeo insigne donum plurimis manifestaverat exemplis. Atque inter cętera, cum Aceni populi, inter quos etiam Turcæ erant multi, sexaginta navium classe vecti, Christianorum naves concremassent, ac multos crudelissimis suppliciis affectos enecassent; ducenti ac triginta milites, in octo naves distributi, Francisco suadente, ac in nomine Domini exercituum victoriam promittente; classem Barbarorum insecuti erant transactoque jam mense, cum nullus ab ipsis nuncius adveniret, consternatis omnibus, jamque de civium suorum salute desperantibus; Franciscus in ipsa conflictus hora classium congressum, ac insignem Christianorum victoriam, haud secus ac si præsens esset, in concione narraverat: ac diem, quo tantæ rei nuncius adventus esset, prædixerat, Quæ omnia, cum ingenti omnium admiratione, eo ipso quo designaverat tempore, certis nunciis approbata fuerant.

Cùmque duæ naves eodem tempore è portu soluissent; prędixerat Franciscus suborta magna maris tempestate, alteram naufragium passuram; alteram verò (& in hac ipse reperiebatur) extra omne maris periculum in navali dissolvendam: quam prædictionem utriusque exitus comprobaverat; cum alterius fragmenta non multo post conspecta fuissent, altera vero, multis tutè peractis itineribus, cum, publicato vaticinio, Sancti Patris navis vocaretur, ac ubicumque apelleret cum plausu exciperetur; demum, post multos annos in navali ut reficeretur subducta, spontè corruerat.

Grassante quoque pestilentia in Lusitanorum, ac Hispanorum classibus, quæ ad Amboinam Insulam appulerant, cum Sanctus vir ægrotis de more ministraret; à Joanne de Arausio, ut vinum sibi ad eorum usum elargiretur, petierat: quod Arausius gravatim, timens ne sibi deesset, miserat: quem Dei servus admonuerat, ut in charitatis operibus largior esse vellet: brevi etenim fore, ut vita defungeretur, ejusque omnia bona in

usus pauperum cederent. Cùmque, post non multum temporis spatium, ad Ternatem Insulam, quæ ducentis amplius miliaribus à loco distabat, adventasset, ac Missæ sacrificium celebraret; versus ad populum, orate (dixerat) pro anima Joannis de Arausio, qui modo expiravit. Stupentibus omnibus, post duodecimum demum diem supervenerat, qui visionem Sancti verissimam fuisse nunciata Arausii morte declaraverat.

Mercatori cuidam Meliapore discessuro, ac munusculum aliquòd, tamquam benevolentiæ signum, à se postulanti, Servus Dei Beatæ Mariæ Virginis Coronam precariam è collo detractam elargitus erat: affirmans, fore, ut quamdiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset causurus. A portu itaque mercator solvens naufragium fecerat: cumque in tabulata, ex lignis raptim composita, cum nonnullis aliis vectoribus exiliisset; in alto mari, alienato à sensibus animo, visus esset sibi cum ipso servo Dei Francisco in eo loco, in quo coronam precariam prędictam acceperat, colloqui; quinto demum die, exquo desilierat in illa tabulata ab ea animi ecstasi, velut ab alto somno experrectus, cum neque tabulata, neque socii unquam comparuissent, in littore Nagapatani propè Meliaporem salvum & incolumem se repererat.

Petro Vellio autem, qui suma voluntate in quoddam charitatis opus pecuniam Viro Dei elargitus fuerat, promiserat fore, ut nunquam ei necessaria deessent, ac mortis horam divinitus præcognosceret: quorum utrumque acciderat. Nam, quamvis Petrus maxima perpessus esset rei familiaris detrimenta; semper tamen ab omnibus summam liberalitatem expertus erat: ac, transactis demum multis annis, revelata sibi mortis hora, se in Ecclesia in feretro composuerat: auditaque Missa, ac precibus, quas pro animæ suæ salute recitari jusserat, ibidem statim in pace obdormiverat.

Denique bonis operibus plenus, ac sanctitate clarus migravit in cœlum in Insula prope Sinas die 2. Decembris 1552. Et post obitum etiam ejus sanctitatem Dominus miraculis plurimis ut hic declaravit. Ejusq; corpus ad varia loca delatum, postremo Goæ conditum fuit in Ecclesia Societatis Jesu.

§. 4. Demum Vir Dei, consumato feliciter peregrinationis suæ cursu, fama sanctitatis clarus, & bonis operibus plenus, cum ei benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus spiritualiter elargitus esset, ut multarum gentium pater efficeretur, & filios, quos Christo Jesu genuerat, super Stellas Cœli, & super arenam, quæ est in littore maris, multiplicatos videret; & ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad Cœlestia Regna pręmisisset; Orientalium Indiarum Apostolus ab universis Indiæ Regnis, totoque Christiano Orbe, appellatus, dum aditum Evangelio in vastissimo Sinarum Imperio quærebat, assiduis laboribus, quos ultra humanas vires pro gloria Dei toleraverat, confractus: in Insula prope Sinas, die 2. Decembris Anni Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi ad cœlestem gloriam, perpetuò cum Deo regnaturus, evolaverat. Defuncti corpus viva calce perfusum, ut exesa carne ossa in Indiam exportarentur, inclusumque arca lignea sepultum fuerat: quòd, post quatuor menses effossum, ita recens, ac tractabile, vestimentisque adeo integris, ac si nuper esset tumulatum, repertum extiterat. Et quamvis nullo odoramentorum genere curatum fuisset, divino tamen munere eam odorum fragrantiam spirabat, ut esset super omnia aromata. Calce itaque rursus injecta, Malacam, quæ in Orientali India Urbs est celeberrima, delatum extiterat. In qua cum sævissima pestis plurimos, quotidiè conficeret, ingenti beneficientia adventum ejus Deus insigniverat. Nam sacro corpore in Urbem illato, adeo omnis contagio desierat, ut ea deinceps nullus omnino correptus fuisset. Arca itaque rursus aperta, integrum sicut antea, eandemque odoris suavitatem diffundens, repertum etiam fuerat, Cùmque in novo loculo conderetur; ex humero, ob arculæ brevitatem paulum compresso, recens sanguis effluxerat. Nono demum post obitum mense, sepulchro iterum patefacto, rursus ut antea divina virtute à corruptione immune, ac cœlestibus perfusum aromatibus inventum; velo, quo facies ejus operta fuerat, ob ingestæ terræ pondus recenti cruore conspersо. Nova itaque arca, serica aureaque veste contecta, pretiosissimum pignus inclusum in Indiam ad Coccini portum delatum erat: confluentibus undique, ad honorandum communis in Christo Jesu parentis corpus, plurimis earum gentium populis. Inde Goam insigni celebritate translatum, à Protege, ac omnibus Civium ordinibus maxima frequentia ac devotione exceptum, & in Ecclesia Societatis Jesu, ut populorum devotioni satisfieret, validis cancellis inclusum, omnium oculis per triduum expositum remanserat: ejusdemque Proregis jussu ab insigni Medico, deindeque Vicario Goano visitatum ac perpentatum, omni ex parte incorruptum, integris etiam intestinis, compertum fuerat; manante etiam parvo inflicto vulnere recenti cruore.

Quo tempore, cum mulier quędam affectu devotionis incitata, specie osculantis, pedis digitum, ut illum abscinderet, morsu apprehendisset, statim sanguis effluxerat. Sed Altissimi benignitas non his modo mirabilibus Sanctum suum in conspectu omnium populorum mirificaverat; sed omni tempore ingentia pręstabat beneficia his, qui ejus intercessionem fideliter implorabant; ut plurimis exemplis, pręsertim verò infra insertis, manifestum erat.

Puer quidem Goæ natus, qui utrumque pedem à nativitate adeò aridam, & crura sicca habebat, ut illis non posset insistere, sed manibus reptare cogeretur; ad servi Dei sepulchrum ab educatrice perductus, singulis novem diebus visitare statuerat. Cùmque votum cępisset adimplere, tertia jam die, qua sepulchrum visitabat, puer in ejus gremio existens, repentè ferream sepulchri cratem manibus apprehendens, suis stare pedibus, & ambulare cęperat, & statim omnino sanus evaserat: & intra novem dies, quos promiserat, crura carne repleta fuerunt: & sic semper valens, & sanus deinde vixerat.

Cottatæ, Indiæ Orientalis Civitate, unius mensis infans mortuus ad sepulturam curatus erat: voverant itaque cum ingenti fide parentes, se insigne donum; si puer reviveret, sepulchro Servi Dei oblaturos, ac Francisci nomen ei impositur os. Repentè infans aperire oculos, brachia, pedesque movere, ac vagire cęperat: ac paulo post, non vivum modo, sed & omnino sanum atque incolumem filium receperunt: redditisque cum ingenti gaudio votis, tam insigne miraculum per illam regionem divulgarant.

In eadem Urbe cæco cuidam Sanctus per quietem apparaverat: eumque monuerat, ut ad Ecclesiam ejus visitandam, oculorum lumen ibi recepturus, pergere non differet. Paruerat fideliter homo. ac, dum per novem dies ante Francisci imaginem orabat, repente, discussa omni cęcitatis caligine, sanatus erat, & perfectè viderat.

Quin etiam leprosus quidam in eodem loco magna fiducia ad Sancti intercessionem confugerat: proprioque corpore, oleo lampadis, quæ ad ejus imaginem ardebat, perunctо; dum prostratus orabat, repente à lepra mundatus, atque omninò sanus effectus erat.

Eandem virtutem experta erat Francisca Rebelles, quæ à multo tempore sanguinis fluxum, ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim antè ejus imaginem pendentis identidem se oleo ungens, statim adeo perfectè convalverat; ut nullas amplius eorum morborum sensisset reliquias.

Frequenter enim acciderat, ut lampades ad eandem servi Dei imaginem appensæ, aqua tantum

benedicta infusæ, haud secus ac si oleo plenæ essent, arderent, lucerentque: stupentibus etiam infidelibus, quos ad tantæ rei miraculum conspiciendum, non sine magno Fidei nostræ incremento, Christiani invitabant.

Cùm frustra omnes medicæ artis opes expertus esset Gundisalvus, Coccinensis Civitatis incola, ut inveterato cancri morbo, quod pectus ejus assiduis doloribus vexabat, mederetur: ad divinam opem conversus Omnipotentis Dei misericordiam, ut se Beati Francisci meritis sanum faceret, imploraverat, Imaginem igitur ejus, ære excusam, ulceri applicuerat: eodemque momento ab omni plaga incolumis evaserat.

Ejusdem Urbis Civis Emmanuel Rodriquez pedes habebat ulceribus plenos, ac ob nervorum contractionem adeo debiles, ut illis insistere non valeret: quibus malis & gravis & periculosa dysenteria accesserat. Medicis itaque de ejus vita diffidentibus, cùm ad intercessionem famuli Dei Francisci æger confugisset; eadem imagine corpus suum in formam Crucis signaverat; & aquam, in qua eadem mersa fuerat, ebiberat: talemque divinæ virtutis senserat effectum; ut intra tridui tempus ab omnibus morbis incolumis integram consequutus fuisset sanitatem.

Ejusdemmet servi Dei imaginis præsentem agnoverat virtutem Maria Diaz: septem etenim annis cæcitatem ac paralysim perpessa, signum Crucis debilitatis membris impresserat; eaque ejusdem imaginis immersione, aqua sanctificata laverat: nec dum septem præterierant dies; cum oculorum lumen, ac totius corporis cælesti dono acceperat incolumitatem.

Diffusis tandem par universum Orbem ejus miraculis, ac crescente erga ipsum populorum devotione multi, & præcipue Philippus III. Hispaniarum Rex instabant pro Canonizatione, pro qua Paulus V. & Greg. XV. miracula, & alia necessaria examinanda demandarunt.

§. 5. Hincque factum erat, ut, cum tot tantisque signis servum suum Omnipotens Deus in brachio excelso clarificaret; & per universum jam terrarum Orbem tot mirabilium præconia longè lateque diffunderentur; ac propterea non solum Christifidelium erga ipsum devotio, magna susciperet incrementa; sed multorum etiam Infidelium corda ad agnoscendum Deum & Dominum nostrum Jesum Christum illuminarentur; Joannes Lusitaniæ Rex prædictus, zelo devotionis accensus, institerat, ut à diversis locorum Ordinariis super ejus sanctitate & miraculis processus fierent. Qui cùm diligenter munus suum explevissent; ac procedentibus temporibus omnia acta ad hanc Sanctam Sedem transmissa fuissent; recolendæ memoriæ Paulus Papa V. etiam prędecessor noster, tunc suus, instante pro servi Dei canonizatione etiam claræ memoriæ Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico; deputavit bonæ memoriæ Horatium Lancellottum tunc Rotæ Auditorem: eoque ad Cardinalatus honorem sublimato; dilectum filium Magistrum Joannem Baptistam Coccinum ejusdem Rotæ Decanum; & pariter bonæ memoriæ Franciscum Sacratum, tunc Archiepiscopum Damascenum, & Auditoris Rotæ Locumtenentem, ac deinde S.R.E. Cardinalem: qui & antiquos processus examinarent, & novos auctoritate Apostolica faciendos, quatenus ipsis videretur, decernerent; atque omnia eidem Paulo prodecessori una cum eorum sententia referrent. Qui literas remissoriales ad diversos Prælatos, in Hispaniarum, Lusitaniæ, ac Indiarum Regnis constitutos, decreverant: atque ipsi interim in Curia novos testes examinarant. Cumque prædicti Judices partibus suis perfuncti essent; eisdem Auditoribus processus à se confectos transmiserunt. Qui omnibus summa cum maturitate per plurimum temporis spatium (ut negocii gravitas postulabat) consideratis ac perpensis; eidem Paulo prædecessori retulerant, juxta canonicarum sanctionum decreta abunde constare de vitæ sanctimonia, ac eximiis virtutibus servi Dei Francisci, deque miraculis, quæ tam eo vivente, quàm post felicem ejus obitum, ejus meritis & intercessionibus, Deus Omnipotens operari dignatus erat: dignumque videri, si eidem placeret, ut in Sanctorum Confessorum Catalogo ascriberetur, Cumque interim prędictus Paulus prędecessor humanitatis debitum persolvisset; & prædictus Gregorius prædecessor ad sacrum Apostolatus apicem divina providentia assumptus fuisset; ac pro parte charissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici instanter requisitus esset, ut negocium hujusmodi promovere, ac ad ulteriora procedere dignaretur; accederentque aliorum Principum, ac Prelatorum, & totius Indiæ Cleri, idem suppliciter exposcentium preces; prædictus Gregorius prædecessor, ut in re tam gravi ea, qua decebat, maturitate progrederetur; prædictorum Auditorum relationem ad S.R.E. Cardinales, sacris Ritibus Præfectos, ut rursus totum negocium quàm diligentissimè discuterent, remisit.

Relationibus auditis, omnes censuerunt esse canonizandum.

§. 6. Quod cum illi accuratè perfecissent, ac pro servi Dei canonizatione omnes unanimiter censuissent; bonæ memoriæ Franciscus Maria Episcopus Portuensis, S.R.E. Cardinalis de Monte nuncupatus, totius processus summam, & suam, collegarumque sententiam, coram dicto Gregorio prædecessore, & Venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, in Consistorio suo secreto exposuit. Quibus auditis, reliqui Cardinales ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronunciarunt. Igitur, cùm in publico Consistorio quondam Julius Zambeccarius, tunc Aulæ Consistorialis Advocatus, plurima de hujus servi Dei vita & virtutibus enarrasset; atque ejusdem Hispaniarum Regis Catholici preces pro eadem Canonizatione exposuisset; atque ad eam procedere dignaretur, humiliter supplicasset; d. Gregorius prædecessor, prædicti Regis pietatem & Religionis zelum plurimùm in Domino commendans, super re tanta eosdem S. R. E. Cardinales, atque Episcopos in Romana Curia præsentes consulendos esse respondit. Atque interim Cardinales & Episcopos prędictos intimo cordis sui affectu vehementer in Domino hortatus est, ut in omni humilitate & lachrymis, in jejuniis, & eleemosynis, exposcerent ab eo, qui est via, & veritas, ut dirigere dignaretur gressus suos in semitis suis; ut ingrederetur in veritate sua, ut quod beneplacitum esset in conspectu ejus, intelligere ac perficere eo auxiliante valeret. Sequenti itaque semipublico Consistorio, ad quod non Cardinales modò, sed etiam Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos in Curia præsentes convocari mandavit; præsentibusque etiam Sedis Apostolicæ Notariis, necnon Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoribus; cùm plurima de egregia viri Dei Francisci Xaveri vita ac miraculis enarrasset; & quanta insignis hic Dei Servus pro nomine Domini nostri Jesu Christi pertulisset, quantoque cum proventu (Domino incrementum dante) per incognitas nationes verbum ejus disseminasset, exposuisset; commemoratis etiam instantiis, quæ coram dicto Gregorio prædecessore tum à Rege Catholico, tum ab aliis etiam Reipublicæ Christianæ Regibus, & Principibus fiebant; cùm singulorum sententias requisisset, omnes uno ore benedicentes Deum, qui honorificantes se glorificat; Servum ejus Franciscum Xaverium canonizandum esse, atque inter Sanctos Confessores adscribendum censuerunt. Quorum omnium audito consensu, exultavit in Deo salutari nostro; gratias agens ei, qui est gloria virtutis nostræ, in cujus beneplacito contra omnes adversarias potestates exaltatur cornu nostrum, qui Ecclesiam suam in diebus istis hoc lumine illustrare, ac novo patrocinio munire dignatus esset. Canonizationis itaque publicavit diem infrascriptum: eosdemque Fratres, & Filios nostros paterna charitate monuit,

ut bonis operibus inhærentes, precarentur Deum misericordiarum, ut super eos sereno vultu respicere, & eorum actiones ad voluntatem ejus pertinentiam dirigere dignaretur.

Demum Greg. XV. SS. Catalogo adjunxit die 12. Martii.

§. 7. Demum, peractis omnibus, quæ ex sacris constitutionibus, ad Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant; quarto Idus Martii, Pontificatus sui Anno secundo, in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica, cum eisdem Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus suis, Clero seculari, & regulari, maximaque populi frequentia, convenit. Ubi, repetitis pro Canonizationis decreto nomine ejusdem charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, à dilecto filio nostro, tunc suo, Ludovico tituli S. Mariæ Transpontinæ Cardinali Ludovisio nuncupato, ejus secundum carnem nepote, per Julium Zambeccarium Advocatum prædictum petitionibus; decantatis sacris precibus, ac Litaniis, & Spiritus sancti gratia humiliter implorata; ad honorem Sanctiss. & individuæ Trinitatis, ac Fidei Catholicæ exaltationem, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac sua, de eorumdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia præsentium consilio, ac unanimi consensu, gloriosæ mem. Franciscum Xaverium, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate, ac miraculorum magnitudine ac frequentia, plenè constabat; Sanctum esse definivit: & in Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum esse decrevit, & adscripsit: illumque ab universis Christifidelibus, tamquam verè Sanctum honorari, ac venerari mandavit.

In ejus honorem Ecclesias & Altaria ædificari & consecrari & die 2. Decemb. officium recitari posse statuit.

§. 8. Ac ut ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesiæ, & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari, & consecrari; & singulis annis, die secunda Decembris, qua ad cæleste gloriam vocatus est, ejus officium, ut de Sancto Confessore, ad præscriptum Romani Breviarii celebrari posset, statuit.

In die Festo ejusdem Indulgentiam concessit.

§. 9. Eademque auctoritate, omnibus Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui singulis annis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accederent, unum annum, & unam quadragenam; iis verò qui in ejusdem Festi octava, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Postremo Missam cum S. Francisci commemoratione cecinit & Indulgentiam populo fuit elargitus.

§. 10. Postremò, gratiis Deo cum exultatione, actis, quòd Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificasset, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decorasset; cantata in Sancti Francisci honorem solemni Sanctorum Confessorum oratione; ad altare Principis Apostolorum Missam celebravit, cum ejusdem Sancti Confessoris commemoratione: omnibusque Christifidelibus præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam elargitus est.

Ne autem de dicta Canonizatione possit hæsitari, eo, quod non fuerint desuper expeditæ literæ Apostol. supplet cum his literis & effectum sortiri debere decernit, ac si editæ essent die Canonizationis.

§. 11. Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione, aliisque præmissis (pro eo quòd super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt) valeat quomodolibet hęsitari; Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd definitio, decretum, adscriptio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque pręmissa, à dicta die, quarto Id. Martii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ sub Dat. ejusdem diei confectæ fuissent: prout superiùs enarratur: Quòdque præsentes literæ ad probandum plene definitionem, decretum, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, & alia pręmissa, ubique sufficiant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Transumptis hujus Const. fidem mandat.

§. 12. Cæterum, quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quę ipsis pręsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionemque pœnalem addit.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Pont. An. 1. die 6. Aug.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, Octavo Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Papæ subscriptio.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardd. subscriptiones.

†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Dominicus tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Card. Gymnasius.
†
†
†
†
† Ego M. tit. SS. Quirici & Julittæ presb. Card. Lantes.
†
† Ego P. tit. SS. Nerei & Achillei presb. Card. Crescentius.
† Ego A. tit. S. Petri in Vincula presb. Card. Capponius.
† Ego G. tit. S. Crucis in Jerusalem presb. Card. Borgia.
†
†
†
†
† Ego Tib. tit. S. Priscæ presb. Card. Mutus.
† Ego Rob. tit. S. Alexii presb. Card. Ubaldinus.
† Ego Julius tit. S. Sabinæ presb. Card. Sabellus.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Guido tit. S. Mariæ de Populo presb. Card. Bentivolus.
†
†
† Ego Julius tit. S. Mariæ super Minervam presb. Gard. Roma.
† Ego Fr. Desiderius tit. S. Clementis presbyt. Card. de Cremona.
†
†
†
†
†
†
†
†

†
†
†
†
† Ego Cosmus tit. S. Pancratii S. R. E. Card. de Torres.
†
†
†
† C. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Pius.
†
†
†
†
†
†
† Ego Hippolytus S. Mariæ Novæ Diac. Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.
†
† Ego A. S. R. E. Diac. Card. de la Cueva.

IV. Confirmatio Constit. Pii V. & ejus Successorum de non alienandis, & infeudandis Civitatibus, Terris, & locis S. R. E.

Prædictorum Constitutiones omnes judicavi tibi sup. in præfati Pii Constit. 35. tom. 2.

Edita Ann. D. 1623.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium. Sacrosancti Apostolatus ministerii, cura, & quam altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei humilitatem nostram, nullo licet meritorum suffragio, gerere voluit, jugiter Nos admonet, ut in iis præcipuam Apostolicæ servitutis sollicitudinem adhibeamus, per quæ temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionis conservationi consulitur, atque ideò Nos, quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris hanc ob causam providè sancita fuerunt, ea non solùm ipsi inviolatè curabimus custodire, sed etiam ab aliis perpetuò observari debere, statuemus.

Pius V. legem statuit de qua in ipsius con. 35. tom. 2. pag. 166. §. 1. Dudum siquidem à felicis recordationis Pio Papa Quinto Prædecessore nostro literæ tenoris emanarunt: Pius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis, &c.

Successores Pont. eam confirmarunt, & ampliarunt. §. 2. Quæ quidem Constitutio veluti optima, & ad conservandam S. R. E. Jurisdictionem & dignitatem, plane salutaris approbata, confirmata, & innovata fuit ab iis, qui eidem Pio V. successerunt, recolendæ memoriæ prædecessoribus nostris Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XIV. Innocentio IX. qui etiam de fratrum suorum tunc S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu declaravit, eadem Constitutione prohibitum fuisse, & prohiberi omnem & quamcumque infeudationem, ac alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum Sedi Apostolicæ tam mediatè, quàm immediatè subjectorum, non solum ne fiat, nevè attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam Civitates, Terræ, Oppida, & Loca prædicta devolvantur, ac omnem & quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem infeudationum, investitutarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis finitarum quorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extensionis hujusmodi, non à die eorum devolutionis, sed à die ipsius Constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso jure cùm omnibus clausulis, & Decretis in prædicta Constitutione contentis, Cameræ, & Sedi Apostolicæ factam censeri, adjecto etiam decreto, & declaratione, ut promissio, & juramentum præstitum, & præstandum de servanda ea Pii prædecessoris prædicti Constitutione per ipsum Innocentium, & successores suos Romanos Pontifices, ac prædictos S. R. E. Cardinales intelligatur de ipsa Pii V. prædecessoris Constitutione per eum, ut supra declarata, & secundum hujusmodi declarationem, eamdem Constitutionem ad unguem, & inviolabiliter observari oportere, & debere, sicuti etiam se servaturum esse promisit, ac sanctè & solemni more juravit, prout in ejusdem Innocentii prædecessoris sub datum pridie Non. Novembris, Pontificatus sui anno primo, expeditis literis latius continentur. Subindè verò à Clemente VIII. & novissimè à Paulo V. Romanis Pontificibus, & prædecessoribus nostris, juxta eamdem Innocentii IX. declarationem confirmata, approbata, & innovata fuit.

§. 3. Quare Nos cum primum ad Apostolicæ dignitatis gradum, divina providentia vocati sumus, id ipsum ad exequendum nostri Pastoralis officii debitum præcipuè pertinere existimantes, præinsertas Pii prædecessoris literas, ac omnia in eis contenta etiam juxta declarationem prædictam per ipsum Innocentium prædecessorem factam, ac desuper confectarum literarum continentiam, & tenorem, quem pariter præsentibus haberi volumus pro expresso, ac ad verbum inserto, auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innovamus, easque firmiter, & inviolatè, ac juxta declarationem prædictam Nos similiter servaturos esse promittimus, & juramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuò observari præcipimus, & mandamus. Hic vero Pontifex ejusdem Pont. Con. approbat, confirmat, & ipsas servare promittit, ac jurat.

§. 4. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum comprobationis, confirmationis, innovationis, promissionis, juramenti, præcepti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Sanctionem pœnalem apponit.

§. 5. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimotertio, Pridie Kal. Octobris Pontificatus Nostri Anno Primo. D. P. Anno 1. die 30. Septemb.

V. Confirmatio translationis Jurium super hærediate q. Joannis Pizzulli, factæ per Fratres Conventus S. Andreæ de Fractis de Urbe Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Fratribus Collegii ejusdem Ordinis Nationis Calabrensis, nuper per d. Joannem in Regione Montium dictæ Urbis instituti. Ac demandatio, quòd præfatum Collegium cum suis bonis, perpetuis futuris temporibus à Religiosis dicti Ordinis ex Provincia Calabriæ tantum, & non ab aliis ex quacumque alia Provincia, & Natione gubernetur, & administretur.

De his Fratribus multa tibi notavi ad Const. 5. Sixti IV. Sedes *sup. tom. 1. necnon ad Pauli V. Constit* 117. Admonemur, *in qua eisdem ambitum omnin prohibuit, & vide etiam infra ad Constit.* 17. Ut ea, *ubi alia plura tibi indicabo.*

URBANUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei;
Dilecto filio nostro in Urbe ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ex injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio his quæ pro religiosorum locorum quorumlibet præsertim Inventuti Religionem ingredi, ac literarum humanarum, & divinarum studiis incumbere animum habenti destinatorum commoditati, & feliciori directione prævio superiorum examine, ac aliàs provide facta fuisse dicuntur, ut firma, & illibata persistant, libenter cum à Nobis petitur, etiam voluntates testantium ac bona sua ad id erogantium nominumque commutando Apostolici mandamus adjici muniminis firmitatem.

Constituit hæredes bonorum suorum fratres S. Andreæ de Fractis de Urbe.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis Baptistæ à Sancta Agatha, & Francisci de Spezzano, ac Dionisii de Paula, & Vincentii de Cusentia, necnon Laurentii etiam de Spezzano, ac Michaelis à Regina, & Pauli de Rovita, ac Joannis etiam à Regina, & Antonii de Morano Ordinem Minimorum nuncupatorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula expressè professorum petitio continebat, quòd cum aliàs tunc in humanis agens Joannes Pizzullus Presbyter ex Oppido Bisagnaneñ Diœcesis oriundus Almæ Urbis Incola, & Civis, dum vixit effectus, volens de bonis sibi à Deo collatis vita ad hoc sibi comite piè disponere, perpetuumque suæ erga Sanctum Franciscum de Paula singularissimæ devotionis monumentum relinquere, in suo ultimo quod condidit, & sub cujus dispositione decessit ab humanis testamento in omnibus, & singulis bonis suis mobilibus, & imobilibus, ac se moventibus, juribus, actionibus, creditis, aliisque quibuscumque præsentibus, & futuris, ac quomodolibet nuncupatis, & qualificatis ubicumque existentibus, & in quibuscumque rebus consistentibus, hæredes suos universales dilectos filios, fratres domus regularis S. Andreæ de Fractis nuncupatæ de Urbe ejusdem Ordinis.

Cum obligatione construendi Collegium.

§. 2. Ea tamen lege, & conditione, ut ad minimum summa sex millium scutorum monetæ in emptionem cujusdam siti, seu fundi, aut prædii in Urbe prædicta per eos impenderetur, Ecclesiaque in illo, seu illa sub invocatione Sancti Francisci de Paula una cum Hospitio, seu Collegio in quo Fratres dicti Ordinis Nationis Citerioris Calabriæ studiorum gratia recipi, & admitti.

§. 3. Ac omnibus ad victum, & studiorum suorum prosequutionum necessariis, & opportunis ex reliquis dictæ hæreditatis bonis, & facultatibus comodè instrui deberent, extrueretur, & ædificaretur.

Ac investiendi proprietatem hæreditatis.

§. 4. Necnon proprietas hæreditatis hujusmodi in censuum annuorum, aut bonorum stabilium tutorum, & secutorum, sive etiam locorum montium non vacabilium emptionem ad electionem Patris Generalis pro tempore existentis dicti Ordinis, aut ejus Vicarii, & cum consensu suorum exequutorum testamentariorum, vel saltem majoris partis illorum investiretur.

§. 5. Et sic investita perpetuò, absque aliqua bonorum sic emptorum hujusmodi in toto, vel in parte alienatione conservaretur.

§. 6. Ex fructibusque exindè provenientibus tot fratres studentes Ordinis prædicti, qui præcipuè Sacræ Theologiæ studio incumbere deberent juxta fructuum, & reddituum hujusmodi quantitatem proportionabiliter alerentur, & manutenerentur, & sub aliis certis conditionibus licitis, & honestis vinculis, & oneribus tunc expressis instituisset.

Testatore vivente emit Palatium in Regione Montium pro erectione Collegii.

§. 7. Ac deinde volens ipse Testator, & dum adhuc vita frueretur, pro tutiori, & certiori propositi sui hujusmodi complemento manum operi per se ipsum adhibere, quoddam Palatium Romæ in Regione Montium, & Platea S. Petri ad Vincula situm per ipsum à dilecto filio nobili viro Joanne Georgio Cæsarino Duce emptum, una cum mansionibus, ac etiam spheristerio, seu ludo pilæ, aliisque stantiis posterioribus eidem Palatio propinquis, necnon cum viridariis, membris, & pertinentiis illius universis, exceptis tamen quodam parvo viridario sito in calce Montis ejusdem S. Petri ad Vincula, & casaleno contiguo ad usum caprarum hodiè destinato, duabusque aliis stantiis terraneis etiam contiguis, cum stabulis existentibus in via S. Pantaleonis, dilecto etiam filio Laurentio Bonjucontro per ipsum testatorem irrevocabiliter donatis dicto Ordini, & pro eo Joanni Baptistæ, & Francisco Fratribus professis prædictis ad effectum inibi Ecclesiam, & Collegium hujusmodi construi faciendi, amore Dei, & ob singularem suam erga ipsum S. Franciscum de Paula, illiusque Ordinem prædictum observantiam, & devotionem, ac pro prædictæ suæ voluntatis executione irrevocabiliter, & inter vivos perpetuò donasset.

§. 8. Cum onere, & pacto inter cætera, quòd dictum Palatium etiam ipso donatore vivente reduci, & destinari deberet ad usum Collegii, seù Monasterii pro condecenti mansione, studio, & habitatione Fratrum ejusdem Ordinis Theologiæ studiis operam dantium Nationis Citerioris Calabriæ hujusmodi.

§. 9. Et in ipso Collegio, seu Monasterio semper commorari possent, & debeant Joannes Baptista, & Franciscus, necnon Dionisius, & Vincentius præsentes, omnesque alii Fratres ejusdem Ordinis ex dicto Oppido Reginæ orti, & oriundi respectivè, donec, & quousque viverent, sub pœna nullitatis, & revocationis dictæ donationis, ac pœnis, & caducitatibus in dicto testamento contentis, in reliquis verò modò, & forma, ac sub eisdem conditionibus, vinculis, oneribus, & caducitatibus in eodem testamento expressis, prout in publicis desuper respectivè confectis Instrumentis plenius dicitur contineri.

§. 10. Et consequenter idem donator, & testator respectivè Joannem Baptistam, & Franciscum, ac Dionisium, & Vincentium prædictos, necnon Laurentium à Spezzano, ac Michaelem, & Paulum, ac Joannem, & Antonium prædictos, dictæque suæ patriæ, ac Citerioris Calabriæ hujusmodi oriundos in actualem, & corporalem possessionem dicti Palatii, viridariorumque & pertinentiarum prædictarum introduxisset.

§. 11. Ipsique sic introducti per modum provisionis, ac Superiorum auctoritate templum, vel cappellam, seu oratorium sub invocatione ejusdem S. Francisci in certa parte ejusdem Palatii aperuissent, & clausuram conventus appellassent, ordinationem ipsius donationis successivè exactiùs ad effectum perducturi.

Testatore defuncto fratres S. Andreæ cesserunt omnia bona fratrib. novi Collegii.

§. 12. Atque intereà Testator prædictus, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus Fratres d. domus S. Andreæ hæredes ut præmittitur, instituti, maturè considerantes prædictum testatorem Nationis suæ Religiosos ex dicto eorum ordine existentes Ecclesia, Collegioque, seù Monasterio hujusmodi honorare voluisse, omniaque ad eorum usum, & utilitatem destinasse, & consequeneer onera diversa sic, & bonorum administrationem eis demandare in mente forsan habuisse, prædictumque Joannem Baptistam dicti Collegii Vicarium deputatum, & pro tempore existentes illius Superiores idoneos, & opportunos dictæ hæreditatis administratores, eosque qui dicti testatoris voluntatem, & ordinationem meliùs, efficaciùs ad unguem observant, & observari faciant fore perspicientes; de dilectorum

filiorum

filiorum moderni Generalis, illiusque Collegarum assensu, ac cum interventu, & præsentia tam dictorum Collegarum, quam etiam dilecti filii Hippolyti tituli Sanctæ Mariæ Novæ Diaconi Cardinalis Aldobrandini nuncupati dicti Ordinis Protectoris, sive ejus Auditoris, ac sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito acceptatam per eosdem dicti testatoris hęreditatem, omneque commodum, & incommodum illius, necnon sua, & dictæ domus Sancti Andreæ jura, & actiones quęcumque, eis, & eorum cuilibet quomodolibet attributa, & competentia, ac competitura cum omnibus & singulis vinculis, oneribus, & honoribus, pactis, conditionibus, & pœnis in dicto testamento contentis in Joannem Baptistam Vicarium prædictum pręsentem, ac pro se, & successoribus suis dictoque Collegio, & Monasterio, illiusque Religiosis acceptantem, & pro tempore futurum dicti Collegii, seu Monasterii Superiorem, ac illius Collegiales, sive Religiosos pro tempore existentes transtulerunt, eisque cesserunt, & mandarunt, constituentes propterea eosdem Jo. Baptistam, & futuros dicti Collegii, seu Monasterii Superiores, ac Collegiales, sive Religiosos veros, & proprios Administratores Procuratores Generales, Gestores, & agentes totius dictæ hæreditatis, cum facultate, & auctoritate illam regendi, gubernandi, & administrandi, regique gubernari, & administrari faciendi, ac Conventum, Ecclesiam, & Monasterium erigendi, & fabricandi, aliaque omnia, & singula faciendi, & adimplendi, ad quæ ex dispositione testamenti, & donationis prædictorum quomodolibet tenebuntur, & aliàs, prout in alio publico desuper confecto Instrumento similiter dicitur contineri.

§. 13. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, firmiora sint ea, quæ à Sede prædicta approbantur, & confirmantur pro parte Joannis Baptistæ & Francisci, ac Dionysii, & Vincentii, necnon Laurentii de Spezzano, ac Michaelis, & Pauli, ac Joannis, & Antonii prędictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus translationem, & concessionem, ac mandatum hujusmodi, nostro, & Sedis prędictæ munimine roborare, aliasque eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 14. Nos igitur certam de præmissis notitiam non habentes; ipsosque Joannem Baptistam, & Franciscum, ac Dionysium, & Vincentium, nec non Laurentium de Spezzano, Michaelem, & Paulum, ac Joannem, & Antonium prædictos, at eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon Instrumenti, ac singulorum testamentorum tenores etiam veriores, ac datur pręsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; circumspectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocati qui fuerint vocandi translationem, & cessionem, ac ultimò dictum mandatum hujusmodi, necnon Instrumentum desuper, ut pręmittitur confectum, & tam pręmissa, quàm alia omnia, & singula, licita tamen, & honesta, ac sacris canonibus, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, maximèq; Sacri Concilii Tridentini decretis non contraria, in illo contenta, cum omnibus, & singulis indè legitimè secutis, & sequendis, Apostolica auctoritate perpetuò approbes, & confirmes, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicias.

§. 15. Ac omnes, & singulos tam Juris, quàm facti, etiam solemnitatum de Jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, & necessariarum, ac quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem suppleas.

§. 16. Necnon translationem, cessionem, & mandatum hujusmodi perpetuò valida, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac tam à Fratribus dictæ domus Sancti Andreæ, quàm à Generali, & Superioribus nunc, & pro tempore existentibus dicti Ordinis, aliisque universis, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectare poterit in futurum perpetuò firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere; ab illisque, & ultimò dicto Instrumento desuper confecto, nullo umquam tempore quovis prętextu, colore, vel ingenio resiliri, vel recedi posse.

§. 17. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque & inane; si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernas.

§. 18. Non obstantibus Testatoris voluntate, quam quoad præmissa, quatenus opus sit, illa aliàs in suo robore permansura, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè commutamus, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ domus Sancti Andreæ, ipsiusque Ordinis, quatenus in aliquo obstent, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cęterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, quintodecimo Kalendas Nov. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Sequitur prohibitio, quod prædictum Collegium administrari, illiusque Officia tam honoris, quàm oneris ab aliis quàm fratribus hujus Ordinis Provinciæ Calabriæ perpetuis futuris temporibus exerceri nequeant.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei;

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cętera cordis nostri desiderabilia, ea quoque ex debito pastoralis officii nostris humeris, licet imparibus, divina dumtaxat dispositione impositi non modicè Nos urget cura, ut inter Christifideles quoslibet, præsertim religiosas personas sub suavi unius, & ejusdem instituti, jugo, & charitatis vexillo. Altissimo famulantes, præcluso discordiarum, & zizaniarum inimici hominis sementorum aditu, pax, & concordia vigeant; piorum testantium voluntates adimpleantur, & inviolabiliter observentur, ac regularium loca ad divinum cultum propagandum, & ignorantiæ caliginem discut endum, sacræque paginæ doctrinam, qua mediante uberiores in vinea, dextra Domini plantata, fructus colligi, & animarum salus procurandique noscuntur adipiscendam, libere destinata, promoveantur, & propterea quæ successu temporis aliquid contra desideriorum nostrorum hujusmodi dispositionem ausu temerario fieri, vel attentari contingat, Sacri Apostolatus officii nostri partes interponimus, ac alias ul tro disponimus, prout rerum, temporum, locorum, & personarum qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino validius expedire.

§. 1. Cum itaque sicut Nobis innotuit, quondam Joannes Piazullus Presbyter, dum vixit, Calaber ex Oppido Reginæ Bisinianen Diœcesis oriundus, Urbis tamen Incola, & Civis, pio charitatis affectu, & spirituali erga Nationem Citerioris Calabriæ benevolentia, & amore ductus, in ultimo per eum condito, sub cujus dispositione ab humanis decessit testamento, in omnibus suis

mobi-

mobilibus, & immobilibus, ac se moventibus bonis, juribus, actionibus, creditis, aliisque quibuscumque quomodolibet nuncupatis, & qualificatis, dilectos filios Correctorem, & fratres, seu Conventum domus Regularis Sancti Andreæ de Fractis nuncupati de Urbe, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula hæredes suos universales instituerit, & inter cætera ordinaverit, quòd summa sex mille scutorum monetæ ad minus in emptionem alicujus fundi in prędicta Urbe per dictos Correctorem, & Fratres, seu Conventum impendi, & in ipso fundo Ecclesiam sub Invocatione ejusdem Sancti Francisci de Paula, cum Hospitio, seu Collegio extrui, ac in eodem Hospitio, seu Collegio Fratres Ordinis, & Nationis, prædictorum studiorum causa, recipi, & commorari, illisque de victu, & aliis ad studiorum prosecutionem necessariis provideri, & ad eum effectum, ac pro servitio, & usu solum dictorum fratrum Studentium omnes alii redditus hęreditatis suæ erogari, & converti deberent, ac omnem bonorum dictæ hæreditatis in toto, vel in parte alienationem ex quacumque etiam urgentissima causa prohibuerit, volens, quòd bona hujusmodi semper ad effectum, ut ex fructibus inde pro tempore provenientibus in dicto Hospitio, seu Collegio Fratres Studentes Ordinis, & Nationis hujusmodi manuteneri, & alii possint, & debeant conservarentur; quodque numerus ipsorum Fratrum fructibus hujusmodi, & expensis pro eorum manutentione necessariis, ad arbitrium Cardinalis Protectoris Ordinis, & executorum testamenti hujusmodi pro tempore existentium correspondere, seu proportionatum esset, necnon inter ipsos Fratres Studentes, eos, qui quovis modo domum maternam dicti Testatoris, videlicet illorum de Grilli, etiam usque ad quartum gradum exclusivè consanguinitate attigerint, & deinde eos qui ex dicto oppido oriundi forent, ac successivè illos, qui ex Provincia Calabriæ Citerioris, & ultimò, si aliqua loca superessent, eos, qui ex Provincia Ulterioris Calabriæ orti existerent, in ipso Hospitio, seu Collegio pręferri, & in eventum, in quem dicti hæredes, vel Fratres dicti Hospitii, seu Collegii prò tempore existentes, hæreditatem hujusmodi cum conditionibus prædictis, & aliis oneribus per ipsum Testatorem injunctis acceptare, vel ea acceptata, conditiones, ac onera hujusmodi adimplere nollent, aut etiam pro una vice in quavis etiam quantumvis minima parte dispositionem testamentariam hujusmodi transgrederentur; tunc, & eo casu etiam voluerit, & mandaverit, ut omni commodo, & beneficio hęreditatis prędictæ privati remanerent, in eoque Fratres Congregationis Colloreti nuncupatæ, sub regula, & habitu Sancti Augustini militantes, & in Provincia Calabriæ Citerioris prędictæ fundatæ succederent; eosdem Fratres dictæ Congregationis ipsis hęredibus, vel Fratribus Hospitii, seu Collegii hujusmodi in dicta hæreditate ex tunc cum eisdem conditionibus, & oneribus substituendo, deinde Parochiali Ecclesia SS. Sergii, & Bacchi, de eadem Urbe, una cum dilectorum filiorum illius Parochianorum animarum cura, per dilectum filium tunc existentem Ministrum Generalem dicti Ordinis, à fel. record. Gregorio Papa XV. Prędecessore nostro, Ordini prædicto ad effectum Collegium hujusmodi construendi concedi obtenta: idem Testator volens per seipsum suam hujusmodi dispositionem ad effectum perducere, quoddam Palatium in dicta Urbe, & Regione Montium juxta Monasterium Sancti Petri ad Vincula nuncupati situm, una cum viridariis, membris, & pertinentiis suis, à dilecto filio nobili Viro Joanne Georgio Cæsarino Duce Civitatis novæ emerit, illudque sic emptum dicto Ordini ad effectum inibi Ecclesiam, & Hospitium, ac Collegium hujusmodi construi faciendi cum onere, quod ipsi Corrector, & Fratres, seu Conventus dictum Palatium ad usum Collegii pro habitatione Fratrum dicti Ordinis Theologiæ operam navantium Nationis Citerioris Calabriæ hujusmodi reducere, seu reduci debeant, & in reliquis sub eisdem conditionibus oneribus, caducitatibus modoque, & forma in dicto testamento contentis irrevocabiliter inter vivos perpetuò donaverit subindeque dilectos etiam filios Joannem Baptistam à Sancta Agatha, & Franciscum de Spezzano, ac Dionysium de Paula, necnon Vincentium de Cusentia, & Laurentium etiam de Spezzano, ac Michaelem à Regina, & Paulum de Ruito, nec non Joannem etiam à Regina, & Antonium de Morano Fratres dictum Ordinem expressè professos, & ex Citeriori Calabria hujusmodi oriundos in dicta domo Sancti Andreæ tunc commorantes, in actualem, & corporalem possessionem Palatii, viridariorum, aliorumque membrorum, & pertinentiarum prædictorum introduxerit, ipsique denique sic introducti Superiorum auctoritate Cappellam, seu Oratorium sub invocatione ejusdem Sancti Francisci de Paula in quadam parte ejusdem Palatii existentem, seu existens ornaverint, & clausuram Conventus appellaverint; illis verò ordinationem ipsius conditionis exactius adimplere desiderantibus, dictis Testator, & donator, sicut domino placuit, ab hac vita decesserit, ac post ejus obitum Fratres dictæ domus Sancti Andreæ considerantes, ipsum Testatorem, & donatorem Nationis suæ Religiosos ex dicto eorum Ordine existentes Collegio hujusmodi honorare voluisse, omniaque ad eorum usum, & utilitatem destinasse, & consequenter sicut onera diversa, sic & bonorum hujusmodi administrationem eis demandare in animo habuisse, dictumque Joannem Baptistam prędicti Collegii Vicarium deputatum, & pro tempore existentes illius Superiores idoneos, & opportunos dictæ hęreditatis administratores, & voluntatis ejusdem Testatoris, & donatoris diligentes observatores, & executores futuros esse perspicientes, de ejusdem tunc existentis Generalis, ac dilectorum similiter filiorum dicti Ordinis, illiusque collegarum, assensu, & cum interventu, & pręsentia, tam dictorum collegarum, quam etiam dilecti pariter filii nostri Hippolyti Sanctæ Mariæ Novæ Diaconi Cardinalis Aldobrandini nuncupati, moderni ejusdem Ordinis Protectoris, seu ejus Auditoris ad id ab eodem Hyppolyto Cardinale specialiter deputati, ac sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito acceptatam per eos dicti Testatoris hęreditatem, omneque commodum, & incommodum illius, necnon sua, & dictæ domus Sancti Andreæ jura, & actiones quęcumque eis, & eorum cuilibet quomodolibet attributa, ac competentia & competitura, cum omnibus, & singulis conditionibus, oneribus, vinculis, & pœnis in dicto testamento, contentis, in prędictum Joannem Baptistam Vicarium pro se, ac successoribus suis, dictoque Collegio, & illius Religiosis acceptantem, & ejusdem Collegii Superiorem, & Collegiales, seu Religiosos pro tempore existentes transtulerint, ac Joannem Baptistam, & pro tempore existentes dicti Collegii Superiores, & Collegiales, seu Religiosos prędictos veros, & proprios Administratores, Procuratores Generales, gestores, & agentes totius hęreditatis prędictæ cum facultate illam regendi, gubernandi, & administrandi, regique, gubernari, & administrari faciendi, nec non Conventum, & Ecclesiam, ac domum regularem erigendi, & fabricandi, omniaque, & singula faciendi, & adimplendi, ad quæ ex dispositione testamenti, & donatione prædictorum obligati fuerunt, constituerint; postmodumque idem Gregorius prædecessor supplicationibus Testatoris, & donatoris, ac Joannis Baptistæ, & Francisci de Spezzano prædictorum inclinatus, donationem

præ-

prædictam, ac desuper confectum Instrumentum Apostolica auctoritate approbari, & confirmari mandaverit.

§. 2. Ac insuper Nos translationem, & donationem, ac Instrumentum hujusmodi eadem auctoritate approbaveremus, & confirmaverimus, prout testamento, ac Instrumentis, singulisque literis Apostolicis exinde confectis plenius continetur: ex forma verò, & tenore, tam testamenti, quàm donationis hujusmodi clarè, & manifeste appareat dictum Testatorem Collegium prædictum pro Religiosis suæ Nationis, tantùm, & non pro aliis fundare, & dotare, ac eandem Nationem suam speciali hoc beneficio, ad testandam, & declarandam sui erga patriam animi pietatem prosequi voluisse, & Fratres dictæ domus Sancti Andreæ intentionem ejusdem Testatoris,& donatoris talem fuisse existimantes, adhærendo ad translationem,& cessionem prædictas spontè, & libenter devenerint,ac ab eo tempore citra dictus Joannes Baptista Vicarius, & Franciscus,ac Dionysius necnon Michael,& Paulus,ac Joannes, & Antonius prędicti hæreditatem hujusmodi, illiusque bona, ac dictum Collegium administraverint, & gubernaverint,& licet tam ipsi,quàm posteà alii Religiosi dicti Ordinis ex dicta Natione oriundi super libero gubernio,regimine,& administratione ejusdem Collegii,& illius bonorum molestari,& in ipso Collegio aliiReligiosi, quam ex dicta Provincia Calabriæ Citerioris orti recipi, & commorari non posse videatur.

§. 3. Nihilominus, quia successu temporis facilè contingere poterit,ut Religiosi aliarum Provinciarum,& Nationum in Collegio prędicto recipi, & ad illius regimen, & gubernium assumi petant, & procurent,id autem non solum menti, & intentioni dicti Testatoris omninò contrarium sed etiam Religiosis dictæ Provinciæ Calabriæ grave prejudicium allaturum esse, exindeque probabile fit inter Religiosos dicti Collegii rixas, odia, contentiones, & dissidia, aliaque non levia inconvenientia cum gravi status dicti Collegii perturbatione, & forsan totali illius ruina, & excidio sine dubio passim oritura esse: Nos præmissis inconvenientibus, & incommodis nostræ, & Sedis prædictæ providentia ministerio consultum esse desiderantes, Joannem Baptistam,& Franciscum,ac Dionysium, necnon Vincentium, ac Michelem,& Paulum, ac Joannem, & Antonium prędictos, aliosque dictæ Nationis Calabriæ Religiosos sub Regula dicti Ordinis Sancti Francisci de Paula nunc,& pro temqore militantes, specialis gratiæ favore prosequi volentes, eosque & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis,& interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon testamenti,& Instrumentorum, ac prædictarum literarum tenores etiam veriores pręsentibus pro expressis habentes,Motu nostro proprio, non ad Joannis Baptistæ,aut Francisci, vel Dionysii, seu Vincentii,nec ad Michaelis,vel Pauli, seu Joannis, aut Antonii prædictorum,vel alicujus eorum,aut cujusvis alterius Nobis pro eis oblatæ petitionis instantiam,sed ex mera deliberatione nostra, dictæque Apostolicæ potestatis plenitudine, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus dictum Collegium, necnon tam prædictæ hæreditatis, quàm alia Collegio hujusmodi proprietatis, jura, & bona universa præsentia, & futura in quibuscumque rebus consistentia, & ubicumque existentia,ac etiamOfficia, & munera, tam oneris, quam honoris per Religiosos dicti Ordinis ex Provincia Citerioris Calabriæ prædictæ nunc, & pro tempore oriundos, tantum dummodo Superiores dicti Ordinis ex Calabria ad regendum, & gubernandum dictum Collegium,ac illius redditus, & bona administrandum idonei reperiantur, & non per alios quarumcumque aliarum Provinciarum, & Nationum ejusdem Ordinis Religiosos, quos ad id omninò incapaces, & inhabiles esse volumus, & declaramus, sub obedientia tamen, visitatione,correctione, & omnimoda superioritate ejusdem tunc,& pro tempore existentis dicti Ordinis Ministri generalis regi, gubernari, & administrari.

§. 4. Ac in eodem Collegio nulli alii Religiosi, quàm ex dicta Provincia Citerioris Calabriæ oriundi, & alias juxta testamenti, & donationis prędictorum formam qualificati, recipi, commorari, alii, & manuteneri possint, & debeant.

§. 5. Et si ullo umquam tempore alios Religiosos,quàm,ut pręfertur,oriundos,ad regimen,gubernium & administrationem Collegii, ac proprietatum, jurium,& bonorum,necnon ad officia,& onera hujusmodi, etiam per dictum Ministrum generalem,& Provinciales,aliosque Superiores dicti Ordinis nunc,& pro tempore existentes, seu eorum auctoritate,etiam ex quacumque quantumvis urgenti, legitima,& necessaria causa deputari, & assumi, aut in Collegio prędicto manutenendos, & alendos, etiam studii causa mitti,vel in eis consignari, aut deponi contigerit,Religiosi ejusdem Collegii ex dicta Provincia Calabriæ Citerioris oriundi ibi pro tempore commorantes,illos recipere, & admittere nullatenus teneantur, & si qui aliquando recepti, & admissi fuerint, eos inde dimittere, & expellere possint,& debeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus.

§. 6. Necnon Ministro generali, & dilectis filiis Provincialibus, aliisque Superioribus, nunc, & pro tempore existentibus dicti Ordinis in virtute sanctæ obedientiæ, ne ad regimen, gubernium, & administrationem Collegii, juriumque, & bonorum prędictorum, ac officia, & onera hujusmodi alios Religiosos,quam ex dicta Provincia Calabriæ Citerioris oriendos, & ut præmittitur qualificatos, quovis prętextu, colore, vel ingenio, & ex quacumque etiam lecturæ, & studii causa per se, vel alios deputare, & assumere, seu in Collegio hujusmodi manutenendos, & alendos mittere, aut in illis consignare, seu deponere, aut deputari, assumi, mitti, consignari, & deponi facere quomodolibet audeant, seu pręsumant, motu, deliberatione, ac de potestatis plenitudine, necnon auctoritate, & tenore similibus districtius prçcipimus, & jubemus.

§. 7. Decernentes,præsentes nostras literas etiam ex eo, quod dictus Minister generalis, dilecti filii Provinciales, ac Superiores prædicti, aliique quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes illis non consenserint,ad eaque vocati, & causæ propter quas illa fiant examinatæ, justificatæ, aut alias approbatæ non fuerint, seu quovis alio prætextu, ex quacumque quantumvis legitima & juridica causa de subreptionis, vel obreptionis,aut nullitatis vitio,seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu,notari, impugnari, invalidari,retractari, in jus, vel controversiam,vocari, ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut concedi non posse,neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quoscumque Romanos Pontifices sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis facientibus comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant statum, restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de novo etiam sub qua-

cum-

cumque posteriori data per dictos Joannem Baptistam, & Franciscum, ac Dionysium, necnon Vincentium, & Michaelem, ac Paulum, & Joannem ac Antonium, eorumque successores ejusdem Collegii Collegiales quandocumque eligenda, concessas semperque validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. 8. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocirca dilectis filiis nostris Archipresbytero Ecclesiæ Lateranensis, ac nostro, & pro tempore existentis Rom. Pont. in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali S.R.E. Cardinalibus, ac venerab. fratri Archiepiscopo Cusentin. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, easdem præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Joannis Baptistæ, & pro tempore existentis Hospitii, seu Collegii hujusmodi Superioris, ac Collegialium, seu Religiosorum, aut alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes; eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi, ab omnibus ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; necnon Jo. Baptistam, ac pro tempore existentem Hospitii, seu Collegii hujusmodi Superiorem, & Collegiales, seu Religiosos prædictos, illis pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos, aut eorum aliquos desuper quomodolibet indebitæ molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: invocato etiam ad hoc si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

§. 10. Nos enim Archipresbytero, & Vicario, ac Archiepiscopo præfatis, & eorum cuilibet, quoscumque molestatores, perturbatores, contradictores, & rebelles, etiam per edictum publicum constito summariè de non tuto accessu, citandi, eisque, ac quibus, & quoties inhibendum fuerit, etiam per simile edictum quoad Archiepiscopos, & Episcopos sub interdicti ingressus Ecclesiæ; quo verò ad alios inferiores, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & etiam pecuniariis, eorum arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis pœnis inhibendi; necnon eos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, eas incurrisse; servata forma Concilii Tridentini declarandi, ac legitimis super literis habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, plenam, & liberam, motu, scientia, auctoritate, & tenore præmissis, concedimus facultatem.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ Octavi etiam prædecessoris nostri, qua cavetur expressè, ne quis extra suam civitatem, vel diœcesim, nisi in certis tunc expressis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diœcesis, ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede prædicta deputati extra civitatem, vel diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant, ac in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodo quis ultra tres dietas vigore earumdem præsentium extra suam civitatem, vel diœcesim ad judicium non trahatur, necnon quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti ordinis, & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illi, illiusque Ministro generali, Provincialibus, & Superioribus prædictis, ac aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsan præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda esset, illis alias in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat, specialiter, & expressè harum serie derogamus ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, voluntatis, declarationis, statuti, ordinationis, præcepti, inhibitionis, decreti, & derogationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIV. pridie nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Regulæ, Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ: VI.

Has Constitutiones, tamquam amplissimas, ac quotidie necessarias, pro publica Curialium commoditate posui.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D, Urbanus divina providentia Papa Octavus suorum prædecessorum vestigiis inhærendo normam, & ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum suæ assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, videlicet die septima mensis Augusti, Anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, reservationes, constitutiones, & regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, acquas Nos Ludovicus tit. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Ludovisius S. R. E. Vicecancellarius, die 21. mensis Octobris dicti Anni in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reservationes generales, & speciales.

1. In primis fecit easdem reservationes, quæ in Constitutione felicis recordat. Benedicti Papæ XII. quæ incipit *Ad regimen*, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi Officiales in eadem Constitutione expressi Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus, beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi, ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, & quandocumque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit beneficia, quæ per Constitutionem piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. quæ incipit, *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerit, quam Constitutionem, &

reservationem Sanctitatis Suæ tam ad Beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus, Ordinarii, & alii Collatores, contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, & disponent in futurum, extendit, & ampliavit: Et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores, contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum vacaturorum beneficiorum.

2. Item reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primitiales, Archiepiscopales, Episcopales, necnon omnia Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & imposterum vacatura, & voluit, quòd excessus hujusmodi in literis exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, & electionem, & quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon Abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum, & collatricum, secularium, & regularium, quomodolibet (non tamen ad collationem, cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionalem, pertinentia) quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel aliàs quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum, ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel dignitates Apostolica auctoritate faciendam, & adeptam ab iisdem successoribus pacificam illorum possessionem; quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3. Item, qui de beneficiis Ecclesiasticis, præsertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia Ecclesiastica per eos tunc obtentu, in fraudem reservationis suæ resignarent, seu dimitterent, Voluit, decrevit, & declaravit, quòd si imposterum, quibusvis personis de aliquibus beneficiis Ecclesiasticis tunc vacantibus, seu vacaturis, per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri; ipsosque provisos, seu providendos, intra vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorum beneficiorum tempora; quæcumque alia cum illis incompatibilia beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam hospitalium, regularia per eos tunc obtenta, nulla speciali, & expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sivè in Sanctitatis Suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sivè Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit; omnes & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis, pro tempore faciendæ, cum indè secutis quibuscumque, cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur; sed beneficia, & jura, ut præfertur resignata, dimissa, & cessa, eo ipso vacent, & vacare, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas Sua etiam quo ad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censeantur ita quòd de illis per alium quàm eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit in omnibus, & per omnia, perinde ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi verè & realiter vacavissent. Decernens irritum, &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, necnon suorum, & S. R. E. Cardinalium familiarium, beneficiorum.

4. Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes, principales in Collegiatis Ecclesiis, reservavit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias dignitates conventuales, & Perceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non militiarum) ac quæcumque beneficia, quæ sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt suo tempore Cardinalium, familiares, continui commensales obtinent, & imposterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ, jus competit, aut competierit, etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans, dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel aliàs quovis modo in Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reservatione prædicta comprehendi debere.

Reservatio beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

5. Item reservavit generaliter omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum, & unicorum in quacumque civitate, vel diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint. Subcollectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat.

Reservatio beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

6. Item reservavit omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit in quovis loco quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

Reservatio beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

7. Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum. Declarans, in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & regulis reservatoriis beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris, nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, & comprehensos fuisse, & esse. Irritumque, &c. attentari decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, & beneficiorum titulorum Card. a Curia absentium.

8. Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscumque canonicatus, & præbendas, ac dignitates, personatus, & officia in S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac B. Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamvis

aliam dispositionem S.R.E. Cardinalium à Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, & Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia sua duraverit, canonicatus, & præbendas, dignitates, personatus, administrationes, & officia, cęteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, & in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quàm in Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia. Ac decrevit irritum, &c.

Reservatio mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis residentibus.

9. Item cupiens idem D. N. Papa pauperibus clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum, extra Romanam Curiam, aliàs quam per resignationem quocumque modò vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, & collatricum, secularium, & quorumvis Ordinum regularium non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant, acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient de mense in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles, optandi majores, & pinguiores præbendas, nec non privilegia, etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus numquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissimè extendi voluit, quibusvis personis, & Collegiis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, quomodolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi minimè suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis, quamdiu apud Ecclesias, aut diœceses suas verè, ac personaliter resederint dumtaxat, de omnibus, & quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, & Octobris, & Decembris, extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo aliàs dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris, vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit,) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum, sese intromiserint, aut quominus provisiones, & gratiæ Sanctitatis Suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquo modo præstiterint, usu, & beneficio prędictæ facultatis eo ipso privati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de beneficiis, illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi verò, qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque civitate, vel diœcesi datas, declarare, & literas ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea uti incipiant gratia supradicta. Decernens, sic in pręmissis omnibus per quoscumque, &c. judicari debere, ac irritum, &c.

De literis in forma Rationi congruit expediendis.

10. Item voluit idem D. N. Papa, quòd concessa per felic. rec. Paulum V. & Gregorium XV. prædecessores suos, & de eorum mandato expediantur in forma Rationi congruit, à die Assumptionis suæ ad summi Apostolatus apicem. Et idem quoad concessa per piæ mem. Leonem XI. etiam prædecessorem suum, ad sex menses dumtaxat, ab ipso die Assumptionis incipiendos observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

11. Item declaravit, & omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, quæ d. Prædecessores, etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti reservaverant, (quæ quidem Ecclesiæ, Monasteria, necnon sic reservata beneficia, tempore obitus eorumdem Prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & decretum, affecta, nullamque de illis, præter Romanum Pontificem, ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquo modo. Decernens irritum, & inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attentari.

Revalidatio literarum Prædecessoris, gratiæ, & justitiæ infra annum concessarum.

12. Item prędictus D. N. omnes & singulas, ab ipsis Paulo V. & Gregorio XV. Rom. Pontif. prædecessoribus suis infra annum ante diem obitus eorum concessas, gratiæ, vel justitiæ literas, temporibus debitis eorum executoribus, seu Judicibus non pręsentatas, omninò revalidavit, & in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit, per executores, seu Judices prædictos, vel ab eis subdelegandos, ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere, juxta illarum formam.

Revocatio unionis.

13. Item, rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, & dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, necnon aliis Ecclesiis, eorumve domibus, prædiis, & locis, per cessum, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, qualiacumque fuerint, invicem, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & mensis etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus officiis, beneficiis, ac piis, & aliis locis, universitatibus, etiam studiorum generalium, & Collegiis etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis per eos obtentis, quomodolibet, Apostolica, vel alia quavis (non tamen Concilii Tridentini) auctoritate, necnon pro fundatione, seu do-

natione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum piorum, & religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum, institutorum factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum, ac quęcumque concessiones, & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, & aliis pręmissis taliter faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, in quibusvis Apostolicis, etiam quæ Motu proprio, aut ex certa scientia, & consistorialiter processerunt, & emanarunt literis, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contenta adversus revocationem, & irritationem hujusmodi, voluit aliquatenus suffragari.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum.

14. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, & personis, necnon Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficiis Ecclesiasticis insimul retinendis, necnon de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, & alias à pręmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directe non concernentes, etiamsi in literis desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nunciis eisdem, dictæ Sedis Legatis de latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum &c.

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.

15. Item revocavit quascumque facultates, & litteras desuper confectas, per quas quicumque sui Prędecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum, de jure, vel consuetudine habentibus, quavis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alio, non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis consideratione, vel intuitu, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant ut quandiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus, de beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim, spectantibus, disponere liberè, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem Prędecessores, Vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent, decernens irritum, & inane, &c.

De dictionibus numerabilibus.

16. Item, ut in Apostolicis literis committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit, & ordinavit, quòd dictiones numerales, quæ in dictis literis ante Nonas, Idus, & Kal. immediatè poni consueverunt, per literas, & syllabas extensæ describantur, & illæ ex prędictis literis, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullarium nullatenus mittantur.

De concurrentibus in Data.

17. Item voluit, quòd de concurrentibus in Data ejusdem diei super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi quibus gratiæ Motu proprio conceduntur, ceteris simili modo gratias non habentibus aliàs graduati non graduatis, aut inter graduatos prius graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in Curia præsentes absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis; & similiter inter absentes, ceteris paribus, oriundus non oriundo, & diœcesanus non diœcesano. In reliquis verò singulis, qui prius Apostolicas desuper literas eorum executoribus præsentaverint, aliis, in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione pręferantur.

De non tollendo jus quæsitum.

18. Item, ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis, plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur, idem D. N. decrevit, & declaravit, suæ intentionis fore, quòd deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel literas Apostolicas, pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi Motu proprio, ex certa scientia, ac etiam ante motam litem, à Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ, & postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensus, computandos; de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

20. Item voluit, quòd si contingat, ipsum, alicui personæ de parochiali Ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente, providere, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper, quo ad parochialem Eclcesiam, vel beneficium hujusmodi, nullius sint roboris, vel momenti.

De non impetrando beneficium per obitum viventium.

21. Item, si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet, provisio, & quęvis dispositio, dicto supplicanti, per obitum hujusmodi, denuo faciendæ nullius sit roboris, vel momenti.

De unionibus, & unionum confirmatione.

22. Item voluit, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, & semper unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest; & idem voluit observari in quibusvis supplicationibus, perpetuis concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, & bonis Eccl[illegible]

cis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

23. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, Constitutionem fel. rec. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & in libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis, &c.* firmiter observari.

De male promotis.

24. Item de Clericis extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis litteris ad sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ memoriæ Pii Secundi similiter Prędecessoris sui desuper editam in dicto Cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit, *Cum ex sacrorum ordinum, &c.* pari modo observari.

De Moneta.

25. Item, declaravit idem D.N. quòd libera Turonensium parvorum, & florenus auri de Camera, pro æquali valore in concernentibus literas, & Cameram Apostolicam, computari, & æstimari debeant.

De beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

26. Item, prędictus D.N. Papa voluit, & decrevit, & ordinavit, quod quæcumque concessiones, gratiæ, & mandata, etiam Motu proprio, & cum derogatione hujus constitutionis, quæ ab eo, pro quibusvis personis emanaverint de providendo ei de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, necnon quæcumque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de pręmissis, ac quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque Pręlaturas inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore, sint cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.

27. Item, cum ante confectionem litterarum, gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem D. N. quòd Judices in Romana Curia, & extra eam pro tempore existentes, etiam si sint Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicumque alii, non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus, (nisi in dicta Curia dumtaxat sint commissiones, justitiam concernentes, per Placet, vel per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium, juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas, judicare debeant. Decernens irritum, &c. Et si litteræ ipsæ per præoccupationem, vel alias minus benè expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, & formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ.

De Regulis Cancellariæ producendis.

28. Item, attendens D. N. Papa, quòd super habendis de Cancellaria Apostolica regulis, & constitutionibus in ibi descriptis faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regularum, & constitutionum (quæ juxta veritatem occurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu, testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium dispositionibus stari deberet, voluit, statuit, & ordinavit, quòd deinceps quilibet ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, & aliis (etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat, stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper à duobus majoris Pręsidentiæ, quod danda sit, à tergo signatæ, & etiam à duobus aliis litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vicecancellarii, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est. Quicquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti.

De subrogandis Collitigantibus.

29. Item, D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio Ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari concesserit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contradictum adversarium, postquam illud per triennium pacificè possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit, impetrationes, vel concessiones, etiam Motu proprio, infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ, nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia illorum pręsertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem, immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus, tamquam collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus pręmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia si neutri, Si nulli, seu novæ provisionis, aut perindè valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur. Quod etiam strictissimè observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem, & amotionem ex quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad diffinitivam sententiam quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

De verisimili notitia.

30. Item, voluit, & ordinavit, quòd omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura, secularibus, vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus affluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prędictæ decesserint, ad notitiam ejusdem D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant Commissiones causarum, nisi in litteris expeditis.

31. Item, quod omnes, & singulæ commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum dumtaxat Apostoli-

carum de beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris, vel momenti.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

32. Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis, teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis, & si ille in Curia fuerit, ejus ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla. Et idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet, ab ipsa Curia absentes, & ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque, & lares in eadem Curia retinentes, ab ipsa Curia recesserint ad eamdem illicò reversuri, & infra decem, vel ad summum quindecim dies verè, & personaliter reversi fuerint, ita quod Cardinalibus alias quam ut præfertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria, ac qualibet alia hic necessariò exprimenda absentibus, facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ provisionem, & dispositionem, pertineant. Declarans Regulas, & Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam a die earum editionis, & publicationis super assensu hujusmodi præstando, sic intellectas, & intelligendas fuisse, irritumque, &c. attentari decernens. Quodque si prædicti familiares, eorumdem Cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ, priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit; Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans, præsentem Constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quæ familiares ipsi tempore obitus eorum, in dicta Curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, & ratione officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos, quoad effectum dictæ Constitutionis, familiares eorumdem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses etiam ante Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernentes irritum, &c.

Super eadem familiaritate.

33. Item, idem D. N. ad evitandas lites, & contentiones, quæ ex præcedenti sua Constitutione exoriri possent, vestigiis Prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, & ordinavit, quod si beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem Cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus, ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti Constitutione non comprehendantur, quo ad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum, super expeditione litterarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat, sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii collatoris, ut præfertur, liberè spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione literarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorumdem collatio, & dispositio, ut præfertur, pertinere deberet.

Signatura per Fiat, præferatur alieni per concessum.

34. Item, voluit D. N. quod concurrentibus, eadem die super quocumque beneficio, per Fiat, & concessum signaturis ex eis per Fiat, etiam ut petitur, habens, alteri per concessum etiam Motu proprio habenti præferatur etiamsi in illa per concessum pregnantiores, & quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ.

De Annali possessore.

35. Item, S.D.N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinavit, quod quicumque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit; nomen, gradum, & nobilitatem possessoris ejusdem, & quotannis ipse illud possederit, ac specificam, & determinatam, ex qua clarè poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, & infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere; causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi debeat, & teneatur: alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde secuta nullius existat firmitatis, & idem impetrans, de damnis, & interesse possessorem præfatum propterea contingentibus, ei satisfacere, & si possessorem ipsum injustè, frivole, & indebite molestasse repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus. Nec alius quam præmissæ vacationis modus, etiam per litteras si neutri, aut subrogationis, aut alias sibi quo ad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia Ecclesiastica cujuscumque qualitatis, per privationem, & amotionem, vel aliàs propter commissa excessus, & crimina, vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

De triennali.

§. 36. Item, statuit, & ordinavit idem D. N. quòd si quis quæcumque beneficia Ecclesiastica qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodò in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, necnon impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere, decrevit; antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

De non appellando ante sententiam diffinitivam.

37. Item, idem D. N. ut finis litibus celebrius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum Prædecessorum constitutionibus, & statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quod in causis pendentibus, & quas imposterum contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat definitivæ; vel à gravamine minimè concernente negotium principale, quod non possit per appellationem à definitiva sententia reparari; Nullæque causæ appellationum comittantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim definitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à definitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commissiones im-

imposterum, & quicquid inde secutum fuerit, nullius sit roboris, vel momenti; commissionibus appellationum jam Judicibus pręsentatis,& exhibitis in suo robore permansuris,in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, & appellationes, etiam ab interlocutoriis, & gravaminibus hujusmodi,suo,vel alterius nomine prosequentes,si succubuerint,ultra expensas, & damna, ad quæ resarcienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctentur.

Non stetur commissioni post conclusionem.

38. Item statuit, & ordinavit, quod in commissionibus de justitia, seu mandatis etiam consistorialibus, per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicitè, vel explicitè, mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissionis hujusmodi derogetur expressè.

De litteris Religiosorum expediendis.

39. Item, voluit, & ordinavit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod beneficium ad natum amovibile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint; litteræ, quo ad ipsam clausulam, nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De clausula ponenda in litteris permutationum beneficiorum.

40. Item, si committatur alicui beneficio resignationis receptio, ponatur clausula, Attentè quoque provideas,&c. & si ex causa permutationis resignationes fiant; ponantur clausula. Quod neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

41. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel, per Fiat, ut petitur supplicatio signata fuerit.

De derogatione Jurispatronatus.

42. Item voluit, quod super quovis beneficio Ecclesiastico de jurepatronatus laicorum, non expediantur litteræ, nisi ponatur expressè, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè est devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad pręsentandum à jure præfixum,lapsum existat,aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum jurispatronatus hujusmodi derogari contigerit, jurispatronatus hujusmodi mentio dispositivè, ac specifice,& determinatè,non autem conditionaliter fiat,si illud ad aliquem Regem,Ducem,Marchionem, vel alium Principem pertineat,& de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

43. Item voluit, quod nulli seculari de regulari, nec religioso de seculari, beneficiis Commenda detur, nisi in signatura, per alausulam; Ad partem super petitione Comendæ hujusmodi, de Commenda ipsa mentio fiat.

De Reformationibus.

44. Item voluit, statuit, & ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium,vel certo modo vacaturorum,in quibus petitur,quod litteræ super prima Data expediri possint,si ex hujusmodi expeditione sub tali Data,cuiquam videatur posse fieri pręjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsa prima Data nullatenus expediantur, nisi reformatione hujusmodi per fiat, sub prima Data signatæ fuerint.

De consensu in resignationibus, & pensionibus.

45. Item, voluit, & ordinavit,quod super resignatione cujuscumque beneficii Ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit; Apostolicæ litteræ nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per Procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expressè consenserit, & juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem seu cedentem, pluries super uno, & eodem beneficio, in favorem diversarum personarum successivè consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus teneri debeat, & alii posteriores consensus, ac litteræ illorum prætextu etiam sub priori Data expeditæ pro tempore, nullius sint roboris, vel momenti. Nec litteræ reservationis, vel assignationis, etiam Motu proprio, cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc habebit.

De ingressu Religionis.

46. Item non dentur literæ super beneficiis vacaturis per ingressum Religionis, nisi ille pręcesserit Datam desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

47. Item voluit, quòd si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ desuper expediantur.

De executione facienda.

48. Item, voluit,statuit,& ordinavit, quòd quotiescumque per signaturam, suam vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus cum adjectione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, Judex datur, literæ desuper expediantur cum expressione, quod idem Judex executionem faciat per se ipsum.

De dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

49. Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibitio, ponatur clausula. Si mulier rapta non fuerit. Et si scienter; ponatur clasula, Addita in quaterno.

Super defectu natalium.

50. Voluit, quod in dispensationibus super defectu natalium quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula; Quod non præjudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

Super dispensationibus.

51. Item, quod per quamcumque signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli

Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.

52. Item, cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum, per regulas Cancellariæ Apostolicæ sint providè limitatæ, licet a iquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensativè tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant; voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam, in judicio, vel extra, suffragetur, antequam super ea literæ Apostolicæ sint confectæ.

De clausulis ponendis in literis Indulgentiarum.

53. Item voluit, quod in literis Indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ, vel Capellæ, vel alias, aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit; hujusmodi literæ sint nullæ.

De Indulgentiis concessis Ad instar.

54. Item, voluit idem D. N. quod literæ super Indulgentiis non expediantur Ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valorem beneficiorum in impetrationibus.

55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per Marcas Argenti, aut Sterlingorum, vel libras Turonen parvorum, seu Florenos auri, aut Ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem æstimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ, beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Etidem servetur in gratiis, quas à Sanctitate Sua Motu proprio emanare contigerit: quoad beneficia, tamen de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ad literas, per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica, secularia, & regularia per eos obtenta, & in quibus & ad quæ jus competit, retinere possint.

De clausulis, & beneficiis vacantibus ponendis.

56. Voluit, & ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari potuerunt clausulæ, si petantur, etiamsi illud quovis modo, &c. seu per Constitutionum, *Execrabilis*, vacet, ac specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit, & ejus collatio devoluta fuerit, & si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli, &c. petente, si tunc lis specificè exprimatur. Nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione, specialis, & expressa, ac purè, & non sub conditione, mentio fiat, & tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis inde literarum, generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, si neutri, vel si nulli, &c. si expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cujus beneficium conceditur, Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel Familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem, fuisse, clausula ponatur, etiamsi dictum beneficium ex eo quod talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel Familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis Officialis, fuit, dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum. In reliquis verò nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.

57. Item voluit, quod super beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet an dignitates, personatus, vel officia sint eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint, qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitatem hujusmodi, affirmativè, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expressè desuper fiat, in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.

58. Item, si reservetur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacatio num de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum; nisi sequatur Matrimonium. Sed in beneficiis per promotionem. aut ingressum Religionis, vel assecutionem, vacaturis, ponatur clausula, etiamsi non petatur, cum beneficia hujusmodi præmisso, vel aliàs quovis modo, &c. præterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiamsi vacent.

De clausulis ponendis in literis Religiosorum.

59. Item voluit, quod si petatur, aliquem in Religionem recipi, & sibi de quovis beneficio Ecclesiastico provideri per simplicem Signaturam fiat. Recepto hujusmodi dumtaxat detur, adjecto si petens idoneus sit, aut aliud Canonicum non obsistat, & exprimatur, si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, & si numerus iste non existat, ponatur, dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. Possintque executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno providere.

De translatione Religiosorum.

60. Item, si regularis petat sibi de beneficio, ab aliquo Monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, & appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci religiosus sit, licitè ibi translatio non petatur nihilominus illa veniat,

De clausula, Si est ista.

61. Item, quod in literis super beneficiis, per constitutionem *Execrabilis*, vacantibus, ponatur clausula, si ista est; similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti.

62. Item, petenti sibi providere de vacaturo, dentur literæ de vacanti prout expedient impetranti.

Revocatio decimarum, & aliarum impositionum.

63. Item, revocavit quascumque decimarum (non tamen nuper pro defensione Fidei Catholicæ in Germania contra hereticos, & Imperii rebelles impositarum sub Dat. Idibus Januarij anno quintodecimo Pontificatus ejusdem Pauli prædecessoris) necnon subsidiorum vigesimæ, & aliorum onerum impositiones, quæ à prædicto Paulo V. Prædecessore suo ex quavis causa etiam in

subsidium expeditionis contra Turcas; & orthodoxæ Fidei hostes emanarunt, & quascumque facultates super decimarum, vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nunciis, ab iisdem Prædecessoribus concessas. Suspendit quoque ad Suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, quascumque plenarias Indulgentias, ab eisdem Prædecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis hujusmodi concessas, si quæ per Nuncios, vel Quæstores deferebantur, necnon deputandi, & eligendi Confessores, qui plenariè absolvant, & alia faciant ad earumdem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes, præter quam quoad ea in quibus Indulgentiæ, & facultates, in aliqua sui parte sint sortitæ effectum, ita ut illis, qui implentes injuncta eis in literis Indulgentiarum hujusmodi, jam consecuti sint facultatem eligendi Confessores, qui absolvant eos plenariè in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum. Decrevit quoque irritum, & inane quicquid facultatum revocatorum earumdem prætextu imposterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

64. Item, revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritans declaravit quascumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium, in toto vel in parte, ac quasvis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per fel. rec. Greg. XV. prædecessorem suum de dictis officiis, etiam ex die collationum, concessionum & dispositionum earumdem in antea vacaturis in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Piorum locorum, Collegiorum, seu eorum mensarum etiam perpetuò etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub alia quavis verborum forma, quam, & præmissorum tenore pro expressis haberi voluit, concessas, & factas, quo ad Officia, quæ post obitum ipsius prædecessoris vacarunt, & imposterum quomodolibet vacabunt.

Item revocavit quoque, cassavit, & annullavit, ac irritans declaravit, quascumque infeudationes investituras, gratias, concessiones quoquomodo etiam in emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam Motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extrà tamen Consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium consilio, & consensu) à die constitutionis fel. rec. Pii Papæ V. prædecessoris sui super prohibitione alienandi, & infeudandi Civitates, & loca S. R. E. sub dat Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kal. Aprilis, Pontificatus sui Anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Rom. Pont. suos prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocumque, ac qualitercumque, & quovis colore factas, & concessas, de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis S. R. E. & Sanctæ Sedis Apostolicæ, & tàm mediatè, quàm immediatè subjectis, tunc, videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum, nondum devolutis. Necnon quascumque prorogationes, & extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis, tunc, videlicet de tempore dictarum prorogationum, & extensionum nondum finitarum quibusvis personis cujuscumque gradus, status, & conditionis, ac præminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, ex quocumque titulo, etiam oneroso, & per quascumque, tam sub plumbo, quam in forma Brevis sub Anulo Piscatoris, aut etiam aliàs quomodocumque, & qualitercumque, expeditas literas, ac sub quavis verborum forma; quàm, & præmissorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expresso haberi voluit latissimè extendendos.

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

65. Item, cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum, afferendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnumquam obtineant à Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione literarum, super hujusmodi impetrationibus, summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato: ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum hæsitari contingat, declaravit, prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, quæ desuper sint literarum expeditione, dumtaxat augeri posse, & eas, quas, literis jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo super expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi Motu proprio beneficiales gratiæ & dispositiones quæcumque à Sanctitate Sua emanaverint.

De insortescentibus.

66. Item, ne personis, pro quibus literæ Suæ Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, & in literis Apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, ordinavit, hujusmodi absolutionem, & clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & favoribus eorum, ac res veritas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti, ausu temerario, Apostolicis mandatis non obtemperantibus; & Nuncios, vel executores, Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, & ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine, per quatuor menses, scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint; & generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quam ut præfertur, quomodolibet ligatis, in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. Item, idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua, non sine displicentia, plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ; qui constitutis, sibi emolumentis pro exercitio Officiorum quæ obtinent, non contenti, ultrà, à prosequentibus negociorum quorumdam expeditionem in eadem, exigere non verentur, obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis, quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de certo quicquam prætextu Officiorum, quæ obtineant, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta ejusmodi exigere, seù ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiosè differre, sub excommunicationis, & præter illam, suspensio-

nis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privati onis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, pœnis. Ac voluit, quod S.R.E. Vicecancellarius, &Camerarius, excedentes ipsos, respectivè pro ut eis, subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, & contra eos, per prędictas pœnas, & aliàs, pro ut melius expedire viderint, procedant.

Reservatio beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante.

68. Item S. D. N. providè considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos, beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerat dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere omnia, & singula benficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita, quæ à die obitus fel. recordationis Gregorii XV. prædecessoris sui usque ad diem supradictam septimam Augusti vacaverunt, & de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, suæ dispositioni reservavit, decernens irritum, &c.

Revocatio indultorum superviventiæ.

69. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, Prædecessores suos Rom. Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prętextibus concessisse, & indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut aliàs quomodolibet de eis disponere liceret ad tempus minimè restrictum ad vitam supplicantium, cum gravi successorum prejudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideò indemnitati Ecclesiarum, & successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens: revocavit, cassavit, & annullavit omnia, & singula indulta, & facultates in ea parte, quæ necdum verè, & realiter suum sunt sortita effectum, per quoscumque Roman. Pontifices Prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittitur, fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unicum annum elocare, attendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, insolutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum, & tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerint minime restricto, & coarctato illorum tenores, &c. decernens irritum, &c.

Quod Cardinales non comprehendantur sub regulis facien.

70. Item, cum S.R.E. Cardinales ipsi S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, & privilegiis gaudere; idem D.N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, & regulis per Sanctitatem Suam imposterum, post hanc primam editionem, & suarum constitutionum, & regularum publicationem, faciendis, non includantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ Constitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum, consilio, editæ fuerint.

De potestate Reverendissimi D. Vicecancellarii, & Cancellariæ Regenti.

71. Primò, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter, in supplicationibus, vel in literis Apostolicis, aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratia, & concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas beneficiales etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit, cum invocatione brachii secularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos, & intruendos per literas Apostolicas desuper conficiendas, & non alias.

Item, quod possit signare supplicationes, manibus duorum Referendariorum signatas, de beneficiis Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus dispositioni Apostolicæ generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem in alia moneta secundum communem æstimationem valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas, de novis provisionibus, Si neutri, & subrogationibus, pro collitigantibus, in quibus non detur clausula, generalem reservationem importans.

Item, quod possit, ad Ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis Ordinibus, usque ad proxima tunc à jure statuta tempora, in quibus sic arctati successivè ad ipsos Ordines promoveantur.

Placet, publicentur, & describantur M. — Papæ subscriptio.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ regulæ, & ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex R. P. D. Majoris Præsidentiæ Abbreviatoribus, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, die vero vigesima prima mensis Octobris, Pontificatus prælibati Sanctissimi D. N. Anno Primo. — Publicatio in Cancellaria P. An. die 21. Oct.

Petrus Gentilis Procustos.

Extensio indulti recitandi Officium, & Missam celebrandi de Beata Margarita de Cortona, Moniali Tertii Ordinis S. Francisci pro omnibus tàm Viris, quàm Mulieribus dicti Ordinis ubique existentibus.

URBANUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.* — Edita A. D. 1623.

Coelestis aquæ flumen, quod ab inexausto vitæ fonte procedens, impetu perpetuo fluit, fidelium mentes septem charismatum donis felici inundatione fœcundas, multo cernitur admirabilior, cum erga vascula infirmiora, & sexum consilii imbecillioris apponens cor suum, misericordiam suam divitias superabundanter elargitur. — Exordium.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster ex præclaris attestationibus à piæ mem. Bonifacio VIII. & Eugenio IV. Romanis Pontificibus etiam prædecessoribus nostris de — Leo X. indulsit. posse celebrari Missam cum Offi-

Beata

cio de hac Beata Civitati Cortonent, & illius Diœc. quotannis die 21. Feb.

Beata Margarita de Cortona, Moniali tertii Ordinis S. Francisci de Pœnitentia prolatis motus, quòd Festum ipsius B. Margaritæ cum Officio, nec Virginis, nec Martyris in Ecclesia S. Margaritæ Civitatis Cortoneñ singulis annis die 22. mensis Februarii celebrari, eandemque B. Margaritam à quibusvis Christifidelibus in Civitate prædicta, & illa Diœcesi privatim, & publice venerari, liberè, & licitè valeret, Apostolica auctoritate indulsit, prout in suis exinde confectis literis pleniùs continetur.

Postea hoc Indultum Congreg Cardd. super Ritio, deputatorum extendit ad omnesFratres, & Moniales Ordinis S. Francisci ubique existentes.

§. 2. Nuperrimè verò Congregatio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Sacris Ritibus Deputatorum, considerata sanctitate prędictæ B. Margaritæ, quæ à trecentum annis, & ultra continuò miraculorum splendore coruscat, nec non mirabili illius corporis integritate, quæ his etiam diebus supra naturæ vires odorem efflat suavissimum, ad instantiam non solùm Cleri, & populi Cortoneñ, sed etiam Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatoris dilectorum filiorum ad omnes ejusdem Ordinis S. Francisci viros, & mulieres indultum prędictum extendi posse, habito super hoc fel. mem. Gregorii Papæ XV. similiter prędecessoris nostri beneplacito, ac omnibus ejusdem S. R. E. Cardinalibus unanimiter consentientibus, decrevit.

Isti Fratres modo supplicant Pont. ut illud Decretum confirmare, & extendere dignetur.

§. 3. Quare pro eorumdem Cleri, & Populi, ac Fratrum parte Nobis nuper fuit humiliter supplicatum, quatenus pro eorum desiderio, ut infrà, annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui illud confirmat.

§. 4. Nos igitur attendentes, quòd licat ipsa Beata Margarita coruscat in Cœlis, ita quasi multiplici rutilantium honore gemmarum corona decora, Cœli universo pręfulgeat; Cleri, & Populi, ac Fratrum prędictorum singulares personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; necnon literarum prędictarum, & inde secutorum quorumcumque tenores pręsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De voto ejusdem Congregationis S. R. E. Cardinalium super Ritibus Ecclesiæ deputatorum, indultum, & desuper confectas literas hujusmodi ad omnes, & singulas personas, tàm viros, videlicet quàm mulieres, nunc, & pro tempore existentes ejusdem Ordinis S. Francisci, earumque Ecclesias, tam intra Italiam, quàm extrà eam ubicumque consistentes; ita quod ex nunc de cœtero perpetuis futuris temporibus, possint hujusmodi Festum dictæ B. Margaritæ in earum Ecclesiis hujusmodi quotannis dicta die 22. Februarii, cum Officio, nec Virginis, nec Martyris celebrare, & eamdem Beatam Margaritam privatim, & publicè venerari, liberè, & licitè possint, & valeant; Apostolica auctoritate prędicta extendimus, ac extensam, & extensas, ex nunc esse, & fore, dictasque personas desuper á quoquam quovis prętextu, colore, vel ingenio molestari, perturbari, aut quoquomodo impediri nullatenus unquam posse; necnon quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane dicta auctoritate decernimus.

Contrariis removet.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, regula nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque quibusvis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis quæ dictus Leo prędecessor in dictis literis voluit non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque.

Sanctionem pœnalem jungit.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, extensionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, octavo Idibus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

D. P. Anno 1. 13. Decemb.

VIII.

Quod Professi in Religione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis ad Sacerdotium destinati, in domibus Novitiatuum, vel aliis distinctis Domibus, donec presbyteri ordinentur, ex illarum perpetuis redditibus vivere possint.

De tempore emittendæ professionis ab utriusque sexus Regularibus personis statuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. Et de hac Religione habes indicata ad Const. 25. Sixti V. Ex omnibus, *sup. tom. 2. De electione Officialium, nonnulla demum ordinavit hic idem Sanctiss. Pont. infra in Constit. 99.* Romanus.

Edita A. D. 1623.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam Dei filius Jesus Christus auctor pietatis instituit, regimini præsidentes, pia, & salubria vota fidelium, præsertim sub regularis observantiæ disciplina in humilitatis spiritu Altissimo famulantium, ex quibus in eorum locis regularis disciplina, & observantia peramplius conservatur, & augetur, pii Patris affectione prosequimur, & ut optatum sortiantur effectum, cùm à Nobis petitur, pleniùs favoribus confovemus.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Sanctii Cicatelli moderni Præfecti Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis petitio continebat, quòd cùm in dicta Congregatione longa, & diuturna multorum annorum experientia compertum sit, pro conservanda, & augenda in ea regulari disciplina, & observantia, non expedire, ut Novitii ipsius Congregationis ad Sacerdotium destinati, statim post emissam ab eis solemnem professionem, ad domos professas ejusdem Congregationis mitti, & inibi inter professos antiquos connumerari debeant. Et habito ad Sacram Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super negotiis, & consultationibus Regularium deputatorum per Superiores primò dictæ Congregationis recursu pro consequendo super præmissis salubri aliquo remedio.

Qua decrevit dd. Clericos usque dum Sacerdotes ordinentur in aliis separatis Domibus arbitrio Generalis permanere debere.

§. 2. Secundò dicta Congregatio, negocio hujusmodi per eam maturè, & prudenter discusso, per suum decretum censuerit primodictæ Congregationi concedendum esse, ut de cœtero illius Novitii ad Sacerdotium destinati tantum, non autem Fratres Laici, nec illi, qui jam in presbyteros ordinati habitum in ea suscipiunt, possint post professionis emissionem in domibus Novitiatuum, habitatione tamen separata, aut aliis domibus distinctis, arbitrio Præfecti Generalis primòdictæ Congregationis, & illius consultorum pro tempore existentium, donec presbyteri ordinentur permanere.

Ibique ex redditibus dd. Domorum, ac si Novitii essent, vivere non obstante voto paupertatis.

§. 3. Ibique non obstante voto paupertatis, ex redditibus, & proventibus perpetuis Domorum hujusmodi, perindè ac Novitii, vivere.

Et deinde

§. 4. Proindeque dictus Sanctius Præfectus Generalis cupiat, primòdictæ Congregationi juxta formam decreti hujusmodi, per Nos, & Sedem Apostolicam, ut infra, perpetuo indulgeri. Qua-

re pro

re pro parte ejusdem Sancti Præfecti Generalis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ejus piis votis hujusmodi annuere, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

supplicatum fuit Pont. ut super his omnibus provideretur.

Qui prædicta omnia à Cardinalibus Congreg. hujusmodi sancita & decreta approbat eisque uti indulget.

§. 5. Nos igitur dictum Sanctium Præfectum Generalem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ex voto secundò dictæ Congregationis negotiorum hujusmodi primodictæ Congregationi, quod deinceps in perpetuum illius Novitii nunc, & pro tempore existentes, ad Sacerdotium destinati dumtaxat, non autem Fratres laici, nec illi, qui jam in presbyteros ordinati, habitum regularem susceperunt, & in futurum susceperint; post emissam ab eis solemnem professionem, in Domibus Novitiatuum, habitatione tamen separata, aut aliis domibus distinctis, arbitrio Præfecti Generalis, & illius Consultorum præfatorum nunc, & pro tempore existentium, donec, & quousque presbyteri ordinentur permanere, inibique, non obstante Paupertatis voto, ex redditibus, & proventibus perpetuis earumdem Domorum, perinde ac Novitii, vivere, liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, de speciali gratia, perpetuò concedimus, & indulgemus.

Ac super his nullo modo molestari per se decernit.

§. 6. Ac primòdictam Congregationem, illiusque Præfectum Generalem, & alios Superiores, ac personas nunc, & pro tempore existentes super præmissis à quoquam publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestari, inquietari, perturbari, aut aliàs quoquomodo impediri nullatenus umquam posse.

Decretum irritans apponit.

§. 7. Necnon quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane dicta auctoritae decernimus.

Contraria prohibet.

§. 8. Non obstantibus primodictæ Congregationis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illi ejusque Præfecto Generali, ac aliis Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, earumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hacvice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctionemque pœnalem addit.

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginàm nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Pont. An. 1 die 22 Januarii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXIII. undecimo Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

IX.

Erectio Religionis Militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & Regula Sancti Francisci, cum ejus Privilegiorum, exemptionum, & Indultorum concessione.

Deputavit hic idem Pont. Judicem, ut infra in Const. 29. Cum Nos nuper. Confirmavitque Statuta hujus Religionis inf. Const. 43. Alias supplicationibus.

URBANUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. Do. 1623. 1624. & 1625.

Proœmium, & causa Constitutionis.

IMperscrutabilis divinorum Judicorum Altitudo statim atque humilitatem nostram ad Pontificiæ dignitatis culmen, nullo licet meritorum suffragio, evexit inter multiplices, gravissimasque Apostolatus nostri curas, ad Militares Ordines, qui anteactis temporibus maximo Christianæ Reipublicæ bono instituti, in Catholica refirmanda, varia terra, marique discrimina subeuntes, gloriose desudant, peculiaris sollicitudinis studio mentis nostræ aciem jure optimo convertimus, Quemadmodum enim spiritualibus Evangelicæ justitiæ armis invisibile militantis Ecclesiæ hostes felici certamine profligantur, ita adversus perditas gentes, quæ superno fidei lumine destitutæ, Christianoque nomini infensæ, eidem Ecclesiæ perniciem afferre moliuntur, visibilium armorum usu Orthodoxa Religio opportunè propugnatur. Quamobrem inæstimabili gaudio perfundimur, cùm Principes viri, vel ad veteres eosdem Ordines amplificandos, vel ad novos Apostolica auctoritate instituendos, animos generosè convertunt. Verum præcipuè in Domino oblectamur, dum institutionem unius Militaris Religionis sub invocatione Conceptionis Deiparæ Virginis immaculatæ mediantur, quam Christifideles omnes propitiam apud Unigenitum Filium suum nacti sunt Advocatam, ut potè quæ Mater gratiæ, & pietatis pro humani generis salute sedula oratrix, apud Regem, quem genuit, semper intercedat, sperantes, hujusmodi institutionem ejusdem Virginis Cœlorum Reginæ intercessione præfatæ Christianæ Reipublicæ uberrimos fructus allaturam, præterquam quod hoc pacto Ecclesia ipsa circumamicta varietate, cœlestis ejus Sponsi jucundiorem se præbet obtutui: ac terribilis, ut Castrorum acies ordinata, dissipat gentes, quæ bella volunt, divinoque suffulta præsidio, numquàm adversus se portas Inferi prævalituras ostendit, Hinc verò fit, ut eorum, qui saluberrimum hujusmodi opus sedulò promovere student, & porrectas Nobis preces pronis auribus excipiamus, & pie conceptis votis Pontificiæ benignitatis memores, quantum in Domino possumus, annuamus

Ferdinand. Mantuæ, & Carolus Nivernien-sium Duces, ac Adolph. Comes ab Althan ad fidei Christianæ propagationem pro Militia Christiana huic Pontif. humiliter supplicant.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum, nobilium virorum, Ferdinandi Mantuæ, & Caroli Nivernienfium Ducum, & Adolphi Comitis ab Althan petitio continebat, quòd nuper ipsi Ferdinandus, & Carolus Duces, & Adolphus Comes, animos ad Cœlestia erigentes, propèque cognoscentes, nihil Christiano principi convenientius esse posse, quam ad Dei Optimi Maximi bonorum omnium largitoris, cultum promovendum, Fidem Catolicam propagandam., Christianorum omnium defensionem, Orthodoxæ Fidei hostium depressionem, cogitationes, operasque suas convertere: Spiritu Sancto inspirante, unius Militiæ Christianæ institutionem, in qua omnium nationum, qui Christiano nomine censentur nobiles, & ingenuè nati viri, pro Fide Catholica, & adversus illius hostes Terra, marique, exigente occasione, certa-

turi

turi recipiantur, meditati sunt. Cumque (sicut eorum petitio subjungebat) multi jam ex variis nationibus Catholici hoc institutum amplecti, taliquè Militiæ se adscribere summoperè desiderent: sperantumque sit, eam (si Sedis Apostolicæ auctoritate instituatur) Reipublicæ Christianæ non ornamento tantùm, sed etiam adjumento futuram. Quare iidem Ferdinand. & Carolus Duces, & Adolphus Comes, desiderantes, pium hoc, & laudabile opus, auspiciis nostris ad effectum perduci, Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui propria sub tit. Conceptionis B. M. Virgi. immaculatæ, & Regula S. Francisci ac protecti one Sancti Michaelis Archangeli, & Basilii instituit, cujus M. Magister. & Militiæ caput unus sit, & in loco assignando in capitulo eligatur. De M. Magistri electione vide c. 10 statutorum, quæ sunt infra in Const. 231 Cum Nos. Et de Capitulo, vide dd. statutorum cap. 1.

§. 2. Nos igitur, qui divini cultus augmentum Fideiq; Catholicæ propagationem ubique vigere sinceris desideramus affectibus eosdem Ferdinandum, & Carolum Duces, ac Adolphum Comitem, in tam laudabili Militiæ Christianæ promovendæ proposito confoventes, ipsosque, & eorum singulos à quibusvis, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, unam Militiam Christianam nuncupandam, sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, quam Ferdinandus, & Carolus Duces, ac Adolphus Comes præfati semper habuerunt, & habent apud misericordem Filium suum Advocatam, ac sub Regula S. Francisci, necnon sub protectione Sanctorum Michaelis Archangeli, & Basilii, pro uno Magistro, qui Magnus nuncupetur, & ipsius Militiæ Caput, & Superior existat; cujusque Sedes, & Conventus in loco apto, & comodo ei assignando, sit: & qui in ipsius Militiæ Capitulo eligi, & infra tres menses à die suæ electionis computandos, illius confirmationem à Sede Apostolica, à qua confirmari, vel infirmari debeat, prout ordo exegerit rationis impetrari teneatur.

Militum, & Ministrorum num. sibi comittitur.

§. 3. Necnon Militum, ac Ministrorum numero eidem Magistro benevisò.

Habitum Militiæ omnes gestent.

§. 4. Qui Magister, & Milites Habitum ipsius Militiæ gestare.

Pro admissione scut. 200. ærario persolvant.

§. 5. Et quilibet pro sua receptione, seu admissione, seu (ut dicitur) Passaggio ducenta scuta aurea ad rationem duodecim juliorum pro quolibet scuto hujusmodi Conventui, seu illius Thesauro, vel comuni Ærario solvere.

Novitiatum in loco Militiæ faciant.

§. 6. Et Novitiarum, seu Probationem in aliqua dictæ Militiæ regulari domo, eis à Magistro Militiæ hujusmodi, seu ab eo ad id deputando, assignanda, facere.

Votaque, & professionem Fidei, ac juramentum fidelitatis emittant. Vide c. 6. & 7. statutorum

§. 7. Et postea Castitatis conjugalis, ac Paupertatis, juxta Statuta, seu Stabilimenta dictæ Militiæ, ac Obedientiæ Vota, & professionem Fidei, ac juramentum fidelitatis Sedi Apostolicæ, & Romano Pontifici pro tempore existenti præstandæ, emittere.

contra infideles, & Fidei hostes militent.

§. 8. Et quotiescumque eis præcipietur, aut occasio, vel necessitas postulaverit, Terra, Marique contra Infideles, ac S. R. E. ac Fidei Catholicæ hostes militare teneantur.

Vide c. 7. & 8. dd. statutorum Nobiles viri & ingenue nati etiam conjugati recipiuntur. Vide etiam ampliationem hic mox subse-

§. 9. Et ad Habitum, seu Crucem, ac professionem d. Militiæ, nobiles, & ingenuè nati viri, etiam qui cum unica, vel, ea defuncta, cum altera tantum muliere virgine, vel etiam vidua conjugati sint, vel fuerint, & non aliàs, absque dispensatione Apostolica admittantur: seu ipsi Milites non conjugati, etiam d. professione emissa, matrimonium cum unica, vel ea mortua, cum altera tantùm virgine, vel vidua absque simili dispensatione contrahere possint.

§. 10. Cum mensa Magistrali, officiis, juribus, jurisdictionibus, & insignibus consuetis, ad instar aliarum hujusmodi Militiarum, ubivis institutarum, sine tamen alicujus præjudicio, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus.

quendam & c. 4. statut. inf. in Con. 132. Cum non Mensam, offic. jurisd. & insignia consueta hæc militia habeat ad instar aliarum. Militiæ sic institutæ dotem tribuit. Clem. Con. est t. 3. f. 88. num. 78.

§. 11. Illique sic erectæ, & institutæ, pro ejus dote, omnes & quascumq; pecuniarum quantitates ex receptione, seu admissione, vel passaggio cujuslibet Militis, provenientes: ita ut illæ in alios quam d. dotis usus, donec aliter à Sede Apostolica mandatum fuerit, converti nequeant: nec non alia bona, non tamen Ecclesiastica, sed merè laicalia, eià quibusvis, quandocumque, & quomodocumque pro tempore assignanda, eroganda, & elargienda, salva semper Constit. fel. rec. Clem. Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Romanum decet Pontificem, sub Dat. Romæ apud S. Petrum, pridie Nonas Julii, Pontificatus sui anno 10. ex nunc, prout ex tunc, & è contra, postquam assignata, erogata, & elargita fuerint, etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Illamq; ejus personas, & bona sedi Apost. subjicit. Hoc declaratur hic infra.

§. 12. Ipsamque Militiam, ac illius Conventum, Prioratus, præposituras, Ecclesias, & loca, necnon Magistrum, Priores, Præpositos, Milites, tàm Ecclesiasticos, quam Laicos, eorumque Ministros, personas, vassallos, servitores, & colonos, ac res, prædia, grangias, & bona quæcumque ratione d. Militiæ ad eos spectantia, à quorumvis Primatum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, & aliorum Prælatorum jurisdictione, & subjectione eximimus, & liberamus, illosque, & illa Nobis & Sedi Apostolicæ immediatè subjicimus, ac sub nostra, & dictæ Sedis tutela, & subjectione suscipimus.

Milites etiam bigamos super benef. Ecclesia. Pensiones usq; ad sc. 300. habere posse decernit.

§. 13. Prætereà d. Militiæ Magistro, & Militibus, (ut etiamsi matrimonium cum unica, vel, ea defuncta, cum alia virgine, vel vidua, contraxerint, vel contrahant) unam, seu plures pensiones annuas, quæ tamen in totum trecenta scuta monetæ Romanæ ad rationem decem juliorum pro quolibet scuto hujusmodi in singulas personas non excedant, super Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum etiam Abbatialium, Conventualium, & Capitularium mensarum, necnon Monasteriorum, etiam Consistorialium, Prioratuum, Canonicatuum, & Præpendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, ac etiam distributionibus quotidianis, alias sibi canonicè reservandas, recipere, percipere, exigere, ac in suos usus, & utilitatem convertere, ipsasque Pensiones unà cum Præceptoriis, Prioratibus, aut aliis beneficiis quibuscumque dictæ Militiæ, quoad vixerint, retinere liberè & licitè possint.

M. Magistro, & Capit ad bonam Militiæ directionem statuta per Sedem Apost. postea approbanda edere posse concedit. Statuta postea edita, & ab isto Pont. approbata habes infra in const. Cum Nos.

§. 14. Eisdemque Magistro, & Capitulo Generali dictæ Militiæ, ut quascumque Constitutiones, statuta, ordinationes, capitula, stabilimenta ad prosperam dictæ Militiæ directionem facientia, licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus, Conciliique Tridentini decretis minimè, còntraria, à dicta Sede tamen approbanda, condere, illaque pro rerum, & temporum qualitate, & varietate alterare, revocare, mutare, moderare, corrigere, & alia de novo condere possint, quæ postquam condita, alterata, revocata, mutata, moderata, correcta, & de novo edita, & à dicta Sede approbata fuerint, & non aliàs, valida, & efficacia existant, suosque plenarios, & integros effectus sortiantur, & per Milites Fratres Religiosos, & aliàs ejusdem Militiæ personas, inviolabiliter observari debeant, ità, & taliter, quòd Milites, & alii Religiosi dictæ Militiæ ab illis nullo modo resilire possint, sed ad illorum observationem teneantur & obligati existant, & ad id censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis cogi, & compelli possint.

Carolo supra Niver. Duci usque ad primum futurum Cap. die Pentec. an. 1625. celebrand. auctoritatem Militis admittendi tribuit.

§. 15. Et quoniam justis ex causis electio Magni Magistri Militiæ per præsentes erectæ usque ad Capitulum Generale in Urbe in Festo Sanctiss. Pentecostes anni 1625. celebrandum, differenda est, ne interim præfatæ Militiæ progressus retardetur, & ut ad illius Habitum admitti volentium devotioni satis fieri possit; eidem Carolo Duci, ut duodecim ejusdem Militiæ Milites, in Orientalis, Meridionalis, Occidentalis, & Septentrionalis districtuum directores, unum videlicet Ecclesiasticum, & duos alios ejusdem Militiæ Milites pro quolibet districtu hujusmodi deputare, ipsisque Directoribus sic deputatis, ut pro felici directione dictæ Militiæ aliqua statuta, & ordinationes, quæ ad locorum, rerum, & temporis qualitatem, secundùm eorum conscientiam, accommodata judicaverint; ab ipsis Militiæ Militibus in dictis respectivè districtibus observanda, usque ad dictum Capitulum Generale, & tempus, ut præfertur, ad illud celebrandum præfixum, & non ultra, licita tamen & honesta, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis minimè repugnantia, condere, & præscribere: & per se, ves alios ab eis respectivè deputandos, quibusvis personis idoneis, & qualificatis præfatæ Militiæ se adscribi petentibus, Habitum illius tradere, & eas ad Militiam hujusmodi admittere, aliaque ad id dicto medio tempore necessaria facere, & exequi respectivè possint amplam, liberam facultatem, & potestatem, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & impartimur.

HujusCap. tempus ad alium ann. fuit prorogatum, ut infra sub hac Bulla habetur, & de d. Cap. vide c. 9. interStatuta supradicta.

Servativas hujus Bul. adjungit.

§. 16. Præsentes verò literas etiam ex eo quod causa, seù causæ, propter quam, seù quas illæ à Nobis emanarunt, justificatæ, & verificatæ, & interesse forsan habentes, seù habere prætendentes, vocati non fuerint, seù quibusvis aliis ex causis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu notari, aut impugnar i, seù ad viam, & terminos juris reduci non posse, sed semper validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Decretum irritans addit.

§. 17. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores; ac S. R. E. Card. etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, necnon dictæ Sedis Apostolicæ Nuncios, in quacumque instantia, ubicumque, & quomodocumque judicari, decidi, definiri, ac etiam terminari posse, atque debere, auctoritate Apostolica, & earumdem tenore præsentium decernimus.

M. Magistro & Militię personis Indulg. elargitur.

§. 18, Postremò eisdem Magistro, Militibus, & aliis dictæ Militiæ personis pro tempore existeñ verè pœnitentibus, & confessi, ac sacra Communione (si id commodè fieri poterit) refectis, tàm die illorum professionis, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione præfata refecti, quàm quocumque die, quo alicui expeditioni, vel functioni, aut prælio contra fidei Catholicæ hostes interfuerint, si saltem contriti fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem elargimur.

Contrariis omnibus derogat.

§. 19. Non obstañ nostra de gratiis ad instar non concedendis, & aliis quibusvis Apost. necnon Provincialibus, & Synodalibus, universalibusque Conciliis editis, & edendis, specialibus, vel generalibus, constitutionibus, & ordinationibus, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apost. sub quibuscumque teñ & formis, ac cum quibusvis clausulis; etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis etiam vim contractus inducentibus Decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus latissimè, ac vice dumtaxat, specialiter & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Privileg. de quo supra in §. 12 declarat.

§. 20. Volumus autem, quod exemptio præfata non comprehendat Ecclesias, neque personas in eis, quæ ad animarum curam pertinent, in quibus DecretaConcil. Trident. omninò servari debeant.

Sanctionem pœnalem contra venientibus imponit.

§. 21. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, subjectionis, susceptionis, concessionis, impartitionis, decreti, elargitionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

D. P. A. 1. 12. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1623. Pridie Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Subsequitur ampliatio auctoritatis Magni Magistri, & gratiarum Militum ejusdem Militiæ.

URBANUS PAPA VIII.

Edita A.D. 1624.

Ad perpetuam rei memoriam.

Narrat erexisse Militiam Christianam. ut hic supra.

Cum Nos nuper Militiam Christianam Conceptionis Deiparæ Virginis Apostolica auctoritate erexerimus, & instituerimus, ac sub nostra, & Sedis Apostolicæ Protectione susceperimus iliq;, & ejus Militibus, ac Magno Magistro varia privilegia, indulta, imunitates, prærogativas, gratias, & favores, prout in literis erectionis prædictæ Militiæ sub Dat. Romæ apud S. Petrum Pridie Idus Februarii Pontificatus nostri Anno 1. expeditis, pleniùs continetur, Apostolica auctoritate concesserimus.

Et pro ejus ampliatione auctoritatem M. Magistro concedit, ut certos Prælatos R. Curię in eandem Militiam accipere valeat

§. 1. Ad ampliandum eo magis dictæ Militiæ felicissimum incrementum, ità ut militantis Ecclesiæ infensissimi hostes tàm potentum, & illustrium virorum fortitudine, quam etiam Ecclesiasticorum Principum Majestate, & auctoritate preteriti, ab assiduis, quas erga Christianam Rempublicam moliuntur, insidiis desistant, & Catholicæ fidei propagatio in dies magis augeatur. Motu proprio non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ejusdem Militiæ Magno Magistro pro tempore existenti, seu ab eo delegandis, vel deputandis, ac ejusdem Militiæ institutoribus plenam, & omnimodam facultatem concedimus per præsentes, ut quoscumq; Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, causarum Palatii Apost. Auditores, necnonCam. nostræ Apost. ClericosProthonotarios de numeroParticipantium, nec non utriusq; Signaturæ nostræ Referendarios, qui saltem per biennium actu officia sua exercuerint, Sedis Apost. servitiis realiter insistendo secundum d. Militiæ statuta, & Constit. à Nobis approbatas, absque aliis ab eis faciendis probationibus in eamdem Miliriam recipere, admittere, ac illis Habitum, & Crucem per ejusdem Militiæ Milites gestari solitum, conferre libere, & licitè possint.

Qui sic recepti omnibus Militię indultis gaudeant in suisque gradibus remanere ad majores ascendere ac alia benef. Eccl. & quascunq; pensiones habere possint.

§. 2. Qui omnibus, & singulis privilegiis, indultis, præeminentiis, prærogativis, gratiis, favoribus, immunitatibus, & exemptionibus, quibus alii dictæ Militiæ Milites utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, uti, frui, potiri, & gaudere, ac Habitum, & Crucem hujusmodi, gestare, necnon vocem activam, & passivam in Capitulis, Consiliis, etiam supremo secundum d. Militiæ Constit. faciendis, si ad hoc deputati fuerint, ac aliis dictæ Militiæ actibus habere, & in tali habitu, ac suis dignitatibus quas obtinent, remanere, necnon ad quoscumque alios majores, & nobiliores gradus ascendere similiter possint, necnon quæcumque, quodcumque, & qualiacumque beneficia Eccle-

stastica, Prioratus, Præceptorias, Comendas, Præposituras, Abbatias, Personatus, Administrationes, ac Officia, Dignitates, Canonicatus, ac Præbendas, in Cathedralibus, seù Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur, in eisdem recipere, ac dumodò plura simul non sint, quam quæ à Concil. Trident. permittuntur, quoad vixerint, retinere, & quascumque pensiones annuas, usque ad quamcumque summam super Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Abbatialium, Conventualium, & Capitularium mensarum, necnon Monasteriorum, etiam Consistorialium, Prioratuum, Canonicatuum, ac Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum regularium qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, ac etiam distributionibus quotidianis, aliàs sibi canonice reservandas, percipere, exigere, & in suos usus, ac utilitatem convertere, ipsasque pensiones una cum Præceptoriis & Beneficiis quibuscumque, quoad vixerint, retinere, liberè, & licitè possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium indulgemus, sicque ab omnibus, & singulis censeri decernimus.

Obstantia quæcumq; removet. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Militiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumqde.

Dat. P. An. 2. die 24. Novemb. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 14. Novemb. 1624. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Subsequitur prorogatio Capituli Generalis de quo supra.

Edita A. D. 1625.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei;

Ad futuram rei memoriam.

Causa hujus Constit. ORthodoxæ fidei, Religionisque zelus, Nobilitas generis, ac eximiæ devotionis affectus, quo dilectus filius Nobilis vir Carolus Dux Niverneñ, Nos, & Romanam reveretur Ecclesiam, promerentur ut petitiones suas ad exauditiones gratiam admittentes, ea favorabilirer concedamus, per quæ Reipublicæ Christianæ progressui, semotis impedimentis consulitur.

Narratio præcedentis instituti onis hujus Militiæ. §. 1. Nuper siquidem supplicationibus dicti Caroli Ducis Nobis porrectis annuentes, Militiam Christianam sub denominatione Conceptionis Deiparæ Virginis Immaculatæ Apostolica auctoritate ereximus, & instituimus, acillius Magni Magistri electionem usque ad Capitulum Generalem Festivitate Pentecostes præsentis anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti in Alma Urbe nostra celebrandum differendam, & ne interim prędictæ Militiæ progressus retardatus, ejusdem Militiæ Consilium supremum nuncupandum, in dicta Urbe usque ad beneplacitum nostrum cum certo personarum numero statuendum duximus.

Causa hujus prorogationis Capit. ad alium annum. §. 2. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte d. Caroli Ducis petitio continebat, propter præsentium temporum calamitates, & undique imminentia bellorum pericula, necnon hostis insidias dictæ Militiæ fœlicissimam propagationem non parum impedientes, Capitulum prędictum in Festivitate Pentecostes hujusmodi haberi minime possit, sicque Magni Magistri electionem hujusmodi retardatam esse comperiatur. Etiam pro parte ejusdem Caroli Ducis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere, eumque amplioris gratiæ favore prosequi de benignitate dignaremur.

Prorogatio d. Cap. Gen. §. 3. Nos igitur, qui honestis fidelium quorumlibet, præsertim nobilitatis genere pollentium, Votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, dictum Carolum Ducem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, posterioribus supplicationibus hujusmodi inclinati, tempus ad Capitulum Generale prædictum, ac electionem Magni Magistri ejusdem Militiæ faciendam, ut præfertur præfixum, quod adhuc durat, ad unum Annum tantum, à die ipsius Festivitatis computandum, Apostolica auctoritate tenore præsentium prorogamus, extendimus, & ampliamus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictæque Militiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis. §. 5. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, prorogationis, extensionis, ampliationisque infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

D. P. Ann. 2. die 10 Maij. Datum Romæ apud S. Petum Anno Incarnationis Dominicæ 1625. sexto Idus Maji, Pontificatus Nostri Anno secundo.

X.

Diffinitiones, & declarationes super reassumptione Calopodiorum, depositione Solearum, & delatione Caputii rotundi, largiorisque Mozzette, ac protensi Mantelli, à Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiæ deferendi.

Quoad hujusmodi Habitum habes etiam sup. Const. 11. Paul. III. t. 1. & Greg. XIV. Const. 11. t. 2. Et quoad dictos Fratres Strictioris Observantiæ multa notavi sup. in const. 35. Clem. VII. tom. 1. Quo verò ad Capuccinos notavi ad Const. 21. Clem. VII. sup. t. 1.

Edita An D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN Supremo Apostolatus solio, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, circa statum Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium prosperè dirigendum, mentis nostræ aciem assiduè intendimus, eaque statuimus, & ordinamus, per quæ prospero, felicique eorum statui, atque directioni consulitur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prævia examinatione, & discussione Card. Cong. super Regularium causis. §. 1. Cum itaque, causa inter dilectos filios Fratres ejusdem Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinos nuncupatos, ex una, ac Fratres ejusdem Ordinis Strictioris Observantiæ ex altera partibus, de, & super reassumptione Calopodiorum, & distinctione Habitus ad pærscriptum Bullarum per diversos Romanos Pontifices Prædecessores nostros emanatarum, diù agitata, ac de mandato nostro in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum iterum proposita, per eosdem Cardinales auditis patribus, visisque scripturis maturè, & diligentissimè perpensa, & examinata fuerit.

Hic Pont, decernit fratres strictioris ob §. 2. Nos eorumdem Religiosorum paci, & quieti, felicique ac prosperæ directioni, quantum

in

serv. S. Francisci in Italia Calopodia reassumere debere. Hoc declaratur hic infra.

in Nobis est, providere volentes, de eorumdem Cardinalium consilio, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Fratribus Strictioris Observantiæ quatenus Calopodia reassumere, Soleasque ubique per totam Italiam deponere, nec eas in posterum recipere debeant, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, necnon quoad Superiores, etiam suspensionis ab officiis ipso facto incurrendis pœnis tenore præsentium injungimus ac insuper locorum Ordinariis, ut in casu transgressionis, regulares Strictioris Observantiæ prædictos ad id cogant, & compellant.

Recollectosque Galliæ rundum Caputium, & latiorem mozzettam deferre

§. 3. Quo verò ad ejusdem Ordinis Fratres recollectos nuncupatos Galliæ qui non deferunt soleas, sed Calopodia; cùm constet, eos Caputium aliquantis per acuminatum deferre; Ven. fratri Bernardino Archiepiscopo Damiateñ, moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Franciæ Nuncio, per præsentes similiter mandamus, ut opportunè cures, quod omnino rotundum capuccium, mozzettamque largiorem assumant.

Supradictos Fratres vilioribus pannis & despecti coloris, uti posse indulget.

§. 4. Præterea ad pleniorem, certioremque provisionem, inhærendo præsertim literis fel. rec. Clemen. VIII. & Greg. XIII. Rom. Pont. etiam Prædecessorum nostrorum, per easdem præsentes pariter mandamus, prædictos Fratres Strictioris Observantiæ non molestari, quam vilioribus, & repetiatis pañis, & despecto colore utantur, sed volumus sub eisdem pœnis, quod eorum forma habitus quoad Caputium rotundum, Mozzettam latam, & Mantellum perpetuo protensum sit, & esse debeat Obsersevantiæ Fratribus omninò conformis, illumque intra duos menses, aptare, ac gestare debeant.

Et ita & non aliter jubet posse judicari.

§. 5. Atque ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis literis Apostolicis eisdem Fratribus strictioris Observantiæ illorumq; Superioribus, & quibusvis aliis sub quibuscumq; tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi mandat.

§. 7. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1.10. Ianuarij.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 10. Januarii 1624. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Sequitur declaratio supradictæ Constitutionis.

Edita A.D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur tenor constit. Præced.

§. 1. Nuper cum causa inter dilectos filios Fratres nostros Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinos nuncupatos ex una, ac Fratres ejusdem Ordinis Strictioris Observantiæ ex altera partibus, de, & super reassumptione Calopodiorum, & distinctione habitus ad præscriptum Bullarum per diversos Romanos Pont. prædecessores nostros emanatarum agitata, ac de mandato nostro in Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Card negotiis Regularium Præpositorum proposita, & examinata fuisset, eisdem Fratribus Strictioris Observantiæ, quatenus Calopodia reassumere, Soleasq; ubiq; per totam Italiam deponere, nec eas in posterum reassumere deberent, sub excomunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, necnon quoad Superiores, etiam suspensionis ab officiis ipso facto incurrendis pœnis injunximus, & aliàs prout in nostris desuper insimili forma Brevis sub die 10. Jan. proximè præteriti expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Sequitur ipsius declaratio.

§. 2. Nunc autem, cùm experientia docuerit, nonnullos ex dictis Fratribus Strictioris Observantiæ Calopodiis uti ægre posse. Nos, Fratres Strictioris Observantiæ hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes; & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Superioribus eorumdem Fratrum Strictioris Observantiæ, Fratribus senio confectis, aut qui ita infirmi fuerint, ut Calopodia deferre non valeant, ut in domibus regularibus hujusmodi, necnon itinerantibus dumtaxat, qui iter saltem unius diei, cum Calopodiis habere non possunt, non autem quæstuantibus soleas cum calcaneo usque ad talos circiter; superiori autem pedis parte unica tantum fascia usque ad digitos in circa coopertas deferre absque pœnarum, & censurarum incursu, liberè, & licitè possint, & valeant, super quibus eorumdem Superiorum conscientiam oneramus concedendi, & indulgendi, licentiam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Decernentes, eosdem Fratres Strictioris Observantiæ præmissorum occasione nullo modo molestari, perturbari, aut inquietari posse, seù debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus literis nostris prædictis, ac omnibus illis, quæ in eis voluimus non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P. A. die 31. Martii.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 31. Martii 1624. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XI.

Declarat Ordinarium Collegiatæ S. Joannis de Abbatissis Viceñ. Diœc. non esse intelligendum Archipresbyterum præfatæ Ecclesiæ, sed Episcopum Viceñ.

Edita A.D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constit.

Aliàs fel. recordationis Clemens Papa VIII. prædecessor noster, postquam Ordinem

S. Augustini Canonicorum Regularium in Principatu Cataloniæ, ac Comitatibus Rossilionis, & Ceritaniæ cum omnibus suis membris, & pertinentiis, omnemq; ejus statum, essentiam, & dependentiam regulares perpetuò suppresserat, & extinxerat, eundemq; & illius Monasteria, Prioratus, & beneficia ad sęcularitatem reduxerat, & sic reducta suæ, & Apostolicæ dispositioni Motu proprio reservaverat, Monasterium S. Joannis de Abbatissis nuncupat. Viceñ Diœcesis unum ex eisdem suppressi Ordinis Monasteriis, ac sub prędictis reductione, & reservatione compræhensum in sæcularem, & Collegiatam Ecclesiam, ac in ea unum Archipresbyteratum, qui inibi Principalis Dignitas, existeret, necnon tot Canonicatus, & Præbeñ, quot in illa ante suppressionem, & reductionem prædictas erant loca, & cononicales portiones pro tot Canonicis, qui una cum Archipresbytero hujusmodi Capitulum ejusdem Ecclesiæ constituerent, ac aliàs sub certis modo, & forma tunc expressis erexit, & instituit, ac inter alia Ecclesiam prædictam illiusque Dignitates, Canonicatus, & Præben. ac alia Beneficia, necnon Capitulum, & Ministros suo Ordinario subjectos esse voluit: & alias prout in ipsius Clementis prędecessoris desuper sub plumbo expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

§. 1. Cum autem sicut venerabilis Frater Modernus Episcopus Viceñ Nobis nuper exponi fecit post juratam, & observatam septem, vel octo añis tunc existenti Episcopo Viceñ obedientiam, & superioritatem, dilectus filius Joannes Coli ex beneficiato dictæ Ecclesiæ Archibresbyter factus Superioritatem dicti Episcopi detractans à dicta Obedientia, desciverit una cum medietate Canonicorum, & Beneficiatorum ipsius Ecclesiæ, diversa alia in præjudicium, & damnum jurisdictionis prædicti Episcopi Viceñ fecerit, & attentaverit, & propterea dictus Modernus Episcopus Nobis humiliter supplicari fecerit, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declaratio de qua in Rubric.

§. 2. Nos præmissis quantum cum Domino possumus obviare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum consilio harum serie Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus Ordinarii appellatione, cujus in iisdem literis fit mentio nullatenus esse intelligendum Archybresbyterum prædictæ Ecclesiæ S. Joannis, sed Episcopum Viceñ dumtaxat, ideoque Ecclesiam ipsam, illiusque Dignitates, Canonicatus, & Beneficia pro tempore obtinentes, atque alios quoscumque Ministros non eidem Archibresbytero, sed Viceñ Episcopi tantum Visitationi, correctioni atque omnimodæ jurisdictioni subjectos esse.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 3. Præsentes verò literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seù intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu. etiam ex eo, quod quicumque in pręmissis interesse habentes, seu habere prætendentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci, seu in jus, vel controversiam revocari posse, sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Publicari mandat.

§. 4. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Tarraconeñ, & Episcopo Gerundeñ, ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per pręsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsius moderni, & pro tempore existentis Episcopi Viceñ fuerint requisiti solemniter publicantes, eisq; in prę missis efficacis defensionis pręsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem pręsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravañ, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sęcularis. Non obstañ. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in ipsius Clementis prædecessoris literis hujusmodi concessa sunt non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus eisdem adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Exemplis hujus Const. credi jubet.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 18. Januarii 1624. Pontificatus nostri anno primo.

XII.

Confirmatio, & Innovatio Constitutionum Gregorii XIII. Clem VIII. & Pauli V. super bono regimine Fratrum Reformatorum Strictioris Observantiæ Ordinis S. Francisci editarum. Et additio aliarum Ordinationum pro feliciori ejusdem regiminis progressu.

Constitutiones horum Pontificum habes supra videlicet Greg. XIII. Const. 55. Cum illius t. 2. Clem. VIII. Const. 45. Pro injunctis tom. 3. & Pauli V. Const. 31. Postulat. d. tom. 3.

De horum Reformatorum primæva Congregationis approbatione, totoque ejus statu multa habes indicata in Clem. VIII. Const. 35. In supremo sup. tom. 3. Cujus custodiam Bavariæ in Provinciam erexit, ac eidem communicavit gratias omnes aliis Hispaniarum Provinciis concessas, hicmet Sanctiss. Pont. infra Const. 40. Sacrosanctum.

URBANUS PAPA VIII.

Edita A. D. 1624.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, in quo, dispositione incomutabili, divina providentia universalis Ecclesiæ constituit principatum, auctoritatem à Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen, sibi traditam intelligens, ut noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, & ædificet, & interdum, quæ rationalibus ex causis à Sede Apostolica sancita sunt, ipsa subindè rerum experientia suadente, & majoribus ex causis alterat, & immutat, in hisque pastoralis Officii sui partes solicitè, & prudenter interponit, prout rerum, temporumque qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Greg. XV. edidit Con. circ. Reformat. Strict. Observantiæ S. Francisci, quæ à me prætermissa sunt, quia in §. seq. revocantur.

§. 1. Aliàs siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV. prædecessor noster dilectos filios Antonium Strozium, & postea, eo à munere infrascripti officii absoluto, Aloysium à Cruce Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ Reformatorum nuncupatorum professores, prævia electione de ejus persona ad idem officium à Fra-

tribus

tribus facta, in Vicarios generales omnium Fratrum Reformatorum citrà montes commorantium, & existentium sub certis modo, & forma tunc expressis fecit, & constituit, deputavit, ac respectivè confirmavit, aliaque tunc expressa, tam super ipsius Vicarij generalis auctoritate, & jurisdictione, necnon Capituli generalis eorumdem Fratrum Reformatorum celebratione, quàm aliàs Fratrum ipsorum gubernio, regimine, atque directione statuit, decrevit, & ordinavit, prout in diversis ipsius Gregorii prædecessoris desuper in simili forma Brevis, & præsertim sub die 24. Novemb. 1621. ac die 7. Decemb. 1622. expeditis literis, quarum tenor præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

Hic Pont. eas pro eorum magis prosperò regimine revocat.

§. 2. Nunc verò Nos dictorum Fratrum paci, & quieti, necnon salubri, prosperoque eorumdem regimini, atque directioni, quantum cum Domino possumus, peramplius consulere volentes, de consilio dilectorum filiorum nostrorum Dominici Basilicæ SS. Duodecim Apostolorum Gimnasii, Fabritii S. Augustini Veralli, Gabrielis S. Bartholomæi in Insula de Treje; Scipionis S. Susannæ ac Petri S. Salvatoris in Lauro titulorum S. R. E. Presbyterorum Cardd. Valerii nuncupatorum, quibus negotium unionis eorumdem Fratrum Reformatorum Fratribus ejusdem Ordinis de Observantia, seu de familia nuncupatis examinandum commisimus; Deputationes, electiones, & confirmationes, de Antonii, & successivè de Aloysii prædictorum personis in eorumdem Fratrum Reformatorum Vicarios per eumdem Gregorium prædecessorem, ut præfertur, respectivè factas, singulasque ipsius Gregorii prædecessoris literas, ac omnia, & singula in illis quomodolibet contenta, & expressa, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, annullamus, viribusque, & effectu omninò evacuamus.

Sub obedientia Gen. Ministri de Observan. degere statuit juxta Constitut. Gregor XIII. Clem. VIII. & Pauli V.

§. 3. De cœtero autem perpetuis futuris temporibus eosdem Fratres Reformatos nuncupatos sub obedientia Ministri Generaliis Minorum de Observantia, seu de familia similiter nuncupat, degere, prout degebant, & vivebant ante primodictas literas Gregorii prædecessoris, ac aliàs in omnibus, & per omnia secundum dispositionem literarum, seu Constitutionem recol. mem. Gregorii XIII. Clemen. VIII. & Pauli V. etiam Rom. Pontificium prædecessorum nostrorum.

Has indicavi supra in rub.

Eidem Ministro Hospitium S. Isidori nuper in urbe pro discal. Hispan. & Indiarum institutum subjecit.

§. 4. Hospitium verò S. Isidori de Urbe, pro Provinciis Reformatorum Discalceatorum Hispaniæ, & Indiarum, dicto Ministro generali subjici, qui pro sua prudentia Religiosis ex illis Provinciis ad Romanam curiam venientibus providere valeat, reservatis omnibus juribus Ecclesiæ fundatori, seu constructori, quomodolibet competentibus, quatenus adsint, & competant.

Const. Clem. VIII. quæ est 13. fol. 44. observari mandat.

§. 5. Constitutiones præterea dicti Clementis prędecessoris, sub Dat. Tusculi 12. Octob, 1596. Pontificatus anno 5. quæ incipit, pro injuncti Nobis, omninò observari.

Reformati quod vocem habeant in Capitulis declarat.

§. 6. In Capitulis autem tàm provincialibus, quàm generalibus Fratrum de Observantia, seu de familia prædictorum, eosdem Fratres Reformatos, passivam, qui verò deputari, seu electi fuerint in Capitulis provincialibus, juxta constitutiones Clementis, & Pauli prædecessorum prędictorum, etiam activam vocem habere.

Ministrique Generalis auctoritatem in eosdem.

§. 7. Ministrumq; generalem prædictum quemvis ex Religiosis Reformatis hujusmodi in alicujus Provinciæ Commissarium interdum ad sui libitum deputare posse, eumdemque Ministrum generalem, eos ex reformatis, qui ad illos de Observantia, seu de familia de utriusque Superioris, & aliorum licentio juxta literas dicti Pauli prædecessoris desuper editas transire voluerit, recipere, & admittere debere, illi autem sic transeunti, si durante deliberationis anno, ad Reformatos redire voluerit, regressum non denegandum; finito autem deliberationis anno, hujusmodi regressum illi concedendum nullatenus, nisi eo modo, quo transitus ad Reformationem Fratribus de Observantia, seu de familia conceditur: à Fratribus verò de Observantia seu de familia ad Reformatos transire volentibus, Clementis, & Pauli prædecessorum prædictorum Constitutiones, ipsiusque Pauli decreta super hoc emanata inviolabiliter observanda.

Custodes Reformatorum, ut congregari possint, decernit.

§. 8. Ad hæc in Capitulis generalibus ejusdem Ordinis in Italia celebrandis, omnes custodes congregari ad Statua felici eorum gubernio opportuna condenda. Et quando Capitula generalia, sive Congregationes hujusmodi non celebrabuntur, Custodes singulis trienniis in Alma Urbe nostra cum assistentia Protectoris pro tempore existentis pariter congregari.

Visitatoresque duo ut eligi valeant.

§. 9. Unum verò pro Regnorum Neapolis, & Siciliæ, & alterum ex ipsis Reformatis Visitatores pro reliquis Italiæ reformationibus ab eisdem Custodibus de triennio in triennium, de nostro tamen, vel Rom. Pont. ac ejusdem Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris pro tempore existentium respectivè consensu eligi.

Et quando Minister Gen. contra Reformatos procedere possit

§. 10. At contra quos, seu eorum quemlibet si deliquerit, Generalem Ministrum, cum interventu Procuratoris eorumdem Reformatorum, ac majori parte Custodum sui districtus procedere posse, ac debere.

Vel à Conventibus removere.

§. 11. Porro Fratres Reformatos ab eorum Conventibus, nisi ex causa in difinitorio illius reformationis, vel ab eodem Protectore probata removeri minimè posse.

Const. Clem. VIII. de Noviciis recip innovat. Hæc est Constit. 45. supra t. 3. fol. 44.

§. 12. Constitutionem autem de non admittendis ad habitum ab Observantibus, seu de familia Noviciis, sed à Reformatis, tum juxta decreta ejusdem Clementis prædecessoris innovari, ac inviolabiliter observari volumus, decernimus, innovamus, constituimus, & declaramus.

Decretum irritans, & clausula sublata.

§. 13. Decernentes etiam per præsentes literas, & in eis contenta quęcumq; semper & perpetuò valida, & firma, & efficacia esse, & fore, ac ab omnibus, quos illa concernunt, etiam inviolabiliter observari, sicq; per quoscumq; Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, & irritum, & inane, si secus super his àquoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus ipsius Gregorii prędecessoris literis, necnon omnibus illis, quæ in eis voluit non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumq;.

Transumptorum fides.

§. 15. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. Ann. 1 7. Martii.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. Martij, 1624. Pontificatus nostri anno primo.

XIII.

Confirmatio, & approbatio Privilegiorum, Indultorum, Facultatum, Exemptionum, Immunitatum, Libertatum, & aliarum gratiarum omnium quomodolibet concessorum Hospitali, & Religionis Sancti Joannis Hierosolymitani.

Alia de hac Militia habes sup. ad const. 2. Anast. IV. Christianæ, tom. 1. præter quæ habes etiam const. 30. Pauli V. de promovendis ad magnam Crucem. sub. tom. 3.

Novissimè hic Sanctissimus Pontifex confirmavit Decretum à Sacra Congregatione Cardd. Concilii Tridentini Interpretum, ad favorem hujus militiæ emanatum circa constit. Gregorii XV. de Conservatoribus infrà in const. 78. Exponi. Et etiam quamplura in electione Magni Magistri supradictæ Militiæ observanda sancivit in const. 84. in specula. hic infrà.

Edita An. D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

UNiversalis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam, meritis licèt insufficientibus præpositi, inter multiplices pastoralis officii curas illas peculiari sollicitudine libenter amplectimur, qua privilegia, gratiæ, & indulta Militiis, & Hospitalibus quibuslibet ad màjorem Dei gloriam, suæque Ecclesiæ Sanctæ exaltationem; illius verò hostium profligationem piè providèque instructis, à Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris concessa, quo majoris, validitatis munimine subsistant, Apostolicæ confirmationis patrocinio muniuntur, prout rerum, temporumque qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Leo X. & alii Pont. multa privil. concesserunt Hospitali, & ejus personis, ac inter alia exemerunt à solutione decimarum, & aliorum onerum.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias felic. record. Leo X. Clemens VIII. Paulus III. Pius IV. & Pius V. Romani Pontifices prędecessores nostri inter alia privilegia, & indulta dilectis filiis Magno Magistro, ac Conventui Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani à Sede Apostolica concessa, eumdem, & pro tempore existentem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Pręceptores, Milites, familiares, aliasque personas Hospitalis hujusmodi, necnon etiam subditos, vassallos, colonos, servitores, & alios in eorum obsequens & d. Hospitalis beneficiis, quomodolibet nuncupatis existen̄, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiù, illam exercent, & illorum obsequiis forent, illorumque animalia, prædia, domos, molendina, & bona quęcumque quæ obtinebant, ac in posterum obtinerent, & possiderent, à solutione, & exactione decimarum, censuum, jurium etiam synodalium, & canonicarum portionum, seù caritativi subsidii, aut jucundi adventus, seù quartæ, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcunque onerum sub certis modo, & forma exemerint, & liberaverint, prout in diversis ipsorum prædecessorum desuper confectis literis pleniùs continetur.

Et quia Ordinarii locorum, & aliæ personæ eos molestabant Greg. XIII. & alii Pont. de privilegia approbarunt, ac perturbari, districtius prohibuerunt.

§. 2. Et licèt ipsi Milites, & aliæ personæ prędictæ non debuissent à quoquam contradictorum privilegiorum tenorem, & formam molestari, perturbari, vel inquietari, cum ipsi non modo eorum facultatibus, & fortunis, verùm etiam sanguini, & vitæ pro tuitione Fidei Catholicæ non parcant; Nihilominus cum diversi locorum Ordinarii, ac parochialium Ecclesiarum Rectores, & multæ Capitulares personæ id sibi omninò juxtà Sacri Concilii Tridentini decreta, licere asserentes, eosdem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Pręceptores, Milites, & personas diversis oneribus contra eorum privilegia prę gravarent, illosque ad decimas, census, subsidia etiam caritativa, congruas portiones, jucundum adventum, Pastor bonus, aut aliàs nuncupata onera, etiam jura synodalia cogere pręsumerent in maximum ipsius Hospitali detrimentum, & Gravamen, fel. record. Gregorius XIII. Sixtus V. & Gregorius XIIII. similiter prędecessores nostri ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias, eisdem Magno Magistro, & Conventui, quomodolibet concessa, confirmantes, approbantes & innovantes; eos super præmissis quomodolibet molestari, iniquietari, ac perturbari districtiùs prohibuerant.

Pius IV. concessit eidem Conventui uniendi, & dismembrandi beneficia facultatem.

§. 3. Et propterea cum inter alia fel record. Pius Papa IV. prędecessor noster eisdem Magno Magistro, & Conventui inter cetera privilegia Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostæ, Commendas, & alia ejusdem Hospitalis beneficia liberè uniendi, & dismembrandi, facultatem concessisset.

Quam Greg. XIV. in constit. 5. sup. tom. 2. fol. 528. extendit, ac declaravit, & Clemens VIII. Paul. V. & Greg. XV. approbarunt.

§. 4. Et nihilominus à quibusdam quandoque dubitaretur, an ante, vel post mortem possessorum unio, seu dismembratio ipsa fieri posset, ac deberet, idem Gregorius prædecessor ad tollendum omne dubium, & ambiguitatem, quæ in præmissis in futurum oriri poterant, ut quandocumque eis videretur, sivè ante, sivè post mortem possessorum, Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostæ, & alia ejusdem Ordinis beneficia unire, & dismembrare, liberè, & licitè possent, & valerent; Necnon omnia, & singula privilegia, & exemptiones prædictas etiam ad Confratres, & Donatos ejusdem Hospitalis extendi deberent, decrevit, & declaravit; Ac decretum, & declarationem hujusmodi, aliaque præmissa fel. record Clem. VIII. Paul V. & Gregor. XV. Rom. Pont. similiter prædecessores nostri approbarunt & confirmarunt, prout in eorumdem prędecessoris litteris pleniùs continetur.

Nunc Pont privil. gratias exemptiones, immunitates per alios Pont. Magno Magistro Conventui concessas approbat, & confirmat.

§. 5. Nos itaque attendentes præclara ejusdem Hospitalis ergo fidem Catholicam, & Sedem Apostolicam promeritò, ac cupientes, ut privilegia, exemptiones, & gratiæ eò firmiùs subsistant, quæ sæpiùs ab eadem Sede confirmata extiterint, Magnum Magistrum, Priorem, Bajulivos, Castellanum Empostæ, pręceptores, Milites, & Fratres, & eorum singulos, singularesque de Hospitalis personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon omnium, & singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum, & gratiarum, per prędictos, & alios quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam Hospitali prædicto, illiusque Magno Magistro, Conventui, & Fratribus Militibus, aliisque personis prædictis concessorum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad Magni Magistri, & Conventus Hospitalis hujusmodi, aut alicujus alterius super hoc pro eis Nobis, oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia & de mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro, & Conventui quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulas præservativas ponit.

§. 6. Decernentes pręsentes literas ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quòd locorum Ordinarii vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minimè posse, minusque sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas esse, sicque ab omnibus conseri.

Ita judicari

§. 7. Et ita per quoscumque Judices, & Com-

missarios

statuit. missarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat. §. 8. Quocirca dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitañ, nostris, & Sedis Apostolicae pro tempore existentibus Nunciis, ac Curiae causarum Cam. Apost. generali Auditori per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quęcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Magni Magistri, & Conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Magnum Magistrum, & Conventum, confirmatione, approbatione, decreto, & aliis praemissis, uti, frui, & gaudere; non permittentes eos per Ordinarios praedictos, aut quoscumque alios contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, & poenas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariae prohibet. §. 9. Non obstañ piae me. Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad judicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, ordinationibus necnon juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis quibusvis personis, etiam prędictis locorum Ordinariis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolutis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu, & scientia, similibus etiam consistorialiter, & Fratrum nostrorum consilio, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Constit. 136. Pii V. sup. tom. 2. fol. 260. & Greg. XIII const. 60. fol. 329. & circa animarum curam Conc. Trid. censeri jubet. §. 10. Eorumdem autem praedecessorum vestigiis inhaerentes, volumus quòd fel. recor. Pii V. 22. Septembris anno sexto, ac Gregorii XIII. praedecessorum nostrorum literis sub Annulo Piscatoris 25. Novembris anno nono, Pontificatuum suorum expeditis, in suo robore, & efficacia permanentibus; pręsentes literae Ecclesias, & personas in his, quae ad curum animarum pertinent, in quibus decreta Conc. Trident. hujusmodi omninò servari debere intendimus, minimè, comprehendant.

§. 11. Ac quod praesentium literarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae indignitate Ecclesiastica constitutae munitis, in judicio & extra illud ubique locorum plena & indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur; si forent exhibitae vel ostensae. Exemplis hujus bullę credi mandat.

Datum Romae apud S. Petrum; sub annulo Piscatoris, die 29. Martii 1624. Pontificat. nostri anno primo. D.P. An. 1. 20. Martii.

XIV.

Indictio Jubilei universalis pro Anno 1625. quo plenaria peccatorum venia indulgetur iis, qui Basilicas Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, & S. Joannis Lateranensis, ac Sanctae Mariae Majoris de Urbe visitaverint, & ibi pro totius populi Christiani salute pias ad Deum preces effuderint. Ac suspensio quarumcumque aliarum Indulgentiarum dicto Anno durante. Necnon ejusdem Jubilei concessio pro Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, aliisque Christifidelibus carceratis, & infirmis Romam venire impeditis.

De hac materia vide supra in secunda rubr. constit. 58. Clem. VIII. tom. 3. Scias autem quòd post. hujus Jubilei indictionem multa Oppida, Civitates, & Terrae Regni Siciliae pestilentiae morbo graviter affictari coeperunt; iste vero Summus Pontifex ad Urbem Romam totamque Ecclesiae ditionem conservandam ab hujusmodi periculo, & ad removenda impedimenta, quibus retardari possent Christifideles à visitatione, quatuor Ecclesiarum Urbis, deputavit Ecclesiam S. Mariae Transtyberim loco Ecclesiae S. Pauli extra moenia existentis unius ex praedictis quatuor, eidemque concessit (cumulativè tamen) omnes Indulgentias Ecclesiae antedictae S. Pauli, ut hic infra constit. 34. Paterna. Aliam quoque deputationem trium Ecclesiarum in Urbe, loco aliarum trium ex septem extra Urbem positarum, eadem ex causa factam habes inferius const. 37. Paterna.

URBANUS EPISCOPUS.

Edita A. D. 1624.

Servus Servorum Dei;
Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Evangelizat appropinquantem An. sanctum Iubilei celebrationem. OMnes Gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: non enim ut in veteri lege sacerdotalis buccinae clangore, sed Apostolicae vocis oraculo sacrosanctum Jubilei Annum, jam Regis seculorum beneficio appropinquantem, Vobis evangelizamus. Annum divino cultui dicatum ac ferventioribus Christianae pietatis studiis destinatum. Annum remissionis, ac veniae, tempus acceptabile, dies salutis. Licet enim nulla excurrant tempora, quae Divinae largitatis muneribus foecunda, spiritualibus nos non cumulent bonis, ac nunquam ad ineffabilem Dei misericordiam, ejus aspirante gratia, nobis aditus praecludatur; nihilominus tot, tantaque eo Anno ad hominum sanctificationem beneficia caelitus promanant, ut penè omnes sactos thesauros divina munificentia in Christifideles diffundere videatur. Quapropter si quinquagesimus Annus quem Deus Moysen sanctificare jussit, incredibili Hebraeorum plausu atqui inaestimabili gaudio excipiebatur, quanto magis decet Christianum orbem sacro Jubilei anno recurrente, laetari; Laboriosa eo tempore agriculturae opera intermittebantur: nunc proprio quisque parcens labori, fructus, quos Christi Domini, Deiparae Virgini, ac Sanctorum merita protulerunt, ubberimos percipit. Distracta tunc praedia, alienique juris effecta recuperabantur: nunc virtutes, dona, & merita, quibus

peccando meritò exuimur, liberali Dei misericordia recipimus. Exules tunc patriam repetebant: nunc ad cœlum, unde exulantes in hac lachrymarum valle miserè pererramus, iter nobis prꝗmonstratur, & aperitur.

Principes, & omnes ad illius celebrationem convocat, & invitat.

§. 1. Vos igitur Catholici Principes, qui tot decorum prꝗrogativis insigniti; ad Christianam pietatè promovendam arctioribus, quàm cœteri obligationis nexibus obstricti estis. Vos omnes Christifideles, quos Romana Ecclesia materno gremio complectitur; ad jucundissimam sacrosancti Jubilæi celebrationem, paterna, quæ urget Nos, caritate, vocamus, & invitamus, ac quasi turbam exaltantes vocem nostram prophetica in vos oracula convertimus, & clamamus. Audite hæc omnes Gentes, auribus, percipite qui habitatis Orbem; Adveniunt dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, ad salvandas animas, appropinquat tempus, quo Dei misericordia eos tandem convertat, quos fera ejus ulciscendi voluntas diù toleravit, humanæ vitæ brevitatem vobis ipsi ob oculos proponite: cogitate, nos instar aquæ dilabi, ac vitam nostram, velut à texente prꝗcidi. Et quamvis nonnulli ex Romanis Pont. prꝗdecessoribus nostris eidem Jubilei Anno concelebrando prꝗscriptum olim temporis spatium providè arctantes, tàm solemnem culparum remissionem, divinæque Justitiæ debitarum pœnarum relaxationem, intra angustiores annorum limites contraxerint; nihilominus ob paucitatem dierum nostrorum paucis illam redituram putantes, quæramus Dominum dum inveniri potest, invocemus eum dum propè est. Venite ergo ad locum, quem elegit Dominus, ascendite ad mysticam hanc Hierusalem, tot, tantisque à Deo beneficiis auctam, tot muneribus cumulatam, ut verè de ea dicatur Fluminis impetum lꝗtificare Civitatem Domini cœlestium nempè fluminis gratiarum, cujus opportuna irrigatione fidelium Animæ fœcundantur. Venite, & afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in Atrio sancto ejus, Hic, filii dilectissimi, verè confitebimini Deo in Ecclesia magna in populo gravi laudabitis eum; quandoquidem hꝗc est cœterarum Ecclesiarum Magistra, prima Catholicæ religionis Sedes Mater credentium, Orbis Caput, Vertex rerum, quapropter, & cœlestes benedictiones, quas sitis, hic non ex rivulis petetis, sed hauriatis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, aquas videlicet saluberrimas quibus haustis, efficietur in vobis fons aquæ salicentis in vitam æternam.

Jubilei celebrationem in proxim. An. 1625. indicit, & plenissim. impartitur Indulgent. visitantib. quatuor Cathed. Urbis Ecclesf.

§. 2. Hæc igitur Nos præ oculis, atque in votis habentes, Romanorumque Pont. prꝗdecessorum nostrorum vestigiis inhꝗrentes, & eorum pium ac saluberrimum institutum retinentes, de Venerab. nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, Jubilei celebrationem in Annum proximum 1625, à primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis D.N. Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, & per totum Annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quanto maximo possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem indicimus, & promulgamus. Quo ipso Jubilei Anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam Lateraneñ, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, necnon S. Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpellatos dies, si Romani, vel Incolæ Urbis, si verò Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies devotè visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impartimur.

Impeditis iter agendi ut Ecclesf. visitare, benigne providere de his, vid. latius hic inf.

§. 3. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte prꝗventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato prꝗmissa exequi, ac Ecclesiam, & Basilicas hujusmodi obire nequeant; Nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benignè favore cupientes, eosdem verè pœnitentes, & confessos, prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perindè fieri volumus, ac si Ecclesiam, & Basilicas prꝗdictas diebus à Nobis præscriptis re ipsa visitassent.

Prꝗlatis prꝗcipit ut omnes moneant, & instruant ad pia opera peragenda per hujusmodi Jubilei consecutionem.

§. 4. Vos autem Venerab Fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partem solicitudinis nostræ vocati, capite tubas argenteas, quarum usus est in Jubileo, adhibite prædicationem verbi Dei, & prꝗnunciate populis gaudium magnum, ut sanctificentur, & Dei juvante gratia, parati sint ad ea cœlestia dona capienda, quæ bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis suæ per ministerium humilitatis nostræ prꝗparavit. Ad cœlestia munera in hac Urbe percipienda, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, docete oves fidei vestræ creditas, quia advenæ, & peregrini sumus in hac vita, & civitatem hic permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Docete omnes, si unquam aliàs, nunc potissimum iras, rixas, contentiones, inveterata odia extinguenda propter Christum; nunc præcipuè omnes carnis sordes esse detergendas, ut templum Dei mundum sit, & unusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione, & portet Deum in corpore suo. Docete eos nunc maximè scelera detestanda esse, dandamque operam ne quis Christiano nomine abutatur. Docete, sacros Indulgentiarum thesauros lucrandi, spem omnem inanem esse, nisi quis contrito, & humiliato corde se ipsum præparare, & Christianis operibus exercere studeat. Qui autem divitiis abundant, aperiant viscera sua, fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, præcipuè verò erga Peregrinos Romam venientes, misericordes sint, & sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quàm vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionem fluctus, diligentissimè coluerunt, ipsi quoque multa hilaritate spiritus renovent, atque observent, faciantque sibi amicos de mammona iniquitatis, ut recipiantur in æterna tabernacula. Admonete etiam omnes, ut orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, & pax, ac concordia perpetuò conservetur. Postremo docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint qua modestia, qua devotione, qua fraternæ pacis observantia connecti eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Præbeat autem vos ipsos Fratres Venerab., & omnem clarum exemplum inprimis bonorum operum, & formam gregis, & vestræ virtutis, ac religionis veluti sale cœteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, & denique omnes unanimes in uno spiritu Christianæ caritatis, atque in omni sanctitate, & justitia Deo serviamus.

Principesq; hortatur ut ad pia opera & præcipuè ad Peregrinis subveniendum ardentius se agant.

§. 5. Hortamur quoque & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentiùs, ut par est, ad Dei gloriam procurandam, pio zelo excitentur; prꝗcipuè verò fratrum nostrorum Episcoporum, & superiorum Antistitum pastoralem sꝗdulitatem, & vigilantiam adjuvent, & magis à suis magistratibus, ac ministris adjuvari mandet, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum studia eorum regia ope, & gratia foveantur, maximè autem erga peregri-

nos

nos beneficentiam, & liberalitatem exerceant curentque ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus, domibus, & publicis hospitiis amanter excepti, & commeatu, &rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione, & injuria institutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placabilem reddent, ut diù in terris felices vivant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Exemplis hujus consti credi mandat.

§. 6. Ut verò præsentes literæ, ad omnium fidelium quibuscumque locis existen̄ notitiam faciliùs perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quæ haberetur iisde præsentibus, si exhibitæ forent, & ostensæ.

Sanctionem pænalem adjungit.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P.A. 1. 29. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1624. tertio Kal. Maii, Pontific. nostri anno primo.

Lectio, &

Anno à Nativitate Domini 1624. Indict. 7. die verò 16. Maii Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Papæ VIII. anno primo. Suprascriptæ literæ Apost. lectæ & public. fuerunt in atrio Basilicæ Principis Apost. de Urbe per me infrascriptum Abbreviat. de Curia.

Augustinus Hurandus Abbreviator de Curia.

Publicatio die 17. Maii 1624.

Anno Domini 1624. Indict. 7. die 17. Maii, Pontificatus Sanctiss D. N Urbani VIII. Pontificatus sui primo, suprascriptæ literæ Apost. public. & affixæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Io. Lateran. Principis Apost. de Urbe, ac Cancell. Apost. & in acie Campi Floræ dimissis ibidem earumdem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde amotis, deinde dimissis earumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Brandimartem Latinum prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Octavius Spada Mag. Curs.

Sequitur suspensio aliarum Indulgentiarum hoc Anno Sancto durante.

URBANUS PAPA VII.

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Relatio prædictæ indictionis Jubilei.

Cum nuper Sancti Jubilei celebrationem à vigilia Nativit. D. N. Jesu Christi anni proxime vent. inchoandam, & usque ad finem ejusdem Anni duraturam, universo populo Christiano de Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardd. assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœniten̄, & confessis, qui Beatiss. Petri, & Pauli Apostolorum Basilicas, & S. Joannis Lateran̄, ac B. Mariæ Majoris de Urbe Ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis literis pleniùs continetur.

Suspensio omnium aliarum Indulgent & facultatum absolvi, durante hoc anno Jubileum.

§. 1. Cupientes, ut Christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in Alma Urbe nostra in fidei, ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu, Basilicas, & Ecclesias prædictas, quo maximo fieri poterit, concursu durante eodem Jubileo visitent, & frequentent: multorum Romanorum Pont. prædecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes, & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolven̄, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibus suis Ecclesiis, Monasterii, Hospitalibus, etiam S. Jo. Hierosolymitani, domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Universitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam secularibus, quàm quorumvis etiam Mendicantium Ordinum regularibus personis, coronisq; granis, imaginibus, & numismatibus, ex metallo, seu quacumq, alia materia confectis, tàm singulariter quam universaliter per quoscumque Rom. Pontt. prædecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna fulgen̄, etiam ad instar jubilei, aut aliàs quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus, sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac aliàs quomodolibet concessis, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate, de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque & ea, eodem Anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere, irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et prohibitio in eas publicandi.

§. 2. Quocirca per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ quàm indicti à Nobis prædicti Jubilei Indulgentiæ sivè publicè, sivè privatim quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium, sub excommunicationis, eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandeatur.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apost. necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemtionibus, & indultis Apost. illis, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Rom. Pont. prædecess. nostros, ac Nos, & d. Sedem ejusque Legatos, sub quibuscumque ten̄, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis concessis, & confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresè, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur; nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissum hac vice dumtaxt specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§. 4. Et quia & difficile nimis esset, præsentes quocunque, ubi illis opus fuerit, præferri, volumus earum exemplis etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extra, ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti mandati, & voluntatis infringere,

fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

D. P. An. 1. die 2. Maji. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1624. sexto Non. Maii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Publicatio die 17. Maii. *Anno à Nativitate Domini N. Iesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, indictione septima, die verò 17. mensis Maii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. Pontif. sui primo, supradictæ literæ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Io. Lateran Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde amotis, & deinde dimissis earumdem literarum copiis affixis, ut moris est per nos Camillum Fundatum de Cesis, & Brandimartem Latinum S. D. N. Papæ prælibati Curs.* Octavius Spada Mag. Curs.

Sequitur ejusdem Jubilei concessio pro Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, aliisque Christifidelibus carceratis, & infirmis hoc anno 1625. Romam venire impeditis.

Edita A.D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Sanctimoniales eo quod in clausura vivunt. Pontificia sollicitudo, quamvis omnium Christifidelium saluti prospiciat, præcipuè tamen spiritualibus Sanctimonialium profectibus, paternæ caritatis affectu, studet providere; ipsæ enim sunt filiæ, quæ oblitæ populum suum, & domum Patris sui, & animi splendore cælestem Regem oblectant: ipsæ sunt prudentes virgines, quæ lampades suas, caritatis flamma succensas, providè aptantes, meliorem partem elegerunt, & dum vitam cælitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad Cœlum viam sternunt, sed jejuniis, vigiliis, & orationibus ceteris quoque Christifidelibus eam aperire student. Quare summoperè optandum est, ut vitæ rationem, quæ eas Angelis quodammodo æquat, constantissimè retineant, ac dent operam, ut sicuti præclaros hic agunt de carne triumphos, ita post hujus vitæ certamina in cœlesti patria feliciter coronentur.

Anachoretæ, & Eremitæ simile vitæ genus ducunt Ideoque ipsi Romam venire non valent. §. 2. Quoniam autem consimile vitæ genus quamplurimi Anachoretæ, atque Eremitæ, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt; spiritualibus quoque ipsorum incrementis, paternis visceribus, maximè ducimus consulendum. Cum igitur tam ipsi, quam prædictæ Sanctimoniales perpetua vivant clausuræ mancipatæ.

Neque carcerati, & infirmi. §. 3. Necnon multi, ut accepimus, utriusque sexus Christifideles, partim carceribus detenti, partim verò diuturna infirmitate præpediti non solum in Alma Urbe nostra, & Italia, sed in aliis etiam regionibus, provinciis, & locis reperiantur, qui & quæ respectivè impedimentis hujusmodi remotis pro percipiendis præsentis anni Jubilei fructibus, ast Almam Urbem nostram omninò venirent, & Basilicas, Ecclesiasque ad id deputatas, benedicente Domino, indubitanter visitarent; ob prædicta impedimenta, ad Urbem hujusmodi minimè venire, neque respectivè Basilicas, & Ecclesias ipsas visitare valeant.

Hic ideò Pontifex eisdem alio modo hic præscripto Jubilei Indulgentia concedit. §. 4. Nos pro pastorali officii nostri debito, paternaque caritate, illorum omnium animarum saluti, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes; Omnibus, & singulis Sanctimonialibus, nec non Anachoretis, atque Eremitis hujusmodi, nec non utriusque sexus Christifidelibus, tam carceratis, quam infirmis prædictis tantum, & qui, alias impedimentis longæ carcerationis, ac diuturnæ infirmitatis cessantibus, ad hanc Almam Urbem, pro thesauris spiritualibus hujusmodi consequendis, venturi fuissent, verè pœnitentibus, & confessis, quod in locis, ubi eos esse contigerit, pia Christianæ pietatis, & caritatis opera, juxtà formam ab ordinariis locorum seù Sanctimonialium, & Anachoretarum, Eremitarumque hujusmodi Superioribus, vel de eorum mandato, à prudente Confessario; in Alma verò Urbe à dilecto filio nostro Vicario, seù ejus Vicesgeren tantùm, præscribenda, pro cujuslibet statu & conditione, ac loci, & temporis ratione habita; exercendo, & alia nostris in literis indictionis Anni Jubilei contenta adimplendo, & omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones etiam plenissimam consequantur, & eorum quilibet consequatur, quas consequerentur, & consequi possent, si in hoc præsenti anno Jubilei, diebus ad id statutis, quatuor ad id deputatas Basilicas, & Ecclesias Almæ Urbis, & extra illius muros, pro quibus visitandis Jubileum, & Indulgentiæ prædictæ concessæ sunt, personaliter visitarent, & eorum quilibet visitaret.

§. 5. Eisdemque Sanctimonialibus, & Christifidelibus impeditis hujusmodi, ut ad effectum præsentium, Confessarios presbyteros seculares, vel cujusvis Ordinis regulares, ab eisdem Ordinariis locorum ad id probatos, qui confessionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet à quibuscumque peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla Cænæ Domini contentis, injuncta eis pœnitentia salutari, absolvere possint, eligere valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Et dat facultatem eligendi ad hunc effectum Confessarios locorum Ordinariis approbatos, qui eos ab omnibus peccatis absolvere possint.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariis prorogat.

§. 7. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Hujusque concessionis exemplis credi jubet.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 28. Januarii 1625. Pontificatus nostri Anno Secundo. Dat. P. Apost. 2. die 28. Jan.

XV. Edita A.D. 1624.

Declaratio, quod Indulgentia Portiunculæ in hoc Anno Sancto non revocatur.

Hanc Indulgentiam Plenariam perpetuam extendit ad omnia Ordinis Monasteria Fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum Greg. XV. Constit. 35. splendor paternæ &c.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium. Cum nupèr ob sacri Jubilei celebrationem à vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi anni proximè venturi inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam omnes, & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis locis piis secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis quomodolibet concessas, de Apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus, & suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris ut plumbo desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. 1.

Causa hujus declarationis.

§. 1. Nos cupientes ut Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum domus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia propè & extrà muros Civitatis Assisien, congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christifideles eo libentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint.

Indulgentia Portiunculæ eximitur a suspensis.

§. 2. Tenore præsentium declaramus, mentis, & intentionis nostræ minimè fuisse, nec esse sub prædicta Indulgentiarum suspensione Indulgentiam utriusque sexus Christifidelibus prædictam Ecclesiam die secunda mensis Augusti à primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi visitantibus, & requisita pro eadem Indulgentia consequenda peragentibus concessam comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis attestamur. In contrarium facien. non obstan quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 31. Julij 1624. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Derogat contrariis. D. P. An 1. die 31. Iu'.

V. Theatin.

XVI. Edita A.D. 1624.

Moderatio literarum Greg. XV. super divisione Provinciarum Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci Reformatorum Regni Siciliæ.

Pro bono regimine Provinciarum Fratrum Reformatorum vide Constit. 12. Romanus Pontifex, & Constit. 285. de non recipiendis pecuniis pro missis, in Prov Vallis Mazaræ Siciliæ, & Constit. 274. Militantis hujus Pontificis.

URBANUS PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ponit tenorem Brevis Greg. XV.

Alias à fel. rec Gregorio Papa XV. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris sequen. videlicet Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Nuper pro parte dilecti filii Innocentii à Clusa Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum professoris Nobis exposito quod omnes Ordinis, & Reformationis hujusmodi Regulares domus in universo Siciliæ Regno consisten unam tantum Provinciam constituebant: experientia verò compertum erat unum dumtaxat Custodem totam huiusmodi Provinciam, quæ circuitus octingentorum miliarium existit, nisi eques incederet, visitare non posse, id verò regularibus dicti Ordinis instituti Apostolica auctoritate confirmatis repugnare, ac preter ea gravissima inter Fratres ipsius Provinciæ inconvenientia, & perturbationes exoriri, cum occurrentes eorum necessitates suo superiori manifestari nequibant.

Causa hujus divisionis.

§. 1. Nos supplicationibus dicti Innocentii sui, ac tunc existentis Custodis, & majoris partis aliorum Fratrum dictæ Provinciæ Nobis notis tunc humiliter porrectis inclinati voluimus, & Apostolica auctoritate precipimus, & mandavimus, quod in proxima tunc futura Congregatione Fratrum Reformatorum Provinciæ hujusmodi per eumdem tunc existentem Custodem habenda, eadem Provincia in tres Provincias, juxtà tres Valles, nempè de Mazara, Demona, & Noto, ità ut unusquisque dictorum Fratrum Reformatorum ipsius Provinciæ in propriis domibus regularibus cujusque ex tribus Vallibus hujusmodi, ex qua oriundus esset degere deberet pro ut desuper ab ejusdem Provinciæ Visitatore, & Custode decretum fuisset, auctoritate predicta, divideretur, ac separaretur, dividique ac separari omninò deberet prout in nostris in simili forma Brevis sub die 14. Februarii proximè preteriti desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur

Dividitur juxta tres Valles.

§. 2. Hunc autem felici eorumdem Fratrum gubernio, ac directioni, quantum Nobis ex alto conceditur per amplius consulere volentes, supplicationibus dicti Innocentii nomine Nobis super hoc humiliter porectis inclinati, dilecto filio Visitatori eorumdem Fratrum jam destinato, per præsentes committimus, & mandamus, ut Capitulum quamprimum celebret, in eoque Provinciam prædictam, juxtà literarum hujusmodi formam, & tenorem separet, & dividat.

§. 3. Insuper, quod in eodem Capitulo tres Custodes modo infrascripti eligantur, videlicet ut à vocalibus domorum regularium cujuslibet Vallis, & Custodiæ unus dicti Ordinis professor in eadem Valle, & Custodiæ oriundus, in Custodem, necnon tres discreti Custodiales ejusdem Vallis eligantur, à quibus ea Custodia regatur, & gubernetur prout à Fratribus Minoribus dicti Ordinis, Capuccinis nuncupatis, in eodem Regno existentibus, fieri asseritur, ac iisdem modo, & forma, & non aliter divisiones, & electiones fiant.

Eligitur Custo in unaquaque Custodia.

§. 4. Et quia in eodem Regno nonnulli dicti Ordinis professores exteri, & diversarum nationum reperiuntur ad tollendum omnem difficultatem iis, tempus sex mensium concedatur ad deliberandum, in quam Custodiam, & Vallem se velint recipere, & facta deliberatione huiusmodi, nec illi, nec ex eodem Regno oriundi Fratres hujusmodi de una ad aliam Vallem absque licentia Vicarii Generalis Fratrum Reformatorum dicti Ordinis, ac unanimi consensu Custodum, & discretorum Custodialium utriusque Vallis, & Custodiæ transire possint, si eos ad aliam Custodiam transire contigerit, in illa per decennium votum passivum habere nequeant.

Fratres forensis infra sex menses eligant sibi Custodiam.

§. 5. Præterà ad obviandum perturbationibus quæ ex controversia oriri possent, quis sigilla habere debeat iisdem sigillis, qui cum imagine Sancti Michaelis Archangeli ad præsens reperiuntur, cum etiam ab aliis Fratribus reformatis Italiæ habeantur, amplius Custodes prædicti non utantur; sed pro Valle, & Custodia de Mazara cum B. Matthæi de Agrigento; & pro Valle, & Custodia de Noto cum Sanctæ Luciæ; ac pro Valle, & Custodia Demona cum Sanctorum Martyrum Placidi, & Sociorum Imaginibus sigilla respectivè fiant. Custodes autem pro negotiis in dictis Vallibus, & Custodiis pro tempore occurrentibus socium, qui eum in scribendo coadjuvet habere possint, cum, titulo, & nomine Scriptoris, non autem Secretarii qui propterea nullo privilegio, nullaque exemtione gaudeat, sed præcedentiam sibi ratione antianitatis in Religione competentem dumtaxat habeat. Quoque præmissis omnibus, & singulis non parentes, seu rebelles excommunicationis, ac privationis vocis, activæ, & passivæ penis ipso facto incurrant Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Decernentes nihilominus irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in prædictis literis nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Martii 1622. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Designatur sigillum unicuique Custodiæ.

Custos habeat scriptorem.

§. 6. Cum autem sicut dilecti filii Benignus à Genua Minister Generalis ejusdem Ordinis nec non Aloysius de Cruce eorumdem Fratrum Reformatorum in totiusque Siciliæ Regnis Visitator Apostolicus Nobis nuper exponi fecerunt circa interpretationem quarumdam clausularum in Constitutione prædicta contentarum, varia dubia, non sine multa eorumdem Fratrum perturbatione, divinique cultus detrimento exoriantur;

Causa moderationis.

videlicet

videlicet ut à vocalibus domorum Regularium cujuslibet Vallis, & Custodiæ unus dicti Ordinis professor in eadem Valle, & Custodia oriundus in Custodem eligatur, necnon si Fratres ad aliam Vallem transire contigerit, in illa per decennium votum passivum habere nequeat; ac etiam super istius verbi oriundus significatione nonnullique pariter inter eosdem Fratres reperiantur, qui similiter in dubium revocant, cujus ipsi Vallis sint.

§. 7. Nos præmissis quantum cum Domino possumus benignè consulere, necnon Benignum, & Aloysium prædictos spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis suspensis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis: censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati extiterint ad effectum præsentium dumtaxat consequendi harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Clausulas prędictas ad Constitutionum generalium ejusdem Ordinis dispositionem auctoritate prædicta reducimus, & moderamur: quo autem ad verbum oriundus spectat, unumquemque dictorum Fratrum in eisdem Vallibus ad præsens existentium, eo qui in cujus pacifica, seu quasi possessione reperitur, effectum prædictarum literarum gaudere; Posterioris verò dubii declarationem in Capitulo, sive Congregatione Custodiali ad hunc effectum facieñ fieri, atque de cætero usum & praxim dicti Ordinis servari debere. Irritumque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus præmissis, omnibus illis, quæ in præinsertis literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris die 10. Maji 1624. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Declarat quomodo observandę sint clausulæ.

D. P. Ann. 1. die 10. Maij.

V. Theatiñ.

XVII.

Approbatio quorumdam Statutorum in Capitulo Generali Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula editorum, circa ea, quæ agenda sunt in casu mortis Patris Generalis totius Ordinis.

Ultra, quæ habes ad const. 5. Sixti IV. Sedes sup. tom. 1. Scias istis Fratribus ambitum prohibuisse Paul. V. in const. 117. Admonemur, sup. & paulo post à quodam Joanne Pizzullo in Urbe institutum fuisse Collegium pro Fratribus Studentibus hujus Ordinis Nationis Calabren., prout videre est in constit. 5. Ex injuncto, hujus Sanctissimi Pont. hic sup. Cum alia const. incipien. Inter cætera, prædictæ subsequen. qua prohibetur administratio tam dicti Collegii, quam ejus bonorum aliis Fratribus, quam dicti Ordinis, ac Provinciæ Calabriæ. Confirmationem demum omnium privilegiorum ipsius Ordinis ab ipso S. D. N. factam, lege inf. constit. 20. Injuncti.

Hæc statuta hoc loco posui pro indigentium commoditate.

Edita Año Do. 1624.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

UT ea, quæ pro personarum quarumlibet præsertim Regi sæculorum obsequiis sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, prospero, felicique regimine facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò, & illibata persistant, libenter, cum à Nobis petitur, Apostolicæ confirmationis patrocinio communimus, pro ut conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sanè nomine dilecti filii Ægidii Camart. Correctoris Generalis Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula Nobis nuper expositum fuit, quòd aliàs pro felici ejusdem Ordinis directione, & præsertim illius Vicarii Generalis electione nonnulla Statuta condita fuerunt tenoris subsequentis videlicet.

Expositum fuit Pont. multa o.im Statuta fuisse à Cap. gen. circa electionem Vicarij in casu Mortis P. Generalis, eaque Ap. auctoritate confirmata.

Primò, statutum fuit in Capitulo Generali ejusdem Ordinis habito Paulæ Anno 1535. auctoritate Apostolica confirmato, quòd si contingeret (quod Deus avertat) Reverendiss. Patrem Generalem diem claudere extremum; fiat de Vicario Generali electio per ejusdem Generalis socios cum Rev. Patre Provinciali illius Provinciæ, in qua morietur, vel ei proximioris, si extra Provinciam quandam morietur, ac sociis illius, & Correctore locali ubi morietur, vel proximioris Conventus. Qui omnes simul prędicti Electores de toto gremio Religionis unum in Vicegeneralem usque ad proximum Capitulum generale celebrandum eligant, ita tamen quod nullus prædictorum eligentium ad prædictum officium assumi valeat; hic autem in prędictum Vicarium, etiam pro quocumque tempore assignatus in Generalem immediatè postmodum reeligi, & deputari valebit.

§. 2. Deinde in ultimo generali Capitulo ejusdem Ordinis habito Romæ in Conventu Sanctissimæ Trinitatis anno 1623. sessione decima quæsitum fuit, an in casu mortis Reverendissimi Patris Generalis (quod absit) standum esset in numero electorum jam ab aliis Capitulis deputatorum; an potius idem numerus esset augendus: & variis hinc inde discussis rationibus, tandem negotium remiserunt Patri Generali, qui una cum suis Collegis, consulto etiam Illustrissimo Protectore, determinarent, quid esset agendum. Quapropter facta circa hoc matura consideratione, prout infra statuendum consentaneum duximus.

Quibus postea in alio Cap. Gen. Roma celebrato anno 1623. nonnulla alia addidisse, ut hic.

Dispositio circa electionem Vicarii Generalis, Primò de morte Generalis, & quis erit ejus Vicarius usque ad electionem.

Patre Generali claudente diem extremum, continuò antiquior ex Collegis, qui tunc præsentes aderunt, accipiat utrumque sigillum Ordinis, & Vicegeneralis fungatur officio tantisper, donec cum Patribus Electoribus, ad electionem Vicarii Generalis procedatur.

Secundò, de monendis Superioribus Ordinis circa mortem Generalis.

Præfatus Pater Collega in Vicarium institutus, ut primum mors Patris Generalis acciderit, notam illam faciat omnibus Provincialibus Ordinis, tum ut debitæ orationes, & sacrificia pro anima defuncti offerantur; tum ut Electores futuri Vicarii generalis præparent se ad electionem faciendam.

Tertiò, de potestate Collegarum Sede Generalis vacante.

Quamdiu Sedes Generalis vacabit, non poterunt Collegæ ullam visitationem facere, neque instituere ullos Provinciales, aut alios Superiores, neque illos deponere. Non poterunt etiam ulla Statuta condere, vel aliquem Fratrem privare, aut rehabilitare, neque ullam rem magni momenti expedire, sed omnia reservabuntur Vicario generali futuro. Poterunt autem urgentia negotia, & quæ celerem resolutionem requirunt, expedire, fratresque scandalosos punire.

Quarto, de electoribus Generalis.

Ex qualibet natione Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ quatuor Patres convenient ad locum destinatum cum tribus Patribus Collegis generalis

prædefuncti, ut eligant simul Vicarium generalem, nempè duo Provinciales, & duo Commissi ex qualibet natione.

Quintò, de Provincialibus, & quomodo assumi debeant.

Porrò Provinciales assumentur secundum ordinem antiquitatis Provinciarum, mutando de sexennio ad sexennium juxtà seriem dictarum Provinciarum, exempli gratia in hoc sexennio habebunt jus electionis pro Italia Patres Provinciales, S. Francisci, & Messanæ; pro Gallia Turonensis, & Franciæ, pro Hispania Granatensis, & Castellæ; in futuro autem sexennio duo alii Provinciales Provinciarum proximè succedentium in qualibet natione secundum antiquitatem, & ita deinceps de sexennio in sexennium, donec impleatur numerus Provinciarum cujuslibet nationis. Poterunt autem Provinciales, quibus continget in suo ordine interesse electioni Vicarii generalis, causa evidentis infirmitatis substituere Vicarium, prout fit in Capitulo generali

Sextò, de Collegis Patris Generalis morbo detendis.

Similiter si Patres Collegæ Generalis, vel illorum alter morbo aliquo ità detineantur, ut non possint adire locum ad electionem destinatum, poterunt substituere aliquem Patrem idoneum ex illa natione, cujus sunt Collegæ, qui literis authenticis munitis jus habebit in electione.

Septimò, de Commissis.

Commissi verò non assumentur ex ejusdem Provinciis, ex quibus Provinciales veniunt ad electionem, sed ex duabus Provinciis proximè succedentibus, ad hoc, ut plures cujuslibet nationis concurrant ad electionem Vicarii Generalis.

Octavò, à quibus fieri debeat electio Commissorum.

Ipsi verò Commissi eligantur respective in suis Provinciis à Provinciali, Collegis, & Definitoribus Provinciæ, veniantque ad locum deputatum muniti literis authenticis suæ deputationis.

Nonò, de Correctore Conventus ubi moritur Generalis.

Ceterum si Pater Generalis decedet in aliquo Conventu, Superior illius Conventus veniet ad electionem Vicarii generalis futuri, & tunc pro illa natione, in qua est ipse Corrector, non eligatur nisi unus Commissus, nempè in antiquiori Provincia ex duabus, quæ venient in ordinem, ad hoc ut votorum sit paritas in qualibet natione, & Provincia, in qua non fuit electio, pro hac vice carebit suo voto, ita ut in subsequenti sexennio assumantur Commissi ex aliis duabus Provinciis immediatè subsequentibus.

Decimò, de morte Generalis extra Conventus.

Si verò contingat Patrem Generalem mori extra Conventum, ut puta in itinere, vel in mari, vel in alio quovis loco, secundum quod frequenter accidit inter immensa pericula viarum, tunc nullus ex Correctoribus vicinioribus loci decessus hujusmodi intererit electioni, sed tantùm Provinciales, & Commissi.

Undecimò, quod semper Corrector Conventus ubi morietur Pater Generalis, votum habeat.

Quamquam verò Commissi nullo modo assumi debeant ex eisdem Provinciis, ex quibus Provinciales votum habebunt in electione nihilominus Pater Corrector Conventus, in quo obierit Reverendiss. Pater Generalis, semper votum habeat, etiamsi reperiatur in illa Provincia, in qua continget Provincialem esse vocalem.

Duodecimò, de notificatione electorum in Capitulis Generalibus.

Ut autem tota Religio noscat, qui nam ex Provincialibus, & Commissis debeant habere votum pro futuro sexennio in electione Vicarii generalis causa mortis, in quolibet generali Capitulo, inter reliqua Statuta ponatur hujusmodi decretum. Si contingat Reverendiss. Patrem Generalem diem obire (quod Deus avertat) pro futuro sexennio ij erunt electores Vicarii generalis una cum Patribus Collegis defuncti Generalis, nempè pro natione Italica Patres Provinciales talis, & talis, & talis talis Provincia mittant suos Commissos; pro natione verò Gallica talis, & talis Provincialis, & talis, & talis Provincia mittant suos Commissos; pro natione verò Hispanica talis, & talis Provincialis, & similiter talis, & talis Provincia suos Commissos destinabunt: & hoc inviolabiliter servabitur in futuris Capitulis generalibus.

Decimotertiò, de notificatione loci, in quo obiit Pater Generalis.

Spectabit autem ad Patrem Collegam, cui commissa erunt sigilla Religionis, dum significabit mortem Generalis omnibus Provinciis Ordinis, simul etiam notificare Conventum, in quo prędictus Pater Generalis obierit, ut sciatur, quod Superior illius Conventus debet habere votum in electione, & quod proinde in illa natione, in qua situs est ille Conventus, non debet fieri electio, nisi unius Commissi, nempè in antiquiori Provincia, ex duabus illis, quæ veniunt in vice sua, quoniam Superior Conventus cum sit ejusdem nationis, supplet pro altero Commisso. Si verò extra Conventum obeat Pater Generalis, & hoc ipsum notificabit prędictus Pater Collega Generalis, ut sciant quælibet nationes, sibi deligendos esse duos Commissos.

Decimoquartò, de loco, in quo fieri debet electio.

Si Pater Generalis diem claudat Romæ, electio fiet Romæ, & illuc omnes electores convenient, & quidem si moriatur in Conventu Sanctissimæ Trinitatis, Pater Corrector illius Conventus votum habebit in electione, & computabitur pro natione Gallica, si vero in Conventu Sancti Andreæ, vel S. Francisci super illorum respectivè Conventum votum habebit pro natione Italica, porro in quocumque horum trium Conventuum obierit Pater Generalis in eo conveniant Patres electores ad faciendam electionem Vicarii generalis.

Decimoquintò, de Patre Zeloso.

Pater Zelosus votum habebit in electione Vicarii generalis in quocumque Conventu Romano decesserit Pater Generalis. Quo casu natio illa, de qua est Pater Zelosus, non mittet alium commissum, verbi gratia si Pater Zelosus sit Italus, & pater Generalis diem claudat in Conventu Sancti Andreæ, vel S. Francisci. Superior illius Conventus, & Pater Zelosus erunt electores, & cum sint ambo Italicæ Provinciæ, quæ deberent eligere Commissos, non eligent pro hac vice. Si Gallus fuerit, & Pater Generalis obeat in Conventu Sanctiss. Trinitatis, Corrector, & Zelosus similiter erunt electores, & ex Gallis non mittentur commissi. Si Hispanus, tunc unus tantum commissus veniet ex Hispania, nempè is qui eligetur ab antiquiori Provincia ex duabus, ut supra dictum est.

Decimosextò, de loco electionis quando Pater Generalis diem claudit extrà Romam.

Ac si contigerit Patrem Generalem obire extra Romam, ut puta dum visitat Provincias, conveniant omnes electores ad Conventum commodiorem pro nationibus, exempli gratia si de-

cedat Pater Generalis in Italia, omnes electores veniant ad Conventum Januensem, qui est confinio Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ; si in Gallia decesserit, electio fiet in Conventu Massiliensi, qui est vicinior aliis nationibus; si in Hispania, conveniant ad electionem in Conventu Barchinonensi, & hoc semper servetur pro regula in omnibus futuris electionibus Vicarii generalis.

Decimoseptimò, quo tempore debent convenire electores.

Quia verò Ordo valde extensus est, & oportet aliquod temporis spatium, ad hoc ut mors Patris Generalis toto Ordini innotescat, dabitur spatium quinque mensium à die obitus Patris Generalis usque ad diem electionis, sufficient enim duo menses ad notificandam mortem toto Ordini, & reliquum, ad hoc, ut electores conveniant ad locum electionis.

Decimooctavò, cujus erit indicere tempus, & diem, ac locum electionis.

Spectabit ad P. Collegam Generalem, qui in manibus habebit sigilla Religionis, eodem tempore, quo significabit mortem Generalis simul etiam indicare tempus, & diem, ac locum supra in c. 16. determinatum futuræ electionis, ità quod semper sint quinque menses integri inter obitum, & diem electionis; Provinciales verò, & Commissi, sub pœnis iisdem, quæ sunt statuta contrà eos, qui non intersunt Capitulis generalibus, sint obligati statuto tempore præsentes esse in loco, in quo fieri debet electio futuri Vicarii generalis, si qui verò fuerint absentes; elapso tempore præfinito, continuò præsentes procedant ad electionem, amplius non expectando.

Decimononò, de Præside Capituli in electione.

Quando omnes Electores convenerint, præsidebit in Capitulo Pater Collega Generalis, cui commissa sunt sigilla Ordinis absque aliquo respectu Provincialium.

Vigesimò, quisnam potest eligi in Vicarium generalem.

Omnes electores sic coadunati poterunt ex toto Ordine eligere in Vicarium generalem, quem magis idoneum judicaverint, etiam ex corpore ipsorum electorum, si qui inter ipsos magis capaces, & ad hoc officium magis idonei reperiuntur.

Vigesimoprimo, de potestate Vicarii generalis electi.

Qui verò electus fuerit in Vicarium generalem statim fungetur officio suo secundum exigentiam negotiorum juxtà privilegia ejusdem Ordinis, sicut hactenus factum est.

Vigesimosecundo, de notificatione electionis Vicarii generalis.

Statim atque facta fuerit electio Vicarii generalis, curabunt Patres electores, ut notificetur per omnes Provincias Ordinis, & ideò mittent ad omnes Patres Provinciales authenticas literas electionis à se factæ.

Vigesimotertio, quibus expensis Patres convenient ad electionem.

Justum est, ut Patres Collegæ Generalis conveniant ad locum electionis expensis suarum respectivè nationum, Patres verò Provinciales, & commissi expensis suarum Provinciarum sicuti fit in Capitulis generalibus.

Vigesimoquartò, quid faciendum in casu, quo Pater Generalis diem claudat extremum post expletum quadriennum sui Generalatus.

Si Pater Generalis obeat post expletum quadriennium sui officii, tunc ij eligent Vicarium generalem, qui tam olim deputati fuerunt à Capitulo generali Paulitano, quibus adjungentur Pater Provincialis vicinioris Provinciæ cum suis Patribus Collegis, ut major sit votorum numerus, si verò fuerit discrepantia, quæ nam sit vicinior Provincia, tunc posita æquali distantia, antiquior Provincia votum habebit.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Ægidius prædictus plurimum cupiat statuta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & inviolabili observatione Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. Ideò Nobis totius Ordinis prædicti nomine humiliter supplicari fecit, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Modo autem supplicat Pontifex, ut ea omnia Apost. auctoritate communire dignetur.

§. 4. Nos igitur ejusdem Ægidii desideriis in præmissis annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequeñ, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum consilio, statuta præinserta hujusmodi, ita tamen, ut à Capitulo generali ejusdem Ordinis proximè celebrando rursus examinentur, atque approbentur, alioquin ex eo tempore præsens confirmatio nulla prorsus atque irrita sit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Qui ea approbat, & confirmat, suppletque defectus dumodo in Cap proximè celebrando iterum examinentur & approbentur.

§. 5. Ipsaque statuta in prædicto Ordine, si ab eodem Capitulo denuò examinata, & probata fuerint, ut petitur, perpetuò observari debere, irritumque, & inane si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Et ita approbata observari decernit.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque. Contrariis remotis.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Maji 1624. Pontificatus Nostri Anno Primo. Dat. P. An. 1. 29. Maji.

XVIII.

Confirmatio, & Renovatio Constitutionum fel. record. Pii V. & Sixti V. super solutione Communium Annatarum, & Quindenniorum, ac Indicatione Unionum.

Hoc etiam jussit Paulus Quartus in sua Const. 17. Decens tom. 1. & Pius V. Const. 38. Apostolica tom. 2. & ampliavit Sixtus V. Const. 33. Cameræ tom. 2. ubi plura de hac materia notata invenies.

URBANUS PAPA VIII.
Motu Proprio &c.

Edita A. D. 1624.

ALiàs fel. rec. Pius Papa Quintus Prædecessor noster providè considerans quod Annatarum Communium, & aliorum jurium Cameræ Apostolicæ debitorum exactio in recognitionem universalis dominii introducta est antiquissima: quindenniorumque usus, & solutio, ideò adinventi fuerunt ne Cameræ prædictæ ex Monasteriorum, Prioratuum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum unionibus, quæ amplius vacare non sperabantur detrimentum aliquod induceretur. Volens propterea dictæ Cameræ, ac Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, necnon dilectis filiis Cancellariæ Apostolicæ Exordium. Causa hujus Const.

Officialibus

Officialibus de Communibus Annatis, & Quindenniis participantibus jura preservare, illorumque indemnitati consulere. Motu simili & c. omnia & singula Cathedralium etiam Metropolitanarum, Ecclesiarumque Collegiatarum, Capitula, Congregationes, Universitates, Collegia, Hospitalia, ac pia loca, & quasvis alios in quorum favorem tàm saecularium, quàm quorumvis Ordinum Regularium, Monasteria, Prioratus, Prępositurae, necnon dignitates, & alia quęcumque beneficia Ecclesiastica unita, annexa, & incoporata, seù applicata existerent, & illorum uniones eis factae reperientur quantum cumque exempta, & privilegiata existerent, etiamsi se super inde in Camera Apostolica non obligassent, dummodò Monasteria, seu beneficia ipsa possiderent ad solutionem Communium Annatarum, & aliorum Jurium prędictarum eisdem Camerae, Collegio, & Officialibus ratione unionum, annexionum, seù applicationum praedictorum singulis quindecim Annis à die qua illae suum sortitae fuissent effectum faciendam teneri & obligatos esse, & ad id per sententias, censuras, & poenas in singulis Pauli Secundi, & aliorum Prędecessorum suorum Summorum Pontificum literis contentas cogi, & compelli posse decrevit & declaravit. Mandans propterea bon. mem. Hyeronimo tunc Episcopo Maceratensi & Camerae Apostolicae Clerico, Annatarumque Judici tunc existenti, ut pro faciliori indagatione unionum prędictarum omnia & singula Cathedralium etiam Metropolitanarum, & Collegiarum Ecclesiarum, Capitula, Collegia, necnon tàm virorum, quàm mulierum seculares, & quorumvis Ordinum Regulares, Congregationes, seu Collegia, & pia loca hujusmodi eorumdemq; Pręlatos & Procuratores ad indicandum & profitendum medio juramento omnia & singula Monasteria, Prioratus, Prępposituras, Prępositatus, Parochiales Ecclesias, & alia quęcumq; beneficia Ecclesiastica, quae ipsa Capitula, Congregationes & alia loca prędicta possiderent, & quo titulo illa possidebant, illorumque annuos valores sub privationis, & aliis in literis, in forma Motus proprii Pii V. Prędecessoris hujusmodi contentis sententiis, censuris, & poenis in Romana Curia, & extra eam moneret, & requireret. Et successivè fel. record. Sixtus Papa V. etiam Prędecessor noster attendens, quod tantumdem detrimenti Camerae, Collegio, & Officialibus prędictis ex unionibus; quae ab Ordinariis locorum, & aliis fiunt provenit, ac propterea aequum esse censuit, ut quod in unionibus per Sedem Apostolicam factis locum obtinet illud idem, & fortiùs in unionibus per ipsos Ordinarios factis & faciendis observaretur, & licet in Constitutionibus, & literis prędecessorum suorum comprçhendi viderentur, tamen, ut cujusvis disputandi occasio praecideretur motu & scientia similibus de Apostolicae potestatis plenitudine statuit, decrevit, & declaravit quod uniones, annexiones incorporationes, applicationes, & submissiones de quibuscunque Beneficiis Ecclesiastici tàm saecularibus, quam Regularibus, etiamsi Monasteria Monialium, & Hospitalia fuissent, quae tamen tempore ipsarum unionum Cura, Conventu, & Hospitalite caruerint, & quorum singulorum, vel si plura Beneficia unicis literis comprehensa sint, quorum quilibet annuus valor 24. ducatos auri de Camera secundum communem aestimationem valoris non excederet dummodò tamen omnium insimul illud transcenderet cuicumque Ecclesiae, Monasterio, Collegio, Domui, Societati, Congregationi; Ordini, Militiae, Hospitali, Seminario, aut alii loco pio tàm per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores suos, necnon per Sedis Apostolicae Legatos, Nuncios, & alios quoscunque Subdelegatos, aut aliàs quomodolibet auctoritate Apostolica, quàm per quemcumque loci Ordinarium in qualibet mundi parte hactenus factae, & in futurum faciendae etiamsi manualia, & de Jurepatronatus Laicorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, Baronum, Comitum, & aliorum Nobilium, & Illustrium Beneficia illa fuerint sub dictorum Prędecessorum Constitutionibus & declarationibus omninò comprçhendi & includi, & ab omnibus comprçhensae & inclusae censeri voluit, & ad solutionem Quindeniorum teneri, & obligatos esse, & ad id cogi & compelli posse declaravit. Mandavitq; bo. mem. Alexandro Gloriero Camerae Apostolicae Clerico, & Annatarum tunc Judici, ut pro faciliori indignatione unionum praedictarum omnia, & singula Cathedralium etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Ecclesiarum, Capitula, & alia loca pia prędicta moneret, & requireret, ut profiterentur medio in juramento omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, quae vigore similium unionum quomodolibet possidebant, illorumq; annuos valores, juxta prefati Pii V. Prędecessoris Constitutiones cum facultate citandi, & inhibendi, & aliis in literis in forma Brevis sub Dat. 14. Maij 1586. dicitur contineri.

§. 1. Cùm autem sicut accepimus, & sicut etiam nobis iñotuit adsint quamplurimae uniones, & applicationes à dicto tempore citra factae, quarum notitia à Camera & Cancellaria Apostolicis desideratur, Volentes igitur, tam Camerae nostrae Apostolicae, quàm Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ac dilectis filiis nostris Cancellariae Apostolicae Officialibus de Annatis participantibus consulere, Motu simili, & ex certa scientia nostra quascumque tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, & Motus proprii literas eorundem Pii & Sixti Quinti, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum super solutione, Annatarum communium Quindeniorum, & aliorum Jurium, tàm ratione Provisionum, seù unionum perpetuarum quorumcumq; Beneficiorum Ecclesiasticorum per Sedem Apostolicam factarum & faciendarum editas, confirmatas, & innovatas, cùm omnibus clausulis, decretis, derogationibus, ac censuris, & poenis in illis contentis, necnon omnia & singula per quoscumque Judices, Exequutores, & Commissarios in prçmissis, & circa ea quomodolibet gesta & exequuta, & indè legitimè sequuta quçcunquae, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum hic inserti essent pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, necnon illis perpetuae, & irrefragabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos, Juris & facti ac alios defectus si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus, atque illas & illa quatenus opus sit, innovamus. Confirmat hic Pont. Const. Praedecess. & defectus supplet.

§. 2. Mandantes propterea dilecto filio Magistro Hieronymo Raymundo dictae Camerae Clerico, cui nuper à fel. record. Gregorio XV. Praedecessore nostro omnes, & singulae causae inter dilectum filium Gasparem Rivaldum Cancellariae Apostolicae generalem Subcollectorem ex una, & quascumq; Congregationes, Capitula, Collegia, loca pia, & quasvis alias personas ax altera partibus super solutione Annatarum comunium & aliorum Jurium Quindeñiorum eorumdem comissae reperiuntur, & aliis in ejus locum per Nos, vel successores nostros subrogandis Judicibus, ut pro faciliori indagatione unionum, annexionum, incorporationum, seù applicationum praedictarum omnia, & singulà Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, Societates, & alia loca pia, prędicta, eorumq; Praelatos, & Procuratores ad indicandum & profitendum medio juramento omnia, & singula Monasteria, Prioratus Ptaepposituras, Praepositatus, Parochiales Eccle- Executoris deputatio.

ſias, & alia quæcumque beneficia Eccleſiaſtica etiamſi manualia, & de Jurepatronatus, ut præfertur, fuerint quavis auctoritate Apoſtolica, ſeù Ordinaria, aut Subdelegata eis unita, & conceſſa, quæ ipſa Capitula, Collegia, Seminaria, Congregationes, & alia loca pia præfata vigore unionum hujusmodi poſſident, illorumq; annuos valores ſub privationis, & aliis in literis dictorum Pii, & Sixti V. prædeceſſorum hujusmodi contentis, ſententiis, cenſuris, & pœnis in Romana Curia, & extra eam moneant & requirant, cum poteſtate dicta Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, Societates, Hoſpitalia, & alia loca prædicta.

Tribuit facultatem compellendi per cenſuras.

§. 3. Necnon eorumdem Quindeniorum, & Jurium debitores in præſentibus noſtris literis comprehenſos, etiam per Edictum publicum, conſtito ſummariè de non tuto acceſſu tam in dicta Curia, quàm extra eam citandi, monendi, & requirendi, ac eis, & aliis quibusvis, & quoties opus fuerit, ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac pecuniariis eorum arbitrio ferendis, ſtatuendis, moderandis, & applicandis, ac etiam privationis Beneficiorum unitorum etiam ſimili Edicto inhibendi, ipſosque debitores ad indicandum beneficia unita, & ſolvendum Quindennia decurſa, etiamſi ad id in Camera Apoſtolica non ſe obligaverint, conſtito tamen de ſortito effectu unionum per ſimiles ſententias, cenſuras, & pœnas, etiam per interdicti tàm localis, quàm perſonalis appoſitionem per dictum Hieronymum, & ſubrogandos prætatos quoties opus fuerit ferendas & promulgandas, necnon fructuum, reddit,uum, & proventuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ ipſi Debitores poſſidebant pro quantitate eorum debiti ſequeſtrationem, & alia oportuna Juris & facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii ſecularis cogendi, & compellendi, ac in præmiſſis omnibus & ſingulis, etiam ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura Judicii, ſola facti veritate inſpecta, & aliàs more Camerali procedendi, ac eos qui ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas, ut præmittitur, incurrerint ab eisdem cenſuris, & pœnis prævia ſatisfactione abſolvendi, & liberandi, aliaque faciendi, gerendi, & exercendi, quæ in premiſſis neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obſtantibus quâcumque centenaria etiam completa, & etiam majori à Jure ſtatuta præſcriptione, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Privilegiis, Exemptionibus, Indultis, & literis Apoſtolicis, Capitulis, Congregationibus, Collegiis, Seminariis, Societatibus, Hoſpitalibus, & aliis piis locis præfatis, ſub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine etiam conſiſtorialiter, & ex cauſa initi contractus, aut aliàs quomodolibet conceſſis, ac iteratis vicibus, approbatis & innovatis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialitèr & expreſſe derogamus, nec non omnibus illis quæ Prædeceſſores præfati in ſingulis eorum literis voluerunt non obſtare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides tranſumporum

§. 5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Fiat Motu proprio M.

Papæ ſubſcriptio. Dat. P.A.I. Idus Junij.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Idus Junij, Anno Primo.

Publicatio.

Die 21. Menſis Junii 1624. ſupradictæ literæ Apoſtolicæ in forma Motus proprii expeditæ exhibitæ fuerunt in Camera Apoſtolica, & per ejusdem Cameræ Decretum admiſſæ, & regiſtratæ libris ipſius Cameræ penès me illius Notarium exiſtentibus nempè libro Diverſorum fol. 91. & ſeqq. & in fidem &c.

Jo. Baptiſta Cennus.

XIX.

Comprobatio omnium gratiarum, & privilegiorum Congregationis Joannis Dei ſub Regula Sancti Auguſtini degentis, una cum elargitione & communicatione quarumcunq; prærogativarum, & indultorum Ordinibus Mendicantium, & ſignanter Congregationi Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, eorumque locis, & perſonis hactenus conceſſorum, & concedendorum.

Inſtitutionem Congregationis horum Fratrum perlege in Pii V. Conſtit. 143. tom. 2. ubi notavi. Et illius erectionem in veram Religionem habes ſub. in Pauli V. Conſtit. 69. tom. 3. & Conſtit. 100. Romanus, ubi vide notata. Quibus nunc addo, quod iſte Sanctiſſ. Pont. prohibuit ne Fratres Sacerdotes Prælaturas, aut dignitates ipſius Religionis exercere poſſent, cum declaratione quænam ſub eorumdem nominibus veniant, ac impoſitione pœnarum tam electis, quàm eligentibus contra hujusmodi prohibitionem, ut inf. Conſt. 92. Circumſpecta, & noviſſimè eorumdem Præcedentiam cum Ordinibus Mendicantium declaravit, & confirmavit in Conſtit. 86. Commiſſi. hic inf.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D 1624.

Exordium.

SAcroſanctum Apoſtolatus officium, quod humilitatem noſtram, nullo licèt meritorum ſuffragio, gerere voluit Altiſſimus, jugiter poſtulat, ut paternam Sacrarum Religionum, atque Congregationum uberes, & ſuaves in militanti Eccleſia fructus aſſiduè præſtantium, curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa, non ſolum approbemus, verùm alia eis concedamus, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus ſalubritèr in Domino expedire.

Comprobatio gratiarum, & privilegiorum, ut in rubrica.

§. 1. Hinc eſt, quòd Nos dilectos filios fratres Congregationis Joannis Dei ſub regula S. Auguſtini, qui ſicut accepimus, ab ipſo Congregationis prædictæ initio multiplicia, atque inſignia pietatis, & Chriſtianæ charitatis opera erga pauperes, & infirmos in eorum Hoſpitalibus degentes, magno cum Reipublicæ Chriſtianæ ſpirituali commodo, & utilitate exercuerunt, & in dies exercere non deſinunt, ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes. & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis per dilectum filium Gaſparem Diaz Campomanes iſtius Congregationis in Regnis Hiſpaniarum Procuratorem Generalem ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: omnia, & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conſervationes, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias &

indulta

indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum cōmunicationis, & extensionis, seù alias per quoscumq; Romanos Pontifices Prędecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem sub quacumque verborum forma, & expressione in genere, & in specie quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas literas, tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, aut alias desuper confectas, quatenus tamen sint in usu, & non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus compręhensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adversentur, tenore pręsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tàm juris, quàm facti, & quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Communicatio pręrogativarum, & indultorum Ordinibus Mendicantium, & Cong. Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis concessorum, & concedendorum.

§. 2. Et insuper, ut fratres Congregationis hujusmodi tantò ferventius divinis beneplacitis, priorumq; operum hujusmodi exercitio insistant, quanto majoribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, omnia, & singula privilegia, pręrogativas, concessiones, favores, facultates, conservatorias, imunitates, exemptiones, libertates, cœterasque gratias, præeminentias, & indulta cujusvis generis existentia spiritualia, & temporalia, qualiacumq; illa sint, quæ pariter sint in usu, & non sint revocata, vel sub aliquibus revocationibus compræhensa, neque sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, aut Apostolicis Constitutionibus adversentur, ut præfertur, Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eorumque Conventibus, domibus, & aliis locis regularibus, necnon Ecclesiasticis, & dilectis filiis Ordinum, & Congregationis hujusmodi Generalibus, Pręsidentibus, & quibusvis aliis Superioribus Prælatis, & Capitulis etiam Generalibus, Provincialibus, seù intermediis, eorumque Definitoribus, Prioribus, Novitiis Fratribus, Conversis, Donatis, ac quibusvis eorum regularibus personis tàm in Urbe, quam etiam in quibuscumque Mundi partibus existentibus, & illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet per quoscumq; Romanos Pontifices Prędecessores nostros, seù per Nos, & successores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt, & concedentur, ac quibus de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, seù concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ad dictam Congregationem Joannis Dei, & singula illius Monasteria, Domos, Hospitalia, & alia loca regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque regulares personas auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuo extendimus, illaque eis communicamus & de novo concedimus, ac suffragari volumus.

Deputatio executorum hujus Bullæ.

§. 3. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum quandocumq; per se vel alium, seù alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Fratrum Congregationis Joannis Dei prædictorum fuerint requisiti, solemniter, publicantes, eisque in pręmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui, & gauder. Non permittentes quemquam desuper contra præsentium tenorem sub quovis prętextu, & causa, etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, quinimò quicquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omninò semper in pristinum, reponi, contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascumque de quibus eis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuris, & pœnis ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Derogatio Contrariorum.

§. 4. Non obstantibus pręmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prędecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinum, & Congregationum hujusmodi statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęvis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, pręsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§. 5. Verum quia difficile foret pręsentes literas ubicumque opus esset deferri, volumus, & pariter auctoritate Apostolica decernimus, quòd illarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 1. 20. Junii,

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 20. Junii 1624. Pontificatus nostri anno primo.

XX.

Confirmatio omnium privilegiorum, immunitatum, prærogativarum, gratiarum, & indultorum tàm spiritualium, quàm temporalium, etiam per modum communicationis, ac extensionis Ordini Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula concessorum, quatenus sint in usu, nec revocata, seu sub revocationibus comprehensa, neque sacris Canonibus, aut Concilio Tridentino adversentur.

Attende quæ sunt signata ad Const. 5. Sixti IV. tom. 1. & etiam ad Const. 17. Ut ea hic sup.

Edita A. D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INjuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum Religionum in militanti Ec-

clesia suaves in Domino fructus assiduè præstantium, paternam curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis prędecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuò subsistant Apostolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

Confirmatio de qua in rubr.

§. 1. Volentes igitur universum Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, ex quo uberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Christianæ Reipublicæ spirituale comodum, & utilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt,&in dies prodeunt, ac ipsius Ordinis Correctorem Generalem, & Fratres universos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, ac eorum quemlibet à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Deodatum Lomellinum Fratrem, & Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula privilegia, imunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias,& indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum comunicationis& extensionis, inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium eidem Ordini Minimorum, ejusque Correctori generali, ac fratribus, & sororibus, aliisq; Religiosis utriusque sexus, eorumque domibus Monasteriis, Ecclesiis,& locis regularibus quibuscumq; per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus in genere, vel specie, aut alias quomodolibet concessa, ac pluries confirmata cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas literas, tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, aut alias desuper confectas, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, quatenus tamen sint in usu, & non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adversentur ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus: illiusque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Supplemen. defectuum.

§. 2. Ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui intervenerint in eisdem supplemus.

Executorum deputatio.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes comittimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumq; fuerint requisiti; per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte correctoris generalis,& fratrum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, easdem plenum eorum effectum sortiri, illosque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere non permitentes quempiam desuper contra præsentium tenorem: sub quovis prætextu, & causa etiam defectu intentionis nostræ per quoscumq: quomodolibet indebitè molestari, quinnimo quicquid in contrarium attentari, vel fieri continget omninò semper in pristinum reponi; Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque de quibus eis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii. sæcularis.

Contrariorum remotio.

§. 4. Non obstan præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentiũ ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum prędictorum statutis, & consuetudinibus etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,efficacissimis, & insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis,specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus: aut nonnisi sub certis modo, & forma derogari possit, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma illis tradita observata, inserti forent pręsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, motu scientia, & auctoritate similibus derogamus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§. 5. Verum quia difficile foret, præsentes literas ubicumque opus esset, deferri, volumus, & pariter auctoritate Apostolica decernimus, quod illarum transumptis in manu alicujus, ex Secretariis cujusvis prædictorum Prælatorum generalium,ac Romanæ Curiæ Comissarii, & Successorum, aut notarii publici subscriptis, & sigillo officii alterius eorumdem, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis,eadem prorsus fides in judicio, & extra illud abhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 1. 28. Junii.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 28. Junii 1624. Pontificatus nostri anno primo.

XXI.

Edita A. D. 1624.

Revocatio facultatum disponendi de officiis vacabilibus Romanæ Curiæ, eorumque pretio, & moderatio Indultorum transferendi pensiones.

Causa hujus Const.

SAnctissimus D. N. D. Urbanus divina providentia Papa VIII. pro Sedis Apostolicæ indemnitate officiorum quorumcumque vacabilium Romanæ Curiæ ad collationem, seu concessionem dictæ Sedis quomodolibet pertinentium liberæ dispositioni, & devolutioni ex personis illa obtinentium provenire solitæ, & quandoque imminenti, necnon exonerationi beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet prospicere, prout par est intendens.

Revocatio facultatis disponendi de officiis vacabilibus Rom Curiæ eorumque pretio.

§. 1. Omnes, & quascumque facultates, indulta, & privilegia disponendi quovis modo de officiis prędictis, seu eorum pretio absque speciali suo, & successorum suorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium assensus, & beneplacito de tempore dispositionis hujusmodi interpo-

nendo

nendo etiam per viam subrogationis, translationis, vel deputationis, etiam prætextu concessionis tituli, & officiorum hujusmodi locis piis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & vim contractus importantibus, ac aliis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, vel aliàs quovis modo, & ex quavis causa factæ,, etiamsi illorum vigore ad deputationem, & resignationem hujusmodi, vel aliam quamvis dispositionem processum fuisset, ac etiamsi officia ipsa tempore concessionis indultorum hujusmodi actu vacarent in ea parte, qua vivente Romano Pontifice illorum auctore consummata, & realem effectum sortita non sunt, salvis tamen remanentibus decretis, & reservationis dispositionum in concessione officiorum tunc actu vacantium, particularibus personis dumtaxat, non autem Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, vel Capitulis facta interpositis, ipsorumque decretorum translationibus.

Moderatio indultorum transferendi pensiones.

§. 2. Necnon transferendi quascunque pensiones annuas super Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium mensarum, & quorumvis Ecclesiasticorum, tàm sæcularium, quàm regularium beneficiorum quomodocumq; qualificatorum fructibus, tàm certis, quam incertis, ac etiam distributionibus, quotidianis reservatas, quæ tamen per exactionem integrarum pensionum hujusmodi ab ipsis translatariis factam realem, & actualem effectum similiter sortita non sunt, pro summa, quæ medietatem veri annui valoris fructuum mensæ seu beneficii, super quibus pensio transferenda, seu translata, reservata reperitur, excedat, quibusvis personis etiam Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel alia quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, sive etiam ad favorem quorumcumque locorum piorum, & collegiorum quovis intuitu, & consideratione etiam motu scientia & potestatis plenitudine similibus, necnon clausulis, & decretis paribus, quorum tenores similiter pro expressis haberi voluit, tam per quoscumq; Romanos Pontifices prędecessores, quàm Sanctitatem Suam concessa hactenus, revocavit, cassavit, annullavit, ac viribus, & effectu evacavit ita tamen ut facultates transferendi pensiones hujusmodi pro ea parte, quæ medietatem fructuum etiam incertorum, vel distributionum, quatenus super illis sint impositæ, non excedat, firmæ, & illesæ remaneant. Et insuper voluit, & ordinavit eos, qui prętextu excessus mediatis fructuum, seu distributionum hujusmodi partem pensionum translatarum solvere recusaverint, ad expressum ipsum probandum teneri; nec interim pręsentis dispositionis prętextu processum executivum, aut solutionem integræ pensionis quatenus alias illis locus sit impediri, aut retardari debere.

Appositio decreti irritantis.

§. 3. Decernens sicin pręmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ipsosmet Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus super præmissis per quoscumque etiam prætextu facultatum, indultorum, & privilegiorum prędictorum scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio omnium contrariorum.

§. 4. Facultatibus, indultis, & privilegiis, aliisq; pręmissis, necnon statuto, ordinatione, & declaratione Suæ Sanctitatis in crastinum ejus assumptionis ad summi Apostolatus apicem editis, & in Cancellaria Apostolica, sub die 21. mensis Octobris anni 1623. publicatis; quodque dicti S. R. E. Cardinales constitutionibus, & regulis per Sanctitatem Suam post priorum suarum constitutionum; & regularium editionem, & publicationem faciendis non includantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ constitutiones, & regulæ edendæ de ipsorum Cardinalium vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, aliisque regulis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

Placet, publicetur, & describatur M.

Lecta, & publicata fuit supradicta Constitutio Romæ in Cancellaria Apost. Anno Incarnationis Dominicæ 1624. die verò veneris 24. mensis Januarii, Pontificatus Sanctiss. D. N. Urbani Divina providentia Papæ Octavi anno secundo.

Marcus Antonius Ascentius Procustos.

XXII.

Confirmatio Constitutionis Pauli V. circa eleemosynam, quam Rectores Ecclesiarum Parochialium Indiarum Occidentalium, & Orientalium habere possunt ab his, qui in Ecclesiis domorum utriusque sexus S. Francisci de Observantia sepeliuntur, aut pro eorum anima Missas celebrandas reliquerint. Cum deputatione hæreticæ pravitatis Inquisitorum pro ejusmodi Constitutionis executione.

Parochi autem, & Clerici quam pro sepulturis, & Missis eleemosynam petere possint, vide supra in Clemen. VIII. const. 96. t. 3. & const. 47. Pauli V.

De istis Fratribus vide notata ad const. 23. Leon. X. sup. tom. 1. pag. 433. & inf. ad const. 36. hujus Pontificis, quæ incipit, Sacrosanctum. pag. 54.

URBANUS EPISCOPUS,

Edita A. D. 1624.

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis hæreticæ pravitatis, Inquisitoribus in Liman. & Mexican. aliisque Orientalium, & Occidentalium Indiarum Civitatibus, & diœcesibus, commorantibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Paul. V. edidit Const. quæ est sup t. 2. pag. 175. cujus summa hic refertur.

§. 1. Aliàs fel. record Paulo Papa Quinto prędecessori nostro pro parte tunc in humanis agentis Matthæi de Recalde etiam tunc Vicecommissarii generalis Indiarum Occidentalium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia exposito, quod Rectores Parochialium Ecclesiarum Indiarum Occidentalium, & Orientalium, ne Christifidelium, qui pro tempore ab humanis decedebant cadavera ita comode in Ecclesiis Fratrum, & Monialium d. Ordinis Ecclesiasticæ sepulturæ tradi valerent, de consilio forsan Superiorum suorum abusum introduxerunt, ut majorem scilicet eleemosynam exigerent ab illis qui in Ecclesiis dicti Ordinis sepeliebantur, quàm si in propriis Ecclesiis sepelirentur, itaut Christifideles, qui in Ecclesiis hujusmodi sepeliri desiderabant, parem ad minus parochialibus Ecclesiis eleemosynam relinquere debebant ratione eorum sepulturæ ea quam Ecclesiis Ordinis hujusmodi relinquebant, & quod pejus erat, si quis pro animæ suæ refrigerio nonnullas Missas à Fratribus prædicti Ordinis, celebrendas reliquisset, prætendebant Parochi eleemosynam ratione missarum hujusmodi relictam, inter ipsos, & Fratres prædictos dividendam esse, & ulterius iidem Rectores de mandato forsan Ordinariorum suorum filios, quorum Patres in Ecclesiis dictorum Fratrum, & Monialium sepulti erant, aut sepulturam particularem pro se, & suis habebant nulla consuetudine legitima suffulti in eorum parochialibus Ecclesiis sepeliri, & dictos Patres ad hoc ut in dictis Parochialibus Ecclesiis sepelirentur cogere, & com-

pellere contendebant, & quotquot Fratres regulares ad sepulturam Ecclesiasticam in suas regulares Ecclesias comitabantur, tot Sacerdotes sæculares, aut Clericos assumi volebant in maximum domorum Monasteriorum dicti Ordinis præjudicium, eo quod multi duplicis hujusmodi funerum impensæ difficultate deterriti in dictis regularibus Ecclesiis sepulturam eligere non poterant. Unde fiebat, ut dicti Ordinis Ecclesias mortuorum sepulturis, & consequenter eleemosynis, & quæ in suffragium animarum fieri consueverant, paulatim destitutas iri verendum erat. Idem prædecessor supplicationibus sibi desuper tunc porrectis inclinatus, & abusus hujusmodi è medio tollere, ac prædicti Ordinis, ejusque Religiosorum, ut majores in vinea Domini fructus afferre studerent, comoditatibus prospicere cupiens de consilio Venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium consultationibus, & negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, omnibus & singulis Parochialium Ecclesiarum in partibus Indiarum tàm Occidentalium, quam Orientalium Rectoribus tunc, & pro tempore existentibus interdixit, prohibuitq; ne sub excomunicationis majoris latæ sententiæ pœna, à qua nonnisi ab ipso Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo absolvi possent, ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus majorem eleemosynam ab iis, qui in dictarum domorum utriusq; sexus Ordinis S. Francisci Ecclesiis sepulturam eligebant, & sepeliebantur, ea, quàm illis præscribit Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. juxta explicationem à piæ memoriæ Pio Papa V. prædecessore nostro sub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1567. septimò Kalendas Junii, Pontificatus sui anno secundo, quo vis prætextu, aut occasione etiam de consilio, consensu, & mandato suorum Ordinariorum exigere, nec filios, quorum patres in Ecclesiis dictorum Fratrum, & Monalium sepulti erant, aut sepulturam particularem pro se, & suis habebant, & in eorum Parochialibus Ecclesiis sepeliri, & dictos Patres ad hoc, ut in dictis Parochialibus Ecclesiis sepelirentur, cogere valerent, seu præsumerent, mandans propterea dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac earumdem Indiarum Societatis Jesu Provincialibus pro tempore existentibus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios ubi, & quando opus foret, & quoties pro parte Superiorum, & Fratrum cujuscumque domus, & Monasterii dicti Ordinis fuissent requisiti, vel eorum aliquis fuisset requisitus prędictas literas, & in eis contenta quęcumq; solemniter publicantes, eisque in pręmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, facerent Apostolica auctoritate illorum omnium, & singulorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoscumque, & præmissis non parentes eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè dantes per censuras Ecclesiasticas, aliaq; opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo. Invocato etiam ad hoc, si opus foret, brachii sæcularis auxilio, & aliàs, prout in dictis literis plenius continetur.

In tit. de Refor. fortasse 17. kal. Junii, ut in pag. 138. t 2. ad finem.

§. 2. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Fr. Jo. Baptistæ Sanchez moderni Custodis Provinciæ Carthagineñ., ac Secretarii, & in Romana Curia Procuratoris dicti Ordinis petitio continebat, rerum usu compertum fuerit, quòd prędicti Provinciales, qui adeo pauci, & propter negotiorum multitudinem detendi existunt, etiam propter locorum, in quibus pro tempore comorantur distantiam, tum etiam ex eo, quod Provinciales pręfati nullos Notarios, quorum opera prædictæ literæ, & in eis contenta præmissis contrafacientibus intimari, illaq; adimpleri facere possint habentes Notariorum Ordinariorum locorum parochis potius quam prædictis Religiosis adhærentium opera uti cogantur quo fit, ut dictarum literarum executio non ita facilè reportari possit, id verò in grave, maximumq; dictorum Religiosorum incomodum cedat, & si prædictæ literæ, ac in eis contenta nobis comittentur, multò facilius, & citius dictarum literarum executionem reportare possent. Quare pro parte dicti Joannis Baptistæ Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus prædictorum Religiosorum indemnitati, ac alias in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Iste Urban. excausa hic expressa.

§. 3. Nos igitur eumdem Joannem Baptistam, ac Ordinis hujusmodi singulares personas, à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censeñ, necnon dictarum literarum, & inde legitimè secutorum quorumcumque tenores, ac Dat. pręsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, si & postquam dictæ literæ vobis pręsentatæ fuerint, ad illarum executionem, servata alias earum forma, auctoritate nostra procedatis, illasque exequamini, & in eis contenta quæcumque adimpleri faciatis in omnibus, & per omnia, perinde ac si illæ vobis, & non prædictis Provincialibus à principio directè fuissent.

Prędictam Constitutionem comprob. novosq; executores deputat.

§. 4. Non obstantibus omnibus iis, quæ dictus Paulus prædecessor in dictis literis voluit non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque.

Contrariisq derogat.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1624. 12. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. P. A. 2. die 21. Martii.

XXIII.

Ne Fratres Reformati Discalceati Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniæ, post emissam professionem, sub quovis prætextu, transeant ad alios quoscumque Ordines, excepto Carthusianorum Ordine.

De his Fratribus vide Constit. 108. Cum sicut.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1624.

Commissi nobis per abundantiam divinæ gratiæ pastoralis officii debitum postulat, ut ad ea mentis nostræ aciem sedulo intendamus, per quæ regulares Ordines in Ecclesia Dei militantes felicibus in dies proficiant incrementis.

Exordium.

§. 1. Aliàs siquidem fel. record. Paulus Papa V. prædecessor noster, prospero Fratrum Ordinis Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum Reformatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniarum regimini consulere volens, inter alia statuit, & ordinavit, quòd nullus omninò tàm Fratrum, quàm Donatorum dictæ Congregationis, post emissam in ea professionem hujusmodi, absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentia, certam tunc expressam mentionem faciente, ad moderatos, seu mitigatos, vel alios fratres, tàm Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum hujusmodi, quàm aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, & Religionum, etiam emissionis quarti voti, aut alio quocumque prætextu. (Carthusianorum Ordine dumtaxat excepto) transire,

Paulus V. prohibuit his fratrb. transitum ad alios quoscumq; Ordin. Carthusianorum Ordine excepto absq; Rom. Pont. licentia.

seu

seu se transferre aut aliàs à d. Congr. se subtrahere seù ex ea exire valeret: & aliàs, prout in ipsius Pauli prædecessoris in simili forma brevis sub die 18. Augusti 1611. expeditis literis; quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Pont. hujusmodi prohibitionem confirmat, contrafacientibus sententiam ex communicationis, ac apostasiæ,& infamiæ notam apponit,ac mandat,ut transeuntes ad Carthusianos habeant licentiam à suis superioribus.

§. 2. Hinc autem nos majori eorumdem fratrum quieti& augmento, feliciorique directioni per ampliùs consulere volentes, supplicationibus dilecti filii Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis nomine nob's super hoc humiliter porrectis inclinati. Quòd de cœtero nullus fratum prædictorum post emissam in dicta Congregatione professionem, ut præfertur, & absque Romani Pontificis licentia prædicta, ad alium quemcumque Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium, Monachorum, seù Discalceatorum, aut aliarum quarumcumque Religionum tam erectarum, quàm erigendarum, etiam emissionis quarti voti, seù perfectioris, & humilioris vitæ præsumptione, aut Strictioris regulæ, seu observantiæ prætextu, vel contemplatione aut alia quantumvis justa, & probabili, aut legitima causa, sub apostaliæ, &infami e perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ sententiæ pœna se transferre audeat, seù præsumat; excepto dumtaxat Ordine Carthusianorum, ut præfertur, qua tenus ad illum transeundi licentiam à suis superio ribus petierint, & obtinuerint.

Secus facientes statim moniti appellatione postposita ad suam congr. redir tenentur.

§. 3. Et quicumque secus fecerit, cùm primum desuper monitus fuerit,nulla mora,aut excusatione, & quacumque appellatione, etiam ad nos, seu Sedem Apostolicam interpositis, ad suam propriam Congregationem redire, & Superiorum suorum correctioni se submittere omninò teneatur.

Superioribus aliorum Ordinum, ne illos retineant, præcipit.

§. 4. Prælati verò dictarum Congregationum, ac aliorum Ordinum, & Religionum hujusmodi, ipsos sic translatos, seu fugitivos, & apostatas minime retinere, sed eos, etiamsi novam professionem regularem emiserint, sub privatione suorum officiorum, ac similis excommunicationis pœnis, suis superioribus, vel ab eis deputan id requirentibus, & peten, statim absque Judicis ministerio tradere, & consignare debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus & ordinamus

Aliter judicari prohibet.

§. 5. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§., 6. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem dari vult.

§. 7. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 9. Aug.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 9. Augusti 1624. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXIV.

Beatificatio servi Dei Jacobi de Marchia, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia dum vixit Professoris, una cum concessione celebrandi Missam, & Officium de Communi Confessorum non Pontificum in Ecclesia d. Ordinis, ubi Corpus ejus requiescit. Ac extensio dictæ concessionis ad omnes Ecclesias dicti Ordinis, & eorum personas ubique existentes.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A.D. 1624.

IN Sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, à Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificetur, libenter annuimus eaque favoribus prosequitur opportunis.

Prœmium.

Rex Hispaniarum, & Civitas Neapolitans; necnon Fratres d. Ordinis supplicarunt Pont. pro Beatificatione & Officio d. Jacobi.

§. 1. Sanè pro parte Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ac dilectorum filiorum Clerici, & Populi Civitatis Neapolitan, necnon totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum, Nobis nuper expositum fuit, quod bon. mem. Jacobus de Marchia multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illustratus fuit; quapropter Philippus Rex, ac Clerus, & Populus, necnon Ordo prædicti, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut donec Canonizationis honor d. Jacobo de Marchia ob ejus eximiam caritatem, & excellentia merita divina aspirante gratia, ab Apostolica Sede decernatur, idem Jacobus de Marchia Beatus nuncupari,atque Officium de eo,ut infra, recitari possit.

Pont. cum Beatum nuncupari, Officiumq; Ecclesia tantum in qua corpus ejus requiescit, recitari posse concedit

§. 2. Quare Nos re prius per Venerab. fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præpositos, quibus eam examinandam mandavimus, mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bo. mem. Jacobus de Marchia Beatus nuncupari,atque Officium, & Missa de eo tamquam de Confessore non Pontifice in Ecclesia tantummodo Sanctæ Mariæ della Nova nuncupatæ, Civitatis Neapolitan, ubi corpus ejusdem requiescere asseritur, recitari, & celebrari respectivè liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 2. die 12. Aug

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 12. Augusti 1624. Pontific. nostri anno secundo.

Sequitur Extensio d. Concessionis ad omnes Fratres d. Ordinis ubique existentes.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A.D. 1624.

Recenset indultum Constitutionis præcedentis

NUper pro parte Charissimmi in Christo filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ac dilectorum filiorum Cleri, & Populi Civitatis Neapolitan, necnon totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis exposito, quòd bon. mem. Jacobus de Marchia multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illustratus fuerat, & propterea Philippi Regis, ac Cleri, & Populi, nec non Ordinis prædictorum nominibus Nobis humiliter supplicato, ut donec Canonizationis honor d. Jacobo de Marchia ob ejus eximiam claritatem, & excellentia merita, divina adspirante gratia, ab Apostolica Sede decernerentur, idem Jacobus de Marchia Beatus nuncupari, atque Officium de eo, ut infra, recitari posset; Nos, re prius per Venerab. fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam mandaveramus, maturè discussa, de eorumdem Cardinalium consilio, hujusmodi supplicationibus inclinati. Ut ipse bon. mem. Jacobus de Marchia Beatus nuncupari, atque Officium, & missa de eo tamquam de Confessore non Pontifice in Ecclesia tantummodo Sanctæ Mariæ della Nova nuncupatæ Civitatis Neapolitan, ubi corpus ejusdem requiescere asserebatur, recitari, & celebrari respectivè, liberè, & licitè posset, & valeret Apostolica auctoritate licentiam, & facultatem concessimus, prout in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis,

literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quodmodo ad petitionem eorundem extendit ad omnesFratres d.Ord. S. Francisci ubique existentes.

§. 1. Cum autem, sicut Philippus Rex ac Clerus, & Populus, Ordoq; prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, pro eo, quem erga d. Beatum Jacobum de Marchia gerunt devotionis affectu, plurimum cupiant concessionem hujusmodi ad universum Ordinem prædictum extendi; Nos piis Philippi Regis, ac Cleri, & Populi, necnon Ordinis eorumdem votis in præmissis peramplius annuere volentes, singularesque Cleri, & Populi, necnon Ordinis prædictorũ personas à quibusvis excomunicationis suspensionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis denuò super hoc humiliter porrectis inclinati: De Cardinalium prædictorum consilio concessionem hujusmodi ad universum Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum prædictam, itaut ab omnibus illius personis Officium, & Missa de d. Beato Jacobo tamquam de Confessore non Pontifice, juxta tamen Rubricas Missalis, & Breviarii Romani recitari, & celebrari respectivè similiter possit, & valeat, eadem auctoritate tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Contraria derogat.

§. 2. Non obstant. omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandat.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. Tusculi sub annulo Piscat. die 23. Octobri 1624. Pont. nostri anno secundo.

XV.

Concessio recitandi Officium, & celebrandi Missam de B. Clara, de Monte Falchio Ordinis Eremitarum S. Augustini, pro Ordinis prædicti Fratribus, & Monialibus.

Edita A. D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

DOmini Nostri JESU Christi, qui servos, & ancillas suas æternæ gloriæ premio donat in cœlis, vices quanquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto Nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum, & ancillarum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur & laudetur Dominus in sanctis suis; Quamobrem fidelium quorumlibet; præsertim verò sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicant Procurator & Fratres Ordin. Eremit. S. Augustini pro licentia celebrandi Missam. & recitandi officium de B Clara de Monte Falchio.

§. 1. Sanè nomine dilectorum filiorum Procuratoris generalis, & Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis nuper expositum fuit quòd ipsi ex peculiari, quem erga B. Claram de MonteFalchio, ejusdem Ordinis Monialem, gerunt devotionis affectu, in cujus visceribus Passionis Dñi Nostri JEsu Christi mysteria maxima cum devotione à vicinis incolis venerari asserunt, & ad augendam Christifidelium erga illam devotionem Officium, & Missam de eadem B. Clara recitari, & celebrari posse summoperè desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Et hic Pont eam concedit.

§. 2. Nos igitur piis eorumdem Procuratoris, & Fratrum votis hujusmodi annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut de d. B. Clara Officium, & Missa de Communi Virginum cum oratione propria, in ejusdem Ordinis Missalibus inserta, ab omnibus Ordinis prædicti utriusque sexus Regularibus personis tantum, recitari, & celebrari liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur.

Contraria removet.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Concessionis transumptis credi jubet

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 2. die 14. Aug.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 14. Augusti 1624. Pont. nostri anno secundo.

XXVI.

Congregationi Monachorum Cælestinorum Ord. S. P. N. Benedicti, ejusque personis, & locis communicat, & elargitur hic Pontifex gratias, & privilegia omnia nostræ Congregationi Casinensi, & aliisque Monachorum Congregationibus concessa, & concedenda.

De statu d. Congregationis Cælestinorum vide notata supra in Const. 1. Cælest. V. tom. 1. Quibus addendum, quod de mandato hujus Pont. compilarunt nonnullas Constitutiones diversis temporibus factas, easque à Sanctiss. D. N. approbatas ediderunt, ut inf. const. 59. Sacrosanctum.

Scias, quòd Abbati Generali hujus Congregationis ut habitu Prelatorum Regularium, ac Pontificalibus indumentis in Monasteriis sui Ordinis uti possit, ac alia omnia facere quæ Abbates exempti facere consueverunt, concessum fuerat à Paulo V. de anno 1606. ut in Constito quam hic subinserendam opportunum censui videre poteris.

Edita An. D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Exordium.

SAcro Sancti Apostolatus ministerium, quod ineffabilis divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei altitudo humilitati nostræ, nullis licèt suffragantibus meritis, per abundantiam cœlestis misericordiæ credidit, jugiter Nos admonet, ut inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, qua privilegia piis Christifidelium Congregationibus in militanti Ecclesia ad divini nominis laudem & gloriam, sanctæque fidei Catholicæ exaltationem salubriter institutis, à Sede Apostolica concessa non solum conserventur, verum etiam Congregationes ipsæ novis ab eadem Sede gratiis, atque indultis decorentur, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Gratias &

§. 1. Hinc est, quòd Nos ad uberes fructus

quos

privilegia omnia quibuscumq; Congregat. eorumque personis,& locis concessa & concedenda huic Cœlest Congreg. ejusq; Personis,& locis (quatenus Concil. Trid. decretis &c. non adversantur) comunicat. & elargitur.

quos dilecti filii Monaci Congregationis Cœlestinorum Ord. S. Benedicti, vel ab ipsius Congregationis primordio in eadem Ecclesia magno cum Reipublicæ Christianæ spirituali commodo attulerunt, & dies afferunt, paternæ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes; quod Congregatio prędicta una ex duodecim extitit,quæ cum Camera Apostolica tempore fel. recor. Pii Papæ V. prędecessoris nostri de subsidio Ordinario concordarunt: Necnon Monacos prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causalatis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio non ad Abbatis seù Procuratoris generalium, aut aliorum quorumcumque Superiorum, vel Monacorum ejusdem Congregat. aut alterius pro eis Nobis oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia; & singula privilegia, prærogativas, favores, facultates, declarationes, libertates, imunitates, exemptiones, præeminentias, indulta, aliasque gratias tam spirituales, quàm temporales cujusvis generis, & speciei existentes, tàm Cassinensi Ordini S. Benedicti, quàm quibusvis aliis Monacorum Congregationibus, eorumque Superioribus, Præsidentibus, Abbatibus, Monacis, aliisque regularibus personis; necnon Ecclesiis, Monasteriis, & locis regularibus quibuscumque tàm specialiter, & nominatim, quàm in genere, & per viam comunicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, seù Nos, & Sedem Apostolicam, eorumque & nostros de latere Legatos, & Nuncios sufficienti ad id auctoritate suffultos, concessa, & in futurum per successores nostros, aut alios auctoritatem habentes concedenda, & quibus ipsæ Congregationes earumque Abbates, & alii quocumq; nomine nuncupati Superiores & Monaci cœteræque personæ regulares, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tàm conjunctim quàm divisim, seù aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dumodo tamen sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus compræhensa, ac sacris Canonibus, & Conc. Trid. decretis non adversentur, Congregationi Cœlestinorum prædictæ, illiusq; Generali, ac cœteris Abbatibus, Prioribus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, Monacis, & personis regularibus quibuscumq; necnon Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, Conventibus, & locis regularibus quibuslibet tenore præsentium perpetuò concedimus, dictaq; privilegia, indulta, imunitates exemptiones, ac gratias spirituales, & temporales hujusmodi primodictæ Congregationi, illiusq; Generali, cœterisque Abbatibus, Prioribus, & Monacis personis prædictis, necnon eorum Ecclesiis, Monasteriis, & regularib⁹ locis comunicamus, illaque ad eos; & illa extendimus, Ita quod Congregatio Cœlestinorum prædictorum prædicta; illiusq; Generalis, & ceteri Abbates, Superiores, Monaci, & personæ hujusmodi, eorumque Monasteria, Prioratus Grangiæ, Domus, Ecclesiæ, Oratoria, Collegia, & alia loca regularia, necnon res, & bona quæcumq; præmissis omnibus, & singulis non solùm ad aliarum Congregationum instar, sed pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere liberè; & licitè valeant, periǹdè ac si ea omnia illis; & eorum singulis specialiter, & expressè, & non ad instar, sed à principio concessa, & in primo dicta Congregationis favorem à Sede Apostolica nominatim emanassent.

Clausulas hujus concessionis præservativas apponit.

§. 2. Decernentes, præsentes literas nullo umquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio; seu intentionis nostræ, aut alio quopiam defectu notari, impugnari, redargui, seu infringi, aut in jus; vel controversiam revocari posse, sed eas semper & perpetuò validas, firmas; & efficaces existere, & fore, suosque plenarios; & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Congregationi Cœlestinorum hujusmodi; illiusque personis, & locis regularibus supra expressis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

Decretum irritans addit.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Executoresque deputat.

§. 4. Quocirca Venerab. fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumq; necnon dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus; quatenus quilibet eorum quandocumque per se, vel alium; seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis Generalis, & Monacorum Congregationis Cœlestinorum Ordin. S. Benedicti prędictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra; easdem plenum eorum effectum sortiti, illisque omnes, quos concernunt; pacificè frui gaudere; non permittentes; quemquam desuper contra præsentium tenorem sub quovis prętextu, & causa etiam defectu intentionis nostræ, per quoscumq; quomodolibet indebitè molestari, quinimo quicquid in contrariu attentari, vel fieri continget, omninò semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque de quibusvis eis videbitur; censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis omnibus derogat.

§. 5. Non obstan. premissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicæ Const. ordinationibus, ac Ordinum, & Congregationum hujusmodi statutis; & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quòd in eis caveatur expressè; quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possit; tenore hujusmodi; ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœteris-

que contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis credi decernit.

§. 6. Verum quia difficile foret, præsentes literas ubicumque opus esset, deferri volumus, & pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 2. 14. Aug.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 14. Augusti 1624. Pontific. nostri anno secundo.

Ex libro Constitutionum Monacorum Cœlestinorum novissimè impressarum Romæ anno 1629. pag. 255.

Sequitur facultas concessa Abbati Generali prædictæ Congregationis, quod eas facere valeat functiones, quas alii Abbates exempti facere consueverunt, habituque Prælatorum regularium, & in Monasteriis sui Ordinis pontificalibus indumentis uti, ac Missas solemniter celebrare, & interessentibus solemnem benedictionem impartiri possit.

Edita A.D. 1626

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam,

Exordium.

EX injuncto Nobis Apostolici muneris debito Jus suum unicuique conservare tenemur.

Exponit Celsus Rom. Abbas gen. Cong. Monac. cælest. ex antiquo Pontificis privil. Abb. gener. d. Congr. omnes facere functiones, quas alii Abbates exempti faciunt, & habitum Prælator. Regularium ubique locor. deferre, & in Monasteriis, sibi subjectis pontifical. uti indument. missasque solemnes celebrare, & solemn. benedictionem interessentibus, (si ibi Prælati præsentes non sint) impertiri: propterea huic Pontifici supplicat confirmari decret. desuper factum à Sacrorum Rituum Congreg.

§. 1. Proinde cum sicut pro parte dilecti filii Celsi Romani Abbatis Generalis Congregationis Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti Nobis nuper expositum fuit, ex antiquo privilegio Apostolico, à fel. rec. Cœlestino Papa V. nimirum concesso, & ab Eugenio IV. & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris confirmato, pro tempore existens Abbas Generalis dictæ Congregationis Cœlestinorum functiones omnes, quas cæteri omnes Abbates exempti faciunt, & exercent, facere, & exercere, necnon semper tàm in Urbe, quàm in omnibus aliis civitatibus, & ubique locorum habitum Prælatorum regularium, caputium scilicet, sive mozzetam super mantelletto, & biretum quadratum, more Clericorum secularium, ac pileum more prælatorum, ac in Ecclesiis, & Monasteriis suo Ordini subjectis cappa, baculo, mitra, & cæteris Pontificalibus indumentis uti, & in eisdem Ecclesiis missas solemniter more aliorum Abbatum Benedictorum celebrare, ac Monacis sui Ordinis, & aliis Christifidelibus quibuscumque ad d. Abbatis missas audiendas convenientibus, & interessentibus, quandocumque Episcopi, & alii Superiores Prælati, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ibi præsentes non sint, solemnem benedictionem impertiri possint, & consueverint: cumque in Congregatione Venerab. fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super Sacr. Ritibus, & Cæremoniis deputatorum, examinatis privilegiis supradictis, decretum semel atque iterum fuerit prædictum Abbatem Generalem Congregationis Cœlestinorum pro tempore existen. in pacifica possessione omnium, & singulorum præmissorum manutenen esse; illumque à quovis Episcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum Vicariis, & aliis quibuscumque personis super præmissis molestari, perturbari, vel inquietari non posse declaratum fuerit: & cum sicut eadem expositio subjungebat, ipse Celsus Abbas pro majori eorumdem decretorum validitate cupiant illa confirmationis Apostolicæ roborati, communiri.

§. 2. Nos illius honestis votis benignè annuentes, ac ipsum Celsum Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta ejusdem Congregationis auctoritate Apost. tenore præsentium confirmantes, & approbantes, juxta illorum seriem per easdem præsentes decernimus, & declaramus, prædictum Celsum modernum Abbatem Congregationis Cœlestinorum, ejusque successores, stante antiqua possessione d. Abbatis, & prædecessorum prædictæ faciendi, & exercendi, in pacifica possessione omnium, & singulorum præmissorum manutenendum, ac manutenendos esse, nec illos, aut quempiam illorum à quovis Episcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum Vicariis & aliis quibuscumque personis, desuper quovis prætextu molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse.

Qui illud approbat, & confirmat.

Decretum irritans apponit.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 4. Quocirca dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusmodi Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, & causarum Cur. Cam. Apost. Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte d. Celsi moderni, aut pro tempore existentis Abbatis Generalis dictæ Congregationis fuerint requisiti solemniter publicantes, ac ipsi Abbati in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra illum eorumdem præmissorum effectu pacificè frui, & gaudere; non permittentes, illum desuper à quoquam quavis auctoritate, quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoscumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam adhoc., si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariaque omnia removet.

§. 5. Non obstan. fel. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. 9. Dec. 1606.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 9. Decembris 1606. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XXVII.

Revocatio quarumcumque licentiarum à prædecessoribus Pontificibus, loca regularia erigendi non servata forma Constitutionis Clementis VIII. & Decretorum Sedis Apost concessarum, quæ nondum effectum suum sortitæ sunt. Ac prohibitio illa de cætero erigendi absque licentia Ordinariorum, & Sacr. Canon Concilioque Trid. necnon Clem. VIII. & Greg. XV. Constitutionibus non servatis.

Sacri Canones hic enunciati sunt Bonifac. VIII. in cap. 1. de stat. Regular. in 6. & cap. 1. de excess. Prælat. in 6. & Concil. Trident. cap. 3. & 5. sess. 25. necnon Clem. VIII. Const. 99. sup. tom. 3. & Const. 37. Gregor. XV. Cum aliàs.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ROmanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus noster, qui caritas est, & Deus pacis, Universalis Ecclesiæ credidit Principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationalibus de causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis quibus præsertim personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium paci, & quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam itur, revocat & & immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis, & providentiæ suæ studium interponit, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Revocatio licentiarum, de qua in rubrica loca regularia erigendi.

§. 1. Cum itaq; sicut Nobis innotuit, complures licentiæ suæ, sive facultates à nonnullis Rom. Pont. prędecessoribus nostris per diversos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum regularium Institutorum Superiores, seù alios eorum nomine, ubiq; locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conventus, & alia loca regularia, quovis nomine nuncupata, servata dumtaxat Sacrorum Canonum, & Concil Trident. decretorum forma, de sola Ordinarii licentia, seù etiam forsan non servata forma, & absque licentia hujusmodi, & contra decreta à Sede Apostolica super pręmissis edita fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seù etiam Motu proprio, vel aliàs obtentæ, & exortæ fuerint: Idcirco Nos, omnes, & quascumque licentias ac facultates hujusmodi literasque desuper tam sub plumbo, quàm in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, & Dat. præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè, sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascumque licentias & facultates hujusmodi, literasq; desuper tam sub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore pręsentium perpetuò revocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu prorsus evacuamus.

Prohibitio illis utendi. aut quovis prætextu ejusmodi loca erigendi absque licentia Ordinariorum, & servata forma Sacr. Canonum, & in Conc. Trid & const. Clem. VIII & Gre. XV.

§. 2. Pręterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ceterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & in alia in futurum obtinen. necnon etiam excommunicationis, ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, seù facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujusmodi nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Conc. Triden. necnon Constitutionibus fel.. record. Clem. VIII. quæ incipit, Quoniam ad institutam, sub dat. Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 23. Julij 1603. ac Decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon san. mem. Gregor. XV. Rom. Pont. prędecessorum desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, seù alias quomodolibet instituere, seù incœpta finire, & absolvere audeant, seù pręsumant.

Clausula hujus legis præservativæ.

§. 3. Decernentes pręsentes literas etiam ex eo, quòd causæ, propter quas illæ emanarint, expressæ, verificatæ, & justificatæ, aut quicumque in pręmissis interesse habentes, seù habere pętendentes, adhoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel alias, ex quocumq; capite, pętextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seù concedi nullatenus posse, sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida & firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque & non aliter, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate fungen. sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum ejus deputatio.

§. 4. Quocirca Venerab Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per pręsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seù alios, pręsentes literas, & in eis contenta quęcumque solemniter publican. faciant illas, & illa ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariorum omnium derogatio.

§. 5. Non Obstan. præmissis, ac regula nostra, de jure quæsito non tollen. & recol. mem. Bonifacii Papæ VIII. similiter pręcessoris nostri de una, & in Concilio generali, edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręsentium ad judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinũ, Congregationum, Societatum, & Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis & literis Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis sub quibuscumq; tenore & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac alias quomodolibet, in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoris specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quęvis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium ten. pręsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio

§. 6. Volumus autem, quòd præsentes in Val-

Romæ facta omnes ligat.

vis Basilicarum Sancti Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est affixæ, omnes, quos ille concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Transumtis que plené credatur.

§. 7. Quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D.P.Ann.1. die 28.Aug

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 28. Augusti, 1624. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Publicatio.

Anno 1624. Indict. 7. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus secundo, die verò ultima mensis Augusti, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis, & Julium Marzirellum, prælibat Sanctiss. D. N. Pap. Curs &c.

Brandimartes Latinus pro Mag. D.D. Curs.

XXVIII.

De Regularibus Apostatis, & ejectis, ac de innovatione declaratione, & observantia generalium decretorum à Clem. VIII. ad Regularium reformationem, Novitiorumque receptionem spectantium, editorum.

Ista Clem. VIII. Decreta sunt hic inserta; licet nonnulla etiam habeas in Clem. VIII. const. 60. Nullus super tom. 3. tamen quia non omnia, & hic innovantur, & ideò ponenda censui.

Quod Apostatas, & extra Claustra Religionum vagantes, edita olim fuit à Paulo IV. const. 14. sup. tom. 1. quæ tamen (ut ibi notavi) ad terminos juris reducta fuit.

Decreta S. Congregationis Concilii de Regularibus Apostatis, & Ejectis.

Edita Anno Domi. 1624. Causæ constituunt.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Regularium ejectorum, fugitivorum statui consulere, illorumque scandala summovere, & succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infrascripta decreta edidit.

Innovat. & observari mandat hic Pont. decreta Clementis VIII. ad Regular. reformationem &c. edita. Hæc decreta mox sub sequuntur.

§. 1. Ac primò, ut infecta femina, è quibus pravi ejusmodi fructus potissimum, prodeunt, deinceps ne ferantur in vinea Domini, censuit, esse innovandas, & Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones, & Decreta generalia Sanct. mem. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem, atque stitutionem spectantia, districteque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exactè observent, atque, ut observentur, efficiant, sub pænis statutis in iisdem Constitutionibus.

Excipit caput de licentia approbandi Novitios. Hoc cap. est inf. in Clem decretis hic inserendis, nempe penult. & antepenult.

§. 2. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conventibus seù Monasteriis ad Novitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seù imposterum designandis, & approbandis, Novitii ad habitum ullatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem decreti observatione Sacra Congregatio justis de causis censuit Regulares esse absolvendos, prout auctoritate Sanctissimi Domini nostri, absolvit atque exemit.

Jubet Regulares non transire ad arctiorem Religionem illum recipere non paratam.

§. 3. Deinde, ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, & de cetero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis recta se transferat ad arctiorem. Quod ut re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.

Apostatas, & fugitivos jubet ab Episcopis carcerari & eorum Superioribus consignari ab eisdem puniendis, & etiam ab Ordinariis juxta Concil. Trid. sess. 6. cap. 3.

§. 4. Rursus statuit, ut fugitivi, & Apostatæ, sive habitum regularem deferant, sive non possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Concil cap. 3. sess. 6.

At si in termino hic præscripto ad Religionem redierint, ab solutione petita recipi mandat.

§. 5. Quod si Apostatæ hujusmodi citrà montes infra quatuor, ultra montes verò infrà octo menses à præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen ut debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur, ab hujusmodi pænis absolvere, & paterna caritate complecti.

Incorrigibiles tantum prævio processu a Religionibus ejici decernit.

§. 6. Ad hæc, ut imposterum à Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè, incorrigibilis; veré autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verum etiam unius anni spatio in jejunio, & pænitentia probetur in carceribus; proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres inqualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilòminus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum generale Capitulum, seù Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex justis, & necessariis causis expellere oportebit, electio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, ut supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infrà quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; servata tamen in reliquis forma superius præscripta.

Ejectosque notificari Ordinariis, quorum jurisdictioni subsint. & in clericali habitu incedant donec non redeant ad Religionem Superioribus Religionum super omne studium adhibere, ut suorum Fratrum animas lucrentur.

§. 7. Sic verò ejecti, quamdiù non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant; atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

§. 8. Cæterum Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per JESU Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ caritatis & mansuetudinis quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster JESUS Christus in Supremo DEI judicio de eo-

rumdem

rumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Expulsis testimoniales literæ non dentur. Electi ab Ordinum exercitio perpetuò sint suspensi.

§. 9. Præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

§. 10. Item, ut electi extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Innovat & declarat c. ultimum de Regularibus.

§. 11. Ac postremò censuit, esse innovandam, & Suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem fel. rec. Gregorii Noni relatam in c. fin. extra de regul. ac præterea declarat eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, servandamque esse; qui justè, definitivèque, ac juris ordine servato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis concedendis Sacra Congregatio seriò oneravit.

Hæc Clem. 8. decreta observari mandat, & his in anno perlegi in publica mensa cujuscumque domus.

§. 12 Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum regularium ubique locorum existentium injungit, serioque mandat, ut illa diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monacorum, ac Regularium ubique locorum existentibus, efficiantque ut tam Decreta supradicta fel. rec. Clem. VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis ejusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Contravenientibus pœnas imponit.

§. 13. Si quis verò ipsorum adversus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus, etiam generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seù relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum, & inane quicquid secus à quoquam actum extiterit.

Contrariis quibuscunque derogat.

§. 14. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apost. in favorem quorumcumque personarum; atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seù Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis necnon irritantib' decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis Suæ auctoritate derogat, cœterisque contrariis quibuscumque.

D.P. An. 2. die 21. Sep.

Dat. Romæ die 21. Sept. 1624.

C. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Cong. Secr.

Subsequuntur supradicta Decreta generalia Clementis Papæ Octavi.

Primum de Novitiis ad habitum Regularem, & professionem non admittendis, nisi in Conventibus designandis.

Edit. A. D. 1596.

CLEMENS PAPA VIII.

Est in Bull. t. 3. ubi sunt etiam in marg. apostill. quæ propterea hic mittuntur

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum juxta nostri muneris debitum, laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quòd in omnibus Conventibus iis præsertim, qui majori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes, passim recipiuntur. Unde fit, quo magis Nos variis Constitutionibus male affectas radices amputare studemus: eo magis in dies depravata, infructuosaque ejusmodi noviter profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, præsenti Decreto statuimus, directèque præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, cœterisque Superioribus Conventuum intra Italiæ, & Insularum adjacentium fines existentium quibuscumque, & quorumcumque Ordinum Mendicantium, ut de cetero neminem sub quovis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in Conventibus auctoritate nostra prope diem in unaquaque Provincia designandis. Insuper sancimus, ut quod ad ejusdem Conventus, ut præfertur, per Nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Novitiorum, sive ad habitum, sive ad professionem omninò abstineant. Superior, qui hujus Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac aliis etiam pœnis arbitrio nostro subjaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ex nunc decernimus, & declaramus, privilegiis, statutis, & consuetudinibus, quibuscumque in contrarium minimè obstantibus.

Dat. Romæ die 12. Martii 1596.

Edita A. D. 1599.

Secundum Revocationis, & ampliationis ejusdem Decreti.

De Novitiis ad habitum regularem non accipiendis nisi in Monasteriis, & locis designandis.

Et in Bull. sup. t. 3. p. 94. ubi sunt etiam in margine Apostill. quæ propterea hic omittuntur.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Cominus Clemens divina providentia Papa VIII. cum jam dudum animadverteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum, juxta sui muneris debitum vigilare, ac laborare, non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasteriis, & Conventibus, iisque præsertim, qui majori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine defectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quo magis variis Constitutionibus male affectas radices evellere

ſtudet, eo magis infructuoſa noviter profitentium germina quotidiè ſuccreſcant; cumque ob zelum, ac deſiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus ſuæ cujusque Religionis inſtitutum redigendi, diſtrictè prohibuerit, ne quis in certis Monacorum, & Mendicantium Ordinibusad ſuſcipiendum habitum Religionis admitteretur, profitereturve, quouſque Monaſteria, & Conventus aliquot deſtinarentur, in quibus poſſet commodius Regularis obſervantia, ſecundum reformationem à Sanctitate Sua inſtitutam introduci. Quia tamen, non obſtante tali prohibitione cognovit, nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos, & admiſſos, præter mentis ſuæ ſenſum; Idcircò huic malo proſpicere volens, ne licentiarum, ac facultatum cujusmodi ſubreptione, ac prætextu Decretum Sanctitatis Suæ irritum reddatur; Nunc denuò diſtrictè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscumque, cœterisque Superioribus Conventuum, Monaſteriorum, ac Domorum quocumque nomine appellentur, intra Italiam, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori Obſervantia, necnon Capuccinorum S. Franciſci, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulienſis, Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Jeſu, S. Pauli Decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum Infirmorum, reſpectivè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) nè ſub cujusvis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per literas in forma Brevis dumtaxat, & non alias quemquam ad habitum Regularem ſuſcipiendum, nec etiam Converſos niſi in Conventibus, Monaſteriis, & Domibus, auctoritate ejusdem S. D. N. propè diem in unaquaque Provincia deſignandis, recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere ullo modo audeant. Quinimo contra primam prohibitionem Sanctitatis Suæ receptos, etiamſi imperfectum habitum, aut ſine caputio gerant, poſt præſentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò eficere debeant.

Superiorem autem, qui hujus Decreti transgreſſor extiterit, ipſo factopœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis activæ, & paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda, eo ipſo incurrere voluit, ac decrevit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ imponendis ſubjacere.

Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi Decretum admiſſi, fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Coventus, Domus, & Monaſteria à ſe probata pro Novitiorum receptione & educatione, hactenus promiſſione ſua conſtituerint.

Cœteras verò licentias, ſive particulares, quæ in hanc diem effectum non ſunt ſortitæ, revocat, & annullat.

Vult autem, Decretum hoc ſuum in ſolitis locis Urbis publicatum, ita prædictorum ſingulos afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter fuiſſet intimatum, privilegiis, ſtatutis, & conſtitutionibus quibuscumque in contrarium minimè obſtantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. menſis Junii 1599. Da. P. A. D. die 20. Jun.

Decreta alia pro reformatione Regularium, tam Monacorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, & Instituti. Edita A. D. 1599, & 1602.

CLEMENS PAPA VIII.

§. 3. NUllus omninò prætextu cujuscumque privilegii, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſervitio Chori cenſeatur imunis, niſi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superioris animadvertant ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiamſi opus fuerit, ſubtractione. Et ſup. in Bullar. t. 3. pag. 20. ubi ſunt etiam, in margine apoſtil. quę propterea hic omittuntur.

Lectio Sacræ Scripturæ, vel Caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicitam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut promiſſis, tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiam ſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit: ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. Seſſ. 25. de reg.

§. 4. Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum, alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

§. 5. Eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

§. 6. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multò graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

§. 7. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quo culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ, obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent, hujusmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe: quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

§. 8. Fratrum veſtitus, & ſuppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò uniformis ſit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quàm profeſſi ſunt, conveniant: ità ut nihil ſuperflui admittatur; nihil etiam, quod ſit neceſſarium alicui denegetur.

§. 9. Quæcumque Fratrum veſtes, ſive laneæ, ſivæ lineæ, omnisque alia ſuppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri

deputatis

deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

§. 10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive eadem (ut ajunt) pitantia, in comuni mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit, si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

§. 11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes, peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit, ipsos in aliquo Conventu comorari, eam pecuniæ quantitatem in comune conferant, ex qua sibi, & iis, qui secum erunt, victus ad præscriptum regulæ & constitutionum suppeditetur.

§. 12. Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditum sui Conventus, etiam nomine Conventus, per se ipsum habere, sive exercere possit, sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redditumque colligendorum curam habeat, alter tamquam depositarius, pecunias, ac cœtera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet: alius de pecuniis, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conventus universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta caritatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.

§. 13. Cœterum hi tres tam impensi, quam accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus ejusdem Conventus probatioribus, rerumque usu peritis rationem reddant; Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum advenerint: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo generali, saltem coram tribus Judicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universamque suæ administrationis tam publicæ, quam privatæ rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, ut ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

§. 14. In unoquoque Conventu, Fratrum is tantum deinceps constituatur, & imposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex comunibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis aliisve quibuscumque obventionibus in comune (ut præfertur) conferendis, commodè possit substentari; redditus verò, & supradicta omnia in comuni loco, ac tuto diligenter asserventur.

§. 15. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

§. 16. Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

§. 17. Si alicui ex necessaria causa, Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, & qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, & si commode fieri potest, si laicus conversus.

§. 18. Ut omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conventus clausura perpetuò, ac diligenter servetur, propterea à Superiore Janitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè comendetur: is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

§. 19. Nullus à Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaq; singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu; sed arbitrio suo, neque eumdem sæpius. Licentiæ vero generales exeundi, nulli omnino concedantur.

§. 20. Contravenientes autem pœna gravi etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur: eamdem etiam Janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

§. 21. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

§. 22. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.

§. 23. Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce activa, & passiva, biennio privatus existat, subiturus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine ulla exceptione locum habeant.

§. 24. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reservare possit; & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

§. 25. In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

§. 26. Nullus etiam Superior cellas sive in claustro, sive alibi separatas à comuni Dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum cœteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, uniformique supellectili (ut præfertur) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit, possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, si eorum muneris, & Officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

§. 27. Cellæ sive ædiculæ, quæ extra Dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad comunem usum, & comoditatem Conventus redigantur.

§. 28. Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

§. 29. In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac *Prædicatoris* exceptis.

§. 30. Conventus fenestræ omnes: que in vias publica, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ità obstruantur, ut omninò is prospectus impediatur.

§. 31. Veletudinarium in singulis Conventibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, comodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac caritate operam suam præstabunt, ac curabunt, nè quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§. 32. Ineatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra ad ea quamprimum revocentur, nec de cœtero, nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

§. 33. Nulli imposterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputatis.

§. 34. Curent Superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

§. 35. Ut omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes à directa, vel interdicta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cœteris præsertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter, inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris & pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes extendimus.

§. 36. In Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter serventur, jurentque Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, & gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueverint regulas Ordinis, & Constitutiones observare, præsertim quæ perinent ad servitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

§. 37. Eligantur in Capitulo generali, vel provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad hujusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoscumque Ordines, in quo servetur decretum Congregationis Interpretum sacri Concilii Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

§. 38. Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri: sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quæ in eorumdem Ordinum regulis, & constitutionibus de oratione mentali, silentio, & jejuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prunenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur, intelligantque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiores in annis Fratrum producant, valde opportunum erit si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique observantia.

§. 39. Quo vero omnia ordinatè peraguntur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distinctè adnotetur quid singulis horis cujusque diei quilibet Frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, majore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolatè custodiendæ erunt.

§. 40. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possit, districtè præcipimus Generalibus omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & adversus eas umquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalatus, & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine ulla exceptione respective incidisse.

§. 41. Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum observatio quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationem in Conventu, vel Monasterio cujuslibet Ordinis de Urbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, cœterosque quoscumque fratres præsentes, statim reliquos verò absentes citra montes, unius mensis, ultra montes, trium mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

§. 42. Insuper mandamus, quod Generales in Conventibus citra montes, unius mensis, ultra verò montes, trium mensium cursu Decreta supradicta publicari faciant, sub pœna privationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis.

Datum Romæ apud S. Petrum die 25. mensis Junii 1599. Dat. P. A. 8. die 25. Juli.

Aliud Decretum de licentia obtinenda à Fratribus Romam venientibus.

DEcretum illud, quod Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut Provincialis ipse ex causa communi totius Provinciæ dumtaxat facultatem hujusmodi facere valeat, declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reservatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus, singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi.

Dat. Romæ die 20, Martii 1601. D.P. An. 10 20. Marti.

Aliud Decretum, super casuum reservatione ab omnibus Regularium Superioribus observandum.

Hoc decretum non est in Bullario impresso.

SAnctissimus Dominus noster, qui jam pridem accuratè perpendit, ac re ipsa competit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superioribus admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem.

Regularium Superiores non reservent sibi absolutiones peccatorum exceptis infra dicendis.

§. 1. Ideò, ut huic malo Sanctitas Sua opportunè prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

1. Venefica, Incantationes, Sortilegia.

2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio. Nocturna, ac furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

3. Pro-

3. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.

4. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

5. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus. Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

6. Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.

7. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujusque personæ.

8. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

9. Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu.

Neq; confessiones audiant subditor. id proprio motu non petentium aut peccatorum non reservator.

§. 2. Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè, ac proprio motu id ab iis petierint.

Confessarii pro subdit. numer. deputentur, idonei, quibus reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, & confessarius judicaverit.

§. 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori, iique sint docti prudentes, ac caritate præditi, quia non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerint, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius judicaverit.

Superiores & Confessarii notitia dictorum peccator. ad exteriorem gubernat non utantur.

§. 4. Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem utantur.

Superiores graves pœnitetnias à Confessar. imponen. certis peccatis determinent.

§. 5. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.

Hæc observent cœteris quibuscumq; non obstan

§. 6. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit, Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cujusvis Concilii etiam generalis decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut regulis in generalibus, seù provincialibus capitibus editis, statutis, & constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & concessionibus quorumcumque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cœterisque in contrarium facientibus, quibuscumque.

D.P. An. 2. die 26 Maij

Dat. Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maji, Anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declaravit, & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice Pœnitentes regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate absolvere.

Non est in Bullario impressum

Aliud de Formula concedendi facultatem pro Novitiis ad regularem habitum recipiendi in Monasteriis, & locis designatis.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens divina providentia Papa VIII. cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum revocare maximè cuperet, regularesque omnes, vitam, moresque suos ad rationem ejus instituti, quod quisque professus esset, ita componere, ut quæ ad votorum vim, habitum, victumque comunem pertinent, ea potissimum singuli religiosissimè observarent, generali decreto, quod de mense Junii editum tertia Julii anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Novitios reciperent, aut quemquam ad professionem ante admitterent quàm à Sanctitate Sua Monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent, in quibus observantia regularis vigeret.

Et vide etiam in decreto subsequenti.

Nunc verò eadem Sanctitas Sua à locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandaverat, certior facta infrascriptis Monasteriis, & Conventibus Ordinis N. præfinitum esse numerum, dumtaxat eorum, qui vel ipsius Monasterii censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commodè possunt, atque in iis omnia fideliter observari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione conjuncta; nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, una cum cœteris decretis particularibus, vel Instituti ipsius vel Pontificiis etiam ad victum, vestitumque communem spectantibus (ipso decreto, ut supra edito, & promulgato, nequaquam obstante) potestatem facit Superiori ejusdem Ordinis Novitiatus in infrascriptis Monasteriis, & Coventibus erigendi, & Novitios recipiendi, educandi, atque ad professionem admittendi, modo tamen id ad præscriptum instructionis, jussu Suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea est sua Sanctitatis mens, & voluntas, ut in Monasteriis, & Conventibus ad alendos Novitios præfinitis, regularis observantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, ut in ipsis præscriptus jam personarum numerus in posterum servetur, nullusque omninò Superior cujusvis conditionis, personarum, & Novitiorum numerum augere præsumat, ea pœna proposita, ut in omnibus privatus officiis, vocis activæ, & passivæ jus omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua hujusmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apostolicæ hoc Decreto Secretarii manu subscripto concedi, non obstante Decreto, ut supra promulgato.

Datum Romæ die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum..., Clericorum .., Novitiorum..., Conversorum autem...

N. Visitationis, & Reformationis Apost. Secr.

Aliud decretum super forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum, & professionem.

Edita A. D. 1602. die 19. Martii.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Clemens divina providentia Papa Octavus, qui aliàs pro regularis disciplinæ restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum Novitios in posterum reciperent, receptosvè ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cujusvis Ordinis Monasteriis, seu Conventibus, (in quibus Novitiatus pro recipiendis, & educandis Novitiis designarentur, & approbarentur) ad ejus, quam professi sunt, regulæ præscriptum, vitam, moresque restituerent, & componerent, certior deinde factus, quosdam omnium ferè Ordinum Conventus, seu Monasteria ad pristinam illam regularem vivendi formam, & disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta, in eisdem Monasteriis, & Conventibus, ut Novitiatus erigi, Novitiique recipi possent, sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, ut licentia à Congregatione Reformationis Apostolicæ prius obtenta esset) concessit, & ad illa designavit, & approbavit. Nunc volens, ut ea, quæ pro Novitiorum receptione, de mandato Sanctitatis Suæ præscripta fuerunt, in posterum accuratius, & exactius observentur, ultra formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis Suæ super receptione Novitiorum, decrevit, ac præsentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad Novitios recipiendos de Sanctitatis Suæ, seù dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus designandis, & approbandis.

Est suprà in Bullar. pag. 95. t. 3. ubi sunt etiam in marg. Apostillæ, quæ propterea omittuntur.

Ad hoc vide etiam recens Decretum.

Novitii ad habitum recipi ullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum Diœcesi Novitiatus existunt, in quibus Novitii ipsi recipiendi fuerint, expressa & nominatim Novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios, omnem curam, & diligentiam adhibere, ut circa ætatem conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, cœterasque qualitates in ipsis Novitiis requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factæ, & publicatæ neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant. Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & juxta Constitutiones prędictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum, qui in admittendis ad habitum, & professionem Novitiis, formam constitutionum, & institutionum prædictarum non servaverint, aut Novitium aliquem quantumvis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conventu, & loco, seu Monasterio, pręterquam in hactenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis pręscriptum, seu pręscribendum receperint, vel admiserint, seu aliàs pręmissis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quidquid secus, vel aliàs, quavis auctoritate à quovis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscumque, &c.

D.P. An.2, 29. Maij.

Dat. Romæ apud S. Petrum, die 19. Maji 1602. Pont. ejusdem S.D.N. Anno 11.

Edita A.D. 1630.

Aliud de Institutionibus super receptione, & educatione Novitiorum Religiosorum in Monasteriis, & Conventibus designatis, vel designandis, Clementis ejusdem jussu editum.

Cum ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam, Novitiorum institutio maximè utilis sit, ac necessaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem relaxandam majorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex pręcipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Idcircò, ut hujusmodi incomodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis Novitiis, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac Decretis præsertim Concilii Tridentini, Pontificis, & cujuscumque Ordinis, aut instituti Constitutionibus continetur, tàm in aliàs designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & Conventibus, hæc quæ sequuntur, inviolatè observari, & exequi perpetuò curent.

Et suprà in Bullar. t. 3. ubi sunt etiam in margine Apostillæ, quæ propterea hic omittuntur.

Primum quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de uniuscujusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac pręcipuè eorum qui sextum decimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxii sint, juxta formam Constitutionis fel. rec. Sixti V. & Moderationum sub secutarum, illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquiran : ut quibus in Monasteriis, & Conventibus ex Apostolica facultate Novitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Sumorumque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat juxta Decretum super forma recipiendi Novitios die 19. Maji 1602. editum.

Quique recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur regularia instituta, & ordinationes requirunt : eam verò literarum scientiam caleat, ut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, ut minores, & suis temporibus, majores Ordines, juxta decreta Sac. Concilii Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens, ab habitum regularem admitti postulaverit, & ta lis eruditionis inexpers inventus fuerit, in Conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur; ipsi autem Conversi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, & nisi saltem præcipua Doctrinæ christianæ capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua mente, & voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut in ordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Provideant quoque, ut omnes etiam Conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur ab iis, quibus munus hoc incumbit de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, & aliis cujusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam Religionum moris est nedum Conversos ad professionem admittendos, verum, & oblatos, ut vocant recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem unaquęque Religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque instituta observare teneatur.

Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quod vero ad loci qualitatem uniuscujusque Novitiatus spectat, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte conventus, & Monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium, ita capax, ut pro singulis singuli lectuli comode sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro ejusque socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes comoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne comuni recipiant.

Oratorium insuper, seu Capella, si comodè fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus præsertim in cæremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quo que peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque munitus adsit, sin minus hortum cœteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Novitiis ibi commorantibus curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit)

ne

ne in eumdem quisquam alius ingrediatur.

Ad hujusmodi locum Novitiatus nemini ejusdem, vel alterius Ordinis, Regulari etiam Conventus, & Monasterii Officiali, ullo unquam tempore sub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro, ejusque socio, ac etiam Monasterii, aut Conventus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessariò existimaverit, quo tamen casu aliquem semqer ex senioribus Conventus, & Monasterii Patribus socium assumat.

Hujus loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere, si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magistro socius, si per Novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Novitiatus regimen spectant, dicto Magistro imediate subjectus existat, eligantur, tam Magister, quàm socius per provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, & socii hujusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seù Vicarios, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur, idemque servetur, si intra triennium alterum, vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant.

Tàm Novitiorum Magister, quàm socius ab iis omnibus officiis oneribusque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione præstiterit. Socius verò trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationis prçterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, caritateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione ab ira præsertim, & indignatione, quæ in se, & erga alios caritatem impedire consueverunt, quam longissimè alieni, & tales, demum qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ subsunt, illos non tàm metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

Habere etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus regimen, ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque præcipue divinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solemnium, & quam necessaria cujusque Ordinis Constitutionum observantia, modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia, ad quæ natura peccatum labefactata, omni tempore prout est, atque procli vis, per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis, prçsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro prçscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisque divinis Officiis assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & comodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadis longior statuatur, fiatque semper Magistro præsente, vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis comorentur disjuncti, atque eo tempore cujusque in quam natura feratur propensionem, & scrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatus, & Probationis tempore una cum Professis nisi in Choro, & in Ecclesia tempore Officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis comorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

Pro comunibus, & propriis cujusque necessitatibus, quæ accidere possunt, unus ex novitiis ipsis ætate, moribusque provectior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ custodia, & rerum levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit.

Cum autem, licet Clericorum benè instituendorum cura debeat esse præcipua, Conversorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christifidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Conversis ipsis à Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum comode fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conventuum juxta cujusque Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa corporalia. obsequia probandi, & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & comoditate, de spiritualibus, prçsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut comodius fiat ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Novitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ij tantum, qui non solum religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dumodo ætatis suæ annum, quoad Clericos decimum sextum, quo verò ad Conversos, vigesimum primum excesserint (ad professionem admittantur. Sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat,

beat, in quo Novitii professio registretur, illamque novitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant.

Conversus verò literarum ignarus, professus in eorumdem testium, qui & subscripserint, præsentia, propria manu signum crucis apponat, asservetur que libet, & custodiatur in Archivio, ubi scripturæ ad Monasterium, seu Conventum pertinentes reponi consueverunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quòd licet decretum sit, ut Novitiis educandis certa Monasteria, aut Conventus designata quilibet Ordo habere debeat licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conventuum hujusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios, juxta cujusque Ordinis constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cum juxta præsentes Institutiones, & aliàs servatis servandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, ubi tamquam dictorum Coventuum, seu Monasteriorum filii, eorumdem nomine, & instantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conventus filiationis hujusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem ut permissum est exerceri debebunt.

Porrò, ne loca unius Monasterii, seu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut Provincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis Conventibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinæ observantia stabiliantur, & confirmentur; mandatur, ut statim post professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasteriis pro Novitiatibus assignatis locus aderit secundi Novitiatus, sive Professori, ab ea, quæ Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventus eos alere queat, sin minus in alium commodiorem Conventum, aut Monasterium transferantur, in quo his locus cum requisitis ad Novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum Constitutionum, seu Institutorum vigore majoris temporis cursu novos professos intra Novitiatum detinere consuescunt, quibus, in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum Constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant sub regulis, & modo vivendi adhùc arctiori, quam servent antiquiores professi, ita quod in negotiis Monasteriorum, aut Conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò, & debebunt literarum studiis operam navare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum prædictum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Novitios, in locis pro nisi Novitiatus designatis, aut imposterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alii, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros certo sciant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 19. Martii 1603. D. P. An. 2. 19. Martii.

Antonius Seneca Reformationis Apost. Sec.

Anno 1624. Indictione septima Pontificatus autem Sanctiss. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. Anno ejus Secundo, die verò 26. mensis Octobris, supradicta Decreta tàm Sacræ Congregationis Concilii, quam san. mem Clem. VIII. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateran. & Principis Apostolorum necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Julium Marzitellium Cursores Sanctissimi. Publicatio.

Brandimartes Latinus pro Magistro DD. Cursorum.

XXIX.

Deputatio Francisci Ubaldi Sac Rotæ Auditoris in Præsidentem, & Judicem probationum Equitum Religionis Militiæ Christianæ.

Erexit Pont. Militiam istam in sua Const. 9. Imperscrutabilis *hic sup. ubi notavi. Hanc autem deputationem posui ad cognoscendum de facultate Judicis hujus Militiæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Edita A. D. 1624.

§. 1. Cum Nos nuper supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuæ, ac Caroli Nivernieñ Ducum, necnon Adolphi Comitis de Althan Nobis humiliter porrectis inclinati, unam militiam Christianam nuncupandam sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ sub certis modo, & forma, tunc expressis Apostolica Auctoritate erexerimus, & instituerimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur. Erectionis hujus Militiæ relatio.

§. 2. Idcirco, ut eorum, qui habitum per dictæ Militiæ Fratres Milites gestari solitum susceperunt, professionem per eosdem emitti consuetam expressè emittere voluerint, regulares nobilitatis, & aliorum requisitorum probationes rectè, & juxta ejusdem Militiæ Statuta, Apostolica auctoritate confirmata fiant, quantum cum Domino possumus providere volentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, doctrina, rerumque experientia plurimum in Domino confisi, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Te in præsidentem, seu Judicem probationum prædictarum cum omnibus, & singulis honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis solitis, & consuetis ad nostrum beneplacitum tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, tibique, ut probationes prædictas sufficientes, vel non sufficientes juxta ejusdem Militiæ Statuta seu stabilimenta eadem auctoritate confirmata decernere, & declarare in actis Notarii, per te eligendi, & nominandi, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, dicere, gerere, & exequi libere, & licitè possis, & valeas, auctoritate, & tenore præsentis plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Judicis deputatio, de qua in rubrica.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque. Obstantium derogatio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1624. Pontificatus Nostri anno secundo. Dat. P. A. 2. die 26. Sep.

Revo-

XXX.

Revocatio concessionum diversorum Officiorum, ac Privilegiorum, exemptionum, gratiarum, & indultorum, in præjudicium Sedis, & Cameræ Apostolicæ emanatarum.

Ad hujusmodi materiam plures extant Pontificiæ Constitutiones.

Edita A.D. 1624.

URBANUS EPISCOPUS.
Servus Servorum Dei;
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus revocationis.

Superni benignitas Conditoris, cujus admirabili providentia cuncta reguntur, cum nullis nostris suffragantibus meritis, Nos ad sublime evexerit Apostolicæ dignitatis fastigium, universam Reipublicæ curam, ad ipsius Dei laudem amplectentes, ad hoc inter alia nostræ Pastoralis vigilantiæ studium duximus adhibendum ut officia tàm Romanæ Curiæ, quàm alia ad Sedem Apostolicam pertinentia, à probatis viris exerceantur, ac illa personis idoneis, modoque debito conferantur; Camera nostra Apostolica, quam ob varias Superiorum temporum causas, magno ære alieno conflato, & ejus ærario exhausto, in maximas redditUum, & pecuniarum angustias incidisse comperimus, ab ære alieno, ac angustiis hujusmodi, quantum in Nobis est sublevetur: frumentorum, & aliarum rerum ad communem vitæ usum pertinentium copia in hac Urbe nostra, & reliquo Statu Ecclesiastico conservetur, & vigeat; ejusdem Sedis auctoritas, & Romanæ Curiæ dignitas eluceat, ac per debitæ reformationis, & provisionis occursum impedimentis quibuscumque sublatis, omnia prospere dirigantur, ac justitia duce, quod suum est unicuique tribuatur, felicique profectu virtus undique suscipiat incrementum.

Narrat hic Pont. inconvenientia, quæ proveniunt ex hujusmodi concessione officiorum.

§. 1. Cum itaque inter cœtera, quæ mentem nostram non modicè perturbarunt, atque perturbant, invenerimus ploraque sedis, & Cameræ prædictarum officia, seu munera, præsertim ad ministrationem habentia & quæ amovibilia sunt, & esse debent tàm in Urbe, quàm extra eam, contra eorum naturam, consuetudinem, per ambitionem, & importunitatem (ut credimus) impetrantium, ad vitam, & non solum unius, verum plurium etiam personarum, concessa fuisse, necnon super illis, & aliis etiam Romanæ Curiæ prędictæ officiis, etiam perpetuis coadjutoriias cum futura coadjutorum successione, factas, & constitutas esse: quo fit, ut eadem officia, quæ antea personis benemeritis, & idoneis, ac doctrina, prudentia, & consilio prædîtis, experientiaque, & ætate maturis concessa sunt, interdum ad personas minus idoneas, coadjutoriarum nomine, deveniant, in Sedis, & Curiæ hujusmodi dignitatis diminutionem, & ipsorum officiorum detrimentum.

Enumerat Const. editas pro conservatione abundantiæ Annonæ.

§. 2. Et licet plerique Romani Pontifices Prædecessores nostri, & novissimè fel. record. Paulus Papa Quintus ad indemnitatem Cameræ prędictæ, necnon Cummunitatum, & Universitatum Status Ecclesiastici opportunè consulendum, ac etiam ad ubertatem Annonæ & Grasciæ in Urbe, Statuque prędictis conservandum, & augendum, plures Constitutiones ediderint.

§. 3. Et inter alia idem Paulus Prædecessor per binas suas in forma Brevis editas Constitutiones, in una videlicet omnes, & quascumque imunitates, & exemptiones à solutione Gabellarum, datiorum Impositionum, & aliorum onerum Cameralium quorumcumque & quæ etiam per Comunitates, & Universitates pro eorumdem onerum Cameralium solutione, & publicorum munerum supportatione indicta, & imposita, ac exigi solita erant.

§ 4. Necnon assignationes, & provisiones super Cameræ prędictæ redditibus, & juribus, pœnarum quoque maleficiorum applicationes, approbationes, cęterasque tàm illarum, & Cancellariarum, sive bancharum civilium, & criminalium, ac Secretariarum, & illarum emolumentorum, quàm bonorum, jurium ejusdem Cameræ cujusvis qualitatis, & quantitatis gratias, & concessiones, in prejudicium ipsius Cameræ eatenus concessas, & factas.

§. 5. Et in altera omnia, & singula, ac quęcunq; privilegia, licentias, & facultates, frumenta, blada, legumina animalia, oleum & alia, tàm Annonam, quàm Grasciam concernentia, etiam in propriis eorum prędiis, possessionibus, agris, & terrenis pro tempore recollecta ex quibuscunque status nostri Ecclesiastici temporalis, Provinciis, ac Civitatibus, Terris, Castris, & Locis, eorumque Territoriis, & districtibus Nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè quomodolibet subjectis extrahendi, similiter eatenus concessa, prętterquam quoad aliqua tunc expressa, ac alias modo, & forma in eisdem Constitutionibus, & literis desuper expeditis, contentis, revocaverit, & prædecessorum suorum prædictorum Constitutiones, ordinationes, & literas desuper expeditas, & omnia in eis contenta perpetuò approbando, confirmando, & innovando, illis, & illa, ex tunc de cætero observari mandaverit, ac frumenta, blada, legumina, oleum, animalia, & alia prędicta extra Statum Ecclesiasticum extrahi sub excommunicationis, & aliis gravissimis pœnis de novo expressè prohibuerit.

§. 6. Et postremò idem Paulus Prędecessor ad tollendam omnem dubitationem super ultimo dicta Constitutione excitatam per suam Motus proprii cedulam die vigesima sexta Augusti Anni Domini millesimi sexcentesimi sexti: publicatam sub ultimo dicta ejus Constitutione, quęcumque loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate subjecta compræhendi, & compræhensa fuisse, & esse declaraverit, & quatenus opus sit, illam cum omnibus in ea contentis ad loca prædicta extenderit, & ampliaverit, prout in eisdem constitutionibus, & cedula latius continetur.

§. 7. Nihilominus cum acceperimus nonnullos contra dictas constitutiones, & literas easdem immunitates, exemptiones, privilegia, extrahendique facultates, & gratias, quæ antea eis concessa fuerant, confirmari, & innovari, ac in pristinum restitui, ac respectivè tam ipsos, quàm alios, etiam Communitates, Universitates, Collegia, & loca diversa, & forsan majora, & etiam quod in quibusdam Provinciis, Civitatibus, & locis, spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum fieri, & colligi non possint, ac alia privilegia Sedi, & Cameræ prædictis, Romanique Pontificis supremæ potestati, ac ejusdem, & Sedis, & Romanæ Curiæ dignitati, & auctoritati præjudicialia sibi dari, & concedi impetrasse, obtinuisse, seù potiùs extorsisse.

§. 8. Nos pro debito pastoralis Officii hos, & alios abusus, & corruptelas, necnon damna, & præjudicia, quæ circa præmissa hactenus irrepserunt, & facta sunt, ac quotidie augentur, & fiunt, è medio tollere volentes, Motu proprio, non alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & deliberatione nostris ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura constitutione, in primis omnes, & quascumque ad quęvis officia, & munera etiam collegiata, etiam militaria, ac etiam venalia tàm perpetua, quàm temporalia Sèdis, & Cameræ Apostolicæ, ac Romanæ Curiæ, & tàm in Urbe, quam extra eam, & in quibusvis etiam Avenionen, Bononien, Ferrarien, Beneventan, aliisque Civitatibus, Terris, Locis, Dominiis, & Regnis, ad Nos, Sedemque prædictam, nostramque, &

Revocat quascumque coadjutorias, & prerogatione officiorum.

ejusdem

ejusdem Sedis collationem, concessionem, & deputationem quomodolibet pertinentia coadjutorias & coadjutorum quorumcumq; deputationes, constitutiones, necnon eorumdem officiorum, & munerum ad vitam cujusque illa obtinentium excedens, concessiones, confirmationes, & prorogationes, etiam in remunerationem laborum, meritorum, ac etiam prętextu expensarum factarum, damnorum passorum, seù illorum intuitu, aut ex quavis alia causa, per quosvis Prędecessores nostros Romanos Pontifices, Sedemque prędictam, & illius officiales etiam Motu simili, & cum quibusvis decretis, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliàs quomodolibet ad favorem quarumcumq; personarum factas, & concessas; veluti quandam imaginem hæreditariæ successionis repræsentantes, ac dictæ Sedi, bonoque publico, ac ipsi, officiis perniciosas, & quascumque literas etiam sub plumbo, & in alia quavis forma expeditas cum omnibus indè sequutis, quæ hactenus tamen per obitum illa obtinentium, aut aliam quamcumque vacationem effectum sortitæ non sunt, necnon quoad illarum perpetuitatem, & quoscumq; concessiones, confirmationes, extensiones, seù prorogationes ad vitam officiorum, & munerum quorumcumq; pręsertim negotiorum, & pecuniarum dictæ Cameræ administrationem, vel causarum civilium, seù criminalium cognitionem, advocationem, defensionem, seù etiam procurationem, & solicitationem concernentium ad collationem, concessionem, & deputationem scilicet pro tempore Romani Pontificis Sedisque prędictæ spectantium, quæ à primęva eorum erectione, seù ex inveterata consuetudine perpetua, & ad vitam concedi solita, seù collegialia non sunt, ac etiam ea quæ extra Romanam Curiam exercentur per quoscumq; Prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac Nos Sedemque prædictam ex quavis causa, etiam Motu simili, & ex certa scientia, & de similis potestatis plenitudine in favorem quarumvis personarum, cum quibusvis decretis, & clausulis etiam insolitis, & derogatoriarum derogatoriis, & aliàs quomodolibet factas revocamus, ac irritas declaramus, ita ut in re, vel ad rem, sivè in possessorio, sive in petitorio, etiamsi ad plures actus positivos, & possessorios deventum fuerit, coadjutoribus, & deputatis acquisitum dici aut censeri non possint, sed officia, & munera prædicta libera sint, & remaneant, ac ut priùs libere conferri, & concedi possint, æquè ac si coadjutoriæ, & coadjutorum deputationes, & constitutiones, ac earumdem officiorum concessiones, extensiones, & prorogationes minimè factæ fuissent, ac in futurum coadjutorias, & coadjutorum deputationes, constitutiones, ac officiorum, munerum prędictorum ad plurium, vel unius vitam contra primævam eorum naturam, & antiquã consuetudinem, concessiones, extensiones & prorogationes quascumq; hujusmodi tanquã apprimè pręjudiciales, ac rei publicæ, bonoq; gubernio damnosã reprobam⁹, ac in posterũ fieri prohibemus.

Reservat officia pro quibus salaria de pecuniis Cameræ persolvuntur.

§. 9. Quinimò omnia etiam, & singula Officia, seù munera tam in dicta Urbe, quàm extra eam, & etiam in quibusvis Regnis, & Dominiis consistentia, pro quibus solaria de pecuniis Cameræ nostræ prędictæ persolvuntur, seù quæ negotiorum, vel pecuniarum Cameræ prędictæ administrationem, vel causarum tàm civilium, quàm criminalium cognitionem, advocationem, defensionem, procurationem, seù sollicitationem habent per quosvis etiam Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ officiales, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos conferri, seù concedi solita (non tamen ea, quæ ab initio, venalia, vacabilia, & perpetua legitimè erecta ratione officiorum majorum, que obtinent eis specialiter assignata, seu concessa sunt, in quibus aliquid innovare non intendimus) nostræ, Romanorumq; Pontificum Successorum nostrorum dispositioni ita reservamus, ut ex nunc, in perpetuum, & quandocumq; illa à Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus ad nutum quibus libuerit, quibuscumque deputationibus, & concessionibus, per officiales etiam Cardinales, & Legatos prædictos quibusvis personis, quomodolibet hactenus factis, & in posterum forsan faciendis minimè obstañ, dari, & concedi possint.

Coadjutorias & sup. dictas officior. concessiones, uti Rom. Pont. præjudiciales nullas declarat.

§. 10. Cum Nos ab omnibus officiorum coadjutoriis, & coadjutorum deputationibus hujusmodi, necnon ab eorumdem officiorum, & munerum ad vitam plurium personarum, sive etiam unius contra eorum primævam institutionem, seu antiquam consuetudinem concessionibus, deputationibus, confirmationibus, & prorogationibus de cætero abstinere intendamus, & quæ Nobis licere non patimur, ac videntur incongrua, & præjudicialia successoribus nostris Romanis Pontificibus etiam indicamus, & sic neque eosdem successores nostros Romanos Pontifices similia concessuros esse arbitremur; ob id omnes, & quascumque similes, vel dissimiles concessiones, deputationes, confirmationes, extensiones, & prorogationes, quæ contra pręsentium formam, & tenorem à Nobis & successoribus nostris prædictis quando cumque (quod non credimus) emanarent, per subreptionem, obreptionem, ac præoccupationem potiùs, extortas, quam obtentas, ac nullas, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, & censeri, neminique suffragari posse, vel debere, & æquè, ac si factæ, & concessæ non essent, decernimus, & declaramus.

Exemptiones à solutione onerum Cameralium abrogat.

§. 11. Præterea pro indemnitate Cameræ nostræ, ac ubertate Annonæ, & Grasciæ tàm in Urbe, quàm in toto Statu Ecclesiastico conservanda, prędictorum Pauli V. & aliorum Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum vestigiis inhęrentes, illorumque constitutiones etiam opportunè extendentes, Motu, scientia, & potestate similibus omnes & quascumque immunitates, & exemptiones à solutione subsidii triennalis, quatreni carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, Archivii, foglietæ, triremium, utensilium, nec non Dohanarum, Gabellarum, Datiorum, taxæ Portus Anconæ, quatrenorum, tractarum, & aliarum impositionum, & onerum Cameralium, & etiam eorum, quæ per Communitates, & Universitates pro eorumdem onerum Cameralium solutione, & publicorum munerum supportatione, ac pro viis, & Pontibus construendis, & manutenendis, seù alias indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, ac etiam recipiendi, & hospitandi milites, & Sedis Apostolicæ officiales, barigellos, executores, aliosque justitiæ ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi, ac aliorum quorumcumque tàm realium, quàm personalium, seù mixtorum, ordinariorumque, & extraordinariorum quorumcumque.

Privilegia ne spolia fiant, irritat.

§. 12. Necnon omnia privilegia localia, ne scilicet in quibusdam Civitatibus, Locis, & Dominiis temporalibus, etiam Avenioneñ, Bononieñ, Ferrarieñ, Beneventañ, seu aliis Provinciis, Civitatibus, & locis, etiam privilegiatis, & speciali nota dignis (non tamen in Urbe prędicta, & ejus districtu, pręter, & contra formam Constitutionis ejusdem Pauli Prædecessoris in favorem Curialium, & Incolarum, dictæ Urbis editæ, quam in suo robore permanere, & omninò servari volumus) Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum spolia fiant, & colligantur, & Commissarii, & Collectores spoliorum & jurium dictæ Cameræ debitorum in eis non retineantur, vel ad ea non transmittantur, seu

in illicitæ negociationis, dispositionum contra Constitutiones piæ mem. Pij Papæ V. etiam Prædecessoris nostri in illegitimos factarum, apostatarum, & clericorum extra residentiam decedentium seù aliis causis non procedatur.

Assignationes in præjudicium Cam. annul

§. 13. Ac omnes etiam, & singulas provisiones, assignationes super Cameræ prædictæ redditibus, & juribus, pœnarum quoque maleficiorum, & introituum applicationes, appropriationes, nec non Cancellariarum, Notariatuum, seù Bancharum, civilium, & criminalium, Secretariarum, & illarum emolumentorum, aliorumq; jurium, & bonorum stabilium Cameræ, et Communitatum prædictarum cujusvis qualitatis, & quantitatis gratias, concessiones, & alienationes quascumque in præjudicium earumdem Cameræ, & Communitatum.

Indulta super bonis stabilibus Cameræ revocat.

§. 14. Necnon indulta de bonis stabilibus, & juribus ejusdem Cameræ in Civitate nostra, & districtu Ferrarieñ, seu alibi consistentibus, certis personis tantum infeudandis, per piæ mem. Gregorium Papam XV. etiam prędecessorem nostrum concessa.

Privilegia quæcumq. extrahendi frumenta abrogat.

§. 15. Ac omnia, & singula privilegia, licentias, & facultates, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, olivas, & alia quęcumque tam Annonam, quàm Grasciam concernentia, etiam in propriis eorum prędiis, possessionibus, agris, & terrenis pro tempore recollecta, tàm ad effectum extra Statum Ecclesiasticum, quam etiam ad loca mediatè, vel immediate Sedi Apostolicæ subjecta; præterquam ad Urbem prædictam asportandi, etiam tempore Annonæ difficultatis, & pro usu proprio, vel ad effectum in eorum, vel alienis quibusvis Molendinis molendi, sive terra, sive mari, vel per aquam dulcem ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporalis Provinciis, & etiam à dicta Urbe, ac Civitatibus, Terris, Castris, & locis, eorumque Territoriis, & districtibus, Nobis, & dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis extrahendi, aut illa ultra usum contra tamen formam constitutionum, & ordinationum Apostolicarum, & bannimentorum desuper editorum, & edendorum emendi, ut ac discitur, etiam incettandi, per quoscumque Prędecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & Cameram prędictam, seu etiam Legatos, Vicelegatos, Gubernatore, Officiales, & Ministros, quibusvis etiam Avenioneñ, Ferrarieñ, Beneventañ, & aliis etiam speciali nota dignis Civitatibus, & illarum Regiminibus, Communitatibus, & Universitatibus, necnon familiis, nobilibus, Principibus, Ducibus, & Marchionibus, Baronibus, Domicellis, & quibusvis aliis personis quacumque etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & Cardinalatus, aliaque tam seculari, quàm Ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ratione guberniorum, & aliorum officiorum, & munerum eis commissorum, etiam pro se, & filiis, eorumque hęredibus, & descendentibus, necnon familiaribus, & inservientibus, colonis etiam partiariis, laboratoribus, & affictuariis, ac pro eorum Civitatibus, Terris, Castris, Villis, Casalibus, Prędiis, Vineis, & aliis bonis stabilibus, fructibus, juribus, & actionibus perpetuo, vel ad tempus, ac in toto vel pro parte, & etiam causa emporiorum, seu nundinarum etiam publicarum, aut alias, & ex quavis causa, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & alia quantumvis urgentissima, ac de necessitate exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiamsi in appaltuum, seu locationum instrumentis promissum, & cautum sit, illas observari debere, Appaltatoresque, & Conductores ad illarum observationem teneri, ac illas quomodo cumque, & qualitercumq; hactenus, in genere, vel in specie tam ante, quàm post ejusdem Pauli V. & aliorum Prędecessorum, prędictorum, & quandocumque datas, factas, seu confirmatas, restitutas, reintegratas aut alias concessas, & inde, etiam auctoritate Judicis, secuta quęcumq; etiam perpetuò, ac Motu, scientia, & potestate similibus revocamus, & abrogamus.

Constitutiones Pontificum contra extrahentes innovat.

§. 16. Necnon similis memoriæ Pauli III. & Julij etiam III. Pii V. Sixti V. prędictorum, ac Clementis VIII. similiter Romanorum Pontificum prędecessorum nostrorum, et quæ incipit. In maximis rerum difficultatibus, per prædictum Paulum V. prædecessorem sub Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesima tertia Decemb 1605 Pontificatus sui Anno Primo editas constitutiones exemptionum imunitatum, concessionum, & gratiarum prędictarum, revocatorias, ac fel. mem. Pij IV. super revocatione similium licentiarum, & facultatum extrahendi frumenta, blada, & legumina ex Provinciis, Terris, & locis, dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis, quibusvis concessarum, ac prohibitione ne à dictis Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis frumenta, blada, & legumina prędicta quicumq; extraherent, ac dicti Pji V. per quam, revocationem, & prohibitionem ejusdem Pij Papæ IV. ad licentias, & facultates quodcumque genus Grasciæ, etiam in carnibus, ovibus, agnis, & aliis animalibus, necnon oleo, ac rebus aliis quibuscumque consistentes extendit, & ampliavit, & Gregorij XIII. pariter Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum, per quam omnibus & singulis Communitatibus, Universitatibus, & quibuscumque personis inhibuit, nè quovis prætextu directè, vel indirectè cujusvis generis, frumenta, blada, legumina, atque animalia quæcumque extra Statum Ecclesiasticum extrahere, & asportare auderent, seù pręsumerent, & ejusdem Gregorii XIII. sub Dat. die prima Maij 1578. sui Pontificatus anno sexto, per quam quod nulli, sibi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecti cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existerent, etiamsi Barones Domicelli Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini in temporalibus existerent, sub excommunicationis majoris, ac læsæ Majestatis criminis, dominiorum, & bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, & quorumvis privilegiorum suspensionis, ac aliis etiam Pecuniariis arbitrio suo imponendis, & applicandis, ac etiam in publicis edictis, & proclamantibus per Annonæ Præfectos pro tempore tàm eatenus editis, & emissis, quàm in futurum edendis, & emittendis, contentis censuris, & pœnis tridicum, hordeum, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges, à terris, & locis dicti Status Ecclesiastici absque expressa ipsius Gregori Prædecessoris, & ab eo obtenta in scriptis, & ejus manu signata licentia, extrahere, vel extrahi facere nullique ex prædictis, eorum Subditos, & Vassallos aut aliàs quascumque personas, quominus triticum hordeum, legumina, frumenta, & fruges prædicta in quibusvis locis eis subjectis, quovis prætextu etiam molituræ, aut cujusvis alterius oneris solutionis ad Almam Urbem afferent prohibere, aut per se, vel alium seu alios directè, vel indirectè impedire auderent, quin potius illis sic

afferentibus omnem opem, & favorem præstarent, ac insuper nulli, quamlibet tritici, ordei, & leguminum, omnis que generis frumentorum, & frugum quantitatem, nisi pro suo, suarumque familiarum unius anni dumtaxat usu emere valerent, & contrafacientes pœnas prædictas incurrisse declararentur, & aggravarentur ipso facto, non obstantibus etiam privilegiis, indultis, literis, & gratiis Apostolicis quibusvis personis, Civitatibus, Terris, & locis in genere, vel in specie, etiam ex causa onerosa concessis, statuit, atque decrevit, ac dicti Clementis per quam prædicta omnia, dempta ex illis excommunicationis pœna, approbavit, & confirmavit, necnon ejusdem Pauli V. per quam omnes, & singulas Pii IV. Pii V. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Prædecessorum suorum constitutiones, & literas in quibuslibet earum partibus, quoad excommunicationis, & alias Ecclesiasticas censuras quantum attinet ad frumentorum bladorum, leguminum, & olei extractionem innovavit, ac privilegia, licentias, & facultates extrahendi prædicta revocavit, ac frumenta, hordea, legumina, & alia Annonam, & Grasciam concernentia, sub excommunicationis, & aliis censuris Ecclesiasticis, & pœnis temporalibus supradictis extra Statum Ecclesiasticum extrahi prohibuit, ac aliam per quam ultimo dictam ipsius constitutionem, innovationem, prohibitionem, & revocationem ad loca immediatè Sedi Apostolicæ subjecta extendit, & ampliavit, in quibuslibet earum partibus, demptis tamen ex illis pœna excommunicationis, & aliis censuris Ecclesiasticis, præterquam in casibus, in quibus extra Statum nostrum Ecclesiasticum, vel ad loca Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & aliorum quorum dominia in confinibus dicti Status nostri Ecclesiastici existunt extractio mercimonii causa fiet, Motu, scientia, & potestate paribus similiter perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, illasque adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes, & moderationes in pristinum, & eum in quo antequam illa emanarent erant statum, restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, illasque & earum singulas, ab omnibus, & singulis ad quos spectat, sub temporalibus pœnis prædictis in illis contentis inviolabiliter de cætero observari debere.

Assignationes restitutas ad Cam. respectivè pertinere decernit.

§. 17. Ac provisiones, assignationes, pœnas maleficiorum, emolumenta, impositiones, gabellas, vectigalia, & alias res, bona, & jura prædicta ex hujusmodi revocatione, prohibitione, & constitutione, restituta eidem Cameræ, & respectivè Communitatibus prædictis, & non aliis, quibus forsan illarum redditus, & proventus locati, & appeltati reperiuntur, licet antequam exemptiones, concessiones, assignationes, & alia prędicta emanassent, aliter dispositum fuerit, omninò deberi, ac ad illa omnia, & singula Cameram ipsam, nec non Communitates, & Universitates eo ipso, absque alia adepta, seu recuperata possessione restitutas, & reintegratas fore & esse præcipimus, statuimus, & ordinamus.

Excepit exemptiones quibuscumque de jure competen.

§. 18. Per prædicta autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuscunque personis Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quam regularibus de jure competentes, minusque immunitates, & exemptiones, ac extrahendi, & alias facultates, applicationes, et alia Thesaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introituum, & jurium Cameræ nostræ ab ipsa Camera, seu aliis illius nomine in apaltuum, & locationum instrumentis, & illorum ratione concessa.

Excepit privilegia ex causa verè onerosa.

§. 19. Et insuper à revocationibus omnibus, & singulis supradictis excipimus, & exceptas esse volumus, & declaramus, immunitates, exemptiones, confirmationes, extensiones, prorogationes, facultates, privilegia, concessiones, & alienationes quibusvis Communitatibus, Universitatibus, & aliis quibuscumque data, facta, & respectivè concessa in vim contractus ex causa verè onerosa; videlicet congruæ, & effectualis Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitimæ factæ peccuniarum solutionis, vel ex aliis causis rationalibus per Nos cognoscendis, & approbandis, & etiam declarandis, quas causas omnes onerosas, nonnisi legitimas, ac licitas, & honestas, prout de jure approbare intendimus, & propterea illa obtinentes quicumq; in eadem Camera, citato dilecto filio ipsius Cameræ Commissario generali illas verificari, in ipsaque Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamsi gratiæ, concessiones, privilegia, literæ instrumenta, cęteraque prędicta aliàs in eadem Camera admissa, & in ea, suisque libris fuerint, & sint registrata, quatenus tamen causæ onerosæ prędictæ pro verè onerosis, & legitimis, ut supra aliàs in eadem Camera verificatæ ac approbatæ, & judicatæ non sint, quo casu ad indicationem tantum non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus.

Excepit immunitates Cardinalium & Cameralium.

§. 20. Excipimus etiam immunitates, & exemptiones dictæ S. R. E. Cardinalibus, ratione dignitatis Cardinalatus, & Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi solitas, ac etiam exemptiones, quibus ad præsens Prelati, & Officiales RomanæCuriæ, ac Prelati domestici, Cubicularii secreti, & Secretarii, ac alii Famili res & continui Commensales nostri, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum in rotulo descripti.

Excepit facultates testandi eorumdem.

§. 21. Necnon facultates testandi de quibusvis bonis etiam ubicumque sitis, & in illis, eis ab intestato succedendi dictis Cardinalibus, ac nostris, & Romanorum Pontificum Predecessorum nostrorum familiaribus, & continuis Comensalibus, etiamsi illi familiares postmodum esse desierint, vel desinant, & aliis quibusvis etiam gratuito, & quomodolibet tàm per eosdem Predecessores, quam etiam per Nos concessas, & alias in omnibus, & per omnia juxtà earumdem facultatum, & literarum desuper expeditarum formam, ac tenorem, quem pro latissimè expresso haberi volumus.

§. 22. Necnon exemptiones, imunitates, & privilegia quęcumque quibus Fratres, Nepotes, & Consanguinei nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis viventis, fruuntur, potiuntur, & gaudent.

Excepit immunitates ob nu. 12. filiorum.

§. 23. Ac demum illas ob numerum duodecim filiorum concessas, quas tamen ad terminos ejusdem Pii Papæ IV. & aliarum Apostolicarum constitutionum, super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro tempore, & personis, ac eo modo, & forma, quibus de jure communi illi competunt ac alias juxtà ipsius juris communis, & supradictarum, & aliarum Apostolicarum constitutionū dispositionem reducimus, neque aliter, quàm ut prefertur, illis sive in petitorio, sive in possessorio suffragari volumus & decernimus.

Regulam cancellariæ preservat.

§. 24. Nostræ autem mentis fuisse, & esse declaramus Regulæ Concellariæ super revocatione Indultorum supervenientiæ per Nos æditæ nullatenus præjudicare, quinimò eam quoad omnia in illa comprehensa, ac omnes, & quascumque personas quavis dignitate etiam Cardinalitia fulgentes confirmans, & quatenus opus sit innovamus & extendimus.

§. 25. CœterumLegatis, & aliis omnibus officialibus prędictis ad quos spectat, seù in futurum quomodolibet spectabit, quatenus Constitutionem Sixti V. Prædecessoris prędicti circa pœnas maleficiorum editam, quam in omnibus, & quoad omnia, cum suis declarationibus postea factis innovamus, omninò observent.

§ 26. Omnibusque, & singulis Sedis prædictæ feudatarius, sive Baronibus ei mediatè, vel imme-

diatè

diate subjectis ne reos, ad alias quam ad triremes S edis Apost. transmittere audeant, seù præsumant, præcipimus, & inhibemus.

Præcipit Ministris Cam. ne provisiones solvant contra formam hujus Const.

§. 27. Appaltatoribus, verò Thesauraris, Depositariis, Comissariis, Exactoribus, & cæteris Agentibus, & Ministris Cameræ, & Comunitatum prædictarum, ne contra præsentium formam, provisiones, concessiones, assignationesq; prædictas de cætero solvant, aut exemptiones, gratias, & imunitates, nisi ut præfertur exceptas, & eas quæ in eadem Camera ex causa onerosa prædicta, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos, ut præfertur cognoscendis, & approbandis, & seu etiam declarandis, illas concessas fuisse, citato Commissario prædicto verificatæ, & pro talibus in eadem Camera admissæ fuerint, admittant, exprese prohibemus; etsi secus solverint, vel admiserint, solutiones hujusmodi, ac exemptiones illas nullatenus in eorum computis admitti volumus, sed eorum damno cessuras esse, quinimò eos ad refectionem damni teneri declaramus.

Extraction si licentias solitis Papæ Chirographo dari jubet,

§. 28. Ac deinceps perpetuis futuris temporibus, nullos licentiatum, facultatum, & privilegiorum quorumcumque, etiam ex causa onerosa, ut præfertur, concessorum, vel concedendorum vigore, etiamsi extractionem propria auctoritate fieri posse illis permissum sit, extractiones frumentorum, & aliorum prædictorum extra Statum nostrum prædictum, vel etiam ad loca mediatè subjecta, & etiam à dictis locis mediatè subjectis extra dictum Statum aliquo pacto facere, nec etiam similes extrahendi licentias, & facultates in posterum concedi posse, aut debere, nisi chirographo manu nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, quoties extractio facienda erit, subsignato, præcedente, alioquin licentias, & facultates hujusmodi, aliàs quam chirographo prædicto præcedente pro tempore concedendas, & extractiones faciendas, nullas nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, ac ipsos extrahentes in pœnas supradictas incidere, & ad illarum executionem contra illos irremissibiliter procedi posse, & debere, volumus pariter, & declaramus.

Privilegia & indulta omnia Ro. Pont. suorumque Judicum, & Officialium (exceptis nic expressis) in statu temporali competentia ratione suprema potestatis, & superioritatis revocat & abrogat.

§. 29. Postremò omnia, & quæcumque privilegia, facultates, & indulta Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti in Statu temporali, ratione supremæ potestatis a jure, vel per quasvis Apostolicas constitutiones competentia, seu reservata, exercendi, aut eidem supremæ potestati, ac superioritati nostræ, & nostrorum tribunalium, Officialium, & Judicum Romanæ Curiæ jurisdictioni, & auctoritati præjudicialia, omnibus, & singulis supranominatis, etiam ut præfertur, qualificatis, ac etiam ut supra, & alias quomodolibet concessa quæcumque, exceptis tamen iis, quæ concessa sunt ex causa verè onerosa scilicet congruæ solutionis pecuniarum dictæ Cameræ factæ, aut ex investitura, vel imemorabili consuetudine inviolabiliter observata, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos, vel Successores nostros cognoscendis, approbandis, seu etiam declarandis competentibus, quæ etiam licèt tollere non intendamus, tamen nostram, & Romani Pontificis supremam potestatem, superioritatem, nostramque & ejusdem Romani Pontificis, nostrorumque Romanæ Curiæ Tribunalium, Officialium, & Judicum Jurisdictionem prædictam impedire, aut contra illam præterquam in casibus à jure permissis, suffragari posse, vel debere nolumus, nisi prius causa onerosa, vel investitura; seù immemorabili prædicta in eadem Camera, citato Commissario prædicto, legitimè probata, verificata & justificata, aliæ vero causæ rationabiles prædictæ à Nobis, seù Successoribus prædictis pro talibus cognitæ, approbatæ, & seù declaratæ fuerint, revocamus pariter & abrogamus.

Irritum quicquid in contrarium attentatur, decernit.

§. 30. Irritum, & inane etiam decernentes quicquid secus super his à quoquam quovis prætextu, occasione, vel causa scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis omnibus latissimè derogat,

§. 31. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, nostra de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, & literis Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis, etiam ut præfertur, seù aliàs qualificatis, & speciali nota, & mentione dignis, etiam Motu, scientia, & potestate paribus, & etiam Consistorialiter, & de eorumdem Cardinalium consilio, & assensu, subquibuscunque verborum formis, & tenoribus, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam inexcogitabilibus, & necessario exprimendis, etiam in vim contractus jurati, Cameralique obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, & seu factis, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caveatur exprese, quòd nullo unquam tempore sub similium, vel dissimilium exemptionum imunitatum, facultatum, licentiarum, concessionum, deputationum, confirmationum, extensionum, prorogationum, gratiarum, privilegiorum, & alienationum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis, comprehendantur, sed semper ab illis exceptæ, & quoties illæ emanarent, toties in pristinum, & validissimum statum, & sub posteriori data per eos, quibus concessa sunt eligenda, restituta, reposita, & plenariè reintegrata, & de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, præsentibus pro plené, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & exprese ac latissimè derogamus, & derogatum esse volumus. Cæterisque contrariis quibuscumq;.

Hujus Const. publicationem in Urbe personaliter omnibus pro intimatè haberi jubet.

§. 32. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, easdem præsentes, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos quos concernunt, perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Transumptis fidem dari mandat.

§. 33. Quodque earundem præsentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctionemque pœnalem adjicit.

§. 34. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, reservationis, approbationis, confirmationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, præcepti, statuti, ordinationis, exceptionum, revocationum, prohibitionum, revocationum, abrogationum, reductionis, inhibitionis, innovationum, declarationum, derogationis, voluntatum, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat.P.A.1. 21.Octobr. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, duodecimo Kalendas Novembris, Pontific. Nostri Anno Secundo.

Publicatio. *Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, die verò vigesima septima mensis Novembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Ubani Divina Providentia Papæ VIII. Pontificatus sui An. secundo, introscriptæ literæ Apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad volvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem literarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, exinde amotis, deinde dimissis earundem literarum copiis affixis, ut moris est, per nos Andream Scalmanum, & Fabium Emilianum prælibati S. D. N. Papæ Cursores.*

Octavius Spada Magister Cursorum.

XXXI

Declaratio quòd consensus Monialium, sine quo mulieres sæculares licentiis Monasteria ingrediendi uti non possunt, expressè, capitulariter, & per secreta suffragia de cætero haberi debeat ut illis valeant uti.

Hujusmodi licentiarum revocationem habes sup. in Greg. XIII. constit. 28. Ubi gratiæ tom. 2. Et postea contra abutentes hujusmodi licentiis, & circa illarum usum ordinavit nonnulla Paul V. in constit. 52. Facultatum sup. tom. 3. Sed deinde idemmet Paul. ex causis ibi expressis revocavit omnes licentias mulieribus concessas ingrediendi Monasteria Monialium, ut in ejusdem Const. Monialium, ubi sup.

URBANUS PAPA VIII.

Edita A. D. 1624.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosanctum Apostolatus ministerium, quòd ineffabilis divinæ sapientiæ providentia humiliati nostræ, nullo licèt meritorum suffragio, credidit, jugiter postulat, ut inter multiplices Pastoralis officii curas, illam sedulò amplectamur, qua sanctimonialium quieti oportunè consulitur.

§. 1. Cum itaque plures licentiæ Monasteria Monialium ingrediendi diversis mulieribus sæcularibus, sub certis modo, & forma tunc expressis à Nobis & diversis Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris concessæ fuerint, eędemq; mulieres in vim licẽtiarum prædictarum Monasteria hujusmodi, nonisi de expresso earumdem Monialium, & illorum Superiorum consensu, ingredi possint, seù debeant.

§. 2. Nos omnem dubitandi materiam, quæ super modo consensum hujusmodi præstandi, forsan oriri posset, è medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, harum serie decernimus, atq; declaramus, consensum dictarum Monialium, de cætero per easdem Moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, & præstari debere, aliàs licentiæ hujusmodi, mulieribus, quibus concessæ fuerunt, nullatenus suffragentur.

Et absque eo Monast. ingredientes puniuntur. §. 3. Et quæ sanctimonialium Monasteriâ vigore licentiarum prædictarum, absque consensu capitulariter, ut præfertur, præstito, ingredi præsumpserint, sententias, censuras, & pœnas contra Monasteriorum Monialium violantes inflictas, se noverint incursuras.

§. 4 Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facień, non obstantibus qui buscumque. Prohibitio contrarium judicandi.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Fides transumptis detur.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris, die 27. Octobris 1624. Pontificatus nostri Anno Secundo. D.P. An.2. 25. Octob.

XXXII.

Institutio Confraternitatis Aulicorum Urbis in Ecclesia S. Nicolai ad Cæsarinos sub invocatione Confraternitatis Urbanæ, cum concessione Ecclesiæ Sancti Laurentii in fonte in Regione Montium Urbis sitæ, eidem Confraternitati, ad pia opera in ipsa exercenda.

De forma aggregandi Confraternitates lege const. 115. Clementis VIII. Quęcumque, supra tom. 3.

URBANUS PAPA VIII.

Edita A. D. 1624.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoris æterni, qui pro gregis salute in Ara Crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia Christifidelium vota, Divini cultus augumentum, & ipsorum fidelium salutem concernentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad pia, & devota opera exercenda Indulgentiis, & peccatorum remissionibus incitamus, ut per operum hujusmodi exercitium ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii Almæ Urbis nostræ Aulici Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi peculiari devotionis effectu ducti, & ut alios Christifideles ad ejusdem devotionis studium accendant in Parochiali Ecclesia S. Nicolai ad Cæsarinos de Urbe, unam eorumdem Aulicorum Confraternitatem Urbanam nuncupandam ad Dei gloriam & honorem, ac animarum dictorum fidelium salutem per Nos erigi summoperè desiderent. Aulici Urbis supplicant Papæ pro erectione Confra. ter Urbanæ nuncupandæ in Ecclesia S. Nicolai ad Cæsarinos Urbis.

§. 2. Nos piis eorumdem Aulicorum desideriis hujusmodi benignè annuere, animarumque saluti paterna caritate prospicere, eosdemque Aulicos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, in prædicta Ecclesia unam Christifidelium Aulicorum dictæ Urbis Confraternitatem Urbanam nuncupatam, quæ non sit pro hominibus unius specialis artis, sine alicujus præjudicio Apostolica auctoritate perpetuò erigimus, & instituimus. Quam Pontifex erigit.

§. 3. Necnon Confratribus dictæ Confraternitatis pro tempore existentibus, & processionaliter incedere, Divina Officia in suo Oratorio recitare, & pro ipsius Confraternitatis negotiis se congregare, ac quæcumque Statuta, Capitula, Ejusque Confratrib auctoritatem concedit processionaliter incedendi Divina Officia in suo Oratorio recitandi

Ordinati-

ac statuta pro Confraternit. gubernio condendi.

Ordinationes, & Decreta pro salubri eorum, & dictæ Confraternitatis, regimine, & adminstratione necessaria, & opportuna, licita tamen, & honesta, sacrisque Canonibus, & Conc. Trident. Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non contraria, per dilectum filium nostrum in dicta Urbe Vicarium in spiritualibus generalem examinanda, & approbanda facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, & expediens fuerit, prævia simili examinatione, & approbatione, mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare.

Necnon bona quecumque ei dem legitimè relicta, & elargita recipiendi, & gubernandi.

§. 4. Ac insuper omnia, & singula legata, relicta, res, & bona quomodolibet qualificata mobilia, & immobilia, per quascumque Christifideles, dictæ Confraternitati per viam testamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore legitimè elargita, & relicta recipere, illaque per eorum Officiales, & Deputatos regere, gubernare, & administrare, ac in ipsius Confraternitatis, & ejus piorum operum usus convertere, liberè similiter, & licitè valeant, ità tamen, ut de receptis, & administratis per eosdem eidem Vicario juxta Decreta Conc. Tridet. hujusmodi ratione reddere teneantur, auctoritate & tenore præsentis concedimus & indulgemus.

Postremo indulgenti is elargitur.

§. 5. Postremò ut dicta Confraternitas majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus, qui in dictam Confraternitatem imposterum ingredientur die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint plenariam.

In Articulo mortis exi tentibus etiam plenariam.

§. 6. Necnon pro tempore describendi in dicta Confraternitate Confratribus, in cujuslibet eorum articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequierint, saltem contriti nomen JESU ore si potuerint, sin autem corde devotè invocaverint, etiam plenariam.

Visitantibus illius Ecclesiam vel Oratorium in die exaltationis S. Crucis itidem plenariam.

§. 7. Ac eisdem pro tempore existentibus Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac eadem sacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Ecclesiam, vel Capellam, seù Oratorium die festo Exaltationis Sanctæ Crucis à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devote visitavarint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Visitantibus in quibusdam aliis festis 7. annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiam elargitur.

§. 8. Insuper dictis Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, Ecclesiam, vel Capellam, seù Oratorium hujusmodi in Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Urbani Papæ, & Martyris, & Sanctorum Joannis, & Pauli, & Sancti Antonii festis diebus, ut præfertur visitantibus, & ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas.

Indulgentiam 60. dierum alia pia quædam opera exercentibus impartitur.

§. 9. Quoties verò ipsi Missis, & aliis Divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Capella, seù Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, seù Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam qui Corpora defunctorum tàm Confratrum dictæ Confraternitatis, quam aliorum ad sedpulturam associaverint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum, tàm in Processionibus, quàm cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque, & quomodocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, aut si impediti campanæ ad id signo dato semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem prædictas pro animabus defunctorum Confratrum dictæ Confraternitatis recitaverint, aut peccatorum aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes Dei Præcepta, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint aut aliud quodcumque pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentias prædictas revocatas esse si hæc Confrat. alicui Archiconfr. aggregetur, vel unitur declarat.

§. 10. Volumus autem, quod si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seù etiam quomodolibet instituatur, præsentes, et quævis aliæ literæ Apostolicæ illis nullatenus quoad Indulgentias, et remissiones præfatas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Dat. P. A. 2. 30. Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. Octobris 1624. Pontificatus nostri anno Secundo.

Sequitur concessio S. Laurentii in Fonte in Regione Montium Urbis sitæ dictæ Confraternitati, ad pia opera per ejus Confratres in ipsa exercenda.

Edita A.D. 1628.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet, Urbanus Papa VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.
Pastoris æterni, &c.

Omittitur residuum quia est, quæ præcedit.

Alias iste Pont. edidit Const. intec. Subinde cessit Eccl. S. Lauren. in Fonte huic Confratern. certis sub conditionibus, ut hic:

SUbindè verò postquam de Anno proximè præterito cupientes providere, ut Ecclesia S. Laurentii in Fonte nuncupata in Regione Montium de Urbe, antiquitate, aliisque pluribus nominibus venerabilis, debitis non careret obsequiis, prævia revocatione (quatenus opus esset) concessionis Ecclesiæ præfatæ aliàs de año nunc præterito Fratribus Ruthenis per nos factæ, Ecclesiam præfatam S. Laurentii, simul cum omnibus suis juribus, bonis, red. ditibus, proventibus, et emoluentis supradictæ Confraternitati ad utendum in perpetuum, prout de similibus Ecclesiis Laicorum Canfraternitates, seù Congregationes ad sacros, & pietatis usus destinatæ uti consueverunt, ita tamen, & non aliàs, ut ipsa Confraternitas Ecclesiam S. Laurentii præfatam in necessariis reparare, & manutenere, sacraque, et sufficienti supellectili providere, Missamque Dominicis, ac festis diebus saltem in ea celebrari facere teneretur, et quòd Ecclesiam præfatam S. Laurentii etiam ad pios usus aliis concedere non valeret, & cum Decreto, quo si quandocumque contingeret Confraternitatem præfatam dissolvi, reparationes, & melioramenta facta, & ad quamcumque summam ascendentia eidem Ecclesiæ cessisse, et cedere sine aliqua refectione intelligerentur, concesseramus.

Super qua concessione inter Canonicos Monasterii S. Petri ad vincula, & d. Confrater. orta fuit controversia.

§. 2. Per Nos accepto, quòd occasione concessionis Ecclesiæ hujusmodi, inter dictam Confraternitatem ex una, & dilectos filios Priorem, & Canonicos Regulares Monasterii S. Petri ad Vincula de Urbe Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini ex altera partibus, orta fuerit controversia; cum nimirum Prior, & Canonici præfati prætenderent dictam Ecclesiam S. Laurentii à centum, & ampliùs annis Ecclesiæ eorum Monasterii hujusmodi Apostolica auctoritate unitam fuisse, obidque concessionem præfatam viribus non substinere, & redditus, seù Canonem domus annexæ dictæ Ecclesiæ S. Laurentii singulis annis

solvi solitum per quondam Prudentiam Agazinam, & heredes quondam S. Mazzi, necnon dilectum in Christo filium Mitium de Gradibus Ecclesiæ d. Monasterii debere.

QuamPon. ad favorem Confraternitatis decidit, §. 3. Nos concessionem Ecclesiæ S. Laurentii hujusmodi per Nos ut supra factam, suum plenarium effectum sortiri debere, canonem præfatum d. Ecclesiæ S. Laurentii fore, & esse solvendum decrevimus, appositis pro parte prioris, & Canonicorum præfatorum minimè obstan.

Eamque singulis an. lib. 5. ceræ albæ deMonast. solvere debere statuit. §. 4. Volumus tamen quòd d. Confraternitas singulis annis à die concessionis in recognitionem directi juris solveret Ecclesiæ dictiMonasterii libras quinq; ceræ albæ die festo ejusdemSanctiLaurentii.

Et in casu dissolutionis Confratern. Jura Monast. illibata reservat. §. 5. Quòdque si contingeret prædictam Confraternitatem dissolvi, seù à prædicta Ecclesia S. Laurentii, recedere, jura, Ecclesiæ d. Monasterii de & super Ecclesiæ S. Laurentii hujusmodi illæsa, & illibata remanerent, perindè ac si concessio ejusdem Ecclesiæ S. Laurentii per Nos, ut præfertur, facta non emanasset.

Confratern, Officiales supplicarunt Pont. pro prædictorum confirmatione. §. 6. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium, & Confratrum Confraternitatis prædictæ Nobis nuper expositum fuit, ipsi plurimum cupiant concessionem dictæ Ecclesiæ, ac Decretum desuper emanatum, aliaq; præmissa Apostolica nostræ confirmationis robore communiri, ac aliàs sibi per Nos infra, indulgeri.

Et Papa omnia approbat & confirmat suppletque defectus §. 7. Nos Officiales, & Confratres præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & Pænis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Concessionem Ecclesiæ Sancti Laurentii hujusmodi, nec non Decretum à Nobis desuper emanatum prædictum, aliaque præmissa cum omnibus in eis contentis, & indè sequutis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Indulgentias Eccl. S. Nicolai supra concessas ad Ecclesiam S. Laurentii de qua hic transfert. §. 8. Præterea eamdem Confraternitatem cum omnibus, & singulis Indulgentiis, ac peccatorum remissionibus, & pœnitentiarum relaxationibus illi per Nos ut supra concessis à prædicta Ecclesia S. Nicolai ad Ecclesiam S. Laurentii hujusmodi, necnon Indulgentiam septem Annorum, & totidem quadragenarum in Conceptionis B. Mariæ Virginis, & S. Antonii festis diebus per Nos similiter concessam, ad ejusdem S. Laurentii, & S. Hypoliti festos dies, itatut dictæ Confraternitatis Confratres, præmissa in ipsis festis diebus ad quos translatio, ut infra fiet, adimplentes, eamdem Indulgentiam prorsus consequantur, auctoritate, &tenore præfatis transferimus.

Clausulas præservativas ponit. §. 9. Decernentes præmissa omnia, & singula, necnon præsentes literas, & in eis contenta quæcumque valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Confraternitati in omnibus,& per omnia plenissimè suffragari.

Ita judicari mandat. §. 10. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Monasterii, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis,& innovacis. Quibus omnibus, & singulis,eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 14. Junij 1628. Pont. Nostri Anno V. Dat. P.A. 5 14. Junii.

XXXIII.

Indultum pro Fratribus Jesuatis S. Hieronymi Ordinis S. Augustini, quod abjecto Caputio albi coloris, quod hactenus super humeros gestarunt, aliud coloris eorum habitus, eaque forma, qua cæteri Mendicantes utuntur, deinceps gestare valeant.

Institutum horum Fratrum habes sup. in Martin V. constit. 11. tom. 1. ubi vide quæ indicata sunt & plenius in constit. 16. Paul. V. tom. 3. Et eisdem Fratribus approbatis à locorum Ordinariis ad audiendas confessiones, in Ecclesiis Parochialibus dicti Ordinis ut Parochianorum confessiones audire valeant, concessit Greg. XV. in constit. 41. ex injuncto, *qui etiam comprobavit Novitiatum in Urbe, ut in ejusd. const.* 60. Inter multiplices.

URBANUS PAPA VIII.

Edita A.D. 1624.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ONerosa pastoralis officii cura? Nobis licèt immeritis, ex alto commissa postulata, ut religiosos viros, qui spretis mundi vanitatibus, divini numinis obsequiis sese manciparunt, propensis studiis complectamur, prout conspicimus in Domino salubriter expediri.

Concessio Indulti de quo in rubr. §. 1. Hinc est quòd Nos dilectos filios Fratres Jesuatos S. Hieronymi Ord. S. Augustini specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis,&interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,& absolutas fore consentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De venerabilium fratrum nostrorum SanctæRomanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, eisdem Fratribus, ut adjecto caputio albi coloris quod super humeros hactenus gesserunt, aliud in capite coloris eorumdem pallio similis atque ea forma, qua ceteri Mendicantes utuntur gestare liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac licentiam & facultatem impartimur.

Clausulæ d. Concessionis, &indulti præservativæ. §. 2. Decernentes, illos desuper à quoquàm quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari nullatenus posse, neque debere, præsentes verò literas validas, & efficaces esse, & fore, eisdemque Fratribus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

Decretum irritans. §. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores judicari, definiri debere,ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P, A. 2. 19. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Novembris 1624. Pontificatus nostri anno secundo.

XXXIV.

Edita A. D. 1624. 1626

Approbatio, & Confirmatio Confraternitatis Artis Musicæ sub Visitationis B. Mariæ S. Gregorii Papæ, ac S. Cęciliæ invocationibus, antea in Ecclesia Sancti Pauli Decollati de Urbe institutæ, cum Indultorum, ac Indulgentiarum concessione.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pietatis, & Christianæ caritatis opera ubique cum divini cultus incremento exerceri cupientes, his quæ propterea piè, & provide facta fuisse dicuntur, libenter, cum à Nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem, Christique fideles, ut in eorumdem piorum operum exercitio magis confoveantur, favoribus, & gratiis prosequimur.

Erecta fuit Confraternitas Artis Musicę sub visitationis B. Marię S. Greg. Papa ac S. Cęcil. invocatio. in Eccl. S. Pauli de collati de Urbe.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres Confraternitatis Musicorum noviter sub Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, ac S. Gregorii Papæ, & Sanctæ Cęciliæ invocationibus quod alias Confraternitas prędicta in Sancti Pauli Clericorum Regularium Congregationis ejusdem Sancti Pauli decollati, seu alia Almæ Urbis nostræ Ecclesia canonicè erecta, & instituta fuit.

Ac pro ipsius gubernio condita fuerunt statuta.

§. 2. Ac pro felici, prosperaque illius directione, & gubernio, nonnulla statuta condita fuerint, illaque à dilecto filio nostro in dicta Urbe Vicario in spiritualibus generali probata fuerunt, pro ut in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri.

Pro quorum omnium confirmatione & approb. supplicant Pont.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint ea, quę à Sede Apostolica approbantur, & confirmantur, cupiantque propterea Officiales, & Confratres prędicti, erectionem, & institutionem, statutaque prędicta Apostolicæ confirmationis patrocinio communiri, aliasque sibi per Nos indulgeri.

Qui modo ea confirmat & approbat supplendo omnes (si qui desuper intervenerint) defectus.

§. 4. Nos eorum votis in pręmissis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excomunicationum, & suspensionum, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum prçsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, erectionem, & institutionem prędictas, quatenus canonicè factæ fuerint, ut præfertur, necnon statuta prædicta dumodo tamen licita sint, & honesta, sacrisque Canonibus, & Conc. Trid. decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore prçsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singules tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Cum facultate statuta mutandi corrigendi ac etiam de novo condendi.

§. 5. Ejusdemque Officialibus, & Confratribus, ut statuta hujusmodi pro temporum varietate, prout eis melius, & expediens videbitur, mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare, ac etiam de novo condere, prævia tamen ejusdem Vicarii examinatione, & probatione, liberè, & licite valeant, licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Prohibet librorum impressoribus ac Bibliopolis, ne imprimant aut vend. quascumq; musicales compositiones nisi de speciali Corrector. seu Reviso. a d. Con. ad hoc specialiter deputandorum licentia. Revocavit postea hanc prohibitionem idem Pont. ut in const. seq. §. 1.

§. 6. Præterea ut Officiales, & Confratres prædicti in piorum operum exercitio magis accendantur, & confoveantur, nonnullorumque compescatur temeritas, qui nullis, vel saltem incompositis artis Musicæ hujusmodi studiis, aut legibus servatis, publice typis mandare non verentur. Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, & præsertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis sub quingentorum ducatorum auri de Camera pro una Cameræ nostræ Apostolicæ, ac pro alia eidem Confraternitati, ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, & Judici exequenti irremissibiliter applicandorum eo ipso absque ulla declaratione incurrenda pœna, ne de cœtero in Urbe quascumque tàm proprias, quàm alienas musicales compositiones & mottetta cujusvis generis & speciei, existentia, jam per quoslibet ejusdem Artis peritos composita, & de cœtero componenda, & imprimenda, sive ad ipsam Urbem ad effectum impressionis transmittent, absque speciali Correctorum, seu Revisorum ab ipsa Confraternitate deputatorum licentia in scriptis obtinenda quæ tamen gratis concedi debeat, imprimere, aut ab alio vel aliis impressa vendere, seu venalia habere, vel proponere quoquo modo audeat, seu præsumat, intendimus, & prohibemus.

Neq; aperiant scholas d. artis vel eam publice doceant nisi de licentia ut supra. Vide revocationem hujus indulti in §. 2. con. seq.

§. 7. Ad hæc, ut ad publicas Artis Musicæ hujusmodi scholas in dicta Urbe aperienda imperiti nullatenus admittantur, dictæ Confraternitati, quod de cœtero omnes, et singuli sive clerici sive laici Artis Musicæ, hujusmodi scholas in dicta Urbe aperire, in eisque publicè Musicam docere volentes, licentiam ab ejusdem deputatis in scriptis, et sigillo ejusdem Confraternitatis munitam, quæ gratis concedantur, petere, & obtinere, auctoritate, et tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Indulgentias quoq; elargitur intra scriptas videlicet Confraternitatem ingredientibus die prima ingress. plenariam.

§. 8. Postremò, ut dicta Confraternitas majora in dies suscipiat, incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis Christifidelibus qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

Et in articulo mortis etiam plenariam.

§. 9. Necnon nunc, & pro tempore descriptis, & describendis in dicta Confraternitate Confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra comunione refecti, vel quatenus id facere nequierint, saltem contriti nomen Jesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam.

Ac pariter visitantibus illius Eccl. seu Oratorium in festo S. Cęciliæ plenariam.

§. 10. Ac eisdem nunc, et pro tempore existentibus Confratribus etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac eadem sacra communione refectis, qui prędictæ Confraternitatis Ecclesiam, vel Cappellam, seu Oratorium de festo Sanctæ Cęciliæ à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæreticorum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur.

Necnon in aliis die

§. 11. Insuper dictis Confratribus etiam verè pœnitentibus, & confessis, àc sacra Communione

bus festis 7. annorum, ac toties quadragenarum.

refectis Ecclesiam, vel Cappellam, seu Oratorium hujusmodi in Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Angelorum Custodum, & Sancto um Gregorii, & Leonis Secundi Romanorum Pontificum festis diebus, ut præfertur visitantibus, & ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas.

Modo Indulgentiam sexaginta dierum dd. Confratrib. pia quædam opera exercentibus concedit.

§. 12. Quoties verò Missis, & aliis divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Cappella, vel Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, seù Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendi interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Consororum dictæ Confraternitatis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, ac quascumque processiones de licentia Ordinarii facien, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, & quomodocumque pro tempore deferetur comitati fuerint, aut si impediti campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum dictæ Confraternitatis recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & quæ ad salutem, sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seù alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentias prædictas revocat si dictæ Confraternitati aliæ Indulgentiæ vel perpetuæ vel ad tempus nondum elapsum concessæ fuerint D. p. An. 2. 20. Nov.

§. 13. Volumus autem, ut si dictis Confratribus præmissa peragentibus aliquam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 20. Novembris 1624. Pont. nostri anno secundo.

Edita A. D. 1626.

Sequitur Revocatio prohibitionis, de qua in §. 6. ac indulti, de quo in §. 7. Constitutionis præcedentis.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Prœmium.

HUmanarum rerum ea est incerta conditio, ut nihil tam prudenter statui, & tam proinde concedi possit, quod interdum novis rationibus, & causis exigentibus, imutandum, atque in aliam formam omninò rediger esse non appareat.

Hic Pont. in const. præcedenti prohibuerat Impressoribus & Bibliopolis ne imprimerent, aut venderent musicas compositiones nisi de licentia Correctorum seu Revisorum à Confrater. artis musicæ deputandorum.

§. 1. Alias si quidem supplicationibus dilectorum filiorum Officialium, & Confratrum Confraternitatis Musicorum nuncupatorum de Urbe Nobis humiliter porrectis in inclinati inter ceteras gratias eis à Nobis concessas, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, & præsertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis sub certis pœnis ipso absque ulla declaratione incurrendis, ne de cœtero in Urbe quascumque tam proprias, quam alienas musicas compositiones, & moctetta cujusvis generis, & speciei existentia eatenus pro quoslibet Artis Musicæ peritos composita, & de cœtero componenda, sive ad ipsam Urbem ad effectum impressionis transmitten, absque speciali Correctorum, seù Revisorum ab ipsa Confraternitate deputatorum licentia in scriptis obtinenda, quæ tamen gratis concedi deberet, imprimere, aut ab alio, vel aliis impressa, vendere, seu venalia habere, vel proponere quoquo modo auderent, seù præsumerent interdiximus, & prohibuimus.

Neq; aperirent schola d Artis, vel eam docerent nisi de licentia eorumdem.

§. 2. Ad hæc ut ad publicas Artis Musicæ hujusmodi scholas in dicta Urbe aperiendas imperiti nullatenus admitterentur, & dictæ Confraternitati, quod de cœtero omnes, & singuli sive Clerici, sive Laici Artis Musicæ hujusmodi scholas in dicta Urbe aperire, in eisque publicè musicam docere volentes licentiam ab eisdem deputatis in scriptis, & sigillo ejusdem Confraternitaris munitam, quæ gratis concederetur, petere, & obtinere deberent, concessimus, indulsimus, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis sub die vigesima Novembr. 1624. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Modo ex causis hic expressis.

§. 3. Cum autem, sicut accepimus, per prohibitionem, & concessionem, & indultum supra expressa non solum modo Cantoribus, & Cappellanis Capellæ nostræ, verum etiam aliis Christifidelibus, et præsertim Musicis & Bibliopolis, & Impressoribus præjudicium inferri, & experientia comtuperm sit.

Revocat prohib tionem ac indultum prædictum.

§. 4. Nos illorum omnium indemnitati paterna caritate consulere volentes. Motu proprio, et ex certa scientia nostra, prohibitionem, et concessionem, ac indultum, quoad supra expressa tantum, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, revocamus cassamus, & annullamus, viribusque, & effectu evacamus, ac revocata, cassa, viribusque et effectu va cua esse, & fore, nec Officialibus, & Confratribus prædictis de cœtero suffragari posse aut debere.

Aliter judicandi facultatem tollit.

§. 5. Sicque, & non aliter per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Obstantia removet.

§. 6. Non obstantibus literis nostris prædictis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 4. 9. Decemb

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 9. Decembris 1624. Pontificatus nostri anno quarto.

XXXV.

Edita A. D. 1624.

Contra male ad sacros, vel minores ordines, seu Clericalem characterem ordinantes, & male ordinatos.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SEcretis æternæ providentiæ consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum, Speculatores Domus Israel, in sublimi Apostolatus culmine constituti, eo potissimum Pontificiæ sedulitatis officia convertenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocantur, Christique Militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquilitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenue se gerant, ut ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates, ac Principes tenebrarum quotidiè magis perhorrescant.

Causa hujus Const.

§. 1. Hæc autem quanto impensius fieri optamus, tanto majori indignatione irreligiosam quorumdam impudentiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui Sacros Canones, Summorumque Pontificum decreta non verentes, Clericales Ordines illegitimè suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum Christianæ Reipublicæ regimen pertinentibus, plurimum obesse noscuntur.

§. 2.

Clem. IV. prohibuit Episcopis Italiæ, ne aliq. Clericumultra montan. ordinarent absque ipsius vel Episcopi loci originis ordinandi, vel beneficii in quo illud existebat licentia speciali.

§. 2. Alias siquidem fel. re. ClemensPapa IV. Predecessor noster volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excomunicationis adstricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel alias Ordinum sacrorum susceptione indigni; suam patriam: in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad hujusmodi Ordines promoveri, statuit, ut nullus Episcoporum Italiæ de cœtero aliquèm ultramontanum Clericum ordinare presumeret, nisi ab eodem Clemente Prædecessore, vel ab Episcopo, de cujus Diœc. traxerat originem, ordinandus, vel in cujus Diœc. beneficiatus existebat, per ejus parentes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam haberet, eos verò, quos contra præmissa contigisset ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc à Sede Apostolica obtinendæ suspensos, ac ordinantes condigna pœnitentia puniri.

HicP. Clem prohibitionem illam innovat & Episcopis in Italia existentibus vetat neq; ultramont. extra Italiam oriundos ad sacros & neque etiam ad minores ordines, vel clericalem characterem promoveant, absque dimissorialibus ordinarior. &c. sub pœnis tam ordinantibus quam ordinatis.

§. 3. Cum autem non sine gravi animi nostri molestia, Nobis innotuerit, quamplures Ultramontanos suæ salutis immemores. Deique timore postposito, ad Ordines prædictos dimissorialibus literis, seu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, seu etiam falso cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoveri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minus canonica Clericorum ordinatione hujusmodi proveniunt, malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clementis Prædecessoris constitutionem, cum omnibus, & singulis in ea contentis approbantes, & innovantes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia existentibus tenore præsentium prohibemus, ne quovis pretextu, & ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscumque Ultramontanos, & ex quibusvis locis extra Italiam oriundis, non solum ad sacros, sed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promovere audeant, seu præsumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum literas à nostris, & hujus Sanctæ Sedis Nunciis, seu Collectoribus in illis partibus comorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant eorumdemve Nunciorum, seu Collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint, alias promoventes, ad annum ab exercitio Pontificialium, promoti verò, perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Italis quoq; ab alieno Episc. ordinandis cum falsis dimissorius privilegium fori aufert, & seculari sub jicit jurisdictioni.

§. 4. Italos vero, si quos imposterum Clericali charactere insigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Episcopo, cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Conc. Trident. Decretum cap. 16. sess. 23. requisitis prediti sint, nihilominus sequuta tamen prius desuper Judicis Ecclesiastici declaratione, fori privilegio minimè gaudere, sed seculari jurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subjacere, & subjectos esse respectivè volumus.

Et ita, & non aliter judicari statuit.

§. 5. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium faciem. non obstantibus quibuscumque.

Sanctionemq; pœnalem contra malè promotos editam à Pio II. confirmat.

§. 6. Per presentes autem constitutioni rec. mem. Pii II. Predecessoris nostri contra male promotos editæ; nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus, & singulis in ea contentis, in suo robore, & efficacia permanere; perinde, ac si presentes non emanassent; decernimus.

Hæc Bulla ext sup. in t. 1. p. 293.

Hujus Bullæ publicationem in Urbe omnibus pro personaliter intimatam decernit.

§. 7. Ut autem presentes literæ ad omnium notitiam facilius devenire possint; volumus quod illæ sive earum exempla in valvis Basilicarum Sancti Joañis Lateran., ac Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes; et singulos; quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimati fuissent.

Ejusq; transumptis fidem dari præcipit.

§. 8. Quodque earumdem transumptis, etiam manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhibeatur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. An. 2. 11. Dec.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Decembris 1624. Pont. nostri anno secundo.

Publicatio.

Anno 1624. *Indictione septima Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. die verò decima sexta mensis Decembris retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateran. Principis Apostolorum, de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, aciei Campi Floræ, per nos Alexandrum de Rochis, & Fabium Emilianum Sanctiss. D. Papæ Cursores.*

Brandimartes Latinus pro Magistro DD. Cursor.

XXXVI.

Concedit quod Fratres Minimi se possint obligare ad suffragia perpetua.

Horum Fratrum Confirmationem Privilegiorum habes supra Const. 20. Injuncta Nobis, *ac approbationem quorumdam Statutorum, Const.* 17. Ut ea &c.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1625.

Proœmium.

APostolicam decet benignitatem ultimis piè testantium voluntatibus favere, & ut illæ suum sortiantur effectum etiam Strictiorum Ordinum Regularia instituta interdum relaxare, maximè cum elaxatio hujusmodi ad Divini cultus incrementum tendere dignoscitur, & vota personarum Regularium, presertim Reformatorum, hoc à Nobis exposcunt.

Motivis & facti narratio.

§. 1. Sanè Nobis exponi nuper fecit Dilectus Filius Bartholomæus Levius Provincialis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula in Provincia & Comitatu nostro Venaisino, quod de anno Domini 1609. tunc in humanis agens Magdalena de Lagnet, dum viveret Domina in temporalibus Oppidi de Causans, devotionis zelo ducta, titulo donationis irrevocabilis, quæ dicitur inter vivos, donavit dicto Ordini septem millia scuta monetæ, duo millia videlicet ad effectum construendi Ecclesiam sub invocatione Assumptionis divæ Genitricis MARIÆ, & Conventum dicti Ordinis in Civitate Carpentoraten, in quinque millia scuta ad sustentationem 12. Religiosorum dicti Ordinis electa per ipsam sepultura in dicta Ecclesia, sub Sedis Apostolicæ beneplacito sic construenda, pro ejus corpore humando, oneratisque ejus heredibus, quiqui fuerint, ut si ipsa non dedisset di-

cta scuta 700. Ordini prędicto statim ea functa vita darent ipsi duo millia scuta ad effectum prędictum Provinciali dicti Ordinis pro tempore pręsenti; reliqua verò 500. scuta darentur in pensionem an̄uam ad favorem dicti Conventus. Cumq; pro dicta Ecclesia, & Conventu construeñ locus commodus in dicta Civitate non reperiretur, bonæ mem. Horatius tunc Episcopus Carpentorateñ Oratorium propè, & extra mœnia Castri, seu Fortalitii loci de Venosco Carpentorateñ Diœcesis, ad mensam illius Episcopalem spectans, ac minimè collativum, eisdem Fratribus obtulit; ipsaque Magdalena donatrix requisita de ejus consensu dictis fundationi, & donationi ejusdem pręstando anno Domini 1613. declaravit se gratum habere dictam Ecclesiam, & Conventum per eam fieri ordinatum in Civitate Campentorateñ fieri; & eligi in dicto Oratorio, quatenus supradictus Horatius Episcopus illud sub dictæ Sedis Apostolicæ beneplacito à Mensa Episcopali dismembrare, & sine aliquo onere pro constructione dictæ Ecclesiæ liberare, & concedere, & nihilominus idem Horatius Episcopus Oratorium prædictum non purè, & liberè dictis Fratribus concessit juxta mentem fundatricis, imò sub diversis oneribus & conditionibus, unde mortua dicta Magdalena de anno ejusdem Domini 1615. institutis hęredibus universalibus dilectis filiis Presbyteris Doctrinæ Christianæ Avenioneñ, introductoque Judicio in Rota pro consecutione dictorum septem millium scut. ad effectum prędictum fuit denegata pro tunc executio, quia assignatio dicti Oratorii non fuerat facta liberè: quod ut componeret fel. rec. Greg. Papa XV. Prædecessor noster ad supplicationem Ven. Fratris Cotturi Moderni Episcopi Carpentorateñ. & dilecti filii Joannis à Turre tunc Provincialis Ordinis Minimorum in dicta Provincia, & Conventu Venaissino, onera quęcumque in dicto Oratorio apposita Apostolica auctoritate in Conventum Avenioneñ ejusdem Ordinis transtulit, Oratoriumque prædictum in omnibus, & per omnia exoneravit, iterumque petita executione in Rota, & ostensa liberatione Oratorii fuit relaxatum mandatum.

Motiva adversariorum pro non solvendo legato.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti Adversarii more Reorum solutionem dictorum scutorum 7000. effugere, aut saltem protrahere omni eorum conatu satagentes dederint ultimo loco de obstantia regulæ dicti Ordinis Minimorum, qua expressè cavetur ne dicti Religiosi, qui sub perpetua quadragesimali vita, & ex mendicatis eleemosynis vivunt perpetuas missas, seu aliqua suffragia perpetuò particulariter, & in specie, ac ultra quinquaginta annos suscipere valeant; cumque donatio prædicta habeat hujusmodi onera, & conditiones requisitas licet credatur eas omninò fore rejiciendas, ac favore piæ causæ Ecclesiæ scilicet construendæ, ac alimentorum dictorum duodecim Religiosis pręstandorum, juris interpretatione haberi pro non appositis, concurrente pręsertim indulto ex literis bo. me. Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum, olim Summi Pœnitentiarii, quibus concedebatur Fratribus prædictis facultas acceptandi in posterum dicta onera, quamvis perpetua missarum, absque conscientiæ scrupulo, regula prędicta non obstante, ac attenta etiam resolutione, aliàs capta in generali Capitulo in Civitate Januen̄ celebrato, non esse essentiale in regula, quod fratres non possint se obligare ad onera perpetua; nihilominus quia postmodum in actis Capituli Generalis habiti Paulæ Regula prędicta confirmata fuit, & recessum à resolutionibus captis in Capitulo Januæ, actaque & recessus prædicti fuerunt à fel. rec. Paulo Papa III. similiter prædecessore nostro in forma specifica confirmati.

§. 3. Idcirco ad tollenda omnia subterfugia partis penes quam effici non potest, ut pecuniæ, ut supra donatæ remanere debeant, ac ut celerius pro Divini cultus incremento, & pro observatione voluntatis prædictæ donatricis Ecclesia, & Conventus præfati ædificari possint, neque diutius suum cadaver inhumatum deseratur, quæ ipso sepeliendo dictam Ecclesiam propriis impensiis extrui mandavit Nos eumdem Bartholomæum Provincialem specialis gratiæ favore prosequi volentes, necnon à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes porrectis nobis pro parte sua super hoc supplicationibus inclinati acceptionem prędictæ donationis in Capitulo Generali dicti Ordinis jam factam cum onere celebrandi seu celebrare faciendi unam missam submissa voce omnibus diebus Dominicis, & aliis de præcepto Ecclesiæ festivis in perpetuum in Capella loci de Causans, conditione item superaddita, quod preces, seu Horæ publicæ, Canonicæ, quæ dietim in dicto Conventu, & Ecclesia sic construenda dicuntur, Matutinum scilicet, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Noua, Vesperæ, & Complettorum, necnon etiam Missa, quæ Conventualis dicitur, & soletà dictis Fratribus celebrari in omnibus eorum Ecclesiis pro salute animarum earumdem Ecclesiarum fundatorum, ac aliæ omnes missæ votivis exceptis dicantur, & applicentur ad intentionem ipsius fundatricis juxta formam Instrumentorum dictarum donationum dum̄odo tamen dicta donatio, ut præfertur in Capitulo generali pręterito fuerit acceptata Apostolica auctoritate tenore pręsentium in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, eidemque Religionis, & Fratribus sese ad onera in dicta donatione, ut pręfertur injuncta, quamvis perpetua præmissis non obstantibus obligare possint, concedimus, & indulgemus, eosdemque ad præmissa dicta auctoritate ad effectum executionis donationis prædictæ efficaciter, & opportunè, habilitamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, & solemnitatum defectus, qui super quomodolibet intervenerint, supplemus, dictamque acceptationem cum oneribus, & conditionibus præfatis factam subsistere.

Concedit ut possint acceptare legatum cum perpetuo onere Missarum.

§. 4. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstañ pręmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Decretum irritans cum derogatione contrariorum.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 14. Januarii 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. P.A. 2. die 14. Jan.

XXXVII

Deputatio Ecclesiæ S. Mariæ Transtyberim in loco Ecclesiæ S. Pauli extra Urbem stante suspicione pestis, una cum concessione, (cumulativè tamen) omnium Indulgentiarum, ac spiritualium gratiarum dictæ Ecclesiæ Sancti Pauli competentium.

Deputavit etiam alias tres Ecclesias in Urbe loco trium extra Urbem consistentium, ex istamet causa hic Pontifex ut in Const. seqq. Et de Anno Jubilei vide Constitut. 14. Omnes gentes.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1625.

Exordium.

PAterna Gregis cura, quam misericordiarum Pater, & consolationis Deus humilitati no-

ſtræ, nullo meritorum ſuffragio, commiſit, à Nobis poſtulat, ut apertis abundantius præſenti Anno Jubilei Eccleſiæ theſauris, provideamus, quo Grex ipſe theſauros hujuſmodi per abundantiam divinæ gratiæ ſalubriter conſequatur, & ſi quæ pium ejusdem Gregis in præmiſſis deſiderium impedire, ſeu retardare poſſe dignoſcuntur, illa quantum Nobis ex alto conceditur, peculiari ſtudio removeamus.

Cauſa hujus Conſt. §. 1. Cum itaque ſicut non ſine viſcerum noſtrorum commotione accepimus, nonnullæ Regni Siciliæ Civitates, Oppida, & Terræ innumeris malis, atque incom̃odis ob ſævientium inibi peſtiferæ contagionis morbum miſerabiliter confliƈtentur, & propterea pro avertendis, quantum divinæ bonitati placuerit, in hac Alma Urbe noſtra, totaque ditione Eccleſiaſtica, & reliquis Italiæ partibus hujus peſtilentiæ periculis evenire poſſit, ut Chriſtifidelibus ad percipiendos ſpirituales ejusdem Jubilei fruƈtus Eccleſiam Sanƈti Pauli extra muros Almæ Urbis noſtræ unam ex quatuor ad id deputatis viſitare volentibus, mora, atque impedimentum inferantur.

Conceſſio de qua in Rubr. §. 2. Idcirco pro paſtorali, quàm procurandæ ejusdem Gregis animarum ſaluti impendere tenemur ſollicitudine ſpirituali Chriſtifidelium prædiƈtorum conſolationi benedicente Domino, conſulere volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auƈtoritate confiſi. Omnibus, & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus, qui Eccleſiam Sanƈtæ Mariæ Tranſtyberim loco Eccleſiæ Sanƈti Pauli prædiƈtæ viſitaverint, & præſcripta, atque injunƈta pro conſequendis ſpiritualibus ejusdem Jubilei fruƈtibus adimpleverint, quod omnes, & ſingulas indulgentias etiam pleniſſimas, & peccatorum remiſſiones, necnon pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias ſpirituales eisdem prorſus modo, & forma conſequantur cumulativè tamen, non autem privativè quoad Eccleſiam Sanƈti Pauli prædiƈtam, quas conſequerentur, ſi ipſam Eccleſiam Sanƈti Pauli viſitarent, ibique præſcripta, & injunƈta, ut præmittitur, adimplerent, quodque ad effeƈtum hujusmodi diƈta Eccleſia S. Mariæ Tranſtyberim omnibus, & ſingulis Indulgentiis etiam plenariis, & pleniſſimis ſtationibus, peccatorum remiſſionibus, pœnitentiarum relaxationibus, aliisque quibusvis gratiis ſpiritualibus, tàm circa Altarium quorumcumque viſitationem, quam in illis Miſſarum celebrationem, quibus Eccleſia Sanƈti Pauli extra muros hujusmodi utitur, potitur, & gaudet, ac uti, potiri, & gaudere poſſit, & poterit quomodolibet in futurum, pari modo, & æquè principaliter ſine ulla prorſus differentia uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſit, & valeat Apoſtolica Auƈtoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Contrariorum ablatio. §. 3. Non obſtañ noſtra de non concedeñ Indulgentiis ad Inſtar aliisque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutisque, & conſuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Tempus durationis iſtius Conſt. §. 4. Præſentibus ad noſtrum beneplacitum dumtaxat valituris.

Tranſumptorum fides. §. 5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. P.A. 2. 30. Januar. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Januarii 1625. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

XXVIII.

Deputatio Eccleſiarum S. Mariæ de Populo, Sanƈtæ Mariæ Tranſtyberim, ac S. Laurentii in Lucina in Urbe exiſtentium, loco Eccleſiarum S. Sebaſtiani, S. Pauli, & S. Laurentii extra muros poſitarum, ac declaratio, quod viſitantes ſeptem Urbis, & extra illius mœnia Eccleſias tres prædiƈtas loco iſtarum viſitare poſſint cum conceſſione omnium Indulgentiarum, quæ in viſitatione prædiƈtarum Eccleſiarum conſequi ſolent (cumulativè tàmen) ob ſuſpicionem peſtis.

Ediťa A. D. 1625. *Conſimilem deputationem, & ex eadem cauſa factam ab iſtomet Pontifice pro Eccleſia Sancti Pauli una ex quatuor, quæ viſitari ſolent Anno Jubilei, habes in Conſtitutione præcedenti.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. PAterna Dominici Gregis cura, quam miſericordiarum pater, & totius conſolationis Deus humilitati noſtræ, nullo licet meritorum ſuffragio com̃iſit à Nobis poſtulat, ut apertis abundantius præſenti Anno Jubilei Eccleſiæ theſauris provideamus, quo Grex ipſe theſauros hujusmodi per abundantiam divinæ gratiæ ſalubriter conſequatur etſi quæ primum ejusdem Gregis in præmiſſis deſiderium impedire poſſe dignoſcuntur, illa quantum Nobis ex alto conceditur, peculiari ſtudio removeamus.

Motiva hujus Con. §. 1. Cum itaque, ſicut non ſine viſcerum noſtrorum com̃otione accepimus, nonnulla Regni Siciliæ Civitates, Oppida, & Terræ innumeris malis, atque incom̃odis ob ſævientem inibi peſtiferæ contagionis morbum miſerabiliter confliƈtentur, & propterea pro avertendis, quantum Divinæ bonitati placuerit, ab hac Alma Urbe noſtra, totaque ditione Eccleſiaſtica, & reliquis Italiæ partibus hujus peſtilentiæ periculis, evenire poſſit, ut Chriſtifidelibus ſeptem Eccleſias Almæ Urbis noſtræ, & extra illius muros devotionis cauſa viſitare volentibus circa eas, quæ extra muros hujusmodi ſunt, mora atque impedimentum inferatur.

Deputat tres Eccleſias, ut in Rubrica. §. 2. Idcirco pro paſtorali, quam procurandæ ejusdem Gregis animarum ſaluti impendere tenemur, ſolicitudine ſpirituali Chriſtifidelium prædiƈtorum conſolationi benedicente Domino conſulere volentes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auƈtoritate confiſi. Omnibus, & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus, qui S. Mariæ de populo nuncupatè, loco S. Sebaſtiani, ac etiam S. Mariæ Tranſtyberim loco S. Pauli, necnon S. Laurentii in Lucina etiam nuncupati Eccleſias ejusdem Almæ Urbis loco S. Laurentii Eccleſiarum extra muros hujusmodi viſitaverint, & præſcripta, atque injunƈta pro Indulgentiis, & aliis gratiis ſpiritualibus, quibus S. Sebaſtiani, ac S. Pauli necnon S. Laurentii Eccleſiæ extra muros hujusmodi decoratæ ſunt conſequendis adimpleverint, quod omnes, & ſingulas Indulgentias plenarias, & peccatorum remiſſiones, necnon pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias ſpirituales, etiam pro animabus defunƈtorum eisdem prorſus modo, & forma conſequantur, cumulativè tamen, non autem privativè quoad S. Sebaſtiani, ac S. Pauli, necnon S. Laurentii Eccleſias extra muros hujusmodi, quas conſequerentur, ſi ipſas S. Sebaſtiani, ac S. Pauli, necnon S. Laurentii Eccleſias extra muros viſitarent, ibique præſcripta, & injunƈta, ut præfertur adimplerent, quodque ad effeƈtum hujusmodi S. Mariæ de Populo, ac Sanƈtæ Mariæ Tranſtyberim, necnon Sanƈti Laurentii in Lucina Eccleſiæ prædiƈtæ omnibus, & ſingulis Indulgen-

tiis etiam plenariis, & stationibus, peccatorum remissionibus, pœnitentiarum relaxationibus, aliis quibusvis gratiis spiritualibus, tàm circa Altarium quorumcumque visitationem, quam in illis Missarum celebrationem, quibus S.Sebastiani, & S.Pauli, necnon S.Laurentii Ecclesiæ extra muros hujusmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum pari modo, & æque principaliter, sine ulla prorsus differentia uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 3. Non obstan nostra de non conceden Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Præsentibus ad nostrum beneplacitum dumtaxat valituris.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Quod earum transumptis fides adhibeatur.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Januarii 1625. Pontificatus nostri anno secundo. *D.P. A. 2. die 30. Jan.*

XXXIX.

Jubet sub pœna excommunicationis, & privationis vocis activè, & passivè, ne ex Bibliotheca Genuensi Ordinis Minimorum extrahantur quomodolibet libri.

Similem prohibitionem pro conservatione Bibliothecæ Collegii Sancti Francisci de Paula ad Montes Urbis habes infra Const. 112. Justis & honestis, *&c.*

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Conservationi, & manutentioni Bibliothecæ domus regularis Jesu Mariæ nuncupatæ Januensis, Ordinis Fratrum Minimorum S.Francisci de Paula, quantum cum Domino possumus, consulere, ac dilectum filium Laurentium de Peiris Provincialem Provinciæ Januensis ejusdem Ordinis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsumque, & dictæ domus singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quis quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; supplicationibus ejusdem Laurentii Provincialis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Ne de cœtero quisquam, quavis auctoritate fungens, quo suis libros, quinterna, folia, sive manuscripta, sive impressa, dictæ Bibliothecæ hactenus assignata, & in posterum assignanda, quovis quæsito colore, vel ingenio, causa, vel occasione è dicta Bibliotheca extrahere, sivè ut extrahantur, vel removeantur permittere quoquo modo audeat, seu præsumat, sub excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. *Mandat prout in Rubric.*

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, domus, ac Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque. *Contrariis derogat.*

§. 3. Volumus autem, quod præsentis Prohibitionis copia in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio alio perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit, continuè affixa remaneat.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 13. Februarii 1625. Pontificatus nostri anno secundo. *D. P. An. 2. die 13. Feb.*

XL.

Erectio Custodiæ Bavariæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum, in Provinciam Ordinis ejusdem S. Francisci Reformatorum Discalceatorum Bavariæ nuncupandam, conformis aliis Provinciis Regnorum Hispaniarum, cum communicatione omnium gratiarum spiritualium, & temporalium dd. Provinciis concessarum, ac nonnullis aliis ordinationibus pro bono hujus Provinciæ regimine.

De istis Fratribus vide quæ notavi ad hujus Sanctissimi Pontificis Const. 12. Romanus.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctum Apostolatus Ministerium humilitati nostræ, licet nullo meritorum suffragio per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam commissum postulat, ut inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas illam peculiari studio amplectamur, per quam persona sub suavi Religionis jugo Salvatoris nostri obsequiis famulantes, felicioribus in dies proficiant, incrementis.

§. 1. Dum itaque sicut accepimus dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Custodiæ Bavariæ, assiduis verbi Dei prædicationibus continuaque Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, necnon aliis spiritualibus exercitiis, uberes in vinea Domini fructus habere noscantur.

§. 2. Nos, ut Fratres præfati in piorum hujusmodi operum exercitio perseverare valeant, providere, ac felici illorum statui, quantum cum Domino possumus, per amplius consulere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, custodiant præfatam in Provinciam Ordinis ejusdem S. Francisci Reformatorum Discalceatorum Bavariæ nuncupandam, quæ reformata, & aliis eorumdem Fratrum Reformatorum discalceatorum nuncupatorum Provinciis Regnorum Hispaniarum conformis, & ad illarum instar esse. *Pontifex nonnulla statuit circa Visitationem.*

§. 3. Necnon sub omnimoda Ministri Generalis dicti Ordinis, ac eo Italicæ Nationis, & extra Italiam existente, ejus Vicarii Generalis, necnon & Comissarii Generalis, juxta Bullam Unionis electi, non autem Commissariorum Generalium eorumdem Ordinis, & Regnorum, nec superioris, vel inferioris Germaniæ, ita quod Minister, ac Vicarius, & Commissarius Generales præfati juxta Bullam hujusmodi electi, illam nonnisi per se ipsos, aut Commissarius Ordinis Reformatorum præfatorum visitare valeant, jurisdictione, auctoritate, & superioritate. *Submittit Jurisdict. Ministri Gen. Italicæ nationis.*

§. 4. Cujusque Fratres juxta declarationes felicis recordationis Nicolai III. & Clementis V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, vivere debeant.

§. 5. Et cum hoc etiam, quod ex nunc Minister Provinciæ Bavariæ hujusmodi omnem jurisdictionem, facultatem, & auctoritatem, tam in Fratres Ordinis præfati sibi subditos, quam circa novarum domorum ejusdem instituti in eadem Provincia fundationem, seu electionem, aut ædificationem, necnon etiam circa Novitios, alia- *Præscribit auctoritatem Ministri Provincialis.*

que

que in literis Apostolicis recolendæ mem. Greg. Papæ XIII. & prædecessoris nostri contenta, prout alii Ministri Provinciales aliarum Provinciarum Fratrum ejusdem Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum in omnibus, & per omnia habeat.

Communicat ei Privilegia.

§. 6. Ac tàm ipsi, quàm singularum domorum dictæ Provinciæ Fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum Bavariæ superiores, necnon singulares eorum, & cujuslibet illarum personæ, omnibus, & singulis prerogativis, præeminentiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, concessionibus, favoribus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, quibus alii hujusmodi Ministri Provinciales, & illarum domorum Regularium superiores, & singulares personę uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt, quomodolibet, in futurum, pariter, & pariformiter, ac æquè personaliter sine ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere possint, & gaudeant.

Statuta hujus Provinciæ non alteranda.

§. 7. Quodque nunc, & pro tempore existens Minister Generalis prefatus, ut Visitatores ab eo & pro tempore mittendi, statuta, constitutiones, & ordinationes ejusdem Provinciæ Bavariæ, illiusque domorum Regularium hujusmodi, nisi de consensu majoris partis Fratrum vocalium dictæ Provinciæ in eorum Capitulis provincialibus prestando alterare, vel immutare, aut eosdem Fratres ab eorum modo vivendi, dummodò juxta easdem declarationes vivant disturbare.

Quæstuationes quo modo faciendę.

§. 8. Necnon quod Fratres ordinis ejusdem, seu alterius Provinciæ existentes, collecturas, seu quæsturas ad domos regulares ejusdem Provinciæ Reformatorum Discalceatorum Bavariæ spectantes exceptis eis à Fratribus dictæ Provinciæ Bavariæ in dicto eorum Capitulo Provinciali forsan concedendis occupare, aut eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciæ Bavariæ hujusmodi desuper perturbare nullo unquam tempore possint, nec valeant Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuò erigimus, & instituimus.

Quod Minister gen. possit eligere Diffinitorium.

§. 9. Et insuper eidem Ministro Generali, ut Ministrum Provincialem, Custodem, & Definitores dictæ Provinciæ Bavariæ creare, & eligere, cæteraque omnia, & singula in premissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, & si talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, specificam, individuam, & expressam requirerent mentionem facere, dicere, ordinare, & exequi liberè, & licitè possit, & valeat, plenam, liberam, & amplam auctoritatem, & tenore premissis concedimus, & impartimur licentiam, & facultatem, ita tamen, ut Fratres Provinciæ hujusmodi constitutionibus, & ordinationibus in Capitulo, sivè Congregatione Generali factis, quæ strictiori Observantię non adversentur, subjaceant ad illarumque observationem omninò teneantur.

Clausula præservativa.

§. 10. Decernentes Provinciam per presentes erectam, & institutam hujusmodi decretis, & declarationibus à Nobis, & Romanis Pontificibus, predecessoribus, & successoribus nostris, pro reformationibus, & custodiis Italię emanatis, seu emanandis, nullatenus subjectam, & comprehensam esse, vel fore, ac Provincialem, Custodem, & Definitores, aliosque Superiores, ac Fratres Provinciæ per presentes erectæ, & institutæ à quoquam, quavis etiam Archiepiscopali, aut Episcopali, vel etiam majori auctoritate fungentes, desuper molestari, inquietari, perturbari, aut impediri non posse.

Clausula sublata.

§. 11. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios ordinarios, vel delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauf. derog.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam dicti Ordinis, illiusque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, & Provinciis, illiusque, & illarum Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores presentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cęterisque contrariis quibuscumque.

D.P.An. 2. die 1. Martii.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. Martii 1625. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XLI.

Definitio quod Imagines nondum à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus, desuper proponendis, recipienda, & asservanda, sive eorum miracula in imprimendis libris enarranda.

Feria V. die 13. Martii Anno Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1625.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Vaticano coram S. D. N. D. Urbano Divina Providentia Papa VIII. ac Illustriss. & Reverendiss. D.D. S. R. E. Cardinalibus, adversus hereticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Edita A.D. 1625.

Sanctiss. D. N. solicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui & sineque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, & revelationis, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.

Prohibitio ubique proponendi Imagines cum laureolis, radiis, vel splendoribus.

§. 1. Volensque proinde hujusmodi abusibus, pro debito Officii Pastoralis occurrere, re etiam cum Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hereticam pravitatem in Republica universa Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata, ac discussa, declaravit, statuit, & decrevit, de quorumvis hominum, cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantacumque illa sit) detunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tàm sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Libros etiam ista continentes imprimendi.

§. 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, sivè Martyri fama, vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint, gesta, miracula vel revela-

revelationes, seu quęcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sinè recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac dictos viros in consilium adhibeat, & ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tàm pravi comittatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet: Revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta; quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modoo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Tabellasq. Imagines, & luminaria ad eorum sepulchra apponendi.

§. 3. Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque imagines, ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tàm pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, aut affigi, & lampades, sive alia quęcumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omninò, prout supra facienda, sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declaratio in prædicto.

§. 4. Declarans, quòd per suprascripta, præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Executorum deputatio.

§. 5. Ut autem pręmissa diligentius observentur; universis ac singulis, tàm Ordinariis, quàm hereticæ pravitatis Inquisitoribus districtè pręcipit, ut in sua quisque Diœcesi, vel Provincia sedulò pervigilent, ne sinè approbationibus prędictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant.

Pœnarum in trans[illegible] [illegible]

§. 6. Transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ necnon & suspensionis à Divinis: si verò Clerici sœculares, & privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à Divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum ordinum respectivè, aliisque arbitrio prędictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Et signanter impressores.

§. 7. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquomodo effinxerint, vel formaverint, cœterisque Artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seù Inquisitorum arbitrio officiantur.

Contrariorum derogatio.

§. 8. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Efficatia publicationis facta Romæ.

§. 9. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum omnes perindè arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.

Fides transumptorum.

§. 10. Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ pręsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Jo: Antonius Thomasius Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Notarius.

Publicatio

Anno 1625. *Indict.* 7. *Pontificatus Sanctiss. D.N.D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus secundo die verò* 4. *mensis Aprilis, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum S. D. N. Papæ Curs.*

Octavius Spada Mag Curs.

Sequitur declaratio præinsertæ prohibitionis.

Declaratio de qua in rubric.

Postmodum verò idem Sanctiss. D. N. à quibusdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret, Sanctitas Sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re prius cum Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti Decreto declaravit. Quod sicut numquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, & Imaginum hujusmodi, ita, ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum, & decernit, ut quoties ad aliquam Ecclesiam aut Oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu regularem Tabellas, & Imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrii, vel sanctitatis fama demortuorum, obtata se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis, Ecclesiarum locorumve prædictorum curæ Præpositis, Tabellas & Imagines, sivè pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quęcumque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuerint attestationibus accipere, atque approbationibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneatur, in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota collocare, & asservare ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seù Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Jo. Antonius Thomasius S. Rom. & univers. Inquisitionis Not.

Publicatio.

Anno 1525. *Indictione* 8. *Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. die vero* 30. *mensis Octobris, supradictæ literæ, sive decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ ut moris est, per me Brandimartem Latinum S. D. N. Papæ. Curs.*

XLII.

Quod Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Hispania, & Indiis, ad Doctoratus, seu Magisterii in Sacra Theologia gradus promovendi, ab Examinatoribus in Capitulo Generali à Priore Generali deputandis examinentur, ad effectum, ut Magistralibus exemptionibus, & dignitate gaudere possint. Cum extensione Constitutionis Clementis VIII. qua sublata fuerunt vota ex gratia concessa in Capitulis Provincialibus in quibusdam Provinciis Hispaniarum, & Indiarum, ad omnes Provincias Italiæ.

De numero, electione, & qualitatibus Magistrorum Sacræ Theologiæ in Provinciis Italiæ eligendorum statuit Gregor. XIII. Constit. 83. Dominicum, *sup. tom.* 1. *Et de his Fratribus scripsi sup. ad Ale I. Const.* 6. Licet *tom.* 1. *Præter quæ scias, ordinationes Congregationis Siciliæ approbasse Paul V. sup. to.* 3. *Constitut.* 99. Exponi, *& S. D. N. revocasse omnia privilegia, quibus gaudebant Assistentes Ultramontani expleto eorum officio in*

Constit. 68. Romanus, *ubi de hujusmodi Assistentibus notabo & alia indicabo.*

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex in Sacra Beati Petri Sede à Domino constitutus, ex injuncto sibi munere, religiosos viros, qui sprètis hujus sęculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo sese manciparunt, pręcipua benignitate complectens, in his, quæ prospere, felicique eorum directioni conducunt, sedulo invigilat, quæ verò in hoc impedimento esse dignoscuntur, pastorali solicitudine tollere procurat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Multi fratres hujus Ord. in Indiis, & Hispaniis pro consequendis Doctoratus, seu Magisteriis in sacra Theologia gradibus ad universitates studiorum generalium recurrunt, vel alias ad id aditum sibi patefacere contendunt in ord. p. ejudicium.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) multi ordinis Eremitarum S. Augustini Provinciarum Hispaniarum, et Indiarum Religiosi doctrina, & meritis sufficientibus carentes nimiaque Doctoratus, seu Magisterii in Sacra Theologia graduum in eisdem Provinciis consequendorum ambitione ducti, partim ad Universiates studiorum generalium, in quibus ad gradus hujusmodi suscipiendos levissima fiunt examina, studiosè recurrant; partim vero ne hujusmodi quidem examina apud ullam Universitatem subeant, ac aliis etiam minus legitimis, & honestis rationibus, ad eosdem gradus aditum sibi patefacere contendant, in non modicum Ordinis, & Provinciarum hujusmodi pręjudicium.

Pont. id facere eis prohibet ad effectum magistralibus exemptionibus gaudendi nisi prævio rigoroso examine ab examinatoribus in Cap. per Prior. General. deputan. faciendo.

§. 2. Nos pręmissis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare, prosperoque Ordinis Provinciarum hujusmodi statui, et directioni providere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris. Quod de cœtero perpetuis futuris temporibus, nullus Ordinis, et Provinciarum hujusmodi religiosus, etiam prętextu licentiæ à quibuscumque Superioribus obtentæ, in quali bet Studii Generalis Universitate ad hoc, ut inibi, ad Doctoratus, seu Magisterii in Sacra Theologia gradum promoveatur, pręsentari, aut gradum ipsum alias quoquomodo, ut suscipere deberet, ad effectum, ut Magistralibus exemptionibus, et dignitate, & Ordine gaudere possit, suscipere valeat, nisi prius prœvio rigoroso examine ab Examinatoribus in partibus per dicti Ordinis Priorem Generalem in Capitulo Generali deputandis faciendo, etiam per aliquos actus literarios ac etiam in his quæ à Sacro Concilio Tridentino circa Predicatores præcipiuntur, examinatus, et approbatus fuerit, Apostolica auctoritate tenore præsentium, statuimus, & ordinamus.

Pœnas examinatorib. ad hujusmodi gradum admittentibus non idoneum meritum, & doctrina infligit.

§. 3. Mandantes propterea eisdem examinatoribus, ut prefertur, deputandis, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excomunicationis, necnon privationis vocis activæ, et passivæ, aliorumq; officiorum per eos obtentorum ipso facto incurrendis pœnis ne quempiam Ordinis, et Provinciarũ hujusmodi Religiosum doctrina, et meritis sufficientibus ad hujusmodi gradus suscipiendos non preditum quoquomodo approbent, vel admittant.

Approbationes contra hanc Const. faciendas annullat.

§. 4. Et nihilominus quascumque hujusmodi approbationes, aut ad gradus admissiones contra presentium tenorem (quod absit) quandocumque aut quomodocumque faciendas, nullas prorsus, et invalidas, nulliusque roboris, et momenti fore, & esse, ac nulli prorsus suffragari posse.

Sicq; & non alter judicari decernit.

§. 5. Sicque et non aliter in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, & definiri debere, necnon irritum, et inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel igoranter contigerit attentari, auctoritate, et tenore presentium decernimuss, et declaramus.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis, et Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoq; indultis, et literis Apostolicis eorumdem Ordinis, et Provinciarum Religiosis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis, necnon irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium pręmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, et singulis, si de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda esset, eorum omnium, et singulorum tenores pręsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 2 24. Aprilis.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

Sequitur extensio Constitutionis Clem. VIII. qua sublata fuerant vota ex gratia concessa in Capitulis Provincialibus quarumdam Provinciarum Hispaniæ, & Indiarum ad omnes Provincias Italiæ.

Edita A. D. 1628.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Clem. VIII. ordinavit in cap. Pro. nonnullarum in Hispan. & Indiis existentium hujus ord. illos tantum vocem activam habere, quib. de jure juxta d. Ord. Const. licebat, alios vero, quib. ex gratia id concessum fuerat, dicta voce privavit.

ALiàs per fel. rec. Clementem Papam VIII. Pręedecessorem nostrum inter alia accept. quod in Provinciis Bethica, Mexicana de Mechoacasi del Perù del Quinto novi Regni Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, aut aliquibus illarum permulti vocem in electionibus ex gratia habuerant, ex quo propter magnum vocalium numerum in Capitulis Provincialibus, ut plurimum confusiones, & perturbationes oriri solebant, idem Clemens Prædecessor ad eas omninò tollendas, ac de cœtero in perpetuum in quacumque dictarum Provinciarum nulli præter eos, quibus de jure juxta dicti Ordinis Constitutiones licebat, vocem in Capitulis Provincialibus haberent, sed ij, quibus ex gratia concessa esset, voce, activa omninò carerent, & ex nunc privati essent, & esse censerentur, prout ipse Clemens Pędecessor ex tunc illos, & eorum quemlibet privavit, Apostolica auctoritate statuit, & ordinavit. Nuper vero Nos Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione statutum, & ordinationem hujusmodi ad Provincias Italiæ dicti Ordinis sub certis modo, & forma, tunc expressis extendimus, et ampliavimus, prout in ipsius Clementis prædictis, ac nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum teñ præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc iste Pont. de Clem. ordinationem in Cap. Pro. Italiæ servari mandat.

§. 2. Nunc autem prospero, felicique quarumcumque aliarum dicti Ordinis Provinciarum statui, & directioni in præmissis quantum cum Domino possumus, obviam ire volentes, Motu, scientia, & deliberatione similibus statutum, & ordinationem per Clementem Prædecessorem hujusmodi facta, & per nos extensa, & ampliata, ut præfertur, ad universas Provincias, & Congregationes totius Ordinis prædicti eadem auctoritate tenore præsentium rursus perpetuo extendimus pariter, & ampliamus; illaque in universarum Provinciarum, & Congregationum hujusmodi Ca-

pitulis Provincialibus locum habere, & sic ab omnibus censerit.

Decretum irritans addit. §. 3. Atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque & inane quicquid secus super his à quo quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari auctoritate etiam, & ten. prędictis decernimus, & declaramus.

Contraria tollit. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & singularum Provinciarum prædictarum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, aliisque omnibus, & singulis, quæ in dictis literis concessa sunt, non obstare. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habeñ illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio fidem præcipit. §. 5. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent adhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Septembris 1628. Pontificatus Nostri Anno sexto.

XLIII.

Confirmatio Statutorum, pro Religionis Militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis institutæ gubernio editorum.

Hæc Statuta tibi non subjicio, quia eas poteris apud hos milites legere.

Dat. P.A.6. die 14. Sep.

Instituit hanc Militiam istemet Pont. sup. in Constit. 9. Imperscrutabilis, ubi notavi. Deputavitque Judicem probationum sup. in Constit. 29. *Cum nos nuper.*

Edita A.D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Erecta fuit hæc Militia cum facultate Const. pro ejus regimine condendi. ALiàs supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuæ, & Caroli Niverneñ Ducum, & Adolphi Comitis ab Althan Nobis super hoc humilitet porrectis inclinati, unam Militiam Christianam nuncupandam sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, ac sub Regula S. Francisci, necnon sub Protectione SS. Michaelis Archangeli, & Basilii pro uno Magistro qui Magnus nuncupetur, ipsius Militiæ Caput, & Superior existat, necnon Militum, ac Ministrorum numero eidem Magistro beneviso, Apostolica auctoritate sine cujusquam præjudicio perpetuò ereximus, & instituimus, eisdemque Magistro, & Capitulo generali dictæ Militiæ, ut quascumque constitutiones, statuta, ordinationes, capitula, & stabilimenta ad prosperam dictæ Militiæ directionem facientia, licita tamen & honesta, ac sacris Canonibus, Conciliique Tridentini decretis minime contraria ab hac tamen Sancta Sede approbanda, condere, illaque pro rerum, & temporum qualitate, & varietate, alterare, revocare, mutare, moderari, corrigere, & alia de novo condere liberè, & licitè possent, & valerent, dicta auctoritate concessim⁹, & indulsimus, & aliàs prout in nostris desuper sub plumbo expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quæ ut jam fint condita, hic Pont. ea confirmat. §. 2. Cum autem sicut dictus Carolus Dux Nobis nuper exponi fecit, nonnulla pro felici ejusdem Militiæ statu, atque gubernio, statuta, nuper condita fuerint, illaque pro inviolabili eorum observatione Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimum desideret. Nos pii dicti Caroli votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porectis inclinati, statuta prędicta, dummodo tamen licita, & honesta, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint respectivè sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus Apostolicis, neque debitæ Nobis, & S. R. E. obedientiæ, & fidelitati adversentur, dicta auctoritate tenore pręsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus.

Eaque observari jubet. §. 3. Decernentes, eadem statuta ab omnibus ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariisque derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. 2. die 24 Maij. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Maij 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

XLIV.

Beatificatio Servi Dei Andreæ Avellini Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum, cum concessione Clericis dictæ Congregationis ubique existentibus, quotannis in die sui obitus Missam, & Officium de Communi Confessoris non Pontificis celebrandi.

Hujusmodi indultum celebrandi Missam, & Officium istis Clericis concessum extendit ad omnes in Civitate Neapolitana, ac Diœcesi, quæ nuper in novum Patronum dictum Beatum recepit, ejusque Reliquiis, ac statuæ locum in Capella Thesauri Ecclesiæ dictæ Civitatis deberi statuit Sacra Rituum Congregatio, quæ etiam indultum prædictum extendit, prout in ipsius Congregationis Decretis videre poterit.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium. IN Sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, à Deo constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis.

Suplicationes Præpositi Gen. & Cler. Cong Theatin. factæ huic Pont. pro Andreæ Avellini de Congr. Cler. Beatificat. ac Missæ & officii concessione. §. 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Pręposti Generalis, & Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit, Venerabiles fratres S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus pręposti causam Servi Dei Andreæ Avellini eorumdem Clericorum Regularium à tribus Rotæ Auditoribus, ac deinde, de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio nostro Carolo Emanuele Sanctę Mariæ in Via lata Diacono Cardinale Pio nuncupato discussam, cum utrobique de validitate processuum, de sanctitate vitæ, ac de miraculis tàm in vita, quàm in morte sufficienter constare pronunciatum fuisset; in tali statu censuerint habendam, ut ad solemnem ipsius

Servi

Servi Dei Canonizationem quandocumque deveniri possit: Præpositus verò, & Clerici prędicti pro eo, quem erga eumdem Servum Dei Andream Avellinum gerunt devotionis affectum, illum Beatum nuncupari, Officiumque & Missam de eo, donec ad illius Canonizationem deveniatur recitari posse summoperè desiderent.

Concessio de qua in rubr.

§. 2. Nos piis Præpositi, & Clericorum prædictorum votis, quantum cum Dño possumus annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum prędentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; De eorundem Cardinalium consilio, ut idem Dei Servus Andreas Avellinus, Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus Clericis Regularibus hujusmodi ubique existentibus Officium, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis ipsa die ejus obitus celebrari, ac recitari liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 2. die 10. Jun.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Junii 1625. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XLV.

De Celebratione Missarum, ac de prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia. Nec non de earumdem oneribus perpetuis suscipiendis; Et de Religiosorum numero ultra redditus, & consuetas eleemosinas locorum Regularium non habendo.

Super his Decretis multæ postea sunt ortæ Dubitationes, quibus eadem Sacra Congregatio respondit, & Sanctiss. D. N. eas confirmavit, & approbavit, quas omnes mox tibi subjiciam.

Cum sæpè contingat, in quibusdam Ecclesiis tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosinis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indeq; fiat, ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christifideles pravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cœtera formentum præbeat, aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quod Ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeò exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur; Sacra Congregatio Cardd. Concil Trident. Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac Justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum è Christiana Republica convellere, atque eradicare; Sanctiss. D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

Prohibet Episcopis & Generalibus reductiones Missarum.

§. 1. Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Tot missæ celebrentur quot celebrandę promissæ sunt.

§. 2. Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscumque tàm secularibus, quàm regularibus, Sac. Congregatio sub obtestatione divini Judicii mandat, ac pręcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ pręscriptæ fuerint; itaut alioquin ij ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionum teneantur.

Revocat indulta satisfaciendi pluribus Missis aliquibus collectis.

§. 3. Id verò ut deinceps observetur exactius, & Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis Ecclesiis, ac locis piis tàm sæcularibus, quàm regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Eleemosyna pro Missa celebranda, alteri Sacerdoti tota est tradenda.

§. 4. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remoovere volens, prohibet Sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemsyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Bona mobilia relicta cum onere perpetuo Missarum sunt investienda in bonis immobilibus.

§. 5. Pręterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo repidiores, ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi, cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tàm secularibus, quàm regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penès ædem sacram vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quòd illis annexum reperitur.

Quæ si alienentur, in aliis bonis stabilibus converti debent.

§. 6. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica, deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Prohibet ne suscipi-

§. 7. Ad hæc sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregatio-

antur onera perpetua Missarum absq; facultate Ordinariorum.

nibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum tàm sæcularium, quam regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, seculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin secularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cœtero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

Non recipiant nova onera Missarum, nisi Prioribus satis fecerint.

§. 8. Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ità demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrrendis, ne fideles hac ratione frustentur.

Mandat Ordinariis, ut diligenter inquirant super oneribus perpetuis missarum.

§. 9. Episcopus verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitimè constiterint, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse redditturos.

Mandat Superioribus, ut deputent duos, vel tres qui maturè recognoscant relicta pro missis applicanda Monasteriis.

§. 10. Postremo Illustriss. Patres, non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero quam ferant redditus, & eleemosynæ, cujusque Monasterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Tridentini Concilii decretis hac de re editis, Sanctiss. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona imobilia, census, redditus, & proventus, omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam comunes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu præmissas, in comunem usum deinceps conferendas, decem annorum imediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, & præstationes, grandines, sterilitates, aliavè cujuslibet generis, onera consueverunt absorbere.

Et decernant quot Religiosi sustentari possint in unoquoque Monasterio.

§. 11. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel provinciali, coram tribus Judicibus, ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosyni, & obventionibus, universis, & oneribus, ut supra, detractis, sedulò examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, & domo regulari juxta regionis, & proprii Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redditum, & eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque familiæ, Monasterii, Conventus ac domus regularis in singula quaque Provincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum capitularium voto p[...]figatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Superiores mittant ad Sac. Cong. Conc. omnia hoc de genere gesta.

§. 12. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Præfixionem familiæ Monasterii minui, aut augere nequaquam possint.

§. 13. Numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel provincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales & Provinciales omnes, quam locales perpetuò servare omninò teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditiuum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ, ac passivæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apostolica infligendis Sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit.

Quod non recipiantur Monasteria nisi in singulis 12 Religiosi sustentari valeant.

§. 14. Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita, in singulis ejusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monaci, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis elemosynis, detractis omnibus ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi Alioquin Monasteria, & loca hujusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

His in año in publica mensa hæc decreta legenda sunt

§. 15. Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna privationis officii vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post octavam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mense perlegantur.

Sublata quibuscumque personis ea declarandi vel interpretandi facultate.

§. 16. Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocumque honore, ac potestate, præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdi cta.

§. 17. Non

Contrariis pleniffime derogat.

§. 17. Non obstantibus quod suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Jo. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam secularium, quam regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari Magno, seù Bulla aurea aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus decreti, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam comunicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quo ad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expressè derogat, cœterisque contrariis quibuscumque.

Quod publicatio in Urbe omnes afficiat vult.

§. 18. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes ordinationes, in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Transumptisque fidem præcipit.

§. 19. Utque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ die 21. Junii 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secr

Publicatio.

Anno D. N. Jesu Christi 1625. Indict. 8. Pontific. autem in Christo patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus tertio, die verò 22. mensis Septembris suprascripta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joan. Lateranen. & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Emilianum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus prælibati Sanctiss. D. N. Papæ, ac S. Rom. & univers. Inquis. pro Mag. DD. Curs.

Sequuntur dubia, ac declarationes aliquæ Sacræ Congregationis Concilii S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis ejusdem Congregationis de Celebratione Missarum.

SUper primo Sacræ Congregationis decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Cap. generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut postidem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, &, si recurrendum sit, ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari.

Secundò, super Secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis votivis, aut defunctorum, recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere.

Quinto, posito, quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ; Quæritur an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario.

Sextò, super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, An verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium.

Septimò, super Quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octavò, An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditum Beneficii?

Decimò, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eadem integram eleemosynam iis, quibus Missas, celebrandas comittunt: An verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo, super quinto ejusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur in hęc verba (eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minus accipiant novas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid si offerens eleemosynas audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

Decimotertio, An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur.

Decimoquarto, An in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur (Casse de Morti)?

Decimoquinto, An administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi, post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimosexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam secularium, quam regularium, Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& aliis, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoseptimo, super septimo ejusdem Sacræ Congregationis decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit substentari.

Quęritur, An ubi hęc pręfixio facta jam fuit in vim similis decreti san. mem. Pauli V. absque tamen computatione redditum, ejusque religiosi, sit denuò facienda, nec ne?

Decimooctavò, An Novitii, ad habitum regularem admissi possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus, habita ut suprà, pręfixione numeri, commodé ali non possunt.

Decimonono, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus regularium, nisi pręter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariæ.

Quęritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimo, An idem decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extrà Italiam.

Subsequuntur declarationes, seu Responsiones ad supradicta Dubia.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilo minus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa, id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit. Verumtamen si in ipsa beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita nòn sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario, quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii; si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utriusque obligationi satisfacere.

Ad Quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita esse intelligenda.

Ad Septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum, illam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, qua subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missæ sacrificio necessario sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolutè tot missæ celebrentur, quot pręscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad Octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Undecimum, respondit, non prohibere absolutè: Ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dumodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis juxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad Decimumtertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscipiendis onera perpetua missarum celebrandarum, sine licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimumquartum, compręhendi.

Ad Decimumquintum. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut suprà in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimumsextum, compræhendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad Decimumseptimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad Decimumoctavum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deindè in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos ubi commodè ali possint.

Ad Decimumnonum, censuit comprehendere.

Ad Ultimum, habere locum extrà Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Indultum

XLVI.

Indultum pro Fratribus Sancti Francisci de Observantia in partibus Indiarum Occidentalium existentibus expressè professis, quod de suorum Superiorum licentia à quocumque Catholico Antistite de consensu Diœcesani ad omnes etiam Presbyteratus Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis promoveri possint.

Edita A. D. 1625.

De his Fratribus habes sup. ad Const. 23. *Leon. X. Ite,* & vos *tom.* 1. *pag.* 1583. *Vide etiam Const. seq. quæ incipit ad Apost.*

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ut uberiores fructus Fratres Minores de observantia S. Franc. afferant in Indiis Occidentalibus.

§. 1. Cum sicut dilectus filius Commissarius in Romana Curia generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis exponi fecit, ejusdem Ordinis S. Francisci professores in Indiarum Occidentalium partibus comorantes assidua in Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, continuisque Verbi Dei prędicationibus, & aliis spiritualibus exercitiis uberes in vinea Domini fructus inibi afferant, & propterea quo ipsi Fratres dicti Ordinis S. Francisci dictis partibus commorantes, in piorum operum hujusmodi exercitio utilius, & melius continuare valeant, eisdem Fratribus per Nos desuper indulgeri summopere desideret.

Hic Pont. eisdem concedit ut a professis a quocumq; catholico Antistite de licentia Diœcesani ad omnes etiam presbyteratus ordines extra tempora, & non servatis interstitiis promoveri possint.

§. 2. Nos ejusdem Commissarii generalis votis quantum cum Domino possumus, benignè annuere, ipsumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac Domorum, seu Conventuum Ordinis Fratrum S. Francisci in eisdem partibus existentium singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus ejusdem Commissarii generalis nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis ejusdem Ordinis S. Francisci, in partibus Indiarum Occidentalium, hujusmodi tantum existen. expressè professis, ut de Superiorum suorum licentia, à quocumque quem maluerint Catholico Antistite gratiam, & concessionem Apostolicæ Sedis habente in propria Diœc. residente, vel in aliena de Diœcesani loci consensu Pontificalia exercente per eos eligendo, ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines extra tempora ad id à jure statuta, ac interstitiis à Sacro Concilio Tridentino designatis minimè servatis, annique circulo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris Ordinibus susceptis antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, dummodo tamen ad id idonei reperiantur, & servatis alias servandis promoveri: & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore pręsentium concedimus, & indulgemus, ac facultatem impartimur.

Quibuscumq; non obstantibus.

§. 3. Non obstan. fel. record. Gregorii XIII. & Gregorii XIV. Rom. Pont. Prędecessorum nostrorum, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Junii 1625. Pontificatus nostri anno secundo.

D. P. An. 2. die 30. Jun.

XLVII.

Confirmatio & approbatio Constitutionis Gregorii XV. de electione Summi Rom. Pont. ac Cęremonialis continentis illius ritus.

Constitutionem de electione habes sup. n. 14. *Æterni ubi tibi notavi quæ ad ejus materiam pertinent; Approbationem vero illius Cæremonialis habes Const.* 22. *Decret. sup. & etiam ipsum Cæremoniale impressum pro majori lectoris commoditate.*

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam

Prœmium.

Ad Romani Pontificis providentiam spectare dignoscitur, ut ea, quæ salubriter à Prædecessoribus suis, pręsertim Sedis Apostolicæ, universalis Ecclesiæ decori, & utilitati conducentia, statuta sunt, firma, & inconcussa quantum ex Alto conceditur, perseverent.

Greg. XV. edidit Const. pro feliciori directione Electionis Ro. Pont. quam habes judicatam in Rubr.

§. 1. Cum igitur formam in ejusdem Pontificis electione servandam sacrorum Conciliorum decretis, & variis Apostolicis Constitutionibus sæpius pręscriptam felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor noster Pastorali solicitudine permotus, ut res tanti ponderis postulabat, perfectius dirigendum duxerit Constitutione desuper edita, cujus tenor est talis Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Æterni Patris Filius Magister & Legislator Christus Dominus &c.

Omittitur residuum, quia eum habes supra pag. 291.

Et postea confirmavit Cæremoniale continens ritus electionis in Consi. pariter tibi jud. in Rub.

§. 2. Et successive idem Gregorius Prędecessor Cæremoniali ritus dictæ Electionis continens de ejus mandato compositum confirmaverit, cujus tenor sequitur, Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem.

Reliquum hujus Const. cum suo Cæremoniali, habes super pag. 297.

Modo iste Pont. prædicta aprobat & confirmat.

§. 3. Nos qui ut rei tam arduæ negotium ritè, & rectè procederet, & absolveretur, intentis studiis desideravimus, cum primum (nullis licèt suffragantibus meritis) ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, animo revolventes quantam in omnium animis Constitutionis exequutio, & Cęremonialis prædictorum usus approbationem excitarit, ut Constitutio, & Cæremoniale prædicta nostra etiam confirmatione roborata, inviolabiliter semper observentur providere cupientes, ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, Constitutionem, & Cęremoniale prędicta cum omnibus, & singulis in eis, & eorum quolibet contentis clausulis, & decretis hac nostra perpetuò valitura constitutione, Apostolica auctoritate perpetuò confirmamus, & approbamus.

Eaque perpetuo in futuris Pont. electionibus servari præcipit.

§. 4. Eaque etiam perpetuò in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus, ac derogationem in eadem Constitutione dicti Gregorii Prędecessoris insertam, semper vigere suamque vim perpetuis futuris temporibus obtinere decernimus.

Contrariaque omnia tollit.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, ea in parte, qua pręsentibus adversentur recolendæ memoriæ Alexandri papæ III. similiter Prædecessoris nostri in Lateranen. quæ incipit Licet de

vitanda

vitanda, & quibuscumque aliis etiam in universalibus Consiliis editis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, et Consuetudinibus etiam imme morabilibus, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædecessor in Constitutione, et Cœremonialis confirmatione prędictis voluit non obstare; quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęvis alia expressio ad hoc servanda foręt, omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis, quoad reliqua omnia, quæ Constitutioni dicti Gregorii, & Cæremoniali prædictis, et huic nostro pręcepto, mandato, et decreto non sunt repugnantia in suo robore permansuris harum serie de simili plenitudine potestatis derogamus, & derogatum esse volumus, et hanc nostram derogationem suum pariter effectum perpetuo consequi jubemus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Decretumque penale super eddit

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, pręcepti, mandati, decreti derogationis, voluntatis, et jussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. A. 3. die 28. Ianuarii.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1625. quinto Kalendas Februarii Pontificatus Nostri anno tertio.

Papæ suscriptio.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardinalium subcriptum.

† Ego Franciscus Maria Episc. Ostiensis S. R. E. Card. à Monte promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Oct. Episc. Portuen. S.R.E. Card. Bandinus promitto, voveo & juro.

† Ego Joan. Baptist. Episc. Albanen. S.R.E. Card. Detus promitto, voveo, & juro.

† Ego B. Episcopus Sabinen. Cardinalis Beviliqua promitto, voveo, et juro.

† Ego A. Episcopus Prænestin. Cardinalis Perettus promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego Dominicus Cardinalis Gimnasius tit. Sancti Laurentii in Lucina promitto, voveo, & juro.

†

† Ego C. Card. Madrutius tit. S. Cesarii promitto, voveo, et juro.

†

† Ego Scipio. tit. S. Chrysogni presb. Cardinalis Burghesius Major Pœnitentiarius promitto, voveo, et juro.

† Ego Jo. Garsia tit. SS. Quatuor Coronatorum presbyter Card Millinus promitto, voveo, & juro.

† Ego M. tit. SS. Quirici, & Julittæ presbyter Cardinalis Lantes promitto, voveo, et juro.

†

† Ego Jo. B. tit. S. Cęciliæ presb. Card. Lenius promitto, voveo, & juro.

†

† Ego D. tit. S. Martini in Montibus Car. Rivarola promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Fr. Augustinus S.R.E. presb. Card. tit. Sanctæ Mariæ de Aracœli promitto, voveo, & juro.

† Ego Gaspar tit. S. Crucis in Hierusalem presb. Car. Borgia promitto, voveo, et juro.

†

† Ego Fr. Felix tit S. Anastasiæ presbyter Card. Asculanus promitto, voveo, et juro.

†

† Ego Gabr. tit. S. Bartholomæi in Insula Card. de Trejo promitto, voveo, & juro.

†

†

† Ego Julius tit. S. Sabinæ presb. Cardin. Sabellus promitto, voveo, & juro.

† Ego Melchior tit. S. Mariæ de Pace presb Card. Klefelius promitto, voveo, et juro.

† Ego S. presbyter S. Susannæ S. R. E. Bibliothecarius promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Guido tit. Sanctæ Mariæ de Populo presb. Cardin. Bentivolus promitto, voveo, et juro.

†

†

† Fr. Desiderius tit. SS. XII. Apostolorum presb. Cardd. de Cremona promitto, voveo, et juro.

† Ego Ludovicus, tit. S. Laurentii in Damaso presb. Card Ludovisius, S. R. E. Vicecancellarius, et Sanctiss. D. N. Summator promitto, voveo, & juro.

† Ego Cosmus tit. S. Pancratii presb. Card. de Torres promitto, voveo, & juro.

†

†

† Ego Fr. A. Card. Sancti Honuphrii S.R.E. presb. Card. promitto, voveo, et juro.

† Ego Laurentius tit. S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Card. Magalottus promitto, voveo, & juro.

† Ego Aloysius tit. S. Prudentianæ S. R. E. presb. Card. promitto, voveo, & juro.

† Ego Dionysius tit. Sanctiss. Trinit. in Monte Pincio Card. de Marquemont promitto, voveo, et juro.

†

†

† Ego Laudivius Cardinalis S. Sixti promitto, voveo, et juro.

†

†

†

† Ego Jo. Dominicus Spinula Card. S. Clementis promitto, voveo, & juro.

† Ego Jacobus Cavaserius S.R.E. presb. Card. S. Eusebii promitto, voveo, et juro.

†

†

†

†

†

†

† Ego C. S. Mariæ in Via lata Diac. Card. Pius promitto, voveo, & juro.

† Ego M. S. Eustachii Diac. Cardin. de Sabaudia promitto, voveo, et juro.

†

† Ego Alexander S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Ursinus promitto, voveo, et juro.

†

†

†

†

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Boncompagnus promitto, voveo, & juro.

† Ego Hippolitus S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.

†

† Ego P. Maria Burghesius Diac Card. tit. S. Gregorii promitto, voveo, & juro.

† Ego L. SS. Viti, & Modesti Diac. Card. Biscia promitto, voveo, & juro.

†

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1626. Indictione Nona, die verò sexta mensis Julii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & Domini nostri D. Urbani divina providentia Papæ VIII. Anno ejus tertio supradictæ literæ lectæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ per me Tarquinium Majonum Cursorem, & per me Brandimartem Latinum prælibati Sanctiss. D.N.PP. ac Sanctæ Romanæ,& universalis Inquisitionis Cursorē,&c.

Augustinus de Bolis Romanus pro D. Mag. DD. Cursorum.

XLVIII.

Quod si contingat Ministrum Provincialem primo sui officii anno vacare fiat electio successoris cum quo debeant continuare triennium alii Provinciæ Superiores, qui cum primo Ministro fuerunt electi.

De istis Fratribus vide quæ notavi infra ad Constit. 53. hujus Pontificis.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

CReditum humilitatis nostræ, meritis licet insufficientibus, per ineffabilem Divinæ sapientiæ providentiam Apostolicæ servitutis officium jugiter nos admonet, ut Christifidelium sub suavi Religionis jugo, divini Numinis obsequiis famulantium fœlici statui, atque directioni quantum cum Domino possumus, oportunè consulamus.

Concedit prout in rubr.

§. 1. Hinc est quòd nos supplicationibus dilecti filii Bernardini de Senis, Ordinis Fratrum Minorum de observantia Ministri Generalis, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, quod de cœtero perpetuis, futuris temporibus, si ullum d. Ordinis Ministrum Provincialem, primo sui officii anno ab hac vita decedere, sive idem officium, ex quavis causa vacare, seu cessare contigerit, Minister Provincialis, tunc recens electus, seu deputatus, una cum aliis ejusdem Provinciæ Superioribus, atque Officialibus, in suis hujusmodi officiis, ad triennium continuet, & continuare debeat, Apostolica authoritate tenore præsentium statuimus atque ordinamus.

Decretum irritas.

§. 2, Decernentes, præsentes literas semper, & perpetuo valituras, firmas, & efficaces existere, ab omnibusque d. Ord. Fratribus inviolabiliter observari; sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignorantet contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstañ. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ord. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenore præsentium, pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

D.P. An. 3. 13 Aug. 1625.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris 13. Augusti 1625. Pontificatus nostri anno 3.

V. Theat.

XLIX.

Indultum, quod Servus DEI Franciscus Borgia olim Dux Gandiæ, & deindè Religiosus professus, ac tertius Præpositus Generalis Societatis Jesu, Beatus nuncupari, & in die sui obitus Missa celebrari, & officium de Communi Confessorum non Pontificum in Ecclesiis, & Domibus regularibus dictæ Societatis recitari possit.

Quamplura de Societate indicavi supra in Constit. Pauli III. Regimini *tom. 2. & Constit. 119. Paul V.* In Sede *sup. tom. 3.*

Edita A. D 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ALiàs à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. In Sede Principis Apostolorum, nullo meritorum nostrorum suffragio à Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum largitor in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Congregat. Card. censuit deveniri posse ad Canonizat.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius noster Gaspar tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Borgia nuncupatus Nobis nuper exposuit, Venerab. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præpositi causam Servi Dei Francisci Borgiæ olim Ducis Gandiæ ac postea Religiosi professi, & tertii Præpositi Generalis Societatis JEsu à tribus Rotæ Auditoribus, instante clar. mem. Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico, necnon Regnorum ejusdem Philippi Regis Proceribus, Civitatibus, Universitatibus, ac demum Præposito Generali ejusdem Societatis: & deindè de mandato Nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio Francisco S. Angeli in Foro Piscium Diacono Card. Boncompagno nuncupato discussam, cum de validitate processuum de sanctitate vitæ ac denique de miraculis sufficienter constare pronunciassent, in tali statu censuerint habendam, ut ad solemnem ipsius Servi DEI Canonizationem quandocumque deveniri possit.

Pontif. concedit. Beatum nuncupari posse cum Officio & Missa.

§. 2. Gaspar verò Cardinalis, ac Præpositus, & Presbyteri dictæ Societatis pro eo, quem erga eumdem Dei Servum Franciscum Borgiam gerunt devotionis affectum, illum Beatum nuncupari, ac Officium, & Missam de eo, donec ad illius Canonizationem deveniatur, recitari summopere desiderent.

§. 3. Nos piis Gasparis Cardinalis, ac Præpositi Generalis, & Presbyterorum prædictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes; ac singulares, Præpositi, & Presbyterorum prædictorum personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequeñ harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: De eorumdem Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut idem Dei Servus Franciscus Borgia Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus d. Societatis JEsu Religiosis ubique existentibus, necnon in ditionibus Familiæ illorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus, tàm sæcularibus quàm regularibus Kal. Octobris, ipso nempè die sui obitus, Missa celebrari, ac Officium de Communi Confessorum non Pontificum recitari juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani respectivè,

liberè, & licitè valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, Secretarii ipsius Societatis, vel Notarii publici manu subscriptis, & personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 23. Novembris 1624. Pontif. nostri anno secundo.

§. 6. Nunc autem eosdem Gasparum Cardinalem, ac præpositum, & Presbyteros amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & singulares Præpositi, & Clericorum prædictorum personas à quibusvis excomunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De eorumdē Fratrum consilio, concessionem, & indultum, desuperque confectas literas hujusmodi, ad quoscumque Sacerdotes sæculares, seu cujusvis Ordinis, Congregationis, seu instituti regulares, ad Ecclesias, seu domos regulares dictæ Societatis JESU accedentes, itaut Sacerdotes hujusmodi in dictis Ecclesiis, seù domibus dumtaxat Missam, & Officium hujusmodi servata prædictarum literarum forma respectivè celebrare, & recitare possint, & valeant, eadem auctoritate tenore præsentium extendimus, ac concedimus pariter, & indulgemus.

§. 7. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis nostris literis voluimus non obstare cœterisq; contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressiis Secretarii ipsius Societatis, ve Notarii publici manu subscriptis, & personę alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur quæ pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Septembris 1625. Pontificatus Nostri Anno 3.

L.

Indultum pro Ordine Fratrum Cappucinorum Officium de S. Conrado Tertii Ordinis S. Francisci Professore in die suæ festivitatis recitandi sub ritu semiduplici, & de Communi unius Confessoris non Pontificis.

Tres Ordines instituit S. Franciscus, quorum tertium pro sæcularibus Tertiariis nuncupatis instituit, & illius professor fuit iste Conradus non autem Congregationis Fratrum Regularium, qui etiam Tertiarii vocantur, ut notavi supra tom. 1. ad const. 5, Honor. 3.

Edita A.D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DOmini Nostri JESU CHRISTI, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices quamquam immeriti gerentes, ex injuncto Nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis: quamobrem fidelium quorumlibet præsertim verò sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sane nomine dilectorum filiorum Ministri generalis, ac Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit quòd ipsi ex peculari, quem erga Sanctum Conradum tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci dum vixit, professorem, gerunt devotionis affectu, & ut alios Christifideles ad ejusdem devotionis studium accendant, Officium de eodem Sancto Conrado die ejus festo sub ritu Semiduplici recitare posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut de opportuna in præmissis licentia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Ad supplicationem Ord. Fratrum Capucinorum.

§. 2. Nos igitur Ministri generalis, & Fratrum prædictorum laudabile ejusmodi desiderium plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium duntaxat consequen harum serie absolventes, & absolutas fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, Ut de eodem S. Conrado die ejus festo ab omnibus, & singulis Ord. Minorum S. Francisci Religiosis ubique existentibus Officium sub ritu semiduplici de Communi unius Confessoris non Pontificis juxta Rubricas Breviarii Romani recitari liberè, licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, licentiam, facultatem perpetuo concedimus, & indulgemus. Hic Pont. licentiam concedit officium de communi unius Confessoris sub ritu semiduplici die festivitatis recitandi.

§. 3. Non obstan constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statuis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 4. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, que ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptisque credi mandat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Septembris 1625. Pont. Nostri Anno 3. Dat. P.A. 3 die 12. Sept.

LI.

Prohibitio ne degentes in Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Sedi Apostolicæ subjecto, libros ab eis ubicumque compositos de quacumque materia tractantes, absque Cardinalis Vicarii, & Magistri Sacri Palatii in Urbe & extra eam absque Ordinarii & inquisitoris loci licentia deferant, aut imprimendos transmittant.

Generalem circa libros imprimendos prohibitionem habes sup. in Constit. 12. Leon. X. pag. 554.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D.

Urbano divina providentia Papa VIII. ad Illustriss. & Reverendiss. DD. S.R.E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. pro debito sui pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum in Statu Sedi Apost. mediatè, vel immediatè subjecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum Statum absque ulla Ordinariorum, & Inquisitorum loci, ubi degunt, approbatione, imprimendos, transmittunt: statuit, & decrevit, ut imposterum nemo in Statu prædicto degens, cujusvis conditiones, gradus ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & ubicumque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi, & Reverendissimi D. Card. S. D. N. Vicarii, & Magistri Sacri Palatii si in Urbe, si vero extrà Urbem existat sine Ordinarii, & inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda.

Impositio pœnarum. §. 2. Libros autem quos contra præsentis decreti tenore imprimi contigerit præter alias pœnas arbitrio Suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expresse prohibitis haberi vult, & mandat, Contrariis quibuscumque non obstantibus &c.

Publicatio in Urbe. *Anno 1625. Indictione Octava, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus tertio die vero tertia mensis Octobris. Supradictæ literæ Apostolicæ, sive Decretum affixum, publicatum fuit in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis Urbis, per me Brantimartem Latinum prælibati Sanctissimi D. N. Papæ, & Sac. Rom. Inquisitionis Curs.*

LII.

Beatificatio Servi Dei Felicis de Cantalicio Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum, ac Indultum quod de eo Missa celebrari, ac Officium recitari possit à Fratribus d. Ordinis in Nancei Romaricomontis, & Cantalicii Oppidis existentibus, & Romæ ab omnibus ad Ecclesiam ipsius Ordinis, ubi Corpus ejusdem requiescit, confluentibus.

Hoc Indultum ad omnes Fratres d. Ordinis ubique existentes extendit postea hic idem Pont. ut in Const. seq. & deinde ad omnes Sacerdotes confluentes ad Ecclesias hujus Ordinis extendit, ut inf. Constit. 94. aliàs nomine.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN specula militantis Ecclesiæ, & Apostolicæ potestatis plenitudine, nullius licet nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus, in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaquè favoribus prosequimur opportunis.

Pontif. concedit Beatum nuncupari posse eum Officio, & Missa. §. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Maximiliani Bavariæ Sac. Rom. Imperii Principis Electoris, ac Caroli Lotharingiæ Ducum respectivè, necnon Francisci à Lotharingia Comitis Vademontani, dilectarumque in Christo filiarum nobilis Mulieris, Elisabethæ Bavariæ Ducissæ, & Catharinæ etiam à Lotharingia Monasterij Sedis Apost. immediatè subjecti S. Petri de Romaricomonte Ordinis S. Benedicti Nullius seu Tulleñ Diœcesis Abbatissæ, necnon etiam Ministri generalis, & Fratrum Ord. Minorum S. Francisci Cappucinorum nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit, quòd bo. me. Felix de Cantalico ejusdem Ordinis dum vixit professor, multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illustratus fuit. Quapropter Maximilianus, & Carolus Duces, ac Franciscus Comes, necnon Elisabetha Ducissa, & Catharina Abbatissa, ac Minister, & Fratres prædicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ob ejus eximiam caritatem, & excellentia merita, divina aspirante gratia, ab Apostolica Sede decernatur, Idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo, ut infra recitari, & celebrari possit.

§. 2. Quare Nos, re prius per Venerab. Fratres nostros S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam demandavimus, mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio, hujusmodi supplicationibus inclinati. Ut ipse bon. me. Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque & Missa de eo, tamquam de Comuni Confessoris non Pontificis juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani, hoc anno videlicet post præsentes literas emanatas, ab omnibus dicti Ordinis Fratribus ubique existentibus; hic autem Romæ etiam à confluentibus ad Ecclesias eorumdem Fratrum die eorum Superioribus bene visa; in posterum verò die dumtaxat sui obitus iu Ecclesiis Fratrum prædictorum, videlicet in Nancei ac prædicto Romaricomontis, necnon Cantalicii Oppidis ab ejusdem Fratribus tantùm; Romanæ verò ubi Corpus ejusdem requiescit, etiam ad Ecclesiam dictorum Fratrum confluentibus recitari, & celebrari respectivè, liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque. Contraria removet.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ, eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis fidem ?ari mandat.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 1. Octobris 1625. Pontificatus nostri anno tertio. D.P. An. 3. die 8. Octo.

Sequitur extensio hujus Indulti ad omnes Fratres d. Ordinis ubique existentes.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Refertur tenor præinserta constit. NUper nomine dilectorum filiorum, nobilium virorum Maximiliani Bavariæ Sacri Rom. Imperii Principis Electoris, ac Caroli Lotharingiæ Ducum respectivè, necnon Francisci à Lotharingia Comitis Vademontani, dilectarumque in Christo filiarum nobilis mulieris Elisabethæ Bavariæ Ducissæ, & Catharinæ etiam à Lotharingia Monasterii Sedi Apostolicæ immediate subjecti S. Petri de Romaricomonte Ordinis S. Benedicti Nullius, seu Tulleñ Diœcesis Abbatissæ, necnon etiam Ministri generalis, & Fratrum Ord. Minorum S. Francisci Cappucinorum nuncupatorum Nobis exposito fuit quòd bo. mem. Felix de Cantalicio ejusdem Ordinis dum vixit professor, multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illustratus fuerat, eaque propter Maximilianus, & Carolus Duces, ac Franciscus Comes, necnon Elisabetha Ducissa, & Catharina Abbatissa, ac Minister, & Fratres prædicti Nobis humiliter supplicari fecerant, ut donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ob ejus eximiam caritatem, & excellentia merita, divi-

na aspirante gratia ab Apostolica Sede decerneretur; Idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque, & Missa de eo recitari, & celebrari posset. Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, de Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum consilio; Ut ipse bon. mem. Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque, & Missa de eo tamquam de communi Confessoris non Pontificis juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani eo anno ab omibus dicti Ordinis Fratribus ubique existentibus, hic autem Romae etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias eorumdem Fratrum confluentibus die eorum Superioribus bene visa, in posterum verò die dumtaxat sui obitus in Ecclesiis Fratrum praedictorum, videlicet in Nancei ac praedicto Romaricomontis, necnon Cantalacri Oppidis ab eisdem Fratribus tantùm, Romae verò ubi Corpus requiescit, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesiam dictorum Fratrum confluentibus recitari, & celebrari respectivè liberè, & licitè posset, & valeret, licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate concessimus, & impartiti sumus, prout in Nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Extensio de qua in Rubr. §. 1. Nunc autem dilecti filii Procuratoris generalis dicti Ordinis, ac Ministri generalis, & Fratrum prędictorum nomine Nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati; de eorumdem Cardinalium consilio, Ut à Fratribus ejusdem Ordinis universis, & singulis ubique existentibus, Romae autem dumtaxat, & à Sacerdotibus ad Ecclesiam, ubi ejusdem Beati Felicis Corpus quiescit, confluentibus, ut praefertur, in die obdormitionis ipsius Beati Felicis Officium, & Missa de eo tamquam de Communi Confessoris non Pontificis juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani recitari, & celebrari respectivè liberè similiter, & licitè possit, & valeat, licentiam, & facultatem dicta auctoritate tenore praesentium concedimus pariter, & impartimur.

Contraria tollit. §. 3. Non obstantibus omnibus illis quae in dictis literis volumus non obstare, coeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fidem jubet. §. 4. Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. P.A. 3. die 9. Apr. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Aprilis 1626. Pontific. nostri Anno tertio.

LIII. Abrogatio omnium Indultorum, gratiarum, seu declarationum, quae Observantiae Regulae Sancti Francisci quomodolibet contraria sunt. Ac approbatio Statutorum editorum in Capitulo generali Romae die 17. Maij 1625. celebrato. Necnon confirmatio Statutorum Barchinonensium pro Ultramontana Familia, novissimè Segobiae recognitorum, & approbatorum.

Haec Statuta sunt inserta, & aliae Ordinationes à Generali Ordinis Congregatione, de Regulae Observantia factae, necnon Decreta à Congregat. à S.D.N. istorum Fratrum consultationibus praepositae emanata, hic subsequuntur. Et hanc Regulam olim ab ipso S. Francisco editam confirmatam habes ab Honor. III. const. 5. Solet. *sup. tom.* 1. *ubi notata sunt plura, & postea declaratam fuisse scias à Nicol. III. in cap. exiit. de verb. signif. in sexto, necnon à Clem. V. in clement. 1. eod. tit.*

De istis autem Fratribus de Observantia vide constit. 23. Leon X. Ite & vos d. tom. 1. Quibus addo, quod Paul. V. eisdem ambitum omnino prohibuit, ut sup. tom. 3. const. 114. Admonemur, & Gregor. XV. deindè revocavit quascumque Pręcedentias, & Paternitates pręter Ordinis constitutionrs auctoritate Apostolica confirmatas, concessas, ut in const. 50. Pastoralis officii. Novissimè verò ab isto Sanctiss. Pont. confirmata fuit const. 47. Pauli V. circa eleemsynam, quam quaerere possunt Parochi Indiarum ab ijs, qui in Ecclesiis istorum Fratrum sepeliuntur, ut constit. 22. Aliàs fel. Et quod possint isti Fratres expressè professi in Indiis Occidentalibus de suorum Superiorum licentia, ac Dioecesani consensu, Ordines à quolibet Antistite recipere pariter indulsit in constit. 46. Cum sicut.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. SAcrosanctum Apostolatus Ministerium humilitati nostrae nullo licet meritorum suffragio, divina dispositione commissum, postulat, ut inter gravissimas, multiplicesque Apostolicae solicitudinis curas, illam peculari studio amplectamur, perquam personae sub suavi Religionis jugo Salvatoris, & Domini nostri obsequiis famulantes feliciorib us in dies proficiant incrementis.

Quod cum Calepodiis seu sandaliis apertis dumtaxat incedere teneantur. §. 1. Cum itaque sicut accepimus dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, assiduis Verbi Dei prędicationibus, continuaque Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, necnon aliis spiritualibus exercitiis, uberes in vinea Dñi fructus jugiter afferre noscantur. Nos ut Fratres praedicti in tam laudabilium operum exercitio eo alacrius perseverentes, quo amplioribus fuerint ab hac S. Sede favoribus muniti, providere, necnon felici illorum statui, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere volentes, necnon statutis, & per eos in Capitulo generali proximè prerterito decretis inhaerentes, ac supplicationibus etiam dilecti filii Bernardini de Senis ejusdem Ordinis Ministri generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Quod de coeteto perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli ejusdem Ordinis professores juxta dicti Ordinis regulam, necnon declarationes à piae mem. Nicolao III. & Clemens V. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris desuper emanatas cum calepodiis, seu sandaliis apertis dumtaxat incedere teneantur, neque alio pedum operimento, sive panneo, sive alterius cujuscumque materiae existat absque expressa licentia uti possint.

Quod solo habitu, & tunica utantur. §. 2. Quoque integrum eorumdem professorum vestimentum, duabus tantum tunicis constet, & constare debeat: Una scilicet cum caputio, & alia sine caputio, ut eadem regula praescribit, neque ejusdem Ordinis professor, tertia tunica seu camisa staminea, aut interula, seu sudariis, vel alia quacumque re contra ejusdem Regulae tenorem, etiam in vim concessionis fel. rec. Julii Papae II. etiam praedecessoris nostri, sive alio quovis praetextu, & ex quacumque causa ullo modo uti valeant Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo statuimus, atque declaramus.

Abrogat concessiones Regulae contrarias. §. 3. Praedictamque Julii praedecessoris, & quascumque alias concessiones; seu indulta, tàm per literas Apostolicas, & Motu proprio, quàm vivae vocis oraculo, & aliàs quomodolibet concessa eidem Regulae quomodolibet contraria, abrogamus.

Clausulas perservativas addit. §. 4. Decernentes pręsentes literas semper & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ab omnibusque dicti Ordinis Fratribus inviolabiliter observari.

Aliter definiri prohibet. §. 5. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super

per his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus prædicta Julij prędecessoris, ac quibus aliis concessionibus, sive indultis hujusmodi, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisq; contrariis quibuscumque.

D. P. An. 3. die 1. Oct.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die prima Octobris 1625. Pontificatus nostri anno Tertio.

Sequitur approbatio Statutorum editorum in Capitulo generali Romæ celebrato die 17. Maij 1625.

Hujusmodi Statuta sunt inserta in ista Constitutione, ut videre poteris, & quia multum interest, & sunt generalia, ea posui ad verbum.

Edita A.D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN supremo Apostolatus solio, meritis licet imparibus, divina dispensatione præsidentes, ex incumbenti Nobis Pastoralis Officii debito Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei militantium prosperum statum, felicemque directionem, sinceris desiderantes affectibus ijs, quæ propterea piè, & providè præsertim in eorum capitulis generalibus facta fuisse comperimus, ut firma perpetuò & illibata remaneant, libenter cum à Nobis petitur, Apostolici muniminis adijcimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Si in ultimo Capit. hujus Ord. statutum est, qua licentia debeant Fratres Romam venire.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo generali ejusdem Ordinis in domo Beatæ Mariæ de Aracæli nuncupatæ de Urbe prædicti Ordinis ultimo loco celebrato pro felici Fratrum ipsis Ordinis utriusque familiæ gubernio, & directione nonnulla statuta edita fuerint, tenoris subsequentis, videlicet.

Statuta pro utraque Familia.

PRo publicis totam Provinciam concernentibus negotiis, accedente etiam definitorii consensu, Fratribus suis ad curiamRomanā eundi facultatem, Provinciales Ministri concedere possint: pro privatis autem, auctoritatem hanc sibi noverint esse negatam, Qui secus fecerit, pœnis à sanctæ mem. Clemente VIII. positis subjaceat.

Oblati omnes, Donati, Tertiarii, ad Conventus famularum assumpti, Caparonem, seu Caputium, ferre deinceps non præsumant, sed ut ab omnibus dignoscantur Fratres non esse, calceatis incedant pedibus, habitum genua non excedentem, galerum, seu biretum in capite portent.

Statutum generale, quo decernitur, Capitulum intermedium, seu Congregationem habere plenam auctoritatem non continuandi Guardianos, sed prioribus amotis, alios instituendi etiam nulla inveniente caus, innovatur, & roboratur ideò Guardiani omnes renunciationem suorum officiorum spontaneam, & ex animo, in scriptis mittere teneantur.

Provincia Anglicana restituitur.

Provincia Anglicana, quæ ob persecutiones Hæreticorum defecerat, pristino suo honori, & loco restituitur: ita tamen, ut quia pauci adhuc in ea sunt Conventus, & Fratres, donec augeatur numerus, separatæ Custodiæ nomen retineat, cujus Custos generali Capitulo intersit, habeat que votum in eo.

Utraque familia pro acceptis beneficiis, & munificentissima liberalitate Excellentissimi Domini Marchionis de Cannete, cum Benefactorem àgnoscit sicut jam antea in Congregatione Segoviensi proximè pręterita communi omnium suffragio sancitum fuerat.

Provinciarum Tertii Ordinis, quæ nunc temporis in Hispania, & in Galia erectæ sunt Ministri, Comitis generalibus deinceps interesse, & in electionibus Ministri, & Comissarii generalis, respectivè votum activum habere poterunt. Fratres enim nostri sunt.

Provincia S. Didaci in Bethica recipitur, & cathalogo Provinciarum Ordinis adscribitur, & antiquitatis à suæ locum, à suæ erectionis die, qui 20. mensis Decembris 1620. fuit, in posterum obtinebit.

Provinciæ Saxoniæ S. Crucis restituitur.

Provincia Saxoniæ Sanctæ Crucis antiquo sui Juri, & Ordini restituitur, ad eamque non solum Abastudensis Conventus, alijque, qui antiquitùs ejus erant, sed etiam Heldesimensis, & Fuldensis, qui hactenus Ministro Colnniensi paruerunt: Item Conventus Egar, & Monialium ejusdem loci, qui ad tempus Argentinensi Provinciæ subditi fuerant, deinceps, & in posterum pertinebunt.

Pro Cismontana Familia.

De oneribus Missarum suscipiendis.

UT conscientiis Fratrum circa Missarum celebrationem efficaci remedio provideatur, strictissimè Patribus Guardianis, & quibuscumque aliis Conventuum Superioribus pręcipitur, ut in oneribus Missarum suscipiendis omninò observent formam præscriptam in decretis à Sacra Congregatione Concilii Sanctissimi Domini Nostri auctoritate nuper editis de celebratione Missarum.

Ne pax mutua detrimentum patiatur: Noverint Patres Reformati sibi interdictam divini Verbi prædicationem; necnon elleemosynarum petitionem intra limites Conventuum Fratrum Observantium de familia, nisi prius Ministri Provincialis in scriptis obtenta facultate: Cui interdictioni reciprocè Fratres regularis Observantiæ subjacebunt, nisi Patris CustodisReformatorum voluntas accesserit, atque consensus.

Pro evidandis Fratrum evagationibus, ordinatur, & præcipitur, ut quotiescumque eorum aliquis à suo Superiore extra Provinciam, vel etiam Conventum intra Provinciam exeundi facultatem impetraverit, in illius obedientia dies determinari assignentur suæ peregrinationis, suique reditus: ne possit accingere se itineri, & obtenta facultate gaudere, nisi obedientiales literæ priùs registratæ, & à Patre Ministro, sivè Gaurdiano subscripræ fuerint: in quibus dies discessus adnotetur.

Apostatæ, nec recipiantur, nec retineantur in alienis Provinciis, ad quas quomodocumqu confugerint: sed ubi primum fuerint absoluti juxta consuetudinem, & Ordinis constitutiones, ad proprias remittantur sub pœna privationis Officiorum Provincialis, sivè Gaurdiani, aut cujuscumque alterius Superioris ipso facto incurrenda.

Cum Ordo noster Seraphicus ad totius Ecclesiæ obsequium sit institutus, toto conatu innitendum est, ut non solum in eo scientia non pereat, sed in dies augeatur. Ideò decernitur, atque statuitur, ut in qualibet Provincia, ubi hactenus desiderantur, & non sunt Philosophiæ, & Theologiæ studia erigantur, & instituantur: quibus ex eadem Provincia Patres Lectores ex doctoribus pręficiantur: caveaturque ne deinceps in alienasProvincias Studentes mittantur; aut Prędicatores, nisi in casu aliquo urgenti, de quo tam Minister generalis, quàm Commissarius judex esto. Hac lege Provinciæ Ultramarinæ non tenentur, qua Studentium, & lectorum penuriam patiuntur.

De transeuntibus ex una ad aliam Provinciam.

Transitus ab una ad aliam Provinciam plurimorum est causa malorum, quibus provisum fore judicamus, si quod nunc statuitur in posterum observetur: Ut scilicet, qui sua sponte, licet obtenta priùs licentia, ad alienam Provinciam transierunt Fratres tàm incorporati, quàm incorporandi, in ea locum, ordinem, & præcedentiam à die tantùm incorporationis suæ, non autem

à die receptionis habitus, aut emissæ professionis teneant, & habeant.

Ad tollendam ambitionem, & eliminandam relaxationem decernitur: ut juxta Gregorii XV. Breve nullus aliquo gaudeat privilegio ex quacumque causa, quod per leges & ordinis statux à Sede Apostolica confirmata, concessum non fuerit.

Sicut Statutum de erigendis Communitatibus in uno quoque Conventu ad majorem paupertatis observantiam, & Fratrum consolationem innovatur: ita Guardianis sub pœna suorum officiorum privationis præcipitur ut infra duorum mensium à suo ingressu spatium, Communitates erigant, in quibus, quæ necessaria sunt Fratribus, asserventur, suo tempore illis distribuenda, & subministranda; hujusmodi autem Communitates de eleemosynis Conventuum, & superfluis Fratrum erigantur: quibus habere habitum, & tunicam unam conceditur: alteram verò tunicam, non nisi ex necessitate, & superioris condescensione, & licentia.

Quid de vineis, & pratis sit faciendum. Omnibus, & singulis Patribus Guardianis sub pœna privationis officii præcipitur, ut si in suis Conventibus Vineæ, seu Prata fuerint, ex quibus vinum ad bibendum, & fœnum ad vendendum colligitur, antequam à suo ingressu duos menses compleantur, omni posthabita excusatione tollant, & aliis usibus permissis terram applicent.

De visitandis Fratr. Cellis. Iterato statuitur, ut Guardiani sub pœna suspensionis à suis officiis, Cella Fratrum singulis mensibus visitent, indeque auferant quidquid perfectæ & Franciscanæ repugnat paupertati

Renovatur Statutum contra illos Fratres, qui suis Superioribus insultant, verba injuriosa & contumeliosa in eos proferunt: in recognoscendis culpis sinè licentia loquuntur: protestationes in scriptis offerre ausu temerario præsumunt.

De colligendis Statutis Cismont. famil. Sicut in Congregatione Segoviensi proximè præterita, in unum collecta fuere Statuta, quæ in Ultramontana familia in posterum observari debeant; ita in hac Cismontana fiat: hujusmodi autem collectio duobus Patribus doctrina, & pietate pollentibus à Cismontano Definitorio eligendis committatur.

De habenda clave magistra, seu communi. Servetur Apostolica constitutio, qua Ministro provinciali in sua Provincia, & Guardiano in suo Conventu præcipitur, ut eorum quilibet clavem communem, quæ Magistra vocatur, apud se habeat, & sollicitè custodiat: qua suorum subditorum cellas ad libitum saltem cum duobus DiscretisConventus aperire, ingredi, & visitare possit.

Pro Hispaniis.

In Provinciis semper sit unus Definitor recollectus. SI contingat, Patrem Definitorem Recollectum ad meliorem transire vitam, soluto mortis tributo, ejus locum, munus, & officium antiquior ejusdem Recollectionis Definitor obtineat; quod si nullius Definitoris officio functus superstes inveniatur; qui erit Guardianus antiquior; aut secundum tabulæ ordinem dignior extiterit; defuncto Definitori substituatur: ita ut sine Definitore Recollecto nunquam Definitorium congregetur.

Distantia aqua vacandi sunt Definitores. Ad electiones non vocetur Definitor extra Nationem existens, si verò intra Nationem extra Provinciam tamen fuerit, dummodò non plus quàm per duas, aut tres dietas distare dignoscatur, vocandus erit, alioquin omnes definitorii actiones nullius sint valoris, & auctoritatis.

Quis subrogandus pro Definitore mortuo. Mortuo alioquo definitore, antiquior Provinciæ Pater defuncti locum accipiat, quod si nullius talis extiterit, antiquior in Definitoris officio subrogetur. Idem aliis in nationibus observandum erit.

De accommodandis Bibliothecis. Ne Bibliothecæ, Lectores, Prædicatores, & Confessores libris necessariis careant, singulis Provincialibus Ministris conceditur, ut quilibet in sua Provincia eleemosynas procuret pro Missis diebus Dominicis celebrandis ad præscriptum eorumdem decretorum Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Missarum, dummodo ducentorum ducatorum quantitas valorem non excedat quolibet anno, hujusmodi autem eleemosynis emantur libri, & pro uniuscujusque necessitate, judicio Ministri distribuantur: quod ut sine dolo, & fraude fiat, Visitator solerter inquirat, specialem rationem in singulis Conventibus exigat, & in Capitulo Provinciali: An libri juxta quantitatem assignatam procurati, & distributi fuerint, vel non, publicè, & in conscientia declaret. Quæ supererunt die Dominico Missæ supra numerum ex Statutorum nostrorum præscripto, benefactoribus in communi applicentur.

Pro Galliis.

Constituantur domus recollectæ in provinc. Galliæ. QUod unanimes in suo Discretorio novem Provinciæ Galliarum à Definitorio generali obnixè postularunt, eis libenter ad majorem Dei gloriam conceditur: ut in qualibet dictarum Provinciarum tres eligantur, & assignentur Conventus, in quibus Regulæ observantia adeò districtè servetur, ut Recollectorum, seu Reformatorum vivendi modum Fratres imitentur: Ideò Capitulum Generale tàm Ministris quàm Visitatoribus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut hoc diligentissimè exequantur: ita tamen ut prædicti Conventus Ministris in omnibus subjiciantur: iis casibus exceptis, qui in Statutis pro Reformatis jam factis, declarantur.

Provinciæ recollectæ Gallia habeant suo loco Definitorem generalem. Eodem jure, ac privilegio gaudeant Recollectorum Provinciæ in Gallia existentes, quo duæ aliæ ejusdem Nationis familiæ, ut videlicet suo ordine, & tempore successivo Definitorem habeant generalem.

Pauca hæc Statuta fieri debuerunt, quia quæcumque alia ad bonum publicum necessaria in Statutis Segoviensibus auctoritate totius Congregationis ibidem confectis cumulatissimè reperientur.

Pro Indiis.

CAveant ex indianis Provinciis Ministri Provinciales: ne ad Capitulum Generale, vel aut ipsis veniant, vel Comissarios, suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultas conceditur.

Indiarum Comissarii, Generalis ipsimet Provincias omnes visitent: impediti necessitate urgenti ex vicinioribus Provinciis, non autem remotis, Visitatores assumere teneantur.

Nulli liceat Comissario generali, vel etiam Visitatori ante Ministri provincialis electionem, neque ea peracta, aliquem voce activa, & passiva privare, seu alia graviori afficere pœna, nisi confecto processu, & præcedente rei auditione in sui defensionem. Qui secus fecerit, suo privetur officio.

De existentia Visit. in provincia. Visitatores peracto Provinciali Capitulo in Provincia visitata, ultra viginti dies, non remaneant, quibus elapsis omninò auctoritate careant.

De electione, Tàm Comissarius Generalis, seu Visitator ab Electoribus subscriptionem petens, hunc, vel illum eligendi: quàm ipsi scribentes privationi actuum legitimorum, ipso facto, incurrendæ subjaceant.

De juramento præstando ab electoribus. Electores in Provinciali Capitulo congregati, antequam ad electionem Ministri, Definitorum, Custodum, & Guardianorum. procedant, nominatim juramentum præstent coram Vener. Crucifixi imagine se eum electuros, quem in conscientia, & omnibus æqua lance libratis, digniorem judicabunt, ita jubente Clementis VIII. sanctione à S. D. N. Urbano VIII. renovata.

Pro

Pro Belgis.

De Statutis quoad Provincias Belgicas.

PErmittit Capitulum Generale Provinciis Belgicis, & annexis in iis tantum, quæ Sacris Canonibus, Tridentini Concilii decretis, & constitutionibus Apostolicis non adversantur, juxta Statuta Barchinonensia nuper Segoviæ recognita,& auctoritates Reverendissimi Patri Ministri generalis eisdem accommodata, deinceps vivere, sua Statuta Provincialia servare, reformationis modos à Visitatoribus Apostolicis introductos retinere: ita ut neque præsentes, neque futuræ constitutiones, aliæ prædictarum Provinciarum Patres, ac Fratres ullo modo obligent: nisi ex parte illa, qua dictis Statutis conformes erunt, vel primo in Capitulo provinciali,seuCongregatione lectæ, & pmulgatæ fuerint.

De Commis. Nationalis per totum Belgium.

Commissarius Nationalis in dictis Provinciis nemo esse, aut institui possit, nisi qui antea, aut Definitor, aut jubilatus Lector, aut majori officio functus fuerit, & per se ipsum Provincias visitare valeat. Dispensatio in Statutis provincialibus sine Definitorii assensu omninò ei interdicitur; sicut & causarum commissio in instantia prima, quæ penes Prælatos ordinarios esse, & remanere debet.

Receptionem Novitiorum, necnon Fratrum incorporationem non esse sui juris, noverit. Capitulis provincialibus ipsemet præsideat.

Instante Definitorio totius Capituli Generalis statuitur ad evitanda dubia: ut Procuratores, & Commissarii Romanæ Curiæ officio functi (etiam si Ministri Provinciales aliàs non fuerint) intra suam Provinciam, & extra, omnes alios præcedant: licet Ministri provinciales alias non fuerint) intra suam Provinciam, & extra, omnes alios præcedant; licet Ministri provinciales, aut Definitores generales extiterint.

§. 2. Nos inviolabili statutorum hujusmodi observationis perpetuæque firmitati, quantum Nobis ex alto conceditur, opportunè providere, ipsumque Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti. aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejusdem Procuratoris totius Ordinis hujusmodi nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Statuta præinserta hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimua, ac omnes, , & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Observantia prædictorum Statutorum decernit.

§. 3. Decernentes eadem Statuta in prædicto Ordine ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter perpetuò observari, & adimpleri debere, irritumque, & inane, si secus saper his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter conti gerit attentari.

Contraria tollit,

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 3. die 20. Novembr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Novembris 1625. Pontific. nostri Anno tertio.

Sequitur confirmatio Statutorum Barchinonensium pro Ultramontana Familia, novissimè Segobiæ recognitorum, & approbatorum, dum tamen Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, Constitutionibus Apostolicis, ac Regularibus ipsius Ordinis institutis non adversentur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1625.

Proœmium

INjuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei militantium prospero statui, fœlicique directioni invigilantes, his, quæ propterea providè facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò, & illibata persistant, libenter cum à Nobis petitur, Apostolicæ nostræ confirmationis munimine roboremus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator generalis Ordinis Fratrū Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. Quòd in Congregatione generali ipsius Ordinis in illius domo regulari Segobiensi novissimè celebrata Statuta generalia pro Fratribus ejusdem Ordinis Ultramontanæ familiæ alias in Civitate Barchinonensi edita recognita, & approbata fuerunt.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Procurator prædictus plurimum cupiat, Statuta hujusmodi pro firmiori illorum validitate, & subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur Procuratorem prædictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Statuta prædicta, sic ut præfertur recognita, approbata, quatenus tamen licita sint, & honesta, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, & Constitutionibus Apostolicis, regularibusque ipsiusque Ordinis institutis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus,ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decernentes eadem Statuta, ac præsentes literas valida firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere à Fratribus familiæ prædictæ, nunc, & pro tempore existentibus,in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si super his à quoquam quavis auctoritate scienter, & ignoranter contigerit attentari.

Contraria aufert.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, in contrariuum præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 3. die 8. Decembr.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 8. Decembris 1625. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Sequuntur Ordinationes factæ in generali Congregatione de Observantia Regulæ.

PRimò declarat generalis Congregatio, nullam dispensationem contra præcepta nostræ Regulæ esse admittendam, sed omnes, & singulos

Fratres teneri ad regulæ observantiam secundum suam puritatem juxta declarationis Nicolai III. & Clementis V. sicut in multis aliis generalibus constitutionibus declaratum est: Cum omnia privilegia, seu concessiones cujuscumque conditionis existant, vel quomodolibet impetrata, vel concessa per Brevia Apostolica, per indulta, per vivæ vocis Oracula contra Regulæ puritatem, si quæ forent, penitus abrogata fuerint per Breve Sanctiss. D. N. Urbani VIII. Qui verò contra fecerint, tamquam Regulæ transgressores severè puniantur.

De oneribus Missarum ex lebrandur.

Et quoniam in quibusdam Ecclesiis tàm magnus numerus Missarum celebrandarum ex variis defunctorum legatis impositus reperitur, ut illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, & consequenter, nec aliis, pro quibus eleemosynæ in dies offeruntur; idcirco ne detur occasio fratribus eorum conscientias onerandi, determinatum est, ut Superiores locorum illorum, ac etiam Provinciales declarare, & protestari debeant coram ijs, ad quos spectat, se nulla amplius legata perpetua ipsis à testatoribus relicta exigere, & de facto amplius non exigant, imò ea, quantum in ipsis est, eo modo quo possunt resignent, & respuant. Ac in illis Conventibus is numerus Fratrum collocetur, qui ex eleemosynis quotidianis honeste sustentari potest. Si quæ verò legata quoad capitale fuerint extincta; remanente apud Fratres obligatione celebrandi Missas in perpetuum, fiat recursus ad Summum Pontificem, ut ipse pro sua benignitate super hoc de opportuno remedio provideat.

De eleemosynis pecun. pro Missis celebrandis in futurum, & recipiendis

Capsæ, vel Trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias etiam pro missis oblatas, non solum ab Ecclesia, sed etiam à Sacristia, & à quacumque parte; quæ sit intra clausuram Conventus, omninò prohibentur sub pœna inobedientiæ, & excommunicationis majoris: oblatæ autem eleemosynæ pro Missis nullo modo intra clausuram Conventus, aut intra Ecclesiam, vel Sacristiam ac aliquo recipi permittantur, sed ad Syndicum Apostolicum offerens remittatur: Quod si id grave illi fuerit, & voluerit Tertiario, vel Servitori Conventus tamquam Syndici substituto illam tradere, ut ad Syndicum ipsum ejus nomine deferatur, id fieri poterit; ea tamen lege, ut intra claustra Conventus, aut Ecclesiæ, nec Tertiarius, nec servus illam recipiat, & Guardianus, qui contrarium permiserit privetur officio suo.

De Apostatis.

Circa Apostatas, aliosque delinquentes observetur omninò Breve fel. rec. Sanctiss. D. N. Pauli V. contra Superiores nostri Ordinis promulgatum, quod incipit, Admonemur, in quo ordinatur, ut ad instantiam personarum quorumcumque extra Ordinem constitutarum nullo modo remittantur pœnæ eis impositæ.

Ad evitanda evagationes Fratrum, & alia gravia inconvenientia, præcipitur, ut Sacerdotes nostri Ordinis nullo modo mittantur extra Conventum ad Missas in aliorum Ecclesiis celebrandas, sed unusquisque in propria teneatur Ecclesia celebrare. Guardianus autem, qui contra fecerit, vel id permiserit, per mensem suo suspendatur officio pro prima vice pro secunda autem gravius puniatur Superioris arbitratu.

De Parochiarum jure.

Cum Parochiarum curam habere in illis Civitatibus, & locis, in quibus Christiana Religio propagata est, & in quibus copia Sacerdotum sæcularium adest, maximum detrimentum afferat nostræ professioni, & Regulæ observantiæ, determinant, Generalis Congregatio, ut in præfatis locis omninò relinquantur, & si aliquæ sint, quæ de mandato Sedis Apostolicæ detineantur, ad ipsam Sedem Apostolicam fiat recursus, ut super hoc opportunè provideat, Fratrumq; conscientiæ consulat.

De Commissario Regni Poloniæ.

Commissariis in Regnum Poloniæ mittendus ad Provincias illas visitandas, in unaquaque illarum Provinciarum Patres Definitorii, & alios Patres principaliores congreget, atque simul cum eis de negotio divisionis illarum Provinciarum discurrat, illudque exactè dissentiat, & quidquid circa hoc de comuni consensu, paceque conservanda determinatum fuerit esse melius, Reverend. Patris Superiori Generali significet, ut ipse pro sua prudentia, & zelo, quidquid opportunum fuerit ad sedandam controversiam circa hoc exortam decernat, & statuat, etiam Sedem Apostolicam consulendo, si opus fuerit. Quidquid verò ab ipso statutum fuerit in illis Provinciis executioni mandetur.

De Custodiis Reformator. Poloniæ Austriæ, & aliis.

Declaratus, duas Custodias Reformatorum Poloniæ fuisse benè institutas; easque, & ad idem institutum servandum teneri, & eisdem privilegiis; & prærogativis gaudere, quod servant, & quibus Gaudent Custodiæ Reformatorum Italiæ, & præsertim quod votum habeant in Capitulis Provincialibus illarum Provinciarum, quibus sunt annexæ. Insuper declarat totum Definitorium, Ruformam, seu custodiam Austriæ veram esse Custodiam ad formam aliarum Reformationum Italiæ institutam, eisdemque privilegiis, & gratiis, quibus cœteræ Italiæ Custodiæ gaudent, potiri, & gaudere debere. Idem dicimus etiam de Conventu Pragensi, Provincia Boemiæ, & Tyrnaviensi, Provincia S. Mariæ Hungariæ Reformatis, jam assignatis, & traditis, &c.

De Monasterio Monialium majoris Glogoviæ.

Monasterium Monialium clausarum majoris Glogoviæ Provinciæ Boemiæ, supposita ipsarum inobedientia, & contumacia omnino reliquatur, & resignetur loci Ordinario; itaut imposterum nulli Provincialium successivè futurorum, aut aliorum quorumcumque Fratrum, liceat in contrarium aliquid attentare, sub pœna privationis Actuum legitimorum contrafacientibus.

De Conventu Glivicensi.

Conventus Glivicensis, olim ad Provinciæ Boemiæ Fratres spectans, ac deindè Reformatis Provinciæ Poloniæ assignatus declaratur, incorporatus reformationi Provinciæ Poloniæ, præcipiturque ut imposterum non liceat Provinciali Boemiæ vel alteri Patri ejusdem Provinciæ aliquid in contrarium attentare sub pœna privationis officiorum, actuumque legitimorum iis, qui contrafecerint.

De Stat. Fratrum Refor.

Ad confessiones, & varietates Statutorum Reformatos concernentium tollendas, & ad certam insuper, stabilemque inter ipsos Constitutionum, observationem præfigendam, statuendamque consulto statuitur, strictiusque præcipitur sub pœnis in eisdem Constitutionibus taxatis, & irremissibiliter infligendis, ut imposterum Fratres reformati iis dumtaxat statutis generalibus utantur, ac ea inviolabiliter observent, quæ pro bono, ac strictiori ipsorum vivendi modo in præsenti Cangregatione generali etiam ipsis Reformatis essentientibus, & acceptantibus maturè decreta, & sancita fuere, eaque quolibet cimistri legere teneantur tempore communis refectionis.

Sacra Congregatio à Sanctiss. D. N. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ familiæ consolationibus præposita volens, quantum potest in Domino, ipsorum postulato satisfacere circa Novitios ad habitum, & professionem admittendos, Sanctitate Sua approbante censuit, tunc demum esse illis permittendum, ut Novitios ut supra recipiant, cum constiteris, ex ipsorum Conventibus eos sustulisse abusus omnes, qui Regulæ S. Francisci Observantiæ adversantur. Quod ubi præstiterint, designanda erunt loca, pro iisdem Novitiis recipiendis, & præscribendus recipiendorum numerus, & qualitas, & alia ad eorum institutionem pertinentia, & prout unaquequæ Provincia id exequetur, idem receptionem hujusmodi fore permittendam.

Abusus verò, quibus eos propterea mederi oportebit, sunt potissimum infrascripti.

Ac

Ac primum abdicent à se, & eorum Conventibus, non solùm pristina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem, & declarationes fel. rec. Nicolai III. & Clem. VIII. extra, vel intra septa Monasteriorum detinent, sed etiam censûs perpetuos, & legata annua, super quibus Sacra Congregatio præcipit observari Decretum Congregationis generalis Romæ habitæ die 17. Maji 1603. *Cujus tenor talis est.*

CUm annuos redditus, sicut cœtera bona immobilia Nobis habere non liceat, ideo renovantes alia generalia Statuta decernimus, quod nullus Frater inducat personam aliquam ad eleemosynam perpetuam Ordini nostro exhibendam, nec exhibitam, à quopiam vivente suscipiat, & si aliqua talis nobis fuerit relicta nullo modo in judicio exigatur: declarantes, quòd ad perpetua legata petenda non possunt Fratres recurrere, nisi humiliter, & per modum eleemosynæ absque allegatione alicujus debiti: Decernitur præterea, ac præcipitur per sanctam Obedientiam, quod quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis, & hospitalibus, vel alicui Reipublicæ, & aliis domibus, ea lege, quod teneantur Fratribus præstare singulis annis certam eleemosynam, sive omninò gratis, sive ut ipsi Fratres dicant certa Officia, & Missas, quod Guardianus faciat protestationem ei, qui testatoris voluntatem adimplere tenetur, quod ad illas eleemosynas, nullum jus habent ex vi legati, non possunt obligari ad illa Officia, & Missas; Si tamen facta ista protestatione, hæres ex sua libera voluntate voluerit dare eleemosynas illas, & committere Fratribus dicta Officia, & Missas, tunc Fratres tuta conscientia possunt eleemosynas hujusmodi recipere. Quod totum, & multò fortius in relictis legatis singularibus Fratribus simili modo faciendum esse decernimus: Inhibemus autem, ne Syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis Fratribus. Protestatio autem sic fiat sub sigillo Conventus, videlicet: Nos Frater N. Guardianus, & Fratres Discreti hujus Conventus N. dicimus ad nostram notitiam pervenisse, quandam N. certam eleemosynæ quantitatem Conventui huic distribuendam perpetuò gratis, vel forsan pro aliquibus Officiis, & Missis dicendis, legasse. Cumque legata hujusmodi, nisi per viam simplicis eleemosynæ acceptare ex instituto sancto nostro, & jure nobis non liceat; ideò per præsentes libere protestamur in Domino, quod legatum prædictum tamquam illius incapaces ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres, Commissarius, aut Legatarius ipsius testatoris dictam quantitatem per viam simplicis eleemosynæ omni obligatione, dominio, & proprietate penitus cessantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam simpliciter accipiemus, & piæ testatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plenè, ac fideliter satisfaciemus. Hæc autem protestatio subscripta per Guardianum, & Discretos Conventus dabitur illi, qui tenetur testatoris voluntatem implere, & eadem protestatio scribetur in libro Conventus, ut constare possit succedentibus Guardianis, hanc constitutionem fuisse ad plenum adimpletam. Est autem hæc protestatio necessaria, ut optimè decernit D. Bonaventura, hanc disputans quæstionem, & ex Apostolicis declarationibus Regulæ nostræ colligitur: Et ut omnibus sit compertum id quod tantoperè est nobis necessarium, ipsam Divi Bonaventuræ quæstiunculam ex suo Apologetico desumptam, hic apponere de industria, non gravabimur, quæ talis est, ut sequitur.

CUm asseratis, vos secundum Regulam, & professionem vestra nullos debere recipere proventus redditum, seu possessiones exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini transgressores Regulæ vestræ in eo, quod recipitis domos, vel areas non contiguat vestris areis, in quibus habitatis; eodem enim modo, si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & mansos, & similia quæq; recipere, imò Grangias, & Villas, & Castra, & terras, & Oppida, & quæcumq: fuerint vobis data, & sic pristina paupertas, & mendicitas. quam professi estis, paulatim evanescere, & non eritis Discipuli S. Francisci, cum non sequamini vestigia ejus, nec ejus Regulam teneatis: de domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem Procurator vester loco vestri exigit, & in usus vestros convertit de voluntate vestra.

℟. Si qui in talibus incautè agunt dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licitè agere possimus adverte, & tunc non judicabis, nos (si sanè intelligis) transgressores. Protestamur nos secundum Regulam nostram nil debere, seu velle possessionis, vel certorum redditum recipere, vel habere. Quia vero mendici sumus, & pauperes, ea, quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis, vel aliis necessariis procurandis; Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suã, vel aream non contiguam nostræ mansioni, non recipimus eam per nos, nec per interpositam personam, ut nostram; sed si ille eam disponit per alium quemcumque, ut ea vendita, de pretio ejus provideatur nobis ex parte sui, in his, quibus tunc indigemus procurandis, vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne forte ejus talis dispositio per hæredes suos, vel alios imposterum impediatur, & propter hoc præocupat roborare illam sigillo alicujus Judicis, vel civium, vel alterius, &c. & sic comittit eam alicui amico suo, vel Fratrum, qui conservat, quod ipse disponit de domo tali, vel area, nil ad nos cum de rebus suis possit ordinare, quod vult, nec locum talem, vel domum dicimus esse nostram, cum nihil juris nos in ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum, vel alium, quod de pretio, vel de proventibus illis, vel illis darentur Fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædii, vel redditum possessores, nam si me petente eleemosynam, aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare Fratribus duas tunicas, vel tantum unam, vel singulis hebdomadis tot panes, & hoc committat officialibus suis, ut vice sui ista dent, etiam eo absente, & hoc pro Fratribus recipiam, vel etiam si illi negligant darè, admonendo exigam, numquid propterea certos redditus habere dicendi sumus? cum non ex jure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiamus, vel exigamus. Et si post obitum illius uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter accipere ex tali gratia, ita quod quandocumque nollent amplius ista dare, nihil peteremus ab eis, quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum Clementis Domini pro quotidiana eleemosyna; quamdiu illi placeret, sed quando plus nollet, discedimus vacui gratias agentes de dato, non murmurantes de negato. Hæc est vera, & pura vita mendicorum, quod datur ex gratia recipere, non ex jure.

De censibus vero domorum Fratribus legatarum nihil quærimus, sicut nec de aliis redditibus: Si autem antequam vendantur aliquem inde censum dare volunt hi, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil juris habere in eo prote-

ſtamur, ſed eleemoſynam nobis ſponte oblatam ſimpliciter recipimus, ſicut aliunde donatam. Quia verò Dominus docet, nos cavere ab hominibus. Matth. 10. & Apoſtolus ab omni ſpecie mala abſtinere. 1. Theſſ. 5. Ne putemur ab ignorantibus transgreſſores Regulæ noſtræ, debemus apertè proteſtari, nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere, ſicut tenetur ſuſpectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus poſſet iſta ſuſpicio probabilis judicabilis. Hæc omnia D. Bonaventura.

Sed quia in his caſus ſolet aliquando evenire, quod annus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem patronum, cui fieri debeat talis, ut ſupra, proteſtatio, decernimus, quod in tali caſu ſervetur ſtatutum Ordinis Minorum ſub Paulo II. contentum in conſtitutionibus ſuper Cap. 6. Reg. & §. Inhibemus. Quod nimirum hujusmodi redditus aſſignetur Rectoribus ſpiritualibus, aut temporalibus Collegiorum, aut Communitatum, Terrarum, aut Civitatum, qui tales eleemoſynas, ſive fructus, vel redditus annuos nomine Eccleſiæ Romanæ, vel donantium ſine Fratribus exigant, & recipiant Fratribus, ſive aliis Sacerdotibus, quando Fratres noluerint tales Miſſas, vel ſuffragia juxta piam intentionem benefactorum in toto, vel in parte ſecundum quantitatem talium obventionum dicere faciant.

Item ſtatuitur, ut deinceps nulla inſtrumenta publica fiant à Fratribus capitulariter congregatis, nec quocumque alio modo ſe habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicujus Capellæ, ſive Sepulturæ, cum hoc omninò ſit contra Regulam, & noſtro repugnet inſtituto: nam quomodo aliquis dat, quod non habet? ſi tamen occaſio ſe obtulerit, in quo oporteat ſatisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos noſtræ Regulæ, & inſtituto congruentes. Eſt autem proteſtatio prędicta neceſſaria, ne ut ait de Bonaventura, ab ignorantibus noſtrum Inſtitutum, Regulæ noſtræ transgreſſores judicemur, cujus Seraphici Doctoris ſententiam hic inſerendam judicavimus, quatenus è medio tollatur abuſus ignorantiſſimorum aliquorum, qui exiſtimantes Charibdim fugere, in Scyllam inciderunt in favorem Ordinariorum, vel alicujus tertii, vel hæredis, renunciantes prędicta legata, quaſi non eſſet opus proprietatis, & dominii donare, ſicuti accipere & ſumma dementia alienum renunciare.

De hujusmodi autem bonis, ſeu illorum pretio Generalis, vel Commiſſarius generalis una cum conſilio Guardiani, & Diſcretorum Conventus in uſum Sacriſtiæ, Fabricæ, Eccleſiæ, & Conventuum provideat, prout illorum neceſſitate perſpecta ſalubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac proviſione quamprimum ſacram hanc congregationem fideliter certiorem faciat. Hanc verò bonorum abdicationem, & legatorum rdnunciationem fuiſſe executioni demandatam conſtare debebit huic S. Congregationi ex Generalis, vel Comiſſarii generalis, & ordinariorum atteſtationibus gratis, & absque ullo Fratrum diſpendio concedendis.

De proprietate Fratrum particularium auferenda.

Deinde à Fratribus particularibus auferatur cujuscumque rei proprietas, ſi qua ſit, & omnia in communi redigantur ad Regulæ, ſacrorum Canonum, Apoſtolicarum conſtitutionum, & Sac. Concilii Tridentini diſpoſitionem. Potiſſimum verò tollantur pecuniæ, & quamprimum inſumantur in veras, & comunes ipſorum Conventuum neceſſitates, idque fiat à Syndicis Apoſtolicis tantùm itaut nihil pecuniæ mediatè, vel imediatè ſuperſit in manibus, vel poteſtate Fratrum etiam Superiorum.

De abuſu aromatariarum tollendo.

Ad hęc tollatur abuſus Aromatariarum, itaut de cœtero illæ non retineantur, niſi ad uſum Monaſteriorum dumtaxat, nec liceat res illarum cuique vendere.

Trunci pro eleemoſynis non habeantur.

Præterea nullo modo habeant in eorum Eccleſiis, vel Sacriſtiis, aut alibi cippos, aut truncos ordinatos ad offerentium, ſeu donantium pecunias, nec capſulas pro eleemoſynis Miſſarum.

De regula obſervanda.

Ac demum Superiores Regulares invigilent, ut Fratres comuni menſa utantur; Divina officia temporibus debitis recitent; vacent orationi mentali & divinum cultum diligenter exerceant, ac cœtera impleant, ad quæ pro Regulæ obſervatione tenentur.

Quod prędicta Decreta impleantur conſtet S. Congreg.

Hæc autem ſuperius expreſſa, fuiſſe ad effectum perducta conſtare debebit eidem S. Congregationi ex atteſtationibus, medio juramento Generalis, aut Viſitatorum, pręvia diligenti informatione capta in Viſitatione ſingulorum Conventuum cujusque Provinciæ, Romæ 14. Junii 1628.

F. A. Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus. Sec.

Publicatio in Congre Gener. Fratrum.

Lecta & publicata fuere præfata Decreta die 15. Junii 1628. in Congregatione Generali Fratrum Minorum de Obſervantia, in prǫſentia Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Card. Ginſii Prǫſidentis ejusdem Congregationis.

Subſequuntur Decreta S. Congragationis à Sanct. D. N. Fratrum Minorum. de Obſervantia S. Franciſci Ciſmontanæ Familiæ conſultationibus præpoſitæ.

De tranſitu Fratrum de Familia ad Reformatos.

IN primis ſtatutum eſt, ut Fratres de Familia liberè ad Reformationem tranſire valeant in quocumque tempore, etiam extra Capitulum; & Congregationem, cum hoc tamen ut è Conventu, in quo de familia manent, recedere nequeans, niſi prius habita obedientia à Cuſtode, vel alio Superiore Reformatorum, qui eam nullatenus denegare poſſit. Et in caſu, quo eam denegaverit, fiat recurſus ad ſuperiorem generalem, qui teneatur Fratres pro hac re ad ipſum recurrentes ad Reformationem recipere, necnon, & Superiores dictam licentiam negantes pœna ſibi arbitraria punire, niſi ſibi conſtiterit, reformari volentes id facere, ut judicium, vel pœnas ſibi injunctas, ſubterfugiant, aut eſſe omninò ad reformationem inhabiles.

Secundò: Ut qui ad Reformationem tranſierit annum unum à die ſuæ receptionis computandum, ad deliberandum habeat, an in illo ſtatu velit remanere, quo anno expleto, Superior Reformatorum, Cuſtos videlicet, vel Provincialis ad Conventum, in quo dictus Frater de familia commoratur, ſe transferat, ibique ſimplicem informationem à Guardiano, vel alio Superiori locali, à Diſcretis Conventus, & ab aliquo Patre principaliori, vel antiquiori, qui ibi reperiatur fideliter capiat de vita, & moribus ſupradicti Fratris, & ſi cognoverit, eum benè vixiſſe, ac ſtatui, & profeſſioni Reformatorum ſe conformaſſe, ipſum ad reformationem incorporatum declaret, & hujusmodi incorporationem in libro Cuſtodiæ diligenter notet.

Quod ſi id per ſe ipſum perſonaliter facere nequeat, alium ſubſtituat, qui id exequatur, dummodò non ſit de familia illius Conventus in quo Frater in reformatione incorporandus reperitur.

Quo autem ad faciendam aſſignationem aliquorum Conventuum Obſervantium de familia Fratribus Reformatis, in ſingulis caſibus recurratur ad S. Congregationem, quæ habita ratione numeri Fratrum ad reformationem transeuntium, & omnibus accuratè perpenſis deliberabit, prout in Domino expedire arbitrabitur.

De Novitiis inter Reformatos recipiendis.

Tertiò: Determinatum eſt, ut de cœtero Novitii inter Reformatos non recipiantur extra Capitula, vel Congregationes Capitulares non obſtante ſan. me. Clem. VIII. hac de re edito, aliàs rece-

ptiones, & professiones inde secutae, nullae sint, & invalidae.

DeMinistro Provinciali eligendo.

Quarto: Determinatum est, ut Minister provincialis eligi possit ex familia, vel ex reformatione, juxta antiquam consuetudinem Religionis & juxta constit: fan. me. Clem. VIII. & Pauli V. & quando Minister Provincialis eligetur ex Fratribus Reformatis, tunc ad tollendas discordias, & lites, Custos reformationis non eligatur; sed ipsemet Minister ipsam reformationem regat, & moderatur. Cœterum, ut necessitatibus dictae reformationis opportunius provideatur. Dictus P. Minister statim ac fuerit electus, teneatur unum ex iis, qui aliàs Custodes fuerunt, vel ex Discretis Custodialibus actualibus Commissarium instituere, cui suam auctoritatem tribuat ad dictam reformationem visitandam quandocumque ipse per se id facere non potuerit; necnon & ad capiendas informationes in casibus occurrentibus: Quibus captis, teneatur de omnibus certiorem facere dictum Provincialem ut ipse, quod opportunum sibi videbitur, determinare, ac ordinare valeat. In casu autem, quo dictus Commissarius non rectè functus fuerit officio suo, tunc Provincialis per se solum possit ipsum ab officio removere, & alium ut supra de novo instituere.

Insuper determinatum est, ut quandocumque Minister Provincialis fuerit reformatus, tunc Custos mittendus ad Comitia generalia eligatur ex Patribus de Familia; & vice versa quando Provincialis fuerit ex Fratribus de Familia, tunc Custos supradictus sit Reformatus, ut utraque pars unum vocalem habeat in dd. Comitiis generalibus.

Ulterius determinatum est, ut nominetur à Generali Procurator in Curia Patrum Reformatorum Romae die 14. Junii 1628.

F. A. Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus Sec.

Publicatio Decretorum in Gener. Cong. Fratrum.

Lecta, & publicata fuere praefata Decreta die 15. Junii 1628. in Congregatione generali Fratrum Minorum de Observantia in praesentia Illustriss. & Reverendiss. Card. Gipsii Praesidentis ejusdem Congregationis.

LIV.

De bonis jurisdictionalibus ad Ecclesias & loca pia spectantibus in feudum, vel emphyteusim non dandis, neque ultra triennium locandis, aut concessiones hujusmodi renovandis, sive prorogandis.

De alienandis verò bonis Ecclesiae, vel ultra triennium locandis, generales extant nonnullae Pontificiae prohibitiones per me indicatae in prima const. Leon. I. & const. 5. Pauli II. Ambitiosae.

De alienandis autem, & infeudandis Terris S. R. E. specialis extat prohibitio 3. Pii V. Admonet, tom. 2,

Edita A. D. 1625.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Humanae salutis Auctor Christus Dominus Romanam Ecclesiam amplissima temporalis ditionis praerogativa decoravit, quam voluit inferioribus etiam Ecclesiis aliqua ex parte communicari, ut filiarum decor matris augeret in Summis Pontificibus majestatem, quibus cum Ecclesiarum omnium regimen incumbat, illarum quoque omnium tutelam ad Apostolicam eorum providentiam necesse est pertinere.

Causa impulsiva hujus prohibitionis.

§. 1. Olim equidem quamplurimi inferiorum Ecclesiarum Praelati, ut strenuos, ac praestantes virtute viros haberent, qui debitum sibi, & Ecclesiis suis impenderent famulatum temporales ditiones ad easdem Ecclesias pertinentes eximiorum virorum fidei, atque administrationi commiserunt: tempore vero praecedente dilabentibus in deterius bonis institutis factum est, ut nonnulli Ecclesiarum Praesules humanis potius affectibus, quàm meritorum intuitu moti, ditiones temporales hujusmodi variis personis, & Universitatibus in feudum, vel emphyteusim dare, vel ultra triennium locare; & rursus occurrente earum ditionum temporalium devolutione, ad novam infeudationem, seu investituram, vel locationem ultra triennium sub specie quod illae in feudum, vel emphyteusim dari, vel ut praefertur locari sint solitae, seu aliàa causas praetendentes, devenire consueverunt, quod in non modicum Ecclesiarum ipsarum damnum, & praejudicium tendere compertum est.

Prohibitio de qua in rubrica

§. 2. Nos itaque nostri muneris partes adimplendo, praemissis obviam ire, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum quorumcumque indemnitati, ac jurium eis quomodolibet competentium conservationi, quantum Nobis ex alto conceditur providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, etiam Generalibus, cœterisque Ecclesiarum, & locorum piorum utriusque sexus Praesulibus, Praelatis, Praesidentibus, Rectoribus, Praeceptoribus, Commendatariis, & Administratoribus cujuscumque status, gradus, dignitatis, & praeeminentiae existant, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, necnon Capitulis, etiam Generalibus, & Provincialibus, Conventibus, Collegiis, Sodalitatibus, etiam laicorum, & quibuscumque aliis Superioribus cujusvis Ordinis, Societatis, vel instituti, etiam de necessitate exprimendi, aut Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani in universa Italia, etiam in quorumvis Principum secularium quomodolibet qualificatorum, etiam Ducali, Regia, Imperiali, vel quavis alia dignitate, honore, vel excellentia praestantium ditione temporali existen, si Pontific. vel Abbatiali immineant dignitate sub Interdicto ingressus Ecclesiae, ac si per sex menses immediatè subsequentes sub interdicto hujusmodi permanserint, lapsis mensibus eisdem sub regiminis, & administrationis Ecclesiarum, vel Monasteriorum, quibus praesident in spiritualibus, & temporalibus suspensionis, Capitulis verò, Conventibus, Collegiis, Sodalitatibus, & Universitatibus praedictis, sub Interdicti à divinis, eorumque singularibus personis, ac inferioribus Praelatis, Commendariis, & aliis praefatis sub excommunicationis latae sententiae, ac omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, de quorum rebus, & bonis contra praesentis constitutionis tenorem eos disponere contigerit, vocisque activà, & passivè privationis, perpetuae inhabilitatis ad illa, seu quaelibet alia imposterum obtinenda ipso facto, etiam absque Judicis ministerio, vel sententia incurrendis poenis, ne de cœtero Civitates, Terras, Castra, Oppida, Villas, Arces, Fortalitia, Munitiones, Territoria, Districtus, Jurisdictiones, aut quaevis alia loca, vel bona jurisdictionalia, seu quovis modo jurisdictionem temporalem etiam cum alio, vel aliis conjunctim, seu divisim, aut aliàs quomodolibet annexam habentia, aut eorum, seu jurisdictionis partem, etiam minimam ad Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Episcopales, & alias Ecclesias, Monasteria, Collegia, vel loca pia supradicta nunc, & pro tempore quovis modo spectantia, & pertinentia, tam quae ad presens per Ecclesias, Monasteria, & loca hujusmodi pleno jure possidentur, quàm ea quae in feudum, vel emphyteusim concessa, vel ultra triennium locata

per quoscumque quomodolibet, & sub quibusvis prętextibus occupata, seu usurpata reperiuntur, aut ad Ecclesias, Monasteria, & loca prædicta jam de pręsenti forsan de jure, vel de facto reversa, seu devoluta sunt, etiamsi Ecclesiis, Monasteriis, locisque piis hujusmodi adhuc incorporata, & de eorum mensa effecta non sint, aut quandocumque; perpetuis futuris temporibus per lineam finitam, Canonem non solutum, delictum perpetratum, vel alio quocumque modo revertentur, seu devolventur in futurum, etiamsi ex antiqua, seu immemorabili consuetudine, aut etiam privilegio Apostolico, quamcumque ob causam concesso, & iteratis vicibus approbato, in feudum, vel emphyteusim concedi, vel ultra triennium locari, aut finita concessione, vel locatione hujusmodi feuda, infestituræ, vel aliæ concessiones renovari consueverint, quibusvis personis, quavis ecclesiastica, seu mundana dignitate, vel excellentia fulgentibus, ac speciali nota dignis, Capitulis, Collegiis, Ecclesiis, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, Hospitalibus, & quibusvis Universitatibus, tam secularibus, quàm Ecclesiasticis, aut quibuscumque aliis quocumque nomine, ac titulo nuncupatis, & quomodolibet, qualificatis, in feudum, vel emphyteusim concedere, aut ultra triennium locare, aut concessiones, investituras, & locationes hujusmodi post finitum illarum tempus, vel aliàs quandocunque renovare, prorogare, vel de novo facere, etiam ad favorem descendentium, hęredum, vel consanguineorum illorum, qui Civitates, Terras, & bona jurisdictionalia prędicta obtinuerint, possederint, vel occupata detinuerint, etiam intuitu meritorum, etiam si concessiones, & alia pręmissa in evidentem, immò evidentissimam utilitatem Ecclesiæ, Monasterii, vel loci pii cedant, aut concessionibus, investituris, locationibus, vel illarum renovationibus, aut prorogationibus consentire, aut aliud scripto, verbo, vel alio quovis modo, per quem dictæ Civitates, Terræ, & bona jurisdictionalia hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia prædicta, sive eorum Prælatos, Superiores, Rectores, seu Administratores non revertantur, etiamsi in prædictis concessionibus, investituris, renovationibus, prorogationibus, & aliis pręmissis, nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, etiam cum clausula, & non aliàs aliter, nec alio modo, reservetur, & nisi illo in scriptis tantum prius obtento, facere audeant, vel præsumant, ultra alias pœnas per Canonicas sanctiones desuper quomodolibet inflictas districtè interdicimus & prohibemus.

Quibus etiam pœnam nullitatis adjungit.

§. 3. Et insuper quascumque concessiones investituras, locationes, vel illarum prorogationes, & renovationes, quas contra pręsentium tenorem quocumque modo, & quovis tempore fieri contigerit, prorsus nullas, irritas, & effectu omninò carere debere.

Decretumque irritans addit.

§. 4. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Cameræ Apostolicæ Thesaurium, & Clericos, necnon S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, & quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, & declaramus.

Contrariis quoque omnibus derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore juris insertis, ac etiam in favorem quarumcumque Ecclesiarum, Provinciarum, Civitatum, Universitatum, Collegiorum, Capitulorum, & locorum piorum, eorumque personarum atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, necnon Congregationum, & Societatum, & cujusvis alterius instituti, etiam necessariò, ut pręfertur, & individuo exprimendi, eorumque Monasteriorum, Conventuum, & domorum Regularium, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, indultis quoque, & privilegiis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, etiam irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus pro expressis habentes, quo ad ea quæ iisdem præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Prælatos de hac const. servanda jurare mandat.

§. 6. Volumus autem, quod de cœtero Patriarchæ Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, necnon Abbates, Pręsules, Prælati, aliique pręfati in aliis juramentis ab iis pręstandis, de præsenti etiam constitutione servanda omninò jurare teneantur.

Eamque in Cancellaria describit.

§. 7. Ipsaque Constitutio in quinterno Cancellariæ Apostolicæ describatur.

Et in Urbe publicari jubet.

§. 8. Quodque præsentes ad valvas Lateranen., & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & dictæ Cancellariæ, & in acie Campi Floræ publicentur, & sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter intimatæ forent.

Ejus quoque transumptis credi decernit.

§. 9. Earumdemque transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra illud eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionem pœnalem addit.

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri interdicti, prohibitionis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. A. 3. 26. Octob.

Datùm Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, 1625. Kal. Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1626. Indictione nona, die verò 17. mensis Januarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papæ Octavi anno ejus tertio, retroscriptæ literæ Apostolicæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranen. Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deinde amotis per nos Pompejum Girancortes, & Brandimartem Latinum prælibati Sanctiss. *D. N. Papæ Cursorem, &c.*

Octavius Spada Mag. Curs.

Registratio in Cancellaria.

Retroscriptæ literæ Apostolicæ registratæ fuerunt in quinterno Cancellariæ Apostolicæ anno Incarnationis Dominicæ 1625. die verò quarta mensis Februarii, Pontificatus Sanctiss. D. N. Ur-

bani divina providentia Papæ Octavi, anno tertio.
Marcus Anton. Ascenf. Cancell. Apost. Procust.

LV.

Indultum, quòd Fratres Discalceati B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Officium, & Missam de Communi Confessoris non Pontificis recitare possint de S. Raymundo dicti ordinis, dum vixit, professore, & Procuratore generali, ac S. R. E. Cardinale in die suæ festivitatis.

De hoc Ordine vide ad Const. 9. Greg. IX. Devotioni *sup. tom.1. & ejusdem Privilegia confirmavi hic Pont. ut inf. in Const.* 111. Ex clementi.

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Salvatoris, & D.N. Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ prœmio donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris; ex injuncto, Nobis desuper pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem Servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur laudeturque Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim verò sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Dmino salubriter expedire.

Causa hujus Const. §. 1. Sanè dilectus filius Dydacus de Sancto Raymundo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, quod Fratres prædicti pro eo, quem erga S. Raymundum Nonnatum ejusdem Ordinis dum vixit professorem, ac S.R.E. Cardinalem, gerunt devotionis affectu, & ad augendam Christifidelium, erga illum devotionem, Officium, & Missam de eodem S. Raymundo, ut infra recitari, & celebrari posse summoperè desiderant; Nobis propterea idem Dydacus totius Ordinis hujusmodi nomine humiliter supplicari fecit, ut de opportuna ad hoc licentia providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultum, de quo in rub. §. 2. Nos igitur piis Dydaci, & Fratrum prædictorum votis in præmissis annuere, aliosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio. Ut de eodem S. Raymundo die ejus Festo Officium, & Missa de communi Confessoris non Pontificis juxtà Rubricas Missalis Romani ab omnibus prædicti Ordinis utriusque sexus Regularibus personis tantum recitari, & celebrari respectivè, liberè, & licitè possit, & valeat Apostolica auctoritate, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. §. 5. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Novembris 1625. Pontificatus nostri anno tertio. Dat. P. A. 3. die 5. Nov.

LVI.

Institutio Archivii Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium in Palatio Vaticano, in quo conservari debent scripturæ, & alia acta ad ipsum Collegium quomodolibet pertinentia, necnon processus super qualitatibus promovendorum ad Cathedrales Ecclesias, & Monasteria Consistorialia coram dd. Cardinalibus formati. Ac unio officii Secretariatus Congregationis Cardinalium super provisionibus Consistorialibus Deputatorum officio Clerici Itali d. Sacri Collegii Secretarii.

Tu adverte quod Greg. XV. erexerat, & instituerat Notarium ad formandum processus, privativè quoad omnes alios, coram S.R.E. Cardinalibus, super qualitatibus promovendorum ad Ecclesias Cathedrales, & Monasteria Consistorialia sup. in Const. 7. Consuevit. *Cui postea demandavit conservationem dictorum Processuum cum assignatione duorum ducatorum auri de Camera pro unoquoque processu, ut in Const. seq.* Pridem *post dictam Const. Greg.* Quam *Constitutionem iste Pont. pro hac parte revocat.*

Archivium Romanæ Curiæ instituit Julius II. ut Const. 15. Sicut prudens sup. tom. 1. videre potes. Archivia verò in toto Statu Ecclesiastico erexit Sixtus V. Const. 83. Solicitudo, sup. t. 2.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1625.

Admonet nos cura Pastoralis officii, Nobis meritis licet imparibus, divina dispositione commissi, ut ad ea libenter intendamus, per quæ gratiæ Apostolicæ, quæ à Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, præsertim in Consistorio secreto de S. R. E. Cardinalium consilio pro tempore emanare dignoscuntur, ut eveniente casu personæ, in cujus favorem fiunt, sciant quo tendere pro illarum consequutione, sub bona, & fideli custodia perpetuò præserventur, & ut id faciliùs subsequi possit, quandoque nova loca, & officia, quæ pro gratiarum hujusmodi conservatione necessaria esse conspicimus, de novo erigimus, & instituimus, ac illorum curam viris fide, doctrina, ac morum integritate conspicuis, qui circa hoc exactam diligentiam adhibituri sperantur, committimus, & mandamus, ac aliàs desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exordium

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum tunc existentes S. R. E. Cardinales, tempore videlicet Pontificatus fel. rec. Leonis Papæ X. Prædecessoris nostri officio duorum Clericorum Sacri illorum Collegii, quod per multos annos antea magno ipsius Collegii incommodo fuerat venale, communi ab eis redempto impensa, & in pristinum suum statum redacto veteres ejusdem Collegii constitutiones nova quadam forma, & modo instaurari fecerint primo. Card. instaurarunt veteres Constitutiones.

§. 2. Et successive sedente piæ mem. Paulo III. etiam Prædecessore nostro, cum constitutionum, ut præfertur, instauratum partem raro observatam, partem verò antiquatam, & neglectam animadvertissent, de communi omnium consensu, ac declaratione, prædicto Paulo Prædecessore id etiam approbante, ex dictis Constitutionibus nonnullis rejectis, aliquibus retentis, aliisve adjunctis, ac aliqua ex parte aliis immutatis, inter alia voluerint, & constituerint inter cœteros ipsius Collegii Ministros debere duos Clericos per fabarum suffragia Deputantur duo Clerici pro cura scripturarum Archivii.

creari,

creari, quorum alter ex Italia, & alter exterus esset, & hic quidem ad annum dumtaxat, illæ verò ad beneplacitum, cujus etiam cura libri omnes, & scripturæ ad præfatum Collegium pertinentes conficerentur, & duplicarentur, & originalibus in Archivio, quod in Palatio Apostolico designandum erat, ad perpetuam rei memoriam repositis, duplicati ad usum quotidianum penès ipsum Clericum Italum remanerent, ac recolendæ memor. Pius Papa IV. similiter Prædecessor noster sub die sexta Septembris Anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi quarti libros propositionum, & actorum Consistorialium, aliasq; scripturas prędictas in eodē Archivio, quod tunc jam erat designatum, deponi decreverit.

Deputatur perpetuum Notariatus officium.

§. 3. Et similis memoriæ Gregorius Papa XV. pariter Prędecessor noster, cum in formandis, & instruendis processibus, qui super qualitatibus promovendorum per Romanum Pontificem pro tempore existentem ad Ecclesiarum Cathedralium Pastorum solatio destitutarum, ac Monasteriorum Consistorialium pro tempore vacantium regimina, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi statu in Romana Curia coram eisdem Cardinalibus formari, & instituti consueverunt, nullus certus eatenus destinatus, seù deputatus fuisset Notarius, sed ad id muneris Notarii plerumque parum periti adhiberentur unum perpetuum Notariatus, officium ad instar aliorum Romanæ Curiæ Officiorum vacabile, cujus concessio, & omnimoda alia dispositio, quoties illud per obitum, resignationem, privationem, aut aliàs quovis modo vacare contingeret, ad Romanum Pontificem pro tempore existentem spectaret, pro uno Notario, qui privativè quoad alios quoscumque, in formandis, & instruendis Processibus prędictis, quos coram dictis Cardinalibus, sive eorum Auditoribus formari, & instrui deinceps perpetuis futuris temporibus contingeret, ipsis Cardinalibus, seu Auditoribus assistere, ac testium dicta, & depositiones in scriptis per se, vel substitutum idoneum redigere teneretur, & deberet, erexerit, & instituerit.

Assignantur emolumenta pro Notario.

§. 4. Illique sic erecto, & instituto pro ejus congrua dote omnia, & singula emolumenta, regalia, & jura per alios Notarios, qui antea in formandis hujusmodi processibus eisdem Cardinalibus, seu Auditoribus astiterant, ac dicta, & dispositiones prędicta in scriptis redegerant percipi solita, & consueta, eisque propterea debita perpetuò applicaverit, & appropriaverit.

Primus Not fuit Odoard. Tibaldesc.

§. 5. Ac officium sic erectum dilecto filio Odoardo Tibaldesco Clerico Spoletañ Dioec. concesserit, & assignaverit per quasdam.

Cui demandavit conservationem processuum.

§. 6. Ac deinde statuerit, quod de cœtero similiter perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Processus, quos extra dictam Curiam in Germania, Gallia, Hispania, cœterisque Christiani Orbis Regnis, Provinciis, & Regionibus super qualitatibus promovendorum ad quarumcumque Cathedralium Ecclesiarum tunc, & pro tempore Pastorum solatio etiam destitutarum, & Monasteriorum Consistorialium ubivis consistentium, & quovis modo vacantium, & vacaturorum regimina, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi statu formari, & ad dictam Curiam transmitti contingeret, postquam à Cardinalibus ipsarum nationum Protectoribus, Comprotectoribus, seù Propotectoribus, vel iis, qui Ecclesias, & Monasteria hujusmodi in nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis Consistorio, ut moris est, proponerent, & à Cardinalibus in ordine Prioribus visi, recogniti, approbati, & subscripti forent ab ipsis Cardinalibus, seù eorum Auditoribus & iis ad quos spectaret ante Cedulæ Consistorialis subscriptionem, seù saltem illius partibus consignationem prædicto Odoardo quandiù officium prædictum obtineret, ejusque in illo successoribus ad effectum illos conservandi tradi, & consignari, iidem verò Odoardus, & successores, illos sic eis consignatos tanquam prędicti officii processus, & scripturas benè, & fideliter conservare, & quoad fieri posset, ac humana pateretur conditio, perpetuitati providere, bonamque fidelem, & diligentem illorum curam gerere, & ad illorum dum opus foret, facilioris perquisitionis, & repeditionis notam, seù ut vocant rubricellam in libro ad hunc particularem effectum retinendo facere deberent, & ad id obligati existerent, & hoc conservationis processuum onus, curam, & manus prędicto officio Notariatus sic erecto imposuerit, & annexuerit.

Duo ducati auri de Cam. à promovendis solvendos eidem assignavit,

§. 7. Ac eidem Odoardo, ejusque in dicto Officio successoribus ratione laboris eis ex dicta conservatione processuum accrescentis, & pro illius salario, & mercede, juribus, & regalibus duos ducatos auri de Camera pro singulo processu ad dictam Curiam pro expeditione transmittendo, & eis in conservationem tradendo, & consignando ipsis à quo libet ex promovendis ad ecclesias, & Monasteria hujusmodi, seù sollicitatoribus, in dicta Curia tales expeditiones prosequentibus realiter, & cum effectu, & absque mora, seu dilatione aliqua persolvendos, per alias suas in forma Brevis desuper confectas literas etiam assignaverit.

Clausulas præservativas apposuit

§. 8. Et ipsas secundo dictas literas etiam ex eo quod interesse forsan habentes, seu habere prætendentes ad id vocati non fuissent, seu quibusvis ex causis de subreptionis, vel obreptionis vitio notari, impugnari aut invalidari, seù ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, vel sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus editi & edendis compæhendi non posse, sed semper uti ex titulo oneroso concessas ab illis excipi, & quoties illas revocari, seù annullari, aut alias contrarias dispositiones emanari contingeret, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori Dat per Odoardum, & successores prædictos quandocumquè eligenda concessas esse, & fore, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cardinales prędictos, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari decreverit, prout in singulis litteris prędictis pleniùs dicitur contineri.

Card. statuerunt scripturas à Clerico Italo conservandas esse.

§. 9. Novissimè verò Venerabiles fratres nostri Franciscus Maria à Monte, & Dominicus Gymnasius, necnon Carolus Emanuel Pius in ordine Priores, ac Marcellus dicti Collegii Camerarius Lantes nuncupati S. R. E. prædictæ Cardinales inhærentes dècreto aliàs per dictum Pium Prædecessorem, ut præfertur, facto, & illud, quatenus opus sit, innovantes, de mandato Nostro libros, propositionum, & actorum Consistorialium aliasque scripturas ad prædictum Collegium quomodolibet spectantes, ac processus omnes Ecclesiarum, & Monasteriorum in Archivio deponi debere, eosque à nemine præterquam ab ejusdem Collegii Clerico Italo detineri, nec pro recognitione, seù admissione eorumdem processuum quicquam recipi posse etiam statuerint.

Cui Pont. annectit officium Sacr. Cong. Card. & abrogat præfata emolumenta à promovendis

§. 10. Nos, quibus inter alia præcipuè cordi est ne aliqui novis absque necessaria, vel utili causa impositionibus prægraventur, & quorum intentio est, ut gravati subleventur, dictorum processuum conservationi non satis consultum iri. si illi penès particularem aliquam personam, qualis dictum Notoriatus officium pro tempore obtinens existit

existit, conservari debeant, etsi in Archivio cum libris, actis, & aliis scripturis prædictis deponantur, longè tutius illorum conservationi prospectum fore, & consequenter solutionem dictorum duorum ducatorum, quam, ut etiam accepimus, plures interesse in præmissis habentes, licèt ad unum dumtaxat ducatum postmodum redactam, facere recusant, necessariam, aut utilem non esse, & in Congregatione dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium super provisionibus Consistorialibus deputatorum plurima tractari, quæ verè ad officium dicti Clerici Itali, qui etiam dicti Collegii Secretarius existit, pertinere dignoscuntur, ob idque officium Secretarii dictæ Congregationis officio Clerici Itali, & Secretarii prædicti annectendum operæ pretium esse attendentes, ac in præmissis opportune consulere volentes. Et nihilominus quod dictum Archivium erectum reperiatur notitiam non habentes, ac singularum dicti Gregorii Prædecessoris litterarum prædictarum, aliorumque omnium & singulorum præmissorum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, secundo dictas Gregorii Prædecessoris prædicti litteras, quoad eam partem, quæ assignationem, & solutionem dictorum duorum ducatorum concernit dumtaxat Apostolica auctoritate tenore præsentium revocamus, cassamus, & annullamus, ac viribus, & effectu carere debere, nec aliquem ad illorum solutionem in posterum teneri decernimus & declaramus, ac officium Secretarii dictæ Congregationis, cum primum illud per cessum, aut decessum, seu quamcumque aliam dimissionem moderni Secretarii Congregationis hujusmodi; aut aliàs quovis modo vacare contigerit, officio Clerici Itali, & Secretarii dicti Collegii cum omnibus & honoribus perpetuò eisdem auctoritate, & tenore unimus, annectimus, & incorporamus.

Statuitur primus Secret. Collegii Italus.

§. 11. Volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod cum primum officium Secretarii dictæ Congregationis, ut præfertur vacaverit, dilectus filius Joannes Baptista Laurus Clericus Perusinus familiaris, & continuus Commensalis noster modernus, seu tunc existens Clericus Italus, & Secretarius dicti Collegii, Officium dicti Secretarii dictæ Congregationis exerceat, decreta, & acta in illa pro tempore facta describat, & in infrascripto Archivio custodienda reponat.

Erigitur unum Archivum Cardinalium in Vaticano.

§. 12. Necnon unum Archivium Sacri Cardinalium Collegii nuncupandum in Palatio nostro Vaticano sub protectione, & suprema superintendentia Trium S. R. E. Cardinalium in ordine priorum, & dicti Sacri Collegii Camerarii pro tempore existentium, sub cura tamen, & administratione etiam moderni, & pro tempore existentis ejusdem Collegii Clerici Itali, & Secretarii, ad quod Auditores Cardinalium proponentium, jussu in conficiendis, vel recognoscendis processibus assistunt, statim facta in Consistorio secreto propositione, processus hujusmodi transmittere teneantur, & in quo processus ipsi, & dicti libri propositionum, necnon actorum, & decretorum etiam super erectionibus, suppressionibus, unionibus, reparationibus, dismembrationibus, cessionibus, permutationibus, translationibus, pensionum super illorum redditibus, assignationibus, præsentationibus, nominationibus, electionum, seu postulationum confirmationibus Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, necnon Monasteriorum quorumcumque in Congregatione prædicta, & alias quomodolibet & ubicumque emanatorum interesse Consistorii Apostolici aliquo modo concernentium, aliæque scripturæ quomodolibet ad idem Collegium spectantes in perpetuum conservari, nec inde absque Cardinalium Priorum, & Camerarii prædictorum pro tempore existentium licentia aliquò modo extrahi debeant eisdem auctoritate & tenore etiam perpetuò erigimus, & instituimus.

Privilegia concedit Clerico Italo.

§. 13. Utque imposterum Clericus Italus & Secretarius prædictus pro tempore existens amplioribus favoribus, & gratiis decoretur: quod pro tempore existens Clericus Italus, & Secretarius hujusmodi ratione curæ, & administrationis dicti Archivii, Romani Pontificis, verus, & indubitatus, non fictus familiaris, & continuus Commensalis, aliorumque familiarum, & continuorum Commensalium, numero, & consortio adscriptus & aggregatus eo ipso existat.

§. 14. Et vestes violacei coloris ad instar nostrorum Cubiculariorum honoris nuncupatorum gestet, illisque arbitrio suo utatur.

§. 15. Et in signum veræ, & indubitatæ, ac non fictæ familiaritatis hujusmodi singulis diebus ex Palatio Apostolico ultra panem sibi ratione officii Clerici Itali, & Secretarii dari solitum, etiam panem ejusdem quantitatis, & qualitatis, prout dilectis filiis in utraque Signatura nostra Reverendariis dari consuevit, habeat, etiam decernimus, & panem hujusmodi dietim sibi ex dicto Palatio dari mandamus.

Inhibet ne præfatus Notarius amplius se ingerat in conservatione processuum.

§. 16. Inhibentes sub indignationis nostræ, ac mille ducatorum Cameræ nostræ applicandorum, aliisque trium Cardinalium in ordine Priorum, & Camerarii prædictorum arbitrio imponendis pœnis, Odoardo, ejusque in Officio Notariatus successoribus, ne in conservatione tàm extra Urbem, quàm in Urbe super præmissis fabricatorum processuum ulterius se ingerere præsumant.

Præfigit ei tempus transmittendi scripturas.

§. 17. Et sub ejusdem pœnis præcipientes tam Odoardo, quàm Auditoribus prædictis nunc, & pro tempore existentibus, cœterisque omnibus, & singulis, quatenus omnes & singulos tàm in Urbe, quam extra eam fabricatos, processus hujusmodi, ac decreta, & acta prædicta, quæ penès eos & eorum singulos ad præsens reperiuntur, intra triduum à publicatione præsentium computandum processus verò, qui pro tempore penes eos erunt, ante (ut præfertur) cedularum Consistorialium subscriptionem, seu saltem illarum partibus consignationem, actaque & decreta prædicta, quæ ad eorum, & cujuslibet manus quoquo modo devenerint, intra octo dies tunc immediate sequentes ad Archivium prædictum transmittant, & moderno ac pro tempore existenti Clerico Italo, & Secretario prædicto consignent, ac transmitti, & consignari faciant realiter, & cum effectu.

Clausulas præservativas apponit.

§. 18. Ac similiter decernentes easdem præsentes etiam ex eo quod dictus Odoardus & Auditores prædicti, ac alii interesse habentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, vel ex eo quod illæ nulla subsistente causa, vel etiam de facto processisse dici possent, sive etiam processerint, aut ex alia quavis juridica, & legitima etiam necessario exprimenda causa, vel quocumque prætextu de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos Juris reduci, aut in jus, vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam Motu, & potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis Constitutionibus, & Cancellariæ Apostolicæ regulis editis, & edendis, ac literis Apostolicis in contrarium etiam pari Motu, & Consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositio-

dispositionibus compræhendi nullo umquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum in quo ante præmissa erant, validissimum statum restitutas, repositas & plenariæ reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori Dat. per modernos, & pro tempore existentes tres Cardinales in ordine priores & Camerarium, ac Clericum Italum, & Secretarium prædictos quandocumque eligenda concedas, validasque & efficaces, etiam quod in Camera nostra Apostolica nullo umquam tempore registrarentur, aut præsentarentur, fore, & esse:

Decretum irritans adjungit.

§. 19. Sicque & non aliàs per quoscumq; Judices etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ prædictæ Præsidentes, & Clericos, necnon ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoq; & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores hujus Const deputati.

§. 20. Quocirca dilectis filiis Urbis nostræ Gubernatori, & causarum Curiæ dictæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, & dilecto filio nostri in eadem Urbe, ejusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis in civilibus causis Locumtenenti Motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumq; ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Clerici Itali, & Secretarii hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac modernum, & pro tempore existentem Clericum Italum, & Secretarium hujusmodi illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eum desuper per Odoardum & Auditores Cardinalium hujusmodi, seu quoscumque alios quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna, juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac sententias, censuras, & pœnas ipsas, servata forma Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sęcularis.

Contraria tollit.

§. 21. Non obstantibus Gregorii secundo dictis literis, aliisque præmissis, ac nostra de non tollendo Jure quęsito, aliisque Cancellariæ prædictæ regulis, necnon Pii Prędecessorum prędictorum sub Dat. videlicet Octavo Idus Augusti Pontificatus sui Anno sexto edita, inter alia disponente, quod omnes gratiæ qualescumque Cameræ prędictæ interesse concernentes, infra certum inibi expressum tempus in eadem Camera pręsentari, & registrari debeant, & quatenus in aliquo obstet, similis memoriæ Sixti V. etiam Prædecessoris nostri super institutione prędictæ, & aliarum Quatuordecim Congregationum edita, aliisque Apostolicis, & dicti Collegii Constitutionibus, & Ordinationibus etiam juramento confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam Motu hujusmodi, etiam Consistorialiter, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, ac in futurum concedendis, approbandis, & innovandis: Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores hujusmodi pręsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat etiam pari Motu specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus, contrariis quibuscumque aut si quibus communiter, aut divisim ab Apostolica Sede indultum quod innterdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Publicationem in Urbe, omnes arctare vult.

§. 22 Volumus autem quod eædem pręsentes literæ, ut omnibus innotescant; ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, dimissis inibi etiam copiis, quæ perinde omnes arctent, ac si personaliter unicuique intimatæ fuissent.

Hujus Bullæ exemplis fidem dari jubet.

§ 23. Quodque earumdem transumptis, & exemplaribus etiam impressis, ac manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur tam in judicio, quàm extrà, quæ in eisdem pręsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionem pœnalam superaddit.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, annullationis, declarationis, unionis, annexionis, incorporationis, statuti, erectionis institutionis, inhibitionis, precepti, decretorum, derogationis, mandatorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P.A. 3. die 15. Dec

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1625. decimo octavo Kalen. Januarii Pontificatus nostri Anno tertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1626 Indictione nona die verò 30. mensis Martii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina Providentia Papæ Octavi, Anno ejus tertio retrescriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ dimissis ibidem pręsentibus literis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est affixis, & deinde amotis per Nos Camillum Fundatum, & Brandimartem Latinum prælibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores &c.

Octavius Spada Mag. Curs.

Sequitur Decretum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali feria 2. die 22. Junii 1626. in Consistorio secreto editum de Clavibus Ærarii Sanctioris, ejusque Scriniorum ac Portarum fidelius post hac custodiendis.

Hoc Decretum ideo hic posui, quia versatur circa Archivium Sacri Cardinalium Collegii, prout in eo legitur. Institutionem verò hujus Ærarii in Arce S. Angeli factam habes à Sixto V. in Const. 31. *Ad Clavum* sup. tom. 2. Ubi vide indicata.

EXquisitis, & auditis Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalium sententiis, de unanimi eorum consilio pariter, & assensu, quo fidelius, ac diligentius imposterum Claves Ærarii Sanctioris in Arce S. Angeli à fel. rec. Sixto V. instituti, custodirentur, Sanctiss. D. N. infrascriptas ordinationes declaravit, ac decrevit esse perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandas, nimirum ut.

Conficiatur liber perpetuo asservandus in Archivio Sacri Collegii, in quo Secretarius ejusdem fidem faciat de consignatione Clavium pro tempore facta singulis Cardinalibus, aliisque jus ad eas habentibus, & horum unusquisque à se conscriptum

juramentum coram Secretario emittat, se subscribat, suumque signum apponat.

Cardinales, cum transitum facturi sunt ad altiorem ordinem, promoveri, aut optare in Consistorio non possint, nisi prius de suarum Clavium consignatione Secretario facta constiterit, qui succedentibus Episc. Presb. & Diacono prædicto modo traderi.

In casu absentiæ à Curia, quæ excedat quadraginta milliaria, Cardinales antequam ab Urbe discedant, evocent Secretarium, qui Claves acceptas statim deferat aliis in ordine succedentibus.

Decanus Cameræ Apostolicæ consignet Clerico succedenti coram duobus Clericis, & Secretario.

Thesaurarius tàm Generalis, quàm Secretus, eidem Secretario, qui teneatur subitò id suæ Sanctitati significare.

Si contingat obitus asservantium Claves, idem Secretarius instet pro recuperatione apud hæredes, etsi sint in mora, addat protestationem cum Censuris coram Notario, & testibus.

Præfectus Castri S. Angeli, ultra Juramentum Summo Pontifici præstari solitum pro fideli Arcis custodia, juret etiam de Ærario fideliter custodiendo in manibus ejusdem Sanctiss. D. vel S. R. E. Camerarii, juxtà formam Bullæ, cujus juramenti in libro fiat mentio.

Idem verò liber quotannis in prima Congregatione Generali à Secretario in medium afferatur, ut penes quos prædictæ extent Claves, facilè omnibus constare possit.

Ità est Octavius Episcopus Portuensis S. R. E. Card. Bandinus.

Carolus Card Madrutius.

Jo. Baptista Card Lenius S. Collegii Camerarius.

Ludovicus Card. Ludovisius S.R.E. Vicecancellarius.

Mauritius S.R.E. Diaconus Card. de Sabaudia.

Jo. B. Laurus Secretarius.

LVII.

Contra extrahentes, seù permittentes, ut extrahantur libri, ac etiam manuscripta à Bibliothecis Fratrum Ord. Prædicatorum.

Similem prohibitionem pro conservatione Bibliothecarum Fratrum Minorum de Observantia, Ord. S. Francisci, fecit Sixtus V. ut in ejus Const. 67. Cum sicut *sup. tom.* 2. *Cujus mitigationem habes impressam in Compendio Bullarii à Flavio Cherubino Canonico V. I. D. meo fratre edito sub Schol.* 1. *prædictæ Constitutionis. Et aliam pro Bibliothecis Fratrum B. Mariæ de Monto Carmelo edidit prohibitionem Clem. VIII. Const.* 42. *tom.* 3. Quæ ad tuenda. *De prædicatorum autem Ordine habes ad Const.* 2. *Honorii III.* Religiosum *tom.* 1. *ubi requiras.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1626.

Causa hujus Const.

Cum sicut dilectus filius Lucas Castellinas Ordinis Fratrum Prædicatorum Procurator Gener. Nobis exponi fecit, hactenus compertum fuerit, nonnullos conscientiarum suarum prodigos, Libros ex Bibliothecis domorum Regularium dicti Ordinis furto subripuisse, ac subripere, & seu extrahere, atque apud se uti proprios in grave animarum suarum periculum, & dictarum Bibliothecarum præjudicium retinere.

Prohibitio, & pœnarum inflictio, de quibus in Rubric.

§. 1. Nos præmissis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare, & ipsarum Bibliothecarum conservationi, & manutentioni consulere volentes, supplicationibus dicti Lucæ nomine Nobis humiliter porrectis inclinati. Ne de cœtero quisquam, quavis auctoritate fungens Libros, Quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, Bibliothecis domorum Regularium dicti Ordinis hactenus donata, seù assignata, & in posterum donanda, seù assignanda, ex eisdem Bibliothecis extrahere, seù ut extrahantur permittere, aut consentire sub quovis quæsito colore prætextu, vel ingenio audeat, seu præsumat sub excommunicationis, necnon privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurren, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, & illius Domuum Regularium quarumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque transumpta hujusmodi in valvis dictarum Bibliothecarum, vel aliquo alio perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possint, continuò affixa remaneant.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Martii 1626. Pontificatus nostri anno tertio. Dat. A. S. die 23. Mar

---

LVIII.

Declaratio, quod Sancta Elisabetha Regina, dum vixit Portugalliæ Tertium Ordinem S. Francisci expressè fuerit professa.

Ista sancta fuit Canonizata ab istomet Pontifice, sed desuper Bulla ad hoc expedita non est, prout accepi, & ideò hic non habes.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1626.

Instante Procuratore General Fratrum Minorum S. Francisci de Observ.

Cum sicut dilectus filius Joannes de Sancto Bernardino Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Nobis nuper exponi fecit, Sanctam Elisabetham Reginam, dum vixit, Portugalliæ, quàm Nos aliàs divina aspirante gratia in Sanctorum numerum retulimus, Tertium Ordinem S. Francisci expressè professam fuisse plenè constiterit, prout in processu, aliisque informationibus desuper fabricatis latiùs continetur, & propterea dictus Joannes ne ulli in hac dubitationi locus unquam esse possit, per Nos ut infra opportunè provideri summopere desiderret.

Declarat. S. Elisabeth. Reginam dum vixit Portugaliæ Tertium Ordinem ipsius S. Francisci fuisse expressè professam.

§. 1. Nos eumdem Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, eandem Sanctam Elisabetham Tertii Ordinis Sancti Francisci hujusmodi fuisse, et esse, atque in omnibus pro tali ubique haberi, & reputari.

Aliter judicari prohibet.

§. 2. Sicque & non aliter per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit

rit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò decernimus, & declaramus.

Contraria subtrahit.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat.P.A.3. die 23. Ap.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1626. Pontificatus nostri anno tertio.

LVIII.

Statuit Pontifex, quod in Universo Ordine Redemptorum B. Mariæ de Mercede Festum Sancti Raymundi Nonnati cum officio, & Missa de communi Confessoris non Pontificis juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani futuris perpetuis temporibus liberè, & licitè celebrari possit, & valeat.

Edita A. D. 1626.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Domini Nostri Jesu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in cœlis, vices quanquam immeriti gerentes in terris ex injuncto Nobis Pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem Servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim vero divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo famulantium votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Const.

§. 1. Sane dilectus filius Joannes de Quintanilla Procurator Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum totius Ordinis hujusmodi nomine Nobis nuper exponi fecit, quod universus Ordo prædictus, pro eo, quem erga Sanctum Raymundum Nonnatum ejusdem Ordinis, dum vixit, Professorem, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem gerit devotionis affectu, ac ad augendam Christi fidelium erga illam devotionem, Officium, & Missam de eo, ut infra, recitari, & celebrari posse summoperè desiderat: Quare Nobis humiliter supplicari fecit, ut piis hujusmodi votis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Statuit Pontif. quod festum S. Raymundi in Universo Ordine celebrari possit, ut in rubric.

§. 2. Nos igitur Ordinem prædictum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares ejus personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis quo supra nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, quod de cœtero perpetuis futuris temporibus in universo ordine prædicto Festum S. Raymundi hujusmodi cum Officio, & Missa de communi Confessoris non Pontificis juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani celebrari liberè, & licitè possit, et valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica, constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.A.3. die 9. Maji.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Maji 1626. Pontificatus nostri anno tertio.

Scipio Cobellutius

LIX.

Confirmatio Constitutionum, seu Statutorum pro Monachorum Congregationis Cælestinorum Ordinis Sanctiss. P.N. Benedicti gubernio, novissime de mandato Sanctiss. D. N. emandatorum, atque editorum.

Vide quæ tibi indicavi sup. ad Const. 26. Sacrosancti *hujusmodi Pontificis.*

Edita A. D. 1626.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum Apostolatus Officium humilitati nostræ per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam commissum jugiter Nos admonet, ut inter gravissimas, multiplicesque Apostolicæ servitutis curas illam peculiari studio amplectamur, per quam Christifideles sub suavi Religionis jugo virtutum Domino famulantes, sub certis, & provide ordinatis Statutis, atque Constitutionibus in sanctitate, & justitia felicioribus in dies proficiant incrementis, ac proinde iis, quæ propterea statuta, & ordinata sunt, ut ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, perpetuaque roboris firmitate subsistant, Apostolicæ confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Monaci Cong. Cœlestinorum Ord. S. P. N Benedicti. nonnulla statuta, ac Constit. antea factas, novissimè de mandato S D. N. Papa emendarunt, & in unum volumen compilarunt.

§. 1. Sane dilectus filius Abbas Generalis Monachorum Congregationis Cœlestinorum Ordinis Sancti Benedicti, suo, & Diffinitorum dictæ Congregationis nominibus Nobis nuper exponi fecit; quod pro felici, & prospero ejusdem Congregationis regimine, atque gubernio, nonnullæ Constitutiones, & Statuta diversis temporibus facta, novissimè autem de mandato nostro recognita, & multis in locis ad Sac. Concil. Trident. Decretorum, & Constitutionum Apostolicarum præscriptum emendata, atque aptata, tamdem in unum volumen compilata fuerunt, tenoris subsequentis, videlicet.

Omittitur tenor istarum Constitutionum, quia sunt in libro particulari impressæ Romæ anno 1629.

Ac pro perpetua illarum subsistentia, supplicarunt Pontif. ut eas confirmaret.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Abbas Generalis nominibus prædictis, præinsertis Constitutionibus pro perpetua illarum subsistentia, & inviolabili observantia Apostolici nostri muniminis firmitatem per Nos adjici summopere desideret; Nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui approbat illas, & confirmat, suppletque defectibus quoscumque.

§. 3. Nos inviolabili earumdem Constitutionum observationi, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, necnon dictum Abbatem Generalem, ac totam Congregationem prædictam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati;

præinsertas Constitutiones, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tàm juris, quàm facti quantumlibet substantiales defectus, si qui in illis intervenerint, supplemus.

Clausulas præservativas addit.

§. 4. Decernentes, easdem Constitutiones, necnon præinsertas literas, semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore.

Earundem observantiam mandat.

§. 5. Necnon in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, & inviolabiliter sub pœnis in eisdem Constitutionibus comminatis observari, & adimpleri debere; ac quoscumque ejusdem Superiores, Monacos, & personas ad observationem omnibus juris, & facti remediis cogi, & compelli posse.

Ita, & non aliter judicari præcipit.

§. 6. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria aufert.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quibusvis aliis dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis ipsius Congregationis Superioribus, Monacis, & personis hujusmodi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & in solitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habeñ illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem jubet.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu Scribæ dictæ Congregationis, vel notarii publici subscriptis, & sigillo Generalis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 8. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Julii 1626. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LX.

Revocat omnia, & singula privilegia, prærogativas, immunitates, & exemptiones quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum, Religiosis in Regnis Hispaniarum existentibus, tam per Apostolicam Sedem, illiusque in dictis Regnis Nuntios, quam eorum Superiores concessa, ac prohibet, illa de cœtero absque sua, & Sedis Apostolicæ licentia concedi.

Edita An. D. 1626

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

PAstoralis officii Nobis divinitus commissi solicitudo jugiter Nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ regularium personarum, quæ relicto sæculo, divini numinis obsequiis sese manciparunt, quieti, felicique statui, ac regularis disciplinæ conservationi consulitur, ut ipsæ personæ juxta regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Motiva hujus Constit.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus in Regnis Hispaniarum diversa privilegia, prerogativæ, immunitates, atque exemptiones diversorum Ordinum Religiosis tam ab ipsorum Superioribus, quam à Sede Apostolica, illiusque in dictis Regnis Nuntiis pro tempore existentibus, concessa reperiantur, per quæ iidem Religiosi ab eorum Prelatorum obedientia eximuntur, & Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum sociis sibi benè visis, & jam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur, absque eo, quod iidem Superiores tam hujusmodi egressum, quam sæcularium personarum quibusvis horis ad eorum cellas accessum, atque ingressum impedire possint; Preterea de uno ad aliud Monasterium, seu regularem domum etiam ipsis Superioribus invitis transeunt, nec Choro, & aliis spiritualibus exercitiis, minusque Refectorio cum aliis intersint, ex hoc autem gravissima inconvenientia, & scandala in non modicum regularis observantiæ, & disciplinæ detrimentum exoriantur.

Revocat privilegia prout in rubrica.

§. 2. Nos premissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, omnia, & singula, ac quecumque hujusmodi privilegia, prærogativas, immunitates, & exemptiones quorumcumque Ordinum, & Congregationum, & Institutorum Religiosis, tam per Sedem Apostolicam, illiusque in eisdem Regnis Nuntios, quam illorum Superiores ex quacumque causa, ac sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore presentium perpetuò revocamus, cassamus, & abrogamus, ac revocata, cassa, & abrogata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nec illa cuiquam suffragari, neque de cetero absque nostra, & Sedis Apostolicæ licentia concedi posse.

Ita judicari ab omnibus decernit.

§. 3. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus.

Contraria removet.

§. 4. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon (quatenus opus sit) Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Religiosis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis specialis & specifica, expressa, & individua mentio habenda esset illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis vult fidem adhiberi.

§. 5. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Julii 1626. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXI.

Confirmatio Privilegiorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Recollectorum nuncupatorum.

Horum Fratrum privilegia confirmavit etiam Greg. XV. constit. 25. Ordinem ipsorum approbavit Greg. IX. in Constit. 9. tom. 1. Fratres prædictos certis diebus solemnem benedictionem, & absolutionem facere posse statuit Clem. VIII. constit. 4. tom. 3. ejusque benedictionis forma habetur in const. 79. ejusdem tom. 3.

Edita An. D. 1626.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

IN supremo Apostolicæ dignitatis culmine meritis licet imparibus divina dispositione constituti ad ea, quæ pro Regularium Locorum, & personarum in eis sub suavi Religionis jugo ad proximi subventionem, præsertim viventim indemnitatibus, & commodis per Romanos Pontifices prædecessores nostros liberaliter concessa fuerunt, libenter intendimus, eaque perpetuò firma, & illibata persistant cum à Nobis petitur Apostolico munimine roboremus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Didaci de Sancto Raymundo moderni Procuratoris Generalis, & Religiosorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Recollectorum nuncupatorum petitio continebat, quod dudum fæl. record. Gregorius Nonus, & deindè diversi alii, ac tandem piæ memoriæ Gregorius XV, Romani Pontifices Prædecessores nostri diversas gratias, & privilegia, præsertim verò ad opus Redemptionis Captivorum hujusmodi spectantia, Religiosis dicti Ordinis concesserunt, prout in diversis litteris Apostolicis desuper confectis plenius continetur.

§. 2. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, Didacus, & Religiosi prædicti plurimum cupiant pro firmiori, & majori gratiarum, & privilegiorum hujusmodi subsistentia, illa per nos approbari, & confirmari pro parte Didaci, & Religiosorum præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3 Nos igitur, qui honestis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis Didacum, & ejusdem Religionis singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum hujusmodi tenores, ac dat. præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati gratias, & privilegia quæcumque dicto Ordini per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas desuper confectas litteras dummodò illa sint in usu, nec revocata, neque sub ullis revocationibus compræhensa, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, & Institutis Regularibus dicti Ordinis, minimè adversentur Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmat prout in Rub.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes Didacum, & Religiosos prædictos illis omnibus, & singulis libere, & licitè frui, & gaudere, nec eos desuper à quoquam quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari quoquomodo posse.

§. 5. Eaque per omnes, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, nec irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ in dictis litteris concessa sunt, non obstare, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto. Septimo Kalendas Julii Pontificatus nostri anno tertio.

Dat. P. A. die 26. Julij

LXII.

Erectio Montis non vacabilis Salis cum annuo redditu scutorum sex pro quolibet loco, & amplissimis privilegiis.

De Sale habes const. Pii V. Dum ad uberes 11. *tom. 2. & const. 49. Greg. XIII.* ex incumbenti *tom. 2. quas confirmavit, & ampliavit Clemens VIII. in const. 49.* Frumenti *tom. 3.*

Edita A. D. 1625.

URBANUS PAPA VIII.

Prœmium.

MOtu proprio &c. quamvis ab initio nostri Pontificatus inter multiplices nostri Pastoralis officii curas, ea præcipuè nobis cordi esset, per quam Camera nostra Apostolica ab ære alieno quo gravata reperitur, & Populi nostræ temporali ditioni subjecti ab eis, quæ sufferùnt oneribus aliquando sublevarentur, & liberarentur; Nihilominus hujusmodi nostrum propositum ob Christianorum Principum discordias, & bellorum motus nunc vigentes non solum non potuimus executioni demandare, verum etiam pro Status nostri Ecclesiastici, & populorum prædictorum tutela, & defensione ab exercituum incursione, & aliis imminentibus periculis novum subsidium duorum quatrenorum pro qualibet libra salis ordinarii, & extra ordinarii, quod in Alma Urbe nostra, ac Civitatibus Bononiæ, & Ferrariæ, aliisque Civitatibus, & locis eidem ditioni nostræ mediatè, & immediatè subjectis venditur per Chirographum manu nostra sub die 8. mensis Januarii proximè præteriti subsignatum, magna cum animi nostri displicentia imponere coacti fuimus, & modo dictum æs alienum augere cogimur, & docemur quanti referat in quæ tempora quisquis incidat.

Causa hujus Const.

§. 1. Ad congerendum itaque pro ingentibus sumptibus per nos hisce temporibus fieri necessariis aliquam notabilem pecuniarum summam super subsidio hujusmodi sic per Nos imposito, ac aliis dictæ Cameræ infrà dicendis Introitibus novum Montem quatuor millium septingentorum locorum non vacabillium, & resignabilium annui redditus scutorum sex monetæ pro quolibet loco, ut infra erigere deliberavimus.

Montem erigit.

§. 2. Motu itaque simili, ac ex certa scientia nostra deque Apostolicæ potestatis plenitudine Montem non vacabilem Salis nuncupandum quatuor millium septingentorum locorum, seù portionum resignabilium ad instar aliorum locorum Montium, & nunquam vacabilium ad rationem scutorum centum similium pro quolibet loco cum annuo redditu, seu fructu dictorum scut. sex monetæ pro quo-

libet loco futuris montistis, & creditoribus pro tempore existentibus prędicti Montis Salis quolibet bimestre in fine pro rata hic Romæ liberè,& absque ulla prorsus exceptione persolven., incipiendo à Calendis præsentis mensis Julii anni 1625. auctoritate apostolica tenore præsentium erigimus & instituimus.

Dotem instituit.

§. 3. Et pro hujusmodi montis sic erecti & instituti, congrua dote, & fructibus annuam summam scutorum viginti octo millium, & ducentorum similium, videlicet scutorum decem, & septem millium trecentorum septuaginta quatuor ex dicto subsidio per nos, ut præfertur, imposito (quod quatenus opus sit confirmamus) reliquorum verò decem millium octingentorum viginti sex scut. ex annuis censibus, & responsionibus Dohanarum, & Thesaurariæ Patrimonii, Thesaurariæ Marchiæ, Posterum Status nostri Ecclesiastici, Cancellariarum, & Secretariarum dicti Status, Datii vini Bononiæ, Gabellæ quatreni ad libram Carnis dicti Patrimonii,& Provinciæ Campanæ ac carnis suinæ, & subsidii Umbriæ pro illis respectivè ratis, quæ pro alicujus debiti solutione nondum applicatæ sunt per dilectum filium Magistrum Hieronymum Vidonum Thesaurarium nostrum Generalem Depositario dicti Montis Salis assignan., & respectivè per Salariæ Almæ Urbis, & aliorum supra expressorum prędictæ Cameræ Introituum Conductores pro tempore existentes liberè, & absque ulla prorsus exceptione, & diminutione de bimestre in bimestre anticipate pro rata juxta mandata per d. Thesaurarium eis facienda persolven. ab ipsa Camera pari motu dismembramus, & separamus, eamdemque summam prædictorum annuorum scutorum viginti octo millium, & ducentorum sic dismembratam, & separatam, liberam, immunem, & exemptam ab omni, & quocumque ordinario, & extra ordinario onere ex quavis causa hactenus imposito, vel pro tempore imponendo prędicto Montis Salis applicamus, appropriamus, concedimus,& assignamus, ac ut supra persolvi mandamus, venditionemque dictorum quatuor millium septingentorum locorum dicti montis per eundem Hieronymum Thesaurarium de mandato nostro sub die 3. præsentis mensis Julii per acta pariter dilecti filii Dominici Fonthiæ ejusdem Cameræ Notarii pro pretio scutor. quatuor centum septuaginta quatuor millium ducentorum quinquaginta monetæ, dilecto filio Marcello Sacchetto factam cum omnibus pactis, & conventionibus in illius Instrumento contentis, cujus Instrumenti tenorem pręsentibus haberi volumus pro expresso confirmamus & approbamus, mandamusque Secretario eiusdem Montis, ut resignationes eorundem locorum per d. Thesaurarium seu prędictum Marcellum respectivè faciendas liberè recipiat, & admittat, litterasque patentes ad favorem tam dicti Marcelli, quam eorum, qui ab eo dicta loca ement pro prima vice gratis ubique, & absque ipsius Secretarii, & Compotistæ dicti Montis Mercedis, Pietatisque Carceratorum, Abundantiæ,& Collegii gabellæ, seu emolumentorum solutione, quibuscumque eorum concessionibus,& privilegiis, non obstantibus expediat.

Privilegia & exemtiones Montistis concedit.

§. 4. Insuper predictum Montem Salis, & illius Montistas pro tempore existentes specialibus favoribus,& gratiis prosequi volentes statuimus. decernimus,& ordinamus, quod loca ejusdem Montis, & eorum pretium, & fructus pro quibusvis excessibus, & delictis etiam rebellionis, proditionis, assassinii, sacrilegii, lęsæ majestatis, & aliorum criminum quantumvis gravium, & enormium non tamen in personam Rom. Pont., aut alicujus ex S. R. E. Cardinalibus commissorum, minusque ex capite spoliorum confiscari, incamerari, aut Fisco, seù dictæ Cameræ applicari, seu incorporari, minusque eorumdem locorum fructus quoquo modo, & ad instantiam cujusvis personæ, etiam dictæ Cameræ sequestrari possint ad instar Montis Religionum, ac omnibus,& singulis aliis privilegiis, exemptionibus, gratiis, facultatibus, & Indultis, quibus prædictus Mons Religionis, ac Fidei, Alumeriarum, Subsidii triennalis, S. Bonaventuræ, & alii Montes Camerales non vacabiles,& illorum Montistæ utuntur, potiuntur, & gaudent, ac quomodocumque in futurum utentur,& gaudebunt, etiamsi notam magis specialem requirerent, quàm pręsentibus est expressum prædictus Mons Salis sic erectus, & illius Montistæ pariformiter uti, potiri, & gaudere possint, & debeant, quodque Mons ipse,& illius loca redimi, seu extingui non possint, nisi post lapsum quinque annorum à data præsentium proximiorum, & in casu extinctionis, seu redemptionis dd. locorum post d. quinquennium illorum extractio fieri debeat de more,& ad instar aliorum locorum Montium, Montistæ verò extracti pretium locorum extractorum ad rationem scut. centum monetæ pro quolibet loco recipere teneantur, & si neglexerint per quindecim dies post publicatam extractionem pretia dictorum locorum extractorum ad rationem prędictam recipere eis pro dictis locis extractis fructus amplius non currant,& dicta pretia penès Depositarium prædicti Montis risico, & periculo, & fortuna eorumdem Montistatum sic extractorum remaneant iisdem ad eorum requisitionem consignanda.

Dictum Montem nullis oneribus subjacere jubet.

§. 5. Quodque respectu fructuum,& emolumentorum ad rationem prædictam dicto Monti assignatorum prædictus Mons,& illius loca nullis omninò diminutionibus, reductionibus, retentionibus, & quisbusvis aliis contrariis dispositionibus, etiam prætextu urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis Sedis,& Cameræ Apostolicæ ex quavis causa cogitata, vel incogitata, & de necessitare exprimenda durante d. quinquennio subjaceant, vel obnoxia sint, sed ab aliis semper excepta intelligantur, & cum effectu sint, nec aliquis ex ipsius Montis creditoribus, & Montistis, aliorumque hęredes,& successores quicunque, seu ab eis quomodolibet causam habentes, & habituri super locis,& portionibus, et illorum integris fructibus, et emolumentis prædictis quoquo modo turbari, vel impediri minusque ipsi ad pecunias in ipso Monte positas, et erogatas, aut aliquam illarum partem in necessitatem, seu utilitatem dictæ Cameræ, aut alias quasvis causas conversas fuisse, vel esse, aut aliqua alia etiam necessaria, et requisita in judicio vel extra illud probandum, deducendum, aut alias quomodolibet verificandum ullo unquam tempore cogi possint, nec teneantur, minusque aliqua contraria probatio admitti, vel obesse queat.

Cameram Apost. pro evictione obligat.

§. 6. Et pro præmissorum omnium, et singulorum observatione, et manutentione, ac quacumque dicti Montis sic per nos erecti, et illius locorum quorumcumque evictione, et defensione generali, et particulari dictam Cameram nostram Apostolicam illiusque introitus, redditus, et bona, ac jura omnia generaliter, specialiter, et expresse, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra in ampliori ejusdem Cameræ forma obligamus, et hypothecamus.

Protectores constituit.

§. 7. Et ut Mons prædictus sic per nos erectus recte gubernetur, et regatur eumdem Hieronymum, et alios pro tempore existentes Thesaurarios generales protectores dicti Montis cum facultate deputandi ad vitam, vel ad tempus, prout sibi magis benevisum fuerit in Secretarium, & Computistam dicti Montis personas sibi benevisas cum emolumentis per Secretarium, & Computistam dicti Montis Religionum percipi solitis & cum aliis facultatibus solitis, & consuetis. De-

positarium verò ejusdem Montis prædictum Marcellum Sacchettum, qui de solvendo fructus dicti Montis cuilibet Montistæ ejusdem Montis Salis, modo, & forma, & prout eidem Hieronymo Thesaurario visum fuerit se obligare debeat ad nostrum, & successorum nostrorum Rom. Pont. beneplacitum earundem tenore præsentium constituimus, & deputamus.

Clausulas præservativas apponit.

§. 8. Decernentes præsentem nostri Motus proprii cedulam, omniaque & singula præmissa inviolabiliter donec Mons ipse duraverit observari, vimque, & efficaciam habere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, etiamsi nunquam in dicta Camera, & illius libris admittantur, & registrentur, minusque contra illa de subreptionis opreptionis vitio, aut defectu nostræ intentionis, vel quovis alio vitio, defectu, aut nullitate dici, vel opponi posse, sicque & non aliàs per quoscumque judices, &c. etiam Congregationem Montium, Thesaurarium, Præsidentes Clericos ejusdem Cameræ, Palatij Apostolici, & ipsius Cameræ Auditores, necnon S. R. E. Cardinales etiam Camerarios, & de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac fel. record. Simaci, Pauli Secundi, Pauli Quarti, Pii Quarti & aliorum Rom. Pontif. prædecessorum nostrorum de rebus Eccl. & Cam. non alien., & de registran., ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac etiam juramento, & alio quovis robore vallatis statutis, & reformationibus Urbis, & Cameræ prædictæ, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis concessis, approbatis, & innovatis, decretis etiam consistorialibus, consuetudinibus, cæterisque contrariis dispositionibus, quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione, &c. illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Hujus const. exemplis sine signatum fides adhibenda.

§. 10. Volumus insuper, & decernimus, quod præsentis nostri motus proprii cedulæ sola signatura nostra sufficiat, etiam absque alia data, & registrata, & ubique in judicio, & extra, tam illa, quam ejus transumpta etiam impressa per aliquem ex Cameræ Apostolicæ Notarii subscripta, sigilloque dicti Thesaurarii munita fidem faciant, ac si cedula originalis ipsa exhibita foret, & nihilominus literæ tam in forma Brevis, quam sub plumbo quandocumque expediri possint cum clausulis opportunis, & extensionibus amplissimis regula quacunque, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus.

Subscriptio Papæ.

Urbanus Papa VIII.

LXIII.

Institutio Archivii generalis in Urbe.

Plura de Archiviis notata invenies, & præcipuè in Constitut. 15. Julii II. Sicut tom I. & hic supra Constitut. 26. Admonet; sed hic Pontifex Romæ Generale Archivium instituit, & privilegia plurima cumulavit.

Edita An. D. 1625.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii Nobis meritis licet imparibus divina dispositione injuncti sollicitudo assiduè cor nostrum pulsat, & commovet, ut non solum ad ea quæ animarum salutem respiciunt, verum etiam quæ ad populorum præsertim Almæ Urbis nostræ; ac Nobis, & sedis Apostolicæ temporali ditioni subditorum utilitatem, pacem, tranquillitatem, perpetuamque securitatem pertinere noscuntur vigilantiæ nostræ aciem dirigamus, & præsertim noxiis illis, quæ ob non adhibitam satis exactam diligentiam in conservandis tam publicis, quàm privatis Scripturis inter subditos nostros gravi cum nostra eorumque molestia, fortunarumque suarum jactura frequenter exoriri, & vigere intelligimus, commoda aliqua ratione provideamus, & pro felici progressu eorum, quæ propterea à nobis ordinantur, illorum curam egregiorum virorum prudentiæ demandemus, quorum opera, & studio fœliciter gubernentur, ac lites faciliùs terminentur, prout pro Justitiæ complemento, & subditorum eorumdem quiete conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus const.

§. 1. Cum itaque ex multiplicitate, & diversitate Notariorum Urbis, & aliquorum etiam ex eis imperitia, & negligentia, ac Instrumentorum, & aliarum scripturarum confusione, ac incuriosa custodia plurima damna, & incommoda à subditis nostris, & aliis irrogari, maximum etiam detrimentum fidei publicæ in dies inferri, eandemque non parvo in discrimine falsitatum & fraudum versari, vicissim vero ex diligenti eorumdem Instrumentorum, & Scripturarum cura falsitates, & fraudes omnes evitari, dominia rerum, ac Jura unicuique conservari, aliaque non modica pervenire bona satis exploratum, et abunde perspectum habentes, et in plerisque dominiis et regionibus exteris, ac etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum auctoritate ferè in omnibus Civitatibus, et locis Status nostri Ecclesiastici publica, et generalia, et in ipsamet Urbe nostra quędam particularia Capitolinum videlicet, et Romanæ Curiæ, et forsan alia Archivia erecta, et instituta fuisse, ex eis tamen alia in desuetudinem abiisse, alia in multis deficere, neque per illa hujusmodi incommodis, damnis, et fraudibus, illarumque periculis sufficienter provideri animadvertentes, et ex Annalibus sacræ Historiæ Romanam Ecclesiam olim Archivium publicum sub nomine Cartophilacii habuisse, et Cartophilacii Officium magnæ dignitatis, et auctoritatis apud eandem Romanam Ecclesiam et Sedem Apostolicam extitisse memoria repetentes, et præmissis, quantum in nobis est, occurrere cupientes, nulla alia ratione satius prædictis nostris subditis, et aliis omnibus, quàm per erectionem Archivij publici, et generalis in dicta Urbe, ad quod Instrumenta publica, et aliæ Scripturæ per ejusdem Urbis Notarios, et alios infrascriptos rogata pro tempore deferri, et in eo asservari debeant consultum iri censeamus, pro earundem Urbis, et Romanæ Curiæ ornamento, et Instrumentorum, ac Scripturarum tuta, et perpetua conservatione nostrorum Subditorum, et aliorum securitate, ac publica, et privata omnium utilitate ad erectionem hujusmodi devenire decrevimus;

Card. superintendentem à Summo Pontif. pro tempore eligen. instituit, & locum designa, & Conservatorem creat & emolumenta destinat.

§. 2. Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et mera deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Archiviū generale Urbanum nuncupandum sub protectione, et suprema Superintendentia dilecti filii Francisci Sanctæ Agathæ Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis ejus vita durante, et post illius obitum unius ex ejusdem S. R. E. Cardinalibus per pro tempore existentem Romanum Pontificem ad id specialiter deputandi, in dicta Urbe, in loco propè Plateam Principis Apostolorum de

Urbe nuncupatam, per Nos designato, & pro ejusdem Archivii generalis bono regimine & administratione unum Conservatoriæ ejusdem Archivii generalis officium pro uno Clerico, vel laico Utriusque Juris Doctore, vitæ, ac morum probitate, & experientia prædito, ac aliàs sufficienti, & idoneo Conservatore Archivii generalis Urbani nuncupando, ad nostrum, & pro tempore existentis Romani Pontificis nutum ponendo, & amovendo, cum infrascriptis, & aliis omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, honoribus, præeminentiis, & oneribus in Capitulis per dilectum filium nostrum Antonium dictæ S.R.E. Presbyterum Cardinalem S. Honuphrii nuncupatum, de mandato nostro subscriptis expressis, & aliis etiam per pro tempore existentem Archivii generalis hujusmodi Superintendentem Cardinalem quandocumque ampliandis, moderandis, & declarandis, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus, illique sic erecto, & instituto pro ejus dote, ac illud pro tempore obtinentis sustentatione, salario, & emolumento, summam in particulari Chirographo etiam hodie manu nostra subscripto ex taxis, ac omnibus Juribus, obventionibus, emolumentis, & aliis regalibus in dictis Capitulis contentis, & specificatis designandam dicta auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus, ac ex nunc applicatam, & appropriatam fore, & esse volumus, & declaramus.

Facultatem tribuit Conservatori emolumenta exigendi.

§. 3. Itaut liceat eidem Conservatori pro tempore existenti per se, vel alium ad id ab eo deputatum summam sic applicatam, & appropriatam ab iis, ad quos pro tempore spectabit exigere, recipere, & retinere, ac in suos usus, utilitatem convertere, nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis licentia desuper minimè requisita; Ac ut prædictum officium sic erectum, & institutum, illudque pro tempore obtinens amplioribus per nos favoribus & gratiis decoretur.

Declarat illam commensalem, & panem quotidianum illi concedit, & alia privilegia.

§. 4. Quod pro tempore existens Conservator dicti Archivii noster, ac pro tempore existentis Romani Pontificis verus, indubitatus & non fictus familiaris continuus Commensalis, aliorumque familiarium, & continuorum Commensalium numero, & consortio adscriptus, & aggregatus eo ipso existat, & vestes violacei coloris ad instar nostrorum Cubiculariorum honoris nuncupatorum gestet, illisque arbitrio suo utatur, ac in signum veræ, & indubitatæ, ac non fictæ familiaritatis hujusmodi singulis diebus ex palatio Apostolico Panem ejusdem quantitatis, & qualitatis, prout dilectis filiis in utraque Signatura nostra Referendariis dari consuevit, habeat decernimus, & Panem hujusmodi dietim sibi ex dicto Palatio dari mandamus.

Omnia instrumenta ad Archivium deferens jubet.

§. 5. Ad Archivium autem generale prædictum omnia testamenta, fideicommissa, legata, codicillos, donationes causa mortis, & alias ultimas voluntates à quibusvis Notariis publicis Urbis etiam eorum officia titulo oneroso à nobis, & Sede prædicta, ac Camera Apostolica habentibus, necnon Parochis ejusdem Urbis, tàm in ipsa Urbe, quàm extra eam quomodolibet recepta, & rogata, ac super venditionibus, & venditionum resolutionibus, & rescissionibus, cessionibus, renunciationibus, transactionibus, divisionibus, in solutum dationibus, permutationibus de, & super bonis, & rebus immobilibus factis, necnon Censibus, & eorum extinctionibus, feudis, subfeudis, ac in emphyteusim, linellum, aut sub annuo censu, Canone, vel alia responsione concessionibus, inter vivos donationibus, insinuationibus, dotibus, & pactis dotalibus, hæreditatum aditionibus, repudiationibus, & inventariis, emancipationibus, adoptionibus, arrogationibus, Jurispatronatibus irrevocabilibus, & ad vendendum, & donandum procurationum mandatis, fidejussionibus perpetuis, ac alia instrumenta in capitulis prædictis latius descripta, & annotata, & per quosvis Notarios Urbis prædictos, tam in Urbe, quàm extra eam quomodolibet, ut præfertur, recepta, & rogata sub modo, & forma in eisdem Capitulis præscriptis, & ordinatis deferri, & in eo respectivè recipi, annotari, ac diligenter, & perpetuò conservari, & custodiri debere volumus, præcipimus, & similiter mandamus.

Primum conservatorem creat & solum Superintendentem causas Archivii vult posse cognoscere.

§. 6. Postremò dilectum filium Camillum Perinum clericum Florentinum Utriusque Juris Doctorem apud nos de litterarum scientia, vitæ, ac morum honestate aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu specialis gratiæ favore prosequi volentes, eumdem Camillum, de cujus fide, doctrina, prudentia, & in similibus experientia plurimum in Domino confidimus, in Conservatorem d. Archivii generalis ad nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum Motu, & auctoritate paribus constituimus, & deputamus, Francisco verò Cardinali, ac aliis d. Archivii generalis, ut præfertur, deputantis Superintendentibus, & Gubernatoribus Edicta, Bannimenta, & proclamationes prædictum Archivium generale vel illius negotia pro tempore quomodolibet concernentia sub suo nomine, ac sub pœnis etiam corporalibus sibi benevisis quoties opus fuerit publicandi, ac pro tempore emanata declarandi, interpretandi, ampliandi, & innovandi, ac exequutioni demandati faciendi, prout eidem magis expedire visum fuerit, nec non omnes causas civiles, criminales & mixtas super præmissis, & illorum occasione pro tempore motas, ac appellationum, reclamationum, recursuum, ac in integrum restitutionum à sententiis, decretis, & gravaminibus per prædictum Camillum, & pro tempore existentem Conservatorem d. Archivii generalis latis promulgatis, seu quomodolibet illatis, cum omnibus, & singulis incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, totisque negotiis principalibus etiam privativè quoad omnes alios manu regia simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, ac tela judiciaria minimè observata, ac omni, & quocumque appellatione, recursu, vel restitutione in integrum re motis per se, vel alium, aut alios à Francisco Cardinale, & pro tempore existente Superintendente, & Gubernatore d. Archivii generalis deputandos audiendi, cognoscendi, fineque debito terminandi, & decidendi, aliaque omnia, & singula, quæ ad ipsius Archivii generalis directionem, ac rectam, & facilem administrationem, & gubernationem pertinent, & aliàs circa præmissa necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna ordinandi, mandandi faciendi, gerendi, exercendi, disponendi, & exequendi plenam, & omnimodam potestatem, auctoritatem, & facultatem concedimus, & impartimur.

Clausulas præservativas apponit.

§. 7. Decernentes easdem præsentes etiam ex eo quod Notarii, & eorum Collegia quibus Officia, & scripturæ titulo oneroso, vel alia per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores nostros, dictamque Cameram Apostolicam concessa reperiuntur, vocati, & auditi non fuerint, vel ex eo quod præmissa nulla causa subsistente, & etiam de facto processerint, aut ex alia quantumvis juridica, & legitima etiam necessariò exprimenda causa, vel quocumque prætextu de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos Juris reduci, aut in Jus, vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcunque Juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concedi,

vel sub quibusvis Constitutionibus, & Cancellariæ Apostolicæ regulis editis, & edendis, ac literis Apostolicis in contrarium etiam pari Motu, ac Consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum in quo anteà erant, validissimum Statum restitutas, repositas, & plenariè integratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Cardinalem Superintendentem, & Conservatorem d. Archivii generalis quandocunque eligenda concessas, validasque, & efficaces etiam quod in dicta Camera Apostolica nullo unquàm tempore præsentarentur, aut registrarentur fore, & esse.

Decretum irritans subjungit.

§. 8. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, ac etiam ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & diffiniri debere irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 9. Quocirca dilectis filiis Urbis nostræ Gubernatori, & causarum Curiæ dictæ Cameræ Generali Auditori, & dilecti filii nostri in eadem Urbe ejusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis in Civilibus causis Locumentenenti Motu pari per Apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seù alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Francisci Cardinalis, & Camilii prædictorum, ac pro tempore existentium dicti Archivii Protectoris, & Conservatoris fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis præsidio assistentes faciant easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, ac Franciscum Cardinalem, & Camillum, ac pro tempore existentes Protectorem, & Conservatorem hujusmodi illis pacificè frui, & gaudere non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac sententias, censuras, & pœnas ipsas servata forma Conc. Trident. etiam iteratis vicibus aggravando, Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§. 10. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra de non tollendo Jure quæsito, ac fel. record. Pii Papæ IV. etiam prædecessoris nostri sub Datum videlicet Octavo Idus Augusti Pontificatus sui Anno sexto edita inter alia disponente, quod omnes gratiæ qualecumque interesse Cameræ concernentes infra certum inibi expressum tempus in eadem Camera præsentari, & registrari debeant, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Urbis, & aliarum quarumcumque Civitatum, Locorum, Oppidorum, Districtuum, necnon Collegiorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & aliorum Piorum, & non piorum locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, reformationibus, decretis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, & concessionibus Officiorum, & Notariatuum etiam titulo oneroso, tam à Nobis, quam Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Camera prædicta, etiam per viam contractus, seù aliàs quomodolibet tam prædictis omnibus & singulis quàm etiam Judicibus, Officialibus, Scriptoribus, Notariis, eorumque Collegiis, & Superioribus, dictæque Cameræ ejusque causarum Auditori generali, & Procuratori Fiscali, aliisque etiam personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam Motu simili, etiam Consistorialiter, ac aliàs incontrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, ac innovatis, & in futurum concedendis, approbandis, confirmandis, & innovandis, quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idē importantes mētio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat etiam Motu hujusmodi specialiter & expresṡe derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus contrariis quibuscumque. Aut si quibusvis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Publicatio in Urbe omnes arctat.

Volumus autem quod eædem præsentes una cum Capitulis, ut præfertur, faciendis, ut omnibus innotescant ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, prædictæ, ac in Acie Campi Floræ publicentur, & affignantur dimissis inibi earum copiis, quæ perindè omnes arctent, ac si uniçuique personaliter intimatæ fuissent.

Hujus const. transumptis fides adhibenda.

Quodque earumdem præsentium, & Capitulorum, ut præfertur, conficiendorum transumptis & exemplaribus etiam impressis, ac manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclésiastica constitutæ munitis ea prorsus fides adhibeatur, tam in Judicio, quàm extrà, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Pœnas indicit.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, præcepti, constitutionis, deputationis, impartitionis, decretorum, derogationis, mandatorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1625. Sextodecimo Kalend. Decembris Pontificatus Nostri Anno tertio. D. P. An. 3.

Publicatio

Anno à Nativitate D. N. JEsu Christi 1626. Indictione nona, die verò 17. mensis Julii Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Divina providentia Urbani Papæ Octavi, anno ejus tertio, supradictæ literæ una cum Capitulis lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Sancti Petri Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis & capitulis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deindè amotis, postea affixis, copiis earundem literarum cum eisdem Capitulis in eisdem locis per nos Tarquinium Majonum Romanum, & Joannem Baptistam Spadam de Cessis Apost. Curs.

Augustinus de Bolis pro Mag. D. D. Curs.

LXIV.

Suppressio Congregationis Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci.

Fratres Minores Conventuales Reformati nihil proprium habere posse decrevit Pius V. Const. 61. tom. 2. eorumdem Reformationem edidit idemmet Pontifex Const. 66. tom. 2. approbati fuerunt à Sixto V. in eius Const. 68. tom. 2. Quibus etiam præscripsit statuta, ac ordinationes ibid.

Edita A.D. 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

ROmanus Pontifex, quem Salvator, & Dominus noster omnium Ecclesiæ suæ Ordinum Patrem, & Pastorem constituit, ut juxta verbum Propheticum noxia evellat, & destruat, utiliaque & salubria plantet, & ædificet, ea interdum quæ certis etiam rationabilibus ex causis à Sede Apostolica sancita sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & ex majoribus causis, quibus præsertim felici religiosorum statui, cum divini cultus incremento consulitur, revocat, & immutat, in hisque sollicitudinis, & providentiæ suæ studium interponit, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Recenset literas Six. V.

§. 1. Aliàs si quidem fel. rec. Sixto Papæ V. Prædecessori nostro pro parte dilectorum Fratrum Minorum Conventualium reformatorum Sancti Francisci exposito, quod ipsi strictiorem vitam agere, & se reformare cœperant, aliosque Conventus acquisiverant, & in iis sub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis huiusmodi vivebant, Idem Sixtus prædecessor, ne ipsos Fratres Reformatos, eorumque Congregationem super reformatione hujusmodi inquietari contingeret: Supplicationibus eorumdem Fratrum Reformatorum nomine sibi humiliter porrectis inclinatus, Reformationem prædictam ubicumque locorum cœptam, & introductam, & ex tunc in dies introducendam, ac pro ea, & illius felici directione facta statuta, & ordinationes cum inde secutis quibuscumque Apostolica auctoritate perpetuò approbavit, & confirmavit, nonnullaque alia fecit, statuit, & ordinavit sub certis modo, & forma tunc expressis prout in d. Sixti prædecessoris sub plumbo desuper sub dat. Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, 1587. Idibus Octobris Pontificatus sui Anno Tertio, seu alio veriori tempore expeditis literis, quarum tenore perinde, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

Motiva suppressionis.

§. 2. Cum autem sicut accepimus ex Congregatione Fratrum Conventualium Reformatorum hujusmodi, non ij in Ecclesia Dei spirituales fructus, qui sperabantur, prodierint, sed quam plures differentiæ inter eosdem Fratres Reformatos, ac Fratres Conventuales non reformatos d. Ordinis ortæ sint, vigeant ad præsens. Nos præmissis quantum cum Domino possumus obviare, ac alias desuper opportunè providere volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ex præmissis, aliisque justis, & rationalibus causis animum nostrum moventibus Congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum hujusmodi, omniaque & quæcumque illius officia, & ministeria, necnon domus, ac loca regularia quæcumque, & in quibusvis Provinciis existentia, ac ad eos spectantia, & statuta, consuetudines, & decreta etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roborata, ac pariter privilegia, & indulta generalia, & specialia, quorum omnium tenore ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis haberi volumus, quibuscumque illa sint concepta formulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, ac vinculis munita tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac quæcunque Congregationis sic suppressæ officia, administrationes, & dignitates tollimus, & abrogamus, ab eisque Domos, Conventus, & loca, ac bona imobilia, mobilia, & se moventia ubique gentium constituta, sacram quoque, & communem suppellectilem, ipsorumque omnium usum, usufructum, administrationem, ac possessionem spiritualem, & temporalem, necnon jus, & actionem eis quomodolibet pertinentia Apostolica auctoritate earundem tenore præsentium auferimus, & ablata esse, & censeri volumus; Necnon Domos, Conventus, loca, suppellectilem, bona, res, actiones, & jura prædicta, eorumque proprietatem Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum auctoritate, & tenore præsentis concedimus, & assignamus.

Supprimis Ordinaria & Conventus.

Quod transeant ad Capucinos & Observ.

§. 3. Insuper volumus, ut Fratres Reformati prædicti, ad Fratres d. Ord. S. Francisci Capucinos, seu de Observantia nuncupatos, tam de Familia, quam Reformatos infra duos menses à die publicationis præsentium, si id eis videbitur, & benevolos invenerint receptores transeant, & quilibet eorum transeat, ubique per superiores domorum hujusmodi, quas ipsi elegerint, recipiantur, ac ad eorum habitum, & professionem Regulares, etiam absque alio Novitiatu admittantur, transire autem volentes, dilecto filio Ministro generali dicti Ordinis Fratrum Conventualium, per Conventus sui ordinis reservata tamen Reformatione arbitrio suo juxta pro idam per eum desuper faciendam assignationem distribuendi facultatem concedimus.

Eximantur Fratres Conventus Nap.

§. 4. Sub hac tamen suppressione, & extinctione, aliisque præmissis domum regularem Neapolitan suppressæ Congregationis hujusmodi pro nunc comprehendi volumus, sed qui in ea ad præsens sunt Fratres de familia ibi remaneant sub obedientia dicti Ministri generalis, ita tamen quod de cetero illius Superiores nullum ad habitum Regularem, neque etiam in locum eorum quos decedere contigerit, minusve alios suppressæ Congregationis hujusmodi Fratres admittere possint sub pœnis, quoad receptos, vel admissos Apostatiæ, quo verò ad recipientes, vel admittentes privationis officiorum, necnon vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrendis.

Applicat Jura Conventus de Urbe Cam. Apost.

§. 5. Insuper Domum Sancti Antonii de Padua nuncupat. de Urbe in capite Domorum existen., ac eius Ecclesiam, Cellas, Hortos, Viridaria, Aquarum derivationes, aliasque officinas, necnon reliqua bona immobilia tantum illi adjacentia, ac quæ ipsi Fratres per præsentes suppressi inibi possident Cameræ nostræ Apostolicæ applicamus, & incorporamus, ac nostræ & successorum nostrorum dispositioni reservamus.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes præsentes litteras, etiamsi dicti Fratres Conventuales Reformati hujusmodi per præsentes suppressi ad hoc vocati, & auditi, ac causæ propter quas præsentes emanarunt verificatæ non fuerint, seu aliis quibusvis de causis quantumvis urgentibus de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quæsito prætextu, vel colore ad terminos juris reduci, seu in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quod cumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut quemquam impetrato, seu etiam Motu, & potestatis plenitudine similibus concesso nullatenus uti posse, sed easdem præsentes literas semper, & perpetuò validas, firmas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Necnon Cameræ

prędictæ, ac dicto Ordini Fratrum Minorum Conventualium respectivè plenissimè suffragari, ab omnibus verò ad quos spectat inviolabiliter observari debere, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis generalibus, & specialibus hujusmodi, necnon prędictis Sixti Prędecessoris, & quibusvis aliis literis Apostolicis dictæ Congregationi, ejusque Superioribus, & personis, eorumque singulis per quoscumque Romanos Pontifices Prędecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, & in specie concessis, confirmatis, & innovatis, ac mare magnum Bulla aurea, & alias quomodolibet nuncupatis quorumcumque illæ tenoribus existant per quas pręsentibus non expressas, vel totaliter non insertas effectus earumdem præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quarumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis.

D. P. An. 3. 6. Febr. 1624.

Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & dicti Ministri Generalis, aut alicujus Provincialis dicti Ordinis Fratrum Conventualium sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensę.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Februarii 1626. Pontif. nostri Anno Tertio.

V. Theatin.

LXV.

Devidit Congregationem Fratrum Eremitarum Discalceatorum Italiæ Ordinis S. Augustini in quatuor Provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Januensem, & Siculam, & instituit quator Provinciales pro earum gubernio usque ad celebrationem futuri Capituli generalis ipsius Congregationis.

Vide quæ plené dé hac Congregatione judicavi sup. ad Const. 2. Gregor. XV. Pastoralis *Et etiam vide subsequentia Decreta à Sacra Apostolicæ Visitationis Congregatione edita de his Fratribus Congregationis Italiæ opportuné à me hic posita.*

Edita A.D. 1626.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ordinis commendatio.

AD uberes, & suaves fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceati nuncupati Congregationis Italiæ in militanti Ecclesia, cujus regimini, divina disponente clementia, pręsidemus, in dies afferunt, mentis nostræ aciem convertentes, quid pro laudabilis eorum Instituti felici directione, atque progressu conferat, diligenter prospicimus, ac desuper officii nostri partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatur. Pont. ut hanc

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Basilius à Sanctissima Trinitate Vicarius generalis Congregationis prędictæ, quod Congregatio ipsa quamplures domos regulares per universam Italiam habet, itatur solus per se ipsum commodè eas regere, & gubernare, nequeat, proindeque earundem domorum utilitati maximè consultum iri existimet, si eadem Congregatio in Provincias, ut infra dividatur.

Congr. in Provincias dividat.

§. 2. Nos prospero, felicique dictæ Congregationis regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus consulere, ipsumque Basilium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem prædictam in quatuor Provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Januensem, & Siciliæ, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò dividimus, & separamus.

Quam divi dit in RomamNeap. Januensem & Siculam.

§. 3. Necnon pro hac prima vice usque ad proximè futuri Capituli generalis ejusdem Congregationis celebrationem tantum, & non ultra, in Romanæ Victorium ab Epiphania, in Neapolitanæ Simeonem a Cruce, in Januensis Valerianum à S. Augustino, ac in Siciliæ Provinciarum hujusmodi Provinciales Joannem Baptistam à S. Francisco de Paula, Ordinis, & Congregationis hujusmodi professores dilectos filios sub uno ipsius Congregationis Vicario generali, ac cum privilegiis, gratiis, indultis, facultatibus, jurisdictione, & auctoritate solitis, & sibi ex nunc usque ad ejusdem Capituli celebrationem ab ipso Vicario generali postmodum verò ab eodem Capitulo generali concedendis, & declarandis, auctoritate, & tenore præsentis creamus, constituimus, & declaramus.

Earumque singulis unum Provincialem deputat usque ad futurum Capitulum cum facultatibus, ut hic.

§. 4. Decernentes, præsentes literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Congregationi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

Clausulas confirmationis ponit.

§. 5. Atque ita in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his á quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans add.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§. 7. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 29. Augusti 1626. Pont. Nostri anno quarto.

D.P.An.4. die 29.August. 1627.

Sequitur

Sequitur declaratio Sacræ Congregationis Apostolicæ Visitationis super facultate, quam habere dubitabatur Vicarius Generalis istorum Fratrum eo absente subrogandi alium suo loco cum omnimoda potestate, & jurisdictione, quas ipse Vicarius Generalis præsens habet.

Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis.

Dubitaio de qua in Rubr.

IN causa, & causis coram Nobis, inter Admod. R. P. F. Basilium à Sanctiss. Trinitate Vicarium Generalem Congregationis Discalceatorum Ord. S. Augustini Italiæ ex una, & Patres Ignatium à Sancta Maria, & Joannem ab Assumptione, & Joannem Baptistam à S. Francisco de Paula, Definitores, & Procuratorem Generalem respectivè ejusdem Congregationis, de, & super prætensa nullitate Delegationis, per eundem P. Vicarium Generalem factæ in personna P. Valeriani à Sancto Augustino, Quarti Definitoris, & Prioris Conv. Sancti Antonii de Urbe, rebusque aliis &c.

Resolutio d. deputationis

Fuit provisum, & decretum, R. P. Vicarium Generalem nuncupatum totius suæ Congregationis, ac uti, & gaudere omnibus, & singulis juribus, prærogativis, præeminentiis, & facultatibus, quibus aliarum Religionum Generales gaudent, utuntur, & potiuntur; Ideoque sibi licuisse, & licere inter alia, eo absente, alium suo loco subrogare, qui omnimoda ejus potestate, & jurisdictione ubique locorum (illa tantum excepta Provincia, in qua ipse Generalis Vicarius pro tempore reperietur) fungatur, & potiatur, & consequenter subrogationem, ac delegationem à præfato Generali Vicario in Persona Patris Valeriani Quarti Definitoris factam, fuisse, & esse Juridicam & canonicè factam, & uti talem fore, & esse confirmandam, prout illam confirmamus, & approbamus, & pro confirmata, & approbata haberi volumus, & mandamus, Fratresque omnes eidem Generali Vicario subjectos ejusdem Religionis, præfato Patri Valeriano ad obedientiam præstandam juxta formam suæ Delegationis obligatos fuisse, & esse declaramus.

D.P.Anno 3. die 26. May 1626.

Actum Romæ Domi solitæ residentiæ Illustrissimorum DD. Sacræ Congregationis hac die 26. Maij 1626.

A Ricciullus Judex, & Secr.

Odoardus Tibaidescus Not.

EditaA. D. 1617.

Subsequuntur Decreta generalia pro tota Congregatione Fratrum Discalceatorum Sancti Augustini Italiæ facta in Visitatione, die 21. Junii 1627.

De Constitutionibus Congregat

COnstitutiones hujus Congregationis auctoritate Apostolica confirmatæ, infra annum post Capitulum Generale imprimantur, ad hoc, ut ab omnibus Religiosis præ manibus possint haberi &c.

De novis constitutionibus non faciendis.

Ad tollendas dubitationes, quæ circa Constitutionum intellectum possent exoriri. Sacra Congregatio facto verbo cum Sanctissimo declarat, hactenus non novisse, neque licere hujus Congregationis Superioribus etiam in Capitulis Generalibus novas Ordinationes, aut statuta, sub quovis nomine contrarias, aut contraria Constitutionibus Apostolica auctoritate firmitatis facere, easque non potuisse, neque posse practicari, antequam à tribus Capitulis Generalibus dispositæ, & à Sede Apostolica fuerint confirmatæ c. 4.

De Congregatione Definitoriali.

Consequenter etiam declarat, Congregationem Definitorialem ex quinque Patribus semel in hebdomada hactenus practicatam, in futurum non esse faciendã, sed esse servandas Constitutiones parte tertia.

De Definitoribus.

Declarat preterea Definitores pro tempore existentes, fore & esse de familia ejus Conventus, cui à Superiore erunt assignati, & non aliorum, atque ideo locum sumere debere post Priorem, etiam ubi Vicarius Generalis moratur, ac potuisse, & posse à Priore in levibus corrigi, in ceteris verò à Vicario Generali, teneri que adire Capitulum de culpis, expectare signum in Choro, Refectorio, & aliis locis, non obstantibus Constitutionibus par. 2. cap. 8. & par. 3. cap. 4.

De auctoritate Vicar, gener. in Definitoriis

Declarat preterea licuisse, atque licere Vicario Generali pro tempore existenti Definitores singulos in Visitatione, & extra etiam in gravioribus consultò corrigere, & punire, absque aliorum Definitorum consensu, posse tamen Definitores scribere, & recipere literas, ac armarium, oratorium nuncupatum, habere, & absque Superioris licentia &c.

De Procuratore Generali.

Declarat demum Procuratori Generali præsente Generali Vicario secundum locum haberi, absente vero, in Conventu secundum à Priore, extra Conventum vero post Vicarium Generalem ceteris præferri, posseque egredi ad negotia peragenda, & absque cunctatione Prior socium assignabit, ac pariter literas scribere, & recipere absque scitu Prioris, & Oratorium habere. In reliquis autem omnia, quæ de Definitoribus dicta sunt locum sibi vendicare in Procuratore Generali.

De observantia horum Decretorum.

Decreta hæc Generalia Pro tota Congregatione veluti declaratoria serventur statim sub pœna arbitrio sacræ Congregationis.

A. Episc. Bellicastreñ Secr. & Jud.

LXVI.

Declaratio, quod Capitula Ecclesiarum Cathedralium, quibus S.R.E. Cardinales præsunt, ex indultis conferendi beneficia Ecclesiastica reservata, vel affecta eisdem Cardinalibus concessis, nullum jus prætendere possint.

Quod autem S. R. E. *Cardinales indulto conferendi Beneficia Ecclesiarum quibus præsunt, non utantur nisi in Beneficiis illarum Ecclesiarum quibus actu præsunt, vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, declaravit hic Sanctiss. Pont. in const.* 1. *seq. licet.*

Moderationem vero Indultorum S.R.E. Card. super collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum habes in Pii V. const. 37. tom. 2. & in Gregor XIV. const. 19. d. tom. 2. necnon Pauli V. const. 58. tom. 3.

Sanctiss. in Christo Pater, & D. N. D. Urbanus divina providentia Papa VIII.

Edita A.D. 1626.

Causa hujus constit.

ACcepto quod S. R. E. Cardinales super indultis, & facultatibus disponendi de beneficiis Ecclesiasticis Sedi Apostolicæ reservatis, & affectis à Sede prædicta sibi concessis per Capitula, & Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, quibus illi ex concessione, & dispensatione Apostolica præsunt, impediuntur, sub prætextu quod ipsi Capituli, & Canonici jus nominandi, vel præsentandi, aut alia quomodolibet disponendi de beneficiis in mensibus non reservatis pro tempore vacantibus cum prædictis Cardinalibus locorum Ordinariis conjunctim, vel divisim habentes, tamquam membra capiti adhærentia à Cancellariæ Apostolicæ regula mensium reservatoria, à qua Cardinales præservantur, etiam excipi, & facultates, ac indulta, quæ certarum reservationum obstacula tollunt, sibi quoque suffragari debere prætendunt: & attendens privilegium, quod Cardinales in prædicta regula præserventur, eis intuitu Cardinalatus concessum esse, neque rationi consonum fore, ut Capitula, & Canonici dum sui Præsules Cardinalatus honore præfulgent, plus juris in præjudicium Sedis Apostolicæ, seu ipsorum Cardinalium Presulum jus, & Indultum conferendi ab ipsa Sede habentium obtineant, quam si ipsi Cardinales non forent.

Facultatis seu indultorum, de quibus in rubr. Declaratio.

§. 1. Motu proprio sub die vigesimanona Decembris Anni ab Incarnatione Domini millesimi sexcentesimi vigesimi quinti declaravit, intentionis, & voluntatis suæ esse, quod Cardinales Præsules de omnibus, & singulis beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet nuncupatis, & qualifica ad eorum, etiam cum alio, vel aliis collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem dispositionem ratione Ecclesiarum, quibus ipsi Cardinales præsunt conjunctim, vel divisim spectan. non tamen in libris Cameræ Apostolicæ descriptis, nec ex personis familiarium suæ San-

ctitatis, vel Conclavistarum, aut ratione vacationis apud Sedem prædictam servatis vel affectis; quæ omnia Sanctitas sua sibi, & successoribus suis pro tempore existentibus specialiter, & expresse reservavit, ad præsens vacantibus & in futurum vacaturis soli per se ipsos, vel alios ad id deputandos absque Capitulis, & Canonicis, aliisque quamcumque ordinariam dispositionem eorumdem beneficiorum similiter conjunctim, vel divisim cum eisdem Cardinalibus habentibus, dummodò aliàs sub indultis concessis comprehendantur, liberè provideant.

Privatio facta Capitulis mittendi dictis Indultis.

§. 2. Neque Capitula, aut Canonici hujusmodi privilegio quod Cardinalibus præsulibus, nullo habito Capitulorum, & Canonicorum respectu concessum esse dignoscitur, gaudere, frui, aut jus aliquod inde prætendere possint.

Hæc declaratio incipiat à die 29 Dec. robur obtinere cui Decreto irritanti.

§. 3. Decernentes declarationem prædictam à dicta die vigesima nona Decembris robur obtinere debere, etiamsi necdum publicata fuisset, ac irritum &c.

Papæ subscriptio.

Placet, publicetur, & describatur M.

Publicatio in Cancellaria.

Lecta, & publicata fuit supradicta Regula in Cancel. Apost. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, die verò decima mensis Septembr. Pontificatus Sanctiss. D. N. anno tertio.

Marcus Antonius Ascentius Procustos.

D. P. Ann. 4. die 10. Sep.

LXVII.

Declaratio, quod S. R. E. Cardinales Ecclesiarum Præsules Indulto conferendi Beneficia Ecclesiastica ratione Ecclesiarum, quibus præsunt; vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, dumtaxat uti possint.

Vide quæ notavi ad Constitutionem præcedentem plenè de hac materia.

Edita Ann. D. 1626.

URBANUS PAPA VIII.

Motu proprio, &c.

Causæ hujus constitut.

Licet nullus Episcoporum, postquam regimini Ecclesiæ, cui præerat, cesserit, in beneficiorū Ecclesiasticorum dispositione ratione ejusdem Ecclesiæ sibi antea competenti ingerere se valeat: attamen nonnulli ex ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus sub prætextu indultorum Apostolicorum eis pro tempore concessorum beneficia nedum unius, sed etiam plurium Ecclesiarum, quarum regimini cesserunt, vel à quorum vinculo ad alias translati, absoluti reperiuntur, contemplatione, alias ad se spectantia, conferre perseverant. Quare Motu simili &c.

Declaratio de qua in Rubr. cum clausula irritanti.

§. 1. Declaramus, de cetero non licere cujuspersonæ, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeat, prætextu cujusvis indulti Apostolici concessi, seu concedendi facultatem hujusmodi, etiam expresse continentis conferre, vel quovis modo disponere de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, quorum collatio, præsentatio, nominatio, vel quævis alia dispositio separatim, vel conjunctim cum aliis ad eum spectabat ratione cujuscumque Ecclesiæ Cathedralis, etiam Metropolitanæ, Primatialis, vel Patriarchalis, cujus regimini cesserit, si quidem ad aliam Episcopalem, Archiepiscopalem, Primatialem, vel Patriarchalem Ecclesiam translatus, vel postmodum assumptus fuerit, sed indulto tantum ratione Ecclesiæ, cui actu præsit, vel cujus regimini ultimo loco cesserit, sibi concesso uti posse, & debere, ac irritum &c.

Exceptio nonnullarum Ecclesiarum.

§. 2. Ostien. & Veliternen. invicem perpetuo unitis, & Portuen. ac Sabinen: necnon Tusculan. & Prænestin. ac Albanen. Ecclesiis dumtaxat exceptis, quoad quas Cardinalibus illarum pro tempore præsulibus facultate disponendi d. beneficiis hujusmodi, etiam una cum indulto sibi ratione aliarum Ecclesiarum, quibus actu præsunt, vel antea novissimè præfuerint, ut præfertur, frui licere decernimus.

Sola signatura sufficiat.

§. 3. Statuentes præsentium, etiam absque eo quod registrentur, aut illis data apponatur, solam signaturam nostram sufficere, & ubique in judicio & extra regula contraria non obstante fidem facere.

Registretur in Cancellar.

§. 4. Ac insuper illas in Cancellaria Apostolica describi debere.

Omnes etiam absentes liget.

§. 5. Et deinceps omnes, & singulos Cardinales etiam absentes, præsentes, & futuros, & alios quoscumque, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum afficere, & ligare, nullumque earum ignorantiam prætendere posse, non secus ac si ei personaliter intimatæ forent.

Contrariorum remotio.

§. 6. Statuto, & ordinatione, decreto, & declaratione, per nos in crastinum assumptionis nostræ ad summi Apostolatus apicem editis, quod Cardinales in Constitutionibus, & regulis per nos post priorum nostrarum Constitutionum, & regularum editionem, & publicationem imposterum faciendis non includantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, necnon prædictis, & quibuscumque aliis regulis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

Papæ subscriptio.

Placet Motu proprio publicetur, & describatur M.

Publicat. in Cancellaria.

Lecta, & publicata fuit supradicta Constitutio in Cancell. Apost. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, die verò decima mensis Septembris, Pontificatus prælibati Sanctiss. D. N. anno quarto.

Marcus Antonius Ascentius procustos.

LXVIII.

Revocatio omnium gratiarum, exemptionum, Indultorum, ac Privilegiorum quomodolibet concessorum Assistentibus Ultramontanis Prioris Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, ab solutis ab eorum officio, quo peracto ad suas Provincias redire tenentur.

De Assistentibus Prioris Generalis hujus Ordinis habes in Constitutione 63. Paul. V. Provisiones *sup. tom.* 3. *Et de hoc Ordine vide ad constit. 6. Alexand. IV. sup. tom.* 1. *Et alia nonnulla de promovendis ad Doctoratus, vel Magisterii in Sacra Theologia gradus, statuit hic met Pont. supra constit.* 42. Romanus *Qui etiam in expeditionibus per Priores Generales faciendis, modum utendi facultatibus à Sede Apostolica obtentis, præscripsit in Const.* 117. Commissi, *hic infra, & in altera eidem subsequente, & incipiente. Inter ceteras; prohibuit de cetero concedi exemptiones Officiorum iis Fratribus, qui ea non exercuerint, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

Romanus Pontifex æqui, bonique supremus assertor, gregi Dominico, à Deo, & Salvatore nostro præpositus, ut juxta verbum propheticum noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, & ædificet, ea interdum, quæ rationabilibus ex causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde, rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim felici Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, & salubri gubernio consulitur, alterat, & revocat, in hisque sollicitudinis, & providentiæ suæ studium favorabiliter interponit, prout pia Catholicorum Regum vota id exposcunt, & ipse rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Motiva hujus Constitutionis.

§. 1. Cum itaque, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus nobis nuper exponi fecit, ratione privilegiorum, gratiarum, & indultorum Fratribus ultra montanis Assistentibus Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini tam præteritis, quam futuris ab hac sancta Sede, & alias concessorum, expleto eorum officio non levia in eodem Ordine inconvenientia, & perturbationis oriantur.

Prohibet prout in Rubr.

§. 2. Nos illis, quantum nobis ex alto conceditur, opportunè pvovidere volentes, supplicationibus dicti Philippi Regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præpositorum consilio omnia, & singula, exemptiones, immunitates, prærogativas, præeminentias, gratias, privilegia, & indulta eisdem Fratribus Ultramontanis Assistentibus per Sedem Apostolicam sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, vel alias, ac etiam per quoscumque alios concessa, quibus hujusmodi assistentes expleto suo hujusmodi officio hactenus usi, & gavisi sunt, sive uti, & gaudere poterunt, vel debuerūt, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo revocamus, & abrogamus, ac revocata, & abrogata.

De reditu Assistentium finito officio.

§. 3. Ipsosque Assistentes finito eorum officio hujusmodi ad suas Provincias redire teneri; & ad id per modernum, & pro tempore existentem dicti Ordinis Priorem Generalem opportunis Juris, & facti remediis cogendos.

Clausulas præservativas ponit.

§. 4. Præsentes vero literas, omniaque & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, & firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiter observari.

Aliter judicandi facultatem tollit.

§. 5 Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus & declaramus.

Contraria removet.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis literis Apostolicis super concessione privilegiorum, gratiarum, & indultorum hujusmodi expeditis literis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plené, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 25. Novembris 1626. Pontificatus nostri anno quarto.

LXIX.

Confirmatio, & Innovatio Constitutionis Pii Papæ V. contra Monetarios, ejusdemque ad quascumque personas Ecclesiasticas sæculares, ac cujusque Ordinis, necnon etiam Militiarum Regulares ampliatio, & extensio.

Pii V. Constitutio, quam Pont. hic innovat, ac extendit, est sup. num. III. *Cum nil magis tom.* 2.

Edita A.D. 1627.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN suprema Pastorali specula meritis licet imparibus à Domino constituti, ut noxia ab ejus Grege arcentes, ejusdem salutari regimini prospiciamus, non sine magno animi mœrore videmus eo nostri temporis iniquitates progressas, ut iis, quibus onus incumberet pacem evangelizandi, & caritate proximum prosequendi, suæ vocationis immemores, à cupiditatum vortice abrepti, adulterinæ monetæ crimen perpetrare, sive perpetrantibus opem præstare non erubescant, nec reformident. Quare prædecessorum nostrorum constitutiones desuper editas innovantes, extendentes, & ampliantes hujusmodi perditorum hominum, quos suæ existimationis consideratio in officio non continent, condigna pœnarum severitate temerarios, & nefarios ausus intendimus cœrcere.

Pius V. edidit Constit. contra monetarios judicatam in Rub.

§. 1. Cum itaque felic. record. Pius Papa V. prædecessor noster attendens, quòd licet monetarum aurearum tonsoribus de jure ultimi supplicii esset inflicta pœna, argenteas tamen Monetas tondentibus satis minor erat imposita omnes eos, qui argenteas tonderent, ultimi supplicii, & eadem, qua aurearum tonsores eatenus puniti fuerant, & de jure puniri debeant, pœna puniendos esse statuerit, prout in cedula Motus proprii manu ejusdem Pii prædecessoris subscripta plenius continetur.

Eam iste Pontifex approbat. & innovat.

§. 2. Nos Motu proprio, ac ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione, statutum, voluntatem, & mandatum Pii prædecessoris præfati tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus.

Et ad omnes Personas Eccles. sæculares, aut Regulares in Italia existentes ampliat.

§. 3. Ac ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tam sæculares, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam de necessitate exprimendi, necnon Militiarum quarumcumque etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani regulares non solùm in Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè nobis, & Sedi Apostolicæ subjecto, sed etiam in omnibus, & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, & locis in Italia dumtaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendimus, & ampliamus.

Ita delinquentes prævia degradatione Curiæ seculari tradi jubet.

§. 4. Volentes, ut culpabiles in præmissis reperti, prævia degradatione Curiæ sæculari puniendi tradantur.

Materiam, seu opem ad præmissa præstantibus pœnas imponit.

§. 5. Pecunias verò sic, ut præfertur, adulteratas scienter detinentibus, seu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, instrumenta, sive opem ad præmissa præstantibus pœnam terminum per decennium imponimus.

Judices hujusmodi causarum deputat.

§. 6. Et cognitionem causarum hujusmodi, quoad personas Ecclesiasticas præfatas tàm sæculares, quàm regulares in Provinciis nobis, & Sedi præfatæ subjectis, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in eisdem Provinciis de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore existentes, in aliis verò omnibus, & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tàm sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cujusvis alterius Principis ditione, in Italia tantum comprehensis, privativè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum spectare etiam volumus. Mandantes propterea Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, singulis videlicet in suis Civitatibus, & Diœcesibus, & quoad loca intra fines alicujus Diœcesis, non tamen de Diœcesis existentia, ipsarum Diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo verò ad ea, quæ extra fines alicujus Diœcesis consistunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, quatenus ad instantiam cujusvis fisci, vel etiam cujusvis denunciatoris causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam avocatione à quibusvis aliis, in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus juris, & facti remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.

Cognitionem hujusmodi causarum impedientibus pœnas infligit.

§. 7. Inhibentes insuper tàm Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & Locorum Regularium Societatum, & institutorum, ac etiam Hospitalis præfatorum Superioribus, Conventibus, & Fratribus quantumvis

exemptis, ne sub privationis beneficiorum, & officiorum per eos respective obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, necnon excomunicationis latę sententię eo ipso incurrendis pœnis Legatos, & Prolegatos, ac Ordinarios locorum, ut Pręfertur procedentes, quoquomodo impedire, molestare, aut perturbare audeant, vel pręsumant, ac etiam mandantes, ut quoties ad id fuerint requisiti, religiosos ipsos, etiamsi Superiores alicujus loci regularis actu fuerint, ipsis Legatis, Prolegatis, & Ordinariis, vel aliis, quibus iidem Legati, & Ordinarii mandaverint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

Ita judicari decernit.

§. 8. Sicque & non aliter in pręmissis per quoscumque Judices ordinarios, delegatos, & Commissarios, & etiam Cameræ pręfatæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generales Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium judicari, & definiri, ac interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quidquid super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contraria removet.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, Regnorum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam Sancti Joannis præfatorum, & aliorum Religiosorum, ac piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis eisdem Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis etiam S. Joannis, ut præfertur, & aliis Religiosis, & piis locis, Universitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam pluries, & iteratis vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio in Urbe omnes in Italia existentes afficiat.

§. 10. Volumus autem, quod pręsentes in valvis Ecclesiæ Lateraneñ & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint post duos menses à die publicationis hujusmodi computandos, quoscumque tam in Statu nostro, quàm extra eum ubique locorum; in Italia tamen existentes, perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

Exemplorum fides.

§. 11. Quodque earum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ iisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Decretum pœnale.

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innovationis, extensionis, ampliationis, impositionis, voluntatum, derogationis, mandatorum, & decreti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

D. P. A. 5. die 1. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXVII. Idus Novembris Pont. Nostri anno Quarto.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JEsu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima die verò vigesima octava mensis Januarii, Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. Anno ejus Quinto retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquot temporis spatium appensis, & deinde amotis, ut moris est, per nos Augustinum de Bolis Romanum, & Brandimartem Latinum Apostolicos Cursores.

Matthias Spada Magister.

LXX.

Mandat Priorem, pro tempore, Monasterii Abbatiæ nuncupati S. Gregorii de Urbe Congregationis Camalduleñ, censeri etiam Procuratorem Generalem ipsius Congregationis.

De his Eremitis Camaldulen. quamplura sancivit Leo X. Constit. 2. to. 1. pro bono regimine eorumdem.

Edita A. D. 1626.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

FElici, ac prospero Monasterii Abbatiæ nuncupati S. Gregorii de Urbe Congregationis Camalduleñ, quod dilectus Filius noster Scipio tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burghesius nuncupatus in commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensatione Apostolica obtinet, quantum cum Domino possumus consulere volentes.

Declaratio de qua in Rubrica.

§. 1. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine officium Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis Priori dicti Monasterii, itaut statim atque quis in Monasterii hujusmodi Priorem eligetur, etiam Procurator Generalis ipsius Congregationis electus censeatur, & è converso tenore pręsentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, volumusque ut unio, annexio, & incorporatio hujusmodi cum primum pręsentis Procuratoris Generalis, cui nullatenus præjudicare intendimus, officium cessaverit effectum sortiantur, utque pro alimentis, vel aliis sumptibus Abbatis Generalis, vel Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis, qui idem non sit Prior dicti Monasterii ex redditibus, vel proventibus ad Ecclesiam, seu Monasterium S. Gregorii quomodocumque pertinentibus de cætero nil prorsus detrahi, aut insumi possit.

Eximit Monasterium quibuscumque taxis.

§. 2. Præterea Monasterium ipsum, seu illius Priorem ab omnibus, & quibuscumque taxis, seu contributionibus, tàm à Capitulo Generali, quàm ab ipso Priore Generali, seu quibusvis aliis Superioribus dictæ Congregationis quamcumque ob causam impositis, vel imponeñ auctoritate, & tenore prædictis totaliter eximimus, & liberamus.

§. 3 Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus

Contrariis derogat.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D.P.An. 4. die 9. Dec.

Dat Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Decembris 1626. Pontificatus Nostri Anno quarto.

LXXI.

Declarat Monachos Monasterii Ripolenñ Ordinis S. Benedicti teneri ad recit añ Officium B. M. Virginis, & Defunctorum quoditie, juxta veterem consuetudinem.

Monachi Cassinenses Horas Canonicas in Choro recitare tenentur. Paul. V. Const. 33. tom. 3. Horum Monachorum materiam vide ad Constit. 1. Julii II. tom. 1.

Edit. A.D. 1627

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Abbas Monasterii Ripolensis Ordinis Sancti Benedicti in Principatu Cathaloniæ nobis nuper exponi fecit Monachi d. Ordinis acceptato novo Breviario Monastico, seu etiam Romano veterem consuetudinem recitandi quotidie Officium B. Mariæ Virginis, & Defunctorum intermiserint, & ad recitationem hujusmodi se minimè teneri prætendant, proindeque per nos desuper de opportunæ declarationis remedio provideri desideret.

Declarat. prout in Rubr.

§. 1. Nos ejusdem Abbatis votis hujusmodi annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, Monachos prędictos etiam post acceptatum novum Breviarium Monasticum, sive etiam Romanum hujusmodi, ad recitandum quotidie Officium B. Mariæ Virginis, & Defunctorum, ut pręfertur, juxta veterem consuetudinem omninò teneri, & obligatos existere, atque ita ab omnibus censeri, & ab ipsis Monachis observari debere, necnon irritũ, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Derogat. contrariis.

§. 2. In contrarium facieñ non obstantibus quibuscumque.

Dat.P.A. 4. 2. Jan.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die secunda Januarii 1627. Pontificatus nostri Anno quarto.

LXXII.

Excommunicatio, & anathematizatio Hæreticorum cujuscumque Sectæ, eisque faventium, auxilium, aut consilium quoquomodo pręstantium, ac Schismaticorum, vel libertatem Ecclesiasticam perturbantium, aut his, quæ in ista Bulla in die Cœnæ Domini legi solita continentur, contravenientium.

De materiis in hujusmodi Bullæ Cœnæ Domini contentis plenissime habes ad Constitutionem 63. Pauli V. sup. tom. 3.

Edita A.D. 1627.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

De onere Romanorum Pontificum suorum prædecessorum

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquilitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda maximè elucet: Nimirùm, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & comunione lędant, aut inter se alter alteri offensionem prębeat, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo Capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices pręedecessores nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam, Deo auctore, tueri vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

& causas hic enunciat iste Pontifex.

Excommunicat omnes hæreticos quocumque nomine censeantur eorumque fautores, &c. & illorum libros legentes, tenentes, aut imprimentes, schismaticos &c.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quoscumque Hussitas, Uvichlephistas, Luteranos, Zvinlianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, & cujuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorumq; receptatores, fautores & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hęresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publicè, & occultè quovis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Appellantes à Pontificium mandatis, ad futurum Concilium

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint. Universitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

Piratas & latrunculos maritimos eorum que receptores, &c.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, & Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, pręcipuè à Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Surripientes Christianorum bona naufragium passa, proje ✝ave in litore inventa.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque navibus tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquomodo naufragium passis sivè in ipsis navibus, sivè ex eisdem electa in mari, vel in littore inventa, cujuscumque generis bona, tàm in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quam in cæteris cujusque maris Regionibus, & litoribus surripuerint, ita ut nec ob quodcumque Privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque pręetextum excusari possint.

Gabellas, seu nova pedagia imponentes, vel augentes.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas præterquam in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

Falsarios literarum Apostolicarum, ac sup

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gra-

plicationum ab habente auctoritatem signatarum

tiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarios, seù gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signaturam, necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes Supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Transmittentes, vel deferentes arma, vel alia apta bellico usui, ad Turcas, & alios Christianorum inimicos, ac eos, qui de rebus Christianæ Reipub. statum concernentibus ipsos certiores faciunt.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera atque bellica instrummenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicę concernentibus in Christianorum perviciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet pręstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis, per nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Perturbantes, aut invadentes eos, qui victualia, & alia similia necessaria Romam adducunt.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadantes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam, si Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Lædentes eos, qui veniunt ad Sedem Apost. vel ab ea recedunt. & Judices sine jurisd. vexantes in Curia commorantes.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui jurisdictionem, ordinariam, vel delegatam, à nobis, vel nostris Judicibus non habentes, illam sibi temerè vindicantes, similia, contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

Romipetas, & peregrinos etiam in Urbe morantes vel ab ea recedentes lædentur.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos, à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes ad Romanam Curiam venientes pro suis negotiis expediendis, negotiorumque gestores.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis, deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Appellantes à gravamine, seu futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ad Cur. secul.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares, cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, tàm gratiam, quàm justitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionū, sequestrorum, monitoriorum, processuum, exequutorialium, & aliorum decretorum, à nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatii nostri, & Cam. Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prędicta, capi, & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi literarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores, literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu Tabelliones, vel alia quomodolibet retinere præsumunt.

Impedientes executionem lit Apost. vel aliarum ex peditionum, & alias causas à judicibus Ecclesiast. avocantes, seu cursum earum impedientes aut se in illis ut judices interponentes.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, & audientiam ac Personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt; Quive partes actrices, que illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi per statutum, vel alias compellunt vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarun prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi corā nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia cōmittentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice Cancellarii, Con

filiarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

Judices sęculares trahentes per sonasEcclesiasticas ad sua Tribunalia, vel alios Ecclesiasticam libertatem quomodo libet lędentes, aut deprimentes.

§. 15. Quive ex eorum prętenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum pręter Juris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quęvis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam pretextu cujusvis consuetudinis; aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur; aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præjudicatur.

Impedientes quos cumq; Prę latos ne sua jurisdictione utantur, ac fori Ecclesiastici judicia eludentes ad Curiam sęcularem recurrentes contra illos exequi procurant, necnon qui ea decernunt.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines, act aliàs impediunt, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundùm quòd Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & pręsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, et decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sęculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Auxilium pręst. usurpantes Sedis Ap. vel Ecclesia. jurisdictiones, seu fructus

§. 17. Quivè jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sivè Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

Imponentes Decimas, vel alia onera personisEccles. ac eorum Ecclesiarum, seu Monasteriorum bonis.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, pręstantias, et alia onera clericis, præfatis, et aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, et concedentibus, recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè pręedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status; etiam si Imperiali, aut Regali pręfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, et alii Potentatus quicumque etiam Regnis, Provinciis, et Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros Canones, tàm in Lateranensi novissimè celebrato, quàm Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Officiales sęculares se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, et quoscumque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiam si talia comittentes fuerint Consiliarii, Senatores, Pręsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati

Occupantes, & invadentes S.R.E. Terras & aliasjurisdi nionem su premam usurpantes.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, ac detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletañ, Comitatum Venaysinum, Sabineñ. Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebarię Romandiolę, Campaniæ, & maritimasProvincias, illarumque Terras, & Loca, ac Terras specialis commissionis Arnulphorum, Civitatesque nostras Bononiam, Cœsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avinionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecta, necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet spectantes.

Hac Const. quousque liget,

§. 21. Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcumque his literis contenta, quousque alii hujusmodi processus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, au publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.

Absolutio ab hujusmodi casibus pręter mortisuc articulum Papæ reservatus

§. 22. Cœterum à prędictis sententiis nullus per alium, quàm per RomanumPontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione prę stita, absolvi possit etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque Ecclesiasticis, sęcularibus, & quorumvisOrdinum, etiamMendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate prędititis ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

Aliorum absolveret præsumentium pœnę statuuntur.

§. 23. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto pręsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Papa absolutionem non comprehendere eos, qui à præmissis destitere non promiserint declarat.

§. 24. Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum verò proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitu-

tiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedis Apostolicæ, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecumque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscumque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate: vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis à prędicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis etiam continentibus, quòd excõmunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includatur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omissio, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis in Urbe effectus.

§. 26. Ut verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesiæ S. Jo. Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ij, quos processus hujusmodi concernunt, quòd ad ipsos non pervenerint, aut quòd ipsos ignoraverint, nullã possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quòd tam patenter omnibus publicatur.

Preceptum etiam alibi publicandi hanc Const.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, & presentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, vel alios pręsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Audientes Confessiones habeant apud se has literas.

§. 28. Cęterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

Transumptorum fides.

§. 29. Volentes earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Decretum pœnale.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Da P. An. 3. die 23. Ap.

LXXIII.

Nova erectio Collegii in Civitate Pragensi Regni Bohemiæ Mettropoli, in quo Scholares Germanicæ Nationis sustentandi, & Sacra Theologia, cæterisque liberalibus disciplinis imbuendi sunt ac reddituum attributio; Indultorumque concessio, & communicatio.

Instituisse olim istud Collegium Greg. XIII. scias, & de super Apostolicas literas expeditas non fuisse probabile est, prout narratur hic in §§. 2. & 3. Et parum etiam hujusmodi Collegium processisse, ob quas causas S. D. N. Urban. VIII. de novo illud ex integro erigit.

Unum Collegium pro Adolescentibus ex Illyricis Provinciis in Civitate Lauretana sumptibus Sacrosanctæ Domus alendis, & ut supra imbuendis fundaverat hic idem Pont. ut in Constitut. 64. Zelo Domus Dei, hic sup. Et deinde alia quo pro Scholaribus pariter Germanicæ Nationis erexit. Unum in Civitate Viennensi, ut in Constit. seq. Et aliud in oppido Fuldensi, ut infra Const. 96. Quoniam.

Edita A.D. 1627.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QUoniam divinæ bonitati visum est, humilitatem nostram turbulentissimis Christianæ Reipublicæ temporibus ad universalis Ecclesiæ regimen vocare, ex eo tempore Nos ejusdem adjuvante gratia, ea potissimum, sicut officii nostri ratio postulat, cogitare, & agere non destitimus, quæ ad divinum ubique cultum propagandum, & Ecclesiasticam disciplinam restaurandam, & augendam, animarumque salutem procurandam cognovimus pertinere.

Motiva hujus Const.

§. 1. In primis verò animo recolentes amplissimum Bohemiæ Regnum, quod superioribus seculis inter cæteras Germanicæ Nationis laudes, atque virtutes tanto sinceræ fidei, & Christianæ religionis cultu eminere solebat, ut reliquis Christianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori esset, nunc tot tantisque in eo instinctu Satanæ excitatis de Religione dissidiis ita miserandum in modum afflictum, & deformatum esse, ut nemo vel mediocri pietate prędituus sine lacrymis tam gravem animarum jacturam recordari, nedum intueri, queat, curam suscepimus, ut quibusvis possimus modis, nullis laboribus, nullisque sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus.

Gregor. XIII. hoc Collegium instituit.

§. 2. Ac proinde considerantes fel. rec. Gregorium Papam XIII. Prędecessorem nostrum, optimo quidem consilio Collegium in Civitate Pragẽ dicti Regni Metropoli Quadraginta alendorum, ac Latinis literis, Logica, Physica, aliisque liberalibus disciplinis, ac sacra demum Theologia, necnon piis, & Christiano nomine dignis mo-

ribus

ribus instituendorum Germanicæ Nationis puerorum causa eidem Collegio mille quingentorum triginta Talerorum Imperialium summa assignata, quàm de præsenti Camera nostra Apostolica persolvit aliàs Apostolica Auctoritate erexisse, & instituisse, ut ij non per se solum boni, doctique evaderent, sed habendis concionibus ac disputationibus, repellendis hæresibus, fideique orthodoxæ veritati dilucidandæ, ac præterea exercendæ animarum curæ, alisque piis, & sanctis operibus apti, & idonei essent, & quàm maximum in Ecclesia Dei fructum ex se proferrent.

Sed parum profuit ob rerum difficultates.

§. 3. Id tamen ejus cœptum atque conatum, tum propter obitum ipsius, tum ob varias, quæ postea sequutæ sunt, temporum & rerum difficultates, parum processisse, imò nec litteras Apostolicas super hujusmodi erectione, & institutione expeditas fuisse verisimiliter credendum esse, cum factis plurimis tàm in Romana Curia, quàm in dicta Civitate Pragen. diligentiis, tales literæ reperiri non potuerint.

Iterum erigit Pont. Collegium 20. Alumn.

§. 4. Nos ad opus hoc propagationi fidei utilissimum præsertim hoc tem pore, quo Regnum Bohemiæ summa operariorum Catholicorum inopia laborat, totis viribus, prout ex susceptę servitutis officio tenemur, promovendum, animum, & mentem nostram convertentes, ac cœptum, conatum dicti Gregorii Prædecessoris, quantum in nobis est, renovare intendentes, maturè desuper cum Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide Pręfectis habito consilio, Motu proprio, non ad alicujus nobis desuper oblatę petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque liberalitate nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine ad Dei omnipotentis laudem sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, pręcipuamque Germanicę Nationis salutem, & commodum in dicta Civitate Pragen. rursus Collegium præfatum, Pragense appellandum, in quo posthac non minus quàm viginti Alumni, videlicet ex Bohemia octo, ex Silesia tres, ex Lusatia duo, ex utroque Palatinatu etiam duo, ex Brandeburgica Marchia similiter duo, & ex ambabus Saxoniis alii pariter duo, ex Hassia vero unus colligendi, dictis scientiis, & disciplinis, necnon Sacris Canonibus institui, atque erudiri, etsi contigerit ex Silesia, Lusatia, utroque Palatinatu, ex Brandeburgica, Hassia, & utraque Saxonia Alumnos haberi non posse, tunc & eo casu, post factas à Rectore dicti Collegii, & demum à dilecto filio moderno, & pro tempore existente nosto, & Sedis Apostolicæ Nuncio apud charissimũ in Christo filium nostrum modernum, & pro tempore etiam existentem Romanorum Regem Imperatorem electum commorante diligentias, Alumni Bohemi in locum eorum assumi debeant, Apostolica auctoritate præfata, tenore pręsentium de novo ex integro perpetuò erigimus, & instituimus.

Pro personarum sustentatione 1530. Taleros Imperiales annuos attribuit.

§. 5. Illique sic erecto, & instituto, pro congrua ejus dote, ac Alumnorum præfatorum, & illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, redditus annuos mille quingentorum triginta Talerorum hujusmodi ex Cameræ Apostolicæ pecuniis: quot annis sumendos, & numerandos distributa in trimestres singulos pro rata solutione, quoad de totidem redditũum summa in bonis stabilibus eidem Collegio à Nobis, vel successoribus nostris fuerit provisum, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & attribuimus.

Ac regimini & institutio. In Presbyterorum Soc. JEsu submittit.

§. 6. Cæterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis JEsu in hoc educandorum, instituendorumque adolescentium munere diligentia, fides, integritas, & in aliis hujusmodi Collegiis, in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta, idem Collegium, atque Scholares illius ipsorum, sicut prius fuit, regimini institutioni, doctrinæ, atque prudentiæ eadem auctoritate etiam perpetuò subjicimus, atque submittimus.

Protectores dicti Collegii creat. Card. de prop. Fide Præfectos pro tempore existentes, qui in vice protectorem, Archiepisc. Prag. constituant.

§. 7. Prętęrea, ut ejusdem Collegii conservationi, bonoque regimini, tàm in his, quæ ad Scholarium institutionem, & disciplinam, quàm quę ad victum, & vestitum, aliaque hujusmodi necessaria pertinen, opportuniùs consulatur, & promptum eis, paratumque auxilium sit, dictos S. R. E. Cardinales Sacræ Congregationi pręfatæ Pręfectus nunc & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, & Defensores, qui in Viceprotectorem illius Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Pragen similiter nunc & pro tempore existentem, ita tamen ut in gravioribus nihil pręcipere, aut mandare, vel facere valeat sine consilio, & consensu Nuncii pręfati, quibus aliquid eorum, quę in hac fundatione, vel in Regulis à Congregatione pręfata approbatis continentur, immutare minimè licebit absque ejusdem, Congregationis, vel Romani Pontificis expressa licentia, deputare possint & valeant, eadem auctoritate constituimus, & creamus.

Protector. ac vice protectori præ dictis facultates dat.

§. 8. Illisque ac Viceprotectori præfato pro salubri illius conservatione, Alumnorum bonorum & rerum, ac jurium temporalium, & spiritualium ejusdem Oeconomos, Advocatos, Procuratores in eo deputandi, & amovendi, & alios eorum loco substituendi, differentias, lites, & controversias inter quascumque personas tàm Alumnorum, quàm ministrantium Clericorum, & Laicorum non tamen Pręsbyterorum ipsius Societatis exortas summariè, simpliciter, & de plano sine figura, aut strepitu judicii, appellatione quacumque remota, decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, statutaque & ordinationes disciplinam Scholasticorum, & Studia Alumnorum præfatorum concernentia, æqua tamen, & honesta, sacrisque Ca nonibus, & Concilii Tridentini decretis non repugnantia, faciendi, & condendi, eaque cum opus fuerit, revocandi, immutandi, & corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ postquam facta, edita, revocata, im mutata, & correcta fuerint, perinde habeantur, & observentur, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata essent, prout illa ab omnibus dicti Collegii Alumnis ita haberi, & inviolabiliter observari mandamus, plenam & liberam auctoritate, & tenore præmissis, concedimus facultatem.

Modum, & formam recipiendorum in ipso Collegio præscribit.

§. 9. Quod autem ad dictorum Alumnorum admissionis modum, & formam deinceps habendam attinet. Rectorem presbyterum dicti Collegii pro tempore existentem librum habere, in quo notentur nomina, & cognomina, ac patriæ, & parentes Alumnorum, qui recipientur in dicto Collegio, & ex eo dimittentur, ex dictoque libro singulis annis catalogum eorum, qui recepti, & qui dimissi fuerint cum die, & mense ingressus, & egressus illorum ad Nuncium præfatum transmittere, ut ipse Nuncius illum dictæ Congregationi transmittere possit. Quod si ex aliqua peculiari causa dimitti contigerit, eam etiam in dicto Catologo exprimi; insigniores verò Alumnorum præfatorum actiones in eodem libro annotare, easque suo tempore eidem Nuncio significare, ut pariter de illis eamdem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes per eandem Congregationem deferri volumus, ut cum occasio tulerit, præmio cohonestentur.

Aliaque circa administrationem bonorum temporalium servanda statuit.

§. 10. Ac denique alium librum, in quo dati, & accepti rationes diligentissimè descriptæ sint, illæque singulis annis ad minus eidem Nuntio reddantur, & in ejus manibus relinquatur folium, vulgò Bilancium nuncupatum, in quo provisio Collegii, & alia quæ ipsius Collegii, vel Alumnorum ratione acceperit, & ea, quæ illo anno pro

ipsius

ipsius Collegii, & Alumnorum sustentatione impenderit, notata existant, ut similiter ab eodem Nuncio ad Urbem mitti possit, etiam habere. Si quod autem de tota summa Pensionis Pontificiæ, redditis rationibus, supererit, id vel in aliis Alumnis evocandis, vel in necessariis libris emendis, vel in vestiendis Alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in aliis Collegii necessitatibus arbitrio Nuncii, & Archiepiscopi Pragen̄ præfatorum impendi debere, eadem auctoritate statuimus, & ordinamus.

Privilegia Alumnis elargitur, & præcipuè in Sacris Ordin. suscipiendis.

§. 11. Ut verò hujus Collegii Alumni post longos studiorum vel cœptorum, vel consummatorum labores expeditiores, & alacriores ad succurrendum Patriæ necessitatibus reddantur, eisdem Alumnis, ut cum solis literis testimonialibus dicti Collegii Rectoris pro tempore existentis Archiepiscopo Pragen̄ offerendis, ab eoque subscribendis, ac ejus sigillo muniendis, nisi fortè Alumni præfati suos Ordinarios habuerint, à quibus dimissorias à Concilio Tridentino ordinatas habere possint, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines sine aliquo beneficii, vel patrimonii titulo, etiam extra tempora ad id a jure statuta, & intra annum, annique curriculo non expectato, minusque servatis ad id a Concilio Tridentino præfato designato interstitiis (dummodò ad id aliàs reperiantur idonei) promoveri, & postquam promoti fuerint, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, ac etiam tàm ipsi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, ut Pœnitentiæ, & Eucharistiæ etiam die Paschatis, & Extremæ Unctionis Sacramenta à Confessario, aut alio Sacerdote ipsius Collegii à dicto Rectore constituendo suscipere liberè, & licite valeant, auctoritate, & tenore præmissis de speciali gratia indulgemus.

Episcopus ... is partibus existentes hortatur, ut in conferentis beneficiis ... s Alumnos aliis præferant.

§. 12. Verum, ut, quantum fieri poterit, dictorum Alumnorum paupertati, & necessitati succurratur, Archiepiscopos, Episcopos, & alios antedictarum Provinciarum beneficiorum Collatores, & Collatrices serio requirimus, & monemus, ut in illis conferendis, & præsertim si beneficia hujusmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, Alumnos præfatos aliis omnibus cœteris paribus præferant; Nuncios quoque Sedis Apostolicæ, aliosque Prælatos supradictarum Provinciarum, in quorum Diœcesi Alumni præfati extiterint, similiter monemus, & hortamur, ut in occurrentibus beneficiorum, & præsertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio, provisio, vel dispositio quoquomodo ad Sedem Apostolicam pertinuerit, de illis alumnis antedictis pauperioribus præcipuèque nostra Pontificia gratia dignis nos, Successoresque nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes certiores faciant, ut munificentiam nostram erga illos, prout tempus, vel occasio tulerit, exercere possimus. Et generaliter in Dignitatibus, Personatibus, Canonicatibus, & Præbendis Parochialibus, Ecclesiis, & aliis beneficiis per collationem, vel electionem in Alumnorum Patriis providendis, aliis omnibus cæteris paribus tam in Romana Curia, quam in Ecclesiis suis originalibus præferri volumus, & decernimus.

Collegio & ejus personis communicat privilegia studii generalis Urbis. Hæc privilegia lege Constit. 9. Bonif. 8. to. 1. pag. 100.

§. 13. Atque insuper eisdem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, omnia & quæcumque privilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus Studium Generale Almæ Urbis nostræ, & illius Rectores, Doctoresque & in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quibusque Collegium, & Scholares, ac Rectores, & Gubernatores hujusmodi non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter uti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia eisdem auctoritate, & tenore communicavimus.

Indulgentias quoque concedit.

§. 14. Ut vero temporalibus commodis spiritualia munera quoque conjungamus, quibus fidelium devotio, & merita crescere magis, & augeri possint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis Scholaribus, Rectoribus, & Ministris, qui in idem Collegiū recepti fuerint in ipso ingressu, & deinde in exitu siquidem confessi, & contriti Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, atque etiam si in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Statuta à Congre. de Prop. fide pro regimine Collegii edita approbat, & observari mandat.

§. 15. Postremò quascumque Regulas, & Constitutiones ad ejusdem Collegii, illiusque personarum rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & administrationem, ac Alumnorum præfatorum receptionem, admissionem, victum, amictum, instructionem, disciplinam, & alia quomodolibet pertinentia à dicta Sacra de propaganda Fide Congregatione die nona Novembris millesimi sexcentesimi vigesimi sexti edita etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, illasque ab omnibus inviolabiter observari volumus & mandamus.

Clausulas præservativas addit.

§. 16. Decernentes præmissa omnia, & singula, ac præsentes nullo unquam tempore ex quibusvis causis subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seù etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci posse, nec quemquam ad easdem præsentes in Camera Apostolica, juxta Constitutionem piæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri desuper editam, aut alias quandocumque præsentandum, insinuandum, & registrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas esse, sed omni modo valere, ac si Constitutio præfata, & alia contraria minimè emanassent.

Aliter judicanda, seu definienda irritat.

§. 17. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, Vicecamerarium, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac alios ejusdem S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores hujus Con. deputat.

§. 18. Quocirca venerabili Fratri Archiepiscopo Pragen̄, & Nuncio præfato, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori Motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seù alios præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Alumnorum Collegii hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac Rectorem, & Alumnos hujusmodi illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas servata forma ejusdem Concilii Tridentini etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contraria abrogat.

§. 19. Non obstantibus nostra de gratiis ad instar non concedendis, ac præfata Gregorii prædecessoris

cessoris hujusmodi quatenus opus sit,& quatenus reperiretur,ac quibusvis aliis constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus,Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus, Collegiis eorumque Rectoribus,& personis etiam sub quibusvis verborum tenoribus,& formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis,necnon irritantibus,& aliis decretis in genere, vel in specie,etiamMotu,scientia & potestatis plenitudine similibus, & alias quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis,& innovatis;Quibus omnibus,etiamsi de illis,eorumque totis tenoribus pro eorum sufficienti derogatione specialis,specifica,& expressa,ac individua,& de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret,tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè,& sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris,hac vice dumtaxat specialiter,& expressè harum serié derogamus contrariis quibuscumque. Aut si quibus communiter,aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel ex communicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo, ad verbū de indulto hujusmodi mentionē.

Transumptis credi mandat.

§. 20. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis,manu Notarii publici subscriptis, & sigillo communi dicti Collegii, aut alicujus Curiæ Ecclesiasticæ,seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio,& extra,ac aliàs ubicumque opus fuerit,habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ,vel ostensæ.

Sanctionem pœnalem superaddit.

§. 21. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis,attributionis,subjectionis,submissionis, constitutionis, creationis,statuti,ordinationis,indulti,communicationis, concessionum elargitionis, approbationis, confirmationis,decretorum,mandatorum,derogationis & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,indignationem Omnipotentis Dei,ac BeatorumPetri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D.P.An. 3. die 18.Jun.

Datum Romæ apud SanctamMariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo,Kal. Junii,Pontificatus nostri Anno quarto.

LXXIV. Nova Institutio Collegii in Civitate Viennæ Austriæ pro Scholaribus Germanicæ Nationis ibi in liberalibus disciplinis,Sacra Theologia,& piis moribus instruendis,cum proventuum assignatione; Privilegiorum concessione,& Communione.

Viennense Collegium institutum fuit à Greg. XIII. Cujus institutionis Bullam cum verisimiliter credendum sit,non fuisse expeditam, & ob varias temporum, ac rerum causas prædictum Collegium parum processerit, hic Summus Pontifex iterum illud fundat,& erigit.

Alia Collegia à Sanctiss. D.N. Urbano VIII. instituta, seu restituta, & ad Propagationem Catholicæ fidei utilissima,lege adConstit. præcedentem notata, quæ hic repetere,otio non careret.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1627.

Prœmium.

QUoniam divinæ bonitati visum est, humilitatem nostram turbulentissimis Christianæ Reipublicæ temporibus ad universalisEcclesiæregimen vocare,ex eo tempore Nos ejusdem adjuvante gratia, ea cogitare, &agere non destituimus, quæ,sicut officia nostri ratio postulat,ad divinū ubique cultum propagandum,& Ecclesiasticam disciplinam restaurandam,& augendam,animarumque salutem procurandam maximè cognovimus pertinere.

Causa istius erectionis.

§. 1. In primis verò animo recolentes amplissimam GermaniæProvinciam,quæSuperioribus seculis inter fortissimæ ipsius Nationis laudes,atque virtutes, tantò sinceræ fidei, & Christianæ Religionis cultu eminere solebat,ut reliquis Christianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo,quam ornamento,atque decori esset; nunc tot, tantisque in ea instinctu satanæ excitatis de Religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictam,& deformatam esse,ut nemo vel mediocri pietate prędi tus sine lachrymis tam gravem animarum jacturam recordari,nedum intueri queat:eam præcipuè curam suscepimus,ut quibusvis possimus modis,nullis laboribus, nullisve sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus, ac provide considerantes fel.rec. Gregorium Papam XIII. Prædecessorem nostrum, optimo quidem consilio Collegium in Civitate Vienneñ Austriæ quadraginta alendorum, ac Latinis litteris Logica, Physica, aliisque liberalibus disciplinis,ac sacra demumTheologia,nec non piis,& Christiano nomine dignis moribus instituendorumGermanicæ nationis puerorum causa eidem Collegio mille trecentorum octuaginta scutorum monetæ summa assignata,quam de præsenti Camera nostraApostolica solvit,aliasApostolica auctoritate erexisse, & instituisse,ut ij non per se solū boni, doctique evaderent, sed habendis concionibus, & disputationibus,repellendis hæresibus,fideique orthodoxæ veritati dilucidandæ,ac præterea exercendæ animarum curæ, aliisque piis,& sanctis operibus apti,& idonei essent,& quam maximum in EcclesiaDei fructum ex se proferrent,tamē id ejus cœptum,atque conatum, tum per obitum ipsius, tum ob varias, quæ postea sequutæ sunt, temporum & rerum difficultates parum processisse,immò nec litteras Apostolicas super hujusmodi erectione, & institutione expeditas esse verisimiliter credendum sit cum factis plurimis tàm in Romana Curia, quàm in dicta Civitate Vienneñ diligentiis, literæ Apostolicę super hujusmodi erectione non potuerunt reperiri expeditæ.

Erectio,& institutio Colleg. Vienneñ de quo in rubrica.

§. 2. Nos ad opus hoc propagationi fidei utilissimum,præsertim hoc tempore,quoGermania summa operariorum Catholicorum inopia laborat,totis viribus,prout ex susceptæ servitutis officio tenemur promovendum animum, & mentem nostram convertentes,ac cœptum,& conatum dictiGregoriiPrędecessoris renovare intendentes, maturo de super cum venerabilibus fratribus nostrisSanctę Romanæ Ecclesiæ CardinalibusCongregationi de PropagandaFide præfectis habito consilio,Motu proprio,non ad alicujus nobis desuper oblatę petitionis instantiam,sed ex certa scientia,meraque liberalitate nostris, ac deApostolicę potestatis plenitudine,ad Dei Omnipotentis laudem,sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, pręcipuamque Germanicæ nationis salutem,& commodum in dicta CivitateVienneñ rursus Collegium ipsum Viennense appellandum, in quo post hac non minus quàm viginti Alumni, videlicet ex ambabus Austriis quatuordecim septem, scilicet ex Superiori, & septem ex inferiori Austria, duo ex Vallesia, duo ex Rhetia,& duoBernenses colligendi, etsi contigerit exVallesia,Rhetia,& BernaAlumnos haberi non posse,tunc & eo casu post factas àRectore dicti Collegii, & demum à dicto filio moderno, & pro tempore existente nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio apud charissimum in Christo filium nostrum modernum, & pro tempore etiam existentem Romanorum Regem in Imperatorem

electum

erectum commorante diligentias, Alumni Austriaci in locum eorum assumi debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium de novo ex integro perpetuò erigimus, & instituimus.

Dotis assignatio d. Collegii 1380. scutorum monetæ annuorum.

§. 3. Illique sic erecto, & instituto pro congrua ejus dote, ac Alumnorum præfatorum, & illis inservientium personarum sustentatione, onerum que illis incumbentium supportatione redditus annuos mille trecentorum octoginta scutorum monetæ hujusmodi ex Cameræ Apostolicæ pecuniis quotannis sumendos, distributa in trimestres singulos pro rata solutione, quoad de totidem redditum summa in bonis stabilibus eiden Collegio à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus fuerit provisum, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & attribuimus.

Ejusdem Collegii regiminis, & institutionis demandatio Presb. Soc. JEsu.

§. 4. Cæterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis JEsu in hoc educandorum, instituendorumque Alumnorum munere diligentia, fides, & integritas, & in aliis hujusmodi Collegiis, & in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta, idem Collegium, atque Scholares illius Presbyterorum, sicut adhuc fuit, regimini institutioni, doctrinæ, atque prudentiæ eadem auctoritate etiam perpetuò subjicimus, atque submittimus.

Protectorum & vice protectoris Collegii deputatio.

§. 5. Præterea, ut ejusdem Collegii conservationi, bonoque tàm in his, quæ ad Scholarium institutionem, & disciplinam, quam quæ ad victum, vestitum, aliaque hujusmodi necessaria pertinent, opportuniùs consulatur, & promptum eis paratumque auxilium sit, S.R.E. Cardinales Sacræ Congregationi de propaganda Fide Præfectos præfatos nunc & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, & Defensores, qui in Vice protectorem illius venerabilem fratrem nostrum Episcopum Viennen. nunc, & pro tempore existentem, ita tamen ut in gravioribus nihil præcipere, aut mandare, vel facere valeat sine consilio, & consensu Nuncii præfati, quibus aliquid eorum, quæ vel in hac fundatione, vel in regulis à Congregatione præfata approbatis continentur, immutare minimè licebit absque ejusdem Congregationis, vel Romani Pontificis pro tempore existentis expressa licentia, deputare possint, & valeant, eadem auctoritate constituimus, atque creamus.

Eorundem auctoritas, & facultates.

§. 6. Illisque ac Viceprotectori præfato pro salupti illius conservatione, Alumnorum bonorum, & rerum, ac Jurium temporalium, & spiritualium ejusdem plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem Oeconomos, Advocatos, & Procuratores in eo deputandi, & amovendi, ac alios in eorum locum substituendi, differentias, lites, & controversias inter quascumque personas, tàm Alumnorum, quàm Ministrantium Clericorum, & Laicorum, non tamen Presbyterorum ipsius Societatis exortas, summariè simpliciter, & de plano sine figura, aut strepitu Judicii, appellatione quacumque remota, decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, statutaque, & ordinationes disciplinam domesticam, & studia Alumnorum præfatorum concernentia, æqua tamen & honesta, sacrisque Canonibus, & Concili Tridentini Decretis non repugnantia faciendi, & condendi, eaque cum opus fuerit, revocandi, immutandi, & corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ post quam facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuerint, perinde habeantur, & observentur, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata essent, prout illa ab omnibus dicti Collegii Alumnis ita haberi, & inviolabiliter observari mandamus, plenam, & liberam auctoritate, & tenore præmissis concedimus facultatem.

Modus, & forma admissionis Alumnorum.

§. 7. Quod autem ad dictorum Alumnorum admissionis modum, & formam deinceps habendam attinet, Rectorem præfatum dicti Collegii pro tempre existentem librum habere, in quo notentur nomina, & cognomina, ac patriæ, & parentes Alumnorum, qui recipientur in dicto Collegio & ex eo dimittentur, ex dictoq; libro singulis annis Catalogum eorum, qui recepti, & qui dimissi fuerint, cum die, mensèque ingressus, & egressus illorum Nuncio præfato mittere, ut ipse Nuncius illum præfatæ de propaganda Fide Congregationi transmittere possit. Quod si ex aliqua peculiari causa dimitti contigerit, eam etiam in dicto Catalogo exprimi; insigniores verò Alumnorum præfatorum actiones in eodem libro annotare, easque suo tempore eidem Nuncio significare, ut pariter de illis eamdem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad Nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes per eamdem Congregationem deferri volumus, ut cum occasio tulerit, præmio cohonestentur.

Ac administrationis bonorum temporalium.

§. 8. Ac denique alium librum, in quo dati, & accepti rationes diligentissimè, & clarissimè descriptæ sint, illæque singulis annis ad minus eidem Nuncio reddantur, & ejus manibus relinquatur folium, vulgò Bilancium nuncupatum, in quo provisio Collegii, & alia, quæ ipsius Collegii, vel Alumnorum ratione acceperit, & ea, quæ illo anno pro ipsius Collegii, & Alumnorum sustentatione impenderit, notata existant, ut similiter ab eodem Nuncio ad Urbem mitti possit, etiam habere. Si quid autem de tota Pensionis Pontificiæ summa, redditis rationibus, supererit, id, vel in aliis Alumnis evocandis, vel in necessariis libris emendis, vel investiendis Alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in aliis Collegii necessitatibus arbitrio Nuncii, & Episcopi Viennen. præfatorum impendi debere, eadem auctoritate statuimus, & ordinamus.

Alumnorum privilegia in susceptione sacrorum Ordinum.

§. 9. Ut verò hujus Collegii Alumni post longas studiorum, aut cœptorum, vel consumatorum labores expeditiores, & alacriores ad succurrendum Patriæ necessitatibus reddantur, ejusdem Alumnis ut cum solis literis testimonialibus dicti Collegii Rectoris pro tempore existentis Episcopo Viennen. offerendis, easque ab eo subscribendis, ac sigillo muniendis, nisi fortè Alumni præfati suos Ordinarios habuerint, à quibus dimissorias à Concilio Tridentino ordinatas habere possint, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo, etiam extra tempora ad id à Jure statuta, & intra annum, annique circulo non expectato, minusque servatis ad id à Concilio Tridentino designatis interstitiis (dummodo ad id alias reperiantur idonei) promóveri, & postquam promoti fuerint, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, ac etiam tàm ipsi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, ut Pœnitentiæ, & Eucharistæ etiam die Paschatis, & extremæ Unctionis Sacramenta à Confessario, aut alio Sacerdote ipsius Collegii à dicto Rectore constituendo suscipere liberè, & licite valeant, auctoritate, & tenore præmissis de speciali gratia indulgemus.

Et in provisione beneficiorum Ecclesiasticorum.

§. 10 Verum, ut quantum fieri poterit, dictorum Alumnorum paupertati, & necessitati succurratur, Archiepiscopos, Episcopos, & alios antedictarum Provinciarum beneficiorum Ecclesiasticorum Collatores, & Collatrices seriò requirimus, atque monemus ut in illis conferendis, & præsertim si beneficia hujusmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, Alumnos præfatos aliis omnibus cæteris paribus præferant; Nuncios quoque Sedis Apostolicæ, aliosque Prælatos supradictarum Provinciarum, in quorum diœcesi Alumni præfati extiterint, similiter monemus, & hortamur, ut in occurentibus beneficiorum hujusmodi, & præsertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio, provisio, vel dispositio quoquomodo ad Sedem Apostolicam pertinuerit, de illis Alumnis antedictis pauperioribus, præcipuèque nostra Pontificia gratia dignis, nos, Successoresque nostros Romanos Pontifices pro tempore similiter existentes certiores faciant, ut munificentiam nostram erga illos, prout tempus, vel

occasio

occasio tulerit, exercere possimus. Et generaliter in Dignitatibus, Personatibus, Canonicatibus, & Prębendis, Parochialibus Ecclesiis, & aliis beneficiis Ecclesiasticis per collationem, vel electionem in Alumnorum Patriis providendis aliis omnibus cæteris paribus tam in Romana Curia, quam in Ecclesiis suis originalibus pręferri volumus, & decernimus.

Communicatio omnium privilegiorum, & indultorum studio generali Urbis concessorum. Habes con stit. 9. Bon. 8. 1.2 ... 160.

§. 11. Atque insuper eisdem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus omnia & quæcumque privilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus studium generale Almæ Urbis nostræ, & illius Rectores, Doctoresque, & in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quibusque Collegium, & scolares, ac Rectores & Gubernatores hujusmodi non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere possint, & valeant in omnibus, per omnia eisdem auctoritate, & tenore communicamus.

Indulgentiæ plenariæ elargitio.

§. 12. Ut verò temporalibus commodis spiritualia munera quoque conjungamus, quibus fidelium devotio, & merita crescere magis, & augeri possunt, de ejusdem omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Scholaribus, Rectoribus, & Ministris, qui in idem Collegium recepti fuerint in ipso ingressu, & deinde in exitu quidem confessi, contriti Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, atque etiam si in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Approbatio Statutorum a Congregatione de propaganda fide pro ... Collegii gubernio editorum eorumdemque observantia.

§. 13. Postremo quascumque regulas, & constitutiones ad ejusdem Collegii, illiusque personarum, rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & administrationem, ac Alumnorum prædictorum receptionem, ad...ionem, victum, amictum, instructionem, disciplinam, & alia quomodolibet pertinentia à dicta sacra de propaganda fide Congregatione die nona Novembris millesimi sexcentesimi vigesimi sexti edita etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, illasque ab omnibus inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

Clausula præservativa.

§. 14. Decernentes pręmissa omnia & singula, ac præsentes nostras literas nullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci posse, nec quemquam ad easdem pręsentes in Camera Apostolica juxta Constitutionem piæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam pędecessoris nostri desuper editam, aut alias quandoq; præsentandum, insinuandum, & registrari faciendum teneri, neque propterea illa invalida esse, sed omni modo valere, ac si Constitutio pręfata, & alia contraria minimè emanassent.

Clausula sublata.

§. 15. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cameræ Apost. Pręsidentes Clericos, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, Vicecamerarium, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac alios dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executor.

§. 16. Quocirca Venerabili fratri Episcopo Vienen. & Nuntio pręfato, necnon dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori Motu pari per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios pręsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Alumnorum Collegii hujusmodi fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac Rectorem, & Alumnos hujusmodi illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas servata forma ejusdem Sacri Concilii Tridentini etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

istius constit. deputatio.

Contrariorum abrogatio.

§. 17. Non obstantibus nostra de gratiis ad instar non concedendis, ac præfati Gregorii prædecessoris hujusmodi quatenus opus sit, & quatenus repetiretur, necnon quibusvis Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus, Collegiis eorumque Rectoribus, & personis etiam sub quibusvis verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in specie etiam Motu, potestatis plenitudine similibus, & aliis quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in eis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus contrariis quibuscumque. Aut si quibus communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§. 18. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo communi dicti Collegii, aut alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Decretum pœnale.

§. 19. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, attributionis, subjectionis, constitutionis, creationis, statuti, ordinationis, indulti, requisitionis, monitionum, exhortationis, communicationis, conjunctionis, concessionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. P. A. 4. die 1. Junii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Kalend. Junii Pontificatus nostri anno quarto.

LXXV.

Declaratio, quod Beata Maria Magdalena de Pazzis Florentina, dum vixit, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monialis extitit. Ac extensio Indulti recitandi Officio, & celebrandi Missam de ea in omnibus Ecclesiis tam in Diœcesi Florentina, quam in universa ditione temporali Magni ducis Hetruriæ.

Beatificavit hanc Mariam Magdalenam hic idem Pontifex, sed hujusmodi Bullam adhuc obtinere non valui, quam si habuero, inferius tibi ponam.

Edita A.D. 1727.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN suprema Apostolatus solio, meritis licet insufficientibus divina dispensatione constituti, ad ea per quæ servorum, & ancillarum Christi honos, & veneratio in terris promoveatur, juxtà creditum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium libenter intendimus, votisque Christifidelium honorem, & venerationem hujusmodi respicientibus libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Alias iste Pont. beatificavit Mariam Magdalenam de Pazzis, & Missam, ac Officium de ea celebrari posse indulsit.

§. 1. Alias siquidem pra parte dilecti filii nobilis Adolescentis Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ Magni Ducis, ac dilectarum in Christo filiarum nobilium Mulierum Mariæ Magdalenæ Archiducissæ Austriæ, & Christianæ à Lotharingia Hetruriæ sibi subjectæ Magnarum Ducissarum viduarum, necnon Priorissæ, & Monialium Monasterii S. Mariæ Angelorum nuncupat. in Burgo S. Fridiani Civitatis Florentin. nobis exposito, quod bon. mem. Ancilla Dei Maria Magdalena de Pazzis Florentiñ Monialis multis, & eximiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illustrata fuerat. Nobisque propterea pro parte eorumdem Ferdinandi Magni Ducis, & Mariæ Magdalenæ Archiducissæ, necnon Christianæ Magnarum Ducissarum viduarum, ac Priorissæ, & Monialium humiliter supplicato, ut donec Canonizationis honor dictæ Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ ob ejus excellentia merita, divina aspirante gratia ab Apostolica Sede decernatur, eadem Ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque Officium, & missa de ea, ut infra recitari, & celebrari posset. Nos re prius per venerabiles Fratres nostros S.R.E. Cardinales sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussa, de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ipsa Ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, Officiumque & Missa de ea tanquam de Com muni Virginis non Martyris juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani in omnibus, & singulis Civitatis Florentin. Ecclesiis, & hic Romæ pro tunc præsente anno dumtaxat, in Ecclesia S. Joannis Baptistæ nationis Florentinorum, in qua Beatificationis hujusmodi solemnitas celebranda erat in ejusdem Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ obitus, seu alia subsequenti non impedita die, à quibusvis Clericis, & Presbyteris tam secularibus, quam regularibus recitari, & celebrari respectivè possent & valerent Apostolica auctoritate concessimus, & indulsimus, & alias prout in aliis nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenor præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc declarat d. Beatam dum vixit ord. B. Mariæ de Monte Carmelo Monialem fuisse.

§. 2. Nunc autem supplicationibus dilectorum filiorum Generalis, aliorumque Superiorum, & Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum consilio dictam Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monialem, dum ipsa vixit, fuisse tenore præsentium declaramus.

Et indultum recitandi Officium ad omnes d. Ordinis attendit.

§. 3. Quodque in omnibus Monasteriis, locis, & Ecclesiis dicti Ordinis in ipsius B. Mariæ Magdalenæ obitus, seu alia subsaquenti non impedita die, singulis annis, ab omnibus utriusque sexus ejusdem Ordinis Religionis Officium, & Missa, & à confluentibus ad Ecclesias dicti Ordinis in Alma Urbe nostra, & in Civitate Florentin. existentes, Missa dumtaxat de eadem Beata Maria Magdalena tanquam de Communi Virginis non Martyris juxta ipsius Ordinis Breviarium à Sede Apostolica approbatum, & rubricas Breviarii, ac Missalis Romani in futurum recitari, & celebrari pariter, & licitè respectivè possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandat.

§. 5. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 4. die 23. Apr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Aprilis 1627. Pontificatus nostri anno quarto.

Sequitur extensio indulti recitandi, & celebrandi Officium, & Missam de Beata Maria Magdalena de Pazzis in omnibus Ecclesiis, tam in Diœc. Florentin. quam in universa ditione temporali Magni Ducis Hetruriæ.

Edita A.D. 1628.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias pro parte dilecti filii nobilis adolescentis Ferdinandi Hetruriæ sibi subjectæ Magni Ducis ac dilectarum in Christo filiarum nobilium Mariæ Magdalenæ Archiducissæ Austriæ, & Christianæ à Lotharingia Hetruriæ similiter sibi subjectæ Magnarum Ducissarum viduarum, necnon Priorissæ, & Monialium Monasterii Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupati in Burgo Sancti Fridiani Civitatis Florentin. nobis exposito, quod bon. mem. Ancilla Dei Maria Magdalena de Pazzis Florentiñ Monialis multis, & eximiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illustrata fuerat, & propterea pro parte dictorum exponentium nobis humiliter supplicato, ut donec Canonizationis honor dictæ Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ ob ejus excellentia merita ab Apostolica Sede decernatur, eadem Ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque Officium, & Missa de ea recitari. & celebrari posset. Nos re prius per Venerabiles fratres nostros Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales Sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam mandaveramus, maturè discussa, de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, ut ipsa Ancilla Dei. Maria Magdalena Beata nuncupari, Officiumque, & Missa de ea sub certis modo, & forma tunc expressis recitari, & celebrari respectivè posset, & valeret, Apostolica auctoritate concessimus, & indulsimus.

Alias iste Pont. edidit const. Beatificationis hujus Mariæ Magdalenæ.

§. 2. Subindè verò supplicationibus dilectorum filiorum Generalis, aliorumque Superiorum & Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, dictam Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis dicti Ordinis Monialem, dum vixit, fuisse declaravimus, quodque in omnibus Monasteriis, locis, & Ecclesiis dicti Ordinis in ipsius Beatæ Mariæ Magdalenæ obitus, seu alia subsequenti non impedita die singulis annis ab omnibus utriusque sexus ejusdem Ordinis Religiosis Officium, & Missa, & à

confluen-

confluentibus ad Ecclesias dicti Ordinis in Alma Urbe nostra, & in Civitate Florentina existentes Missa dumtaxat de eadem Beata Maria Magdalena, tanquam de communi Virginis non Martyris juxta ipsius Ordinis Breviarium à Sede Apostolica approbatum, ac rubricas Breviarii, & Missalis Romani in futurum recitari pariter, & celebrari posset, similiter concessimus, & indulsimus prout in diversis nostris in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc extendit prædictas constit. prout in rubr. §. 3. Nunc autem Ferdinandi Magni Ducis, ac Priorissæ, & Monialium prædictorum supplicationibus Nobis denuo humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, quod in omnibus, & quibuscumque Ecclesiis, tàm in Dioecesi Florentina quàm in universa ditione temporali præfati Ferdinandi Magni Ducis existentibus in ipsius Beatæ Mariæ Magdalenæ obitus, seu alia subsequenti non impedita die, singulis annis Officium, et Missa de eadem Beata Maria Magdalena, tanquam de communi Virginis non Martyris, ut præfertur recitari, & celebrari liberè similiter, et licitè possit, & valeat, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adi mandat. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 5. 18. Januar. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1628. Pontificatus nostri Anno quarto.

LXXVI.

Declaratio, quòd Fratres Capuccini sunt verè Fratres Minores Ordinis S. Francisci, ac ex illius vera, & nunquam interrupta linea descendunt, sub illius Regula militant, & militarunt.

Hoc idem decreverat Paul. V. ut sup. in ejus Const. Ecclesiæ 54. tom. 3. Et eisdem ut Crucem propriam in publicis Processionibus ubique locorum deferre possent indulsit in Const. 107. Pastoralis sup. tom. 3. Ac habitus eorum, vel consimilis delationem prohibuit Gre. XV. sup. in Const. 16. Ex injuncto, ubi aliam Gre. XIII. habes super eandem materiam Const. Insertam. Et de tota ipsorum Religione plenè notatum est ad Const. 21. Clem. VIII. sup. tom. 1.

Edita A. D. 1627.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Salvatoris, & Domini Nostri, qui caritas est, & Deus pacis vices (licet immeriti) gerentes in terris, inter gravissimas, multiplicesque Apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari solicitudine jugiter incumbimus, ut Christifideles, qui in sortem Domini vocati ejus obsequiis diù, noctuque mancipati sunt, sublatis quibuslibet dubiis, & controversiis, Altissimo reddant abundanter fructus suos, nec ab iis, quorum est evangelizare pacem, & bona, veritatem verò temerè impugnando, pacem cum scandalo pusillorum scindere non verentur, à sua sancta vocatione distrahantur.

Dubitatum fuit tempore Paul. V. etiam Fratres Capuc. §. 1. Aliàs siquidem à fel. rec. Paulo V. prædecessore nostro accepto à nonnullis in dubium revocari, an Fratres Ordinis ejusdem Sancti Francisci, Capuccini nuncupati essent, verè Fratres Minores, & etiam quoniam regulam Sancti Francisci profitentur, filii Sancti Francisci, cum tempore S. Francisci instituti non fuerint, pariterque an eorum Constitutiones aliquid haberent, quod regulæ Sancti Francisci repugnaret. essent de vera linea S. Francis.

§. 2. Idem Paulus prædecessor suæ perpetuo valitura Constitutione declaravit, Fratres Capuccinos esse verè Minores, ac etiam quamvis tempore Sancti Francisci minimè instituti fuerint, cum tamen ejus regulam profiteantur, atque eorum instituta congruant tam Regulæ statutis, quam ejusdem regulæ declarationibus, que habentur in Constitutione fel. rec. Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, in generali Concilio Viennen. edita, quæ incipit: Exivi de Paradiso, filios Sancti Francisci, eorum præterea Constitutiones nihil continere, quod non sit regulæ S. Francisci prefatæ consentaneum, irritanti etiam decreto desuper apposito, & alias prout in dicti Pauli Prædecessoris desuper in simili forma Brevis sub die 15. Octobris 1608. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Qui omnibus bene visis declaravit esse in sua Const. 54. Eccl. sup. t. 3. pag. 178.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Genuensis, eorumdem Fratrum Cappuccinorum Procurator Generalis, Nobis nuper exponi fecit, prætextu illorum verborum, videlicet: Quamquam tempore Beati Francisci instituti non fuerint, & nonnullis in dubium revocetur, an iidem Fratres Capuccini ex vera, & nunquam intermissa linea S. Francisci originem trahant. Modo hoc idem in dubium revocatur prætextu nonnullorum verborum.

§. 4. Nos æquum, & rationi consonum fore censentes, ut qui verbo, & exemplo veros se Beati Francisci imitatores ostendunt, tales ab omnibus absque ulla controversia habeantur, attentitisque considerantes, eorumdem Fratrum Capuccinorum originem, seu principium illorum esse realiter, & cum effectu computandum à tempore primævæ, & originalis institutionis regulæ Seraphicæ, cujus observantiam ipsi Fratres Capuccini semper sine aliqua interruptione continuarunt; eorumdem Fratrum Capuccinorum quieti, quantum Nobis ex Alto conceditur, consulere, eosdemque Fratres Capuccinos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis ex communicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Francisci Procuratoris Generalis totius Ordinis eorumdem Fratrum Capuccinorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; re prius per Venerabiles Fratres nostros S.R.E. Cardinales negociis Regularium præpositos maturè discussa, de eorum dem Cardinalium consilio, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, Fratres Capuccinos præfatos fuisse, & esse ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres Ordinis Sancti Francisci, & illius regulæ observatores, subque ipsius Beati Francisci regula militasse, & ad præsens quoque militare. Quod iste Pont. omninò tollit declarando esse ex vera, & nunquam interrupta linea & sup ipsa S. Francis. regula militasse & militare.

§. 5. Sicque ab omnibus, & singulis censeri, ac reputari, & judicari debere, irritumque & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus. Clausula sublata.

§. 6. Quocirca omnibus, & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Executorum deputatio.

Fratrum Capuccinorum præfatorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis, juxta præsentium continentium, & tenorem pacifice frui, & gaudere. Non permittentes, eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, contradictoresquoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariorum abrogatio.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumqne.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 4. die 28. Jun. 1627.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28. Junii 1627. Pontificatus nostri Anno quarto.

LXXVII

Revocatio reservationum pensionum perpetuarum super beneficiis Ecclesiasticis ad Collegiorum, & piorum locorum favorem factarum, & indultorum imponendi pensiones etiam temporales quibusvis concessorum.

De pensionibus ultra disposita à Sacris Canonibus, & à Conc. Trid. scias à Pio V. fuisse revocatas facultates transferendi hujusmodi pensiones quibuscumque Militiis concessas ut in sua Const. 73. Sacrosanctum; super tom. 2. Sed postea multæ ex eis nonnullas obtinuerunt reintegrationes, quas ut facilius invenias, quare in Indice V. Militiæ.

Edita A. D. 1627.

Quomodo verò, & quando super Ecclesiarum fructibus pensiones reservari possint definivit Leo Decimus in const. 7. Supremæ tom. 1. §. 11.

Causa hujus Const.

SAnctissimus D. N. Urbanus Divina providentia Papa VIII. Qui pridiem Beneficiorum Ecclesiasticorum conservationi, & exornationi consultum volens, uniones beneficiorum hujusmodi præterquam in certos casus factas, necnon facultates transferendi pensiones, quæ effectum integraliter sortitæ non essent, pro summa quæ medietatem veri valoris fructum Beneficiorum super quibus pensiones hujusmodi impositæ forent excederent, specialibus desuper editis regulis revocavit, libertati eorumdem Beneficiorum pleniùs prospicere, & quod in antiquorum onerum moderatione præcavit, multo fortius in novorum impositione avertere cupiens.

Revocatio facultatum reservationum pensionum perpetuarum.

§. 1. Quascumque reservationes pensionum perpetuarum super fructibus certis, vel incertis quorumvis Beneficiorum, non tamen Jurispatronatus laicalis existentium, etiam in favorem quorumcumque Collegiorum, Capitulorum, Universitatum, Locorum, & Beneficiorum, etiam per S.R.E. Cardinales obtentorum, etiam Apostolica auctoritate, non tamen pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum piorum, & religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum factas, quæ suum necdum sortitæ sunt effectum.

Necnon Indultorum imponendi pensiones etiam, temporales hic antea moderatus est istemet Const. sup. in Const. Sanctiss.

§. 2. Necnon omnes, & quascumque facultates, indulta, & privilegia imponendi quascumque pensiones etiam temporales super quibusvis Beneficiis, non tamen Jurispatronatus laicalis existentibus, seu ad pensiones jam antea Apostolica auctoritate desuper forsan, non tamen certis personis reservatas, personas sibi benevisas nominandi, etiamsi ad nominationem hujusmodi jam forsan sit processum, quatenus tamen per Notarii desuper rogati, & duorum testium attestationum non constet de reali, & integrali solutione alicujus termini singularum pensionum hujusmodi specialiter, & expresse in eam causam ante publicationem præsentium facta quibusvis personis etiam Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel alia quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, quovis intuitu, & consideratione etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac potestatis plenitudine, ac etiam quod in eis, quod illa sub revocationibus, & contrariis dispositionibus per Rom. Pont. pro tempore existentes comprehendi non posse, aut debere, concessum foret, & aliàs cum quibusvis aliis etiam derogatoriarum derogatoriis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores perinde ac si de verbo ad verbuum insererentur, & exprimerentur haberi voluit pro expressis, vel alias quovis modo, & ex quavis causa per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros hactenus concessa revocavit, cassavit, & annullavit, ac viribus, & effectu evacuavit.

Clausula sublata.

§. 3. Decernens sic in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ipsosquemet Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, et definiri debere, necnon irritum, & inane quidquid secus super præmissis per quoscumque, etiam prætextu facultatum, indultorum, & privilegiorum prædictorum, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum remotio.

§. 4. Facultatibus, indultis, & privilegiis, aliisque præmissis, necnon regula de jure quæsito non tollendo, statuto, ordinatione, & declaratione Suæ Sanctitatis in crastinum ejus assumptionis ad summi Apostolatus apicem editis, & in Cancellaria Apostolica sub die 21. mensis Octobris anni millesimi sexcentesimi vigesimi tertii publicatis, quodque dicti S. R. E. Cardinales in Constitutionibus, & regulis per Sanctitatem suam post priorum suarum Constitutionum, & regularum editionem, & publicationem facien. non includantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ Constitutiones, et regulæ edendæ de ipsorum Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, aliisque regulis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

Papæ subscriptio

Pl. publicetur, & describatur M.

Publicata 20. Julii hora decimaquarta in Cancellaria Apostolica 1627. A. Reg.

Publicatio

P. A. 1. die 20. Julii

Lecta, & publicata fuit supradicta Constitutio Romæ in Cancellaria Apost. Anno Incarnationis Dominicæ 1627. die verò Martis 20. Julii, & registrata fuit in Quinterno Cancellariæ Apostolicæ Pontificatus S. D. N. Papæ Anno Quarto.

Marcus Antonius Ascentius Procustos.

LXXVIII.

Facultas erigendi Hospitium in partibus Africæ pro sex Religiosis Congregationis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum, seu Recollectorum nuncupatorum.

De his Fratribus vide quæ notavi ad Const. 61. hic sup. Insupremo. Conceditur eisdem Ecclesia S. Mariæ in

Sancto Joannino in Urbe, ut infra Constitut 107. Cum sicut *&c.*

Edita A.D. 1626.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INter cœtera pietatis opera, quibus ex debito Pastoralis officii nobis injuncti adstricti sumus, illud præcipuè in animo nostro incidit ardentius, ut personæ Christi fidem colentium, & in Captivitatem deductæ, & sub potestate Infidelium constitutæ à Captivitate hujusmodi liberentur, & in pristinæ libertatis gloriam deducantur, ac interim spiritualiter consolentur, illos quoque specialis gratiæ favore prosequimur, quod ad opus hujusmodi adjutrices, & liberales manus extendant.

Motiva hujus Const.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Justini Antolines Decani Ecclesiæ Granateñ, ac Didaci de Sancto Raymundo Moderni Congregationis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum, seu Recollectorum nuncupatorum Procuratoris generalis petitio continebat, quod ipse Justinus Charitatis ergà proximum fervore accensus de bonis suis unum Hospitium pro sex Religiosis Congregationis hujusmodi pro nunc, & Deo dante etiam pro majori ipsorum Religiosorum numero in Partibus Africæ adhoc ut ipsi Religiosi juxta laudabile eorum Institutum Christifideles inibi sub dira Turcarum servitute Constitutos, quos possunt ab illa eximere queant, eosque in Domino consolentur, illisque Ecclesiastica Sacramenta administrent, ac eorum denique animarum saluti, meliori qua poterunt ratione incumbere valeant, construi facere, ac reddito annuo quingentorum saltem ducatorum monetæ Hispaniarum dotare intendat, si infrascripta sibi per nos benigne concedantur.

§. 2. Quare pro parte Justini, & Didaci prædictorum nobis humiliter supplicatum, quatenus infrascriptis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur Chrifidelium in Captivitate hujusmodi constitutorum libertati, & spirituali consolationi, quantum cum Deo possumus consulere cupientes, ac Justinum, & Didacum prædictos, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati eisdem Justino, & Didaco si, & postquam ipse Justinus redditum annuum quingentorum scutorum hujusmodi tutum, & securum pro d. Hospitii fundatione verè, & realiter assignaverit, & non antea aliter, nec alio modo ut gentilitia familiæ d. Justini tanquam Fundatoris, & Dotatoris, ac Patroni d. Hospitii super ipsius Hospitii super ipsius Hospitii janius, & portis; necnon lapidem in aliquo d. Hospitii pariete cum Inscriptione fundationis, & seu dotationis per d. Justinum factæ apponere, necnon Religiosis prædictæ Congregationis in eodem Hospitio pro tempore degentibus, ut omnibus, & singulis gratiis, & indultis, ac privilegiis, quibus cœtera ejusdem Ordinis Hospitia, illorumque Religiosi quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quo modolibet in futurum, dummodo illa sint in usu, hactenusque non revocata nec sub aliqua revocatione comprehensa, ac Sacris Canonibus & Conc. Trident. decretis, Regularibusque d. Ord. Institutis non adversentur, ac in erectione Hospitii hujusmodi forma Apostolicarum Constitutionum, præsertim fel. rec. Clementis VIII. & Pauli V. ac Gregorii XV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac nostra super novorum locorum Regularium institutione editarum servetur ex voto Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Regularium Præpositorum uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant; Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concedit prout in rubric.

Extendit privilegia Ord. huc Hospitio.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuò valida, & efficacia, esse, & fore, ac dictæ Congregationi, & Religiosis hujusmodi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum pœnale.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 4. die 10. Octob.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, & decreti infringere, vel ei ausu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentari presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi Diœcesis Albaneñ Anno Incarnationis Dominicæ 1626. Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Quarto.

LXXIX.

Separatio Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum à Calceatis.

Ne jam indicata otiosè reperam, te remitto ad ea, quæ notavi ad Const. 13. *Greg. XV.* Alias à nobis, *ubi agitur de hac separatione à Calceatis.*

Edita A. D. 1627.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium

IN Sede Principis Apostolorum nullis licet nostris suffragantibus meritis divina providentia Constituti Religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei militantium prosperum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, eaque propterea concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò, & illibata remaneant Apostolicæ confirmanis robore libenter communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus aliàs inter dilectos filios Fratres Ord. Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Calceatis ex una, ac Fratres ejusdem Ord Congregat. Discalceatorum nuncupatorum ex altera partibus infrascripta Capitula occasione separationis, ac totalis dismembrationis Discalceatorum hujusmodi à Fratribus Calceatis prædictis de mandato dilecti filii nostri Gasparis tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis Borgiæ nuncupati ejusdem Ord. apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris intervenientibus, & assistentibus dilectis similiter filiis Joanne de Antillon tunc uti Vicario Generali, & Provinciali, ac Procuratore Generali in Romana Curia, ac Petro de Gusman etiam tunc Procuratore Provinciæ Castellæ ejusdem Ord. necnon Didaco de S. Paulo tunc similiter ejusdem Ord. Procuratore Gener. inita fuerint tenoris subsequentis videlicet.

Capitula observanda pro pacifica separatione.

§. 2. In primis statuitur, quod supplicetur Suæ Sanctitati nomine partium supradictarum, ut pro

hac vice dumtaxat dignetur nominare unum Vicarium generalem Recollectum, qui habeat eandem auctoritatem Jurisdictionem, praeeminentiam, & superioritatem, super omnes Recollectos, illiusque Monasteria utriusque sexus, quàm habet Reverend. Generalis super totam Religionem Calceatorum, & qui similiter possit nominare Provinciales, Diffinitores, Electores, & Procuratores Generales Provinciarum Castellae, Bethicae, ac Siciliae pro hac vice dumtaxat, & assignare locum, in quo sit celebrandum Capitulum Generale futurum, ac dividere, & nominare Provincias.

Eligatur Vicarius Apo.

§. 3. Item quo Vicarius Generalis Apostolicus gubernet Recollectionem uti supremum caput à die notificationis Bullae, seu Motus proprii emanandi in confirmationem horum Capitulorum usque ad primum Capitulum generale celebrandum in die Pentecostes anni proxime venturi 1622. in quo poterit reeligi, si sic benè visum fuerit convenire Recollectioni.

§. 4. Item quod à die Pentecostes anni 1622. in posterum futuris perpetuò temporibus quolibet sexennio debeat celebrari Capitulum generale Recollectionis in die Pentecostes, servando in omnibus Ordinem, qui servatur à Patribus Calceatis. Interim quod non fiant Constitutiones à Discalceatis.

§. 5. Item quod vox tàm activa, quàm passiva pro electione hujusmodi Vicarii Generalis solum competat Religiosis Recollectis absque eo quod Patres Calceati, & eorum Reverendiss. Generalis possint modo aliquo concurrere, nec interveniente in illa, nec in illis actibus Capitularibus.

§. 6. Item quod Vicarius Apostolicus generalis eligat in qualibet Provincia unum Procuratorem Generalem, & quatuor Diffinitores, ad quos pertineat una cum Procuratore Generali Romanae Curiae electio futuri Capituli generalis, qui debeat residere vel nominare Praesidentem in omnibus Capitulis.

§. 7. Item quod si contigerit Vicarium Generalem Apostolicum ex hac vita migrare ante nominationem Provincialium in tali casu succedat in officio ejusdem Vicarii Generalis Commissarius, qui qui fuerit Bethicae, & in illius defectum Comendator, tunc temporis fuerit Monasterii Sanctae Barbarae Oppidi Matriti, & eo non existente Commendator Recollectus Civitatis Hispaleñ, & in defectum talis Commendatoris illi, qui fuerit Monasterii nuncupat. de San Lucar de Barrameda, quod si talis mors eveniat facta cum nominatione Provincialium tunc temporis succedat in d. Officio Vicarii Generalis Provincialis ejusdem Provinciae, cujus erat Vicarius Generalis, & eo deficiente Vicarius Provincialis, & illo non existente Diffinitor antiquior ejusdem Provinciae.

§. 8. Item quod Reverendiss. Generalis, & Patres Provinciales Calceati renunciant omni meliori modo de Jure locum habenti Jurisdictioni, potestati, superioritati, & praeemientiae illis quomodolibet spectari, vel quae in futurum quomodolibet poterunt spectare, vel pertinere super Recollectionem, illiusque Monasteria utriusque sexus. Item quod similiter renunciant actioni interveniendis Capitulis generalibus, & Provincialibus Discalceatorum, in quibus nullus Calceatus possit intervenire, nec modo aliquo vocem habere. Item quod similiter Patres Calceati renunciant omni superioritati, jurisdictioni, electioni, & actioni quomodolibet competentibus illis vel pro tempore competituris ad obtinendum prelationes in Monasteriis Religiosorum Recollectionis utriusque sexus nunc, & pro tempore existentibus, excepto Monasterio Monialium Recollectarum Oppidi Matriti, quia hoc Monasterium debet remanere, sub eadem obedientia, sub qua modo militat.

§. 9. Item quod Patres Recollecti non possint assistere Capitulis generalibus, vel Provincialibus Calceatorum, nec in illis habere vocem sive activè, sivè passivè, & quoad hunc articulum renunciant omni actioni, & juri nunc, & pro tempore quomodolibet eis competenti. Item quod similiter renunciant, & abdicant à se quamcumque pretensionem, actionem, vel jus, quae nunc habent, & pro tempore quomodolibet habere, vel pretendere possunt ad obtinendas prelationes in Monasteriis Calceatorum utriusque sexus illis, vel illius Provinciis hucusque annexis.

§. 10. Item pro quanto rationabiliter Recollectio veretur, ne tempus oblivioni mandet tot beneficia accepta à dicta Religione Calceatorum ejus matre statuitur quod Vicarius generalis Recollectus infra tres menses à die suae electionis, teneatur illam praesentare Reverendiss. Generali Ordinis, qui si fuerit Canonica, necessariè illam confirmet, & haec sola praeeminentia reservatur Reverendiss. Generali super Recollectionem, quod si facere recuset infra quindecim dies ab illius praesentatione accedat, & recursum habeat pro illius confirmatione ad Nuncium Suae Sanctitatis in Regnis Hispaniarum commorantem.

§. 11. Item ob paucitatem suffragiorum, quae pro nunc in Capitulo generali vocem habebunt, statuitur, quod Procuratores Provinciales cujuscumque Provinciae Discalceatorum in electione Vicarii Generalis habeant vocem activam sicut Diffinitores Capituli generalis.

§. 12. Item quod Ministerium Redemptionis solum spectet Religiosis Calceatis, & quod Patres Recollecti non se intromittant in recipiendis legatis a Christifidelibus relictis ad dictum effectum, nec possint petere in suis Monasteriis, nec extra pro redimendis captivis, nec habere cippos, nec capsas, nec aliquid aliud pro eleemosyna pedenda hac de causa, quia totum hoc debet mandari curae & sollicitudini Patrum Calceatorum dumtaxat, sicut usque nunc fuit in consuetudine. Et ad tollendos scrupulos, & sedandas conscientias, statuitur, quod nomine partium fiat instantia S.D.N. quatenus dignetur declarare, Religiosos Recollectionis liberos, & deobligatos esse ab executione quarti voti, & similiter praedictarum partium nomine eidem Sanctissimo supplicetur, quatenus etiam dignetur communicare, & concedere Recollectioni omnia indulta, & privilegia, quae hucusque in favorem Religionis Calceatorum à Sede Apostolica emanarunt, & in posterum emanabunt etiam illas, quae intuitu Redemptionis eidem Religioni sunt concessae taliter quod talis extensio dumtaxat fiat quantum ad fructus spirituales nullum reservando, & non quantum ad jus administrandi dictam Redemptionem, & percipiendi fructus, eleemosynas, & alia ad eam quomodolibet spectantia, nam quantum adhoc exclusi, & privati in perpetuum manebunt.

§. 13. Item quod omnia decreta, & Bullae Apostolicae in favorem Recollectionis concessa adimpleantur de verbo ad verbum dummodo in toto, vel in parte non contraveniant, his praesentibus Capitulis.

§. 14. Item quod Vicarius Generalis Recollectionis à Sua Sanctitate electus statim quod fuerit à Notario publico requisitus cum Breve Apostolico teneatur exercere suum officium primitus, & ante omnia jurando adimplere in omnibus haec Capitula, & quocumque illorum, & contrarium faciendo gratia Sanctissimi fit, & intelligatur nullius roboris.

§. 15. Item quod concordia debeat tàm à Religiosis Calceatis, quàm Discalceatis in suis primis Capitulis generalibus respective ratificari, & quod si quaelibet ex partibus huic concordiae con-

travenerit

travenerit in toto, vel in parte, vel illam non ratificaverit, videatur amittere jus, quod habebat contra aliam. Et similiter incurrere in pœnam viginti mille ducatorum applicandorum alteri parti.

§. 16. Item quod ab utraque parte unanimiter supplicetur Suæ Sanctitati dignetur approbare, & confirmare hanc concordiam per viam Motus proprii, vel alio meliori modo sibi beneviso, ut in totum finis imponantur litibus inter dictos Religiosos pendentibus. Item quod suprascripta Capitula, & conventiones ad majus robur, & vim illorum à Procuratoribus generalibus Calceatorum, & Discalceatorum prædictæ Religionis suis nominibus subscribi & firmari debeant.

Confirmatio præfato rum Capitulorum.

§. 17. Nos inviolabili Capitulorum hujusmodi observantiæ, felicique d. Congregationis regimini atque gubernio, quantum cum Deo possumus consulere, necnon ejusdem Congregationis fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Motu proprio, & ex certa scientia nostris, præinserta Capitula hujusmodi, citra tamen dispensationem super quarto voto hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Reservatio quarti voti

Decretum irritans.

§. 18. Decernentes eadem præinserta Capitula, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit firmiter, & inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 19. Quo circa Venerabilibus fratribus Joanni Baptistæ Patriarchæ Alexandrino moderno, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio, & Archiepiscopis & Episcopis in quorum Diœc. Monasteria, Domus, & alia dictorum fratrum Discalceatorum loca Regularia erecta, & instituta sunt, & pro tempore erigi, & institui contigerit per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra Fratres Discalceatos prædictos præmissorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos desuper à quoquam quomodolibet molestari, vel perturbari.

Contravenientium pœnæ.

§. 20. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam adhoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 21. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 8. Julii 1627. Pontificatus Nostri anno quarto. Dat. *An.* 4. die 8. Julii

V. Theatin.

LXXX.

Nova Erectio Collegii Illyrici nuncupandi in Civitate Lauretana pro adolescentibus, ex Illyricis Provinciis ibi sumptibus sacrosanctæ Domus Lauretanæ educandis, & in bonis Ecclesiasticisque moribus, ac Sacrorum Canonum, aliarumque facultatum necessitates Illyricas concernentium disciplinis instruendis; cum Privilegiorum, & Indultorum elargitione.

Hoc Collegium olim instituit Greg. XIII. & enunciatur hic in §. 1. sed cum aliquot post annis quibusdam de causis iminutum, & ad duodecim Alumnos Romam Laureto translatos redactum fuerit, & ipsum Collegium Lauretanum extinctum in maximum fidei damnum, hic Pontifex illud de novo erigit in hac Constitutione.

Tria alia Collegia postea erexit istemet Pontifex pro Scholaribus Germanicæ Nationis in illis educandis, ac sacra Theologia aliisque facultatibus, & piis moribus imbuendis. Unum in Civitate Pragensi, Regni Boemiæ Metropoli, ut infr. Const. 73. Quoniam. Et alterum in Civitate Viennensi, ut infr. Const. 74. Quoniam,

URBANUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

Edita A.D. 1627.

Præmium. & causa fundationis.

ZElo Domus Dei Nos commovente, ut parvulis petentibus panem verbi Dei, pro munere nostro frangamus, quippe qui universarum gentium, populorumque Christi fidem profitentium salutem procurare, & promovere studemus, dum omnes Christiani Orbis partes oculis mentis nostræ perlustramus Illyricæ linguæ gentis, majorem Europæ, & maximam Asiæ portionem incolentis, atque per Europam, Præstantissimis Regnis, & Provinciis olim florentissimæ, ac inter plantas Apostolicas, in gremio Catholicæ Ecclesiæ Primogenitæ, nunc vero maxima ex parte sub impia Turcarum tirannide gementis. Schismaticorumque Orientalium, hæresumque Septentrionalium venenis per partes infectæ, pro debito nostri Pastoralis officii, necessitatibus spiritualibus succurrere cogimur, & admonemur.

Greg. XIII. fundavit Collegium Illyricum Laureti, proventibus Sacrosanctæ Domus pro alendis ibi 30. juvenil. d. nationis & instituendis.

§. 1. Cum itaque sicut Nobis innotuit aliàs fel. rec. Greg. Papa XIII. prædecessor noster miseratione tantæ gentis, Collegium Illyricorum juventutis in Civitate Lauretan. illius Sacrosanctæ domus proventibus alendæ, bonisque artibus, & disciplinis instruendæ, præfixo tunc temporis numero, ad triginta adolescentes, Apostolica auctoritate erexisset, optimo æque consilio, fructuque cum brevi temporis intervallo inventus inibi bonis moribus ac literis instituta, patriæque juvandæ adhibita, magno divinæ gloriæ augumento, animarumque salute, Provincias Illyricas, præsertim verò litoralem Dalmatiã, discussis quibus offundebatur ignorantiæ tenebris, ad veræ pietatis media excitaverit.

Collegium Illyricorum Laureti extinctum aliquot post annis & Alumnorum numero Romam translatorum ad 12. redacto.

§. 2. Cumque adeo pium opus aliquot post annis, quibusdam de causis admodum imminutum fuerit, redacto ad duodecim tantum alumnos adolescentium Romam Laureto, translatorum numero, Lauretan. Collegio penitus extincto.

S.D.N. Urbanus VIII de novo Laureti fundas, & erigit pro 36. juvenions, ex Illyrica natione ut sup. educandis, & instituenda

§. 3. Nos qui hanc ejusmodi translationem, & numeri alumnorum imminutionem, in maximum damnum fidei, in illis provinciis contigisse, certa scientia cognovimus, ad opus hoc, dictum Collegium in pristinum, & quantum fieri poterit in meliorem statum restituendum, & renovandum, animum, & mentem nostram convertentes, maturo desuper cum Ven. Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Congregationi de Propaganda Fide præfectis, habito consilio. Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque liberalitate nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Dei Omnipotentis laudem, Sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, ac præcipuam Illyricæ gentis salutem, & commodum, in Civitat. Lauretan. præfata dictum Collegium Illyricorum appellandum, in quo in posterum prior adolescentium numerus triginta sex videlicet, Sacrosanctæ domus Lauretan. ut olim proventibus, redditibus, & proventionibus, sustentari, ali, educari, ac in bonis, ecclesiasticisque moribus necnon in Grammaticæ, Philosophiæ, & Theologiæ, ac sacrorum Canonum, aliarumque facultatum, necessitates Illyricas concernentium, disciplinis ac studiis instrui, ita tamen ut donec dicta Sacra domus, cujus proventus, ob multas expensas in translatione Alumnorum, & extructione domus Collegialis factas, tàm magno Alumnorum numero sustentando, non facile sufficere videtur, expensarum mole levari ceperit, Collegio præfato viginti saltem Alumni ex Illyrici Provinciis evocandi, ali, educari, & instrui debeant.

Distributio & assignatio locorum Eccles. Illyricis.

§. 4. Et horum viginti Alumnorum loca, duodecim videlicet littoralibus Dalmatiæ urbibus ab exordio d. Collegii destinata perpetuo Adolescentium ejusdem Provinciæ immutabilia censeantur, & esse debeant, distributione, & assignatione dictorum duodecim locorum, sequenti ratione inviolabiliter observanda. Nimirum ut Spalaten. Ragusin. Jadren. & Antibaren. Ecclesiæ Metropolitan. singulæ unum semper Alumnum, seu unius Alumni locum habeant, & in illorum distributione, Spalaten. videlicet, Oppidi Almisiensis nunc suæ Diœcesf. Antibaren. vero Buduanæ Civitatis suæ Provinciæ, Jadren. autem Ecclesiæ præfatæ Oppidi Pagensis etiam suæ Diœc. rationem habere debeant, ut scilicet tertia quæque successio Alumnorum pertinentium ad dictas tres Metropoliticas Ecclesias, sit oppidorum, & Civitatis hujusmodi; Similiter Sibenicen. Veglien. Pharen. sive Lesinen Aufferen. Catharensique Ecclesiis singulis locus unius Alumni competat, in quibus distribuendis Pharen. seu Lesinen. Brachiæ Insulæ suæ Diœc. Aufferen. vero Chersi oppidi, item suæ Diœc. Catharen. Ecclesiæ præfatæ Perasti oppidi pariter suæ Diœc. eamdem rationem quæ supra tribus Metropoliticis Ecclesiis præfatis præscripta est, habeant, & habere teneantur. Denique Ecclesiæ Curzolen. cum Stagnen. unum alternatum, Traguríen. & Nonen. itidem sicuti, & Alben. & Segnien. unum alternatim habere debeant, hoc tamen expressè servando.

Si Prelati neglexerint mittere Alumnos quod servandum

§. 5. Ut quandocumque vel negligentia Prælatorum, Capitulorumque Dalmaticorum, ad quos approbationem dictorum Alumnorum conjunctim, electionem verò, & admissionem eorum, qui ut præfertur approbati fuerint ad Cardinalem ejusdem Collegii Protectorem pro tempore existen. perpetuò spectare, & pertinere volumus, vel quavis alia de causa loca alicujus, vel aliquorum Alumnorum eisdem ut præfertur Ecclesiis assignatorum, ultra sex menses vacare contigerint, nullatenus, illa ex aliis præfatis Dalmatiæ Ecclesiis litoralibus, sed ex aliis Illyricæ Nationis sub Turca existentibus, ea tantum vice, qua vacare contigerint, per quod tamen nullum præjudicium in posterum aliis Ecclesiis præfatis gerentur, suppleantur, & hoc toties quoties similis vacatio intercesserit.

Quid agendum est præsentibus Alumnis.

§. 6. Quinimo si qui Alumni plures videlicet ex una dictarum Ecclesiarum præter hanc nostram declarationem, in dicto Collegio admissi de cætero reperiuntur, sine ulla mora protinus excludantur, locaque suis Ecclesiis assignata, vel aliis eorum loco nominatis, sine ulla interpretatione, indulgentiave restituantur. Reliqua verò octo loca pro nunc, donec Alumni, ad antiquum numerum integrentur, si divisa intelligantur nimirum Bosnen. Maccaren. Scardonen. necnon Samandrien & Uscopien Ecclesiæ, singulæ videlicet unicum Alumnum habeant, sicuti, & regio intra Dranum, Savumque fluvios constitutæ, Bosnen. Administratoris curæ comissa unicum, in Albanensi verò, sive Epirotica Provincia, donec juxta ejusdem Prædecessoris mentem, peculiare Collegium eidem constituatur, Ecclesiæ citra Dranum Fluvium constitutæ, unicum, ultra verò Dranum, alium vicissim habere debeant. Adaucto vero numero, in futurum illius beneficio prænominatæ Ecclesiæ sub Turcis constitutæ, additis Tinien. Dumen. seu Dalmaten. Stridonen. Tribuniensique, in Dalmatia Turcica, Bosnaque Nissiensique, ac Prisinen. sive Justinianea prima in Servia, potiantur, & gaudeant, habita nihilominus ratione Ecclesiarum præfatarum, majori auxilio indigentium, Apostolica auctoritate præfata earumdem tenore præsentium rursus ex integro perpetuo erigimus, & instituimus.

Modus admittendi Alumnos ad Collegium

§. 7. Ut autem admissio, & receptio dictorum Alumnorum debito ordine procedat, ut nemo intra eorum numerum in præfato Collegio acceptetur, qui literas testimoniales Ordinarii sui, & Capituli loci, ubi fieri poterit, non habeat, quibus constet illum in, & de legitimo matrimonio natum, & saltem prima tonsura initiatum, nec esse Neophitum, multo minus aliquo tempore hæresi, vel Mahumetismo adhæsisse, sitque sanus, & absque ulla infirmitate habituata, vel incurabili, ac sine ullo vitio, vel deformitate notabili corporis, lingua, minimè impedita, parentibus Illyricis, Illyricæque linguæ, etsi fieri poterit literaturæ quoque Illyricæ peritus, qui vagus non fuerit, nihilque negotii, ac litium habeat, & præferat voluntatem ac speciem proficiendi in disciplina pietatis, & literarum, ad effectum ut evadat utilis operarius in cultura Illyricanæ Ecclesiæ, idemque non sit inferior quatuordecim annis, nec vigesimum annum excedat, habeatque aliquam Grammaticæ cognitionem, quæ omnia sicut in duodecim Dalmaticis Alumnis, ab Episcopis, & Capitulis, ut præfertur deligendis, omni rigore, ita in subditis Turcarum mitiùs observentur.

Juramentum Alumnorum.

§. 8. Et postquam aliquis præfato ordine inter Alumnos receptus fuerit, Collegialem vestem, non induat, nisi per semestre spatium probatus, judicio Superiorum ejusdem Collegii solemne juramentum in manibus ejusdem Collegii Rectoris pro tempore existentis, emiserit, juxtà formam à Congregatione de Propaganda Fide præscriptam, & præterea juraverit, quod peractis studiis, vel ob aliam legitimam causam non prorsus absolutis, dummodò tamen per annum, & dimidium, in Collegio moram traxerit, nec ad aulas Principum, domosque Magnatum diuturnioris moræ causa unquam se cōferet, minusque ad universitates, aut alias publicas scholas, sub quovis prætextu, nisi forte judicio, vel voluntate superiorum in scriptis exprimenda.

§. 9 Contra-

Pœna contra facientium.

§. 9. Contrafactores vero periuri, & infames, inhabilesque perpetuo ad quæcumque beneficia, officia dignitatesque tàm Ecclesiasticas, quàm sæculares existant, etiam volumus ad rependendas, & exolvendas omnes illas expensas, quas, Sacra Domus pro hujusmodi Alumnis, tàm in convictu, quàm vestibus, libris, medicinis, viaticisque insumpserit cogi, & compelli possint, eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuo statuimus, & ordinamus.

Privilegia Alumnorum.

§. 10. Quo vero dicti Alumni expeditiores, & alacriores ad succurendum patriæ necessitatibus efficiantur, eisdem Alumnis, ut eo temporis spatio, quo in Collegio prefato sese continuerint, & Superiorum Judicio in studiis præfatis, & literarum profecerint, ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, etiam sine literis dimissorialibus, nisi habeant Episcopos proprios, à quibus illæ obtineri poterint, cum ad Collegium dirigentur, & sine beneficii Ecclesiastici, aut patrimonii, ac etiam extra legitimarum ordinationum tempora, dummodò tamen aliàs ad id reperiantur idonei, promoveri possint, & valeant, iidemque sic ad Ordines promoti, in originalibus Ecclesiæ cum beneficia, personatus, dignitatesque earum vacare contigerit tàm in Romana Curia, quàm apud Ordinarios proprios, & Capitula, aliis omnibus, cæteris paribus, anteferri debeant, & secus factæ provisiones, irritæ, & inanes, ipso jure existant, auctoritate, & tenore præmissis, de speciali gratia indulgemus.

Unio sex adolescentium Bulgarerum cum dictis Alumnis. & eorum sustentatio.

§. 11. Adolescentes quoque Bulgarici Regni, qui sex numero per eleemosynarium nostrum secretum, hic in Urbe in studiis sustentantur, auxilio afflictissimæ illorum patriæ, ut inter conditionales Illyricos, in pietate, & literis magis proficere possint, præfatis Alumnis in Lauretano Collegio adjungimus, quibus idem eleemosynarius noster, ut imposterum, uti hactenus consuevit, omnia necessaria pro sufficienti illorum sustentatione, & educatione subministrare debeat; absolutisque ab eisdem Bulgaricis Alumnis studiis semper alios vicissim, substitui, sumique ex eodem Regno, per eandem Congregationem de Propaganda Fide, ad Episcopi Sophien. pro tempore existentis, nominationem, eodem quo hactenus numero, & provisione declaramus.

Gubernium Collegii datur Presbyteris Soc. Jesu.

§. 12. Cęterum cum dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis JESU in hoc educandorum, instituendorumq; adolesentium munere diligentia, fides, integritas, & in aliis ejusmodi Collegiis, & in hoc ipso quamdiu Laureti, & in Seminario Romano fuit, satis cognita sit, atque perspecta, Collegium, atque Scholares hujusmodi ipsorum, sicuti à prima illius origine fuit regimini, institutioni, doctrinæ, atque obedientiæ, sub regulis, & constitutionibus per dictam Congregationem de propaganda fide, appobatis, quas Apostolica auctoritate confirmamus, easdemque à Rectore, Alumnis perpetuò observari mandamus, eadem auctoritate subjicimus atq; submittimus.

Privilegia gener. Collegii, & presertim studio general Urbis concessa. Vide const 9. Locis 8. 10. 1. p. 159

§. 13. Et insuper eidem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus, ac Ministris, omnia, & quæcumque privilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus Studium generale Almæ Urbis, & illius Rector, Doctoresque in eo legentes, aliaque Collegia quarumcumque Nationum, & Seminariorum, tàm in eadam Alma Urbe, quàm extra illam per prædecessores nostros Romanos Pontifices instituta, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quibusque Collegium, Scholares, Rectores, & Gubernatores hujusmodi non solum ad eorum instar, sed etiam æque principaliter uti, potiri, & gaudere valeant, in omnibus, & per omnina, dicta auctoritate communicamus.

Privilegia Superiorum Collegii ad Aravo rem Alumnorum.

§. 14. Præterea Regentibus, & Superioribus dicti Collegii cum assistentia tamen Cardinalis Protectoris, qui pro tempore constitutus fuerit, & de ejus consilio, & expresso consensu, illos, quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus studuisse, ac scientia, ac moribus idoneos esse repererint, in præfatis facultatibus, ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratusque & Magisterii gradus, servata forma Concilii Viennen. juxta universitatis Almæ Urbis consuetudinem, seu aliàs promovendi, & ipsorum graduum solita insigna exhibendi, eisque in facultatibus suprascriptis sic promotis, aut illas legitimè interpretari, ac de eis disputare, quoscumque gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere ac omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in prefata, seu aliis universitatibus, & alibi, juxta illius, & aliarum universitatum hujusmodi constitutiones, & mores, ad gradus prefatos promoti, de jure, vel consuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere possint, & debeant, perindè ac si gradus præfatos in ipsa universitate juxta consuetudines, & mores præfatos suscepissent, concedendi, & indulgendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem, earumdem tenore presentium concedimus, & impartimur.

Deputatio Protect. Collegii.

§. 15. Præterea, ut ejusdem Collegii conservationi, bonoque regimini, tam in his, que ad Scholarum institutionem, & disciplinam, quàm quæ ad victum, vestitum, aliaque hujusmodi necessaria pertinent, opportunis consulatur, & promptum eis, paratumque auxilium sit dilectum filium nostrum Scipionem tituli Sancti Chrysogoni Presbyterum Cardinalem Burghesium, nuncupatum, sacrosanctæ Lauretanæ Domus Protectorem, ejusdem Collegii Illyrici Protectorem & defensorem, cujus auctoritate, consilio, & ope, tam suprascripta, quàm quęcumque alia, ad eosdem in dicto Collegio admittendos Scholares, retinendosve, locisve privandos, atque de beneficiis Ecclesiasticis providendos spectantia, agantur, statuantur, & ordinentur, dicta auctoritate Constituimus, & deputamus.

Ejusdem facultates.

§. 16. Dantes eidem, & pro tempore existentibus ejusdem Collegii Protectoribus, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem, pro salubri directione, & conservatione dicti Collegii, illiusque bonorum, & rerum, ac jurium, tàm temporalium, quàm spiritualium Oeconomos, Advocatos, Procuratores, aliosque Ministros, & Officiales in eo deputandi, amovendique & alios eorum loco sufficiendi. Ordinationes præterea, statuta, æqua tamen, & honesta, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini, Sacręque Congregationis de propaganda fide decretis, circa Collegia Pontificia editis, non repugnantia, faciendi, & edendi, eaque cum opus visum fuerit revocandi, irritandi, corrigendi, aliaque, de novo condendi, quæ postquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuerint, perindè haberi volumus, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata essent.

Decretum irritans.

§. 17. Ac decernentes illa ab omnibus Rectoribus, & Magistris, Scholaribus, aliisque personis in hujusmodi Collegio servientibus, ministrantibus, inviolabiliter observari, ac juxta eorum dispositionem à quiqusvis Judicibus, sublata quavis aliter judicandi facultate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, exceptis tamen iis, quæ in presenti fundatione, vel in regulis, & constitutionibus à Congregatione de Propaganda fide approbatis, & à nobis, ut prefertur confirmatis, continentur.

Gratiæ spirituales Alumnis concessę.

§. 18. Ut verò etiam temporalibus commodis spiritualia munera addamus, quibus fidelium, de-

votio,

votio, & merita, crescere magis, & augeri possint; De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate, confisi, omnibus, & singulis Scholaribus, qui in dictum Collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, siquidem confessi, & contriti, sacram Comunionem devotè receperint, atque etiam si in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur.

Executores præsentis Bullæ.

§. 19. Quocirca dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac venerabilium Fratrum nostrorum Lauretañ, & Anconitañ Episcoporum Vicariis in spiritualibus generalibus, Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit ac quoties pro parte Rectorum, & Scholarium hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac Rectores, & Scholares præfatos illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes, eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas, servata forma Concilii Tridentini, & iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 20. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Civitatis Lauretañ juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus, Collegiis eorumque Rectoribus, & personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, etiamsi de illis, earumque totis tenoribus pro earum sufficienti derogatione specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda, & tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè, Motu pari derogamus, contrariis quibuscumque, aut si quibusvis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Exemplorum fides.

§. 21. Volumus autem, quòd earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo communi dicti Collegii, aut alicujus Curiæ Ecclesiast. seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra, ac aliàs ubicumque opus fuerit, habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, indulti, adjunctionis, declarationis, confirmationis, subjectionis submissionis, impartitionis, constitutionis, deputationis, decreto concessorum, elargitionis, mandatorum, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D.P. Anno 5. diei. Jun.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Kalend. Junii Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXXI.

Confirmatio, & innovatio Constitutionum Sixti Quinti, Clementis VIII. & Pauli V. super prohibitione alienandi Fortalitia, & Castra, aliaque bona Jurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia, absque Sedis Apostolicæ licentia.

Earumque declaratio, & extensio respectivè quoad Castra diruta Tenutas, & Prædia, etiamsi jurisdictionalia in confinibus loci Jurisdictionalis, & bona in dicto Statu in confinio Principum ex eorum situ, illorumque locationes, & censuum annuorum super præmissis omnibus impositiones, & impositorum venditiones.

Prohibitionem Sixti V. de hujusmodi alienationibus habes supra i n Const. 3. Sollicitudo to. 2. Innovationem verò, & declarationem Clementis VIII. habes in 3. tom. Const. 78. Romanam. Et earumdem Confirmationem, ac pariter innovationem Pauli V. habes supra Constit. 108. pastorale to. 3. Terminum demum præfixit partibus ad revocandum alienata contra formam hujus Constitutionis, ut infra Constitut. 84. Sedes Apostolica.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1627.

Proœmium.

DEcens, & æquum esse censemus, ut nos, qui ex onere Pastoralis Officii, subditorum commodis assiduè invigilamus, Sedis Apostolicæ jura tueri nullo pacto negligamus, ac proinde Jurisdictiones temporales eidem Sedi subjectas, quovis pretextu, vel colore à quoquam usurpari, aut illis gravamina, seu incommoda inferri non permittamus, & si super Constitutionibus Apostolicis per Romanos Pontifices prædecessores nostros editis, dubia aliqua oriri contingat, nostræ declarationis remedio, abstractisque illarum interpretationibus, & quorumcumque contrahentium palliationibus, occurramus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sixtus V. pro hibuit ne Civitates venderentur.

§. 1. Cum itaque aliàs fel. rec. Sixtus V. considerans convenire, quod si Civitates, Castra, Oppida, Jurisdictiones, Fortalitia præsertim feudalia vendantur, vel permutentur, seu etiam donentur ditione temporali S.R.E. subditis, sive extraneis, vel forensibus, id ad Principis notitiam deducatur per suas sub Dat. videlicet Kalen. Julii Pontificatus sui Anno Primo, omnibus, & singulis cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis existentibus, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate, & dignitate etiam Ecclesiastica, quæ specialem, & individuam mentionem requireret, præditi essent, ne Civitates, Castra, Oppida, Jurisdictiones, Fortalitia, & seu bona, aut loca jurisdictionalia hujusmodi in alium, vel alios quoscumque, nisi de expressa præcedente sua, & pro tempore existentis Romani Pontificis licentia vendere, permutare, vel donare valerent, sub pœna nullitatis contractuum hujusmodi prohibuerit, aliaque etiam circa præmissa statuerit.

§. 2. Et

Clem VIII. d. prohibitionem ampliavit.

§. 2. Et successivè Clemens VIII. volens hominum malitiis, & fraudibus occurrere, & dubia, quæ tunc super præmissorum interpretatione emergebant, declarare, per suas sub Dat. Prid. Non Julii, Pontificatus sui Anno Decimo, prohibitionem, & statuta prædicta confirmaverit, approbaverit, innovaverit, declaraverit, extenderit, & ampliaverit, pœnasque amissionis bonorum, & aliorum prædictorum contrafacientibus, ac privationis officiorum Tabellionibus, & Notariis, qui de contractibus, ut præfertur prohibitis se rogareat, aliaque etiam jusserit, & decreverit.

Paul. V. ea omnia confirmavit.

§. 3. Et insuper Paulus etiam V. Romanus Pontifex prædecessor noster, ne disposita per Sixtum, & Clementem prædecessores præfatos variis, & alienis ab eorum mente interpretationibus subverti, ac palliatis conventionibus eludi possent, etiam per suas sub Dat. duodecimo Kal. Decembris Pontificatus sui Anno Tertiodecimo, confectas literas, nedum præmissa confirmaverit, & innovaverit, sed etiam declaraverit, & quatenus opus esset, ad quodcumque genus contractuum, & conventionum extenderit, & ampliaverit, ac licentiam prædictam in scriptis prius obtineri, & in actu celebrationis contractus apud Notarium exhiberi mandaverit, & contrafacientes nullitatis contractuum, & privationis rei alienatæ, seu translatæ, vel gravatæ, ac Tabelliones, seu Notarios pœnas falsi, ac privationis officiorum omnium, quæ obtinerent, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum exercenda incurrere voluerit, aliaque similiter disposuerit, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Inventi sunt modi alienandi in præjudicium Cam.

§. 4. Ab inde verò citra hominum versutiam, & artificium adversus prædictarum literarum tenorem, vel ipsorum prędecessorum verisimilem intentionem, & mentem, cautelas, & modos aliquos, absque prædicta Romani Pontificis licentia alienandi, & contrahendi adinvenerit, & excogitaverit, alienando, & respectivè acquirendo Castra diruta, seu tenutas, jurisdictionales etiam cum retentione, seu reservatione Jurisdictionis, ac etiam Barones, seu Domicelli, Casalia, Tenutas, sive prędia etiam non Jurisdictionalia in confinibus Territorii alterius Civitatis, Castri, Oppidi, vel loci Jurisdictionalis alterius Baronis, seu Domicelli existentia, illa etiam, nulla Romani Pontificis obtenta licentia, alteri Baroni, seu Domicello convicino vendiderint, seu alienaverint, & respectivè emerint, seu acquisiverint, & ex prædictis alienationibus, & acquisitionibus respectivè dubitari possit, ne, tempore saltem pręcedente, jurisdictio aliqua usurpetur, ac termini, seu fines jurisdictionales confundantur, aut protrahantur, vel illam usurpandi, seu illos confundendi, & protrahendi occasio inde aliqua præbeatur, etiam in præjudicium Sedis, & Cameræ Apostolicæ, ac pręsertim in eventum cujuscumque aperitionis Feudi, & devolutionis, seu cujuscumque alterius acquisitionis Civitatum, Castrorum, Oppidorum, seu locorum jurisdictionalium, aut Casalium, seu Tenutarum, sive prædiorum eorumdem.

Hic Pont. dd. Constitutiones confirmat, & innovat.

§. 5. Nos attendentes, prędictas literas ad hoc, ut omnia Principi innotescant, emanasse, & verisimilem eorumdem Pontificum prædecessorum nostrorum intentionem extitisse, ne ullo modo Cameræ prę fatæ præjudicium aliquod inferri possit, easdemque rationes, etiam in hujusmodi contractibus, & alienationibus, ac acquisitionibus militare, ex prædictis, seu aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, & remedium opportunum exquirentibus adducti, singularum literarum prefatarum, ac alienationum, acquisitionum, & contractuum quorumcumque, necnon omnium in singulis literis prædictis expressorum, & aliorum hic etiam de necessitate exprimendorum tenores, præsentibus pro expressis, habentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, singulas Sixti, & Clementis, ac Pauli prædecessorum nostrorum prędictorum literas prædictas approbamus, & confirmamus, ac etiam, quatenus opus sit, innovamus.

Irritat locationes ultra triennium.

§. 6. Præterea, quascumque venditiones, seu alienationes, ac locationes ultra triennium cujuscumque Civitatis, Oppidi, seu diruti, seu Tenutæ Jurisdictionalis, vel cujuscumque Casalis, Tenutæ, seu prædii etiam non Jurisdictionalis in confinibus alterius Civitatis, Castri, Oppidi, seu loci Jurisdictionalis, ejusve Territorii siti, & etiam ab uno tantum latere confinantis, hactenus, à die Dat. ultimo dictarum literarum, per quemcumque Baronem, seu Domicellum cuicumque alteri Baroni, seu Domicello, Civitatem, Oppidum, Castrum, seu locum quemcumque jurisdictionalem, ejusve Territorium in confinio quomodolibet positum possidenti cujuscumque qualitatis, conditionis, status, gradus, & dignitatis etiam Ecclesiasticæ, etiam speciali, ut præfertur, & individua nota dignæ ipsi alienantes, & locantes, ac etiam acquirentes, & conducentes fuerint, & sint, sive simpliciter, sive cum assertione non existentis Jurisdictionis, sive cum Jurisdictionis penes venditorem, seu reservatione, aut alias quomodolibet factas, etiam hujusque effectum plenum sortitas ultimo dictarum literarum dispositioni, quoad nullitatem præfatarum alienationum, acquisitionum, & contractuum dumtaxat subjacuisse, & subjacere, & hujusmodi alienationes, acquisitiones, & contractus inter Barones, seu Domicellos, ut prefertur, facta, & inde sequuta quæcumque nulla, nulliusque roboris aut momenti fuisse, & esse declaramus.

Quòd Notarii exhibeant scripturas infra 60. dies.

§. 7. Ac Tabelliones, & Notarios de illis rogatos, sub eadem privationis Officiorum, aliisque nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio incurrendis pœnis, Instrumenta, & scripturas desuper jam facta Nobis, & Cameræ prafatæ intra sexaginta dies à die infrascriptæ publicationis præsentium computandos, revelare, & cum effectu exhibere teneri volumus, & mandamus.

Extendit dd. Constitutiones ad omnes locationes.

§. 8. Denique singulas literas prędictas, & in eis contenta quæcumque, tàm ad venditiones, permutationes, & quascumque alienationes, & locationes etiam ad triennium, vel quantumvis minus tempus à quocumque etiam non Barone de Casalibus, Tenutis, seu prędiis non Jurisdictionalibus, quæ in confinibus etiam ab uno tantùm latera alicujus Civitatis, Castri, Oppidi, vel loci jurisdictionalis, vel ejus Territorii consistant, de cœtero directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè, ac alias quomodolibet alicui Baroni, ut prefertur, Jurisdictionem, seu bona in confinio possidenti.

Necnon ad locationes in Statu Eccles.

§. 9. Ac etiam ad quascumque locationes bonorum quorumcumque in Statu nostro Ecclesiastico, in confinio tamen Dominii cujusvis Principis exteri, etiam Nobis mediatè, vel immediatè subjecti existentium, cujus etiam non Baroni, qui tamen noster subditus non sit, vel esse quandocumque desierit, eo ipso illæ nullæ sint, & resolventur, faciendas.

Ac etiam ampliat ad impositiones.

§. 10. Quam etiam ad quascumque impositiones, venditiones, cessiones, alienationes censuum annuorum, juxta Constitutionem per piæ memoriæ Pium Papam V. etiam prędecessorem nostrum de creandis censibus editam super prędictis Civitatibus, Castris, Oppidis, locisve jurisdictionalibus, aliisque bonis non jurisdictionalibus, in confinio alicujus Civitatis, Castri, Oppidi, seu loci jurisdictionalis, ut prefertur, ejusve Territorii, etiam ab uno tantum latere confinantis existentibus, per

quoscumque

quoscumque Barones, seu Domicellos, & alios quoscumque etiam Communitates, Universitates, & quorumcumque Monasteriorum, Ecclesiarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, & aliorum piorum locorum Superiores, & Conventus, Capitula, Rectores, Beneficiatos, & Gubernatores, seu Administratores respective in futurum imponendorum, ac tam quoad illos, quam etiam quoad antea jam impositos vendendorum, cedendorum, seu alienandorum ad favorem cujuscumque, ita quod nullum jus praelationis in emendis praefatis Civitatibus Castris, Oppidis, aut locis jurisdictionalibus, sive non jurisdictionalibus prefatis Censuariis, aliisve ab ipsis causam pro tempore quomodolibet habentibus, unquam tribuant in prejudicium dictae Camerae, quae eisdem Censuariis, & aliis prefatis semper erit praeferenda sive emat ad effectum retinendi, sive intra annum à die emptionis computandum cuilibet alteri rem emendam, vendendi, vel cedendi, extendimus, & ampliamus.

Clausula sublata.

§. 11. Sicque & non aliter in omnibus, & singulis premissis per quoscumque Judices ordinarios, delegatos, & Commissarios, & etiam Camerae prefatae Clericos, Praesidentes, necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam Camerarium, & de latere Legatos judicari, & definiri, ac interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Mandatum observantiae d. Constit.

§. 12. Injungentes, & mandantes in virtute sanctae Obedientiae, ac sub poena indignationis nostrae, eisdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus etiam Urbis, ac Judicibus, nunc, & pro tempore in eadem Urbe, & toto Statu nostro Ecclesiastico existentibus, & cuilibet eorum, ut praesentes nostras, & in eis contenta quaecumque in Urbe, ac Statu prefatis ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & in futurum spectabit, perpetuo observari mandent, & faciant, & pro omnium, & singulorum praemissorum inviolabili observatione contra inobedientes, & praemissis in aliquo contravenientes, & alios, quos opus erit omnibus juris, & facti remediis opportunis procedant, omni, & quacumque appellatione remota.

Clausula derogatoria.

§. 13. Non obstantibus praefata Pii V. super creandis censibus, & nostra de non tollendo jure quaesito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae Sixtus, & Clemens, ac Paulus predecessores praefati in dictis eorum literis voluerunt non obstare, coeterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio in Urbe omnes ligare decernit.

§. 14. Ut autem presentes omnibus innotescant, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod illae in valvis Ecclesiae Lateranen. & Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon in acie Campi Florae publicentur, & affigantur, quae postquam sic affixae, & publicatae fuerint, quoscumque tàm in Romana Curia, & Statu prefato. Quàm extra eos existentes per inde obligent, & arctent, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatę fuissent.

Transumptorum fides.

§. 15. Quodque earum exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsismet presentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensę.

Decretum poenale adjungit.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam aprobationis, confirmationis, innovationis, declarationis, extensionis, ampliationis, injunctionis, mandati, voluntatis, & decretorum nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicae 1627. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno quinto.

D. P. A. 5. die 1. Junii

Publicatio

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1626. Indictione decima, die verò vigesima mensis Junii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina providentia Papae Octavi, anno ejus quinto retroscriptae literae Apostolicae affixae, & publicatae fuerunt in valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Florae, dimissis ibidem eisdem literis per aliquantulum temporis spatium appensis, & deinde amotis, per nos Paulum Bartoceium, & Camillum Fundatum Sanctiss. D. N. Papae Curs.

Brandimartes Latinus praelibati S. D. N. Papae Curs. pro Mag. Curs.

LXXXII.

Concessio celebrandi Missam, & recitandi Officium die 5. Februarii de Viginti tribus Martyribus ex Ord. Min. S. Francisci de Observantia Provinciae Discalceatorum S. Gregorii, Philippiniarum, & Japoniae pro Fratribus dicti Ordinis ubique existentibus, & pro aliis quibuscumque Manilen. Dioecesis tantum.

Isti Beati fuerant Martyrio coronati una cum tribus aliis è Societate JESU; quorum Beatificationem habes in Const. seq. Et alteram Beatificationem Paschalis Bailon hujus Ordinis professi, vide supra in Paul V. const. 101. In sede tom. 3.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1626.

Exordium.

Salvatoris, & Domini nostri JEsu Christi, qui Milites suos inclitos, quorum mors pretiosa in conspectu ejus, immortalitatis corona donat in Caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia Christi fidelium praesertim Catholicorum Regum vota, per quae eorundem Sanctorum militum veneratio promovetur, & laudatur Dominus in Sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusq; & gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatum fuit Pont. pro facultate de qua in Rub.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Baptista Procurator Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Discalceatorum nuncupatorum Provinciae Sancti Gregorii Filippinarum, & Japoniae, nobis nuper exponi fecit, venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus praepositi in Causa Canonizationis Vigintitrium Martyrum, videlicet, Petri Baptistae, & sociorum ejus ex dicto Ordine, quorum nempè sex professi, caeteri verò laici familiares, & coadjutores eorumdem sex professorum erat, quique omnes pro Christi nomine in Oppido Civitate nuncupato Nangasaqui extra muros in Regno Japoniae Cruci affixi, & transverberati fuerunt, in Sacro Rotae Auditorio, & deinde de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscae Presbytero Cardinale Muto nuncupato, discussa, censuerint constare de martyrio, & miraculis, ideoque ad actualem illorum Canonizationem quandocumque deveniri posse; Superiores verò dicti Ordinis pro eo, quem erga eosdem Martyres gerunt devotionis affectu, Officium, & Missam de illis, donec ad solemnem eorum Canonizationem, pro qua non solum dictus Petrus eorumdem Fratrum nomine, verum etiam charissimus in Christo filius noster Phil. Rex Catholicus, ac charissima in Christo filia nostra Isabella Regina Catholica Hispanarū necnō uni-

universa Civitas Manilensis, & Chinensis, seu Machaonensis, aliique Nobis per eorum literas ad Nos transmissas humiliter supplicarunt, deveniatur, ut infrà recitari posse plurimùm desiderent.

Qui modò eam concedit.

§. 2. Nos piis eorumdem Superiorum votis hujusmodi quantum cum Domino possumus, annuere, illósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus dicti Petri eorumdem Superiorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati: De eorumdem Cardinalium consilio: Ut de eisdem Martyribus, tàm ab omnibus dicti Ordinis Sancti Francisci Religiosis ubique existentibus, quàm etiam aliis Ecclesiasticis, & sæcularibus personis Malinensis Diœcesis dumtaxat, ubi præcipui dictorum Martyrum pro Christi fide laborantes valdè profecerunt, Officium, & Missa de Communi plurimorum Martyrum die eorum Natalis videlicèt die quinta Februarii recitari, & celebrari respectivè liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Contraria removendo.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptísque fidem mandando.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 5. die 14. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 14. Septembris 1627. Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXXIII.

Indultum celebrandi Missam, & recitandi Officium, de tribus Martyribus Paulo Michi, Joanne de Goto, & Didaco Quizai è Societate JESU quotannis die quinta Februarii pro omnibus dictæ Societatis Religiosis.

Hoc indultum ad omnes Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares ad Ecclesias hujus Societatis confluentes extendit Sacra Rituum Congregatio, ut in Decreto mox subsequente, quod S. Dominus Noster Urbanus VIII. approbavit. Et de hac Societate habes suprà notata in Constitutione 25. Pauli III. Regimini. Tom. 1.

Edita An. D. 1627.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

Salvatoris, & Domini Nostri JESU CHRISTI, qui Milites suos inclytos, quorum mors pretiosa est in conspectu ejus, immortalitatis coronâ donat in Cœlis, vices quamquàm immeriti gerentes in terris, pia Christifidelium præsertim Catholicorum Regum vota, per quæ eorumdem Sanctorum militum veneratio promovetur, & laudatur Dominus in Sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribúsque & gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatio facta Pont. pro hujusmodi conveniente.

§. 1. Cùm itaque, sicut dilecti Filii Præpositus Generalis, & Presbyteri Societatis Jesu Nobis nuper exponi fecerunt, Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sacris Ritibus præpositi in causa Canonizationis trium Martyrum, videlicèt, Pauli Michi, ac Joannis de Goto, & Didaci Quizai ex dicta Societate, qui pro Christi nomine in Oppido Civitate nuncupato Nangasaqui extrà muros in Regno Japponiæ Cruci affixi, & transverberati fuerunt, in Sacro Rotæ Auditorio, & deindè de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato discussa, censuerint, constare de martyrio, & miraculis, ideóque ad actualem illorum Canonizationem quandocumque deveniri posse. Præpositus verò, & Presbyteri prædicti pro eo quem ergà ipsos Sanctos Martyres gerunt, devotionis affectu, Officium, & Missam de illis donec ad solemnem eorum Canonizationem (pro qua non solùm iidem Præpositus, & Presbyteri, verùm etiam charissimus in Christo Filius noster Philippus Rex Catholicus, ac charissima in Christo Filia nostra Isabella Regina Catholica Hispaniarum, necnon universa Civitas Manilensis, & Chinensis seu Machaonensis aliique Nobis per eorum literas ad Nos transmissas humiliter supplicarunt) deveniatur, ut infrà recitari posse plurimùm desiderent.

Concessio de qua in rubr.

§. 2. Nos piis ipsorum Præpositi, & Presbyterorum votis, quantum cum Domino possumus annuere, illósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Supplicationibus Præpositi, ac Presbyterorum prædictorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De eorumdem Cardinalium consilio: Ut de eisdem Martyribus ab omnibus dictæ Societatis Religiosis ubique existentibus, Officium, & Missa de Communi plurimorum Martyrum, die eorum Natalis, videlicèt, die quinta Februarii recitari, & celebrari respectivè liberè possit, & valeat Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis: manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 15. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Septembris 1627. Pontificatus nostri Anno quinto.

Sequitur Decretum Sacræ Rituum Congregationis, quo prædictum Indultum extenditur ad omnes Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm Regulares ad Ecclesias dictæ Societatis confluentes.

Cùm aliàs sub die 3. Julii 1627. Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo, concesserit, ut de tribus Sanctis Martyribus è Societate JESU Paulo Michi, Joanne de Goto, & Didaco Quizai in Japponia pro Christi fide Cruci affixis, Officium ac Missa de communi plurium Martyrum ipsa die eorum martyrii, nempe 5. Februarii, ab omnibus presbyteris ejusdem Societatis, ubique existentibus, recitari, & celebrari posset; Instante Generali Patrum Societatis JESU, Indultum prædictum, ad omnes Sacerdotes, tàm Seculares, quàm Regulares ad eorum Ecclesias confluentes extendi posse eadem Sacra Congregatio censuit, facto verbo cum Sanctissimo, Sanctissimus annuit die 26. Septembris 1629.

Jo. Baptista Card. Detus.

F. Fulv. Benig. Secr.

Præfigi-

LXXXIV.

Præfigitur terminus trium mensium ab istius Constitutionis publicatione partibus ad retractandum omnia contrà Constitutiones Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. super prohibitione alienandi Fortalitia, & Castra, aliáque bona Jurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia absque Sedis Apostolicæ licentia, & contrà illarum declarationem, & extensionem respectivè quoad Castra diruta, & alia in eis expressa à Sanctitate Sua emanatas, gesta, & Notariis, etiam Sedis Apostolicæ, etiam de numero participantium ad instrumenta, de quibns sunt rogati exhibendum, & in eorum margine cassationes adnotandum. Et insuper mandatur testibus quatenùs contractus omnes, quibus interfuerint, intrà similem terminum à die contractus revelare, & de eis notam dare debeant.

Prohibitionem hujusmodi alienationum à Sixto V. editam, habes inter ipsius Const. 3. incipien. Sollicitudo. suprà Tom. 2. Et Clem. VIII. declarationem, & extensionem lege in ejusdem Const. 78. Romanum. Tom 3. Ac Pauli V. innovationem require suprà Const. 108. Pastorale. Tom. 3. Quas omnes postremò confirmavit, innovavit, & ampliavit hic Sanctissimus Pont. in Constit. 81. Decens. suprà.

Quia verò multæ alienationes contrà tenores dictarum Constitutionum factæ fuerunt, & ne temporis progressu jurisdictio aliqua usurpetur seu fines jurisdictionales confundantur, erexit Congregationem de Confinibus Status Ecclesiastici, Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subjecti, nuncupandam, ut Const. seq. Debitum Pastoralis.

Edita An. D. 1627.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SEdes Apostolica pia mater filiis pœnas, quas illi per inobedientiam, vel negligentiam incurrunt, aliquando remittere, & condonare consuevit ad hoc, ut illi benignitatem experti, ad ea, quæ sibi injuncta sunt, fideliùs peragenda incitentur, eos verò, qui clementiam suam agnoscere non curant, timore pœnæ perterrere non desistit.

Refertur dispositio Constitutionis ab ipso editæ quam habes indicatam in rubr.

§. 1. Nuper siquidem per alias nostras, sub Dat. videlicèt Calendas Junii Pontificatus nostri anno quarto, confectas literas, Constitutiones per fœlicis recordationis Sixtum V. Clementem VIII. ac Paulum etiam V. Romanos Pontifices Prædecessores nostros super Prohibitione Fortalitia, & Castra, aliáque bona jurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia absque Sedis Apostolicæ licentia alienandi editas confirmavimus, & innovavimus, eásque quoad Castra diruta, Tenutas, & Prædia etiam non jurisdictionalia in confinibus loci jurisdictionalis, & bona in dicto Statu in Confinio Principum exterorum sita, illorúmque locationes, & censuum annuorum super præmissis omnibus impositiones, & impositorum venditiones extendi declaravimus, & respectivè extendimus, prout in dictis literis pleniùs continetur.

Partibus quæ dictis Constitutionibus Clem. VIII. SixtiV. & Pauli V. & hujus Pont. contravenerunt præfigitur terminus trium mensium.

§. 2. Licèt autem omnes, & singuli, qui ad venditiones, alienationes, locationes, aliáque in singulis Constitutionibus, ac etiam nostris literis prædictis respectivè fieri prohibita, aut eorum aliquod nullâ Sedis Apostolicæ præcedente in scriptis obtentâ licentiâ, vel illa apud Notarium in actu celebrationis contractus minimè dimissâ devenerint, & seu executioni demandaverint, pœnas omnes in Constitutionibus, & earum qualibet, ac etiam in nostris literis prædictis contentas eo ipso incurrerint, & incurrisse censeri debeant. Nihilominùs ex nostra benignitate mitiùs agendo, Motu proprio, non ad alicujus oblatæ Nobis desuper petitionis instantiam, sed ex mera nostra scientia, & deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis, qui in præmissis, aut eorum aliquo hactenùs contravenerint, terminum trium mensium, à die publicationis præsentium computandum, intrà quem omnes, & singuli tàm emptores, quàm venditores, cæterique quomodolibet contravenientes omnia, & singula per eos gesta, & indè secuta quæcumque retractasse, & actu retrosimili in pristinum, prout antè secutam aliquo modo contraventionem erant, reposuisse, & restituisse debeant, Apostolica auctoritate præfigimus per præsentes, quo quidem termino durante pœnas prædictas, tàm ab ipsis contrahentibus, scilicèt, venditoribus, alienantibus, & locatoribus, ac emptoribus acquirentibus, & conductoribus, quàm à Notariis exigi nolumus.

Quo elapso tamquam contrà non parentes manu regia, & executivè procedatur, & pœnæ exigantur.

§. 3. Ipso autem termino elapso, & præmissis non parito, tàm Cameræ nostræ Apostolicæ Commissarium, quàm Fisci Procuratorem Generalem dilectos Filios posse, & debere ejusdem Cameræ nomine, & nemine vocato, ac manu regia, & executivè, ac etiam de facto, citrà vitium spolii, nullitatis, & attentatorum, possessionem bonorum venditorum, alienatorum, vel locatorum capere ad effectum retinendi, & fructus illorum percipiendi ad utilitatem dictæ Cameræ, ac respectivè possessionem suo tempore consignandi juxtà Constitutionum, & nostrarum literarum prædictarum formam personis in eisdem Constitutionibus, & nostris literis designatis, necnon etiam desuper agere coràm quocumque Romanæ Curiæ, seu Status nostri Ecclesiastici Judice pro effectuali, & integra revocatione, restitutione, & repositione omnium, & singulorum in pristinum, non obstante taciturnitate, negligentia, ac etiam contradictione ipsorummet contrahentium, & cujuslibet eorum, ità quòd etiam illis, seu altero eorum non instantibus, quinimò etiam invitis, & contradicentibus, omnia ut præfertur, etiam manu regia in pristinùm quamprimùm reponantur, & contravenientes, ac omnia, & singula in pristinùm infrà dictum terminum trium mensium non reponentes in pœnas prædictas ipso jure, & absque aliqua declaratione, etiamsi quoad contrahentes, & eorum quemlibet pretia restituta, aut alia in recompensam soluta, tradita, vel eis quomodolibet promissa adimpleta non fuerint incurrisse, & in illas incidisse.

Notarii omnes etiam Sedis Apost. etiam participantes instrumenta hujusmodi exhibeant, & in margine cassationes adnotentur intrà dictum terminum aliàs in pœnas incidisse censeantur.

§. 4. Notarios quoque etiam Sedis Apostolicæ nuncupatos, etiam de numero participantium intrà eumdem trium mensium terminum, tàm in exhibendo Instrumento, quàm etiam ulteriùs in adnotando in margine ipsorum Instrumentorum cassationem, retractationem, restitutionem, & repositionem in pristinum omnium contrà Constitutionum, & literarum prædictarum tenorem actorum, paruisse debere, aliàs privationis officiorum suorum, & alias omnes pœnas in eisdem Constitutionibus, & literis inflictas incurrisse eadem auctoritate decernimus, & declaramus.

Testes qui hujusmodi contractibus interfuerint, revelent contractus, & Notarios de illis rogatos infrà terminum trium mensium à die celebrationis cujusque contractus.

§. 5. Et insuper, ne Constitutiones, & nostræ literæ prædictæ ex occultis contractibus fraudari contingat, præcipimus, & mandamus, quod omnes, & singuli testes, qui in prædictis contractibus, scilicèt, venditionis, alienationis, locationis, & aliis, ut præfertur, prohibitis de cætero celebrandis adhibiti fuerint, infrà terminum trium mensium à die cujuslibet celebrati contractus computandorum sub pœnis nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis contractus, quibus invenerint, revelare, & de eis, ac Notariis de illis rogatis notam dare teneantur, etiamsi contractus ipsi in executionem judicati, vel in vim subhastationis, aut aliàs quomodolibet celebrati extiterint.

Licentia, & Beneplacita Sedis Apost.

§. 6. Demùm licentias, & beneplacitum Apostolicum à Sede Apostolica in quorumcumque Ba-

ronum,

ronum, & aliorum quomodolibet nuncupatorum Montium erectione, seu censuum impositione, vel aliàs quomodolibet concessa hactenùs, ac in posterùm quovis tempore concedenda, ac etiam Motu proprio, aliàs quomodolibet emanata hactenùs, & in futurum emananda, etiam quoad omnia in eisdem licentiis, & beneplacito expressa & exprimenda, sine præjudicio quorumcumque jurium Cameræ Apostolicæ in quemcumque casum, seu eventum cujuscumque devolutionis, seu caducitatis ex quocumque capite hactenùs quomodolibet forsan incursæ, seu de cætero quomodolibet incurrendæ, & purificatæ, seu purificandæ ad favorem Sedis, & Cameræ prædictarum in & super Civitatibus, Castris, Oppidis, Terris, & locis jurisdictionalibus, & non jurisdictionalibus, ac etiam bonis per prædictas Constitutiones, & nostras literas qualificatis, nec aliàs, aliter, alio modo intelligi debere, aut posse harum serie similiter declaramus.

Super præmissis, vel similibus concessa, seu concedenda ad favorem Sedis, & Cameræ Apost. concessa intelligantur.

Clausula sublata.

§. 7. Sicque & non aliter in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, vel commissarios & etiam Cameræ prædictæ Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam Camerarium, & de latere Legatos judicari, & definiri, ac interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, etiam decernimus.

Præceptum observantiæ hujus Const.

§. 8. Injungentes, & mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna indignationis nostræ eisdem Legatis, ac dilectis filiis prolegatis, Gubernatoribus, etiam Urbis, ac Judicibus nunc & pro tempore in eadem Urbe, & toto statu nostro prædicto existentibus, & cuilibet eorum, ut præsentes nostras, & in eis contenta quæcumque in Urbe, ac Statu prædictis ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & in futurum spectabit, perpetuò observari mandent, & faciant, & pro omnium, & singulorum præmissorum inviolabili observatione contrà inobedientes, & præmissis in aliquo contravenientes, & alios, quos opus erit, omnibus juris, & facti remediis opportunis similiter manu regia, & via executiva, ac omni, & quacumque appellatione remota, procedant.

Contrariorum derogatio.

§. 9. Non obstantibus nostra de non tollendo jure quæsito, ac aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ Sixtus, & Clemens, ac Paulus Prædecessores prædicti in dictis Constitutionibus, & Nos in literis nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Forma, & effectus publicationis.

§. 10. Ut autem præsentes omnibus innotescant volumus, & Apostolica auctoritate pariter decernimus, quòd illæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquàm sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscumque tàm in Romana Curia, & Statu Prædicto, quàm extrà eos existentes, perindè obligent, & arctent, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

Exemplorum fides.

§. 11. Quódque earum exemplis etiam impressis manu Notarii publici, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ præfixionis, præcepti, declarationum, injunctionis, mandatorum, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1627. quinto Calendas Octobris Pontificatus nostri Anno quinto.

D. P. An. 5. die 27. Sept.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1627. Indictione decima, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divinâ Providentiâ Papæ Octavi Anno ejus quinto, die verò quinta mensis Octobris, retroscriptæ literæ Apostolicæ publicatæ, & affixæ, fuerunt ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, Sancti Joannis Lateranensis, & in acie Campi Floræ, per nos Paulum Bartoccium, & Augustinum de Bolu Apostolicos Cursores.

Matthias Magister.

LXXXV.

Erectio Congregationis super Confinibus Status Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subjecti, cum deputatione illius Præfecti, & Consultorum, & facultatibus eisdem concessis.

Sixtus V. prohibuit alienari bona in forenses, & Castra aliáque bona jurisdictionalia tàm in forenses, quàm in subditos absque Sedis Apostolicæ licentiâ, ut in ejus Const. 3. Solicitudo. Tom. 2. Quam prohibitionem innovarunt Clem. VIII. in Const. 78. Romanum. Tom. 3. Et Paul. V. Const. 108. Pastorale. suprà Tom. 3. Et pariter iste Pont. eas confirmavit, declaravit, & ampliavit in Const. De cens. suprà. At cùm multæ alienationes contrà prædictas Const. factæ fuissent, ex sua benignitate præfixit partibus terminum ad eas revocandum absque pœnarum incursarum inflictione, ut in Const. præced. Sedes, sed cùm Sanctitati suæ hoc quoque parum profuisse innotuisset, hanc Congregationem erexit, & instituit.

URBANUS EPISCOPUS,

Edita A. D. 1627.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Debitum Pastoralis Officii Nobis meritis licèt imparibus divina dispositione commissi mentem nostram continuâ pulsat instantiâ, ut ad ea quæ nostræ, & Sedis Apostolicæ Civitatum, Oppidorum, & locorum, aliorúmque bonorum, Confinium, & terminorum manutentionem, & conservationem, ac illorum incolarum nostrorum, & dictæ Sedis subditorum securitatem, & tranquillitatem concernunt, etiam per novarum Congregationum præmissis sedulò vigilantium erectionem procuranda, opem, & operam quantum Nobis ex alto conceditur, efficaces impendamus, aliáque desuper disponamus, prout ad Cameræ nostræ, & subditorum eorumdem utilitatem & status nostri Ecclesiastici tuitionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sixt. V. Clement. VIII. & Paul. V. ediderunt const. citatas in rubr. quas iste Pont. innovavit, & extendit. ut in Const. pariter cit. in rubr.

§. 1. Nuper siquidem ex præmissis, & certis aliis tunc expressis rationibus, & causis adducti, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, una à fœlicis recordationis Sixto V. sub Calendis Julii Pontificatus sui Anno primo, quâ cavetur, ne bona in forenses, & Castra, aliáque Jurisdictionalia tàm in forenses, quàm in subditos absque Sedis Apostolicæ licentia alienentur, ac aliam à piæ memoriæ Clementis VIII. sub pridiè nonas Julii Pontificatus sui Anno decimo prædictæ Sixti innovatoriam, ac extensivam, ac reliquam perpetuò valituras constitutiones à recol. memoriæ Paulo etiam V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris sub 12. Calendas Decembris Pontificatus sui Anno 13. respectivè datas, editas, ac prædictas Sixti, & Clementis Prædecessorum etiam innovatoriam, & declaratoriam non tantùm Apostolica auctoritate perpetuò approbavimus, confirmavimus, & innovavimus, sed etiam ad Castra diruta, Tenutas, prædia etiam non jurisdictionalia in Confinibus loci jurisdictionalis, & ad bona in nostro, &

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ statu, ac confinio Principum exterorum sita, illorúmque locationes, ac censuum annuorum super præmissis impositiones, & impositorum venditiones dicta auctoritate etiam perpetuò extendimus, & ampliavimus, prout in nostris desuper sub Dat. Cal. Junii, Pontificatus nostri Anno quarto confectis literis pleniùs continetur.

Causæ erectionis hujus Congregationis.

§. 2. Verùm quia sicut Nobis posteà non sine gravi animi nostri mœrore innotuit, variæ impunè contrà Constitutionum, & Literarum prædictarum tenores factæ fuerunt alienationes, & nisi in præmissis aliquod opportunum remedium adhibeatur, periculum est, ne temporis progressu, & varietate jurisdictio aliqua usurpetur, & termini, seu fines jurisdictionales confundantur, seu confusioni, & usurpationi hujusmodi occasio præbeatur.

Erectio Congregationis de Confinibus status Ecclesiastici Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subjecti nuncupandæ.

§. 3. Nos in præmissis quantum cum Domino possumus, opportunè providere volentes, ac Constitutionum, & literarum hujusmodi, à quibus per præsentes recedere non intendimus, sed in earum primævo robore eas perpetuò remanere volumus, totos, & integros tenores etiam veriores, ac datas perindè ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, Motu proprio non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meráque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationem de Confinibus Status Ecclesiastici Nobis, & Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè, subjecti nuncupandam, quæ uni ex ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Præfectus, & aliis partim ex sacra Consulta Status hujusmodi, partim ex Camera Apostolica prædicta, necnon etiam aliquibus aliis insignibus à Romano Pontifice pro tempore existente seligendis viris, qui Consultores dictæ Congregationis respectivè existant, constare debeat.

Facultates ipsius Congregationis.

§. 4. Et apud quam, ac Præfectum, & Consultores hujusmodi omnes, & singulas venditiones, permutationes, alienationes, & quascumque alias dispositiones contrà, vel præter tenorem, & formam dictarum Constitutionum, & Literarum factas ac faciendas, tàm partibus instantibus, quàm ex officio cognoscendi, examinandi, ac prout eis visum fuerit in toto, vel in parte cassandi, annullandi, aut nullas declarandi, moderandi, restringendi, revocandi, confirmandi, & approbandi, aut de novo concedendi, & dubitationes quascumque super eisdem Constitutionibus, & Literis, causis, & occasione alienationum hujusmodi ortas, vel oriundas tollendi, declarandi, & decidendi, necnon controversias, & lites quascumque sive inter Nos, Sedem, Cameram Apostolicam, & quascumque personas tàm Sæculares, quàm Ecclesiasticas, cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, status, conditionis, & præeminentiæ, etiam de quibus specialis, & individua mentio facienda foret, & quascumque Civitates, Castra, Oppida, Universitates, Collegia, Monasteria, & loca etiam pia, & religiosa, regularia, & Sæcularia, etiam exempta quovis nomine nuncupata, sive etiam inter easdem personas, Civitates, Collegia, Monasteria, & loca prædicta motas, seu movendas, ac omnes, & singulas alias causas Civiles, & Criminales, & Capitales, ac mixtas audiendi, cognoscendi, & quoad Criminales, dummodò sententiam sanguinis per seipsos non ferant, absque alicujus irregularitatis incursu definiendi, & decidendi, & confines quoscumque Status hujusmodi, & singularum illius Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & quorumvis aliorum locorum invisendi, declarandi, ponendi, & amovendi, perturbantes, occultantes, amoventes, incidentes, aut ponentes terminos, seu aliàs quomodolibet, & qualitercumque in & super confinibus, & terminis, & circà confinia, seu ab eis dependentia, annexa, vel connexa delinquentes, aut aquas in vel propè confinia quomodolibet derivantes, aut ab eisdem amoventes, aut ædificium quovis nomine nuncupatum construentes, & quamcumq; servitutem propè vel in confinibus imponentes civiliter, & dummodò sententiam sanguinis, ut præfertur, per seipsos non ferant, criminaliter eorum arbitrio, omni & quacumque appellatione remota, puniendi, vel cuicumque personæ sibi benè visæ etiam in dignitate Ecclesiastica non constitutæ, quæ tamen à Præfecto, & Consultoribus hujusmodi ad id idonea judicata fuerit, causas hujusmodi committendi, sive eam in toto, vel in parte cum iisdem facultatibus subdelegandi, ac unum, vel plures Commissarios, vel Notarios ad capiendas informationes, conficiendósque processus, quando, quoties ac cum quibus opus fuerit, & ad confines invisendos, illorúmque plantas, & descriptiones conficiendas cum provisionibus, salariis, atque expensis per Præfectum, & Consultores prædictos declarandis, ac per locorum Communitates, atque alios interesse habentes, vel etiam per nostram Cameram arbitrio ipsorum Præfecti, & Consultorum persolvendis, transmittendi, & deputandi, ac personis quibuscumque in vel propè confinia Status prædicti habitantibus pro confinium hujusmodi defensione arma quæcumque (non tamen brevioris mensuræ) deferendi simili arbitrio licentiam concedendi, necnon omnes, & singulas causas, lites, controversias, & quæstiones de & super Confinibus, vel eorum annexis, seu connexis principaliter vel secundariò, ut præfertur motas, & movendas à nostris Sacræ Consultæ, Boni Regiminis, & Aquarum, & aliis quibuscumque Tribunalibus, Judicibus, Præsidentibus, Gubernatoribus etiam Urbis, necnon Cameræ Apostolicæ generali, & Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoribus nostris etiam, & dictæ Sedis de latere Legatis tàm ex officio, quàm ad partium instantiam reassumendi, & avocandi, citandi, & inhibendi etiam sub censuris, & pœnis pari arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis, & illas sic reassumptas, & avocatas, & omnes, & quascumque alias præmissa quomodolibet concernentes summariè, simpliciter, & de plano sola facti veritate inspecta, ac manu regia, & sine strepitu, & figura judicii similiter quacumque appellatione remota cognoscendi, seu eisdem Congregationibus, Tribunalibus, Legatis, Judicibus, & aliis personis eidem Congregationi benè visis remittendi, & committendi cum iisdem facultatibus etiam simili arbitrio, & respectivè cum participatione tamen nostra, & non aliàs ea omnia agendi, & gerendi, quæ super Confinibus, Territoriis, & alienationibus, venditionibus, permutationibus, præmissisque omnibus, & singulis, & circà ea Nos, & Sedes Apostolica facere possemus, quæque pro nostrorum subditorum quiete, & dicti status, conservatione necessaria, seu quomodolibet opportuna per eos respectivè judicabuntur etiam privativè ad Congregationes, Tribunalia, Personas, & Judices prædictos, & alios etiam quomodolibet qualificatos sive incidenter, sivè principaliter agatur, plena, libera, & absoluta potestas resideat, Apostolica auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium similiter perpetuò erigimus, & instituimus.

Deputatio præfecti, & Consultorum Congregationis.

§. 5. Ac in Congregationis sic erectæ, & institutæ pro ejus fœlici regimine, & administratione, dilectos filios nostrum Martium S. Mariæ Novæ Diaconum Cardinalem Ginettum nuncupatum Præfectum, Stephanum verò Duratium nostrum, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem & Joannem Beninum ejusdem Cameræ Clericum, ac Franciscum Vitellium Sacræ Consultæ prædictæ Prælatum, necnon etiam pro tempore existentem ejusdem Consultæ Secretarium, ac Antonium Cerrum nostri Consistorii, Cameræ, & Fisci Advocatum, & Cæsarem Raccagnum ejusdem Cameræ Apost. Commissarium Generalem, & Fœlicem Contelorium Bibliothecæ nostræ Vaticanæ, & illius, ac Jo. Baptistam Confalonerium in Theologia Magistrum Arcis S. Angeli Archiviorum Custodes Sedis Apost. Notarios in Consultores, & eumdem Fœlicem in

Secreta-

Secretarium eiſdem auctoritate, & tenore conſtituimus, & deputamus.

Clauſulæ præſervativæ.

§. 6. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nunquàm poſſe, ſed illas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces fore, ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, illáſque ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, aliiſque contrariis, etiam totum tenorem continentibus diſpoſitionibus minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illas revocari, vel limitari, aut ſuſpendi, ſeu eis derogari contigerit, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, & fore.

Clauſula ſublata, Præceptum obſervantiæ, & executionis hujus Conſtit.

§. 7. Sicque & non aliàs in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique, & in quacumque inſtantia judicari, & definiri debere, irritum quoq; & inane, quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Mandantes propterea prædictis, ac pro tempore exiſtentibus Præfecto, necnon Conſultoribus dictæ Congregationis, & eorum ſingulis, ut præſentes noſtras literas obſervent, & exequantur, ac faciant ab aliis, quantum in eis erit, omnibus opportunis juris, & facti remediis firmiter, & inviolabiliter obſervari.

Derogatio contrariorum. Hæc Pii IV. Conſt. eſt ſup. n. 98. in tom. 2.

§. 9. Non obſtantibus quatenùs opus ſit noſtra de Jure quæſito non tollendo, ac ſimilis mem. Pii Papæ Quarti etiam Prædeceſſoris noſtri de ſimilibus, ſeu aliis gratiis intereſſe Cameræ prædictæ quomodolibet concernentibus in eadem Camera regiſtrandis, & inſinuandis; ità ut præſentes abſque alia in eadem Camera admiſſione, & regiſtratione validæ ſint, ſuúmque debitum ſortiantur effectum, aliiſque Apoſtolicis etiam in Provincialibus, Synodalibus, & Univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Cameræ, & Conſultæ hujuſmodi, aliarúmque Congregationum, ſeu Tribunalium, ſi quæ ſint, necnon Urbis, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Villarum, & Locorum quorumcumque etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis Cameræ, Conſultæque ac Congregationibus, ſeu Tribunalibus hujuſmodi, etiam ſuper jure ſimiles cauſas etiam privativè quoad alios cognoſcendi, & terminandi, ac Communitatibus, Univerſitatibus, Baronibus, & aliis quibuſvis, etiam Motu ſimili, etiam conſiſtorialiter, aut aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, etiamſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, eiſdem præſentibus etiam pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcúmque.

Tranſumptorum fides.

§. 10. Volumus autem, quòd earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii dictæ Cameræ Apoſtolicæ ſubſcriptis, ac Capitis ſeu Præfecti, vel alicujus ex modernis, & pro tempore exiſtentibus Conſultoribus hujuſmodi ſigillo munitis, eadem prorsùs tàm in judicio, quàm extrà illud in omnibus, & per omnia fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis, inſtitutionis, conſtitutionis, deputationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eis ſe noverit incurſurum.

Dat. P. An. 5. die 1. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1627. Kalen. Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

LXXXVI.

Conceſſio recitandi Officium, & celebrandi Miſſam de Beata Rita de Caſſia Ordinis Eremitarum S. Auguſtini pro univerſi Ordinis prædicti Fratribus, & Monialibus ubique terrarum, & pro aliis in tota Spoletana Diœceſi.

Edita A. D. 1627.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licèt imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea, per quæ Servorum, & Ancillarum Chriſti honos, & veneratio in terris promoveatur, juxtà creditum Nobis deſuper Apoſtolatus Officium, libenter intendimus, piiſque Chriſtifidelium, præſertim Sanctimonialium, votis, peculiarem ergà illos cultum & venerationem reſpicientibus benignè annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Supplicatio facta Pontif. pro facultate, de qua in Rubr.

§. 1. Sanè nomine dilectarum in Chriſto Filiarum Prioriſſæ, & Monialium Monaſterii B. Ritæ Ordinis Sancti Auguſtini de Caſſia Spoletanæ Diœceſis Nobis nuper expoſitum fuit, quòd ipſæ pro eo, quem ergà dictam Beatam Ritam de Caſſia gerunt, devotionis affectu, Officii, & Miſſam de ea, ut infrà, recitari, & celebrari poſſe ſummoperè deſiderant. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut de opportuna in præmiſſis licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Quam Pont. concedit.

§. 2. Nos igitur piis Prioriſſæ, & Monialium præfatorum votis hujuſmodi, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illóſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio; Ut de dicta Beata Rita in tota Diœceſi Spoletana, ac ab omnibus utriuſque ſexus dicti Ordinis Religioſis ubique exiſtentibus Officium, & Miſſa tamquàm de communi nec Virginis, nec Martyris juxtà Rubricas Breviarii, ac Miſſalis Romani, ac Breviarium ipſius Ordinis à Sede Apoſtolica approbatum reſpectivè recitari, & celebrari liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem impartimur.

Contraria removet.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcúmque.

Tranſumptis fidem dari mandat.

§. 4. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Ec-

clesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 2. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Octobris 1627. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Sequitur Extensio supradictæ concessionis pro confluentibus ubique terrarum ad Ecclesias prædicti Ordinis, & in tota Spoletana Diœcesi ad omnes Ecclesias.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Recenset Indulti concessionem in præced. Constit. contentam.

NUper pro parte dilectarum in Christo Filiarum Priorissæ, & Monialium Beatæ Ritæ de Cassia Ordinis Sancti Augustini Spoletanæ Diœcesis Nobis exposito, quod ipsæ pro eo, quem ergà Beatam Ritam gerebant, devotionis affectu, Officium, & Missam de ea recitari, & celebrari posse desiderabant; Nos earum hac in parte supplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ut de dicta Beata Rita in tota Diœcesi Spoletanæ, ac ab omnibus utriusque sexus dicti Ordinis Religiosis ubique existentibus Officium, & Missa tamquàm de communi nec Virginis, nec Martyris juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, ac Breviarium ipsius Ordinis à Sede Apostolica approbatum respectivè recitari, & celebrari liberè, & licitè posset, & valeret, Apostolica auctoritate licentiam, & facultatem impartiti sumus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Quam nunc extendit, ut in Rubr.

§. 2. Nunc autem dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum totius Ordinis hujusmodi, necnon Priorissæ, & Monialium præfatarum supplicationibus Nobis denuò humiliter porrectis inclinati; de eorumdem Cardinalium consilio, ut in die festivo De eadem Beata Rita Missa tamquàm de communi nec Virginis nec Martyris, juxtà Rubricas Missalis Romani hujusmodi ab omnibus Presbyteris Secularibus ad omnes totius Ordinis præfati, ac Diœcesis Spoletaneæ Ecclesias confluentibus celebrari liberè similiter & licitè possit & valeat, eadem auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem impartimur.

Obstantia tollit.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem jubet.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat P. An. 5. die 4. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Februarii 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXXVII. Confirmatio Decreti à Congregat. S. R. E. Card. Sacris Ritibus præpositorum editi super Præcedentia Confratrum Ordinis Joannis Dei, ac Fratrum Ordinum Mendicantium: Et quarumcumque controversiarum super præmissis pendentium extinctio.

Præcedentias inter Ordines Mendicantium, & Confraternitates Laicorum in Processionibus, declaravit Gregor. XIII. in Constit. 84. *Exposcit. sup. tom.* 2. *Et de hac Religione vide plura quæ notavi ad Pauli V. Constit.* 100. *Romanus. sup. tom* 3. *& ad hujus S. D. N. Const.* 19. *Sacrosanctam.*

Edita An. D. 1627.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

COmmissi nobis per abundantiam Divinæ Gratiæ Pastoralis Officii debitum postulat, ut Sacrarum Religionum, & Congregationum Ecclesiæ Dei ad illius laudem, & gloriam, pauperúmque solamen, atque subsidium, piè sanctéque institutarum, illarúmque personarum paternam curam gerentes in his præcipuè mentis nostræ aciem assiduè intendamus, per quæ illarum paci, & quieti, fœlicique statui consulitur, ut personæ ipsæ sublatis controversiarum materiis in pacis amœnitate vota sua Domino reddant.

§. 1. Cùm itaque dilectus Filius Seraphinus Levicellus Procurator Generalis Congregat. Confratrum Joannis Dei, nobis nuper exponi fecit, quòd Confratribus prædictis multis in locis à Fratribus Ord. Mendicantium, nonnullæ controversiæ de & super præcedentia moverentur, ac providè habito per ipsum eorumdem Confratrum nomine ad Vener. Fratres nostros S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositos recursu, iidem Cardinales, referente dilecto Filio nostro Tiberio Tituli Sanctæ Priscæ Presbyt. Cardinale Muto nuncupat. censuerint in eorumdem Confratrum favorem literas in forma Brevis fœl. rec. Gregorii Papæ XIII. Prædecessoris nostri, sub die 15. Julii 1583. super Fratrum Mendicantium Ordinum hujusmodi Præcedentia editas servari debere à tempore tamen quo dicti Confratres declarati fuerunt Religiosi, prout in decreto desuper emanato pleniùs dicitur contineri.

Inter istam Congreg. & Ord. Mendicantium multæ ortæ fuerant controversiæ super Præcedentia ad quas sedandas Congreg. Card. S. Rit. præpositorum Decreto censuit servandam esse Constit. Gregor. XIII. de qua sup. t. 2. à tempore tamen quo istaCongreg. declarata est Religio.

§. 2. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus, obviam ire, pacique & quieti dictorum Confratrum, semotis controversiarum incommodis consulere, ipsósque Confratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus d. Seraphini Congregationis hujusmodi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, illíque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

QuòdDecretum Congr. Cardd. Pont. approbat, confirmat supplétque defectus.

§. 3. Necnon omnes, & quascumque controversiarum hujusmodi causas, & molestias super præmissis, & illarum occasione hactenùs quomodolibet motas, & pendentes cum omnibus suis annexis, & dependentiis ad Nos harum serie avocantes, aliàs penitùs extinguimus, ac tàm Confratribus, quàm Fratribus Mendicantibus prædictis, & quibusvis aliis interesse habentibus, seu prætendentibus perpetuum super præmissis silentium imponimus.

Super dictis controversiis perpetuum silentium imponit.

§. 4. Districtiùs inhibentes quibusvis Judicibus & personis quavis auctoritate fungentibus, ne Fratres Mendicantes hujusmodi seu alios pro eis super præmissis ulteriùs audire, seu aliàs desuper se ingerere quoquomodo audeant, seu præsumant, ac volentes, & eadem auctoritate decernentes, & declarantes, quòd Confratres prædicti Præcedentiam juxtà dictarum literarum ipsius Gregorii Prædecessoris, decretique in eorum favorem emanati hujusmodi formam, & continentiam habeant, illáque perpetuò fruantur, & gaudeant, irritúmque & inane, quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum forsan est, vel in posterùm contigerit attentari.

Inhibet desuper ultrò se ingerendi Decretumque irritans addit.

§. 5. Quocircà Venerab. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, in quorum Diœcesibus Congregationis hujusmodi Hospitalia erecta reperiuntur per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo,

DeputatExecutoresistius Constitut.

aut unus

aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum prædictorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra Confratres prædictos præsentibus literis, illarúmque commodo, & effectu adversùs quoscumque perturbatores pacificè frui, & gaudere non permittentes illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contraria aufert.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Mendicantium Ordinibus, illorúmque Superioribus, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illorúmque tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis obedientiam jubet.

§. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 26. Nov.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Novembris 1627. Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXXVIII.

Prohibitio transeundi ab Ordine Fratrum Reformatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ad Fratres Calceatos ejdem Ordinis, absque Romani Pontificis expressa licentia.

De Fratribus Beatæ Mariæ de Mercede, & toto eorum statu vide indicata ad Constitut. 9. Gregor. IX. Devotionis. tom. 1. Et privilegia eidem Ordini concessa novissimè confirmavit iste Sanctissimus Pontifex in Constit. 111. Ex clementi.

Edita An. D. 1627.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum virorum, qui spretis hujus sæculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo sese manciparunt, paternam curam gerentes, ea statuamus, & decernamus, per quæ prospero, fœlicique eorum statui, & directioni opportunè consulatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa istius Constit.

§. 1. Cùm itaque sicut dilecti filii Vicarius, & Prior generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Reformatorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, nonnulli ex Fratribus hujusmodi aliquando nullis aliquando verò levibus ex causis, nulla tamen super hoc ab Apostolica Sede obtenta licentia ad Fratres Ordines Calceatos nuncupatos se transferre procuraverint, & indies procurent, non sine Regularis Observantiæ detrimento, ac Fratrum tàm Calceatorum, quàm Reformatorum prædictorum inquietudine.

Prohibitio Transitus de quo in Rubrica.

§. 2. Nos pro nostri Pastoralis officii debito, præmissis quantum Nobis ex Alto conceditur obviam ire, prosperóque Fratrum eorumdem statui, & quieti consulere volentes, supplicationibus Vicarii, & Procuratoris generalium hujusmodi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nulli Fratrum Reformatorum hujusmodi absque speciali nostra, & Sedis Apostolicæ licentia ad Fratres Calceatos prædictos quovis prætextu aut ex quavis quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa sub apostasiæ, & infamiæ perpetuæ notæ, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis transire.

Prohibitione Fratres Calceati hujus Ord. hujusmodi transeuntes retineant.

§. 3. Minúsque Fratribus Calceatis prædictis illorúmque Superioribus eosdem Fratres Reformatos sicut præfertur de facto transeuntes, etiamsi novam Professionem regularem emiserint, sub privationis suorum Officiorum, ac excommunicationis pœnis hujusmodi etiam, ut præfertur incurrendis recipere, vel retinere ullo modo liceat, sed Fratres Reformati prædicti, qui secùs fecerint cùm primùm desuper moniti fuerint nullâ morâ, aut excusatione, vel appellatione etiam ad Nos, seu Sedem Apostolicam interpositis ad suam propriam Congregationem redire, & suorum Superiorum correctioni se submittere, Fratres verò Calceati, seu illorum Superiores hujusmodi ipsos Fratres Reformatos de facto transeuntes, ut præfertur ipsorum Reformatorum Superioribus, seu ab eis deputandis, statim absque Judicis ministerio tradere, & consignare debeant, & teneantur, Apostolica auctoritate tenore præsentium, declaramus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquàm quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenùs opus sit Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Intimationis effectus.

§. 6. Volumus autem, ut præsentes literæ postquàm in Alma Urbe nostra publicatæ, ac Fratrum tàm Reformatorum, quàm Calceatorum hujusmodi Prioribus intimatæ fuerint, & omnes, & singulos, quos illæ concernunt & concernent in futurum, perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 7. Quódque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 19. Janu.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 19. Januarii 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXXIX.

Confirmatio Privilegiorum Vener. Ecclesiæ, & Canonicorum S. Mariæ Rotundæ super Platea ante dictam Ecclesiam.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex æqui bonique supremus assertor inter gravissimas, multiplicésque Apostolicæ servitutis curas in eam peculiari studio jugiter incumbit, ut Ecclesiarum omnium, præsertim Collegiatarum insignium Almæ Urbis nostræ jura, proprietates, & dominia, sarta tecta conserventur, & quæ propterea à Prædecessoribus suis facta & decreta sunt, ut ab omnibus perpetuò inviolabiliter observentur, Apostolicæ confirmationis patrocinio corroborat, aliásque statuit, ordinat, & disponit, prout personarum in eisdem Ecclesiis Altissimo famulantium quieti, utilitatibúsque, & commodis conspicit in Domino salubriter expedire.

TenorConst. Sixti V.

§. 1. Aliàs siquidem à fœl. record. Sixto Papa Quinto Prædecessore nostro emanarunt literæ tàm sub plumbo, quàm in simili forma Brevis tenoris subsequentis, videlicet. Sixtus Papa Quintus. Ad perpetuam rei memoriam. Nuper à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet, Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cunctarum Orbis Ecclesiarum regimini, auctore Pacis annuente præfecti Ecclesiarum ipsarum, præsertim Collegiatarum insignium Almæ Urbis, & personarum divinis inibi obsequiis adscriptarum statum fœliciter dirigi, ac earum deindè quietem personarum confoveri cupientes, ea, quæ illis per Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessa fuisse dicuntur Apostolico munimine roboramus, aliásque desuper disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Etsi dilecti Filii Archipresbyter, & Capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Rotundæ de dicta Urbe ab immemorabili tempore fuerint, & sint Domini, & Patroni totius Plateæ Sanctæ Mariæ Rotundæ nuncupatæ antè Ecclesiam prædictam existentis, & in pacifica hactenùs possessione extiterint tenendi Bancos, & illos locandi, ac pretium indè proveniens percipiendi, undè nemini, nec Judici, nec Magistratui, aut Superiori licuerit, nec liceat Archipresbyterum, & Capitulum prædictos in ipsa eorum possessione, minúsque eorum Locatarios, quominus Banchis, & Platea prædictis liberè uti possint, molestare, aut ab ipsis Locatariis prætextu dictæ Plateæ aliquid exigere, petere, vel recipere, imò soliti sint, tàm in dicta Platea, quàm extrà, & proindè eam in viis publicis ab illa ad quinque cannas, vel circiter distantibus fructus, herbas, panem, pisces, & alia tàm comestibilia, quàm incomestibilia vendere volentibus licentiam desuper concedere, ac quoscunque, qui pro ejectione luti, ac immunditiarum dictæ Plateæ ratam partem solvere recusant, omnésque in hujusmodi Platea, ac locis vicinis dictis Archipresbytero, & Capitulo subjectis, vendentes, illis dumtaxat exceptis, qui in locis ordinariis, & per eosdem Archipresbyterum, & Capitulum deputatis de eorum licentia manent, aut illos in Dominos recognoscunt, illos quoque habitantes, qui antè eorum Apothecas Banchos ultra debitum, seu Tabulata, & Tabulas, super quibus res vendendæ teneri, & exhiberi solent à pariete Apothecæ ultrà quatuor palmos distantes habent, aut sub dictis Banchis, & Tabulis, Barilia, Tinas, sive ut vulgò dicunt Tinozas, aliásque res tenent ad solutionem, & contributionem debitam cogere, & compellere; Nihilominùs sicut accepimus nonnulli vicini Domos in circuitu ejusdem Plateæ possidentes, & habitantes, nescitur quo jure, absque licentia dictorum Archipresbyteri, & Capituli juxtà suos parietes, & antè eos erigere præsumpserunt Banchos ad usum Macelli, & pro vendendis piscibus, pro quibus etiam aliquid prædictis Archipresbytero, & Capitulo solvere recusant in grave eorum damnum & præjudicium.

§. 2. Nos qui ne per varias, quæ commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis, plerumque fierent suggestiones justitia postponeretur, dudùm inter alia decrevimus, & declaravimus nostræ intentionis esse, quòd deinceps per quamcumque Signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel literas Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi Motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam antè motam litem à Nobis emanarent, vel de mandato nostro faciendas nulli Jus ibi quæsitum quomodolibet tolleretur, quíque ad indemnitatem personarum Ecclesiasticarum, ac Ecclesiarum ipsarum attendimus, & ut bona, jurisdictiones, immunitates, privilegia, & gratiæ earumdem potiùs augeantur, quàm minuantur diligenter procuramus ipsorum Archipresbyteri, & Capituli indemnitari in præmissis pro nostri Pastoralis Officii munere opportunè providere volentes, ac Archipresbyterum, & Capitulum prædictos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon singulorum concessionum, mandatorum, & sententiarum infrascriptorum tenores, ac Datas cum indè sequutis præsentibus pro expressis habentes, Motu simili non ad ipsorum Archipresbyteri, & Capituli, vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate, ac simili scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, indulta, jurisdictiones, libertates, immunitates, exemptiones, facultates, & gratias Ecclesiæ, necnon Archipresbytero, & Capitulo prædictis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros hactenùs & quomodocumque, ac qualitercumque concessa usum dictæ Plateæ, & sibi adjacentium locorum, illorúmque concessionem concernentia, in quorum pacifica possessione, & usu hactenùs extiterunt, necnon mandata, & sententias de & super manutentione possessionis dictæ Plateæ per quosvis Palatii Apostolici causarum Auditores, sivè eorum Locumtenentes, aut alios quoslibet Romanæ curiæ Judices hactenùs latas emanata, & relaxata, prout ritè, & rectè gesta sunt auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illísque perpetuæ, & inviolabilis Apost. firmitatis robur adjicimus, omnésque & singulos tàm juris, quàm facti, & etiam solemnitatum quarumlibet quomodolibet omissarum defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem supplemus, illáque omnia, & singula etiam perpetuò valere, & tenere, ac ab illis, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter perpetuò observari debere, nec ab illis ullo unquàm tempore resilire posse, sed ad præmissorum omnium, & singulorum observationem perpetuò obligatos fore, & esse, ac ad id etiam censuris Ecclesiasticis, ac pecuniariis pœnis cogi, & compelli posse decernimus.

§. 3. Et nihilominùs quamcumque litem, seu quascumque lites, & causas, ac controversias super Platea, & adjacentibus locis antedictis coràm quocumque ejusdem Curiæ Judice ordinario, vel extraordinario in quibuscumque statu, & terminis existant, etiamsi aliquæ sententiæ jam desuper quomodolibet latæ extiterint ad Nos harum serie avocamus, illásque penitùs extinguimus, nec non Plateam prædictam, ac loca sibi circumquaque ad-

que adjacentia in viis publicis existentia, & ab ea per quinque cannas distantia hujusmodi; quorum omnium situationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula, & dominationes, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, etiamsi dictam Plateam ullo unquàm tempore per quascumque personas, cujuscumque gradus, & conditionis existentes, augeri, extendi, & ampliari contigerit, etiam cum augmento ampliationis, & extensionis hujusmodi quantumcumque fuerit, quo adveniente, etiam loca in viis publicis, & ab ea per quinque cannas distantia hujusmodi computari, & comprehendi volumus cum omnibus, & singulis juribus, & pertinentiis suis, ac etiam omnibus, & quibuscumque illorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis Ecclesiæ, Archipresbytero, & Capitulo prædictis dicta Apostolica auctoritate similiter perpetuò & irrevocabiliter donamus, concedimus, & elargimur, ac omne illius, & illorum jus, & dominium etiamsi ad Nos, & Cameram Apostolicam, aut alios quoscumque particulares spectet, in Ecclesiam, & Archipresbyterum, & Capitulum hujusmodi transferimus, eósque in Nostrum, & Cameræ, ac particularium prædictorum quomodolibet locum, & jura quoad hæc ex nunc pariter perpetuò substituimus, & subrogamus, ità ut liceat Archipresbytero, & Capitulo prædictis Plateæ, & adjacentium locorum sic specificatorum, ac jurium, obventionum, emolumentorum prædictorum per se, vel alium, seu alios possessionem per eos captam, ut præfertur, continuare, & quatenùs opus sit de novo propria authoritate liberè apprehendere, illámque perpetuò retinere, necnon fructus, redditus, & proventus ex eis provenientes percipere, exigere, & levare, necnon in eorum, ac dictæ Ecclesiæ usus, & utilitatem convertere cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, ac ex nunc Ecclesiæ, ac Archipresbytero, & Capitulo hujusmodi in Platea, & adjacentibus locis prædictis plenum jus omninò acquisitum esse, illámque, & illa cum juribus, obventionibus, & emolumentis prædictis ad Ecclesiam, necnon Archipresbyterum, & Capitulum prædictos de jure spectare, & pertinere, ipsisq; lapides marmoreos loco Banchorum pro majori piscium venditorum commoditate, ac dictæ Plateæ ornatu mensibus elapsis per eos in ipsa Platea erectos, & appositos liberè, & impunè erigere, & apponere licuisse eadem auctoritate Apostolica declaramus.

§. 4. Prætereà Plateam unà cum augmento hujusmodi, si illud fieri quandocumque contigerit, necnon loca adjacentia prænominata ab omni jurisdictione, & superioritate nunc, & pro tempore existentium Nostri, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum Camerarii, ac dictæ Urbis viarum Magistrorum ex nunc, & in perpetuum, ità & taliter, quòd dicti Camerarius, & Magistri, in & super Platea ac locis circumvicinis prædictis, illorúmque membris, ac pertinentiis nullam omninò habeant, nec habere possint jurisdictionem, & auctoritatem eadem auctoritate eximimus, & liberamus, quódque de cætero nulli omninò cujuscumque gradus, status, ordinis, & conditionis existant etiam quocunque privilegio sint suffulti in Platea prædicta, ac propè illam in viis publicis ab ea per quinque cannas distantibus hujusmodi, etiam prætextu quòd sint Domini liberi, & absoluti, vel habitatores domorum circumcircà in dicta Platea existentium in domorum prædictarum parietibus, & antè eas aliquod genus Banchorum, seu Tabulatarum, vel Tabularum ad effectum quidpiam vendendi, aut venale prostituendi de cætero erigere, nec erigi, seu erectum tenere, vel teneri facere per se, vel alium, seu alios absque expressa, & in scriptis obtenta Archipresbyteri, & Capituli prædictorum licentia, etiam perpetuò statuimus, sicque etiam districtè præcipiendo inhibemus, ipsósque quoque Archipresbyterum, & Capitulum super præmissis, eorúmque circumstantiis universis, etiam per Cameram prædictam, ejúsque Agentes, vel Commissarios, aut Deputatos, & Viarum Magistros hujusmodi quavis auctoritate, vel prætextu quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri non posse, neque debere, præsentésque literas, etiam ex eo, quòd ejusdem Cameræ Agentes, vel Magistri prædicti, aut quicumque alii interesse habentes, vel prætendentes, aut putantes ad hoc vocati non fuerint, vel quavis seu quibusvis aliis causis de subreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenùs unquàm posse, sed illas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, quos illæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter perpetuò observari, sicque in præmissis censeri, ac ità per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejusdem Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos, ac etiam dicti Palatii causarum Auditores, eorumque Locumtenentes, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & etiam de Latere Legatos, eorúmque Vicelegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac quidquid super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane etiam decernimus.

§. 5. Mandantes propterea Camerario, Præsidenti, & Clericis prædictis, ac Nostro, dictæque Cameræ Thesaurario, & Depositario etiam Generalibus nunc, & pro tempore existentibus, aliísque omnibus, & singulis, ad quos spectabit, ut præfertur, quatenùs easdem præsentes, si & postquàm pro parte Archipresbyteri, & Capituli prædictorum pro tempore quandocumque requisiti fuerint recipiant, & admittant, illásque ex nunc, & deinceps ac in perpetuum attendant, & inviolabiliter observent, & ab omnibus supradictis observari mandent, & faciant realiter, & cum effectu.

§. 6. Non obstantibus prioribus decreto, & declaratione nostris prædictis, ac quorumcumque, Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum de rebus dictæ Cameræ non alienandis, neque distrahendis, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictæque Cameræ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, decretis & etiam novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam Cameræ, necnon, & Camerario, Præsidenti, & Clericis, ac Magistris prædictis, necnon dilectis Filiis Populo Romano, & domorum ipsius Urbis Inquilinis, ac Dominis & quibusvis aliis personis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, ac in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis.

§. 7. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda, foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat Motu scientia, & potestatis plenitudine paribus specialiter,

& ex-

& expresſè derogamus, contrariis quibuſcumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum abſolutionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, ſuppletionis, avocationis, extinctionis, donationis, conceſſionis, elargitionis, tranſlationis, ſubſtitutionis, ſubrogationis, declarationis, exemptionis, liberationis, ſtatuti, inhibitionis poſteriorum decretorum, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1586. Idibus Novembris Pontif. noſtri anno ſecundò.

§. 8. Quia in præinſertis literis à Nobis emanatis, mentis, & intentionis noſtræ non fuit, neque eſt Eccleſiæ, Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ Beatæ Mariæ Rotundæ nuncupatæ de Urbe, ad quorum favorem literæ ipſæ emanarunt quidquam de novo, & præſertim in præjudicium cujuſvis tertii concedere, ſed ſolùm confirmare, vetera eorum ſi qua, & quæcumque eiſdem juxtà ſacrorum Canonum ſtatuta, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, aut aliarum perſonarum quarumcumque ad id auctoritatem habentium conceſſiones, & indulta, aut ex juris communis diſpoſitione, ſeu quocumque alio legitimo titulo jura competant, & non aliter, neque alio modo, & ſi fortè literæ ſupradictæ aliter continere videantur, id à Nobis præter, & contrà mentem, & intentionem noſtram accidit.

Declarat ejus intentionem circà prædicta.

§. 9. Idcircò ne cui ex dictis noſtris literis, & contentis in eis, quodvis damnum, & præjudicium illatum cenſeri, nevè quis aliter noſtræ mentis, & intentionis fuiſſe, & eſſe exiſtimare, & judicare, ſivè interpretari poſſit: Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium in perpetuum declaramus, & atteſtamur, volumus, & decernimus dictas literas, & contenta in illis, in quantum ultrà veteres conceſſiones, & indulta, aut titulos, ſeu alia jura hujuſmodi quidquam de novo conceſſiſſe videamur pro non editis haberi, conceſſionéſque & indulta hujuſmodi, & omnia in illis contenta revocamus, annullamus, & pro non factis haberi mandamus, eiſdem literis cum omnibus in illis contentis ſolùm, & dumtaxat, quoad confirmationem veterum conceſſionum, & indultorum, ac jurium ejuſdem Eccleſiæ Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo, juxta ſacrorum Canonum ſtatuta, & ſupradictorum Prædeceſſorum noſtrorum, ut ſuprà, aut aliàs conceſſiones, & literas competentium in ſuo robore, & firmitate manentibus, & ſic per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, atque Juſtitiæ Miniſtros, quacumque dignitate, auctoritate, poteſtate pollentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos præſentes, & futuros, ac Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores declarari, judicari, & definiri, & exequi volumus, paritérque decernimus, & mandamus, ſublata eiſdem, & omnibus aliis, quibus opus fuerit aliter interpretandi, judicandi definiendi, & exequendi poteſtate, & auctoritate, irritum quoque, & inane quidque in contrarium fieri, & attentari contigerit. Non obſtantibus eiſdem præinſertis noſtris literis, & indè ſequutis, quæ adversùs hanc noſtram declarationem, atteſtationem, voluntatem, & decretum Eccleſiæ, Archipresbytero, Canonicis, & Capitulo ſupradictis ſuffragari quomodolibet fortè poſſent, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, quibuſvis in contrarium forſan conceſſis, confirmatis, & innotatis. Quibus omnibus quoad effectum præſentium, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 27. Maij 1587. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Motiva hujus Confirmationis.

§. 10. Cùm autem ſicut accepimus licèt Archiprespyter, ac Capitulum, & Canonici prædicti ab immemorabili tempore, ac plurium ſententiarum, & rerum judicatarum, & tàm recolend. memor. Innocentii VIII. Sixti Quarti, & Julii Secundi Romanorum Pontificum ſimiliter Prædeceſſorum noſtrorum, quàm præinſertarum literarum, necnon variarum inhibitionum, & mandatorum diverſis temporibus deſuper emanatorum vigore fuerint, & ſint ad præſens univerſæ plateæ prædictæ Domini, & Patroni, & ab indè citrà ſe, dictámque eorum Eccleſiam manutenuerint in quaſi poſſeſſione in univerſa Platea hujuſmodi, etiam privativè quoad omnes alios etiam domorum eidem Plateæ adjacentium Dominos erigendi, tenendi, & habendi Banchos, & tabulata ad effectum inibi fructus herbas, piſces, & alia comeſtibilia vendendi, dictóſque Banchos, & Tabulata, perſonis ſibi beneviſis locandi, penſiones ex hujuſmodi locationibus provenientes percipiendi, exigendi, & levandi, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertendi, & perſonis prædictis ſimiles Banchos, & Tabulata in Platea hujuſmodi erigendi, tenendi, & habendi licentiam concedendi, cæteráque omnia, & ſingula alia ad liberum ipſius Plateæ dominium ſpectantia, & pertinentia faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi; Nihilominus de Anno 1602. Archipresbyter, & Canonici aliqui, ut creditur extrà Capitulum, & ſingulariter contrahentes per eorum aſſertam ſcripturam privatam, quæ per Sedem Apoſtolicam non probatur, confirmata renunciarint, & ab eorum Eccleſia abdicare tentaverint hujuſmodi Banchos, & Tabulata, ac Macella apponendi, & alia jura in & ſuper dicta Platea Archipresbytero, & Canonicis, ac Capitulo prædictis, ut præfertur competentia ad favorem Magiſtrorum viarum Urbis, & de Anno 1618. ſeu alio veriori tempore dilectus Filius Adamus Melſius Aromatarius cujuſdam domus eidem Plateæ adiacentis, & ad dilectum Filium Creſcentium de Creſcentiis Romanum, ut aſſeritur, ſpectantis inquilinus habitator, prætendens, ante Apothecam dictæ domus in quodam ſitu angulari medio inter eamdem Apothecam, & viam publicam ſuper eadem Platea, tranſeuntem, quà à Domo Regulari Sanctæ Mariæ Magdalenæ Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis ad Domum etiam Regularem Beatæ Mariæ ſuper Minervam nuncupatam de eadem Urbe Fratrum Ordinis Prædicatorum itur, ſub prætextu, quòd ſitus hujuſmodi in eadem Platea non comprehendatur, ſed locus privatus, & de pertinentiis dictæ domus exiſtat, Banchos hujuſmodi erigere, habere, & tenere poſſe, etiam forſan de licentia Magiſtrorum viarum Urbis, ſeu viatum Præſidentis duos Banchos ſimiles in eodem ſitu erexerit, illóſque pro piſcibus vendendis locaverit, habito autem per Archipresbyterum, ac Capitulum, & Canonicos prædictos ad dilectum Filium noſtrum in Alma Urbe prædicta, Vicarium in ſpiritualibus Generalem recurſu Banchi prædicti amoti, iique poſtea prætextu cujuſdam ſententiæ, ſeu aliàs à Venerabili Fratre Octaviano Archiepiſcopo Jadren. tunc dilecti Filii noſtri S. R. E. Camerarii Auditore emanatæ denuò appoſiti fuerint, introducta, deindè per viam appellationis cauſa hujuſmodi in Camera noſtra Apoſtolica coràm dilecto Filio noſtro Lælio Sanctorum Viti & Modeſti Diacono Cardinali Biſcia nuncupato, tunc Cameræ, & deindè dilecto Filio Octaviano Raggio ejuſdem Cameræ Clericis, ibique ſub die 26. Junii 1624. citato prædicto Adamo, & iterùm ſub eadem die 26. Junii anni

ſequen-

sequentis 1626. discusso an de bono jure ipsius Ecclesiæ constaret, citatis, & auditis tàm prædicto Adamo, quàm prædicto etiam tunc Crescentio, de bono dictæ Ecclesiæ jure constare resolutum fuerit, dictique Archipresbyter, ac Capitulum, & Canonici vigore rosolutionum hujusmodi sub die prima Julii ejusdem anni 1626, mandatum de manutenendo in possessione, seu quasi teneri Banchos in prædicto situ, & platea præfata contrà eosdem Crescentium, & Adamum obtinuerint, & in illius executionem Banchi prædicti in angulo prædicto, ut præfertur, appositi, amoti, & sublati fuerint, verùm dicti Crescentius, & Adamus mandatum de manutenendo, illiúsque executionem hujusmodi eludere volentes, ut in quadam parva apotheca, ad eundem Crescentium, ut asseritur, pariter spectante, & situi, prædicto contigua dicti Adami, seu Crescentii, vel aliorum vicinorum conductores se reciperent, ibique pisces venderent, procuraverint, quo factum fuit, ut Archipresbyter, ac Capitulum, & Canonici prædicti, postquam spatio octo annorum litem hujusmodi sustinuerunt, aliam tandundem, & forsan ampliùs duraturam, non sine gravi eorum Ecclesiæ dispendio, magnísque laboribus exortam litem, séque de cætero litibus hujusmodi prosequendis ob assidua expensarum onera jugiter subeunda gravatos fore prospiciant.

§. 11. Nos Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum prædictorum indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, ipsósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon literarum Innocentii VIII. Sixti IV. & Julii II. Prædecessorum nostrorum prædictorum, sententiarúmque rerum judicatarum, inhibitionum prædictarum veriores, & totos tenores, necnon litium, & causarum prædictarum statum, & merita, ac aliorum quorumcumque, si qui sint, collitigantium nomina, & cognomina, qualitates, & denominationes, aliáque hîc de necessitate exprimenda præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes.

Confirmatio iterum Sixti Quinti.

§. 12. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine præinsertas primo loco Sixti Quinti Prædecessoris cum omnibus, & singulis in eis contentis tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illísque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, necnon causam, & causas hujusmodi inter Archipresbyterum, ac Capitulum, & Canonicos ex una, necnon Crescentium, & Adamum prædictos, dilectósque filios Julium Pocobellum, ac Fratres domus Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, ac Confratres Sanctissimæ Annunciatæ Confalonis nuncupatæ, & Sanctissimi Crucifixi Confraternitatum de Urbe prædicta, & alios ad causam, & causas hujusmodi forsan admissos ex altera partibus, de & super præmissis motas pendentes, & instructas, ut præfertur, à dictis, & quibuscumque aliis Judicibus ordinariis, & extraordinariis, Commissariis, & Exactoribus, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Rotæ, & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditoribus, eorúmque Locumtenentibus ad nos harum serie avocamus, illásque penitùs, & omninò supprimimus, & extinguimus. Necnon eisdem Crescentio, & Adamo, aliísque prædictis perpetuum desuper silentium imponimus.

§. 13. Insuper pro majori Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum prædictorum cautela, juraque juribus addendo, Plateam prædictam nunc, & pro tempore existentem eisdem Ecclesiæ, Capitulo, & Canonicis concedimus, & perpetuò donamus, relicto domorum, seu Apothecarum eidem Plateæ adjacentium Dominis, vel Inquilinis trium dumtaxat palmorum extrà Domos, vel Apothecas hujusmodi spatio, quoad usum tantùm pro mercibus, sive aliis rebus ipsorum Dominorum, seu Inquilinorum tantùm, quæ tamen in ipsis domibus, vel Apothecis venduntur, & non aliàs, neque ad alium usum, nisi de licentia expressa ipsorum Archipresbyteri, Canonicorum, & Capituli, in scriptis titulo locationis obtinenda.

Dat. P.A.12

§. 14. Ulteriùs Domorum, & Apothecarum hujusmodi Dominis, necnon Magistris viarum, & aliis Officialibus quocumque nomine nuncupatis, necnon ejusdem S. R. E. Camerario, cæterisque quibuscumque, ad quos nunc quomodolibet spectat, & perpetuò in futurum spectabit, ne Archipresbyterum, Canonicos, ac Capitulum hujusmodi super universæ ipsius Plateæ Dominio, & facultatibus prædictis impedire, molestare, vel perturbare, aut in Domibus & Apothecis, & aliis sitibus eidem Plateæ adjacentibus circumcircà infrà centum cannarum spatium, quoad pisces, tellinas, gambaros, vel squillas dumtaxat, nec etiam in eadem Platea, & Apothecis vicinis super dicta Platea, respondentibus carnes cujuscumque generis, vivas, vel mortuas, etiam hœdos, & agnos, & alias, nec fructus cujuscumque generis, olera, & flores vendere, aut macellum, vel lanienam habere, absque expressa Archipresbyteri, ac Canonicorum, & Capituli prædictorum licentia audeant, seu præsumant sub indignationis nostræ & Successorum nostrorum, & aliis arbitrii Nostri, & Successorum prædictorum pœnis, & in dictis Sixti V. Prædecessoris literis inflictis, & comminatis interdicimus, & prohibemus.

§. 15. Volumus quoque, prædictos Archipresbyterum, Canonicos, & Capitulum ad refectionem Selciatæ, tàm Plateæ usque ad parietes Domorum, & Apothecarum adjacentium, quàm viarum in prædicta Platea respondentium pro latitudine, & longitudine dictæ Plateæ tantùm teneri, & perpetuò obligatos esse, ac ad illam faciendam cogi posse.

Decretum irritans.

§. 16. Decernentes, præsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ vel alio quocumque defectu, etiam ex eo, quòd causæ, propter quas illæ emanarint, expressè, & justificatæ, dictique Crescentius, & Adamus, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, vel alia quavis de causa quantumvis privilegiata, notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, limitari, modificari, immutari, revocari, annullari, in jus, vel controversiam revocari ad terminos juris reduci, aut adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concedi, aut dictos Crescentium, & Adamum, seu quempiam alium sic impetrato, vel concesso uti, seu se juvare in judicio, vel extrà nullatenùs posse, neque ipsas præsentes sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & eum, in quo anteà quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori data per dictos Archipresbyterum, Canonicos, & Capitulum eligenda concessas esse, & fore, ac censeri, perpetuóque va-

lidas,

lidas, firmas, & efficaces existere, & fore, dictisque Archipresbytero, ac Capitulo, & Canonicis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales & Camerarium, & Cameræ nostræ Præsidentes, & Clericos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis, auctoritate, scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

§. 17. Quocircà dilectis Filiis nostro in dicta Urbe Vicario in spiritualibus, causarum & Curiæ dictæ Cameræ Apostolicæ Auditori generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Archipresbyteri, ac Capituli, & Canonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Archipresbyterum, ac Capitulum, & Canonicos præmissorum omnium, & singulorum effectu pacificè frui, & gaudere; Non permittentes eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 18. Non obstantibus præmissis, necnon rec. mem. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. Pii V. & aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ prædictæ non alienandis, ac quatenùs opus foret Regulâ nostrâ de jure quæsito non tollendo, aliísque quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon ejusdem Cameræ, & Almæ Urbis præfatæ, & aliis quibuscumque statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis d. Urbi, Populóque Romano, & quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis: aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, necnon reliquis omnibus, quæ in secundo præinsertis Sixti Prædecessoris literis concessa sunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis, quibuscumque.

D. P. An. 5. die 9. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris 9. Februarii 1628. Pontific. Nostri Anno quinto.

XC.

Deputatio Executorum alternativæ circà Electionem Provincialium, Dignitatum, ac Officiorum, & declaratio ejusdem pro Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Provinciæ Mechoacan.

Quòd in toto Ordine Fratrum Eremitaram S. Augustini nulli præter eos, quibus de jure, juxtà d. Ordinis Constitutiones, liceat vocem in Capitulis Provincialibus habere in Constit. 119. hujus Pontificis, Aliàs per. &c. infrà.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1628.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mexican. ac Episcopis Mechoacan. & Guadalaxaren. in Indiis, seu dilectis Filiis eorum Officialibus.

Venerabiles Fratres, seu dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Prooemium.

Aliàs à fœl. record. Gregorio XV. Papa Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet, Gregorius Papa XV. Ad futuram rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis Officio, votis illis, per quæ paci, & quieti inter Christi fideles quoslibet, præsertim sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantes opportunè consulitur, libenter annuimus, eáque favoribus prosequimur opportunis.

Referuntur Causæ hujus Constit.

§. 1. Cùm itaque sicut dilecti Filii Prior, & Procurator Generales Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Nobis nuper exponi fecerunt, aliàs ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, delatum fuerit, in Provincia de Mechoacan in Indiis Occidentalibus inter Fratres dicti Ordinis super Electione, & distributione Provincialatus. Dignitatum, aliorúmque Officiorum Ordinis, & Provinciæ hujusmodi diversas controversias exortas esse, majorésque verisimiliter exoriri posse. Nos discordias hujusmodi de medio tollere, ac pacem, & quietem inter ipsos Fratres convovere volentes, Priore, & Procuratore Generalibus dicti Ordinis super hoc auditis, de eorumdem Cardinalium consilio, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, Electiones Provincialium, Dignitatum, & Officiorum Provinciæ prædictæ de Mechoacan fiant alternativè ex qualibet partialitate, scilicet pro una ex Fratribus, qui nati in Hispania, inibi, vel in Indiis Habitum susceperunt; pro altera ex iis, qui in Indiis nati sunt, Criolique vulgariter nuncupantur, ità ut in quolibet Capitulo à Provincialatu usque ad ultimum Officium prædicti Ordinis, & Provinciæ, Dignitates, & Officia, quæ distribuenda fuerint, alternatim juxtà dictas partialitates distribuantur, quæ alternativa in proximo primo Capitulo post intimationem præsentium literarum celebrando à partialitate Criolorum initium habeat.

§. 2. Quòd si Provincialem, vel aliquem Officialem Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, non peracto suo Officio decedere contingat, tunc alius ejusdem partialitatis, cujus defunctus erat, in ejus locum usque ad tunc proximum futurum Capitulum subrogetur, si verò post intimationem literarum hujusmodi electiones Provincialium, Dignitatum, & aliorum Officiorum præfatorum aliter, quàm ut præscribitur, fieri contigerit, nullæ sint, & inanes, præsentes verò literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, Apostolica authoritate tenore præsentium decernimus. Non obstantibus Constitutionbus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apo-

stolicis

stolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 29. Novembr. 1621. Pontificatus nostri Anno Primo.

Deputat Executores.

§. 3. Nunc autem nos literas præinsertas hujusmodi debitæ executioni, ut par est, demandari volentes, Vobis per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs vos, vel duo, aut unus vestrum præinsertas literas hujusmodi, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Superiorum, & Fratrum Ordinis, & Provinciæ hujusmodi fueritis requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis auctoritate nostra præinsertas literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari. Non permittentes, illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet impediri, molestari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac in præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, necnon omnibus illis, quæ in eisdem præinsertis literis concessa sunt non obstare, cæterísque contraris quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P. An.5. die 9. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Februarii 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Declarat, quòd expleto triennio nunc currente ex parte Criolorum supradictæ Alternativæ, dictæ Provinciæ Officia Hispanorum parti omninò devolvantur.

Edita Anno Dom. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Aliàs felicis rec. Gregorio Papæ XV. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Prioris, & Procuratoris Generalium Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini exposito, quòd aliàs ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum S.R.E. Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum delatum fuerat, in Provincia de Mechoacan in Indiis Occidentalibus inter Fratres dicti Ordinis super electione, & distributione Provincialatus, Dignitatum, aliorúmque Officiorum Ordinis, & Provinciæ hujusmodi diversas controversias exortas esse, majorésque verisimiliter exoriri posse.

§. 1. Idem Gregorius prædecessor discordias hujusmodi de medio tollere, ac pacem, & quietem inter ipsos Fratres confovere volens, de eorumdem Cardinalium consilio per suas in simili forma Brevis expeditas literas, quòd ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus Electiones Provincialium, Dignitatum, & Officiorum Provinçiæ prædictæ de Mechoacan fierent alternativè ex qualibet parte, scilicet pro una ex Fratribus, qui nati in Hispania, inibi, vel in Indiis habitum suscepissent, pro altera ex iis, qui in Indiis nati essent, Criolique vulgariter nuncupabantur, ità ut in quolibet Capitulo à Provincialatu usque ad ultimum Officium prædicti Ordinis, & Provinciæ, Dignitates & Officia, quæ distribuenda essent alternatim inter dictas partes distribuerentur, quæ alternativa in tunc proximo primo Capitulo post intimationem literarum præfatarum celebrando à parte Criolorum initium haberet, & aliàs, prout in dictis literis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

§. 2. Cùm autem sicut pro parte dilectorum Filiorum Fratrum dicti Ordinis in Hispaniis natorum, Nobis expositum fuit, antè emanatas literas prædictas per ipsos Cardinalibus prædictis expositum fuerit, dilectum Filium Martinum de Aragonia dicti Ordinis Professorem in Provincia prædicta à quondam Nicolao de Sancto Angelo tunc temporis Priore Generali, ejusdem Ordinis Visitatorem deputatum supradictæ alternativæ observantiam de triennio in triennium à Criolorum parte inchoandam, antequàm ad ipsos Cardinales fuerit petitus, vel habitus recursus ex sui Officii præscripto ordinasse, cujus ordinationis vigore Crioli præfati Officia, & Dignitates fuerunt consequuti, quos modò literas præfatas non nisi post eorum triennium expletum, ut alio subsequenti triennio in grave eorumdem Fratrum in Hispaniis, ut præfertur natorum præjudicium, Religionis officia retineant, intimaturos propter mundanam calliditatem suspicantur.

Declaratio de qua in Rubr.

§. 3. Nos pro nostri Pastoralis Officii debito, Fratrum in Hispaniis natorum hujusmodi indemnitati ex æquitate distributiva, ut par est, consulere, ipsósque Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Supplicationibos illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: de eorumdem Cardinalium Consilio triennium prædictum, quòd à parte Criolorum initium habere per literas Gregorii prædecessoris hujusmodi, ut præfertur, decretum extitit, à die datæ earumdem literarum currere debere, ità ut Criolorum triennio nunc currente statim expleto dictæ Provinciæ Officia Hispanorum parti omninò devolvantur, salvis aliàs in reliquis remanentibus literis præfatis: sicque & non aliter in præmissis ab omnibus, & singulis dictæ Provinciæ Superioribus, & Fratribus inviolabiliter observari, atque ità per quóscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus. Quocircà Vener. Fratribus Archiepiscopo Mexicano, ac Episcopis Mechoacanensi, & Guadalaxarenn. seu dilectis Filiis eorum Officialibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum in Hispaniis natorum hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes,

cantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, ac Fratres in Hispaniis natos præfatos præmissorum eorumdem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quomodolibet impediri, molestari, inquietari, vel perturbari.

Derogat contrariis.

§. 4. Contradictores quoslibet, ac in præmissis non parentes, eisque auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 5. Non obstantibus omnibus illis, quæ in literis Gregorii Prædecessoris hujusmodi concessa sunt non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 4. April.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

XCII.

Revocatio Ordinationis factæ in Capitulo Fratrum Joannis Dei, quâ concedebatur cuilibet Sacerdoti dictæ Religionis, ut duas Missas singulis hebdomadis celebrare, & de earum eleemosynis ad sui libitum disponere posset. Ac Prohibitio, ne Fratres Sacerdotes dictæ Religionis audeant exercere Officia, & Dignitates, quæ in eadem exerceri solent. Cum declaratione quæ sint Officia & Dignitates hujusmodi, ac inflictione pœnatum contrafacientibus.

De ista Religione, ejúsque materiis, vide quæ tibi indicavi ad Constit. 100. *Paul. V. sup. Tom.* 3. *necnon ad Constit.* 19. *S. D. N. Sacrosanctum.*

Edita A. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis Providentia, ea interdùm, quæ in Personarum Regularium Capitulis sancita sunt, ita subindè, rerum experientia suadente, præsertim cum fœlici personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui, regularísque observantiæ incremento opportunè consulitur, atque inconvenientibus obviam itur, alterat, immutat, in hisque sollicitudinis, & providentiæ suæ studium favorabiliter interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Statutum in usu positum.

§. 1. Cùm itaque (sicut accepimus) in quodam Capitulo Fratrum Congregationis Joannis Dei, sub Regula S. Augustini, ordinatum fuerit, ut quilibet ejusdem Congregationis Sacerdos duas missas ad sui libitum singulis hebdomadis celebrare, eleemosynámque sibi propterea datam percipere, & de ea in suos usus disponere valeat; ordinatio autem prædicta non parùm eidem Congregationi obesse dignoscatur.

Abrogat præfatum statutum

§. 2. Nos prospero, fœlicique ipsius Congregationis regimini, quantum cum Domino possumus consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Ordinationem prædictam, ac prout illam concernerent, omnia, & singula in scripturis desuper confectis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribúsque, & effectu prorsùs evacuamus.

§. 3. Insuper volumus, ac auctoritate, & tenore prædictis statuimus, quòd ejusdem Congregationis Sacerdotes Prælaturas in dicta Congregatione nullo modo obtinere possint. Sacerdotes Prælaturas obtinere non possint.

§. 4. Et illi duo pro qualibet Regulari Domo ex Fratribus dictæ Congregationis, qui pro Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione ad sacros etiam Presbyteratus Ordines vigore literarum fœl. recor. Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri desuper emanatarum promovendi sunt, ad eosdem Ordines de cætero promoveri nullatenùs valeant, nisi priùs decem annos professionis in eadem Congregatione peregerint, & ab Examinatoribus Synodalibus, non solùm ad Ordines prædictos, verùm etiam ad sacras confessiones audiendas examinati, & idonei reperti fuerint, & necessarias super hoc patentes literas ab eisdem examinatoribus obtinuerint. Nec promoveri, nisi decennio completo.

§. 5. Ac demùm, quòd nullus de cætero ad sacros Ordines in dicta Congregatione promoveatur, nisi pro necessitate administrandi Sacramenta Ecclesiastica infirmis, & Religiosis, ac de Confratris Majoris, & Definitorum dictæ Congregationis consensu ad prædictum effectum duntaxat præstando. Promovendorum forma præscribitur.

§. 6. Decernentes, præsentes literas, ac omnia & singula in eis contenta, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari. Clausula præservativa hujus Constit.

§. 7. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, illiúsque Superioribus, & Fratribus ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque. Contrariorum remotio.

§. 9. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notari publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 18. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quintò. Dat. P. An. 5. die 19. Apr.

Sequitur Declaratio, quæ nominibus Officiorum, & Dignitatum intelligenda sint, ac pœnarum inflictio eligentibus, ac electis contrà formam hujus Constitutionis.

URBANUS VIII. PAPA. Edita An. D. 1628.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Aliàs felic. record. Paulo Papæ V. Prædecessori nostro pro partè tunc existentis Vicarii Generalis, & Confratrum Congregationis Joannis Dei exposito, quòd omnes Domus Regulares Congregationis prædictæ magna incommoda & damna patiebantur ex eo, quòd quadam Constitutione piæ mem. Clem. Papæ VIII. etiam Motiva hujus Declar.

Præde-

Prædecessoris Nostri sub Datum die 9. Septembr. 1596. Pontificatus sui anno quinto, inter alia Confratribus dictæ Congregationis ascensus ad sacros Ordines interdictus erat: siquidem Presbyteros Seculares, qui pauperum in Domibus prædictis exceptorum confessiones audirent, & Sacramenta ministrarent, & agonizantium animas Omnipotenti Deo commendarent, habere valdè dispendiosum, &, quod deterius erat, dicti Presbyteri Seculares post celebratum ab eis Sacrosanctum Missæ Sacrificium à prædictis DomibusRegularibus pro majori parte diei, & tota nocte aberant in maximum animarum doctorum pauperum præjudicium: Idem Paulus Prædecessor eorum hac in parte supplicationibus inclinatus, quòd in qualibet Domo dictæ Congregationis unus Confrater dumtaxat arbitrio tunc, & pro temporibus existentis ejusdem Congregationis apud Sedem Apostolicam Protectoris ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri posset, sub certis modo, & forma tunc expressis concessit, & indulsit.

Interdicit promotis ad ministrationum Officiorum.

§. 2. Utque sic promoti nullum Officium, munus, aut administrationem in dicta Congregatione gerere, vel exercere valerent, sed Missis celebrandis, & Sacramentis ministrandis tantummodò vacare deberent, statuit.

Nec Prælaturas obtinere posse.

§. 3. Subindè verò nos prospero, felicíque dictæ Congregationis regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, inter alia voluimus, ac etiam statuimus, quòd ejusdem Congregationis Sacerdotes Prælaturas in ipsa Congregatione nullo modo obtinere possent, & aliàs, prout in dicti Pauli Prædecessoris, ac nostris in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, pleniùs continetur:

Modò ex causis hic expressis.

§. 4. Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli dictæ Congregationis Superiores, & Sacerdotes prædictas literas contrà verum illarum sensum & dispositionem interpretari non verentes, Confratris Majoris, Procuratoris generalis, Consiliarii, Provincialis, Vicarii generalis, Prioris, ac Secretarii generalis dignitates, & Officia dictæ Congregationis, si ad ea assumantur, absque ullo conscientiæ scrupulo se recipere, & obtinere posse prætendant.

Declarat Dignitates, ad quas omninò inhabiles esse declarat.

§. 5. Nos in præmissis opportunæ declarationis ministerio, quantum cùm Domino possumus, providere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, consilio, motu, scientia, & deliberatione similibus, Confratres Sacerdotes Congregationis hujusmodi ex forma literarum prædictarum ad prænominatas dignitates, & Officia obtinenda inhabiles esse, Apostolica auctoritate, tenore, præsentium, decernimus, & declaramus.

Electis quoque, & Eligentibus contrà formam hujus Constit. pœnas apponit.

§. 6. Necnon eisdem Confratribus Sacerdotibus earumdem tenore præsentium interdicimus, & prohibemus, ne ad dignitates, & Officia hujusmodi patiantur se eligi, vel assumi, aut in eis se immiscere quoquomodo: Superioribus verò, ne illorum quemquam eligere, vel assumere audeant, seu præsumant, alioquin Superiores sic eligentes, vel assumentes omnibus Officiis, & Dignitatibus obtentis, voceque activa, & passiva eo ipso privati censeantur: Confratres verò Sacerdotes hujusmodi, ut proponitur, electi, vel assumpti à suorum Ordinum exercitio perpetuò suspensi remaneant.

Aliter judicandi facultatem tollit.

§. 7. Decernentes, sic, & non aliter in præmissis per quoscúmque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 8. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem dari mandat.

§. 9. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 5. 17. Junii.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Junii 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

XCII.

Confirmatio Decreti, quo Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem Greg. XV. de Conservatoribus editam non afficere Religionem Hierosolymitanam, nisi quoad Judices Conservatores, eidémque Religioni adhuc jus ejusmodi Judices Conservatores eligendi competere.

Constitutio Greg. XV. de Conservatoribus sup. 9. Sanctissimus.

De hac Religione Hierosolymitana habes omnia judicata ad Constit. 2. Anastas. 4. Christianæ. sup. tom. 1. Aliâ verò posteriora tibi notavi ad hujus Pont. Const. 13. Universalis. hic sup.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita An. D. 1628.

Ad futuram rei memoriam.

A Congreg. Cardd. Sac. Rituum emanavit Decretum ad favorem hujus militiæ, de quo in Rub.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Antonius de Paula Magnus Magister, & Conventus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quòd à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet. Die vj. Februarii 1627. Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem Sanctæ memoriæ Gregorii Decimiquinti de Conservatoribus non afficere Religionem Hierosolymitanam, nisi quoad Judices Conservatores, eidémque Religioni adhuc jus ejusmodi Judices Conservatores eligendi competere.

Quod supplicatur Pont. ut illud confirmaret.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Antonius Magnus Magister, & Conventus præfati Decretum hujusmodi pro illius validitate, & subsistentia firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimùm desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Prout modò approbat, & confirm.

§. 3. Nos igitur Antonium Magnum Magistrum, & Conventum præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illíque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas præservativas ponit.

§. 4. Decernentes, Decretum hujusmodi, necnon præinseetas literas semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Hospitali, necnon Antonio moderno, & pro tempore

existenti illiùs Magno Magistro, & Conventui plenissimè suffragari.

Ita judicari mandat.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præfati Gregorii Prædecessoris aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem jubet.

§. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat P. An. 5. die 17. Febr.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 17. Februarii 1629. Pontificat. Nostri Anno Quinto.

XCIV.

Extensio Induiti recitandi Officium, & celebrandi Missam de Beato Felice de Cantalicio Ordinis Capuccinorum in ejus Festo ad omnes Sacerdotes, ad Ecclesias ejusdem Ordinis confluentes.

Hunc Felicem de Cantalicio beatificavit hic idem Pont. sup. Const. 52. In specula. ubi notavi.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Refert dispositionem aliarum Const. ab eo editarum, ut notavi in rubr.

Alias nomine dilectorum Filiorum nobilium virorum Maximiliani Bavariæ Sacri Romani Imperii Principis electoris, & Caroli Lotharingiæ Ducum respectivè, necnon Francisci à Lotharingia Comitis Vadæmontanæ, dilectarúmque in Christo Filiarum nobilis mulieris Elisabethæ Bavariæ Ducissæ, & Catharinæ etiam à Lotharingia Monasterii Sedi Apostolici immediatè subjecti Sancti Petri de Romaricomonte Ordinis Sancti Benedicti nullius, seu Tullensis Dioecesis Abbatissæ, necnon etiam Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, Nobis exposito, quòd bon. mem. Felix de Cantalicio ejusdem Ordinis, dum vixit, Professor, multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illustratus fuerat, eáque propter exponentes prædicti Nobis humiliter supplicari fecerant, ut donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ab Apostolica Sede decerneretur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiúmque, & Missa de eo recitari, & celebrari posset. Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati: de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, Consilio, ut ipse bo. mem. Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque & Missa de eo, tamquàm de Communi Confessoris non Pontificis juxta Rubricas Missalis, & Breviarii Romani eo anno ab omnibus dicti Ordinis Fratribus ubique existentibus, hic autem Romæ etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias eorumdem Fratrum confluentibus, die eorum Superioribus bene visa, in posterum verò die dumtaxat sui obitus in Ecclesiis Fratrum præfatorum, videlicet in Nanceji, ac præfato Romaricomontis, necnon Cantalicii Oppidis ab eisdem Fratribus tantùm, Romæ verò ubi corpus ejusdem requiescit, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesiam ipsorum Fratrum confluentibus recitari, & celebrari: Et subindè, ut à Fratribus ejusdem Ordinis universis, & singulis ubique existentibus, Romæ autem dumtaxat etiam à Sacerdotibus ad Ecclesiam, ubi ejusdem Beati Felicis Corpus quiescit, confluentibus in die obdormitionis ipsius Beati Felicis Officium, & Missa de eo, ut præfertur, similiter recitari, & celebrari respectivè possent, & valerent, licentiam, & facultatem concedimus, & impartiti sumus, prout in diversis nostris in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Nunc ad supplicationem horum Fratrum extendit hujusmodi indultum.

§. 2. Nunc autem dilecti Filii Francisci Genuensis Procuratoris Generalis dicti Ordinis, ac Ministri Generalis, & Fratrum præfatorum nomine Nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati; De eorumdem Cardinalium consilio, ut in die tantùm festi ejusdem Beati Felicis Officium, & Missa de eo, tamquam de communi Confessoris non Pontificis, ut præfertur juxtà rubricas prædictas etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias eorumdem Fratrum confluentibus, recitari, & celebrari respectivè liberè similiter, & licitè valeat, licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus pariter, & impartimur.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandat.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii puclici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 15. Mar.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15. Martii 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

XCV.

Ampliatio Constitutionis à Clement. VIII. contrà non promotos ad sacrum Presbyteratus Ordinem, sacramentales confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ sæculari prævia degradatione tradendos editæ, ad omnes etiam minores viginti quinque annis, dummodò vigesimum ætatis annum compleverint.

Clement. VIII. Constitutionem editam contrà hos nefarios homines habes sup. tom. 3. num. 81.

Edita An. D. 1627.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus Officium, cui meritis licèt imparibus disponente Deo, præsidemus à Nobis postulat, ut quantum Nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, ut beneficio minoris ætatis, spretis Apostolicis constitutionibus, confoveant in delictis quorum statutis pœnis se idcircò jactant minimè subjacere.

Clem. VIII edidit Const. 81.

§. 1. Aliàs siquidem à felicis recordations Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis; videlicet. Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Et si aliàs felicis recordat Paulus Papa IV. &c.

Omittitur residuum, quia ista Const. est sup. tom. 3. num. 81.

Nonnulli ob minorem ætatem pœnas in d. Const. inflictas parvi pendunt.

§. 2. Cùm itaque, sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris ætatis nimis temerè confisi, & legum indulgentiâ freti, pœnas à d. Clementis Prædecessoris Constitutione in hujusmodi delinquentes statutas parvipendere præsumant.

Quare Pont. declarat. ætate 25. annis non excusari, dummodò 20. annum compleverint.

§. 3. Nos detestantes, & quantum in Nobis est, cohibere volentes impiam, & nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quæ solos Presbyteros dictorum Sacramentorum Ministros esse docuit, facto impugnant, negotio hujusmodi in Congregatione

Venera-

Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Generalium Inquisitorum coram Nobis habita, maturè discusso, inhærentes Constitutioni prædictæ, aliisque decretis per fœl. record. Paulum IV. & Sixtum V. Romanos Pontifices Prædecessores nostros contrà similia perpetrantes editis, eáque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ampliantes, & extendentes hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, & decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, qui in posterùm ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut Sacramentalem confessionem audire præsumpserit, ætate minoris annis vigintiquinque non excusetur, quominùs eidem Clementis Constitutioni subjiciatur, dummodò vigesimum suæ ætatis annum compleverit.

Sicque delinquentes Regulares aut Seculares Curiæ Seculari plectendos tradi mandat. §. 4. Ipséque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, sive Laicus, sive Clericus Secularis, aut cujusvis Ordinis Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, Nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjecti, necnon Militiarum quarumcumque etiamsi Sancti Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ Seculari pœnis debitis plectendus.

Ità judicari decernit. §. 5. Sicque & non aliter per quoscumque Sanctæ Inquisitionis Judices, & Inquisitores, etiam Generales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & locorum Ordinarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocircà omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute Sanctæ obedientiæ districtè percipiendo mandamus, quatenùs Statutum, Decretum, & Constitutionem hanc nostram inviolabiliter observent, & observari faciant.

Contrario derogat. §. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis, etiam Generalibus, editis, etiam in corpore Juris clausis, necnon Legibus, Statutis, Decretis, Consuetudinibus, & Privilegiis, ad favorem minorum vigintiquinque annis quomodolibet, & ubicumque locorum editis, ac aliàs in ipsorum favorem facientibus Apostolica etiam confirmatione, ac juramento, & seu quavis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ab verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hanc Const. juxtà forma Clem V. publicari præcipit. §. 7. Volumus autem, harum litterarum publicationem, & affixionem fieri juxta formam in prædicta Clementis Constitutione præscriptam, easque publicatas, & affixas omnes intrà Urbem, & extrà tàm citrà, quàm ultrà montes, & mare post tempus in ipsa Clementis constitutione præfixum æquè arctare, & afficere, ac si cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

Transumptis fidem jubet. §. 8. Mandamus pariter, ut earumdem transumptis etiam impressis, manúque Notarii publici subscriptis, & sigillo Officii Sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem, quæ præsentibus hisce adhiberetur fides, adhibeatur.

Dat. P. An. 5. die 23. Mart. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Martii 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

Publicatio. *Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi, Anno ejus sexto, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, dimissis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deindè amotis, posteà earumdem exempla etiam impressa, & affixa relicta fuerunt per nos Franciscum Pignoccatum, & Camillum Fundatum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.*

Brandimartes Latinus S. D. N. Papæ Cursor, pro Mag. D D. Curs.

Confirmatio, & Innovatio Regulæ Cancellariæ Decreti Cameræ Apostolicæ, & Constitutionum Juij II. quoad fructus Beneficiorum Ecclesiasticorum inexactos. XCVI.

Hanc Julii III. Constitutionem habes sup. tom. 1. num. 7. Cùm sicut. ubi vide.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aeternus rerum conditor, cujus Judicia abyssus multa, sacrosanctum Apostolicæ servitutis Officium Nobis ad hoc licèt immeritis demandare voluit, ut Speculatores domus Israël, quæ est Ecclesia sua sancta, ab eo constituti, inter cæteras ejusdem servitutis curas, boni Patrisfamilias exemplo provideamus, ut non modò Ecclesiarum omnium, & personarum eis in divinis deservientium indemnitati jugiter consulatur, verùm etiam Cameræ Apostolicæ jura sarta tectáque omni sollicitudine præserventur, & unicuique, quod suum est, æqua lance tribuatur: ea verò Nobis ut sublatis impedimentis quibuslibet faciliùs succedere valeant, Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones desuper editas, & libenter innovamus, & si quæ super illis, ac etiam à Nobis ea de re emanatis Regulis, sive literis Apostolicis dubia oriri noscuntur, opportunæ declarationis ministerio removemus, ut etiam hac ratione nostram eidem Ecclesiæ sanctæ operam, quantum Nobis ex alto conceditur, non inutilem faciamus.

§. 1. Aliàs siquidem per regulas Cancellariæ Apostolicæ per Nos in crastinum assumptionis nostræ ad summi Apostolatus apicem editas omnia, & singula facultates, & indulta in ea parte, in qua necdum verè, & realiter suum erat sortita effectum, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros ad favorem quarumcumque personarum concessa, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittebatur, fructus certos, vel incertos, jura obventiones, & emolumenta quæcumque quorumlibet Beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultrá unum annum elocare, & arrendare, ac ad firmam, vel annuam responsionem concedere, seu eos, & ea ad favorem quarumcumque personarum obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore ad vitam Beneficiatorum, & ad tempus, quo Beneficia hujusmodi obtinuissent, minimè restricta, nec contracta, inter alia revocavimus, cassavimus, & annullavimus. Revocavit Pont. facultates disponendi de fructibus certis vel incertis Beneficiorum per regulas Cancellariæ, ut in Rub. notavi.

§. 2. Ac deindè per nostras sub plumbo sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIV. 11. Kal. Novembris Pontificatus Nostri Anno 2. expeditas literas, licèt post generalem gratiarum, & indultorum in præjudicium Cameræ, & Sedis Apostolicæ per eosdem Prædecessores nostros quomodolibet concessorum revocationem, facultates testandi, Facultas testandi aliàs reservavit.

& ab intestato succedendi, quibusvis etiam per Nos concessas exceperimus.

§. 3. Nihilominus mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse declaravimus, prædictæ Regulæ Cancellariæ super revocatione indultorum supervenientiæ, ut præfertur per Nos editæ, nullatenùs per easdem literas nostras præjudicare, quinimò eamdem Regulam quoad omnia in illa comprehensa, ac omnes, & quascumque personas quavis dignitate, etiam Cardinalatus fulgentes confirmavimus, & quatenùs opus esset, innovavimus, & extendimus, ac aliàs prout in dictis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi voluimus, pleniùs continetur.

Ob dubia posteà exorta resolutum fuit in plena Camera, quòd de regula revocare intelligãtur facultates testandi de fructibus etiam non exactis, & super hac resolutione decretum Camerale emanavit.

§. 4. Cùm autem sicut accepimus, pro interesse Successorum in beneficiis Ecclesiasticis, & seu respectivè Cameræ nostræ à nonnullis in dubium revocato, an Regula nostra prædicta facultates, ab eisdem Prædecessoribus nostris quomodolibet concessas, & Beneficiorum fructus inexactos, revocaret, in eadem plena Camera nostra Apostolica sub xiii. Januarii 1625. resolutum fuit, facultates testandi, in ea parte, in qua conceditur facultas disponendi de fructibus non exactis, per prædictam regulam nostram esse revocatas, & super resolutione hujusmodi decretum Camerale emanaverit, ejusdem decreti observantia, & executione etiam subsecutis, & pariter ex eo quòd in facultatibus testandi, & de bonis disponendi, ac ab intestato succedendi per Nos ab indè citrà concessis, expressa constitutionum etiam declaratoriarum fœl. mem. Julii Papæ III. etiam Prædecessoris nostri super fructibus inexactis aliàs in favorem Ecclesiarum, & Beneficiorum, ac eis successorum, & respectivè Cameræ nostræ Apostolicæ editarum derogatio, cum diversis, & prægnantibus clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis apposita fuit, à nonnullis prætendatur, Regulæ, & Constitutioni nostris hujusmodi, resolutionique, & Decretis Cameralibus prædictis sufficienter derogatum, ac proindè Successoribus in Beneficiis, & Ecclesiis, & respectivè Cameræ prædictis, quoad fructus inexactos hujusmodi præjudicium illatum fuisse.

NuncRegulã Cancellariæ Const. resolutionem & decretum prædicta approbat, confirmat, ac etiam Julii III. indicatam inRubrica.

§. 5. Nos omnem in præmissis dubitandi, seu hæsitandi materiam è medio tollere, necnon Ecclesiarum, & Beneficiorum in eisque Successorum ac etiam respectivè Cameræ prædictorum indemnitati consulere volentes, & quarumcumque literarum Apostolicarum tàm in forma Brevis, quàm sub plumbo super facultatibus testandi, disponendi, & ab intestato succedendi, & alias quomodolibet expeditarum, ac quarumcumque aliarum concessionum, & gratiarum desuper quomodolibet factarum veriores, & totos tenores, necnon alia quæcumque etiam hic forsan de necessitate exprimenda præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione easdem nostras Cancellariæ Apostolicæ Regulam, & Constitutionem, prædictámque Resolutionem Cameralem, ac Decretum desuper emanatum hujusmodi, necnon ipsas dicti Julii Prædecessoris Constitutiones in favorem Ecclesiarum, & Beneficiorum, in eisque Successorum, ac Cameræ Apostolicæ respectivè super fructibus inexactis hujusmodi editas, & de iis quomodolibet disponentes tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus illásque & earum quamlibet quoad fructus inexactos hujusmodi in favorem Ecclesiarum, & Beneficiorum, in eisque Successorum, & respectivè Cameræ nostræ Apostolicæ prædictæ innovamus.

Insuper declarat non fuisse, nec esse, nec fore intentionis suæ, in hujusmodi concessionibus prædictis Const. & Decr. derogare.

§. 6. Insuper Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus declaramus, & in verbo Rom. Pontificis attestamur, mentis, & intentionis nostræ nunquàm fuisse, nec esse, minúsque de cætero fore per quascumque concessionem, indultum, seu facultatem testandi, & disponendi, ac ab intestato succedendi, vel transmittendi etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & per modum Indulti, seu legis generalis, vel aliàs quomodolibet à Nobis emanatam, & pro tempore emanandam prædictis Regulæ, & Constitutioni nostris, nec Resolutioni, & Decreto Cameralibus, illorúmque observantiæ minúsque Constitutionibus d. Julii Prædecessoris hujusmodi, quoad dd. fructus inexactos etiamsi affictus, & emolumenta quæcumque inexacta hujusmodi deberentur ratione fructuum recollectorum, & in horreo reconditorum, ac etiam consumptorum, derogare, nec aliquod eis præjudicium ullo modo inferre, quinimò easdem nostras Regulam, & Constitutionem, Decretúmque & Resolutionem Cameræ prædictæ, ac dicti Julii Prædecessoris Constitutiones per Nos, ut præfertur approbatas, confirmatas, & respectivè innovatas de cætero perpetuis futuris temporibus, quoad fructus quarumcumque Ecclesiarum, & Beneficiorum quomodolibet qualificatorum, & quocumque nomine nuncupatorum inexactos hujusmodi inviolabiliter observari, ac omnimodò executioni demandari debere, etiamsi in prædictis indultis, licentiis, seu facultatibus testandi, vel aliàs quomodolibet disponendi, & ab intestato transmittendi, vel succedendi, hactenùs etiam per Nos concessis, & de cætero etiam per Successores nostros Romanos Pontifices, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, vel aliàs quomodolibet concedendis Clausula prædictæ Regulæ nostræ revocatoriæ præservativa, sive quodvis aliud Decretum, sub quacumque verborum forma, & expressione conceptum, de eadem Regula præservanda apposita, & appositum respectivè non fuerit.

In hujusmodi indultis apponatur, ac apposita intelligatur Clausula præservativa jurium Camer. Apost. Ecclesiar.Benefic. & in eis successorum.

§. 7. Omnes verò, & singulas licentias, indulta & facultates testandi, & aliàs quomodolibet disponendi, vel ab intestato transmittendi, & succedendi tàm à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & à Nobis hactenùs quomodolibet concessas, & emanatas, quàm in futurum etiam à Successoribus nostris prædictis etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concedendas, & emanandas in favorem quarumcumque personarum etiam speciali, & individua mentione, & expressione dignarum cujuscumque qualitatis, status, gradus, & conditionis sint, vel fuerint, & quacumque dignitate etiam Cardinalatus fulgeant censendas, habendas, & intelligendas esse, censerique haberi, & intelligi debere, perindè ac si in eis, & quacumque illarum parte apposita esset Clausula omnium, & singulorum jurium prædictorum dictæ Cameræ Apostolicæ, ac respectivè Ecclesiarum, & Beneficiorum, in eisque Successorum præservativa, verbis infrascriptis, sivè æquipollentibus concepta videlicet (Salvis semper, & in suo robore permanentibus prædictis Regula, & Constitutionibus, Resolutionéque, & Decreto Camerali super ipsius Regulæ declaratione die 13. Januarii MDCXXV. emanatis, quibus omnibus nullo modo intendimus derogare.

Nec per quascumque clausulas intelligatur derogatum præmissis Const. Decreto, &c. neque huic Sanctioni.

§. 8. Præterea etiam decernimus, nunquàm de cætero in quibuscumque concessionibus, & dispositionibus, indultis facultatibus, & gratiis etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam quorum tenoribus &c. & quascumque alias clausulas etiam derogatoriarum derogatorias habentibus, ac etiam per viam legis, vel indulti generalis etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet sub quibuscumque tenoribus & formis per Nos, & quoscumque Successores nostros hujusmodi concedendis, seu à Nobis, vel illis emanandis nunquàm præmissis omnibus, & singulis censeri in aliquo præjudicatum, nec derogatum, nisi in eorum quolibet fuerit expressè, & dispositivè, non autem per Clausulas generales

idem importantes, & ceu eventualiter præsenti nostræ Constitutioni derogatum.

Clausula præservativa.

§. 9. Præsentes verò literas omniáque & singula in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes eis nullatenùs consenserint, nec ac ea vocati, & auditi, minúsque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, seu invaliditatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali sive etiam ex eo, quòd in facultatibus testandi, ac aliàs de rebus, & bonis disponendi quibusvis etiam S. R. E. Cardinalibus à Sede Apostolica, vel aliàs quomodolibet ex quacumque causa etiam favorabili, publica, & pia etiam ratione consanguinitatis, vel affinitatis inter concedentem, & privilegiatum existentis, ac aliàs quovis modo etiam consistorialiter concessis cavetur expresè, quod illis uti intuitu, & in remunerationem laborum, & onerum quorumcumque, vel ratione legationum, aliorúmque Officiorum etiam Romanæ Curiæ, & Dignitatum quarumlibet etiam speciali nota, & expressione dignarum, ac aliàs ex titulo, & causa merè onerosis, & aliàs quovis modo attributis nullatenùs, nonnisi sub certis modo, & forma tunc expressis derogari valeat, ac in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, seu statuto, & consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, etiam quoad quoscumque ipsorum privilegiatorum creditores, etiam quantumlibet privilegiatos, aut quocumque alio colore, & titulo etiam in Corpore Juris clauso, seu occasione vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda forent, aut quòd de voluntate nostra hujusmodi, ac aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extrà posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi sed semper ab illis exceptas; perpetuóque validas, & firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 10. Sícque, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ac Camerarium, & Thesaurarium Cameræ, necnon Præsidentes, & Clericos Cameræ nostræ Apostolicæ in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritúmque, & inane quidquid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 11. Non obstantibus, quatenùs opus sit, nostra de jure quæsito non tollendo, aliísque Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quibusvis constitutionibus, & ordinationibus etiam Apostolicis, ac juramento vel alia quavis firmitate roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon literis facultatum testandi aliásque de rebus, & bonis disponendi per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos quibusvis personis etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sub quibuscumque tenore, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam in remunerationem laborum, & damnorum passorum, ac ratione Officiorum, & Dignitatum, necnon ex titulo, & causa merè onerosis, & aliàs cum quibusvis efficacioribus clausulis, & decretis, privilegiis quoque indultis, aliisque literis Apostolicis in contrarium, ut præmittitur, & aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi specificè, & sigillatim expressi, & inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium, & singulorum præmissorum, specialiter, & expresè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

§. 12. Ut autem præsentium literarum notitia ad omnes deveniat, volumus, quòd illæ, sivè earum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixæ, seu affixa omnes ità arctent & afficiant, perindè, ac si unicuique personaliter intimatæ vel intimata fuissent. — HujusConst. publicatio, & effectus.

§. 13. Quódque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. — Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto. — Dat. P. An. 5. die 5. Apr.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1628. Indictione undecima, die verò decima mensis Junii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi, Anno ejus Quinto, supradictæ literæ Apostolicæ, seu Constitutiones affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis, posteà earumdem exempla etiam impressa, & affixa, ut moris est, per Nos Franciscum Pignocatum, & Camillum Fundatum Sanctiss. D. Nostri Papæ Cursores. — Publicatio.

Brandimartes Latinus pro D. Mag. DD. Cursorum.

XCVII.

De Electione Priorum Provincialium, ac Celebratione Capitulorum Provincialium, necnon de modo regendi, & gubernandi Provincias Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Congregationis Italiæ.

Vide de his Fratribus notata ad Constit. 63. Clem. VIII. sup. tom. 3. Et ad Constit. 2. Greg. XV. Pastoralis.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1628.

Aliàs pro parte dilecti Filii Basilii à Sanctissima Trinitate Vicarii Generalis Congregationis Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Italiæ No- — Aliàs iste Pont. divisit Cong. istam in quatuor Provincias deputavit-

 bis ex-

que earum Provinciales sup. in Const. 58. Ad Uberes.

bis exposito, quòd Congregatio ipsa quamplures Domos Regulares per universam Italiam habeat, ità ut solus per seipsum commodè eas regere, & gubernare nequiret, providéque earumdem Domorum utilitati maximè consultum iri existimabat, si eadem Congregatio in Provincias, ut infrà divideretur. Nos supplicationibus ejusdem Basilii Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem prædictam in quatuor Provincias videlicet Romanam, Neapolitanam, Januensem, & Siciliæ Apostolica auctoritate perpetuò divisimus, & separavimus, necnon pro ea prima vice usque ad proximè futuri Capituli generalis ejusdem Congregationis celebrationem tantùm, & non ultrà in Romanæ Victorium ab Epiphania, in Neapolitanæ Simeonem à Cruce; in Januensis Valerianum à S. Augustino, ac in Siciliæ Provinciarum hujusmodi Provinciales Joannem Baptistam à S. Francisco de Paula Ordinis, & Congregationis hujusmodi Professores dilectos Filios sub uno ipsius Congregationis Vicario generali, ac cum privilegiis, gratiis, indultis, facultatibus, jurisdictione, & auctoritate sub certis modo, & forma tunc expressis dicta auctoritate creavimus, constituimus, & deputavimus, & aliàs prout in nostris desuper insuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis habere volumus, pleniùs continetur.

Sed quia in Const. neque in statutis Ordinis de modo Priores Provinciales eligendi &c. nulla fit mentio.

§. 2. Cùm autem, nulla in literis nostris prædictis de modo novos Priores Provinciales eligendi, Capitula Provincialia celebrandi, Provinciásque ipsas regendi, & gubernandi in literis nostris prædictis, minúsque in eorumdem Fratrum Constitutionibus ab hac Sancta Sede confirmatis mentio fiat, Capitulum verò generale eorumdem Fratrum in Domo Regulari ejusdem Congregationis Civitatis Neapolitanæ Dominica quarta post proximum festum Paschatis Resurrectionis celebrandum sit.

Ideò Pont. illum modū determinas.

§. 3. Nos fœlici ejusdem Congregationis, illiúsque Fratrum regimini, atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdémque Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Quòd omnes ipsius Congregationis Vocales pro hac vice dumtaxat in Capitulo generali prædicto Priorem Generalem, & alios Officiales Generales, sicut hactenùs in eadem Congregatione usque in præsentem diem fieri consuevit tàm constitutionum ejusdem Congregationis, quàm declarationum, sive decretorum à præteritis Capitulis generalibus emanatorum vigore eligere liberè, & licitè possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur, ità tamen, ut congregatis in unum pro celebratione ipsius Capituli generalis Vocalibus prædictis antequàm ad quamlibet electionem deveniatur, per viam constitutionum proponatur, discutiatur, & terminetur modus expediens, & opportunus, qui de cætero in Capitulorum generalium, & Provincialium celebratione, Prioris Generalis, & Provincialium Electione servari omninò debeat, quas quidem Constitutiones ad Nos, & hanc Sanctam Sedem deinde transmitti volumus, ut quid circà illarum confirmationem statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, deliberare valeamus.

Alia quoque pro hac vice dumtaxat fieri in Capitulo celebrando concedit.

§. 4. Prætereà ut stante temporis hujusmodi angustia Capitulum generale prædictum ad Dei laudem, ipsiúsque Congregationis utilitatem fœliciùs celebretur, quòd electis in dicto Capitulo generali prædictæ Congregationis Officialibus Generalibus, ipsiúsque Capituli generalis, quod in iis, quæ ad Capitula particularia quomodolibet pertinuerint, nullatenùs se ingeret, totali celebratione absoluta, Vocales uniuscujusque Provinciæ noviter electi, ac etiam ii, quorum Officia tunc temporis cessaverint, immediatè in eadem Domo Regulari, & pro hac vice dumtaxat seorsim, & separatim ab aliis se congregare, suáque Capitula Provincialia celebrare, Præsidentes, Definitores Provinciæ, Provinciales, Priores, aliósque Officiales solitos eligere liberè similiter, & licitè possint, & valeant, ità ut Vocales unius Provinciæ in Officialium quorumcumque alterius Provinciæ Electione nullatenùs interveniant, nec votum ferant, seu aliàs se immisceant, auctoritate, & tenore prædictis facultatem impartimur.

Decretum præservativum.

§. 5. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 5. die 8. Apr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, di 8. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

XCVIII.

Erectio unius Cathedræ Eloquentiæ, sive Rethoricæ in publico Urbis Gymnasio, pro uno ipsius Rethoricæ Lectore, & Professore, cum annuæ provisionis assignatione, necnon Privilegiorum, & Indultorum, quibus alii dicti Gymnasii Cathedratici gaudent, communicatione; Ejusdemque concessio Augustino Mascardo.

Studium generale in Urbe cum privilegiis pro Doctoribus, & Scholaribus instituit Bonifac. VIII. ut Constitut. 9. In supremæ tom. 1. Cui consonat Leon. X. Const. 4. Dum suavissimos, dicto tom. 1.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita An. D. 1628.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Militantis Ecclesiæ regimini ab eo, à quo omnis Sapientia est, & cum quo illa semper fuit & est ante ævum, nullo licèt meritorum suffragio præpositi, & attentè considerantes, inter cæteras liberales Doctrinas, & Disciplinas, quibus Juventus in publico Almæ Urbis nostræ Gymnasio instruitur, & eruditur, ut hominis decus est ingenium, sic ingenii lumen esse eloquentiam, quód-

que Re-

que Rethorica docet, & justa persuadere, & horum contraria fugere, operæ pretium Nos facturos existimavimus, si in eodem Gymnasio una Eloquentiæ, sive Rethoricæ Cathedra provisionis nostræ ministerio erigatur, & instituatur, eique sic erectæ, & institutæ, de tali persona provideatur, cujus insignis doctrina, & eruditio non modò industriâ, studio, labore, & diligentiâ, verùm etiam singulari in Deum pietate comprobetur.

Erectio Cathedræ Rhetoricæ de qua in Rubr.

§. 1. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, unam in præfato Gymnasio Eloquentiæ, sive Rethoricæ Cathedram pro uno ipsius Eloquentiæ, sive Rethoricæ Lectore, & Professore cum omnibus, & singulis privilegiis, & indultis etiam speciali nota, & expressione dignis, & quibus Theolog. aliarum scientiarum, sive disciplin. in dicto Gymnasio Cathedratici Profess. de jure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione Apostolica, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum.

Provisionis annuæ scutatorum 500. assignatio.

§. 2. Necnon provisione annua scutatorum quingentorum monetæ ex ea octingentorum scutatorum similium summa, quam Venerab. Frater Julius Archiepiscopus Thessalonicensis uti Juris civilis in eodem Gymnasio olim Professor, & Jubilatus ex concessione Apostolica percipit postquàm tamen per obitum ipsius Julii Archiepiscopi, seu aliàs ex ejus persona quomodolibet cessaverit, desumenda, & persolvenda, Apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Augustini Mascardi in dicta Cathedra Rhetorica in Lectorem deputatio.

§. 3. Insuper dilecti Filii Augustini Mascardi Clerici Lunensi-Sarzanensis Cubicularii, ac familiaris continui commensalis nostri eximiæ Doctrinæ, & spectatæ multarum literarum scientiæ, atque eruditionis, aliarúmque insignium virtutum, sinceræ erga Nos, & hanc Sanctam Sedem fidei, & devotioni conjunctarum rationem habentes: Motu scientia, & deliberatione similibus, Cathedram Eloquentiæ, sive Rethoricæ per Nos, ut præfertur erectam, & institutam, sive onus scientiam hujusmodi in dicto Gymnasio publicè legendi, docendi, & profitendi eidem Augustino, quoad vixerit, cum omnibus & singulis honoribus, oneribus, privilegiis, gratiis, indultis, ac provisione annua quingentorum scutatorum hujusmodi, illi modo, & forma præmissis persolvenda, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, assignamus, & demandamus, eúmque Eloquentiæ, sive Rethoricæ in dicto Gymnasio Professorem quoad vixerit cum honoribus, oneribus, & provisione præfatis facimus, constituimus, & deputamus.

Executionis prædictorum mendatum.

§. 4. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, aliísque arbitrii nostri pœnis ut eumdem Augustinum ad Cathedram Eloquentiæ, sive Rethoricæ præfatam, onúsque scientiam hujusmodi profitendi, illiúsque liberum exercitium juxtà tenores præsentium recipiant, & admittant, eique de provisione annua quingentorum scutatorum hujusmodi postquàm illa octingentorum scutatorum similium cessaverit, ut præfertur, suis congruis temporibus respondeant, ac responderi curent, & faciant realiter, & cum effectu.

Contrariorum abrogatio.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Gymnasii, & Urbis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 5. die 8. April.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

XLIX.

De Electione Præfecti Generalis, Consultorum, & Arbitrii Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

Hujus Congregationis materiam lege ad Constitut. 25. Sixti V. Ex omnibus. suprà Tom. 2. Et etiam hujus Pontif. Constitut. 8. Sacrosanctæ.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita An. D. 1628.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex è sublimi militantis Ecclesiæ specula universi gregis Dominici curæ jugiter invigilans, præcipuas Apostolicæ solicitudinis partes iis impendere consuevit, ut qui abjectis vanitatibus huic temporali vitæ renunciarunt, charitatemque sectantes, & spiritualia æmulantes; non solùm sibi sed etiam proximo ad salutem prodesse satagunt, per ordinatè, providéque constitutam Superiorum Electionem fœliciter regantur, & gubernentur, sublatísque contentionibus quibuslibet, reddant Domino vota sua, ambuléntque in innocentia vitæ, ac sanctitate, & justitia coràm ipso.

Numerus Provinciarum, & officialium in Capitulum Generalium eligendorum.

§. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, Congregatio dilectorum Filiorum Clericorum Regularium Congregationis Ministrantium Infirmis in quinque Provincias, videlicet Romanam, & Hetruriæ insimul, Siculam, Neapolitanam, Bononiensem, & Mediolanensem divisa existat, & in Capitulo Generali ipsius Congregationis præter Generalem ipsius Præfectum, quatuor Consultores, duo scilicet Presbyteri, & duo Laici, unúsque Arbiter, qui in Sacro Presbyteratus ordine constitutus esse debeat eligi consueverint.

Præfectus generalis ex qua Provincia, & quo ordine de cætero eligendus.

§. 2. Nos fœlici, atque prospero Clericorum præfatorum regimini, atque gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere volentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus succedente muneris Præfecti generalis dictæ Congregationis vacatione, Siciliæ primò, ac subindè Mediolanensis, deinde verò Bononiensis, postea Neapolitanæ, demumque Romanæ, & Hetruriæ Provinciarum, ejusdem Congregationis Professores ad munus Præfecti generalis; ordine hujusmodi successivo servato, dummodò tamen ad illius functionem, sive exercitium habiles, & idonei in ea Provincia, cui id obtigerit, reperiantur, & sic deinceps alternis vicibus.

Consultores, & Arbiter ex quibus Provinciis eligendi.

§. 3. Quódque in proximè futuro Capitulo generali ipsius Congregationis, è Mediolanensi, & Bononiensi duo Laici, ex Neapolitana verò, & Siciliæ duo Presbyteri in Consultores, necnon Arbiter pro hac prima vice rursus è Mediolanensi Provinciis hujusmodi, in futurum verò ex aliis Provinciis per turnum alternis vicibus, atque ordine successivo, ut præfertur, eligantur, & assumantur, eligique & assumi debeant, ità tamen, ut è duabus illis Provinciis, ex quibus in uno Capitulo generali duo Presbyteri in Consultores assumpti fuerint, in alio subsequenti nonnisi duo Laici, ad Officium Consultorum hujusmodi eligi valeant, neque Consultores, & Arbiter ejus sint Provinciæ, ex qua Præfectum generalem eligi contigerit, servato semper in omnibus præmissis ordine alternativæ, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Decretum præservativum.

§. 4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, ac efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari.

§. 5. Sic-

que earum Provinciales sup in Const. 58. Ad Uberes.

bis exposito, quòd Congregatio ipsa quamplures Domos Regularès per universam Italiam habeat, ità ut solus per seipsum commodè eas regere, & gubernare nequiret, providéque earumdem Domorum utilitati maximè consultum iri existimabat, si eadem Congregatio in Provincias, ut infrà divideretur. Nos supplicationibus ejusdem Basilii Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem prædictam in quatuor Provincias videlicet Romanam, Neapolitanam, Januensem, & Siciliæ Apostolica auctoritate perpetuò divisimus, & separavimus, necnon pro ea prima vice usque ad proximè futuri Capituli generalis ejusdem Congregationis celebrationem tantùm, & non ultrà in Romanæ Victorium ab Epiphania, in Neapolitanæ Simeonem à Cruce; in Januensis Valerianum à S. Augustino, ac in Siciliæ Provinciarum hujusmodi Provinciales Joannem Baptistam à S. Francisco de Paula Ordinis, & Congregationis hujusmodi Professores dilectos Filios sub uno ipsius Congregationis Vicario generali, ac cum privilegiis, gratiis, indultis, facultatibus, jurisdictione, & auctoritate sub certis modo, & forma tunc expressis dicta auctoritate creavimus, constituimus, & deputavimus, & aliàs prout in nostris desuper insuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis habere volumus, pleniùs continetur.

Sed quia in Const. neque in statutis Ordinis de modo Priores Provinciales eligendi &c. nulla fit mentio.

§. 2. Cùm autem, nulla in literis nostris prædictis de modo novos Priores Provinciales eligendi, Capitula Provincialia celebrandi, Provinciásque ipsas regendi, & gubernandi in literis nostris prædictis, minúsque in eorumdem Fratrum Constitutionibus ab hac Sancta Sede confirmatis mentio fiat, Capitulum verò generale eorumdem Fratrum in Domo Regulari ejusdem Congregationis Civitatis Neapolitanæ Dominica quarta post proximum festum Paschatis Resurrectionis celebrandum sit.

Ideò Pont. illum modũ determinas.

§. 3. Nos fœlici ejusdem Congregationis, illiúsque Fratrum regimini, atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdémque Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Quòd omnes ipsius Congregationis Vocales pro hac vice dumtaxat in Capitulo generali prædicto Priorem Generalem, & alios Officiales Generales, sicut hactenùs in eadem Congregatione usque in præsentem diem fieri consuevit tàm constitutionum ejusdem Congregationis, quàm declarationum, sive decretorum à præteritis Capitulis generalibus emanatorum vigore eligere liberè, & licitè possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur, ità tamen, ut congregatis in unum pro celebratione ipsius Capituli generalis Vocalibus prædictis antequàm ad quamlibet electionem deveniatur, per viam constitutionum proponatur, discutiatur, & terminetur modus expediens, & opportunus, qui de cætero in Capitulorum generalium, & Provincialium celebratione, Prioris Generalis, & Provincialium Electione servari omninò debeat, quas quidem Constitutiones ad Nos, & hanc Sanctam Sedem deinde transmitti volumus, ut quid circà illarum confirmationem statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, deliberare valeamus.

Alia quoque pro hac vice dumtaxat fieri in Capitulo celebrando concedit.

§. 4. Præterea ut stante temporis hujusmodi angustia Capitulum generale prædictum ad Dei laudem, ipsiúsque Congregationis utilitatem fœliciùs celebretur, quòd electis in dicto Capitulo generali prædictæ Congregationis Officialibus Generalibus, ipsiúsque Capituli generalis, quod in iis, quæ ad Capitula particularia quomodolibet pertinuerint, nullatenùs se ingeret, totali celebratione absoluta, Vocales uniuscujusque Provinciæ noviter electi, ac etiam ii, quorum Officia tunc temporis cessaverint, immediatè in eadem Domo Regulari, & pro hac vice dumtaxat seorsim, & separatim ab aliis se congregare, suáque Capitula Provincialia celebrare, Præsidentes, Definitores Provinciæ, Provinciales, Priores, aliósque Officiales solitos eligere liberè similiter, & licitè possint, & valeant, ità ut Vocales unius Provinciæ in Officialium quorumcumque alterius Provinciæ Electione nullatenùs interveniant, nec votum ferant, seu aliàs se immisceant, auctoritate, & tenore prædictis facultatem impartimur.

Decretum præservativum.

§. 5. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresśè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 5. die 8. Apr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, di 8. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

XCVIII.

Erectio unius Cathedræ Eloquentiæ, sive Rethoricæ in publico Urbis Gymnasio, pro uno ipsius Rethoricæ Lectore, & Professore, cum annuæ provisionis assignatione, necnon Privilegiorum, & Indultorum, quibus alii dicti Gymnasii Cathedratici gaudent, communicatione; Ejusdemque concessio Augustino Mascardo.

Studium generale in Urbe cum privilegiis pro Doctoribus, & Scholaribus instituit Bonifac. VIII. ut Constitut. 9. In supremæ tom. 1. Cui consonat Leon. X. Const. 4. Dum suavissimos, dicto tom. 1.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Militantis Ecclesiæ regimini ab eo, à quo omnis Sapientia est, & cum quo illa semper fuit & est ante ævum, nullo licèt meritorum suffragio præpositi, & attentè considerantes, inter cæteras liberales Doctrinas, & Disciplinas, quibus Juventus in publico Almæ Urbis nostræ Gymnasio instruitur, & eruditur, ut hominis decus est ingenium, sic ingenii lumen esse eloquentiam, quód-

que Rethorica docet, & justa persuadere, & horum contraria fugere, operæ pretium Nos facturos existimavimus, si in eodem Gymnasio una Eloquentiæ, sive Rethoricæ Cathedra provisionis nostræ ministerio erigatur, & instituatur, eique sic erectæ, & institutæ, de tali persona provideatur, cujus insignis doctrina, & eruditio non modò industriâ, studio, labore, & diligentiâ, verùm etiam singulari in Deum pietate comprobetur.

Erectio Catedræ Rhetoricæ de qua in Rubr.

§. 1. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, unam in præfato Gymnasio Eloquentiæ, sive Rethoricæ Cathedram pro uno ipsius Eloquentiæ, sive Rethoricæ Lectore, & Professore cum omnibus, & singulis privilegiis, & indultis etiam speciali nota, & expressione dignis, & quibus Theolog. aliarum scientiarum, sive disciplin. in dicto Gymnasio Cathedratici Profess. de jure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione Apostolica, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum.

Provisionis annuæ scutatorum 500. assignatio.

§. 2. Necnon provisione annua scutatorum quingentorum monetæ ex ea octingentorum scutatorum similium summa, quam Venerab. Frater Julius Archiepiscopus Thessalonicensis uti Juris civilis in eodem Gymnasio olim Professor, & Jubilatus ex concessione Apostolica percipit postquàm tamen per obitum ipsius Julii Archiepiscopi, seu aliàs ex ejus persona quomodolibet cessaverit, desumenda, & persolvenda, Apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Augustini Mascardi in dicta Cathedra Rhetoricain Lectorem deputatio.

§. 3. Insuper dilecti Filii Augustini Mascardi Clerici Lunensi-Sarzanensis Cubicularii, ac familiaris continui commensalis nostri eximiæ Doctrinæ, & spectatæ multarum literarum scientiæ, atque eruditionis, aliarúmque insignium virtutum, sinceræ erga Nos, & hanc Sanctam Sedem fidei, & devotioni conjunctarum rationem habentes: Motu scientia, & deliberatione similibus, Cathedram Eloquentiæ, sive Rethoricæ per Nos, ut præfertur erectam, & institutam, sive onus scientiam hujusmodi in dicto Gymnasio publicè legendi, docendi, & profitendi eidem Augustino, quoad vixerit, cum omnibus & singulis honoribus, oneribus, privilegiis, gratiis, indultis, ac provisione annua quingentorum scutatorum hujusmodi, illi modo, & forma præmissis persolvenda, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, assignamus, & demandamus, eúmque Eloquentiæ, sive Rethoricæ in dicto Gymnasio Professorem quoad vixerit cum honoribus, oneribus, & provisione præfatis facimus, constituimus, & deputamus.

Executionis prædictorum mandatum.

§. 4. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, aliísque arbitrii nostri pœnis ut eumdem Augustinum ad Cathedram Eloquentiæ, sive Rethoricæ præfatam, onúsque scientiam hujusmodi profitendi, illiúsque liberum exercitium juxtà tenores præsentium recipiant, & admittant, eique de provisione annua quingentorum scutatorum hujusmodi postquàm illa octingentorum scutatorum similium cessaverit, ut præfertur, suis congruis temporibus respondeant, ac responderi curent, & faciant realiter, & cum effectu.

Contrariorum abrogatio.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Gymnasii, & Urbis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 5. die 8. April.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

XLIX.

De Electione Præfecti Generalis, Consultorum, & Arbitrii Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

Hujus Congregationis materiam lege ad Constitut. 25. Sixti V. Ex omnibus. suprà Tom. 2. Et etiam hujus Pontif. Constitut. 8. Sacrosanctæ.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex è sublimi militantis Ecclesiæ specula universi gregis Dominici curæ jugiter invigilans, præcipuas Apostolicæ solicitudinis partes iis impendere consuevit, ut qui abjectis vanitatibus huic temporali vitæ renunciarunt, charitatemque sectantes, & spiritualia æmulantes, non solùm sibi sed etiam proximo ad salutem prodesse satagunt, per ordinatè, providéque constitutam Superiorum Electionem fœliciter regantur, & gubernentur, sublatísque contentionibus quibuslibet, reddant Domino vota sua, ambuléntque in innocentia vitæ, ac sanctitate, & justitia coràm ipso.

Numerus Provinciarum, & officialium in Capitulum Generalium eligendorum.

§. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, Congregatio dilectorum Filiorum Clericorum Regularium Congregationis Ministrantium Infirmis in quinque Provincias, videlicet Romanam, & Hetruriæ insimul, Siculam, Neapolitanam, Bononiensem, & Mediolanensem divisa existat, & in Capitulo Generali ipsius Congregationis præter Generalem ipsius Præfectum, quatuor Consultores, duo scilicet Presbyteri, & duo Laici, unúsque Arbiter, qui in Sacro Presbyteratus ordine constitutus esse debeat eligi consueverint.

Præfectus generalis ex qua Provincia, & quo ordine de cætero eligendus.

§. 2. Nos fœlici, atque prospero Clericorum præfatorum regimini, atque gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere volentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus succedente muneris Præfecti generalis dictæ Congregationis vacatione, Siciliæ primò, ac subindè Mediolanensis, deinde verò Bononiensis, postea Neapolitanæ, demumque Romanæ, & Hetruriæ Provinciarum, ejusdem Congregationis Professores ad munus Præfecti generalis; ordine hujusmodi successivo servato, dummodò tamen ad illius functionem, sive exercitium habiles, & idonei in ea Provincia, cui id obtigerit, reperiantur, & sic deinceps alternis vicibus.

Consultores, & Arbiter ex quibus Provinciis eligendi.

§. 3. Quódque in proximè futuro Capitulo generali ipsius Congregationis, è Mediolanensi, & Bononiensi duo Laici, ex Neapolitana verò, & Siciliæ duo Presbyteri in Consultores, necnon Arbiter pro hac prima vice rursus è Mediolanensi Provinciis hujusmodi, in futurum verò ex aliis Provinciis per turnum alternis vicibus, atque ordine successivo, ut præfertur, eligantur, & assumantur, eligique & assumi debeant, ità tamen, ut è duabus illis Provinciis, ex quibus in uno Capitulo generali duo Presbyteri in Consultores assumpti fuerint, in alio subsequenti nonnisi duo Laici, ad Officium Consultorum hujusmodi eligi valeant, neque Consultores, & Arbiter ejus sint Provinciæ, ex qua Præfectum generalem eligi contigerit, servato semper in omnibus præmissis ordine alternativæ, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Decretum præservativum.

§. 4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, ac efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari.

§. 5. Sic-

Decretum irritans.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboràtis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, aliisque literis Apostolicis eidem Congregationi illiúsque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 5. die 29. Apr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Aprilis 1628. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

C.

De Electione Definitorum Congregationis Cassinensis, aliàs Sanctæ Justinæ de Padua, Ordinis Sanctissimi Patris Benedicti, ac de eorumdem vacatione ab officio; Necnon de auctoritate Dietæ circa depositiones Abbatum, eorúmque mutationes, ac eorum, qui Decanatus munere digni sunt electionem.

Hujus Congregationis materiam plenè indicatam, vide ad Constitut. 1. Jul. II. Super Cathedram. tom. 1. Novissimè autem scito emanasse Decretum à Sacra Rituum Congregatione super usu Baldachini, & Ministrorum, & aliarum Cæremoniarum ad favorem Abbatum ipsius Congregationis, relatum, & confirmatum ab ipsomet S. D. N. infrà Constitut. Exponi.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Commissi Nobis per abundantiam Divinæ gratiæ Pastoralis Officii debitum postulat, ut Sacrarum Religionum in Ecclesia Dei militantium fœlici statui, & directioni sedulò intendentes, ea statuamus, & decernamus, quæ prospero illarum regimini & gubernio conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Constitut.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Abbates Monasteriorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis aliàs Sanctæ Justinæ de Padua, quòd ipsi aliàs de anno proximè præterito in Civitate Perusina Capitulariter congregati, considerantes damna, seu inconvenientia, quæ in dicta Congregatione ob nimiam, & ferè absolutam auctoritatem, & potestatem, qua ipsius Congregationis Definitorium sua perpetuitate fretum, ac Dieta utebantur, eatenùs exorta erant, proindéque illis, de aliquo opportuno remedio providere cupientes ad Nos, & Apostolicam Sedem desuper recursum habere decreverunt. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

De Electione duratione, & vocatione Definitorum.

§. 1. Nos damnis, & inconvenientibus hujusmodi, quantum cum Domino possumus, obviam ire, ac Abbates præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtax. consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Definitorium ejusdem Congregationis non sit, nec esse possit perpetuum, sed quoad omnes Definitores vacabile, ità quòd ipsorum Definitorum officium sit annale, & vigore cujuscumque confirmationis ultrà biennium non duret, & qui de præsenti Definitores existunt, si tempore proximi Capituli Generalis ejusdem Congregationis, quod ut asserunt, præsenti anno in Civitate Parmensi celebrandum est, eorum, & seu cujuslibet ipsorum Definitorum officium spatio biennii tunc præcedentis duraverit, eorum officium per biennium, ut præfertur obtentum, eo ipso vacet, & vacare censeatur, iidémque Definitores biennales ad officium Definitoris hujusmodi denuò eligi, vel assumi nequeant, nisi postquàm per aliud biennium ab eodem Officio cessaverint.

De auctoritate Dietæ circà Depositiones Abbatum ac Decanorum Electione.

§. 2. Quódque etiam in Dieta dictæ Congregationis nullus Abbas deponi possit, sed id Capitulo Generali ejusdem Congregationis omninò relinquatur, & casu quo aliqua urgens necessitas provisione indigens occurrat, tunc cognitâ primum causâ, reóque audito, ad suspensionem administrationis dumtaxat deveniri possit, ac loco Prælati sic suspensi alius deputetur Prælatus, qui tamen ex illis non sit, qui Dietam ex qua judicium fieri contigerit, ingrediuntur: Demùm, quòd in Dieta ullus Abbas in pœnam absque cognitione causæ mutari, seu decreta in Capitulo Generali facta annullari, aut Decani sub quovis prætextu creari nullatenùs possint.

Contrafacientium pœna.

§. 3. Prædictáque omnia & singula perpetuò sub nullitatis gestorum, excommunicationis latæ sententiæ, privationis vocis activæ, & passivæ, ac Officiorum per eos, obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa in posterum obtinendi pœnis eo ipso incurrendis.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis in prædicta Congregatione perpetuò observari, & ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, decernimus, & declaramus.

Deputatio executorum.

§. 5. Quocirca dilectis Filiis nostro Ludovico titulo S. Laurentii in Damaso Presbytero Cardinali Ludovisio nuncupato, moderno, & pro tempore existenti Ordinis, & Congregationis hujusmodi apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc, & pro tempore existentium Ordinis, & Congregationis hujusmodi Superiorum, aut alius eorum nomine dictæ Congregationis fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eas, & ea auctoritate nostra ab omnibus inviolabiliter observari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & pœnas etiam pecuniarias eorum arbitrio imponendas, moderandas, & applicandas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimísque super his habendis

servatis

servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliísque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non faciendam plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat.P. An.5. die 4. Maji.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Maji 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

CI.

Confirmatio Constitutionum Urbanarum Fratrum Minorum Conventualium Ordinis Sancti Francisci in Capitulo Generali dicti Ordinis Anno 1625. celebrato pro fœliciori ipsius Ordinis progressu editarum, ac de mandato Sanctissimi Domini Nostri examinatarum cum annullatione quarumcunque aliarum Constitutionum prædictis repugnantium.

Istæ Constitutiones Urbanæ sunt impressæ in libro Romæ de Anno 1628. quas hic imprimere, denuò, otiosum esset.

Fratribus hujus Ordinis, eorúmque Superioribus ambitum prohibuit Paulus V. ut in Const. 116. Admonemur. suprà Tom. 3. Et pro dicti Ordinis Studentibus Collegium in Insula Melevitana erexit idem Paulus in Const 121. In supereminenti, dicto Tom. 3. Et aliud in Civitate Pragæ instituit posteà Greg. XV. ut suprà in Const. 21. In supereminenti. De toto autem Ordine Beati Francisci attende quæ sunt indicata ad Honor. III. Const. 5. suprà Tom. 1.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus per abundantiam divinæ gratiæ præpositi; inter gravissimas, multiplicésque Apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari studio jugiter incumbimus, ut qui, abjectis vanitatibus, huic temporali vitæ renunciarunt, charitatémque sectantes, & spiritualia æmulantes, divini numinis obsequiis se manciparunt, sub providè, atque ordinatè editis statutis, fœliciter regantur, atque gubernentur.

Const. compilatæ, & redactæ fuerunt in unum volum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Felix Franceschinus de Cascia Minister Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quòd in proximè præterito ipsius Ordinis Capitulo Generali de anno 1625. celebrato pro fœliciori ipsius Ordinis, ejúsque Fratrum progressu, ac disciplinæ regularis observantia; novæ ipsius Ordinis constitutiones Urbanæ nuncupatæ in unum volumen compilatæ fuerunt.

Petit confirmationem.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, pro majori eorumdem Constitutionum validitate, atque observantia, dictus Felix cupiat, illas Apostolicæ confirmationis patrocinio communiri, & aliàs per Nos, ut infrà provideri.

Approbat, & confirmat.

§. 3. Nos, qui Constitutiones ipsas per dilectum Filium Jacobum Crescentium Monasterii Abbatiæ nuncupatæ Sancti Euthicii, Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis Spoletan. dictorum Commendatarium diligenter examinari, & revideri jussimus, piis dicti Fœlicis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illúmque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones hujusmodi in unum volumen compilatas, sic de mandato nostro examinatas, & revisas, ut præfertur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illísque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Alias istis repugnantes annullat.

§. 4. Omnes verò, & singulas alias dicti Ordinis Constitutiones in anteà factas, etiam auctoritate Apostolica roboratas, in iis, quæ præsentibus repugnant, & quæ annis proximè præteritis pro reformatione Fratrum dicti Ordinis Regni Poloniæ factæ fuerunt, viribúsque & effectu evacuamus.

Præceptum de observando.

§. 5. Decernentes Constitutiones hujusmodi compilatas, ac de mandato nostro examinatas, & revisas, ut præfertur, ab omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, cæterísque personis sub pœnis in illis contentis inviolabiliter observari debere.

Auctoritatem tollit aliter judicandi.

§. 6. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandat.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsius originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 5. die 15. Maji.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 15. Maji 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

Sequitur Deputatio Ministri Generalis hujus Ordinis in Executorem Observantiæ dictarum Constitutionum Urbanarum.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Dilecto filio Franceschino à Cassia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Ministro Generali Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Iste Pont. edidit Constit. præced.

Nuper à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicèt. Urbanus Octavus Papa.

Ad per-

Ad perpetuam rei memoriam. Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus.

Residuum est Const. quæ præcedit.

Causæ hujus Const. & deputatio de qua in rubr.

§. 2. Cùm autem sicut accepimus, Constitutiones hujusmodi de mandato nostro examinatæ, emendatæ, correctæ, & revisæ, ac per Nos approbatæ: & confirmatæ, ut præfertur in generali eorundem Fratrum Congregatione in domo regulari sanctorum duodecim Apostolorum de Urbe de mense Maji proximè præteriti celebrata, publicatæ, & acceptæ fuerint; Nos ut Constitutiones prædictæ eò faciliùs in omnibus ipsius Ordinis Domibus, & locis regularibus introducantur, exactiúsque ab illorum Fratribus, & personis observentur, quò amplioribus fuerit à nobis, & hac Sancta Sede facultatibus suffultus, providere volentes ac de tua fide, prudentia, pietate, doctrina, & religionis zelo plurimùm in Domino confisi, tuam in præmissis auctoritatem in primis Apostolica auctoritate præfata tenore præsentium excitamus, tibique per præsentes committimus, & mandamus, ut per teipsum, si commodè potueris, sin minùs per idoneos ipsius ordinis Religiosos viros, vitæ ac morum probitate, doctrináque præstantes à te subdelegandos Constitutiones hujusmodi de mandato nostro examinatas, & revisas, ac per Nos approbatas, & confirmatas, ut præfertur, in omnibus tui Ordinis domibus, & locis regularibus auctoritate nostra introducas, eásque ab omnibus illorum Fratribus, & personis quantum fieri posse, & expedire judicaveris observari eadem auctoritate cures, & facias; contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo.

Facultatis, & auctoritatis concessio.

§. 3. Nos enim tibi præmissa, & quæcumque alia circà ea necessaria, & quomodolibet opportuna facienda, dicenda, gerenda, & exequenda plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præsentibus literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 6. die 16. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 16. Septembris 1628. Pontificatus nostri Anno sexto.

CII.

Ordinationes, & leges observandæ in electione Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

Hujus Hospitalis materiam vide indicatam ad Constit. 2. Anastasius IV. Christianæ, suprà Tom. 1. Et etiam hujus Pont. Constit. 13. Universalis, qua confirmavit omnia privilegia ei quomodolibet concessa. Et aliam pariter Constit. 93. Exponi hic suprà qua confirmavit decretum editum ad ipsius Hospitalis, & Militum favorem circà Constit. Greg. XV. de Conservatoribus.

Edita A. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN specula militantis Ecclesiæ, nullo meritorum suffragio, sed per abundantiam Divinæ gratiæ constituti, inter cætera, quibus juxtà creditum humilitati nostræ Apostolatus officium jugiter angimur, illa Nos maximè solicitos reddunt, ut eorum, qui ad primaria in Militiis Regularibus munia assumendi sunt, electiones certis legibus celebrentur, & omni perturbatione semota, fœliciter perficiantur.

Prohibet ne Locumtenens quemquam, sine consilio status dispensare, aut aliquam gratiam facere valeat.

§. 1. Quare certam legem, & formam in electione Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani celebranda præscribere volentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, prohibemus, & interdicimus, ne de cætero ullus Locumtenens à pro tempore existente dicti Hospitalis Magno Magistro, vel Sede Magistrali vacante, à consilio status, seu Completo juxtà formam statutorum, seu stabilimentorum dicti Hospitalis, auctoritate Apostolica confirmatorum deputatus, vel electus cum quovis Fratre Milite dicti Hospitalis, seu alia quavis persona ad habitum Fratrum dicti Hospitalis admitti petente super cujuscumque generis impedimento, vel defectu, etiam in vim quorumcumque privilegiorum, seu facultatum eadem auctoritate concessorum, seu confirmatorum dispensare, aut alias gratias quovis prætextu facere, minúsque literas Apostolicas Magno Magistro prædefuncto directas executioni demandare, aut alios quosvis actus gratiam concernentes, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrenda facere audeat, vel præsumat; Volentes, & expresse præcipientes, ut ipse Locumtenens ea solùm, quæ ad meram justitiam pertinent, exercere valeat: alioquin omnia, & singula per eum contrà præsentium tenorem quomodolibet gesta, irrita, & inania, nulliúsque roboris, & momenti existant. Sicque dispensati, & alii quicumque executionis literarum prædictarum, necnon gratiarum, eis sic, ut præfertur, à Locumtenente hujusmodi factarum, usu, & effectu careant, & aliàs in eodem statu, in quo anteà erant, non secùs ac si cum eis super suis impedimentis, vel defectibus dispensatum, gratiæque eis concessæ, ac literæ Apostolicæ hujusmodi executioni demandatæ non fuissent, remaneant.

Deputat tres Fratres Milites pro pecuniis recipiendis, & solvendis.

§. 2. Occurrente autem Sedis Magistralis vacatione tres ejusdem Hospitalis FF. Milites, fide, & facultatibus idonei, per Locumtenentem, & Consilium præfatos deputentur, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniæ per debitores communis Ærarii, vacatione præfata durante, in numerata pecunia realiter, & cum effectu solvantur, & numerentur. Solventes verò solutionum hujusmodi quietantias, ab ipsis deputatis reportent, qui quidem Deputati statim, secuta Magni Magistri electione, pecuniarum per eos receptarum, & exactarum rationem reddere, pecuniásque ipsas Magno Magistro canonicè electo, seu Thesaurario, vel aliis Ministris, ad quos de jure, & ex forma statutorum, seu stabilimentorum hujusmodi spectabit, consignare, & restituere teneantur, aliterque factæ solutiones nullatenùs solventibus suffragentur, quin adhuc communis Ærarii, ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

Decernit quinam concurrere debeat in electione M. Magistri.

§. 3. Prætereà, ne ullus dicti Hospitalis Frater sive Miles, sive Capellanus, sive Armorum serviens, & extrà limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum sit, nullúsque Frater Capellanus, actu Sacerdos non existens, minúsque nullus Frater serviens qui ex mera gratia, nullis factis probationibus, receptus fuerit in electione Magni Magistri, aut in quovis alio actu illam concernente, etiam cujusvis privilegii à Sede Apostolica obtenti, vel consuetudinis etiam immemorabilis, aut quovis alio prætextu, ingenio, vel colore, votum, vel suffragium ferre, nec etiam passivum habere, seu in ea quomodolibet se intromittere, vel immiscere audeat, vel præsumat, aut privilegio, vel consuetudine hujusmodi, sive quibusvis aliis gratiis, sibi specialiter etiam auctoritate Apostolica desuper concessis, uti possit, aut valeat. Exceptis tamen Venerabili Fratre Episcopo Melevitano & dilecto Filio Priore Ecclesiæ Conventualis ejusdem Hospitalis nunc, & pro tempore existentibus necnon quovis alio Magnæ Crucis Fratre, quos, licèt receptos extrà limites, ad suffragium ferendum habiles declaramus, eósque in hac prohibitionis parte nullatenùs

compre-

comprehendere intendimus, sed ejusdem Episcopi, necnon etiam Linguæ Germanicæ jura, privilegia, & prærogativas, si quæ illis aliàs competunt, præservamus.

Mandat fieri Catalogum Vocalium.

§. 4. Insuper statuimus, & ordinamus, ut ipse Locumtenens unà cum Consilio supradicto, quam primùm eorum Fratrum, qui juxtà formam præsentis nostræ Constitutionis suffragium laturi sunt notam, sive catalogum, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis, & denominationibus, necnon tempore susceptionis habitus, ac residentiæ, & caravannarum per eorum quemlibet factarum confici, illámque in locis publicis, solitis, & consuetis, ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contrà aliquem excipere voluerit, intrà terminum, ab eisdem præfigendum, in Actis Cancellarii, seu Vicecancellarii, aut cujusvis alterius, ad hoc deputandi, exhibere, & jura sua deducere possit, & valeat; affigi curent: Quo termino elapso, & nihil opposito, opponere volentes ampliùs non audiantur.

Locumtenens & Consilium causas summariè cognoscere debent.

§. 5. Ipsi verò Locumtenens, & Consilium ipsas, & quascumque alias controversias, quas, Sede Magistrali vacante, oriri contigerit, donec ad Magni Magistri consummatam electionem deventum fuerit; privativè quoad alios quoscumque summariè, simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura judicii, etiam manu regia, juxtà tamen eorum statuta; stabilimenta, & consuetudines hujusmodi, omni, & quacumque appellatione, in integrum restitutione, & aliis quibuscumque executionem retardare valentibus, remotis, decidere, & terminare etiam possint, & valeant.

Modus, & forma eligendi Magnum Magistrum.

§. 6. Conventus verò, & omnes Fratres die, & hora solitis in Ecclesia dicti Hospitalis congregentur, & Missâ celebratâ, Hymnóque Veni Creator Spiritus, decantato, singuli Fratres jus suffragii vigore præsentium habentes, ad Capellam unicuique linguæ, ad id in eadem Ecclesia destinatam, seu destinandam, exceptis tamen Fratribus illius linguæ ex qua dictus Locumtenens extiterit, qui in corpore Ecclesiæ Sancti Joannis remaneant, accedant, ibíque prævio juramento per eorum singulos alta, & intelligibili voce juxtà formam in statutis, seu stabilimentis hujusmodi præscriptam, & de præsenti observandam déque eligendo eum quem secundùm Deum judicarint expedire, præstando: Quòd quidem in omnibus aliis electionibus, vigore earumdem præsentium, faciendis, per omnes, & singulos suffragium laturos, præstari, & renovari volumus: non unum, ut anteà consueverant, sed tres Fratres Milites ex unaquaque lingua capaces, ac juxtà præsentium, necnon statutorum, seu stabilimentorum præfatorum formam qualificatos, in electores eligant, ità ut in posterùm non octo tantùm Fratres Milites, qui in electores deputabantur, sed viginti quatuor eligantur, ipsáque trium Fratrum cujuscumque linguæ electio per secretas schedulas modo, & forma sequentibus fiat; Videlicèt, quòd omnes schedulæ vel impressæ, vel una & eadem manu tantùm conscriptæ sint, cum expressione eorum omnium, quæ in similibus electionum schedulis exprimi solent, præter nomina, & cognomina, seu denominationes eligentium, & eligendorum, illæque super mensa in Capellis, & Ecclesia hujusmodi respectivè apponi, singulíque eligentes seorsim, & separatim, aliis indè remotis, ad ipsam mensam accedere, & ipsimet in una proprium nomen, seu cognomen, aut denominationem, in altera verò schedulæ partibus, illius, quem eligere voluerint, nomen, seu cognomen, aut denominationem, in propria manu, alioquin suffragium sit nullum, scribere debeant. Liceat tamen iis, quibus Consilium, & Locumtenens præfati ex aliqua infirmitatis, vel alterius justæ, & rationabilis impotentiæ causa id concesserint, nomina, cognomina, seu denominationes præfata per alium, ab ipsismet Locumtenente, & Consilio, deputandum describi facere. Quilibet verò eligentium hujusmodi ad mensam præfatam accedens, nominibus, seu cognominibus, aut denominationibus præfatis in sua schedula, ut præfertur, conscriptis, illam complicet, & involvat ad effectum, ut à nemine legi possit, eámque sic complicatam, & involutam summis digitis elevans, & circumstantibus palàm, & publicè ad hoc ut unicam esse omnibus pateat, commonstrans, in urnam, seu vas in mensa ad hunc effectum appositum immittat. Quo facto tres antiquiores, seu magis antiani tanquàm scrutatores palàm, & publicè omnibus videntibus, & audientibus eligentes, & schedulas in urnam, seu vas immissas, numerent, & ubi pauciores, seu plures schedulæ numero eligentium repertæ fuerint, illicò comburantur, & ad novum scrutinium toties deveniatur, donec schedularum numerus eligentium numero coæquetur, illíque respondeant, ipsáque trium hujusmodi Fratrum Militum pro unaquaque lingua electio fiat; Illíque electi censeantur, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodò singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Si verò nemo, sive duo, aut unus dumtaxat ex tribus eligendis hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, scrutinium toties renovetur quoad alios, qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dicta saltem quarta parte compleatur. Qui verò, ut præfertur, electus fuerit à suffragio ferendo pro aliis duobus arceatur, statímque atque electus fuerit, ab ipsa Capella recedat, & ad locum opportunum se conferat. Quòd si Locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius Locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius Consilii inibi existens Locumtenentis loco præsideat, prout Consilio expedire videbitur. Quia verò Prioratus, & aliæ dignitates Anglicanæ linguæ Magno Magisterio Hospitalis hujusmodi, donec illud Regnum ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redierit, Apostolica auctoritate unitæ reperiuntur, unaquæque lingua successivè alium eligat, & ex septem sic electis, viginti & unus supradicti per secreta pillularum suffragia pro majori numero eligentium respectu minoris tres diversarum nationum, Gallicæ videlicèt Hispanicæ, Italicæ, & Germanicæ eligant, qui tres, ut præfertur, electi linguam Anglicam repræsentent, illiúsque vice, & nomine in electione hujusmodi tantum suffragium ferant. His peractis ipsi viginti quatuor, ut præfertur electi, ad locum Conclavis se conferant, in quo etiam electio Magni Magistri, non alibi facienda erit, ibíque Præsidentem electionis per pillulas secretas juxtà antiquam dicti Hospitalis consuetudinem hactenùs observatam eligant, qui sic electus loco dicti Locumtenentis cum prohibitionibus supradictis, gratias, & alia supradicta non faciendi præsideat, & ea, quæ Præsidentes electionis de Jure, privilegio, usu, vel consuetudine facere, & gerere possunt, seu debent, gerat, & faciat, & subindè ad electionem Triumviratus, nempè unius Militis, unius Capellani, & unius Armorum servientis Fratrum, qui sint diversarum linguarum juxtà formam scrutinii, pillularum, superiùs descripti, usque ad perfectam electionem hujusmodi procedant, ipsáque electione celebrata, ipsi tres sic electi in Conclavi prædicto ad quarti electionem, diversæ tamen linguæ unanimes deveniant, si autem intrà unius horæ spatium concordes non fuerint, tunc & eo casu singuli alium Fratrem Militem eorum cuilibet benè visum, qui non sit ex eorum linguis, nominent, nominationéque hujusmodi ad viginti quatuor electores relata, ipsi ad secretum pillularum, pro electione unius ex dictis tribus nominatis, scrutinium deveniant, in quo ille, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, pro quarto electus sit, & esse censeatur. Quartus au-

tus autem sic electus ad Conclave accedat, & cum aliis tribus ad quinti, quintus verò similiter electus cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat per minorem suffragiorum numerum, sicque successivè usque ad sexti decimi electionem, videlicèt duorum ex unaquaque lingua, juxtà eorum præeminentias, & prærogativas hactenùs observatas, quibus præjudicium inferre non intendimus, deveniatur. Occurrente autem in omnibus electionibus prædictis suffragiorum paritate, magis antianus, & in antianitatis æqualitate is, qui diuturniorem residentiam in Conventu, & in residentiæ paritate is, qui plures Caravanas fecerit, aliis præferatur, electúsque sit, & esse censeatur. Completa tandem sexdecim præfatorum electione, ipsi sexdecim sic electi (odio, amore, & aliis quibuscumque humanis affectibus posthabitis, solúmque Deum, illiúsque Religionis decus, ac propagationem præ oculis habentes) ad electionem Magni Magistri, quem capacem, & pro tanti Ordinis dignitate, & utilitate idoneum judicaverint, juxtà stabilimenta præfata deveniant.

Electionem si contrà hanc formam fiet, irritat, & annullat.

§. 7. Quòd si electio Magni Magistri, aliter, quàm in Conclavi, prævia electione trium Fratrum militum unicujusque linguæ non receptorum ex gratia limitum, modo, & forma præmissis, tàm respectu scrutinii, & suffragiorum quàm linguæ Anglicanæ facienda, & non electo priùs uno Fratre Milite, uno Fratre Capellano, & alio Fratre serviente Armorum, ut suprà, qualificatis, qui usque ad electionem decimi sexti duorum, videlicèt pro qualibet lingua juxtà tenorem præsentium procedant, & à sexdecim electis hujusmodi, demúmque de alio, quàm uno ex Fratribus Militibus, ex eadem limitum gratia nequaquàm receptis, celebrata fuerit, nulla, & irrita sit eo ipso, nullúmque sortiatur effectum: quæ omnia inviolabiliter observari debere declaramus.

Præsentes literas in Cancellaria dicti Hospitalis recipi, registrarique mandat.

§. 8. Mandantes propterea dilectis Filiis dicti Hospitalis Magno Magistro, ac Locumtenenti, & Consilio, omnibúsque aliis Fratribus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut præsentes literas in Cancellaria dicti Hospitalis recipiant, & admittant, ac registrent, recipíque & admitti, ac registrari curent, & faciant.

Clausula præservativa.

§. 9. Ac decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quòd ipsius Hospitalis Magnus Magister Conventus, & Fratres ad præmissa vocati, & auditi non fuerint, aut alia quacumque causa quantumvis legitima apparente de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, aut in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci non posse, sed illa semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ejusdem Hospitalis Fratribus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 10. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Clausulæ derogatoriæ.

§. 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Hospitali, illiúsque Magno Magistro, Conventui, & Fratribus, ac quibusvis aliis personis, etiam particularibus, necnon dispensationibus super quibusvis defectibus, ac sub quibuscumque tenoribus, ac formis, & cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, & innovatis, quas ad effectum præmissorum nemini suffragari posse decernimus. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ad effectum præsentium tantùm, illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Publicatio in Urbe, & in Insula Melevitana omnes obligat.

§. 12. Ut autem præsentium ignorantia allegari, aut prætendi nullo modo possit, volumus, præsentes, seu earum transumptum ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon in acie Campi Floræ de Urbe more solito, & deindè per hæreticæ pravitatis Inquisitorem in Insula Melevitana residentem, seu ab eo deputandum in Conventu præfato publicari, atque affigi, ipsásque præsentes sic publicatas, omnes & singulos, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, illicò arctare, afficere, & obligare, ac si unicuique personaliter intimatæ, & præsentatæ fuissent.

Transumptis vult exhiberi fidem.

§. 13. Quódque earum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Magni Magistri, aut alicujus dicti Hospitalis Magnæ Crucis, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhibererur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 3. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 3. Julii 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, die verò tertia mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi, Anno ejus quinto, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis præsentibus literis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis; ac deindè amotis posteà earumdem exempla etiam impressa, & affixa relicta fuerunt per Nos Franciscum Pignocatum, & Camillum Fundatum Apostolicos Cursores.

Brandimartes Latinus S. D. N. Papæ Cursor pro Mag. Curs.

CIII.

Approbatio, & Confirmatio multarum Constitutionum, seu Ordinationum pro tutiori Fratrum Discalceatorum Reformatorum Ordinis Sancti Augustini Congregationis Galliæ gubernio editorum.

Istorum Fratrum Materiam habes signatam ad Const. 63. Decet. Clem. VIII. suprà Tom. 3. Licet ibi non loquatur de hac Congregatione Galliæ.

URBA-

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectis Nobis in Christo Fratribus Discalceatis Reformatis Ordinis Sancti Augustini Congregationis Galliæ.

Proœmium.

Ex injuncti Nobis Apostolici Muneris debito sacrarum Religionum in Ecclesia Dei piè, sanctéque institutarum prosperum statum, fœlicémque directionem sinceris desiderantes affectibus, his quæ providè facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò, & illibata persistant, libenter cùm à Nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem, aliásque desuper ejusdem muneris partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Pro tutiori gubernio horum Fratrum ordinat sequentia.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Prior Generalis totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, necnon Fratres Reformati Discalceati nuncupati ejusdem Ordinis Congregationis Galliæ, quòd cum inter ipsum Priorem Generalem, ac Fratres hujusmodi nonnullæ difficultates circà ejusdem Congregationis regimen ortæ fuissent; tandem post longam, & maturam negotii hujusmodi discussionem, dictus Prior Generalis fœlici, ac prospero ipsius Congregationis regimini, ac strictioris, quam ipsi Fratres profitentur observantiæ, conservationi, & augmento consulere volentes, de assensu, & consensu dilectorum Filiorum Prioris Generalis, & Assistentium dicti Ordinis nonnulla concessit, & providit tenoris subsequentis, videlicèt.

De Vicario Generali ipsius Congregationis.

§. 2. Quòd Congregatio gubernetur per Vicarium Generalem (sicut nunc, & semper gubernata fuit) in Capitulo Congregationis eligendum, qui à Priore Generali Ordinis pro tempore existente absque aliqua contradictione confirmetur, cum omnibus actis in eodem Capitulo, dummodò nihil in præjudicium auctoritatis Reverendissimis Prioris Generalis contineant, qui Vicarius Generalis semper sit eligendus de corpore ejusdem Congregationis, qui eamdem vitæ austeritatem profiteatur.

De novorum locorum acceptationibus, seu fundationibus.

§. 3 Et quòd prædictus Vicarius Generalis cum definitoribus Monasteria, & Ecclesias oblatas acceptare, novas fundare possint, etiam Monasteria Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quæ non actu à Religione possidentur, & quæ possidentur, non poterunt nisi de consensu Reverendissimis Patris Generalis, ità tamen ut in fundationibus, & erectionibus hujusmodi servetur forma in Constitutionibus, & Decretis Apostolicis.

De Præsidente Capituli.

§. 4. Eligantur unus ex eadem Congregatione à Priore Generali in Præsidentem Capituli, quòd si non mittantur litteræ Præsidentiæ sit ipso facto præsidens primus Definitor Capituli præcedentis juxtà Constitutiones dictæ Congregationis.

De transitu ad aliam Provinciam, Congregat. vel Ordinem, Vid. Clem. VIII. Const. 3. suprà Tom I. sicut ad parag. 1. hujus Const.

§. 5. Quòd nullus prædictæ Congregationis Frater professus inter aliquam Provinciam, vel Congregationem tàm prædicti, quàm cujusvis alterius Ordinis, & Instituti (Chartusianis exceptis) absque Sedis Apostolicæ licentia transire possit: qui aliter transierit, ad Congregationem redire per censuras Ecclesiasticas, & alio meliori modo à Vicario Generali compelli possit.

De Laicis Congregat.

§. 6. Et quòd nullus in prædicta Congregatione Laicus, vel conversus ad statum Clericorum etiam durante tempore Novitiatus transire possit aut Ordines sacros suscipere, juxtà formam Decreti Clementis Octavi.

De Discolis, & incorrigibilibus Apostatis.

§. 7. Quòd si quis Frater dictæ Congregationis propter aliquem excessum, vel culpam juxtà illorum constitutiones punitus fuerit per Superiores Congregationis, à Priore Generale in detrimentum disciplinæ Reformationis, & observantiæ absolvi non possit. Et si quis Discolus, & incorrigibilis Apostata, vel alia legitima causa (servato Decreto Domini Nostri Urbani Papæ VIII.) à Congregatione fuerit expulsus, per Priorem Generalem contradicente Vicario Generali Congregationis ad illam remitti non possit, nisi constito de gravamine.

De auctoritate Prioris Generalis visitandi Fratres Congr.

§. 8. Prior Generalis per se, vel per alium ejusdem Congregationis, Fratres visitare, & corrigere poterit, juxtà tamen disciplinam, & constitutiones Congregationis, quibus derogare non poterit, qui Prior Generalis in visitatione hujusmodi, primum Definitorem Congregationis assumat, & quòd tàm in visitatione, quàm extrà, Fratres de loco ad locum non mittat, sed si quis mittendus fuerit, Vicario Generali significet, ad quem Vicarium Generalem literas obedientiales pro loci mutatione dare pertineat. Et quòd si quid aliter factum fuerit, aut tentatum contrà præmissa, inane, & irritum esse decernatur.

De Fratribus Romam aliquo sub prætextu venientibus.

§. 9. Et quòd ad omnem vagandi occasionem tollendam, nullus Frater Congregationis Romam petere possit, etiam sub prætextu literarum à Priore Generali obtentarum, nisi consentiente Vicario Generali Congregationis, & ab ipso benedictione accepta.

Hic Pont. prævia omnia præinserta, & acceptata approbat, atque confirmat cum supplemento defectuum.

§. 10. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, omnia, & singula præmissa, post maturam discussionem, tàm ab ipso Priore Generali quàm Fratribus reformatis hujusmodi per modum concordiæ provisa, & acceptata fuerint, ipseque Prior Generalis plurimùm cupiat eadem præmissa quo firmiùs subsistant, exactiúsque observentur, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri; Nos Priorem Generalem, & Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, præmissa per dictum Priorem Generalem, ut suprà concessa, seu ordinata, & per ipsos Fratres Reformatos, ut petitur, cum omnibus indè secutis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Cum prohibitione sub excommunicationis pœna habitum similem deferendi in Gallia, aut eorumdem nomen sibi arrogandi.

§. 11. Præterea, ne quis in Gallia habitum in materia, & forma similem, ità ut ex prædictis Fratribus Discalceatis existimari possit, nisi prædictæ Congregationis membrum actualiter existat, gestare, sive nomen Discalceatorum Reformatorum Sancti Augustini sibi arrogare, aut prædictam Congregationem esse Ordinis Eremitarum Sancti Augustini verbo, vel scripto temerè negare audeat, seu præsumat, sub excommunicationis pœna interdicimus, & prohibemus.

Neque prædictæ Congr. Constitutionibus derogandi, vel super eis dispensandi.

§. 12. Et ut vitæ asperitas, & observantia puritatis Regulæ Sancti Augustini, & peculiarium Congregationis prædictæ constitutionum absque ullo impedimento serventur, Volumus quòd desuper nullatenùs à Superioribus dicti Ordinis dispensari possit, sed semper fixa, & firma remaneat stricta Regularis observantia.

Clausula præservativa hujus Sanctionis.

§. 13. Decernentes præsentes literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut in jus, vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi, vel retardari, suspendi, limitari, aut aliter in contrarium disponi, statui, vel ordinari nunquàm posse; sed illas, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuò vali-

tuò valida, firma, & efficacia existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 14. Et ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Rogamus quoque, & hortamur attentè charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum, quatenùs Congregationem Fratrum Discalceatorum Reformatorum hujusmodi pro sua in Deum pietate, ac in Nos, & hanc sanctam Sedem observantia habens propensius commendatam, illam benigno favore, & gratia prosequatur.

Deputatio executorum.

§. 15. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac aliis locorum Ordinariis, dicti Regni per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, firmiter observari. Non permittentes illos desuper à quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 16. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, & Congregationi, illorúmque Superioribus, & personis sub quibuscumque sententiis, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis cautelis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliter in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes illis aliter in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 17. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 5. die 21. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 21. Julii 1628. Pontificatus nostri Anno quinto.

CIV. Quòd Fratres Capuccini Ordinis S. Francisci ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apostolicæ, ad Carthusiensem verò, sini Ministri generalis licentia de cætero non transeant,

Istis Fratribus ut Crucem propriam in processionibus deferre possint, indulsit Paulus V. in Constit. 107. Pastoralis suprà Tomo 3. & uberiùs habes in Clem. VII. Constit. 21. Religionis. suprà Tom. 1. Transitum quoque à Fratribus Capuccinis ad Fratres Minimos S. Francisci de Paula, & à contrà prohibuerat Pius V. Const. 54. Sedis. suprà Tom. 2.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1628.

Exordium.

INjuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum virorum, qui, spretis hujus sæculi vanitatibus, divini numinis obsequiis, sub suavi Religionis jugo, & strictioris observantiæ regulis sesemanciparunt, paternam curam gerentes, in his ejusdem muneris partes sedulò intendamus, per quæ prospero, fœlicíque eorum statui, & directioni opportunè consulatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Quia multi hujus Ordin. Fratres, ad alios Ordines se transferre posse prætendunt.

§. 1. Cùm itáque sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci, Capuccinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, nonnulli dicti Ordinis Religiosi, nullâ desuper ab Apostolica Sede, vel Superioribus suis obtentâ licentiâ, ad alios Ordines, seu Congregationes se transferre posse prætenderint, & prætendant, non sine gravi regularis disciplinæ observantiæ detrimento, dictíque Ordinis inquetudine.

Pont. ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apost. ad Carthusiens. verò sine Ministri Generalis licentia scripta dictum transitum interdicit.

§. 2. Nos pro nostri Pastoralis Officii debito præmissis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviam ire, prosperóque ipsius Ordinis statui, & quieti consulere volentes, supplicationibus dicti Procuratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero perpetuis futuris temporibus ullus dicti Ordinis Religiosus ad laxiorem absque speciali nostra, & Sedis Apostolicæ, ad Carthusiensis verò, seu quemcumque alium Ordinem, vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis dicti Ordinis licentia in scriptis obtinenda quovis prætextu, aut ex quavis quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, sub apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis transire quoquo modo audeat, seu præsumat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, interdicimus, & prohibemus.

Decretum præservativum addit.

§. 3. Decernentes, præsentes literas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari.

Ità judicari præcipit.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum, ac quorumvis aliorum Ordinum, & Congregationum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus. & Congregationibus, illorúmque Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis, aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandat.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 6. die 9. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Augusti 1628. Pontificatus nostri Anno sexto.

CV. Extensio Indulti celebrandi Officium, & Missam de viginti tribus Martyribus, ex Ordine Minorum S. Francisci Discalceatorum ac alias Ecclesiasticas, & Sæculares personas.

De hujusmodi Martyribus, lege quæ notavi ad Constit. 82. Salvatoris suprà.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. ALiàs pro parte dilecti Filii Petri Baptistæ Procuratoris Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Provinciæ S. Gregorii Philippinarum, & Japponiæ Nobis exposito, quòd Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositi in causa Canonizationis viginti trium Martyrum, videlicet Petri Baptistæ, & Sociorum ejus ex dicto Ordine, quorum nempè sex Professi, cæteri verò Laici familiares, & coadjutores eorumdem sex Professorum erant, quique omnes pro Christi nomine in Oppido Civitate nuncupato Nangasaqui extrà muros in Regno Japponiæ Cruci affixi, & transverberati fuerunt; Re in sacro Rotæ Auditorio, & deindè de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto Filio nostro Tiberio tituli Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinali Muto nuncupato, discussa, censuerunt constare de martyrio, & miraculis, ideóque ad actualem illorum Canonizationem quandocumque deveniri posse; Superiores verò dicti Ordinis pro eo, quem ergà eosdem Martyres gerebant, devotionis affectu Officium, & Missam de illis, donec ad solemnem eorum Canonizationem, pro qua non solùm dictus Petrus eorumdem Fratrum nomine, verùm etiam Charissimus in Christo Filius noster Philippus Rex Catholicus, ac charissima in Christo Filia nostra Isabella Regina Catholica Hispaniarum, necnon universa Civitas Manilensis, & Chinensis, seu Machaonensis, aliique Nobis per eorum literas ad Nos transmissas humiliter supplicaverant, deveniretur, recitari posse desiderabant.

Causæ hujus Constitut. referuntur. §. 1. Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, de eorumdem Cardinalium Consilio, ut de eisdem Martyribus, tàm ab omnibus dicti Ordinis S. Francisci Religiosis ubique existentibus, quàm etiam aliis Ecclesiasticis, & sæcularibus personis Manilensis Diœcesis dumtaxat, ubi præcipuè dicti Martyres pro Christi Fide laborantes valdè profecerant Officium, & Missa de communi plurimorum Martyrum, die eorum Natalis, videlicet die 5. Februarii recitari, & celebrari respectivè liberè, & licitè posset, & valeret Apostolica auctoritate licentiam, & facultatem concessimus, & impartiti sumus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Concedit prout in Rubr. §. 2. Cùm autem sicut nomine Populi, & Cleri Abulensis Diœcesis Beati Petri Baptistæ, & Mexicanæ Patriæ Beati Philippi de JESU ex dictis viginti tribus Martyribus prædicti Ordinis Discalceatorum Provinciæ S. Gregorii Philippinarum hujusmodi Nobis nuper expositum fuit, ipsi pro eo, quem erga eosdem Martyres gerunt devotionis affectu, plurimùm cupiant licentiam, & facultatem prædictas per Nos, ut infrà, extendi: Nos piis eorum votis hujusmodi annuere, illósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium Consilio licentiam, & facultatem Officium, & Missam de dictis Martyribus, ut suprà, recitandi, & celebrandi per Nos, ut præfertur, concessas ad alias Ecclesiasticas, & sæculares personas dictarum Civitatum Abulenensis, & Mexicanæ dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P. An.6. die 11. Sept. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Septembris 1628. Pontificatus Nostri Anno VI.

CVI. Revocatio Indultorum, ac Privilegiorum omnium, etiam per modum communicationis concessorum Militiis, Hospitalibus, Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus quibusvis, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, cæterisque locis piis, & eorum, sive earum respectivè personis, audiendi sæcularium personarum Confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione.

Privilegia omnia super hujusmodi facultate concessa revocaverat Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. & ad sæcularium confessiones audiendas ab Episcopis illos tantùm admitti statuit, qui vel Parochiale beneficium obtinuerint, vel per examen, aut aliàs idonei judicati fuerint, prout indicatum est ad Constitut. 133. Pii V. Tom. 2. per quam ipse Pius hoc idem prohibuit Regularibus cujuscumque Ordinis, etiam Lectoribus, aut in Theologia graduatis, cujus Constitutionis reductiones ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini fecit Gregor. XIII. in Constitut. 9. In tanta. dicto Tom. 2. Et ad hanc materiam attende etiam Clem. VIII. Constitut. 115. Quacumque, Tom. 3.

Edita A. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Causa istius Revocation. Cùm, sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorumdam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolica indultum fuerit, ut sacramentales personarum sæcularium confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint, nec desint, qui temerè asseverent, hoc ipsum privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt, & hinc saluberrimum Sacri Concilii Tridentini decretum desuper sancitum penitùs evertatur.

Revocatio Indultorum de qua in Rubr. §. 1. Nos huic malo opportunè providere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, Consilio omnia & singula indulta hujusmodi audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati JESU, Congregationibus, & Ordinibus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcumque etiam Sancti Benedicti, Cisterciensis, & Carthusiensis, ac etiam qui-

busvis Militiis, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac quibuscumque Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis piis, sive eorum, & earum respectivè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Provincialibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quovis privilegio munitis, & tàm ad supplicationem partium, quàm Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenùs quandocumque, & qualitercumque ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa, & aliàs quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribúsque, & effectu evacuamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribúsque, & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati JESU, Congregationibus, Ordinibus, ac Militiis, & Ecclesiis, Monasteriisque prædictis, eorúmque Superioribus, & personis quibuscumque in posterùm ullò modo suffragari, minúsque illos, & illas, etiamsi de iis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis, hujusmodi uti posse.

Clausula præservativa.

§. 2. Præsentes verò literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversùs illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenùs posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorúmque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus, Capellanis, aliisque prædictis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ vel ostensæ.

Publicatio in Urbe omnes liget.

§. 6. Quódque eadem præsentes literæ, seu illarum exempla ad Valvas Basilicarum St. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ità arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Septembris 1628. Pontificatus Nostri Anno Sexto. Dat. P.An.6. die 12. Sept.

Publicatio.

Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo nono, Indictione duodecima, Pontificatus autem Sanctissimi D. N. Papæ D. Urbani Divinâ Providentiâ Octavi, anno ejus sexto, die verò Lunæ, octava Januarii, retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Franciscum Pignoccatum, & Pompejum Giranum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus S. D. N. Papæ Cursor pro Mag. DD. Curs.

CVII.

Concedit Domum, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Sancto Joannino in Capite de Urbe Fratribus Reformatis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Istorum Fratrum privilegia confirmavit S. D. N. Constit. 3. Ex Clementi. infrà dedit eis facultatem erigendi Hospitium in partibus Asiæ Constitut. 78. Inter cætera habent indultum recitandi Officium de S. Petro Nolasco, Constitut. 110. Domini Nostri. infrà.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1628.

Motiva hujus Constitutionis.

Cùm sicut dilectus Filius Didacus de Sancto Raymundo Procurator Generalis Fratrum Reformat. nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum Nobis nuper exponi fecit, aliàs dilectæ in Christo Filiæ Abbatissa, & Moniales Sancti Silvestri in Capite de Urbe usum Ecclesiæ, & domus Sanctæ Mariæ in Sancto Joannino nuncupatæ in Regione Columnæ sub proprietate dicti Monasterii, & apud illius viridarium existentibus Fratribus præfatis reservato nostro & Sedis Apostolicæ beneplacito concesserint, prout pleniùs continetur in publico Instrumento desuper confecto tenoris, prout in eo; Cupiat autem D. Didacus præmissa pro illorum validitate, & subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri, & aliàs desuper infrà per nos opportunè provideri.

Concedit prout in Rubrica.

§. 1. Nos Didacum, & Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes: Supplicationibus dicti D. Didaci nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium Fratrum exponentium, ac dilectorum Filiorum Prælatorum Congregationis Visitationis Apostolicæ aliàs per nos indictæ Consilio concessionem usus dictæ Ecclesiæ Fratribus præfatis, ut suprà factum ac desuper confectum præfatum Instrumentum hujusmodi cum omnibus, & quibuscumque in eo contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ fir-

mitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Conventiones in Instrumento expressè observandæ.

§. 2. Et nihilominùs pro potiori cautela, & ad minuendum dicti Monasterii sumptus eisdem Fratribus usum Ecclesiæ, & Domus Sanctæ Mariæ in Sancto Joannino hujusmodi ad dictum Monasterium, ut præfertur, spectantis cujusque sumptibus de præsenti ut asseritur gubernatur, cum pactis, & conventionibus in præinserto Instrumento hujusmodi contentis, & expressis.

§. 3. Et ulteriùs quòd Fratres prædicti tàm præsentes, quàm futuri fabricam dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, ejúsque Monasterium altiùs erigere, sive ejus Ecclesiæ faciem invitis Abbatissa, & Monialibus prædictis immutare non possint, nec valeant auctoritate, & tenore prædictis perpetuò concedimus, & assignamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes, præmissa omnia, necnon præsentes literas perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab iis, ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, atque ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostol. Auditores judicari, & definiri debere irritum quoque, & inane quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit Monasterio, & Ordini prædictis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quódque beneplacitum nostrum hujusmodi juxtà pactum cum Abbatissa, & Monialibus prædictis initum illud obtinendi juxtà tres menses, ut præfertur obtentum non sit, cæterísque contrariis quibuscumque, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus.

Cautela redimendi Ecclesiam.

§. 6. Volumus autem, quòd Fratres prædicti, si & postquàm pro parte dilectorum Filiorum, & Deputatorum dicti Monasterii, seu majoris partis illorum, aut per Episcopos, & Prælatos Congregationis Visitationis prædictæ ad hoc fuerint requisiti dictam annuam responsionem scutatorum sexaginta solutis scutatis bis mille redimere teneantur, qua redemptione sequuta Ecclesia, & domus hujusmodi ad Fratres prædictos pleno jure spectet, & pertineat, & nihilominùs in casu redemptionis hujusmodi Ecclesia, & domus ad Monasterium deputatæ, seu deputandæ Monialibus invitis, ac nisi prævia dilecti Filii nostri in alma Urbe Vicarii in spiritualibus generalibus licentia altiùs erigi non possint.

Depositum pecuniæ faciendi penes Montem Pietatis.

§. 7. Quódque scutata bis mille prædicta deponi debeant penès montem Pietatis de Urbe ad effectum, ut pro concurrenti quantitate totius ipsius Monasterii Sancti Silvestri debita, ac prævio mandato ab ejusdem Monasterii Abbatissa, & Vicario nostro prædicto, sive ejus Vicesgerente pro tempore existente subjicientia extinguantur.

Dat. P. An. 6 die 21. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1628. Pontificatus Nostri Anno sexto.

M. Antonius Maraldus.

Loco † Annuli Piscatoris.

CVIII. Quod Fratres Reformati Discalceati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniæ in Africa, & aliis in Turcarum partibus possint celebrare super Altare portatili, & antequàm illucescat dies, ac etiam absolvere fideles à casibus reservatis, necnon eisdem indulgentiam impartiri.

De his Fratribus præter indicata suprà ad Constitut. 62. Clementis VIII. Ad militantis. Tom. 3. facultatem quærendi, & recipiendi eleemosynas, & alia subsidia pro redemptione Captivorum relicta concessit S. D. N. Urbanus VIII. infrà in Constitut. 148. Ex incumbenti. Et de ministri Generalis vacatione, nonnulla sancivit idem in Constitut. 175. Injuncti. Ac privilegia communicavit in Constit. 179. Redemptoris. Deinde prohibuit ne ad habitum Donatorum de cæteto reciperent personas sæculares in Constitut. 186. Cùm sicut accepimus. Posteà hanc Congregationem à jurisdictione, obedientia, & superioritate Ministri Generalis Fratrum Calceatorum exemit in Constitut. 210. Ex quo regimen. Demùm de electione, & confirmatione Ministri Generalis quædam decrevit idem infrà in Constit. 208. Exponi nobis.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1626.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus Constitut.

Cùm sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum, Nobis nuper exponi fecit, quòd Congregatio prædicta juxtà laudabile ipsius institutum, ejus Religiosos in Africam, ut Christi fideles inibi sub misera Turcarum servitute constitutos, quos possunt ab illa eximere, quærant, eósque in Domino consolentur, Ecclesiastica Sacramenta illis administrent ac eorum denique animarum saluti, quibus possunt rationibus incumbere valeant, mittere intendant.

Indultum celebrandi super Altare portatili, & circa auroram.

§. 1. Nos, ut iidem Religiosi in commisso sibi munere hujusmodi ad eorumdem Christi fidelium spiritualem fructum utiliùs sese exercere valeant; Supplicationibus ejusdem Procuratoris Congregationis prædictæ nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; Religiosis mittendis hujusmodi, quòd altare portatile cum debita reverentia, & honore, super quo in locis Africæ dumtaxat, honestis tamen, & congruis, etiam non sacratis, & cùm temporis qualitas id exegerit, etiam antequàm illucescat dies, circà tamen diurnam lucem, in dictorum Captivorum, & aliorum fidelium, in dictis locis degentium præsentia Missas, & alia divina Officia celebrare.

Et absolvendi fideles etiam à casibus in Bulla Cœnæ contentis.

§. 2. Omnésque & singulos eorumdem locorum utriusque sexus Christi fideles, ipsorum confessionibus diligenter auditis, à quibuscumque excessibus, & delictis, etiam in Bulla in die Cœnæ Domini legi solita contentis, ac pro commissis per eos, & eorum quemlibet pœnitentiam injungere salutarem.

Confessis, & refectis sacro Corpore, Indulgentiam plenariam toties quoties impartiendi facultatem concedit.

§. 3. Necnon his, qui peccata sua confessi, & de illis corde contriti fuerint, ac Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domine elargiri liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem impartimur.

Circà Jubilæum assequendum modum pro captivis tribuit.

§. 4. Necnon eosdem, qui dura servitute illis in partibus oppressi pro tempore fuerint, quotiescumque ab Ecclesia Romana illius Thesauros referari, & generales peccatorum remissiones per Romanos Pontifices, etiam præscripta fidelibus ad illas assequendas, forma, & statuto tempore in eisdem adjecto proponi contigerit, cùm primùm illarum ad eosdem Captivos notitia pervenerit,

aliqua agendo, quæ naturali libertate privatum, verisimile est, facere posse, illas omnes consequi, quæ alii fideles, tempus, & formam exactè in illarum concessione tradita observantes, consequerentur, eisdem auctoritate Apostolica, & tenore volumus & declaramus.

Clausulas præservativas apponit.

§. 5. Decernentes, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper valida, firma, & efficacia existere & fore, ac dictæ Congregationi, illiúsque Religiosis hujusmodi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

D. P. An. 3. die 20. Jan.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Januarii 1626. Pontificatus Nostri Anno tertio.

CIX.

Quòd indulta concessa diversis Urbis Tribunalibus, & Judicibus cognoscendi causas criminales super delictis quarumcumque personarum privativè quoad alios, non privativè quoad Gubernatorem Urbis pro tempore existentem, sed cumulativè cum eo concessa intelligantur.

Hujusmodi Indulta multis Archihospitalibus, Collegiis, Capitulis, Militiis, ac similibus concessa à diversis Pontificibus require in Repertorio, in singulis eorum nominibus.

Auctoritatem verò Gubernatoris Urbis, lege in Leonis X. Constitut. 8. Etsi cunctarum, suprà Tom. 1. Et in Pii IV. Constitut. 1. Cùm sicut. Tom. 2. Necnon in Pii V. Constitut. 107. Cùm Apostolica. dicto Tom. 2. In quibus omnibus alias de hac materia loquentes Constitutiones habes indicatas.

Edita An. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, æqui boníque supremum assertorem, si quæ dubia circà constitutas administrandæ Justitiæ rationes oriantur, declarationis suæ oraculo ita dilucidare, ut præcisa cujuscumque hæsitationis, sive dubii materia, unicuique quod suum est, per competentes Judices, & Ministros æqua lance tribuatur.

Motiva hujus Constit.

§. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, varia diversis Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, & Judicibus, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Protectoribus, & Collegiis, vel aliis etiam hic de necessitate exprimendis, indulta, quascumque causas criminales, vel earum aliquas super quibuscumque delictis, criminibus, & excessibus quarumcumque personarum, tàm Laicarum, quàm Ecclesiasticarum, etiam Regularium, & Militiarum, etiam speciali nota dignarum, privativè quoad alios quoscumque cognoscendi, per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam Nos concessa sint.

Declarat Pontif. Indulta hujusmodi concessa fuisse cumulative non privativè quoad Gubernatorem

§. 2. Nos debitæ earumdem causarum cognitioni, atque expeditioni quantum cum Domino possumus, consulere volentes, necnon omnium, & singulorum indultorum prædictorum tenores ac Data, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, quòd omnia & singula indulta hujusmodi, non privativè quoad modernum, & pro tempore existentem dictæ Urbis Gubernatorem, sed cumulativè cum eo concessa intelligantur, & intelligi debeant.

Ac ità, & non aliter judicari mandat

§. 3. Sicque, & non aliter, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales Camerarium, Vicecancellarium, Cameræ Apostolicæ Thesaurarium generalem, & quosvis alios Officiales, & Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari, tenore præsentium declaramus, & (quatenùs opus sit) statuimus, decernimus, & mandamus.

Obstantibus quibusvis plenè derogat.

§. 4. Non obstantibus (quatenùs opus sit) regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expresa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansoris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 6. die 23. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Septembris 1628. Pontificatus Nostri Anno sexto.

CX.

Indultum, quòd Fratres Calceati, & Discalceati Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Officium, & Missam de communi Confessoris non Pontificis recitare possint de Sancto Petro Nolasco ejusdem Ordinis Fundatore in die suæ Festivitatis.

De his Fratribus plura indicata habes suprà in Constitut. 55. Urbani. Salvatoris, & in Constitut. 9. Gregor. IX. Devotionis. Tom. 1. & idem Urbanus in Constit. 3. Ex Clementi. infrà.

Edita An. D. 1626.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Domini Nostri JEsu Christi, qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices quamquàm immeriti gerentes in Terris, ex incumbenti Nobis munere procurare tenemur, ut eorumdem Servorum Christi debita veneratio indies magis promoveatur, ac laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim verò sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium votis, quæ peculiarem ipsorum Sanctorum cultum respiciunt, libenter annuimus, ac favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Procuratores Generales supplicarunt pro concessione.

§. 1. Sanè dilecti Filii Didacus de Sancto Raymundo Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, necnon Ludovicus de Apparitio Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis respectivè Procuratores generales eorumdem Fratrum nominibus Nobis nuper exponi fecerunt, quòd Fratres prædicti pro singulari, quem ergà Sanctum Petrum Nolaschum dicti Ordinis Fundatorem gerunt devotionis affectu, ac ad augendam ergà illum devotionem Officium, & Missam de eo, ut infrà recitari, & celebrari posse summoperè desiderant. Quare iisdem quibus suprà nominibus Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

A censuris dd Proc. Gen. absolvit, & gratiam concedit.

§. 2. Nos igitur piis eorumdem Fratrum votis hujusmodi annuere, illósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis senten-

sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, re maturè discussa, ad majorem Sanctorum gloriam, divinique cultus augmentum, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Festum dicti Sancti Petri Nolaschi ejusdem Ordinis Fundatoris cum Officio, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani in universo Ordine prædicto celebrari liberè, & licitè possit, & valeat Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fides quòd præstetur jubet. §. 4. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 6. die 10. Oct. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xj. Octobris 1628. Pontificatus Nostri Anno sexto.

CXI.

Confirmatio Privilegiorum, & Indultorum Ordini Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & illius Personis concessorum, dummodò sint in usu, nec revocata, vel Sacris Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Adostolicis non sunt repugnantia.

Hunc Ordinem approbavit Greg. IX. ut sup. tom. 1. Const. 9. Devotionis. ubi plenè ipsius materiam legere potes. Reformatis verò istius Ordinis transitum ad hos Calceatos, sine Sedis Apost. licentia interdixit istemet Pont. sup. in Const. 88. Injuncti. eidémque Ordini, ut Missam, & Officium recitare valeant in die Festo Sancti Raymundi Confessoris d. Ordinis Professoris de communi Confessoris non Pontificis concessit iste Pont. sup. in Const. 55. Salvatoris,

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

EX Clementi Sedis Apostolicæ provisione, necnon personarum Deo devotarum sub Religionis jugo Domino militantium pia devotione provenire dignoscitur, ut Romanus Pontifex quandoque per Prædecessores suos Romanos Pontifices pro Personarum earumdem, locorúmque illarum fœlici successu, & quiete concessa approbet, & confirmet; atque communiat, prout personarum earumdem, ac locorum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Multa à diversas Pont. huic Ordini concessa fuerunt Privilegia. §. 1. Sanè pro parte dilecti Filii Ludovici Apparici moderni Procuratoris Generalis infrà scripti Ordines Beatæ Mariæ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm inter omnes vitæ Regularis Ordinis ille in primis conspicuus esse videretur quem Beatissima Cælorum Regina ad Captivorum in Infidelium partibus miserè servientium redemptionem Sancto Raymundo de Peniafort, & claræ memoriæ Jacobo Aragonum Regi, necnon quondam Petro Nolasco primo illius Professori, dùm vitam ducerent in humanis, singulari quodam miserationis affectu sibi fore charissimum revelaverat, fœlicis recordationis Callistus Papa III. Prædecessor noster illum certis Ordinibus ratione quarti voti, quo illius Fratres se Infidelibus in Captivorum redemptionem pignus fore devovent, & obstringunt, celsorem, & perfectiorem vocavit, & hic ipse Ordo jam indè ab anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, in Civitate Barchinonensi ab eodem Jacobo Rege in die Festo Sancti Laurentii Martyris, sub invocatione Beatæ Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum nuncupatæ institutus, & à piæ memoriæ Gregorio Papa IX. etiam Prædecessore Nostro à Nativitate Domini millesimo ducentesimo trigesimo, à revelatione verò prædicta duodecimo, Pontificatus autem sui octavo annis, in Festivitate Sancti Antonii Abbatis confirmatus, iis pietatis incrementis in corporum animarúmque Captivorum hujusmodi salutem, scilicet eorum aliis redimendis, aliis instruendis, aliisque in fide corroborandis opere, & sermone in dies magis, magisque effloruit, ut quamplurimi Romani Pontifices similiter Prædecessores nostri, non minùs primam illius originem cœlitùs revelatam, quam pios hujusmodi progressus admirati innumeras propemodùm in eum gratias, & privilegia, ex inexhausto Ecclesiæ Dei thesauro depromptas, Sedis Apostolicæ benignitate liberalissimè contulerit.

§. 2. Quare pro parte dicti Ludovici, tàm suo, quàm universorum ejusdem Ordinis Professorum nominibus, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs Privilegia hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolico munimine roborare, aliásque eis in præmissis, ut infrà, opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Quæ Ordo supplicavit Pont. ut confirmare dignaretur.

§. 3. Nos igitur dicti Ordinis Beatæ Mariæ, quem præ cæteris in visceribus gerimus charitatis, prosperum, & tranquillum statum paterno zelantes affectu, ac Ludovicum, & singulos Religiosos hujusmodi à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Omnia, & singula Privilegia, indulta, immunitates exemptiones, libertates, prærogativas, antelationes, præeminentias licentias, facultates, concessiones, remissiones peccatorum, indulgentias, absolutiones, aliásque gratias universas per dictum Gregorium IX. & recolendæ memoriæ Gregorium XI. & Innocentium IV. Innocentium VI. & Innocentium VIII. Alexandrum IV. & Alexandrum VI. Clementem IV. Clementem VI. & Clementem VII. Joannem XXII. Nicolaum III. Nicolaum IV. & Nicolaum V. Bonifacium VIII. Urbanum Quintum, Martinum etiam V. Eugenium IV. Pium II. prædictum Callistum, Paulum II. Paulum III. & & Paulum IV. Sixtum IV. Julium Secundum, & Julium III. Leonem X. novissiméque Sixtum V. Clementem VIII. & Paulum V. & alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros universo Ordini Beatæ Mariæ hujusmodi, & singulis illius Provinciis, Monasteriis, Prioratibus, Domibus, & aliis Regularibus locis, necnon Generali Magistro, illiúsque sive ipsius Ordinis Vicario, seu Vicariis, Procuratoribus, Redemptoribus Captivorum, Electoribus, Definitoribns, Commendatoribus, Vocalibus, aliisque Officialibus quocumque nomine nuncupatis, & cæteris illius Fratribus, & Religiosis, & aliis personis quibuscumque tàm in genere, quàm in specie, etiam per modum communicationis, extensionis, & ampliationis, aliàs quomodolibet, & sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus concessa, innovata, confirmata, Prout modò approbat, & confirmat, dummodò sac. Canon. & Conc. Trident. non adversentur &c. suppletque omnes defectus.

& ap-

& approbata, & literas Apostolicas desuper tàm in plumbo, quàm in forma Brevis expeditas, quorum, & quarum omnium, & singulorum, ac singularum tenores, etiamsi talia seu tales forent, quæ specialem, & individuam mentionem requirerent, ac datis præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, dummodò tamen sint in usu, & sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, necnon Apostolicis Constitutionibus, & dicti Ordinis Regularibus Institutis non repugnent, illáque & illæ hactenùs revocata, & revocatæ, ac sub aliquibus revocationibus comprehensa, & comprehensæ non sint, Apostolica auctoritate eorumdem, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illísque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnésque, & singulos tàm juris quàm facti, & quarumcumque solemnitatum de jure, usu, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum ac in præmissis omissarum, necnon quoscumque alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint dicta auctoritate supplemus.

Clausulas præservativas, & Decretum irritans apponit.

§. 4. Decernentes easdem præsentes semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque ab omnibus, & singulis censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 5. Non obstantibus præmissis, necnon prædicti Bonifacii Papæ Octavi pariter Prædecessoris Nostri de una, & in Concilio Generali edita de alia dietis, dummodò tamen non ultra tres dietas quis vigore præsentium ad judicium trahatur, aliísque quibusvis Apostolicis etiam in Provincialibus, Synodalibus, Universalibúsque Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis Beatæ Mariæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis illi, ejusque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibúsque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè harum serie latissimè, & plenissimè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§. 6. Volumus autem, quòd earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manúque & sigillo pro tempore existentis Magistri generalis ipsius Ordinis Beatæ Mariæ, seu illius Vicarii subscriptis, & munitis eadem prorsùs fides adhibeeatur, tàm in judicio, quàm extrà illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ.

Facultates Generalis in Fratres reformatos non intendit approbare.

§. 7. Per easdem præsentes autem non intendimus facultates dicti Magistri generalis circà Fratres ipsius Ordinis Beatæ Mariæ Reformatos, seu Recollectos nuncupatos in aliquo approbare.

Sanctionem pœnalem superaddit.

§. 8. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, confirmationis, roboris, adjectionis, defectuum supplementionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 5. die 9. Oct.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CXII.

Excommunicatio contrà extrahentes Sacras Reliquias, aut Libros ex Ecclesia, & Bibliotheca Collegii Sancti Francisci de Paula ad Montes Urbis Fratrum Minimorum Nationis citerioris Calabriæ.

De hoc Collegio vide in hujus Sanctiss. Pont. Const. 5. Ex injuncto hic suprà ubi notavi.

Edita An. D. 1627.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Justis, & honestis Christi fidelium votis libenter annuimus eásque favoribus prosequimur opportunis.

Causæ hujus inhibitionis.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Modernorum Vicarii Generalis, & Fratrum Domus Regularis Nationis Calabriæ ad Montes nuncupatæ de Urbe Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum petitio continebat: Quod in Ecclesia eorum Domus quamplures diversorum Martyrum, ac Beatorum, & Sanctorum Reliquiæ, necnon in ejusdem Domus libraria, seu Bibliotheca diversi generis libri volumina, & alia scripta Ecclesiæ, & Domui hujusmodi hinc inde pro majori divini cultus augmento, & Fratrum eorumdem spirituali consolatione, & profectu piè & studiosè comparata reperiantur; Et propterea ne successu temporis tàm Reliquias, quàm libros, & volumina, seu scripta hujusmodi passim distribui, & inde asportari, ac dispergi contingat, pro parte eorumdem Vicarii, & Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Inhibitio de qua in Rubr.

§. 2. Nos igitur prædictum Vicarium, & Fratrum hujusmodi singulares Personas à quibúsvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Vicario, & Fratribus eorúmque successoribus, & aliis Personis quibuscumque tàm sæcularibus, quàm regularibus, ne deinceps perpetuis futuris temporibus ullas omninò Reliquias, nec libros, seu Volumina, & Scripta hujusmodi ab Ecclesia, & Domo; seu Bibliotheca præfatis ullo modo amovere, transportare, distribuere seu mutuò dare audeant, seu præsumant sub excommunicationis eo ipso incurrendæ sententiæ Apostolica auctoritate tenore præsentium inhibemus, & præcipimus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibúsvis Apostolicis, & in Provincialibus, & Synodalibus, Universalibúsque Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Domus,

& Or-

& Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio, & affixio fienda in dicto Collegio.

§. 5. Volumus autem, quòd literæ præsentes saltem semel quolibet anno in dicta Domo publicentur, ac illarum copia, & exemplar authenticum, ad hoc ut ad omnium notitiam pervenire possint, in Sacristia dictæ Ecclesiæ, ac Bibliotheca ejusdem Domus portis interioribus remaneant affixa.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, inhibitionis, præcepti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 6. die 31. Oct.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, pridiè Kal. Novembr. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CXIII.

Nova institutio Collegii in Oppido Civitate nuncupato Fuldensi ad Scholares Germanicæ Nationis ibi Latinis literis, aliisque liberalibus Disciplinis instituendos, unà cum congruæ dotis assignatione, ac gratiarum privilegiorúmque concessione & extensione.

Hujusmodi Collegii Institutionem factam habes à Gregor. XIII. qui desuper Apostolicas literas non expedivit, prout facilè credendum est, & refertur hic in §. 2. Et quia parùm processit d. Collegium, iste Pontifex de novo, & ex integro instituit.

Edita A. D. 1628.

Non dissimilia Collegia pro hujusmet Nationis Scholaribus erexit iste Pontifex in Civitate Pragensi sup. Constit. 73. Quoniam, & in Civitate Viennensi, ut in Const. 74. Quoniam sup. Ac unum pro Adolescentibus ex Illyricis Provinciis in Civitate Lauretana instituit in Const. 80. Zelo Domus Dei. sup.

Exordium.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Recenset afflictionem Provinciæ, Germanicæ.

QUoniam divinæ Bonitati visum est humilitatem nostram turbulentissimus Christianæ Reipublicæ temporibus ad Universalis Ecclesiæ regimen vocare, ex eo tempore Nos ejusdem adjuvante gratia ea cogitare non destitimus, quæ, sicut Officii Nostri ratio postulat, ad divinum ubique cultum propagandum, & Ecclesiasticam disciplinam restaurandam, & augendam, animarúmque salutem procurandam, maximè cognovimus pertinere.

§. 1. Inprimis verò animo recolentes amplissimam Germaniæ Provinciam, quæ superioribus sæculis inter fortissimæ ipsius Nationis laudes, atque virtutes tanto sinceræ fidei, & Christianæ Religionis cultu eminere solebat, ut reliquis Christianæ Reipublicæ partibus non minori exemplo, quàm ornamento, atque decori foret, nunc tot, tantísque in ea instinctu Sathanæ excitatis de Religione dissidiis ità miserandum in modum afflictam, & deformatam esse, ut nemo, vel mediocri pietate præditus, sine lacrymis tàm gravem animarum jacturam recordari, nedùm intueri queat; eam præcipuè curam suscepimus, ut quibusvis possimus modis, nullis laboribus, nullisvè sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus.

§. 2. Ac proindè considerantes, fœl. record. Gregorium Papam XIII. Prædecessorem nostrum optimo quidem Consilio Collegium in Oppido Civitate nuncupato Fuldensi nullius Diœc. Provinciæ Moguntinensis quadraginta alendorum, ac Latinis literis, Logica, Physica, aliisque liberalibus Disciplinis, ac Sacra demùm Theologia, necnon piis, & Christiano nomine dignis Moribus instituendorum Germanicæ Nationis Puerorum causâ, ut Hæreticorum maximè nobilium Filii, à quibus pendent pagi, oppida, & ditiones in Germania, escâ liberalis mensæ illecti Catholicè ibidem educarentur, & Sanctæ Sedis Apostolicæ nomen contrà Hæreticorum execrationes Antichristianas amabile fieret etiam ipsis hostibus fidei juratis, nulla obligatione requisita, stipendia verò danda iis, qui Alumni esse non possent, ad faciliùs ibidem absolvendum humaniora studia, discendam fidem Catholicam, & ut à Scholis Hæreticorum Germana Juventus abstraheretur, in quibus hujusmodi subsidia ex Monasticis, & Ecclesiæ bonis tanquàm illecebre adolescentibus conferuntur, nulla etiam obligatione à Stipendiariis requisita, eidem Collegio mille, & octingentorum scutatorum auri de Camera, mille & ducentorum videlicet pro Alumnatu, sexcentorum verò scutatorum hujusmodi Summâ pro stipendiis assignatâ, quam de præsenti Camera nostra Apostolica solvit, aliàs Apostolica auctoritate erexisse, & instituisse; tamen id ejus cœptum, atque conatum tùm propter obitum ipsius, tùm ob varias, quæ posteà sequutæ sunt temporum & rerum, difficultates, parùm processisse, imò nec literas Apostolicas super hujusmodi erectione, & institutione expeditas esse verisimiliter credendum sit, cùm factis plurimis tàm in Romana Curia quàm in dicto Oppido Fuldensi diligentiis literæ Apostolicæ super hujusmodi erectione & institutione non potuerint reperiri expeditæ.

Et Institutionem hujus Collegii aliàs factam à Gregor. XIII. sed quia parùm ob temporum & rerum difficultates processit d. Collegium.

Ideò illud tamquàm Propagationi fidei utilissimum de novo erigit & instituit Alumnorúque numerum statuit.

§. 3. Nos ad opus hoc propagationi fidei utilissimum, præsertim hoc tempore, quo Germania summa Operariorum Catholicorum inopia laborat, totis viribus, prout hoc susceptæ servitutis Officio tenemur, promovendum, animum, & mentem nostram convertentes, ac cœptum, & conatum dicti Gregorii Prædecessoris renovare intendentes, ac singulares Personas Collegii hujusmodi à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, maturo desuper cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide præfectis, habito consilio, Motu proprio non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meráque liberalitate nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Dei Omnipotentis laudem, sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, præcipuámque Germanicæ Nationis salutem, & commodum, in dicto Oppido Fuldensi rursùs Collegium ipsum Fuldense appellandum, in quo licèt ex tenore erectionis, & institutionis Gregorii Prædecessoris hujusmodi Quadraginta Alumnorum numerus, ex quo tunc tempora erant optima, & minori sumptu ibi mortalis hæc vita sustentari poterat, in eo manutenendus veniret; quia tamen nunc omnia in triplo, aut quadruplo sunt pretio, nec unquam tanta annonæ vilitas quanta superiori sæculo fuit, verisimiliter reditura est xxx. Alumnorum numerus, non ex tota Germania tantùm, sed ut hactenùs consuevit, ex Septentrionalibus ejus Provinciis, videlicet Franconia, Hassia, Buchonia, Saxonia, Misinia, Turingia, Brunsvigia, Westphalia, Marca Brandeburgica, Ducatu Mechlenburg, Pomerania, Holsatia, & Archiepiscopatu

Bremensi,

Bremensi evocandorum de cætero manuteneri debeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium denuò ex integro perpetuò erigimus, & instituimus.

Et pro ejus congrua dote 1800. scuta aurea annua assignat.

§. 4. Illique sic erecto, & instituto pro congrua ejus dote, ac Alumnorum prædictorum, & illis inservientium personarum sustentatione, onerúmque illis incumbentium supportatione, redditus annuos mille, & octingentorum scutorum aureorum hujusmodi ex Cameræ Apostolicæ pecuniis quotannis sumendos, & numerandos, distributa in trimestres singulos pro rata solutione, quod de totidem reddituum summa in bonis stabilibus eidem Collegio à Nobis, vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus fuerit provisum, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & attribuimus.

Juramentum à 15. Alumnis præstari debere, & alios dispensari posse statuit.

§. 5. Ac ex prædictis triginta Alumnis quindecim obligandos ad præstandum juramentum juxtà formulam ab eadem Congregatione Alumnis Pontificiorum Collegiorum præscriptam: Reliquos verò quindecim nobilibus, & Illustribus Parentibus etiam Hæreticis ortos, dummodò ipsi sint Catholici, vel quàmprimùm fiant, ab ea obligatione à nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio nunc, & pro tempore in illis partibus residente, cui per præsentes ex nunc, prout ex tunc, plenariam & omnimodam concedimus facultatem, & auctoritatem pro ejus prudentia, communicato tamen priùs consilio super uniuscujusque dispensatione, & re accuratè discussa cum dilecto Filio Joanne Bernardo Moderno, & pro tempore existente Abbate Fuldensi, vel habita ratione ab Ordinariis illarum partium, ex quibus ii Alumni fuerint oriundi, dispensandos.

Et 600. scutata ex prædictis 1800. distribuenda Scholaribus ut hic decernit.

§. 6. Et ex prædictis scutatis sexcentis auri de Camera, quæ distribuuntur ad instar Eleemosynæ Scholaribus pauperibus extrà Collegium degentibus, trecenta tantùm eisdem pauperibus assignanda, & ut hactenùs factum est distribuenda, reliqua verò trecenta quindecim Alumnis, qui juramentum hujusmodi præstaturi sunt, applicanda, & in eorum necessitatibus impendenda esse, eadem auctoritate volumus, statuimus, atque decernimus.

Collegium Regimini Presbyterorum Soc. Jesu subjicit.

§. 7. Cæterùm, cum dilectorum Filiorum Presbyterorum Societatis JESU in hoc educandorum, instituendorúmque Alumnorum munere, diligentia, fides, integritas, & aliis hujusmodi Collegiis, & in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta, idem Collegium, atque Scholares illius Presbyterorum prædictorum, sicut adhuc fuit, regimini, institutioni, doctrinæ, atque prudentiæ, eadem auctoritate etiam perpetuò subjicimus, atque submittimus.

Protectores Collegii constituit.

§. 8. Prætereà, ut ejusdem Collegii Conservationi bonóque, tàm in his, quæ ad Scholarium Institutionem, & disciplinam, quàm quæ ad victum, vestitum, aliáque hujusmodi necessaria pertinent, opportuniùs consulatur, & promptum eis paratúmque auxilium sit, S. R. E. Cardinales Congregationi de Propaganda Fide præfectos prædictos nunc, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, & Defensores, qui in Viceprotectorem illius dictum modernum, & pro tempore existentem Abbatem Fuldensem, ità tamen, ut in gravioribus nihil præcipere, aut mandare, vel facere valeat sine consilio, & consensu Nuncii Apostolici prædicti, quibus aliquid eorum, quæ vel in hac fundatione, vel in Regulis à Congregatione prædicta approbatis continentur, immutare minimè licebit, absque ejusdem Congregationis, vel nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis expressa licentia, deputare possint, & valeant, eadem auctoritate constituimus, atque creamus.

Eisdem auctoritatem, & facultatem impartitur.

§. 9. Illisque ac Viceprotectori præfato pro salubri illius conservatione, Alumnorúmque bonorum, & rerum, jurium temporalium, & spiritualium ejusdem Oeconomos, Advocatos, & Procuratores in eo deputandi, & amovendi, ac alios in eorum locum substituendi, differentias, lites, & controversias, inter quascumque Personas, tàm Alumnorum, quàm Ministrantium Clericorum, & Laicorum non tamen Presbyterorum, ipsius Societatis exortas summariè, simpliciter, & de plano, sine figura, aut strepitu judicii, appellatione quacumque remota, decidendi, definiendi, terminandi, statutáque, & Ordinationes, disciplinam domesticam, & studia Alumnorum prædictorum concernentia, æqua tamen, & honesta, sacrísque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non repugnantia faciendi, & condendi, quæ postquàm facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuerint, perindè habeantur, & observentur, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata essent, prout illa ab omnibus dicti Collegii Alumnis ità haberi, & inviolabiliter observari mandamus plenam, & liberam auctoritate, & tenore præmissis facultatem impartimur.

Alumnorum admissionis modum formam præscribit.

§. 10. Quòd autem ad dictorum Alumnorum admissionis modum, & formam deinceps habendam attinet, Rectorem prædictum dicti Collegii pro tempore existentem librum habere, in quo notentur nomina, & cognomina, ac Patriæ, & Parentes Alumnorum, qui recipientur in dicto Collegio, & ex eo dimittentur, ex dictóque libro singulis annis Catalogum eorum, qui recepti, & qui dimissi fuerint, cum die, menséque ingressus, & egressus illorum Nuntio prædicto mittere, ut ipse Nuncius illum præfatæ de Propaganda fide Congregationi transmittere possit. Quòd si ex aliqua peculiari causa dimitti contigerit, eam etiam in dicto Catalogo exprimi: Insigniores verò Alumnorum præfatorum actiones in eodem libro annotare, eásque suo tempore eidem Nuncio significare, ut pariter de illis eamdem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes per eamdem Congregationem deferri volumus, ut cùm occasio tulerit, præmio cohonestentur.

Et Administrationis bonorum ac rationis reddendæ ordinem præfinit.

§. 11. Ac denique alium librum, in quo dati, & accepti rationes diligentissimè, & clarissimè descriptæ sint, illæque singulis annis ad minùs eidem Nuncio reddantur, & in ejus manibus relinquatur folium vulgò Bilancium nuncupatum, in quo provisio Collegii, & alia quæ ipsius Collegii, vel Alumnorum ratione acceperit, & ea, quæ illo anno pro ipsius Collegii, & Alumnorum sustentatione impenderit, notata existant, ut similiter ab eodem Nuncio ad Urbem mitti possit, etiam habere. Si quid autem de tota pensionis Pontificiæ Summa, redditis rationibus supererit, id vel in aliis Alumnis evocandis, vel in necessariis libris emendis, vel investiendis Alumnis, dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in aliis Collegii necessitatibus arbitrio Nuncio, & Abbatis Fuldensis prædictorum impendi debere, eadem auctoritate statuimus, & ordinamus.

Privilegia Alumnis concedit & præsertim in promotione ad Sacros Ordines.

§. 12. Ut verò hujus Collegii Alumni, post longos studiorum, cœptorum, aut consummatorum labores, expeditiores & alacriores ad succurrendum patriæ necessitatibus reddantur, eisdem Alumnis, ut cum solis literis testimonialibus dicti Collegii Rectoris pro tempore existentis Abbati Fuldensi offerendis, ab eóque subscribendis, ac ejus sigillo muniendis nisi fortè Alumni prædicti suos Ordinatios habuerint, à quibus dimissorias à Concilio Tridentino ordinatas habere possint, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines sine aliquo beneficii, vel patrimonii titulo, etiam extrà tempora ad id à Jure statuta, & intrà annum, annique curriculo non exspectato, minúsque servatis ad id à Concilio Tridentino prædicto designatis interstitiis, dummodò ad id aliàs reperiantur idonei, promoveri, & postquàm promoti fuerint, in illis, etiam in Altaris Ministerio ministrare, ac etiam tàm ipsi, quàm cæteri omnes in dicto Collegio degentes, ut Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, etiam in die Paschatis, & Extremæ unctionis Sa-

cramenta

cramenta à Confessario, aut alio Sacerdote ipsius Collegii à dicto Rectore constituendo suscipere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore præmissis de speciali gratia indulgemus.

ecnon in ccurrenti- us benefi- orum vaca- onibus in rovinciis ex ibus lumni ex- terint.

§. 13. Verùm, ut quantum fieri poterit, dictorum Alumnorum paupertati, & necessitati succurratur, seriò requirimus; atque monemus Archiepiscopos, Episcopos, & alios antedictarum Provinciarum beneficiorum Ecclesiasticorum Collatores, & Collatrices, ut in illis conferendis, & præsertim si beneficia hujusmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, Alumnos præfatos aliis omnibus cæteris partibus præferant. Nuncio quoque Sedis Apostolicæ, aliósque Prælatos supradictarum Provinciarum, in quorum Diœcesi Alumni præfati extiterint, ut in occurrentibus beneficiorum hujusmodi, & præsertim curam animarum habentium vacationibus; quorum collatio, provisio, vel dispositio quoquo modo ad Sedem Apostolicam pertinuerit, de illis Alumnis antedictis, pauperioribus, præcipuéque nostra Pontificia gratia dignis, Nos, successorésque nostros Romanos Pontifices pro tempore similiter existentes certiores faciant, ut munificentiam nostram ergà illos, prout tempus, vel occasio tulerit, exercere possimus. Et generaliter in Dignitatibus, Personatibus, Canonicatibus, & Præbendis, Parochialibus Ecclesiis, & aliis beneficiis Ecclesiasticis per collationem, vel electionem in Alumnorum patriis providendis eosdem Alumnos, aliis omnibus cæteris paribus tàm in Romana Curia, quàm in Ecclesiis suis originalibus præferri volumus, & decernimus.

idem Col- egio, & ejus ersonis pri- ilegia Studii eneralis Ur- is communi- icat.

§. 14. Atque insuper eisdem Collegio, & Scholaribus, Rectoribus, & Gubernatoribus omnia, & quæcumque privilegia, exemptiones, libertates, facultates, & indulta, quibus studium generale Almæ Urbis nostræ, & illius Rectores, Doctorésque in eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ità ut Collegium, & Scholares, ac Rectores, & Gubernatores hujusmodi illis non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere possunt, & valeant in omnibus, & per omnia, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuò communicamus.

ujusmodi rivilegia abes in onst. 9 Bo- if. 8. t. 1. ag. 180.

lenariam uoque In- ulgentiam n die ingres- us & exitus el mortis in . Collegio isdem con- essione fa- ra Eucha- istia refectis largitur.

§. 15. Ut verò temporalibus commodis spiritualia munera quoque conjungamus, quibus fidelium devotio, & merita crescere magis, & augeri possint, de ejusdem Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Scholaribus, Rectoribus, & Ministris, qui in idem Collegium recepti fuerint in ipso ingressu, & deindè in exitu si quidem confessi, & contriti Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, atque etiam si in eodem Collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Constitutio- nes ad ejus- dem Colle- gii curam a Congr. de propag. fide editas con- firmat, & ob- servari ab omnibus mandat.

§. 16. Postremò quascumque Regulas, & Constitutiones ad ejusdem Collegii, illiúsque personarum, rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & administrationem, ac Alumnorum, præfatorum receptionem, admissionem; victum, amictum, instructionem, disciplinam, & alia quomodolibet pertinentia à dicta de propaganda fide Congregatione die vigesima quinta mensis Septembris anni Domini 1623. editas etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, illásque ab omnibus inviolabiliter observari volumus, & mandàmus.

Clausula præservativa apponit.

§. 17. Decernentes præmissa omnia, & singula, ac easdem præsentes nullo unquàm tempore ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci posse, nec quemquam ad easdem præsentes in Camera Apostolica juxtà Constitutionem piæ mem. Pii IV. Papæ etiam Prædecessoris nostri desuper editam, aut aliàs quandocumque præsentandum, insinuandum, & registrari faciendum teneri, neque propterea illa invalida esse, sed omni modo valere, ac si Constitutio prædicta, & alia contraria minimè emanassent.

Aliter judicari prohibet.

§. 18. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cameræ Apostolicæ Presidentes Clericos, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, Vicecamerarium, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac alios dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores hujus Sanctionis instituit.

§. 19. Quocircà eidem Nuncio, & dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Abbati prædicto Motu pari per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris, & Alumnorum Collegii hujusmodi, seu aliorum, quorum favorem illa concernunt, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac Rectorem, Alumnos, aliósque hujusmodi illis pacificè frui, & gaudere; Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo, ac censuras, & pœnas ipsas servata forma ejusdem Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato.

Contrariis derogat.

§. 20. Non obstan. nostra de gratiis ad instar non conceden. ac prædicta Gregorii prædecessoris hujusmodi, quatenùs opus sit, & quatenùs reperiretur, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis Universitatibus, Collegiis, eorúmque Rectoribus, & personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, & potestatis plenitudine similibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiam si aliàs pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in eis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè harum serie derogamus contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apo-

ſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Exemplis fidem jubet.

§. 21. Volumus autem, quòd earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo communi dicti Collegii, aut alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extrà illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Decretumque pœnale ſuperaddit.

§. 22. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, ſtatuti, ſubjectionis, ſubmiſſionis, conſtitutionis, creationis, attributionis, indulti, requiſitionis, monitionis, communicationis, conceſſionum, elargitionis, approbationis, confirmationis decretorum, mandatorum derogationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. P. A. 6. die 19. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1628. quarto Kal. Januarii. Pontificatus Noſtri anno ſexto.

CXIV.

Approbatio, & Confirmatio Decreti Sacræ Congregationis Rituum ſuper uſu Baldacchini, & aſſiſtentium, & aliorum Miniſtrorum pro Abbatibus Congregatio is Olivetanæ Ordinis S. Benedicti.

Edita A. D. 1629.

Iſta Congregatio approbata fuit primò à Joanne XXII. ut in ejus Conſt. Cùm à Nobis 15. ſup. tom. 1. ſed ejus materiam vide ad Clem. VI. conſt. 1. ibid.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

A Sacra Congreg. Rituum nuper emanavit Decretum prout hic ſubjungitur.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Sylvius Favilla de Neapoli Procurator generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, quòd à Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſacris Ritibus præpoſitis emanavit Decretum tenoris ſubſequentis, videlicet: Inſtante Patre Don Silvio Favilla de Neapoli Procuratore generali Congregationis Monachorum Montis Oliveti, nomine Abbatum ejuſdem Congregationis, ut, attenta antiquiſſima conſuetudine ſolemniter cum Baldacchino, & Aſſiſtentibus in eorum Eccleſiis celebrandi, recederetur quoad eos à decretis aliàs hac de re editis in cauſis Firmana 28. Jan. 1606. & in Neapolitana 18. Martii 1617. Sacra Rituum Congregatio, ſæpiùs audito eodem Procuratore generali, & rationibus ab eo deductis maturè conſideratis, Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Cæſarino referente, cenſuit, & declaravit, in hac parte recedendum eſſe à dictis Sacræ Congregationis decretis, & licere Abbatibus Olivetanis ſolemniter, in tribus tantùm Anni feſtivitatibus, celebrandis uti Baldacchino, ſine auro tamen, & pompa: necnon aſſiſtentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ac aliorum ſex ad ſummum Monachorum ſacris indumentis coloris ſolemnitati convenientis paratorum, ultrà Diaconum, & Subdiaconum qui in Miſſa cantaturi ſunt Evangelium, & Epiſtolam: atque ità, ut iidem Abbates nullo modo teneant ſedem Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, ut ſedes Epiſcopalis retineri conſuevit: ſed eorum ſedes retineatur in Eccleſia iis tantummodò diebus, quibus ſolemniter celebratur, & dicti ſex Monachi, ut ſuprà parati non in ſedibus Choralibus, ſed ſuper ſcabellis ſedeant, in ſitu congruo juxta Eccleſiarum convenientem ſitum tunc appoſitis, panno laneo coopertis: dictis ſacræ Congregationis Decretis in cauſa Firmana, & Neapolitana editis aliàs in ſuo robore permanſuris. Die 17. Martii 1729.

Quod ad inſtantiam Procuratoris general. hujus Congreg.

§. 2. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Silvius præfatus plurimum cupiat, Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, inviolabiliſque obſervatione Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis robore communiri.

Approbat, confirmat, & ſuppleat ſi qui ſunt defectus.

§. 3. Nos ſpecialem illi gratiam facere volentes, cùmque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus dicti Silvii, ejuſdem Congregationis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinſertum hujuſmodi cum omnibus in eo contentis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & ſingulos, tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Clauſulas præſervativas ponit.

§. 4. Decretum hujuſmodi, necnon præſentes literas valida, firma, & efficacia eſſe, & fore ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

Contraria judicari prohibet.

§. 5. Atque ità per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Contraria removet.

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Exemplis Bullæ credi mandat.

§. 7. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Pont. An. 6. die 5. Aprilis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Aprilis 1629. Pontificatus Noſtri Anno VI.

CXV.

Confirmat Decretum Sac. Rit. Congregationis, quòd in Eccleſia Calaritana ſervetur ad unguem Ceremoniale Epiſcoporum.

Cæremoniale Epiſcoporum, quæ contineat, lege Conſtitut. 69. Clemen. VIII. tom. 3. In qua Conſtitutione juſſit Cæremoniale novum à ſe reſtitutum obſervari ab univerſali Eccleſia.

URBANUS VIII. PAPA.

Edit. An. D 1629.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXponi nobis fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Calaritan. quòd aliàs in cauſa, ſeu cauſis differentiarum inter ipſos ex una, ac dilectos etiam filios Beneficiatos ejuſdem Eccleſiæ ex altera partibus, in Congregatione Ven. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitum verten. ab eiſdem Cardinalibus emanavit decretum tenore ſubſequen. videlicet.

Decretum Sac. Rit. Congregat.

§. 1. Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Signori. Per comporre le differenze vertenti in queſta Sacra Congregatione trà li Canonici, è Capitolo della Chieſa di Calleri per una parte, e li Beneficiati della medema Chieſa dall' altra, piacque alle Signorie Voſtre illuſtriſſime di ſcrivere à quell' Arciveſcovo, che ſaria ſtato bene di far oſſervare quanto diſponeva il Ceremoniale Romana. Mà perche tal lettera conteneva ſolo una ſemplice inclinatio-

ne della

ne della Sacra Congregatione non ordine, ò precetto alcuno; perciò non è mai stato messe in essecutione, onde di nuovo supplicano li Canonici le Signorie votre Illustrissime, che si degnino far decreto preciso sopra l'osservanze di detto Ceremoniale Romano, conforme la Constitutione di Clemente VIII. sopra l'approbatione, è confermatione di esso; Che tutto &c. Sacra Rituum Congregatio mandavit, & præcepit in Ecclesia Calaritana servari ad unguem Ceremoniale Episcoporum, die 30. Septembris 1628.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat Capitulum, & Canonici prædicti plurimum cupiant decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, inviolabilique observantiæ Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri, Nos Capitulum, & Canonicos hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum decretum hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tàm juris, quàm facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, decretúmque hujusmodi, ac præsentes literas valida, firma, & efficacia esse & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac in præfata Ecclesia ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit perpetuò observari, & ità per quoscumque Judices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate & tenore præfatis decernimus & declaramus.

Confirmatio decreti.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dictæ Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenore præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Januarii 1629. Pont. Nostri anno sexto.

Dat. 1. An. 6. l. 30. Junii.

CXV.

Religiosi Societatis non possunt uti facultate literarum Sanctæ Cruciatæ, & virtute illarum clausularum eligendi alium, & diversum Confessarium assignatum à suis Superioribus pro illorum confessionibus.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex ad ea sollicitudinis suæ partes intendere debet, per quæ Religiosorum status in pace; & quiete tutius conservetur.

§. 1. Sanè cùm ratio doceat; & experientia compertum sit, Religionibus valdè perniciosum existere, ut eorum Religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere, & licèt fœl. recor. Greg. XIII. ac Clem. VIII. & Greg. XV. Romani Pont. Prædecessores nostri per suas in forma Brevis literas expressè prohibuerint, ne Religiosi Societatis JESU facultatibus Cruciatæ Sanctæ uti absque Superiorum suorum licentia valerent.

Indicat concessiones alias factas a Greg XIII. Clem VIII. & Greg. XV.

§. 2. Nihilominùs quia nonnulli existimant ex clausulis literarum dictæ Cruciatæ cuicumque ipsius Societatis privilegio derogari, & propterea ipsis Religiosis hujusmodi facultatibus uti licitum esse speciali ad hoc nostro, & Apostolicæ Sedis opportuno remedio necesse sit.

Assignat causas hujus novæ Con. stit.

§. 3. Nos pro nostri Pastoralis muneris debito eâ quæ ipsius Societatis quieto, & pacifico statui ad debitæ Superioribus obedientiæ conservandæ opportuna esse cognoscimus salubriter providere volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, meráque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione sancimus, nulli Religiosorum ejusdem Societatis licere facultatibus Cruciatæ hujusmodi in quacumque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à casibus reservatis uti, nec eis quoad hanc eligendi Confessarium, & obtinendam absolutionem prædictam facultatem Cruciatæ hujusmodi suffragari, minúsque præsentes literas sub quibuscumque ejusdem Cruciatæ concessionibus, extensionibus, prorogationibus, & confirmationibus factis, & pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi.

Ex certa scientia & motu proprio &c. declarationem licere Religionis Soc. JEsu uti quoad electionem Confessarii facultatibus Cruciatæ publicatæ & publicandæ.

§. 4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Aliter judicandi facultatem tollit.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis statutis quoque, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis cæterisque contrariis quibuscumque.

Tollit obstacula.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu Secretarii Societatis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Societatis; vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transumptorum

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Martii 1629. Pontificatus nostri anno sexto.

D. P. An. 6 ult. Martii.

CXVI.

Confirmatio Privilegiorum Religionis Hierosolymitanæ circà alienationes, & præscriptiones suorum bonorum.

Hujus Religionis Privilegia confirmavit Urban. Constit. 13. Universalis, qui etiam moderavit Constit. Greg. XV. de Conservatoribus Constit. 93. Exponi. Demum confirmavit Ordinationes pro electione Magni Magistri Constit. 102. In specula.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1629.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus divina providentia præsidentes inter cæteras Apostolicæ servitutis curas in eam peculiari studio invigilamus, ut militatium Or-

dinum ad Sanctæ Fidei Catholicæ defensionem, & propagationem piè, salubritérque institutorum bona in eisdem Ordinibus conserventur, & propterea ea, quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris hac in parte sancita & decreta sunt, ut firmiora, & validiora persistant, Apostolicæ confirmationis robore communimus, aliásque disponimus prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Clem. VIII. edidit Constit. de hac materia.

§. 1. Aliàs siquidem fœl. rec. Clemens VII. Papa prædecessor noster donationes, concessiones, locationes, investituras, & alias alienationes censuum, reddituum, jurium, jurisdictionum, & bonorum quorumcumque ad Bajulivas, Prioratus, Castellaniam Empostæ, Præceptorias, Domos, hospitalia, beneficia, & loca Hospitalis Sancti Jo. Hierosolymitani pertinentium in illorum læsionem, jacturam, vel detrimentum, etiam per personas dicti Hospitalis etiam cum renunciationibus pactis. juramentis, & pœnis desuper impositis, & adjectis, ac instrumentis, & literis desuper confectis, & confirmationibus forsan indè secutis etiam de licentia Sedis Apostolicæ absque tamen consensu, seu expressa licentia Magni Magistri, & Conventus dicti Hospitalis quacumque præscriptione, seu longissima pacifica possessione, & detentione non obstante cassavit, revocavit, & annullavit, ac irritavit, nulliúsque roboris, vel momenti fore, & pro infectis haberi decrevit, ac census, redditus, jura, jurisdictiones, & bona alienata hujusmodi, ac etiam per quoscumque sæculares occupata, usurpata, & detenta ad jus, & proprietatem dicti Hospitalis, seu illius Bajulivarum, Prioratuum, Castellaniæ Empostæ, Præceptoriarum, Domorum, Hospitalium, & beneficiorum præfatorum reduxit, illáque in integrum adversus concessiones, donationes, & alias quaslibet alienationes prædictas, necnon investituras illarum prætextu quomodolibet quavis auctoritate factas, & concessas in integrum, ac in pristinum, & eum statum, in quo anteà erant restituit, reposuit, & plenariè reintegravit, illorúmque detentores cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes ad illorum relaxationem per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia cogi, & compelli posse voluit, & similes alienationes de cætero sub excommunicationis latæ sententiæ, & privationis beneficiorum per eos obtentorum pœnis per contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrendis fieri prohibuit, & si fierent illas viribus omninò carere decrevit, postmodùm verò rec. mem. Pius IV. Papa similiter prædecessor noster per suas sub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX. Kal. Junii, Pontificatus sui anno primo sub plumbo expeditas literas inter alias cassationem, revocationem, annullationem, decreta, reductionem, repositionem, restitutionem, reintegrationem, voluntatem, declarationem, & prohibitionem, hujusmodi Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine approbavit, & confirmavit, & aliàs prout in dictis literis, quarum tenore præsentibus pro expressis haberi volumus pleniùs continetur.

Pius IV. aliam edidit Constitut.

Confirmat prædictas Constit. & prohibet quascumque alienationes.

§. 2. Cùm autem sicut accepimus propter malam nonnullarum Præceptorum, seu Commendatariorum d. Hospitalis administrationem, multa ipsius Hospitalis bona contrà illius statutorum seu stabilimentorum, ac ordinationum Capitularium auctoritate Apostolica confirmatorum prohibitionísque hujusmodi formam usurpata, & alienata reperiantur. Nos ejusdem Hospitalis indemnitati, ejusque bonorum, ut præfertur usurpatorum, & alienatorum recuperationi, & conservationi quantum cum Domino possumus providere volent. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictas Pii prædecessoris literas quoad præmissa emanatas, in iis tamen, quæ præsentibus non adversantur, approbantes, confirmantes, & innovantes omnes, & quascumque alienationes censuum, redditum, & bonorum quorumcumque ad Bajulivas, Prioratus, Castellaniam Empostæ, Præceptorias, Domos, Hospitalia, beneficia, & loca Hospitalis hujusmodi pertinentium à personis religiosis d. Hospitalis etiam de licentia d. Sedis Apostolicæ sine consensu, vel licentia Magni Magistri, & Conventus hujusmodi in illorum læsionem, jacturam, vel detrimentum cum quibusvis renunciationibus, pactis, juramentis, & pœnis desuper appositis, ac instrumentis, & literis, confectis, & confirmationibus desuper à Sede Apostolica subsecutis ad personarum religiosarum Hospitalis hujusmodi, non autem Regum, vel Principum supplicationem, neque alias Motu proprio hujusmodi factas, quacumque præscriptione, seu longissima pacifica possessione, & detentione non obstante, tenore præsentium etiam cassamus, revocamus, & annullamus, ac irritamus, nulliúsque roboris, vel momenti fore, & pro infectis haberi decernimus, necnon Bajulivas, Prioratus, Castellaniam Empostæ, Præceptorias, Domos, Hospitalia, & beneficia prædicta adversus alienationes hujusmodi in integrum, ac in pristinum, & eum in quo anteà erant statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, bonorúmque ut præfertur alienatorum detentores cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes ad illorum relaxationem per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia cogi, & compelli posse volumus, & similiter decernimus, literásque Clementis, & Pii prædecessorum hujusmodi in & quoad omnia, & singula præmissa ad præsentium formam, tenorem, & terminos reducimus, ac restringimus, & nihilominùs quascumque alienationes bonorum hujusmodi si quas de cætero à personis religiosis prædictis sine consensu, vel approbatione Magni Magistri, & Conventus prædictorum, etiam de licentia per Nos seu Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes ad Religiosorum quorumcumque non tamen Regum, vel Principum supplicationem, seu instantiam, nec alias Motu proprio, quæ suam habeant, & sortiantur executionem, & effectuum concedendum fieri contigit ex nunc prout ex tunc nullas, & invalidas, nulliúsque roboris, vel momenti fore & esse nullique jus tribuere, præsentes verò literas etiam ex eo quod quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes ad præmissa concedendum seu concedi videndi vocati non fuerint, aut eisdem præmissis non consenserint, ullo umquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari minimè posse, sed illas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari pariter decernimus. Quocircà dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac nostris, & Apostolicæ Sedis in Franciæ, & Hispaniarum Regnis Nunciis per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, seu eorum quilibet easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Magni Magistri Priorum, Bajulivorum, Præceptorum Militum, & fratrum prædictorum,

seu

ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicand. eisque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtent. faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, & ſingulis quos ipſæ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere.

Contraventium pœnæ.

§. 4. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcen. invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus quatenùs opus ſit, eiſdem Clem. & Pii prædeceſſorum literis, necnon recol. mem. Bonifacii VIII. Papæ ſimiliter prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam legibus, & etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, conventionibus, & inſtrumentis, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritant. & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generalis idem important. mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mandat.

§. 8. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. A. 6. die 15. Mart.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Martii 1629. Pontificat. Noſtri Anno Sexto.

CXVII.

Quòd Priores generales Ordinis Eremit. S. Auguſtini de cætero utentes aliqua facultate, ſeu conceſſione à Sede Apoſtolica per literas obtentis, in patentium literarum expeditionibus; earum tenores de verbo ad verbum inſerant, Neque ullo pacto quibuſdam clauſulis Oraculum ſapientibus in hujuſmodi expeditionibus poſthac uti audeant.

Iſtius Ordinis materiam habes ſup. ſup. ad Conſt. 6. Alex. IV. Tom. 1. Alia verò quæ ibi non habes tamquàm poſteriùs edita notavi ad aliam hujus Sanctiſs. Pont. Conſt. 42. Romanus hic ſup.

Vicæ vocis oracula omnia revocavit, præter ea, quæ facta fuerunt S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmata Gregor. XV. in Conſt. 30. Romanus hic ſup.

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

COmmiſſi Nobis per abundationem divinæ gratiæ paſtoralis officii debitum poſtulat, ut in his: per quem Regularium perſonarum paci, & quieti conſulitur, litibuſque, & diſcordiis obviam itur, ejuſdem officii partes etiam per opportunæ declarationis miniſterium interponamus, prout conſpicimus, in Domino ſalubriter expedire.

Cauſæ propter quas.

§. 1. Cùm itaque ſicuti dilecti filii Priores Provinciales Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Hiſpaniarum, & Indiarum Nobis nuper exponi fecerunt à decennio citrà dilecti filii modernus & alii Priores generales Ordinis prædicti, qui pro tempore fuerúnt in eorum patentibus literis, quibuſdam clauſulis oraculum ſapientibus, nimirùm facto verbo cum Romano Pontifice, ſive auctoritate Apoſtolica Nobis ad hoc ſpecialiter commiſſa, aliiſque ſimilibus quando ſcilicet ſuarum literarum patentium, expeditionibus ſeu conceſſionibus, quin effectum ſortiantur literæ Apoſtolicæ obſiſtant uti cœperint, ex hoc autem quamplurimæ lites, & diſcordiæ, ac ſcandala orta jàm ſint, & in dies oriantur.

Pont. declarat modernum & alios Priores hujus Ordin. non habuiſſe, neque habere à Roman. Pont. vivæ vocis oraculum.

§. 2. Nos inconvenientibus hujuſmodi opportunæ declarationis noſtræ remedio obviam ire volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris Apoſtolica auctoritate tenore præſentium decernimus, & declaramus modernum, & alios d. Ordinis Priores generales vivæ vocis oraculum à Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice nequaquam habuiſſe, neque habere.

Atque ità ab omnibus cenſeri obſervari, & judicari debere decernit.

§. 3. Sicque, & non aliter, ab omnibus cenſeri, & obſervari, atque ità per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac Sedis Apoſtolicæ Nuncios judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Inhibet, ne de cætero hujuſmodi clauſulis oraculum ſapientibus utantur ſub pœnis ipſo facto, ut hic incurrendis.

§. 4. Inhibentes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub officii Prioris, ſeu Vicarii generalis, vociſque activæ, & paſſivæ privationis, necnon excommunicationis majoris latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, ac aliis arbitrii noſtri pœnis, ne de cætero perpetuis futuris temporibus modernus, & pro tempore exiſtens Prior, ſeu Vicarius generalis dicti Ordinis, prædictis, vel aliis æquipollentibus clauſulis in eorum patentibus literis uti ullo modo audeant, ſeu præſumant.

Modum utendi facultatibus ab Apoſt. Sede obtentis in ſuarum patentium expeditionibus præſcribit.

§. 5. Sed ſi eos aliqua facultate, ſeu conceſſione Apoſtolica Motu proprio conceſſa, vel ab eis jàm obtenta uti oportuerit, literas noſtras, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis deſuper expeditas, ſcilicet earum tenores de verbo ad verbum integrè in ſuis patentibus literis inſerant, aliàs firmis remanentibus pœnis prædictis eorum literæ patentes hujuſmodi nullæ ſint eo ipſo.

Contraria prohibet obſtare.

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenùs opus ſit d. Ordinis, & quibuſvis aliis etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiúſque Priori generali, & quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Hujus Bullæ exemplis fidem mandat.

§. 7. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

die 15. Maji.

Datum in Arce Gandulphi Alban. Diœc. sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1629. Pontificatus nostri anno sexto.

Prohibitio in posterùm concedendi exemptiones Officiorum, & præsertim eas quibus Fratres Provinciales Definitores, aut Visitatores, vel Prædicatores Majores nuncupati Ordines Eremitarum S. Augustini gaudent, Fratribus ejusdem Ordinis, qui ea numquàm exercuerunt, absque Sedis Apostolicæ expressa licentia.

De hoc Ordine vide notata ad Const. 42. Romanus suprà & ad Const. præcedentem.

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INter cæteras Apostolicæ servitutis curas, quibus circà Universalis Ecclesiæ regimen assiduè premimur, & nos præcipuè sollicitos habet, ut personæ regulares divini numinis obsequiis, sub suavi religionis jugo mancipatæ, juxtà regularia earum instituta in pacis amœnitate salubriter regantur, & gubernentur, & propterea si quæ earum fœlici gubernio obesse, aut in earum regularis disciplinæ, observantiæ aliquod detrimentum vergere cognoscimus, ea quantum cum Domino possumus removemus & prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ istius Constitut.

§. 1. Cùm itaque sicut dilecti filii Priores Provinciales Provinciarum tàm Hispaniarum, quàm Indiarum Occidentalium Ordin. Fratrum Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecerunt regularis disciplinæ observantia in eodem ordine à nonnullis annis citrà plurimum defecerit, præsertim ab eo tempore, quo ejusdem Ord. Priores generales nimia facilitate, & nullo habitu respectu concedunt exemptiones officiorum, d. Ordinis Fratribus, qui ea nunquàm exercuerunt, undè infinitæ confusiones, & discordiæ oriuntur, eo quòd eædem exemptiones Fratribus, ut plurimùm minùs benemeritis eas favoribus, & aliis modis extorquentibus, conceduntur, quandoquidem rationi consentaneum minimè videatur, ut aliquis religiosus officii quod numquàm exercuit exemptionibus gaudeat æquè, ac illi qui illud exercuerunt, dilectus vero filius modernus d. Ordinis Prior generalis, ut asserunt, multis Fratribus dicti Ordinis qui numquàm Provinciales fuerunt, ut Provincialium absolutorum, aliis verò qui numquàm Definitores extiterunt ut Definitorum, & aliis, qui numquàm verbum Dei prædicarunt, ut ejusdem verbi Dei Prædicatorum exemptionibus gaudeant concessit, & indulsit.

§. 2. Nos inconvenientibus hujusmodi quantum cum Domino possumus occurrere volentes, supplicationibus eorumdem Provincialium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Ne de cætero prædictus modernus, & pro tempore existens dicti Ordinis Prior, seu Vicarius generalis exemptiones officiorum ulli d. Ordinis professori, qui ea priùs non exercuerit, & præsertim eas exemptiones quibus illi qui Provinciales, Definitores, aut Visitatores, vel Prædicatores majores nuncupati fuerunt gaudeant, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia concedere audeat seu præsumat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & suspensionis ab officio Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus & prohibemus. Decernentes nihilominùs irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum remor.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Priori, seu Vicario generali, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illarum sufficienti derogatione de illis eorùmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, ut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hujus Bullæ exemplis fidem mandat.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. die 15. Maji.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Maji 1629. Pont. nostri anno 6.

Quòd in toto Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, nulli, præter eos, quibus de jure, juxtà dicti Ordinis Constitutiones, liceat vocem in Capitulis Provincialibus habere.

De his Fratribus vide notata in Constitutionibus præcedentibus, & præcipuè in Const. 42. Romanus Pontif. Item in const. 68. Romanus, ac const. 118. Aliàs per &c.

Edita A. D. 1628.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ALiàs per fœl. record. Clementem VIII. Papam prædecessorem nostrum inter alia accept. quod in Provinciis Bethica, Mexicana de Mechoacan. del Peru, del Quito novi Regni Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, aut aliquibus illarum permulti vocem in electionibus ex gratia habuerant, ex quo propter magnum vocalium numerum in Capitulis Provincialibus ut plurimùm confusiones, & perturbationes oriri solebant, idem Clemens prædecessor ad eas omninò tollendas, ac de cætero in perpetuum in quacumque dictarum Provinciarum nulli præter eos, quibus de jure juxtà dicti Ordinis Constitutiones licebat vocem in Capitulis Provincialibus haberent, sed ii, quibus ex gratia concessa esset, voce activa omninò carerent, & ex nunc privati essent, & esse censerentur, prout ipse Clemens prædecessor ex tunc illos, & eorum quemlibet privavit Apostolica auctoritate statuit, & ordinavit.

Causæ hujus Constit. referuntur.

§. 1. Nuper verò Nos Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione statutum, & ordinationem hujusmodi ad Provincias Italiæ d. Ordinis sub certis modo, & forma tunc expressis extendimus, & ampliavimus prout in ipsius Clementis prædictis, ac nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenor. præsentibus pro expressis haberi volumus pleniùs continetur.

Extensio ad totam Religionem prout in sub.

§. 2. Nunc autem prospero, fœlicique quarumcumque aliarum dicti Ordinis Provinciarum statui, & directioni in præmissis quantùm cum Domino possumus obviam ire volentes, Motu scientia, & deliberatione similibus statutum, & ordinationem per Clementem prædecessorem hujusmodi facta, & per Nos extensa, & ampliata, ut præfertur ad universas Provincias, & Congregationes

nes totius Ordinis prædicti eadem auctoritate tenore præsentium rursus perpetuò extendimus pariter, & ampliamus; illáque in universarum Provinciarum, & Congregationum hujusmodi Capitulis Provincialibus locum habere, & sic ab omnibus censeri, atque ità per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere irritúmque & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate etiam, & tenoribus prædictis decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & singularum illius Provinciarum prædictarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, aliísque omnibus, & singulis, quæ in dictis literis concessa sunt, non obstare. Quibus omnibus, & singulis illorum tenoribus præsentibus pro sufficienter expressis, habent. illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 6. die 14. Sept. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Septemb. 1628. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Exemptio concessa Clericis Regularibus Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum à processionibus, & aliis actibus publicis.

De istorum Clericorum Regularium Congregatione notavi sup. ad Const. 15. Greg. XV. In supremo.

Edita A. D. 1629. URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Debitum pastoralis officii Nobis ex alto commissi requirit, Nosque ad id promptos excitat, ut Regularium studio piæ vitæ, & puerorum institutionis sedulò vacantium ne ipsi ab illis distrabantur, quantum cum Domino possumus libenter annuamus.

Causa hujus exemptionis §. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Ministri generalis Religionis, seu Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatorum petitio continebat, videlicet, Clerici Presbyteri, aliíque Superiores, & personæ dictæ Religionis, seu Congregationis à principio ejusdem Religionis institutionis, ut juxtà pium eorum institutum à quibuscumque occupationibus expediti, pueros in bonis literis, & probis moribus, ac Doctrina Christiana, aliísque piis, & salubribus documentis eruditioni, & instructioni, & animarum saluti consulere, & invigilare possint, ad publicas processiones, quæ in Civitatibus, & locis in quibus ipsa Religio, seu Congregatio propagata est, celebrantur, & ab Ordinariis locorum indicuntur, convenire minimè consueverint, nihilominùs ipsius Religionis, seu Congregationis Clerici Presbyteri aliique Superiores prædicti diversis in locis, ab eorumdem locorum Ordinariis, processionibus hujusmodi contrà eorum instituta, etiam sub censuris Ecclesiasticis, interesse, & eas passim comitari tari cogantur, undè non solùm ab eorum piis exercitiis non parùm retrahuntur, sed etiam gravissima jurgia, & dissentiones inter eos, & aliarum Religionum Fratres, seu Monachos super præeminentiâ oriri consueverunt. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat eorumdem Clericorum, Presbyterorum Superiorum, & personarum institutioni; non conveniat ad similes processiones accedere, & propria eorum instituta prætermitteret; ipsique pro fugiendis scandalis, quæ præcedentiæ hujusmodi causa inter eos, & aliarum Religionum Fratres, seu Monachos hujusmodi intercedere possent, cupiant ab interessentia in processionibus publicis hujusmodi, ut infrà, eximi, & liberari. Quare pro parte ejusdem Ministri generalis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur qui justis, & honestis petentium votis libenter annuimus, eáque favoribus prosequimur opportunis, ipsos Ministrum generalem, ac Clericos, Presbyteros, Superiores, & Religionis, seu Congregationis Scholarum Piarum hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eidem Ministro generali, ac Primod. Religioni, seu Congregat. illiúsque Clericis, Presbyteris, Superioribus, & personis nunc, & pro tempore existentibus, quòd ipsi extrà Urbem, videlicet ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus, in Urbe verò arbitrio dilecti filii nostri nunc, & Romani Pontificis pro tempore existentis Vicarii in d. Urbe in spiritualibus generalis quibuscumque processionibus, & aliis quibuslibet actibus publicis quocumque tempore de more, vel consuetudine aut aliàs pro tempore faciendis, & celebrandis, aut ab Ordinariis locorum quibusvis indicendis, interesse minimè teneantur, nec ubique locorum per quoscumque Ordinarios hujusmodi, aliásque personas inviti cogi, aut compelli possint, auctoritate Apostolica perpetuò concedimus, & indulgemus ipsósque desuper ab eisdem Ordinariis, vel aliis personis molestari, perturbari, aut inquietari nullatenùs unquàm posse. Exemptio de qua in rubr.

§. 3. Irritúmque & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in Synodalibus, Provincialibúsque editis, & edendis constitutionibus, & ordinationibus, cæterísque contrariis quibuscumque. Contrariorum derog.

§. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ 1629. Calendis Junii Pontificatus nostri anno 6. Dat. P. An. 9. die 1. Jul.

Confirmatio quarumdam Constitutionum in Capitulo Generali Fratrum Discalceatorum Recollectorum nuncupatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

De his Fratribus vide notata ad Const. 107. Cùm sicut, & separationem à Calceatis. Const. 79. In sede hujus Pont. sup.

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

SAcri Apostolatus Ministerio per abundantiam divinæ gratiæ (nullis licèt nobis suffragantibus meritis) præsidentes; Ex injuncti nobis muneris debito Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium prosperum statum, fœlicémque directionem sinceris desiderantes affectibus, hisque propterea, quæ præsertim in eorumdem Ordinum Capitulis Generalibus providè sancita fuisse comperimus, ut firma perpetuò, & illibata persistant, exactiusque observentur, Apostolicæ nostræ confirmationis robur libenter adjicimus, ejusdémque muneris partes propensis studiis impartimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitio Procuratoris Generalis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Alonsus de Sanctis. Sacramento Fratrum Discalceatorum Recollectorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Procurator Generalis, quòd in Capitulo Generali eorumdem Fratrum de Mense Maji anni proximè præteriti 1628. celebrato pro fœlici, prosperóque ipsorum Fratrum regimine, & gubernio Constitutiones editæ fuerunt tenoris subsequentis videlicet.

§. 2. His Summus Pontifex inserit duas distinctiones continentes capita 67. Scilicet in prima distinctione capita quadraginta nempè: Cap. 1. ubi nostri instituti ratio, Religionisque nomen exponitur. Cap. 2. De uniformi vita ab omnibus etiam Superioribus observanda. Cap. 3. De indispensabili perpetuitate Regulæ, & Constitutionum. Cap. 4. De officio Divino. Cap. 5. De horis cum cantu solemniter celebrandis. Cap. 6. De aliis ad Ecclesiam, & Missarum celebrationem spectantibus. cap. 7. De Oratione Mentali. Cap. 8. De suffragiis mortuorum. Cap. 9. De horis fratrum obedientiæ. Cap. 10. De disciplinis. Cap. 11. De silentio. Cap. 12. De clausura, & modo exeundi. Cap. 13. De jejuniis. Cap. 14. De cibo. Cap. 15. De honesta animi recreatione post prandium. Cap. 16. De vestitu. Cap. 17. De Prælatorum circà communem usum, & epistolis providentia. Cap. 18. De Infirmis. Cap. 19. De fratribus iter agentibus. Cap. 20. De Redemptione Captivorum. Cap. 21. De his, qui pro Redemptione Captivorum eleemosynas petunt. Cap. 22. De Redemptoribus. Cap. 23. De Ordinibus recipiendis. Cap. 24. De confessionibus, & confessoribus. Cap. 25. De Confessoribus Monialium. Cap. 26. De officio Concionatorum. Cap. 27. De levi culpa, & de ejus pœna. Cap. 28. De gravi culpa, & de pœna ei exhibenda. Cap. 29. De graviori culpa, & de pœna ei debita. Cap. 30. De gravissima culpa, & de pœna ei exhibenda. Cap. 31. De Proprietariis. Cap. 32. De Apostatis, & fugitivis. Cap. 33. De incorrigibilibus, & eorum expulsione. Cap. 34. De aliquibus declarationibus in pœnis prædictis observandis. Cap. 35. De absolutione Apostatæ, vel excommunicati. Cap. 36. De recipiendis ad Ordinem. Cap. 37. De modo, & Cæremoniis, quibus habitus conferri debet. Cap. 38. De instructione Novitiorum. Cap. 39. De Professione. Cap. 40. De tradendo habitu manentibus in Sæculo, & de recipiendis ad beneficia Ordinis. In secunda verò distinctione. Cap. 27. nempè Cap. 1. De Capitulo generali. Cap. 2. De Electoribus Capituli Generalis, & eorum convocatione. Cap. 3. De electione Vicarii Generalis. Cap. 4. De aliis ad electionem, & Capitulum spectantibus. Cap. 5. De electione, & officio Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ, & Regiæ. Cap. 6. De officio Vicarii Generalis. Cap. 7. De Capitulo Provinciali. Cap. 8. De electione Provincialis. Cap. 9. De Vicario Provinciali, & ejus electione. Cap. 10. De prima die Capituli Provincialis, & de Electione Diffinitorum, & Procuratoris Generalis Provinciæ. cap. 11. De secunda die Capituli Provincialis. cap. 12. De tertia die Capituli Provincialis. Cap. 13. De quarta die, & absolutione Capituli Provincialis. Cap. 14. De officio Provincialis. Cap. 15. De electionibus in communi, & in particulari. cap. 16. De statu omnium Provinciarum, & de quibusdam aliis ad totum Ordinem spectantibus. Cap. 17. De Diffinitoribus, eorúmque officio. Cap. 18. De officio Commendatorum. Cap. 19. De officio Vicarii Conventus. Cap. 20. De Capitulo Conventuali. Cap. 21. De Visitatore. Cap. 22. De ordine sedendi. Cap. 23. De Collegiis, & Studentibus in eis. Cap. 24. De Bibliotheca, litterarúmque exercitio in aliis Conventibus. Cap. 25. De possessionibus habendis, & de Domibus acceptandis de novo. cap. 26. De bonis temporalibus. cap. 27. De modo servando in petendis eleemosynis.

Sequitur Bulla.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat prædictus Alonsus plurimùm cupiat præinsertas Constitutiones hujusmodi pro firmiori illarum subsistentia, ac inviolabili observantia Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. Nobis propterea eorumdem Fratrum nomine humiliter supplicari fecit, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur, qui Constitutiones hujusmodi aliquibus Romanæ Curiæ Prælatis pietate, prudentia, doctrina, & Religionis zelo præstantibus diligenter examinandas, & ubi opus foret corrigendas commisimus Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati Constitutiones præinsertas hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti, & alios quoscumque defectus, si qui in præmissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmat. prout in sub.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem Constitutiones, ac præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, atque ab eisdem fratribus nunc, & pro tempore existentibus firmiter, & inviolabiliter perpetuò observari, & adimpleri, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, irritúmque & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 6. die 2. Junii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Junii 1629. Pontificatus Nostri anno sexto.

Confirmatio

CXXII.

Confirmatio Decreti à Sacra Rituum Congregatione editi super usu Baldachini, & Ministrorum, ac aliarum Ceremoniarum pro Abbatibus Congregationis Cassinensis, aliàs Sanctæ Justinæ de Padua.

De hac Congregatione vide notata ad Constit. 1. Julii II. Super Cathedram tom. 1. Et de Definitorum electione eorúmque vacatione ab officio, ac dieta auctoritate nonnulla ordinavit istemet Pontifex suprà in Constit. 100. Commissi.

Edita An.D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Recenset Decretum à Sacra Rit. Congregationum super Pontificalibus ad favorem Abbatum Sacræ Congregat. Cassinensis.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. aliàs Sanctæ Justinæ de Padua Procurator generalis, quòd aliàs à Venerabil. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus Præpositis, emanavit Decretum tenoris subsequen. videlicet. Cùm aliàs de Anno 1606. sub die 28. Januarii Sacra Rituum Congregatio instante Archiepiscopo Firman. interdixerit Priori Sanctæ Catharinæ Ordinis Canonicorum Regularium in eorum Ecclesia usum aliquarum cæremoniarum, & de anno 1617. sub die 18. Martii illud Decretum ad instantiam bon. mem. Cardinalis Caraffæ Archiepiscopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores, & Abbates cujuscumque Ordinis etiam Cassinen. ab hoc Decreto reclamavit Procurator generalis Cassinen. & ad Sacr. Congregationem recursum habuit, asserens, suam Congregationem indefensam fuisse, & re maturè, ac diligenter discussa, referen. bon. mem. Cardinale Lancellotto, Sacra Congregatio de anno 1618. sub die 12. Martii, censuit, quoad usum Baldachini, & quorumdam Ministrorum in aliis Decretis prohibitorum, recedendum esse à prædictis Decretis de annis 1606. & 1617. emanatis, & licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, uti Baldachino, & apparatu juxtà eorum antiquissimam consuetudinem, ità tamen, ut modestè cum debita convenientia, sine pompa, & auro, atque in tribus ad summum festivitatibus quolibet anno utantur, prout in dictis Decretis latiùs continetur; Nunc demùm Archiepiscopus Florentin. ad Sacr. Congregationem accedens institit prohiberi Abbati S. Mariæ ejusdem Civitatis Florentinæ Ordinis Cassinen. usum Baldachini, & dictorum Ministrorum, & aliarum multarum cæremoniarum in dedecus, & præjudicium suæ Archiepiscopalis Dignitatis vergentium, & citato, & interveniente Patre Domino Dominico Pinello ejusdem Congregationis Cassinensium Procuratore generali, & partibus sæpè, ac sæpiùs auditis, ac negotio diligenter discusso, referente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinale Pio, Eadem Sacra Rituum Congregatio inhærendo dicto ultimo Decreto facto de anno 1618. censuit, & declaravit licere Abbatibus Cassinen. quando solemniter celebrat, quod in tribus ad summum festivitatibus facere eis permittitur, uti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, & aliquibus etiam Ministris, paratis sacris indumentis. Quia verò numerus horum ministrorum in aliquibus eorum Monasteriis erat valdè excessivus, vetuit, ac prohibuit, ne iidem Abbates solemniter, ut suprà celebrantes, alios possint habere Ministros sacris indumentis paratos, quàm duos Diaconos, & Presbyterum assistentes, Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Evangelio, & Epistola, ac sex ad summum alios, duos cum Pluvialibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis coloris temporis convenientis; quoad reliqua verò in dictis Decretis de annis 1606. & 1617. emanatis contenta, Sacra Congregatio eadem Decreta confirmavit, & quatenùs opus sit, innovavit, inhibens omnibus Abbatibus Cassinensibus, ac seriò præcipiens, ut in reliquis omnibus ea ad unguem inviolabiliter observent; eorúmque dispositioni addidit, ut suprà dicti Abbates nullo modo debeant, nec possint habere, nec tenere sedem suam Abbatialem fixam, & permanentem propè Altare, ut sedes Episcopalis retineri consuevit, minúsque liceat suprà dictis sex Monachis paratis, ut suprà, sedere in sedibus Choralibus, ut Canonicorum sæcularium mos est, sed sedes pro Abbate solemniter celebrare retineatur in Ecclesia iis tantummodò tribus diebus, quibus ipse Abbas solemniter celebrat, dictíque sex Monachi parati sedere debeant loco congruo juxtà Ecclesiarum convenientem situm super scabellis ad hunc effectum tunc appositis panno laneo coopertis, die 29. Januarii 1628.

Quod ad instantiam R. P. D. Dominici Pinelli dictæ Congr. Proc. gener. approbat. atque confirmat.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Dominicus prædictus plurimùm copia præinsertum Decretum hujusmodi quo firmiùs subsistat, & inviolabiliter observetur. Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri, Nos ejus votis hujusmodi annuere, illúmque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum Decretum hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti, & quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possent, supplemus.

Clausulas præservativas ponit.

§. 3. Decretúmque hujusmodi, necnon præsentes literas cum omnibus in eis contentis semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectu, sortiri, & obtinere, ac eidem Congregationis illiúsque Abbatibus, ac Monachis, & personis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, neque illos à quoquam quavis auctoritate super præmissis quovis modo, impediri, molestari, inquietari, vel perturbari unquàm posse, nec debere.

Ita judicari decernit.

§. 4. Et ità per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Executores deputat.

§. 5. Quocircà dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatum, & Monachorum dictæ Congregationis requisiti fuerint, seu aliquis eorum requisitus fuerit, solemniter publicand. eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra Abbates, & Monachos prædictos præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permitten. illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, & inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescen. innovato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Obstantibus derogat.

§. 6. Non obstante fœl. rec. Bonifacii Papæ Octavi prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in

judicium

judicium non trahatur, aliísque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis eorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 6. die 11. Junii. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorme sub Annulo Piscatoris die 11. Junii 1628. Pontificatus nostri Anno Sexto.

CXXIII. Unio quarundam Domorum Regularium Provinciarum novi Regni Granaten. seu Quiten. in Indiis Occidentalibus Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini sub gubernio Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis existentium, Fratribus Discalceatis dicti Ordinis Congregationis Hispaniarum.

De hujusmodi Fratribus lege Const. Gregorii XV. Pastoralis & aliam Const. Ad Sacram, præter quæ scito hunc Sanctiss. Pont. Congregationem Italiæ horum Fratrum in quatuor Provincias divisisse, ut Const. 65. Ad uberes, hic suprà.

Edita An. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Universalis Ecclesiæ regimini nullis licet nostris suffragantibus meritis, sed immensa Redemptoris nostri benignitate præpositi, ex injuncti Nobis muneris debito Christi fidelium sub suavi Religionis jugo, & strictioris observantiæ regulis Altissimo famulantium votis per quæ prospero, fœlicique eorum statui, atque progressui opportunè consulitur, libenter annuimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studiis interponimus, ut iidem Christifideles in pacis amœnitate, ac justitia, & sanctitate coràm Domino fœlicioribus in dies proficere valeant incrementis.

Petitio Procurat. Gen. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de Resurrectione Procurator generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini domorum Regularium Beatæ Mariæ de Candelaria, ac Sanctæ Crucis de la Popa in Provincia novi Regni Granateu. necnon Sancti Josephi de Panama ejusdem, seu Quiten. Provinciæ in Indiis Occidentalibus sub cura, gubernio Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis existentium, quòd Fratres prædicti pro majori divini cultus incremento, ac Catholicæ Religionis propagatione, & fœliciori eorum statu, & directione, se, & eorum domos prædictas dilectis etiam filiis Fratribus Discalceatis etiam nuncupatis dicti Ordinis Congregationis Hispaniarum per nos, ut infrà uniri, & incorporari plurimùm desiderant, & ad hoc dilectorum filiorum Prioris generalis dicti Ordinis, ac Vicarii dictæ Congregationis expressus accedit assensus. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis ejusmodi annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Fit unio prout in Rubr. §. 2. Nos igitur, qui Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei Militantium pacem, fœlicémque statum sinceris desideramus affectibus, Franciscum, & Fratres primodictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Fratres Discalceatos primodictos, eorúmque domos prædictis Fratribus Discalceatis Congregationis Hispaniarum Ordinis hujusmodi, ità ut unum corpus simul, unámque Congregationem sub eisdem legibus, constitutionibus, & juribus constituant, nec aliqua inter eos sit differentia.

§. 3. Ipsíque primodicti Fratres Discalceati, secundò dictis Fratribus hujusmodi sese conformare, necnon Vicario generali dictæ Congregationis, & Commissario ab eo ad domorum Regularium prædictarum regimen, & gubernium pro tempore deputan. subesse, eisque debitam obedientiam, & reverentiam in omnibus præstare debeant. Subjicit Vicario Gener.

§. 4. Ità tamen, ut iidem primodicti Fratres Conventuum Indiarum hujusmodi in eorum negotiis, & causis possint liberè, & licitè recurrere etiam per viam appellationis ad Priorem generalem dicti Ordinis Sancti Augustini, necnon ad Sedem Apostolicam, omisso medio, non secùs atque si dicta unio quoad hoc facta non fuisset Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus. Concedit eis recursum ad Priorem Generalem.

§. 5. Eisdémque primodictis Fratribus, & Regularibus domibus, quòd omnibus, & singulis privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, concessionibus, & gratiis, quibus alii prædictæ Congregationis Fratres, eorúmque domus de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, aut uti, frui, & gaudere possint, & poterunt, quomodolibet in futurum pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere, liberè, similiter, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perindè, ac si ab initio erectionis dictæ Congregationis primodicti Fratres, eorúmque domus Regulares prædictæ eidem Congregationi unitæ, & incorporatæ fuissent, auctoritate, & ten. prædictis concedimus, & indulgemus. Extendit eis privilegia omnia.

§. 6. Decernentes, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuò valida firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac primodictis Fratribus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Clausulas præservativas.

§. 7. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritúmque & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans apponit.

§. 8. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac universalibus, provincialibúsque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Congregationis, ac Domorum, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenor. & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis, aliàs in suo robore permansu- Contraria tollit.

ris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

[xemplis fi- em man- at.] §. 9. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

[). P. An. 6. ie 16. Julii.] Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Julii 1629. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CXXIV.

Confirmatio Decreti Sacræ Rituum Congregationis super usu Baldachini, Ministrorum, ac aliarum Cæremoniarum pro Abbatibus Congregationis Cœlestinæ Ordinis Sancti Patris Benedicti.

De horum Monachorum Congregatione, lege Const. 1. Cœlest. V. Etsi cunctos, sup. Tom. 1. Cui postea communicavit aliorum Monachorum privilegia S. D. N. Urbanus VIII. Const. 26. Sacrosancti, & Constitutiones, vel Statuta novissimè pro Congregationis gubernio edita, confirmavit in Const. 59. Sacrosanctum.

[dita An. D. 1629.]

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Henricus Fortuna, Procurator Generalis totius Congregationis Monachorum Cœlestinorum Ordinis Sancti Benedicti, quòd nuper à Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet.

[ac. Rit. Congr. edi- lit Decr. hic glatum ad avorem Ab- batum Mo- nachorum Cœlestino- um super Pontificali- bus.] §. 1. Cùm Sacra Rituum Congregatio aliàs de anno 1606. sub die 18. Januarii ad instantiam Archiepiscopi Firmani prohibuerit Priori Sanctæ Catharinæ Ordinis Canonicorum, Regularium in eorum Ecclesia usum Baldachini, & aliquarum Cæremoniarum. Et de anno 1617. sub die 18. Martii idem Decretum ad instantiam Cardinalis Carafæ Archiepiscopi Neapolitani extenderit ad omnes Priores, & Abbates cujuscumque Ordinis, etiam Cassinen. R. P. D. Henricus Fortuna de Monte Leone Procurator Generalis totius Congregationis Monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti, ægrè ferens hujusmodi Decreta tamquàm præjudicialia antiquissimæ consuetudini solemniter celebrandi cum Baldachino, & Assistentibus in eorum Ecclesiis; Institit audiri in eadem Sacra Congregatione super dicta antiquissima eorum consuetudine. Et commissa causa Illustrissimo, & Reverendissimo Cardinali Antonio Barberino, coràm quo, audito sæpiùs dicto Procuratore Generali Cælestinorum, & rationibus ab ipso deductis benè perpensis; Eodem Illustrissimo, ac Reverendissimo Antonio referente; Sac. Rituum Congregatio re maturè discussa, censuit in hac parte recedendum à suprascriptis decretis de anno 1616. & 1617. & declaravit, licere Abbatibus Cœlestinis in tribus tantùm anni festivitatibus solemniter celebrantibus uti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, necnon existentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ac aliorum sex ad summum Monachorum sacris Vestibus, coloris solemnitati respectivè convenientis indutorum, duorum nempè cum Pluvialibus, duorum cum Planetis, & aliorum duorum cum Tunicellis, ultra Diaconum, & Subdiaconum, qui in Missa cantaturi sunt Evangelium, & Epistolam: dummodò iidem Abbates nullo modo teneant Sedem Abbatialem fixam, & permanentem propè Altare, ut sedes Episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in Ecclesia iis tantùm diebus, quibus solemniter, ut suprà celebrari debet: Et dicti sex Monachi, ut suprà parati, non in sedibus Choralibus, sed super scabellis sedeant in situ congruo juxtà Ecclesiarum convenientem situm tunc appositis, panno laneo coopertis, firmis in reliquo remanentibus suprascriptis sacræ Congregationis in Firmana, & Neapolitana Decretis editis, die 30. Junii 1629.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Henricus plurimùm cupiat, Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & in inviolabili observantia, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. [Quod decretum petit Procurat generalis à Pont. confirmari.]

§. 3. Nos dictum Henricum speciali gratiæ favore prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit; ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Decretumque præinsertum hujusmodi cum omnibus in eo contentis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. [Pont illud confirmat, & approbat.]

§. 4. Decretumque, & in eo contenta hujusmodi, ac præsentes literas valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Congregationi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. [Clausulas præservativas opponit]

§. 6. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus, [Aliter judicari prohibet.]

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. [Contraria aufert.]

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris 1629. Pontificatus nostri anno septimo. [Dat. P. An. 7 die 26. Sept.]

CXXV

Quòd Regens, & Collegiales Collegii S. Bonaventuræ in Domo SS. Duodecim Apostolorum de Urbe subjaceant obedientiæ Guardiani dictæ Domus, aliorúmque dicti Ordinis Superiorum.

Fratres Minores Conventuales approbavit Honorius III. Constit. 5. Tom. 1. Horum Fratrum Regulam declaravit Martinus V. in Constit. 13. Tom. 1.

[Edita An. D 1729.]

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

[Exordium.] Fœlici, ac prospero Collegii S. Bonaventuræ in Domo Sanctorum duodecim Apostolorum de Urbe Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum erecti, quantum cum Domino possumus, pro nostri pastoralis officii munere consulere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris.

[Præcipit prout in sub] §. 1. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus dilecti filii Regens, & Collegiales dicti Collegii obedientiæ correctioni, & visitationi dilectorum filiorum Guardianum dictæ Domus, aliorumque dicti Ordinis Superiorum prout cæteri Fratres in eadem domo degentes subjaceant, ità, ut debitis pœnis puniri possint, non tamen loco Collegiali.

§. 2. Quódque Oeconomus pro tempore deputandus ipsius Collegii cautionem idoneam de benè administrando dare debeat, necnon Guar- [Oeconomus quolibet se questre red dat rationem.]

diani

diani, & alii prædicti Ordinis Superiores hujusmodi computa ipsius Oeconomi quolibet semestri revidere possint, & ità in præmissis observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, acirritum & inane, si secùs super his à quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Collegio, illiúsque Regenti, & Collegialibus prædictis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua; ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & ezpressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 7. die 20. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septemb. 1629. Pontificatus nostri anno septimo.

CXXVI.

Beatificatio Cajetani Thienæi Clericorum Regularium Fundatoris, ac Indultum celebrandi Missam, & Officium de eodem recitandi.

Hujus Congregationis institutionem habes suprà ad Const. 11. Clem. VII. Tom. 1.

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, ad ea, per quæ servorum Christi veneratio in terris promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis pastoralis muneris Nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia Christifidelium, & præsertim Catholicorum Regum, & Principum vota exposcunt, Nósque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Instantia facta Pont. pro hujus viri Beatificatione.

§. 1. Sanè nomine dilectorum filiorum Præpositi generalis, & Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum Nobis nuper expositum fuit, quòd facta nuper per dilectos etiam filios causarum Palatii Apostolici Auditores Nobis relatione de Processibus Apostolica auctoritate fabricatis, super sanctitate Servi Dei Cajetani Thienæi Nobilis patritii Vicentini dictæ Congregationis Fundatoris, iisque in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, de mandato nostro per plures sessiones, citato etiam ad hoc, & audito Promotore Fidei, ad relationem dilecti filii nostri Antonii Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundùm carnem ex Fratre germano Nepotis, acerrimè discussis, cognito primùm super validitate dictorum processuum, deindè super virtutibus heroicis, ac demùm super miraculis in vita, & post mortem intercessione d. Servi Dei ab Altissimo patratis, iidem Cardinales unanimi consensu censuerunt, tutò posse, quandocumque Nobis placuerit, ad solemnem Canonizationem dicti Servi Dei Cajetani Thienæi deveniri. Quare pro parte non solùm Præpositi generalis, & Clericorum prædictorum, verùm etiam Charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, ac Ludovici Francorum Regis Christianissimi, necnon dilectorum filiorum nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum, aliorúmque Christianorum Principum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim donec ad solemnem Canonizationem dicti Servi Dei Cajetani Thienæi deveniatur, idem Servus Dei Cajetanus Thienæus Beatus nuncupari, atque officium, & Missa de eo, ut infrà, celebrari possit.

Beatificatio ejus, & concess. Missæ, Officii, prout hic.

§. 2. Nos piis Ferdinandi Regis in Imperatorem electi, ac Ludovici Regis, necnon Ducis, & Reipublicæ, aliorúmque Principum, ac Præpositi, & Clericorum prædictorum votis hujusmodi quantum cum Domino possumus, benignè annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, ut ipse Dei Servus Cajetanus Thienæus in posterùm Beatus nuncupari, atque ab omnibus Clericis Regularibus ubique existentibus Officium de communi Confessoris non Pontificis in die ejus obitus recitari, & Missa celebrari, juxtà Breviarii, & Missalis Romani rubricas, etiam per Sacerdotes Regulares, & sæculares ad eorum Ecclesias confluentes. In Civitate verò Vicentina, ubi natus, & in Civitate Neapolitana, ubi sacrum ejus Corpus requiescit, in omnibus Ecclesiis, tàm Regularium, quàm sæcularium Missa, & officium ut suprà respectivè celebrari, & recitari, valeat: Ac pro præsenti anno dumtaxat, dicti Præpositus generalis, & Clerici solemnem Beatificationem cum Officio, & Missa in die eis benevisa, hic Romæ in Ecclesia Sancti Andreæ de Valle, necnon alii ad illam confluentes celebrare, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, Secretarii ipsius Congregationis, vel alicujus Notarii publici manu subscriptis, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut Præpositi, vel Vicarii generalis ejusdem Congregationis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 7. die 8. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 7. Octobris 1629. Pontificatus nostri anno septimo.

CXXVII.

Pro Ordine S. Basilii Congregationis Reformatæ del Tardon, & S. Antonii, del Vallis de Gallegillos.

Istius Ordinis materiam habes ad Const. 247. In his infrà & in Const. 304. In Sede.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

PAstoralis officii Nobis ex alto commissi debitum postulat, ut circà statum Religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium salubriter dirigendum mentis nostræ aciem assiduè intendentes, ad ea præcipuè ejusdem officii partes sedulò impendamus, per quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pro fœlici eorumdem Ordinum statu, & directione proindè statuta, & ordinata, ab iis ad quos spectat inviolabiliter observentur.

Clem. VIII ed. d. Const. de hac reformatione.

§. 1. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Monachorum

Ordinis Basilii Congregationis Reformatæ nuncupatæ, quod aliàs fœl. recor. Clemens VIII. Papa Prædecessor noster cupiens S. Basilii hujusmodi regulam cum suo laudabili de labore manuum instituto in sua propria, & primitiva Sanctorum Patrum Observantia stabiliri, ac perpetuò conservari, ac duo Monasteria ejusdem Ordinis tunc expressa in Monasteria Reformationis, & veræ regulæ Observantiæ constituens, & separans inter alia voluit, quòd Monasterium Reformationis hujusmodi Abbati dicti Ordinis Generali taliter subjacere, ut ipse per se, non verò per alium nisi fortè ex eadem Congregatione Reformata Monachum posset illum tàm in capite, quàm in membris visitare, corrigere, & emendare, non verò in aliquo contrà supràdictam reformationem, seu Constitutiones ab ipsis facien. & à Sede Apostolica approban. in communi, vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare, sive innovare, neque Monachos Reformatos à suis Monasteriis ad alia, quacumque de causa auferre, seu alios ab ipsis etiam ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare, seu statuere, in quo ipsos posset perturbare, seu quomodolibet inquietare, & aliàs prout in ipsis Clementis Prædecessoris in simili forma Brevis desuper expeditis literis pleniùs continetur.

Clem. VIII. edidit const. de hac reformatione.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat præmissis nequaquàm obstantibus nonnulli ejusdem Ordinis Abbates Generales, eorúmque Vicarii quibusdam Monachis Reformatis ad Provincias non reformatas transeundi licentiam, & facultatem concesserint, atque ex hoc non leves in Congregatione Reformata hujusmodi exoriantur perturbationes, proindéque per Nos desuper opportunè provideri summoperè desideret. Nos præmissis quantum cum Domino possumus obviam ire prosperóque Monachorum prædictorum regimini, & gubernio consulere, illósque specialibus, favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis &c. censentes, supplicationibus dicti Procuratoris Nobis &c. inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum Consilio Dilecto filio Abbati Generali dicti Ordinis pro tempore existenti per præsentes præcipimus, ut in posterùm prædictas literas in forma Brevis prædicti Clementis Prædecessoris omninò observet, & observari faciat.

Quam hic Pontifex observari mandat.

§. 3. Decernentes illum, si unquam aliquem ex Monachis Reformatis hujusmodi contrà dispositionem dictarum literarum ad Provincias non reformatas transferre præsumpserit, pœnam privationis vocis activæ & passivæ eo ipso incurrere, sicque ab omnibus censeri, & ità per quoscumque Judices Ordinarios, & Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari &c. attentari. Non obstantibus omnibus illis quæ dictus Clemens Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 7. die 30. Octo.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 39. Octobr. 1629. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CCXXVIII.

Quòd Præcedentia in concursu cum aliis Regularibus in Processionibus competit Fratribus Discalceatis Sancti Francisci in Provinciis Hispaniarum.

De Præcedentia horum Fratrum vide Constit. 303. Alias à nobis, & Constitut. 299. Exponi nobis, & ad Constitut. 22. Innocentii Decimus Romanus Pontif.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1630.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Ex incumbentis Nobis Apostolici muneris debito, ad ea mentis nostræ aciem assiduè intendimus, per quæ Christifideles, sub suave Religionis jugo, & Strictoris Observantiæ Regulis Altissimo famulantes, sublatis obstaculis, in quietis, ac pacis amœnitate vota sua Domino reddant; ac fœlicioribus in via mandatorum ejus proficiant incrementis.

Decretum Sac. Rit. Congr.

§. 1. Nuper siquidem à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanavit Decretum tenoris subsequentis videlicet. Procurator Fratrum Discalceatorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Hispaniarum exposuit, suos Fratres Discalceatos pati controversiam ab aliis Regularibus, & præcipuè ab Augustinianis circà præcedentiam in processionibus, & alias prærogativas ipsis etiam Discalceatis, cùm veri filii reformati ejusdem Ordinis sint, pariter suffragantes, & expressas in Bulla Clementis Octavi, incipiente: Ex injuncto Nobis sub die septimo Septembris 1602. quotiescunque dicti Discalceati non incedunt, aut degunt cum Fratribus familiæ de Observantia; quod cum sit contrà expressam mentem, & Bullam dicti Clementis Octavi, citato ad hoc Procuratore Generali Ordinis Sancti Augustini, supplicavit provideri. Et Sacra Rituum Congregatio, sequendo votum Illustrissimi Deti, cui hæc causa erat commissa, censuit præcedentiam in concursu cum aliis Regularibus in Processionibus, & aliis actibus publicis, semper competere dictis Discalceatis, sive soli de per se, & sub propria cruce sive sub cruce & cum familia de observantia incedant, & sive Discalceati, Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodò sint verè Reformati Ordinis Sancti Francisci, necnon gaudere, & frui debere omnibus aliis prærogativis in supràdicta Bulla Clementis Octavi expressis, & ità in posterùm ubique servari mandavit hac die 22. Decembris, & juxtà alias resoluta in antecedenti Congregatione sub die 10. ejusdem mensis 1629.

Confirmat Decretum de quo in rubr.

§. 2. Cùm autem sicut dilectus filius Procurator Fratrum Discalceatorum prædictorum Nobis exponi fecit ipse plurimùm cupiat præinsertum Decretum hujusmodi quo firmiùs subsistat, exactiúsque ab omnibus observetur Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri. Nos qui pacem, & quietem, inter Regulares præsertim personas vigere sinceris desideramus affectibus. Procuratorem, & Fratres, quo præmissorum commodo, & effectu pacificè uti valeant, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati præinsertum Decretum hujusmodi cùm omnibus & singulis in eis contentis, & expressis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illísque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti, & quosvis alios defectus si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possent supplemus. Necnon Decretum, & in eo contenta hujusmodi præsentésque literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Fratribus Discalceatis prædictis ubicumque existentibus, in omnibus, &

per omuia pleniffimè suffragari, necnon ab omnibus ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit firmiter, & inviolabiliter perpetuò observari, sicque ab omnibus censeri, & ità per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios ubique, & in quavis instantia judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si quid secùs super hoc à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari auctoritate, & tenore præfatis decernimus & declaramus.

Executores deputat.

§. 3. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, ac Oriolen. & aliis Episcopis in Provinciis, & locis, in quibus Fratrum Discalceatorum hujusmodi Regulares domus erectæ sunt, sine in posterùm erigentur, constitutis, ac dilectis filiis eorum officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Discalceatorum hujusmodi requisiti fuerint solemniter publican. eisdémque Fratribus Discalceatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula ab iis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiter observari, eosdémque Fratres discalceatos præmissorum commodo, & effectu, quiete, & pacificè ubique frui, & gaudere? Non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum, & institutorum regulares in præmissis quovis prætextu, causa, vel occasione, aut aliàs quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Mandat puniri transgressores.

§. 4. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs in præmissis non patentes, seu sese quomodolibet opponentes, eísque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, aut indirectè quomodolibet præstantes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habentes servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravantes, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus fœlic. rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & Concilio generali edita de duabus Dietis dummodò ultrà tres Dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliísque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis ordinum, & Congregationum, illorúmque domorum & locorum Regularium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate illa roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illis, eorúmque superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 6. Quibus omnibus, & singulis illorum tenoribus præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quicuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 7. die 9. Jan.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Januarii 1630. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CXXXI.

Confirmatio Concordiæ, necnon & revalidatio Literarum, quibus jussu ejusdem Sanctissimi de Anno 1626. in Conventu Virginis MARIÆ Solitudinis de la Jana Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Minorum Discalceatorum S. Francisci Observantiæ, celebratum, ac insuper confirmatum fuit Capitulum Provinciale, cum perpetuo reposito silentio, ac pœnis, & censuris per contrafacientes eo ipso incurrendis.

Vide revalidationem harum literarum in Constitut. 199. Cùm sicut, & confirmationem Privilegiorum pro hac Provincia in Constit. 245. Cum ea &c.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regis pacifici vices quamquàm immeriti gerentes in terris, inter cætera cordis nostri desiderabilia illud sinceris semper exoptamus affectibus, ut Christifideles, præsertim sub suavi Religionis jugo, & strictioris observantiæ regulis divinis obsequiis famulantes vota sua in pacis amœnitate Altissimo reddant, ac unanimes, & uno ore Deum glorificent, quapropter si quæ, quo litibus, & controversiis inter eos, superseminante humani generis hoste zizania, exortis evellen. penitúsque extirpandis concorditer facta fuisse comperimus, illa, ne in recidivæ contentionis vitium denuò prolabantur, Apostolicæ nostræ confirmationis munimine roboramus, ac aliàs desuper pastoralis officii nostri partes quantum Nobis ex alto conceditur, sedulò impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Aliàs siquidem à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet Urbanus VIII. PP. Ad perpetuam rei memoriam. In Cathedra Beati Apostolorum Principis, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, per abundantiam divinæ gratiæ constituti, inter gravissimas Pastoralis sollicitudinis curas, illa, nos sollicitos jugiter habuit, ut religiosi viri divini Numinis obsequiis sub regularibus arctioris vitæ institutis famulantes, majoribus in dies in sanctitate, & justitia coràm Domino proficiant incrementis, ac proindè quæ in hoc impedimento esse possunt, etiam per opportunæ declarationis ministerium tollimus, aliásque statuimus, & ordinamus prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Referuntur Causæ hujus Constit.

§. 2. Aliàs siquidem fœl. record. Clemens VIII. Prædecessor noster fœlici, ac prospero Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Hispaniarum regimini, & gubernio pastorali sollicitudine vigilans, inter alia concessit, & indulsit fratribus prædictis, quòd suis arctioribus constitutionibus gubernarentur, nec ad observanda statuta generalia ordinis facta, vel pro tempore facienda, à Capitulis, vel Congregationibus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, nec ad peculiaria Superiorum mandata, quæ Diffinitorum Provinciæ judicio fuissent, Exalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea, tenerentur, nec similiter possent fratres ipsius Provinciæ, ab ipsa sua Provincia abstrahi per quoscumque Superiores, vel ad Indos, vel alias partes, & Provincias remitterentur, nisi de consensu Capituli Provincialis ejusdem Provinciæ, & aliàs prout in ipsius Clementis Prædecessoris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus pleniùs continetur.

Declarat constitutiones.

§. 3. Cùm autem sicut accepimus circà concessionem, & indultum, ac litteras Clementis Prædecessoris hujusmodi, nonnulla dubia, diversæque lites, & controversiæ, ac perturbationes in dicta Provincia hactenùs ortæ sint, & de præsenti vigeant, ac verendum sit alias longè majores orituras, Nos præmissis, pro nostri officii debito, quantum Nobis ex alto conceditur obviare, ac paci, & quieti ipsius Provinciæ opportunè consulere volentes. De Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, Constitutiones proprias illas, tantùm esse intelligendas, quæ fuerunt firmatæ, & receptæ in Capitulo Provinciali, Necnon à clausula sequenti nimirùm (nec ad peculiaria Superiorum mandata,) quæ Diffinitorum Provinciæ judicio fuerint Excalceatorum Reformationi, aut commodo dissentanea, verba illa (aut commodo) omninò delenda esse, prout Nos earumdem præsentium vigore delemus; Ubi autem dicitur, non posse Fratres ipsius Provinciæ abstrahi per quoscumque Superiores, nimirùm, de Superioribus ejusdem Ordinis tantùm declaranda, ac respectivè intelligenda esse.

Facultas Generalis super Discalc.

§. 4. Præterea pro majori quiete, & pace, & ad omnes discordias, & differentias inter dictæ Provinciæ Fratres removen. auctoritate, & tenore præsentium statuimus, & decernimus, quòd dilectus filius Minister Generalis prædicti Ordinis, Capitulo dictæ Provinciæ, in quo tamquàm Minister Generalis vocem habere solet, omninò interveniat, cum facultate Fratres quoscumque Ordinis, Provinciæque hujusmodi in præmissis delinquentes à quibusvis censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac super quibuscumque irregularitatibus per eos propterea quomodolibet incursis, & respectivè contractis, auctoritate nostra absolvendi, & dispensandi easdemque pœnas illis remittendi, & condonandi. Dilecti verò filii Antonius Vives Minister Provincialis, at Joannes Ximenez, pro hac vice tantùm, tres Patres de corpore dictæ Provinciæ bonæ famæ, & conditionis, ac ab omni factione alienos, Franciscus autem Borgia ejusdem Ordinis, & Provinciæ professores tres alios ejusdem probitatis, & prudentiæ viros respectivè nominent, ac ex istis sic nominatis Minister generalis præfatus quatuor Diffinitores, ac Provincialem, & Custodem, qui unà cum eodem Ministro Generali de aliis electionibus, prout in Capitulo Provinciali facere solent, provideant, eligat. Quòd si in dicta nominatione facienda Antonius, ac Joannes, & Franciscus prædicti concordes non fuerint, vel aliquis eorum intereà è vivis decesserit, tunc, & eo casu Minister Generalis prædictus vices quoquo modo deficientis auctoritate nostra suppleat.

Mandat observari præmissa.

§. 5. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, & privationis quorumcumque officiorum per eos obtentorum, inhabilitatisque officiorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterùm obtinen. ac aliis arbitrio nostro infligen. pœnis eidem Ministro Generali, aliisque Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Superioribus quocumque modo nuncupatis, quatenùs præmissa omnia & singula, necnon præsentes litteras firmiter, & inviolabiliter observent, ac ab aliis observari curent & faciant, ac decernentes sic & non aliter in eisdem præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, Clementis Prædecessoris hujusmodi literis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dictorum Ordinis, & Provinciæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterùm, Ministrum Generalem præfatum harum serie in Domino monemus, ut in præmissis adimplendis taliter se gerere studeat, quòd alicui ex factionibus suspectus minimè reddatur, quinimò dictæ Provinciæ concordiam, quietem, charitatémque præ oculis semper habeat, ut non solùm in proximo, futuro Capitulo, sed etiam perpetuis futuris temporibus. Deo dante, valeat permanere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 6. Februarii 1626. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Imposuit silentium super celebrato Capitulo.

§. 6. Subindè verò pro parte dilecti filii Joannis Baptistæ Bervegal Procuratoris Generalis Fratrum Provinciæ hujusmodi dicti Ordinis Nobis exposito, quòd in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ in Domo B. MARIÆ de la Soledat vulgò nuncupatæ Oppidi de la Jana Dertusen. Diœcesis de mense Maji tunc proximè præterito, jussu nostro præsidente in eo dilecto filio Bernardino de Senis dicti Ordinis Ministro Generali, celebrato, dilectus filius Joannes Olarte dicti Ordinis Professor in ejusdem Provinciæ Ministrum Provincialem canonicè electus, & deputatus fuerat, Nos dicti Joannis Baptistæ supplicationibus, ea in parte tunc inclinati, electionem, & deputationem prædictas per nostras in simili forma Brevis sub die 29. Januarii 1627. expeditas literas Apostolica auctoritate approbavimus, & confirmavimus. Ac demùm per Nos accepto, quòd Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales negociis Regularium Præpositi, litteras remissorias aliquibus Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ in Regno Valentiæ, ad effectum examinandi testes super tribus articulis, concesserant prout in litteris remissoriis hujusmodi continebatur. Nos de eorumdem Cardinalium consilio, stante consensu Procuratorum utriusque partis, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, circà nullitates celebrationis Capituli habiti die 17. Maji Anni 1626. in Cœnobio Beatæ Virginis Mariæ Solitudinis de la Jana supradictæ Provinciæ, Apostolica auctoritate perpetuum silentium imposuimus. Inhibentes propterea omnibus, & singulis ejusdem Provinciæ Fratribus cujuscumque gradus, & conditionis existerent, sub pœna privationis officiorum, quæ tunc obtinerent, & inhabilitatis ad cætera in futurum obtinendi ne ullo umquàm tempore super electionibus in eodem Capitulo factis aliquas lites, seu controversias movere, vel prosequi quoquo modo auderent, vel præsumerent & aliàs prout in diversis nostris in eadem forma Brevis expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, pleniùs continetur.

Concordia.

§. 7. Cùm autem sicut denuò dictus Joannes Baptista Nobis nuper exponi fecit, orta subindè inter dilectum filium Joannem à Sancto Bernardino tunc dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Procuratorum Generalem, ipsúmque Joannem Baptistam, & alios dictæ Provinciæ Fratres ex una, ac quondam Jacobum Paulum dilectorum filiorum Honuphrii Legaza, aliorumque ipsius Provinciæ Fratrum Discalceatorum Procuratorem ex altera partibus, lite, & causa de & super prætensa dicti Capituli, ac electionum in eo factarum revocatione, rebúsque aliis in actis causæ, seu causarum hujusmodi deductis, tamdem Joannes, ac Joannes Baptista, & alii Fratres; necnon Jacobus præfati communi bono, pacique inter eos conservationi consulen. ad certam inter se devenerunt concordiam, & transactionem tenoris subsequentis, videlicet. Die 12, Septembris 1628. Concordia facta inter R. P. Fratrem Joannem à Sancto Bernardino Ordinis Sancti Francisci Generalem Procuratorem, & PP.

Fratrem Joannem Baptistam Bervegal, Fratrem Damianum Esteller, Fratrem Joannem Ruiz, & Fratrem Franciscum Sirvent Provinciæ S. Joannis Baptistæ Discalceatorum ejusdem Ordinis speciales Procuratores ex una, & ex altera partibus Doctorem Jacobum Palau Procuratorem Fratris Honuphrii Legaza, aliorúmque Patrum ipsius Provinciæ. Primò, quòd litteræ remissoriales à Sacra Congregatione obtentæ die 13. Decemb. 1627. anni prxximè præteriti totaliter annullentur, quamvis examen seu processus fuerint inchoati, & ut paci, quietique Provinciæ consulatur comburantur. Secundò, Decretum, & Motus proprius concessus è Sanctiss. D. N. Papa Urbano VIII. die 18. Januarii 1628. permaneant semper in suo robore, validitatéque quoad illam partem nempè, & clausulas revalidantes, ac perpetuum silentium ponentes Capitulo, & electionibus ritè, & canonicè habitis in Conventu Virginis Mariæ Solitudinis de la Jana die 17. Maji 1626. virtute litterarum, seu Motus proprii ejusdem Sanctissimi incipientis. Urbanus VIII. Ad futuram rei memoriam. In Cathedra Beati Apostolorum Principis &c. sub datum die 6. Februarii 1626. quin potiùs ex communi partium consensu illud totum ratum sit, ac denuò confirmatur, quacumque dubitatione non obstan. aut quæ forsan indè oriri potest, eo quòd in ipsismet Decreto, & Motu proprio de hujusmodi litteris remissorialibus specialis fiat mentio, cùm illas nunc, & in posterùm, partibus convenientibus, specialiter, & expresè irritas ad nihilúmque repigendas omnimodè placuit. Tertiò, circà sententias latas die 19. Januar. 1621. tàm in favorem Fratris Onuphrii Legiza, quàm in pœnam quorundam Fratrum, prout in ipsismet sententiis majori Provinciæ sigillo munitis, & à pleno Diffinitorio, hoc est R. P. Fr. Blasio Aybar Ministro Provinciali, Fratre Joanne Ximenez, Fratre Hieronymo Planes, Fratre Antonio Sobrino Provinciæ Patribus, & Fratre Michaële Blanch, Fratre Petro Adam, Fratre Vincentio Naucasa, Fratre Silvestro Sanz Diffinitoribus, etiam pronunciatis, subscriptisque liquido constat, hujusmodi igitur sententiæ declarandæ sunt, & admittendæ à Provinciali præsente, & Diffinitorio tamquàm bene latæ, neque aliquam patientes nullitatem. Quocircà iidem Frater Honuphrius Legaza ab eodem Provinciali, & Diffinitorio pleno per litteras patentes declararetur liber juxtà sensum expressum in prædictis sententiis, ita ut quicquid post latas sententias, vel prædictæ concordiæ confirmationem, seu interim dum executioni mandatur, attentatum pro parte cujuscumque fuerit, nullum sit irritum, absque ullo fundamento, etsi quis aliquid in contrarium præmissorum suscitare, commovere, seu allegare quovis modo, vel quacumque de causa præsumpserit, pœnis in confirmatione Concordiæ assignandis, seu infligendis subjiciatur, quibus etiam donetur idem Frater Onuphrius si aliquid in posterum prætenderit: aut directè, vel indirectè facere tentaverit contrà Fratres contentos in illis sententiis, seu alias quascumque personas. Quartò, Rursus circà prætensam apostasiam prædictus Frater Honuphrius subjiciat se ad cautelam absolutioni, ità taliter, ut nullis donetur pœnis à Constitutionibus Generalibus Ordinis, & Provinciæ constitutis, nec censeatur activè, nec passivè incapax ad quodcumque Religionis officium. Quinto, Insuper in ipsa Concordia declaretur, quòd à Provinciali, & Diffinitorio, non solùm dictus Honuphrius, verùm etiam omnes illi Patres, qui mandatum Procurationis dederint ad effectum prætensum revocationis suprâdicti Decreti, seu quarumcumque litterarum Apostolicarum affligi, molestari, seu aliqua pœna affici nequeant. Sextò, denique inter partes concordantes declaratur etiam, quòd prædicta transactio, seu concordia nullum habeat vigorem quousque tandem ab ipsa Sacra Regularium Congregatione fuerit confirmata, & ante hujusmodi confirmationem in partibus acceptata, quibus positis prædictus Frater Honuphrius à die datæ confirmationis Concordiæ infrà duos Menses ad suam teneatur remeare Provinciam.

Confirmatio concordiæ.

§. 8. Nos inviolabili Concordiæ, & transactionis hujusmodi subsistentiæ, & observationi, quantum cum Domino possumus consulere, ac Joannem Baptistam, & alios præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentis, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolutas fore censentes: De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium Præpositorum consilio, ac auditis Procuratoribus utriusque partis, Motu proprio, & ex certa scientia nostris Concordiam, & transactionem præinsertas hujusmodi cum omnibus in eis contentis, superadditis tamen in primo capite loco verbi (comburantur) sequentibus verbis, scilicet, quòd dicti processus comburantur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnésque, & singulos etiam consensus partium prædictarum, ac tàm juris, quàm facti, & solemnitatum, ac quosvis alios etiam substantiales defectus, si qui in præmissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possent, supplemus, sanamus, & abrogamus; Necnon omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis præfatis cujuscumque conditionis, seu gradus existant perpetuum super præmissis silentium imponimus, eisdémque sub præcepto sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, nec non quorumcumque officiorum quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterùm obtinenda, pœnis eo ipso incurrendis injungimus, nec de cætero dictæ Provinciæ Fratres hujusmodi lites, seu controversias quavis occasione, causa, seu prætextu directè, vel indirectè, per se, vel alios movere, vel prosequi possint, nec inter se molestari facere quomodolibet audeant, seu præsumant.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentes concordiam, & transactionem prædictas, præsentésque literas cum omnibus in eis contentis semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque pleniarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis Fratribus prædictis, cæterisque ad quos spectat, & in futurum pro tempore quomodolibet spectabit firmiter, & inviolabiliter in omnibus, & per omnia observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquàm tempore resiliri posse, sicque ab omnibus censeri, & ità per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, in quavis causa, & instantia judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 10. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Valentin. ac Orolien. & Carthaginen. Episcopis nunc, & pro tempore existentibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium seu ulio, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joannis Baptistæ, & Fratrum prædictorum fuerint requisiti solemniter publican. illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten-

tes,

tes, faciant auctoritate Nostra, concordiam, & transactionem prædictas, præsentésque litteras ab omnibus ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, & adimpleri.

ndatii pu- i transf- ssores.

§. 11. Non permittentes eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus fœlic. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquibus auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliísque quibusvis constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit Ordinis, & Provinciæ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

ranſumptis edi jubet.

§. 12. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 7 die 22. April.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Aprilis 1630. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

CXXX.

Ne de cætero alia Mendicantium Ordinum Monasteria, Domus, seu Conventus, aut Regularia loca per tres leucas circumcircà Monasterium, & Ecclesiam Beatæ Mariæ de Monte Serrato construantur, sub pœna excommunicationis.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

COmplura pietatis, & charitatis opera, quæ in Monasterio Beatæ MARIÆ de Monteferrato, Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, Vicenn. seu Nullius Diœcesis exerceri consueverunt, Nos inducunt, ut in his provisionis nostræ ministerio libenter intendamus, per quæ pia opera hujusmodi conservari, majoráque in dies suscipere valeant incrementa.

Motiva hujus Constit.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus ad Ecclesiam dicti Monasterii, ac sacram ejusdem Beatæ MARIÆ de Monteferrato imaginem inibi existentem, magnus Peregrinorum ex omnibus Orbis partibus devotionis causa confluentium fiat concursus, ipsúmque Monasterium in quo ergà eosdem Peregrinos hospitalitas, & alia Christianæ charitatis opera exercentur, plenam in civilibus, & criminalibus jurisdictionem per longum circuitus spatium habeat, eáque mediante loca eidem Monasterio subjecta licèt aspera, & deserta, proindéque ad bannitorum, viarúmque grassatorum receptationem apta sint, ab illis tamen hactenùs semper salva, & illæsa, ipsísque peregrinis tuta servaverit.

Mandat pro- ut in rubr.

§. 2. Nos attendentes, quòd si alia Mendicantium Ordinum Monasteria Domus, seu Conventus in districtu ipsius Monasterii, sive illius jurisdictione construerentur, id non solùm eidem Monasterio circà pias fidelium eleemosynas, & oblationes eidem Monasterio, & Ecclesiæ fieri solitas, piorúmque operum prædictorum exercitium, maximum præjudicium, & detrimentum illaturum fore, verùm etiam bannitis, & grassatoribus prædictis se in Monasteria, Domus, & Conventus hujusmodi recipiendi occasionem præbiturum; idcircò præmissis quantum cum Domino possumus obviam ire, ac dilectos filios Abbatem, & Monachos dicti Monasterii specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris; Ne de cætero perpetuis futuris temporibus alia Mendicantium Ordinum Monasteria, Domus, seu Conventus, aut regularia loca quomodolibet nuncupata, etiam vigore, seu prætextu quorumvis privilegiorum eisdem Ordinibus, illorúmque Superioribus, etiam ab Apostolica Sede quovis modo concessorum per tres leucas circumcircà Monasterium, & Ecclesiam Beatæ MARIÆ de Monteferrato hujusmodi, nisi de expressa Abbatis, & Monachorum dicti Monasterii pro tempore existentium licentia construi, fundari, aut aliàs quomodolibet erigi, vel institui possint sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

§. 3. Decernentes præsentes litteras perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Monasterio in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, inane si quid, secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 4. Quocircà venerabilibus Fratribus Episcopis Elnen. & Urgellen. ac dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque si, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis, & Monachorum dicti Monasterii fuerint requisiti solemniter publicantes, eísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, ac Abbatem, & Monachos prædictos illorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quomodolibet indebitè molestari. Executores deputat.

§. 5. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus fœlic. record. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur aliísque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Mendicantium Ordinum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, illorúmque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibúsque, & aliis decretis in genere, Mandat puniri transgressores.

vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habentes, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumquee.

Transumptis credi jubet.

§. 6. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 7. die 7. Junii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Junii 1630. Pontificatus nostri anno septimo.

CXXXI. De facultate eligendi Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ ad Regulares utriusque sexus, & cujuscumque Ordinis non extenden. nec extrà forum conscientiæ.

Clementis Constitutionem, quam habes indicatam in 1. §. reperies num. 64. sup. tom. 3.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN specula militantis Ecclesiæ, nullo licèt meritorum suffragio, divina dispositione constituti, & attentè considerantes, sacros Regularium Ordines tantas Ecclesiæ DEI utilitates omni tempore attulisse, ut ad eas conservandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri magnam jure optimo diligentiam semper adhibuerint: dignum, quin potiùs debitum reputamus, ut eorumdem Pontificum vestigiis inhærentes, ad ea pastoralis vigilantiæ partes jugiter intendamus, ut in eisdem Ordinibus disciplinæ regularis observantia sarta tecta conservetur, & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportunæ constitutionis ministerio salubriter removeantur.

Clem. VIII. edidit const. indicatam in 2. Rubric.

§. 1. Aliàs siquidem fœlic. record. Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro per Procuratorem generalem Ordinis Fratrum B. MARIÆ de Monte Carmelo nuncupat. exposito, quòd cùm in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & aliis privilegiis ab Apostolica Sede concedi solitis, detur facultas eligendi Confessarium idoneum, ab ordinario approbatum, qui possit Christifideles absolvere à casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reservatis, Religiosi prædicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus uti præsumebant in detrimentum eorum regularis disciplinæ: Quare idem Clemens prædecessor sua perpetuò valitura constitutione declaravit, facultatem, & concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, non habere locum cum Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum cujusvis Instituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tàm in Provincia Hispaniæ, quàm extrà eam ubilibet constitutis, neque eis suffragari, sed ejusdem Clementis prædecessoris intentionis fuisse, quòd iidem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti essent, prout in dicti Clementis prædecessoris in simili forma Brevis desuper sub die xxiij. Novembris 1599. Pontificatus sui anno octavo, expeditis literis, quarum tenores pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Sed quia ea nonnulli Regulares abutuntur.

§. 2. Nihilominùs, sicut Nobis non sine animi nostri molestia, innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum professores prætextu Bullæ ejusdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum Confessarium hujusmodi, qui eos, ut præfertur absolvat, eligere posse prætendant, & forsan eligant, etiam ad præsens, postquàm literæ nostræ sub die xiiij. Junii 1624. Pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem Regularibus Confessarium ad effectum hujusmodi eligendi ad quinquennium tunc proximum concessa, emanatæ pridem ab anno, & ultrà expiraverunt, in maximum status, & observantiæ regularis præjudicium.

Hic Pont. eam innovat, & observari præcepit.

§. 3. Nos præmissis quantum Nobis ex alto conceditur, obviare, ac fœlici tàm eorumdem Fratrum Prædicatorum, & Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo Religiosorum, quàm omnium, & quorumcumque aliorum cujuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam speciali mentione, & nota digni utriusque sexus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium statui, atque directioni, & aliorum Christifidelium saluti consulere volentes, præfatæque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illámque tenore præsentium innovantes, ac quatenùs opus sit, ampliantes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis hujusmodi, etiam Laicis, & Clericis sæcularibus cujuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota dignæ quoad casus reservatos etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæresi excepta) contentos nonnisi in foro conscientiæ non autem in foro externo suffragatur, aliorúmque indultorum hujusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Instituti prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium, tàm Provinciæ Hispaniæ, quàm extrà eam ubilibet constitutorum locum minimè habuisse, neque habere, nec in illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo literæ nostræ hujusmodi, ut præfertur, duraverunt, si quidem die xiiij. mensis Junii 1629. proximè præteriti jàm expiraverunt, sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd iidem Fratres, & Monialis quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata, subjecti sint, earumdem tenore præsentium perpetuò declaramus.

Clausulas præservativas apponit.

§. 4. Decernentes præsentes nostras literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non posse.

Ita judicari mandat.

§. 5. Sicque, & non aliter, in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, ac Cruciatæ Commissarios, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, interpretari,

tari, ac judicari debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria aufert.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§. 7. Ut autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicari ipsasque sic publicatas, omnes, & singulos ubique existentes ità afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent.

Transumptis fidem jubet.

§. 8. Quódque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A 7. die 19. Juni.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1630. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXXXII.

Erectio Reformationis Provinciæ Sancti Salvatoris Hungariæ Ordinis Fratrum Minorum strictioris Observantiæ Sancti Francisci.

De his Fratribus vide indicata ad Constit. 133. Sacrosanctum, infrà.

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Sacrosanctum ministerium humilitati nostræ, nullo licet meritorum suffragio per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam commissum postulat, ut inter multiplices, gravissimásque Apostolicæ servitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam personæ sub suavi Religionis jugo Salvatoris, & Domini nostri obsequiis famulantes fœlicioribus in dies proficiant incrementis.

Causa hujus constitut.

§. 1. Cùm itaque sicut dilectus filius Ambrosius à Galbiato Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiæ per Germaniam Superiorem Commissarius Generalis nobis nuper exponi fecit dilecti filii Fratres Ordinis prædicti Provinciæ S. Salvatoris Hungariæ pro celebratione Capituli Provincialis congregati, se puritatem Regulæ S. Francisci, juxtà Decretum desuper à nobis aliàs emanatum, & prout dilecti etiam filii Fratres reformati nuncupati ejusdem Ordinis servant, servare vellent unanimes decreverint, proindéque Provinciam prædictam in Provinciam Fratrum Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum: per Nos modo, & forma infrascriptis erigi, & institui summoperè desiderent.

Declarat Provinciam Reformatam & subjicit Superiori gen. Italicæ nationis.

§. 2. Nos eosdem Fratres in hujusmodi eorum laudabili proposito confovere, ac specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Ambrosii eorumdem Fratrum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Provinciam prædictam in Provinciam Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Provinciis Regnorum Hispaniarum conformis, & ad illarum instar esse, necnon sub omnimoda Ministri Generalis dicti Ordinis, ac eo Italiæ Nationis, & extrà Italiam existente ejus Vicarii Generalis, necnon & Commissarii Generalis juxtà Bullam unionis electi, non autem Commissariorum Generalium ejusdem Ordinis, & Regnorum, nec superioris, vel inferioris Germaniæ.

Moderati debet sicut aliæ Prov. Reformatæ.

§. 3. Ità quòd Minister, ac Vicarius, & Commissarius Generales prædicti juxtà Bullam hujusmodi electi, nonnisi per se ipsos, aut Commissarios Ordinis Reformatorum prædictorum visitare valeant, jurisdictione, authoritate, & superioritate cujusquam Fratres juxtà declarationes fœlicis recordationis Nicolai III. & Clementis V. Roman. Pontificatus prædecessorum nostrorum vivere debeant.

§. 4. Et cùm hoc etiam, quod ex nunc Minister Provincialis Provinciæ Hungariæ hujusmodi omnem jurisdictionem, facultatem, & auctoritatem tàm in Fratres Ordinis prædicti sibi subditos, quàm circà novarum domorum ejusdem instituti in eadem Provincia fundationem; seu erectionem, aut ædificationem, necnon etiam circà Novitios, aliáque in literis Apostolicis recordationis mem. Gregorii PP. XIII. etiam prædecessoris nostri contenta, prout alii Ministri Provinciales aliarum Provinciarum Fratrum ejusdem Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum in omnibus, & per omnia habeant, & tàm ipsi, quàm singularum domorum dictæ Provinciæ Fratrum, Minorum S. Francisci Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum Hungariæ Superioris, necnon singulares eorum, & cujuslibet illarum personæ omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, concessionibus, favoribus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, quibus alii hujumodi Ministri Provinciales, & illarum domorum regularium superiores, & singulares personæ, uti, frui, potiri, & gaudere solent, ac possunt, & poterunt quomodolibet pariter, & pariformiter, ac æquè principaliter sine ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere possint, & valeant.

§. 5. Quódque nunc, & pro tempore existens Minister Generalis prædictus, aut visitatores ab eo etiam pro tempore mittendi statuta, constitutiones, & Ordines ejusdem Provinciæ Hungariæ, illiúsque domorum regularium hujusmodi, nisi de consensu majoris partis fratrum vocalium dictæ Provinciæ Hungariæ in eorum Capitulis Provincialibus præstando alterare, vel immutare, aut eosdem Fratres ab eorum modo vivendi, dummodò juxtà easdem declarationes vivant disturbare.

§. 6. Necnon quòd Fratres ejusdem Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupati infrà limites ejusdem, seu alterius Provinciæ existentis collectas, seu quæsturas ad domos regulares ejusdem Provinciæ Reformatorum Discalceatorum Hungariæ spectantes exceptis eis à Fratribus Provinciæ dictæ Hungariæ in dicto eorum Capitulo Provinciali forsan concedendis occupare, aut eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciæ Hungariæ hujusmodi desuper perturbare nullo unquàm tempore possint, nec valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus.

§. 7. Et insuper eidem Ministro Generali, Ministrum Provincialem, Custodem, & Diffinitores dictæ Provinciæ Hungariæ creare, & eligere, cæteráque omnia, & singula in præmissis, & circà ea necessaria, & quomodolibet opportuna etiam si talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem specificam individuam, & expressam requirerent mentionem facere, dicere, ordinare, & exequi liberè, & licitè possit, & valeat, plenam, liberam, & amplam, auctoritate & tenore præsentis concedimus, & impartimur licentiam, & facultatem.

§. 8. Ità tamen, ut Fratres Provinciæ hujusmodi Constitutionibus, & ordinationibus in Capitulo, seu Congregatione generali factis, quæ strictiori observantiæ non adversentur subjacent, ad illarúmque observationem omninò teneantur.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentes Provinciam per præsentes erectam, & institutam hujusmodi decretis, & declarationibus à Nobis, & Rom. Pont. prædecessoribus, & successoribus nostris pro reformationibus, & custodiis Italiæ emanatis, seu emanandis nullatenùs subjectam, & comprehensam esse, vel fore, ac Provincialem, Custodem, & Diffinitores, aliosque Superiores, & Fratres Provinciæ, per præsentes erectæ, & institutæ à quoquam, quavis etiam Archiepiscopali, aut Episcopali, vel etiam majore auctoritate fungente desuper molestari, inquietari, perturbari, aut impediri non posse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & deffiniri debere, irritum quoque, & inane quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, illiúsque Provinciarum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, & Provinciis, illiúsque & illarum Superioribus, & personis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis dictis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 7. die 15 Septembris.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Septembris 1629. Pontificatus Nostri anno septimo.

CXXXIII.

Erectio unius Congregationis Fratrum Discalceatorum Reformatorum Ordinis SS. Trinitatis Red. Capitivus in Regno Franciæ.

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Aliàs à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet. *Urbanus Octavus, Papa. Ad perpetuam rei memoriam.* Ad militantis Ecclesiæ regimen divina dispositione, meritis licèt imparibus evecti, illud Nobis præ cæteris curandum proposuimus, ut Ecclesiasticorum, & Religiosorum Ordines quoscumque ad pristini regularis cujuscumque eorum instituti normam, à qua non parùm deflexerunt, quantum in Domino possumus reduceremus. Ac propterea, qui sua sponte Religionis, ac arctioris vitæ zelo ducti pristinæ Regulæ, quam suæ religionis Auctores instituerunt observantiam cum antiquo illo rigore amplecti, ac de cætero sectari consueverunt, eosdem, non solùm in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis gratiis, & favoribus libenter prosequi solemus.

Causa huius constit.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus nonnulli pii, & Religiosi Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum professores Regni Franciæ piè considerantes prædictum Ordinem, qui à fœlicis recordationis Innocentio Papa Tertio prædecessore nostro institutus, & confirmatus fuit, prout in ejus litteris, sub dato in Laterano quinto Idus Februarii, Pontificatus sui anno primo, expeditis continetur, temporum injuria, & hominum tepiditate à primi ejus instituti regularis observantia deflexisse, & laxiorem vivendi modum suscepisse, & adhuc retinere, ac propterea divina inspirante gratia arctioris vitæ zelo ducti primùm dicti Ordinis regulare institutum imitari cupientes, postpositis quibuscumque corporis commoditatibus, dummodò Christum lucrifacerent pristinam ipsius Ordinis Regulam à prædicto Innocentio prædecessore institutam cum pristino illo rigore observare cœperint, & nonnullas ejusdem Ordinis Domos ad hujusmodi primitivam Regulam reduxerint, videlicet, Sancti Dionysii de Urbe, Sancti Laurentii Aquensis, & sanctissimæ Trinitatis Nanetensis, seu de novo instituere sperent, ac alii quamplures eorum vestigia sectantes sub eadem primitivæ Regulæ observantia Altissimo famulari desiderent.

§. 2. Nos qui pro nostri pastoralis officii debito Religiosorum quorumcumque statui prosperè dirigendo libenter intendimus pium dictorum Religiosorum propositum summoperè in Domino commendantes, ac eorum laudabilia principia fœlicioribus progressibus quantum cum Domino poterimus augere cupientes, & eorum quemlibet à quibuslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ex venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Episcoporum, & Regularium negotiis, & consultationibus deputatorum, quibus hoc negotium examinandum, & Nobis referendum commisimus sententia.

§. 3. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apost. potestatis plenitudine unam Provinciam, seu Congregationem Fratrum Reformatorum, & Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum nuncupandam, qui primitivam regulam Ordinis prædicti perpetuò observent, habitu, quem modo gestant, utentes, in Regno Franciæ per unum Priorem Provincialem in Capitulo dictæ Provinciæ, seu Congregationis, postquàm ut in Domino speramus, eorumdem Religiosorum Reformatorum numerus auctus fuerit canonicè pro tempore celebrando, ex eisdem Reformatis, & Discalceatis eligendum regendam, & gubernandam in perpetuum auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, & instituimus, eámque sic erectam, & institutam ab aliis Provinciis, & Congregationibus dicti Ordinis perpetuò sejungimus, separamus, & dismembramus, ipsósque Fratres Reformatos, & eorum Domos, & Monasteria, tàm hactenùs erecta, quàm in posterùm erigend. ab omni, & quacumque jurisdictione, visitatione, & superioritate, tàm Commissarii Generalis, quàm aliorum Ministrorum Provincialium, aut localium, & aliorum quorumcumcumque Superiorum ejusdem Ordinis super dictis Reformatis, & eorum Domibus eis competente, excepto Ministro Generali, ut infrà dicitur, perpetuò eximimus, & liberamus. Concedit prout in sub.

§. 4. Ipsámque tamen Provinciam, seu Congregationem Fratrum Reformatorum Discalceatorum, ejúsque Domos, & Monasteria præsentia, & futura, sub obedientia, & superioritate Ministri Generalis totius Ordinis prædicti, sicut aliæ Provinciæ ejusdem Ordinis ei subsunt, & subjacent, perpetuò subesse, atque subjectam remanere, & subjacere volumus, qui per se ipsum tantum vel alium virum idoneum ex ipsis tamen Fratribus Reformatis ab eo eligendum, eos, juxtà eorum primitivam regulam, & instituta regularia visitare, reformare, corrigere, & punire possit in Monasteriis, tamen Domibus, & locis eorumdem Fratrum Reformatorum, extrà quæ nullatenùs Subjicit provin. Min. Generali.

dicti

dicti Fratres Reformati, vel aliqui eorum ab eodem Ministro Generali quovis prætextu, vel occasione amoveri, assignari, mutare, extrahi, aut transferri, vel ad alias Provincias mitti, aut in eis retineri possit, nec ipse Minister Generalis aliqua ejusdem Ordinis Fratrum Reformatorum statuta auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, seu confirmanda, vel quæ ipse Nuncius nunc fecerit, vel quæ posteà à quocumque Capitulo Provinciali dictorum Fratrum Reformatorum facta fuerint, si auctoritate nostra, ut dictum est, fuerint confirmata mutare, nec aliquas gratias, exemptiones, aut privilegia alicui, vel aliquibus adversus ipsa statuta concedere valeat.

[...tur annus pr]obationis [...] delibera[tio]nis.

§. 5. Quia verò nonnulli prædicti Fratres Reformati ex prædicto Ordine Regulæ modificatæ, quam professi olim fuerunt sunt assumpti volumus, & mandamus, ut his, & aliis, qui ut dictum est ex Conventibus dictam primitivam regulam non profitentibus ad hos Reformatos in posterùm recipientur anni spatium concedatur loco probationis, intrà quem si qui prædicti instituti, vitæque austeritatem tolerare non possint ad priores Conventus reverti liceat, & si Reformati sibi minùs expedire eorum societatem existimaverint missos facere valeant; post annum verò elapsum quod ad experimentum, periclitationémque conceditur, sine nova professione nulli Fratrum Reformatorum hujusmodi liceat ad aliam religionem, neque etiam ad ullam aliam ejusdem Ordinis Provinciam, aut Congregationem dictam primitivam Regulam non profitentem absque apostasiæ nota transire.

[E]xaminandi [su]nt.

§. 6. Ut autem in hujusmodi Monasteriis ij tantummodò admittantur, qui ad onera supradictæ primitivæ Regulæ supportanda habiles, & idonei futuri sint, Dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis in eodem Regno Franciæ Nuncio nunc, & pro tempore existenti per præsentes committimus, & mandamus quatenùs aliquem Religiosorum ex Fratribus Ordinis Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmelo, aut alicujus alterius Ordinis Mendicantium Reformati, pietate, & prudentia, doctrina, & experientia, ac in primis religionis zelo præstantem, quem ad hoc munus magis aptum, & idoneum judicaverit in Visitatorem prædictorum Fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis eligat, qui Monasteria prædictorum Fratrum Reformatorum personaliter visitare, & in singulorum Fratrum prædictorum, qui hujusmodi primitivæ Regulæ observantiam amplexi sunt, vitam, mores, & qualitates diligenter inquirat, ac eorum quos verè arctioris vitæ zelo ductos ad hanc primitivæ Regulæ normam transire judicaverit, professionem per eos, ut suprà dictum est, emittendam recipere curet; cæteros verò quos minùs idoneos, & aptos esse compererit, ut habitum Fratrum Reformatorum dimittant, & ex eorum Domibus exeant, & ad modificatæ regulæ prædictæ Domos revertantur Auctoritate nostra, etiam sub excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogat, & compellat.

[E]dantur statuta.

§. 7. Præterea, idem Nuncius cum consilio prædicti Visitatoris, ac aliorum piorum, & eruditorum virorum dictorum Ordinum Discalceatorum Carmelitarum, aut alicujus alterius Ordinis Mendicantium Reformati, & etiam ex ipsismet Reformatis Ordinis SS. Trinitatis Statuta, & Constitutiones pro fœlici dictæ Provinciæ Reformatorum, ejúsque Domorum, & Monasteriorum gubernio primitivæ Regulæ prædictæ, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adversantes auctoritate nostra faciat, & observari mandet.

[I]nstituantur Mag. Novi[t]iorum.

§. 8. Ministros insuper Domorum Vicarios, & Magistros Novitiorum, tàm ex prædictis Reformatis, si alioquin idonei fuerint, quàm etiam in supplementum ex dictis Carmelitis, aut alicujus alterius Ordinis Mendicantium Reformati, prout fœlici hujus novæ Provinciæ progressui in Domino magis expedire judicaverit eadem auctoritate nostra eligat. Dantes, & concedentes eidem Nuncio, & ab eo deputando Visitatori prædicto; aut alii, vel aliis, quos idem Nuncius ad hoc semel, aut iterùm, ut præmittitur, duxerit deputandos respectivè, tàm præmissa faciendi, quàm etiam Domos, seu Monasteria ejusdem primitivæ regulæ visitandi, ac Ministris, seu aliis eorum Superioribus, ut eos, qui relicto sæculo ad prædictam Religionem confugere divina inspirante gratia statuerint, & alios, qui ex prædicto Ordine modificatæ regulæ Ordinis SS. Trinitatis, aut ex aliis laxioris tamen regulæ Ordinibus ad prædictum Reformatorum Ordinem transire voluerint, servatis servandis, admittere possint, concedendi, dummodò quoad eos, qui ex aliis Ordinibus ad hunc transitum facere voluerint, major pars vocalium Domus in qua recipiendi erunt in illum consentiat, & Visitatoris prædicti licentia accedat, & nihilominùs integrum Novitiatus annum, prout alii de novo recipiendi, antequàm professionem emittant perficiant.

§. 9. Postquam autem benedicente Dominò prædictorum Fratrum Reformatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis numerus creverit, ita ut prædictorum externorum Religiosorum auxilio non indiguerint, & octo saltem Domos, seu Monasteria habuerint, in quorum singulis duodecim saltem Fratres Reformati hujusmodi existant prædictus Nuncius eos ad Capitulum celebrandum convocari faciat, & in dicto Capitulo ipse præsideat, & tàm Visitator, quàm Ministri, & eorum Procuratores canonicè electi vocem, & locum habeant, ac Ministrum Provincialem, cæterósque Ministros Domorum ex eisdem Fratribus Reformatis, juxtà præsentium tenorem, & regularia ejusdem Ordinis instituta eligant; ipse verò Minister Provincialis primò electus auctoritate nostra prædicta ea vice dumtaxat ab ipso Nuntio confirmetur, & tàm ipse, quàm ejus successores eamdem Provinciam Fratrum Reformatorum, salva semper Ministri Generalis tàm in ipsam Provinciam; quàm in eumdemmet Ministrum Provincialem pro tempore eligendum, ut suprà dictum est superioritate, ità ut visitandi, regendi, & gubernandi; plenam; & omnimodam habeat potestatem.

Ad Capitulum convocentur.

§. 10. Cæteri autem Ministri Provincialem pro tempore in Capitulis Provincialibus, quæ de triennio in triennium tàm pro statutis faciendis moderandis, aut ex causa abrogandis, quàm electionibus Superiorum, & aliis ad bonum regimen ejusdem Provinciæ pertinentibus faciendis, & ordinandis celebrari debeant; eligendi à Ministro Generali confirmationem quamprimùm petere, ac obtinere curabunt; Statim tamen, ac electi fuerint prædictam auctoritatem habeant, & exercere possint.

Provinciales confirmentur Min. Generali.

§. 11. Concedimus quoque eidem Provinciæ ut cum crescente numero Domorum, & Fratrum prout suprà dictum est Provincialem elegerit, Procuratorem Generalem apud Sedem Apostolicam pro ejusdem Provinciæ negotiis tractandis deputare, & perpetuò retinere valeant.

Habeat Procuratorem Generalem.

§. 12. Præterea, omnibus & singulis dictæ Provinciæ personis nunc, & pro tempore existentibus, quod omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & indulgentiis, exemptionibus, & immunitatibus, prærogativis, favoribus, & indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, quibus Fratres dicti Ordinis de jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum decretis Sacri Concilii Tridentini, Constitutionibus Apostolicis, ac primitivæ

Gaudeant privileg.

regulæ

regulæ prædictis non contrariis uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant indulgemus.

Prohibitio, ne molestentur.

§. 13. Inhibentes Ministro Generali Ordinis sanctissimæ Trinitatis Commissario Generali, Ministris Provincialibus, & Localibus, & aliis quibuscumque dicti Ordinis Superioribus, ne per se, aut alios prædictos Reformatos ejusdem Ordinis, aut etiam Visitatores prædictos, aut super præmissis quoquo modo molestare, aut inquietare audeant, vel præsumant, etiam si nondùm professionem prædictam Regulæ primitivæ emiserint, quod si secùs fecerint eos, & eorum singulos excommunicationis sententia ipso facto incurrenda innodamus, dicti verò Reformati nullo modo parere, aut deferre teneantur, salva tamen in reliquis obedientia dicti Ministri Generalis, cui eos perpetuò subjectos esse, & subjacere volumus, ut dictum est.

Decretum irritans.

§. 14. Decernentes præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu, etiam ex eo, quòd omnes interesse habentes forsan vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede emanatis, & in posterùm emanandis comprehendi posse, sed alias semper validas, & efficaces existere, suósque plenarios, & integros effectus sortiri debere, sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 15. Quocircà eidem moderno, & pro tempore existenti in d. Regno Franciæ Nuntio, ac venerabilibus Fratribus modernis Episcopis Senonensi & Lingonensi per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Reformatorum prædictorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos auctoritate nostra præmissis omnibus, & singulis, juxtà præsentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper Ministrum Generalem, aliósque prædictos quomodolibet indebitè molestari contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac aliis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis prædictis, vel quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibúsque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, benefici a, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæquis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenorem præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis credi jubet.

§. 17. Cæterùm, quia difficile foret earumdem præsentium litterarum notitiam ad quascumque personas pervenire, & ubique alias præsentare eadem auctoritate, volumus, & decernimus quatenùs transumptis earumdem præsentium litterarum manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Septembris 1629. Pontificatus nostri anno septimo.

Confirmatio executionis.

§. 18. Cùm autem sicut pro parte dictorum Fratrum Nobis denuò expositum fuit, præinsertæ litteræ hujusmodi multis, ac diversis in locis à se invicem distantibus executioni demandandæ sint prædictus verò noster, & Apostolicæ Sedis Nuntius ob continuas, quibus detinetur, occupationes ad loca hujusmodi se transferre nequeat, exindéque fiat, earumdem litterarum executio, non solùm retardetur, verùm etiam omninò impediatur. Nobis propterea iidem Fratres humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur litteras prædictas debitæ executioni, ut par est damnari cupientes, ac Fratres prædictos amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari. De Venerab. Fratrum nostrum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio attentis narratis executionem præinsertarum litterarum nostrarum Nuntio prædicto, præfertur demandatam dilecto filio nostro Ludovico Alphonso S. R. E. Presbytero Cardinali Lugdunensi nuncupato, Ecclesiæ Lugdunensis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli, ejúsque in Archiepiscopatu prædicto pro tempore successoribus, cum facultatibus, & auctoritatibus, ac aliàs modo, & forma in eisdem præinsertis litteris contentis, & expressis dicta auctoritate tenore præsentium committimus & demandamus. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in eisdem litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A & die 27. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Februarii 1631. Pontificatus nostri anno 8.

CXXXIV.

Taxa redditum exigendorum pro Clericis alendis in Seminario Romano denuò præscripta.

Alumnorum Seminarium materiam lege in Constitut. 9. Clem. VIII. tom 3. ubi videbis quid dicti Alumni gerere debeant circà pietatem, precationes, virtutes studium orationis, & literarum custodiam.

URBA-

Edita A. D. 1629.

URBANUS VIII. PAPA.

URBIS.

Confirmatio applicationis, seu assignationis annuorum reddituum, pro Manutentione, seu subventione Seminarii, in Urbe erecti.

§. 1.

Refert Taxam factam a Pio IV.

MOtu proprio &c. Cùm sicut nobis innotuit, pridem fœl. rec. Pius IV. Papa prædecessor noster, pro perpetua Seminarii puerorum Ecclesiastici, per eum in Urbe, Apostolica auctoritate erecti, & instituti, nec non illius, ejúsque Rectoris, & Alumnorum, aliorúmque Ministrorum, pro illius servitio necessariorum, sustentatione, annuam, & perpetuam pecuniariam Collectam, seu Taxam, super diversorum Urbis, & illius districtus Monasteriorum, seu aliorum Regularium, diversorum ordinum locorum, necnon ejusdem Urbis Basilicarum, Mensarum Capitularium, ac aliarum cum cura, & sine cura, Ecclesiarum, ac Beneficiorum, & Capellaniorum, fructibus, distinctè impositam, & repartitam, ac per Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum hujusmodi, Abbates, seu alios Superiores, aut perpetuos Commendatarios, vel alios Administratores, quavis auctoritate, & dignitate, etiam Cardinalitia fulgentes, necnon Basilicarum, & aliarum Collegiatarum, Capitula, cæterarúmque Ecclesiarum, cum cura, & sine cura, hujusmodi Rectores, ac perpetuos Beneficiatos, & Capellanos, Beneficia, & Capellanias hujusmodi pro tempore obtinentes, annis singulis, in certis tunc forsan expressis terminis, ipsius Seminarii Rectori, aut ejus Ministris, vel Procuratoribus pro rata quemlibet tangente, integrè, juxtà normam, seu ordinem impositionis, Taxæ hujusmodi desuper emanatam tenoris sequentis, videlicet.

Taxa imposita à Pio IV.

§. 2. Nota Monasteriorum Capitulorum, Parochialium, Capellarum, & Ecclesiarum, quæ manutentioni Clericorum Seminarii Romani contribuere debent. Monasterium Criptæferratæ, scuta 150. Monasterium Farfenn. sc. 150. Monasterium Sublacenn. sc. 250. Monasterium S. Gregorii sc. 85. Monasterium Triumfontium sc. 200. Monasterium S. Laurentii sc. 60. Capitulum S. Mariæ Majoris sc. 130. Capitulum S. Petri in Vaticano sc. 1300. Capitulum S. Joannis Lateranenn. scut. 218. Capitulum S. Laurentii in Damaso scut. 132. Capitulum S. Mariæ in Transtiberim sc. 66. Capitulum S. Mariæ Rotundæ scut. 15. Capitulum S. Mariæ in Vialata sc. 107. bai. 40. Capitulum S. Marci sc. 15. bai. 75. Capitulum S. Nicolai in Carcere sc. 12. Capitulum S. Eustachii sc. 63. bai. 50. Capitulum S. Angeli in foro piscium sc. 27. bai. 50. Capitulum SS. Juliani & Celsi sc. 38. bai. 50. Capitulum S. Anastasiæ sc. 10. Capitulum S. Mariæ in Cosmedin sc. 38. bai. 50. Capitulum S. Laurentii in Lucina scut. 11. Parochialis Ecclesia S. Mariæ in Postierla sc. Parochialis Ecclesia S. Blasii della Fossa sc. 6. Parochialis Ecclesia S. Salvatoris dell Cupelle scut. 5. Parochialis Ecclesia S. Stephani in Piscinola scut. 10. Parochialis Ecclesia S. Andreæ de Funaris scut. 4. Parochialis Ecclesia S. Mariæ in Vallicella scut. 6. Parochialis Ecclesia S. Salvatoris in Primicerio scut. 5. Parochialis Ecclesia SS. Simonis, & Judæ sc. 6. Parochialis Ecclesia S. Nicolai in Navona sc. 7. Parochialis Ecclesia S. Agnetis in Navona sc. 10. Parochialis Ecclesia S. Blasii de Annulo sc. 5. Parochialis Eccl. S. Salvatoris de Curtibus sc. 5. Parochialis Ecclesia S. Mariæ in Grotta pinta sc. 12. bai. 50. Parochialis Ecclesia S. Simeonis sc. 5. Parochialis Ecclesia S. Cæciliæ in Monte Jordano sc. 4. bai, 50. Parochialis Ecclesia S. Thomæ in Parione sc. 4. bai. 50. Parochialis Ecclesia S. Joannis in Ayna sc. 4. bai. 50. Parochialis Ecclesia S. Mariæ in Cacaberis sc. 4. Parochialis Ecclesia S. Laurentii in Monte sc. 4. Parochialis Ecclesia S. Joannis de la Pigna sc. 5. Parochialis Ecclesia S. Blasii ad Scalas Campitelli in Aracæli sc. 4. bai. 50. Parochialis Ecclesia S. Salvatoris in pede Pontis scut. 4. Parochialis Ecclesia S. Benedicti alla Regola scut. 5. Parochialis Ecclesia S. Sebastiani della Valle scut. 5. Parochialis Ecclesia S. Maria in Publiculis scut. 5. Parochialis Ecclesia S. Martinelli sc. 7. Parochialis Ecclesia S. Blasii della Tinta scut. 7. Parochialis Ecclesia S. Leonardi in Judæa scut. 2. Parochialis Ecclesia S. Mariæ in Campitelli sc. 2. Parochialis Ecclesia S. Martini in foro Boario sc. 7. Parochialis Ecclesia S. Mariæ de Curtis sc. 5. Capella Sancti Pauli in S, Maria in Campitello scut. 25. Cappella S. Luciæ in S. Cæcilia in Monte Jordano sc. 3. bai. 51. Capella S. Andreæ ad Columnam in Sancta Maria in Via sc. 2. bai. 25. Cappella SS. Petri, & Pauli in S. Angelo in foro Piscium sc. 2. bai. 50. Cappella SS. Laurentii & Antonii in S. Stephano del Cacco sc. 2. Monasterium Monialium Turris Speculorum sc. 2. Cappella in S. Maria Rotunda sc. 2. Cappella Sanctissimæ Trinitatis in S. Eustachio scut 2. Cappella SS. Pater Mutii, Coprete, & Alexandri in S. Maria in Vallicella sc. 4. Cappella S. Nicolai in S. Maria in Campitello scut. 7. bai. 50. Cappella S. Joannis Baptistæ in S. Barbara scut. 2. Cappella S. Nicolai in S. Maria in via lata sc. 1. bai. 80. Cappella S. Nicolai in Monte in S. Marco sc. 4. Cappella S. Mariæ Magdalenæ in S. Joan. Laterann. sc. 25. Cappella SS. Philippi, & Jacobi in S. Laurentio in Lucina scut. 7. Cappella S. Joan. Baptistæ, & S. Luciæ in S. Celso sc. 4. Cappella SS. Sergii & Bacchi in S. Adriano sc. 4. Cappella S. Mariæ Innocentii VIII. Papæ in S. Petro in Vaticano sc. 12. Cappella S, Petronillæ in S. Petro in Vaticano sc. 5. Cappella S. Marci in S. Petro in Vaticano sc. 10. Cappella S. Nicolai in S. Eustachio sc. 1. bai. 50. Cappella S. Francisci in S. Marco. sc. 1. bai. 50. Cappella S. Cæciliæ in S. Maria de Planctu scut. 2. bai. 25. Cappella S. Joannis in S. Laurentio in Lucina sc. 1. bai. 5. Cappella S. Mariæ Magdalenæ in S. Angelo in foro Piscium sc. 1. bai. 50. Cappella Sanctissimæ Nativitatis in S. Celso sc. 2. bai. 20. Cappella S. Annæ, & Conceptionis B. Mariæ Virginis in S. Laurentio in Damaso scut. 2. bai. 50. Capella Sanctissimi Crucifixi in S. Laurentio in Damaso sc. 2. Cappella S. Joannis Baptistæ in S. Laurentio in Lucina sc. 1. bai. 50. Cappella S. Luciæ in S. Laurentio in Damaso scut. 2. Capella, S. Mariæ Misidianæ in S. Celso scut. 2. Cappella S. Margaritæ in S. Laurentio in Damaso sc. 2. Ecclesia S. Joannis in Campo scut. 10. Cappella B. Virginis, & S. Laurentii in S. Angelo in foro Piscium sc. 3.

Tempora solutionum.

§. 3. Quoad S. Petri, & S. Mariæ in via lata Capitula, in tribus solutionibus distinctis, videlicet quoad S. Petri in qualibet Resurrectionis Dominicæ pro secunda, & Assumptionis B. Mariæ pro quarta, & in qualibet Nativitatis Dominicæ festivitatibus pro reliquorum septingentorum scutorum summis, Ratæ, Collectæ, seu Taxæ hujusmodi, & idem Capitulo S. Petri tangenn. & quoad Capitulum S. Mariæ in via lata hujusmodi in tribus æqualibus solutionibus, nempè in eisdem Festivitatibus Ratæ, impositionis, Collectæ, seu Taxæ hujusmodi ipsum tangenn. Quo verò ad Monasteria, & aliarum Collegiatarum Capitula, & Parochialium, & aliarum Ecclesiarum præfatarum, Rectores, ac Cappellanos, & Capellanias superiùs expressas, seu alia beneficia hujusmodi, pro tempore quomodolibet obtinentes, in duabus æqualibus solutionibus Ratæ quemlibet tangenn. pro una videlicet in Domini Nostri JESU CHristi, & altera medietatibus Ratæ quemlibet tangenn, hujusmodi in B. Joannis Baptistæ Nativitatum festivitatibus, integrè perpetuis futuris temporibus persolvendis imposuerit.

Seminarii administratio, & cum com-

8. 4. Ipsúmque Seminarium sic erectum, & institutum Curiæ, Regimini, & Administrationi,

Præ-

missa Vicario Urbis, & Societ. Jesu Generali &c.

Præpositi Generalis, & Presbyterorum Societatis Jesu, & sui, ac Romani Pontificis pro tempore existentes in dicta Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis, tutelæ, patrocinio, & protectioni commiserit.

Deputatio Commissarii pro exactione Taxæ factæ à Pio V.

§. 5. Et subindè piæ mem. Pius V. Papa similiter prædecessor noster, ipsius Seminarii indemnitati consulere cupiens, & ut faciliùs annuæ Collectæ, & Taxæ hujusmodi eidem Seminario pro tempore debitæ, faciliùs exigerentur, bon. mem. Jacobo, dùm vixit, Titulo S. Mariæ in Cosmedin, Presbytero Cardinali Sabello nuncupato, tunc suo in Urbe, & ejus districtu in eisdem spiritualibus Vicario, licentiam, & facultatem unum, vel plures Commissarios ad exactionem Collectæ, seu Taxæ hujusmodi, & pecuniarum illius occasione tunc debitarum, & in futurum quandocumque dependarum, ab illarum debitoribus etiam Episcopis, & S. R. E. Cardinalibus, Abbatibus, & aliis quarumcumque Ecclesiarum, & Monasteriorum, Prælatis, seu Commendatariis, aut aliis Administratoribus, necnon Basilicarum, aliarúmque Collegiatarum, Capitulis, & aliis quibuscumque, etiam de necessitate exprimendis, cum facultatibus amplissimis ad id necessariis, deputandi Motu simili concesserit, prout in diversis decretis, seu aliis scripturis desuper confectis pleniùs dicitur contineri.

Confirmatio rerum omnium prædictarum ab Urbano Papa VIII.

§. 6. Nos decretorum, seu scripturarum desuper confectarum hujusmodi tenore, etiam veriores, præmissis tamen minimè contrarias, ac dat. præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ac hujusmodi Seminarii manutentioni, ac fœlici progressui in præmissis opportuna ratione consulere volentes, Motu simili, non ad alicujus nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, Collectam, seu Taxam, vel Assignationem præfatas, prout in prædicta nota continetur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, illísque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnésque & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui forsàn desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Prædicti omnes ad solutionem Taxæ tenentur.

§. 7. Decernentes omnium, & singulorum Monasteriorum, Abbates, seu Commendatarios, aut alios Administratores, necnon Basilicarum prædictarum, aliarúmque Ecclesiarum Capitula, ac singulas Ecclesias, ac Cappellanias præfatas nunc, & pro tempore quomodolibet in titulum, Commendam, aut alias obtinentes, quavis etiam Episcopali, vel Cardinalitia, aut alia quavis auctoritate, & dignitate præfulgentes.

Pro unitis etiam, suppressis, incorporatis, &c. solvendum.

§. 8. Necnon Ecclesiarum, seu Mensarum Capitularium, aut aliorum locorum piorum quibus forsàn aliqua ex Monasteriis, Ecclesiis, Cappellaniis, seu aliis beneficiis præfatis, etiam prævia illorum perpetua suppressione, & extinctione concessa, aut etiam unita, annexa, & incorporata, vel etiam eorumdem Monasteriorum, Mensarum Capitularium fructus in toto, vel in parte, etiam per viam dismembrationis, seu aliàs Apostolica, vel alia Canonica auctoritate applicati, & appropriati fuerunt, Capitula, Rectores, seu Administratores, nunc, & pro tempore existentes, ad integram solutionem, Taxæ, seu Collectæ hujusmodi pro rata eorumdem fructuum illis, ut præfertur, unitorum, & incorporatorum, seu aliàs applicatorum, & appropriatorum à die, qua singulæ uniones, annexiones, & incorporationes, aliæque applicationes suum sortitæ fuerunt effectum, & aliàs, juxtà formam notæ, impositionis, Taxæ, seu Collectæ hujusmodi, ejusdem Seminarii Rectori, seu illius Agentibus, vel Ministris, debitis, & consuetis locis, & temporibus faciendam, efficaciter teneri, ac omninò obligatos esse, & fore.

Facultates Vicarii circà executionem solutionum

§. 9. Ac eos eorúmque singulos à præfatæ Urbis Vicario, seu Seminarii Rectore, vel aliis Ministris præfatis, à Vicario hujusmodi deputatis, omnibus, & singulis juris, & facti remediis necessariis, & opportunis, Manu regia, ac sine figura, & strepitu judicii, etiam per fructuum hujusmodi sequestrationem, appellatione postposita, cogi, & compelli posse, sic &c.

Clausula sublata.

§. 10. Quæ & non alias per quoscumque Judices, &c. etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios sublata, &c. judicari, & definiri debere, irritúmque &c. attentari &c.

Decretum irritans.

§. 11. Quocircà dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & Romani Pontificis, etiam pro tempore existentis, in Urbe, ejúsque districtu Vicario in spiritualibus Generali, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipse si, & postquàm præsentes sibi præsentatæ fuerint, per se, vel per alium, seu alios, easdem præsentes, & in eisdem contenta quæcumque, quandocumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris ejusdem Seminarii pro tempore existentis, fuerit requisitus, solemniter publicant. eisque, ac eorum singulis in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra præsentes, & in eis contenta quæcumque, per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter observari, & per singulorum Monasteriorum præfatorum Abbates, seu perpetuos Commendatarios, aut alios Superiores, ac Ecclesiarum Capitula, Rectores, & Capellanias præfatas, pro tempore quomodolibet obtinentes, quavis auctoritate, vel dignitate, etiam Cardinalitia, fulgentes, omnes & singulas pecuniarum præstationes prædictas, aut illarum ratas pro tempore debitas, Manu regia, & sub censuris, & pœnis sibi benevisis, integrè persolvi, necnon ejusdem Seminarii Rectorem pro tempore existentem, ejusdémque Seminarii Alumnos, cæterásque illius personas, præsentibus pacificè frui, & gaudere.

Sub censuris & pœnis.

§. 12. Non permittentes ipsos, vel eorum quempiam desuper per quoscumque, contrà eorumdem præsentium formam, & tenores indebitè molestari, perturbari, vel inquietari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Contradictores appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, servata forma Concilii Tridentini aggravando, invocato ad hoc si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon in Synodalibus, Provincialibúsque & universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon singulorum Monasteriorum, ac singularum Ecclesiarum præfatarum, etiam juramento &c. roboratis statutis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis illis, illorúmque Abbatibus, Commendatariis, Capitulis, & Canonicis, aliísque Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus, vel aliis decretis in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessis, quibus omnibus etiamsi de illis &c. eorum tenoris &c. latissimè hac vice, dumtaxat specialiter & expressè Motu pari derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Subscriptio S. D. N.

Fiat Motu proprio M.

Clausulæ facultativæ.

§. 14. Et cum absolutione à censuris ad effectum &c. & quod singularum litterarum, seu decretorum, aliarumvè scripturarum prædecessorum prædictorum tenores, præmissis tamen minimè contrarii, habeantur pro expressis, vel in toto, vel

in parte

in parte exprimi possint, & de perpetuis approbatione, confirmatione, roboris adjectione, defectuum suppletione, decreto, derogatione, aliisque præmissis latissimè exten.

la Signatu. sufficiant.

§. 15. Et quòd præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominatione qualibet nuncupat. invocat. annexorum, aliorúmque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis, seu si videbitur, sola præsentium signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà, Regula quacumque contraria non obstantibus.

des adhi- atur tran- mptus.

§. 16. Cum decreto quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu ipsius Vicarii subscriptis, & sigillo ejusdem Vicarii, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus ubique in judicio, & extrà illud fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

egulares, & ii obtinen- s hujusmo- beneficia ita, ad Ta- m illorum neantur.

§. 17. Et cum alio decreto quòd quæcumque Ecclesiæ, tàm sæculares, quàm cujusvis Ordinis Regulares, aut Capitula, Conventus, vel Collegia quibus aliqua ex beneficiis, sive Ecclesiis in præfata Taxa comprehensis, prævia eorum suppressione unita, seu eorum fructus &c. etiam pro erectione Canonicatuum, & præben. vel novorum titulorum beneficiorum, seu assignatione quotidianarum distributionum applicati fuerunt, vel in posterum uniri, vel applicari contigerit, ad Taxæ contributionem, & solutionem Seminario hujusmodi facien. teneantur, & ad id per Vicarium præfatum omnibus juris, & facti remediis cogi, & compelli possint, & debeant.

Fiat. M.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Sexto Kal. Septembris Anno Septimo.

XXXV

Erectio Montis Vacabilis subsidii nuncupat.

Materiam subsidii latè videre poteris in Const. 39. Pauli III. Decens, tom. 1. item in Constit. 20. Pauli IV. Cupientes, tom. 1. & Pauli V. Const. 11. In maximis tom. 3. Revocationem verò exemptionum à solutione subsidii triennalis vide in Constitut. 2. Sixti V. Inter, varias tom. 2.

lita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram Rei memoriam.

usa hujus nstitut.

§. 1. IMpensarum moles quas his durissimis, & difficillimis temporibus pro defensione, & conservatione Status nostri Ecclesiastici facere cogimur, Nos impellit, ut pecuniam, unde quaquam habere potest, pro imminentibus Sedis, & Cameræ nostræ necessitatibus, & ad ea gerenda, quæ pro ejusdem Sedis, & prædicti Status nostri beneficio necessaria videntur assiduè cogitamus, colligere, & comparare, ut eam paratam, in ipsis necessitatibus habeamus, idque minori, quo possimus subditorum nostrorum, & ipsius Cameræ incommodo, & detrimento facere studeamus. Ideò unum Montem Vacabilem, ex quo opportuna pecuniæ vis colligi possit super augmento, seu subsidio Julii unius pro quolibet Cado Vini, quod ad Urbem ex circumvicinis Civitatibus, & locis asportatur, pro annuis scutis viginti duobus millibus monetæ dilectis filiis Joanni Baptistæ, & Fratribus de Gallis locat. & alio augmento seu subsidio duarum ex tribus partibus quadrantis super qualibet libra Carnis, quæ in Urbe venditur, ad annua scuta 25. millia ascenden. per Nos imposit. & auctis, aliisque dictæ nostræ Cameræ introitibus erigere deliberavimus.

§. 2. Motu igitur proprio, ac ex certa scientia, & potestatis plenitudine nostris Montem vacabilem scutorum 300. millium monetæ subsidii nuncupandum locorum, seu portionum trium millium vacabilium resignabilium ad instar aliorum officiorum, & Montium vacabilium Romanæ Curiæ scutis centum monetæ pro quolibet loco computatis annui fructus scutorum novem monetæ pro quolibet loco, & portione, & anno, à die prima mensis Julii proximè præteriti præsentis anni 1630. inchoan. ad instar aliorum Montium, & officiorum vacabilium auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, creamus, facimus, & instituimus.

Dotem assignet.

§. 3. Illíque sic erecto, & instituto, ac personis, quæ in eo pecunias, ut infrà dicetur posuerint, pro dicti Montis congrua dote, ac fructibus, & emolumentis ad prædictam rationem scutorum novem monetæ annis singulis pro quolibet loco, & quolibet bimestre in fine pro rata solven. summam scutorum 27. millium monetæ annuorum, scilicet scutorum 20. millium monetæ ex dicto subsidio, seu augmento Julii pro quolibet Cado Vini, & reliquorum scutorum septem millium monetæ annuorum ex supradicto augmento Gabellæ Carnis per Nos, ut præfertur imposit. ac dd. subsidiorum emolumentis, & redditibus dismembramus, & separamus, sicque dismembratam, & separatam dicto Monti illiúsque Depositario, & Montistis solvendam eodem Monte durante concedimus, applicamus, & appropriamus, & assignamus, applicatámque, & appropriatam esse volumus, & mandamus.

Dictum Montem ab omnibus oneribus eximit.

§. 4. Ipsúmque Montem, & illius futuros Creditores in nostrum, ac Sedis, & Cameræ prædictarum locum quoad integram summam prædictam, ejúsque liberam perceptionem, exactionem, & consecutionem etiam irrevocabiliter ponimus, substituimus, & subrogamus eandémque summam ab omnibus oneribus, tributis, subsidiis, & collectionibus, retentionibus per Nos, & pro tempore existentes Romanos Pontifices ex quacumque urgenti, & publica, ac etiam pestis, fidei Catholicæ tuendæ causa, augmento cultus divini, seu alia sublevatione, & conservatione ejusdem nostri Status, & Romanæ Ecclesiæ quomodolibet impositis, & imponendis, ac ab omnibus, & quibuscumque aliis gravaminibus ordinariis, & extraordinariis præsentis, & futuris eximimus, & liberamus, exemptáque & libera, dictósque redditus, introitus, & emolumenta eidem Monti, & illius Creditoribus, & Montistis obligata, & hypothecata esse volumus, & obligamus, & hypothecamus.

Sedis Apost. & Cam. bona pro d. Montis erectione obliget.

§. 5. Et pro majori ejusdem Montis, & personarum in eo pecunias ponere volentium cautela, & securitate omnia, & singula alia Sedis, & Cameræ prædictarum bona mobilia, immobilia, jura, res, & actiones quæcumque præsentia, & futura ubique locorum existentia introitúsque, redditus, & proventus dicto Monti subsidii, illiúsque singulis personis, & Montistis generaliter, & specialiter etiam obligamus, & hypothecamus, ac obligata, & hypothecata esse, nec super annnuis summis prædictis, ut suprà assignatis, illarúmque exactione, & perceptione etiam per Nos, & successores nostros prædictos quovis modo Montistas prædictos perturbari, inquietari, vel molestari posse volumus, & decernimus.

Facultatem omnibus tribuit in dicto Monte pecunias ponendi, ex eptis Mendicantibus, & infidelibus.

§. 6. Necnon etiam eadem auctoritate statuimus, atque decernimus, quòd quæcumque utriusque sexus personæ cujuscumque ætatis etiam minores Pupilli, ac Spurii, & illegitimi, & cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existen. etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, & Ecclesiis Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus seu Monasteriis præsint, & quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Ecclesiastica beneficia cum cura, & sine cura obtineant, in sacris etiam Presbyteratus ordinibus constitutæ, necnon quorumvis sub quavis

regula institutorum Hospitalium, & Militiarum, & quorumcumque (non tamen mendicantium) ordinum religiosè, quibus à jure, aut per privilegium concessum proprium retinere posse, cujúscumque nominis, qualitatis, & conditionis, præterquàm ratione regularis professionis in aliquo Ordine Mendicantium inhabiles, & incapaces existant, ac infidelibus exceptis in Monte prædicto subsidii quascumque pecuniarum quantitates, non tamen infrà summam scutorum centum monetæ in singulas personas, ita ut loca, & portiones hujusmodi dividi minimè possint, usque ad dictam summam locorum trium millium ponere, & ipsæ personæ pro pecuniis sic positis fructus ad rationem scutorum novem similium pro quolibet loco singulis annis, & quolibet bimestre eorum ratam sine aliquo conscientiæ scrupulo, & sortis principalis diminutione, vel aliquo restitutionis onere integrè omni prorsus impedimento cessante percipere, & habere possint, & valeant.

Confiscationem prohibet.

§. 7. Præterea etiam expresè prohibemus, quòd loca prædicta, nec eorum fructus, & emolumenta etiam causa rebellionis, proditionis, assasinii, sacrilegii, læsæ majestatis, & aliorum criminum quantumcumque gravium, & enormium per loca ipsa obtinentes, tàm intùs, quàm extrà ditionem nostram, & in qualibet mundi parte, non tamen in personam Romani Pontificis, aut alicujus ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus commissorum etiam Confessorum, & probatorum, publicari, seu deliberari, nec sub aliquibus, sive specialibus, sive generalibus omnium bonorum, rerum, & jurium confiscationibus comprehendantur, sed specialiter ab illis excepta fore, & esse censeantur, deque illis ipsimet delinquentes integrè disponere possint, ac si de relicta hujusmodi nequaquam commisissent, minúsque loca prædicta, vel eorum fructus quolibet prætextu ad instantiam cujusvis personæ etiam Cameræ nostræ, vel aliàs modo aliquo seqaestrari, vendi, subhastari, aut impediri possint.

Reductionem prohibet, & à vacatione per quinquennium libet.

§. 8. Decernimus præterea, quòd Mons prædictus non possit redimi, vel reduci ad non vacabilem, nec extingui, minúsque illius fructus à ratione scutorum novem hujusmodi pro quolibet loco, ut suprà reduci, nec minui sub quovis prætextu etiam necessitatis urgentis, & urgentissimæ Sedis Apost. enormissimæ læsionis, urgentis necessitatis seu etiam evidentis utilitatis, aut alia quacumque causa, & volentes Montem prædictum, illiúsque Montistas, & creditores pro tempore existentes specialibus favoribus, & gratiis decorare, decernimus atque eadem auctoritate statuimus, & indulgemus, quòd loca, seu portiones dicti Montis per quinquennium incipiendum Kalendis ejusdem mensis Julii proximè præteriti præsentis anni 1630. & ut sequitur finien. per obitum personarum super quarum vitæ periculis loca extabunt, vel ab eis causam dicto quinquennio durante habentium non vacent, sed illa ad decedentium, illorúmque ad quos loca prædicta spectabunt hæredes ex Testamento, seu ab intestato omninò deveniant, ipsique hæredes, & successores loca, seu portiones hujusmodi retinere, vel resignare, ac pretium exindè proveniens recipere possint, & resignationes sic per eos factæ admitti debeant etiam cum eodem privilegio non vacantiæ per dictum quinquennium à Calendis Julii ut suprà incipiendum, quod privilegium non vacantiæ dicto quinquennio durante transeat etiam in quoslibet successores quibus suffragari debeat pro residuo d. quinquennio, quo elapso loca prædicta per obitum illa obtinentium omninò vacent, & vacare debeant ad commodum, & favorem ejusdem Cameræ nostræ.

Facultates, exemptiones & privilegia concedit

§. 9. Volumus præterea quòd Montis prædicti creditores ad pecunias ab ipsis in eo positas, & erogatas, aut illarum partem, in aliquam subventionem, utilitatem, seu necessitatem Status Ecclesiastici, vel Sedis, & Cameræ prædictarum conversas fuisse, & esse probandum, haud quaquam teneantur, sed cum simplicibus literis patentibus ab infradicen. Thesaurario nostro Generali, & Secretario d. Montis ab ipso, ut infrà deputan. expeditis iidem creditores, & Montistæ tuti sint, eidémque Monti, & personis in eo pecunias habentibus Collegium, & Defensores crean. & deputan. ordinationes, & statuta quæcumque licita tamen, & honesta à prædicto Thesaurario nostro Generali examinanda, & approbanda conden. licentiam & facultatem concedimus, necnon iis, ac omnibus, & singulis aliis privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, & immunitatibus, libertatibus, prærogativis, gratiis, & indultis quibus cæteri creditores aliorum Montium vacabilium Romanæ Curiæ potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ac si illa sic de verbo ad verbum inserta forent, uti, frui, & potiri, liberè, & licitè valeant indulgemus, quódque præsentes vim, & robur veri, & validi contractus, ac obligationis inter Nos, Sedem, & Cameram prædictas ex una, & eos, qui pecunias in ipso Monte posuerint ex altera partibus legitimè initi, & stipulati obtineant, & obtinere, dictúsque Mons, & illius Montistæ in pacifica libera, & quieta dictorum annuorum scutorum 27. millium eis, ut præfertur assignatorum exactionis, & perceptionis possessione, d. Monte durante manuteneri, & conservari debeant.

Protectorem eligit.

§. 10. Prætereà, dilectum filium Magistrum Stephanum Duratium Thesaurarium nostrum Generalem, aliósque pro tempore existentes Thesaurarios Generales dicti Montis Protectoris cum potestate, literas patentes sub eorum nominibus, & sigillis expediendi, & concedendi, necnon omnes, & quascumque causas super dicto Monte, illiúsque causa, & occasione, & ab eo quomodolibet dependen. movendas privativè quoad omnes alios Judices cognoscendi, & terminandi, ac omnia alia quæ ad ejusdem Montis utilitatem, providámque directionem pertinere cognoverit peragen. cum facultate etiam Depositarium, ac Secretarium, & Ratiocinatorem, seu Computistam d. Montis cum emolumentis eidem benevisis ad eorum vitam, & donec vixerint, & prout ipsis melius placuerit, & videbitur eligendi, & deputandi.

Clausulas præservativas apponit.

§. 11. Decernentes præsentes nostras literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, argui, vel impugnari, aut revocari, restringi, vel limitari minimè posse, seu deberi, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, etiam quòd in dictæ Cameræ ejúsque libris non admittantur neque registrentur, sicque & non aliàs in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici, & dictæ Cameræ Clericos, Camerámque ipsam, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 12. Non obstantibus præmissis, & fœl. recor. Simachi, Calixti Tertii, Pauli Secundi, Pauli Tertii, Pauli Quarti, & Pii Quinti, aliorúmque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac etiam nostris de rebus Ecclesiæ, & Cameræ non alienandis, & alienatis recuperandis, ac etiam Pii IV. de registrandis, aliísque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus, ac universalibus Conciliis editis specialibus, & generalibus Constit. & ordinat. etiam prædicta fieri specialiter expresè pro-

hibentibus,

hibentibus, & facta, irrita esse decernentibus, dictæque Cameræ juramento, confirmatione Apostolica, & quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Cameræ, & quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & potestatis plenitudine similibus, & pro conservatione Status, dignitatis, & extimationis S. R. E. concessis, confirmatis, ac etiam reiteratis vicibus innovatis, extensis, & moderatis quibus omnibus etiam si de illis, illorúmque totis tenoribus specialis specifica, integra, individua mentio habenda esset illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, illáque quatenùs præmissis obstent tollimus, & abrogamus, & abolemus.

Exemplis fides adhibeatur.

§. 13. Volumus autem, ut præsentium transumptis seu exemplis etiam impressis manu Secretarii dicti Montis, seu publici Notarii subscriptis, & sigillo prædicti Thesaurarii Generalis, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ adhiberetur.

Papæ subscriptio.

Placet Motu proprio M.

CXXXVI.

Prohibitio erigendi Scholas sub denominatione Scholarum Piarum: & annullatio erectarum sub tali nomine ab aliis, quàm à Clericis Regularibus Religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum; necnon interdicto defendendi habitum per dictos Clericos gestari solitum.

Scholarum Piarum materiam lege in Constitut. 101. Pauli V. ubi alias Constitutiones habes indicatas.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD uberes fructus, quos dilecti filii Clerici Regulares Congregationis Matris Dei Scholarum Piarum in Vinea Domini proferunt, considerationis nostræ aciem convertentes, dignum, quin potiùs debitum reputamus, ut ea, quæ fœlicibus eorum progressibus obesse possint, quantum cum Domino possumus removeamus, & prohibeamus.

Prohibitio, de qua in Rubrica.

§. 1. Specialibus itaque illos favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequent. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus Ministri Generalis dictæ Congregationis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Ne alii quicumque quavis auctoritate fungentes Scholas sub denominatione Scholarum Piarum erigere, aut forsan jam erectas Pias nominare, nec inscribere, minúsque habitum per dictos Clericos Regulares gestari solitum, gestare audeant, seu præsumant sub excommunicationis, & aliis censuris Ecclesiasticis per contrafacientes ipso facto incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Clausula præservativa.

§. 2. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, & ab omnibus inviolabiliter observari.

Clausulæ irritantes

§. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Ut autem præsentes faciliùs omnibus innotescant: Volumus, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. S. die 7. Aug.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Augusti 1630. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXXXVII.

Declaratio super Constitutione Pii Quarti de registrandis in Camera gratiis illius interesse concernentibus.

Hanc Pii Quarti Constitutionem habes tom. 2. Constit. 98.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Prœmium.

CUM sicut accepimus plures Romani Pontifices Prædecessores Nostri concesserint, prout etiam Nos concessimus diversa privilegia, indulta, licentias, & gratias etiam interesse Cameræ Apostolicæ concernentia, tàm per literas Apostolicas sub plumbo, & in simili forma Brevis expeditas, quàm per Chirographa eorum, & nostra respectivè manu subscripta, in quibus quidem literis, & Chirographis, Motu proprio, seu Constitutioni fœl. rec. Pii IV. Papæ Prædecessoris Nostri quo cavetur ut omnes, & singulæ gratiæ interesse dictæ Cameræ concernentes in eadem Camera intrà certum inibi expressum tempus registrari debeant aliàs gratiæ ipsæ nullæ sint, derogatum reperitur à nonnullis verò nimium scrupulosis in dubium revocetur, an tales derogationes adhuc in Camera prædicta registrari debuerint, & debeant.

Dubitatio circa registrationem.

§. 1. Nos ne ullo unquàm tempore de ipsorum privilegiorum, indultorum, licentiarum, & gratiarum validitate, ex eo quòd privilegia, indulta, licentiæ, gratiæ, seu facultates, aut derogationes hujusmodi in eadem Camera registratæ non fuerint hæsitari, eosque ad quorum favorem emanarunt, eo prætextu, super privilegiis. indultis, [li]centiis, gratiis, & facultatibus eisdem pro tempore, ut præfertur, concessis, molestari contingat, providere cupientes, ac Motus proprii, seu Constitutionis prædicti Pii Prædecessoris, tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes.

Pont. ex Motu proprio decretum.

§. 2. Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, indulta, licentias, gratias, & facultates tàm per Prædecessores nostros, quàm per Nos ipsos per literas Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis expeditas, seu per Chirographa eorumdem prædecessorum, vel nostra manu respectivè subscripta, etiam quodcumque interesse dictæ Cameræ concernentia, cujuscumque qualitatis, generis, quantitatis, & valoris etiam maximi, & inexcogitabilis existat, concessa hactenùs, & in posterùm per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros concedenda, in quibus Motui

proprio, seu Constitutioni Pii Prædecessoris hujusmodi ad effectum ut illi, ad quorum favorem emanarunt, & emanebunt pro tempore ad ipsa privilegia, indulta, licentias, & gratias in eadem Camera registrandum non teneantur, derogatum fuerit, seu derogari contigerit, in futurum, etiamsi illæ, & illa sive derogatorio, & voluntas hujusmodi in prædicta Camera registrata non sint, & non registrentur, etiam ab earum data valere, & de eorum validitate dubitari non posse, neque propterea illos, ad quorum favorem emanarunt, aliquo modo molestari debere tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Silentii Officialibus impositio.

§. 3. Ac dilectis filiis nostro, & S. R. E. Camerario, ac Thesaurario Generali, Præsidenti, & Clericis, necnon Commissario ejusdem Cameræ nunc, & pro tempore existentibus, & aliis quibuscumque desuper interesse quomodolibet prætendentibus, aut qui illud quomodolibet prætendere possent, perpetuò silentium desuper imponimus.

Contrafacientibus pœna.

§. 4. Mandantes Camerario, Thesaurario, Præsidenti, & Clericis, necnon Commissario nunc, & pro tempore existentibus, & aliis interesse prætendentibus prædictis, ne sub nostræ, & pro tempore existentis Romani Pontificis indignationis, aliisque nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis pœnis, & etiam interdicti ingressus Ecclesiæ, ac aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis ipso facto per contravenientes, & eorum quemlibet toties quoties contravenerint respectivè incurrendis à quibus à nemine, præterquàm à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo constituti, absolvi, seu illæ eis relaxari nequeant, prædictorum aliquem super præmissis aliquo modo molestare audeant, vel præsumant.

Præservatio.

§. 5. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, præsentes nostras literas, declarationem, & voluntatem etiam quòd in dicta Camera non registrentur, neque præsententur, iis omnibus, de quorum interesse actum fuerit, vel agetur pro tempore suffragari debuisse, & debere, perindè, ac si in eadem Camera debito tempore præsentatæ, & in ea registratæ fuissent.

Executorum deputatio.

§. 6. Quocircà Venerabilibus fratribus nostris Ostiensis & Portuensis Episcopis, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte in præmissis interesse habentium desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illos præmissorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 7. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii VIII. Papæ prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, ac Motu proprio hujusmodi, seu Prædicta Pii prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aliisque in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes latissimè, ac plenissimè hac vice ad effectum præmissorum tantum motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatorio die 19. Augusti 1630. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXXVIII.

Relatio Fr. Joannis Dei Congregationis hujus nominis Fundatoris in Beatorum Confessorum numerum, necnon concessio recitandi Officium, & Missam celebrando de eo.

De his Fratribus indicata ad Constitut. 100. Pauli Quinti tom. 3.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1630.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In Sede Principis Apostolorum nullis licèt nostris suffragant. meritis divina providentia constituti, ad ea per quæ Servorum Christi veneratio in terris promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis, pastoralis muneris nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia Christifidelium, & præsertim Catholicorum Regum, & Principum vota exposcunt, Nósque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ad petitionem hic enumeratorum.

§. 1. Sanè nomine dilectorum filiorum Majoris, & aliorum Confratrum Congregationis Joannis Dei sub Regula Sancti Augustini Nobis nuper expositum fuit quòd transmissis de mandato nostro ad Ven. Fratres nostros ac S. R. E. Cardinales sacris ritibus præpositos processibus Apostolica auctoritates fabricatis, & in sacro Rotæ Auditorio examinatis super sanctitate, virtutibus, & miraculis Servi Dei Joannis de Deo, Fratrum vulgò (Fate ben fratelli) nuncupatorum Fundatoris, iisque in Congregatione eorumdem Cardinalium per plures sessiones acerrimè discussis, citato etiam, & audito priùs super iisdem, ut moris est, dilecto filio Promotore fidei, cognito primum de validitate Processuum, deindè de virtutibus heroicis, ac demùm de miraculis in vita, & post mortem ab Omnipotenti Deo intercessione dicti sui Servi patratis, referente dilecto filio nostro Petro Maria Sancti Georgii Diacono Cardinale iidem Cardinales unanimi consensu pronunciarunt, tutò posse quandocumque Nobis placuerit ad solemnem Canonizationem dicti Joannis de Deo deveniri, & interim Beatum nuncupari, ac Missam, & Officium de eo, ut infrà recitari, & celebrari; Quare pro parte non solùm Majoris, & Confratrum prædictorum, verùm etiam charissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, ac Philippi Hispaniarum Regis Catholici, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Isabellæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ, aliorúmque Christianorum Principum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim donec ad solemnem Canonizationem dicti Joannis de Deo deveniatur, idem Servus Dei Joannes de Deo Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo, ut infrà celebrari possit.

Concedit, ut d. Joannes Dei Beatus nuncupari, & de eo Missa celebrari, ac officium recitari possit, ut a c

§. 2. Nos piis Ferdinandi Regis in Imperatorem electi, ac Philippi Regis, & Isabellæ Reginæ, aliorúmque Principum, necnon Majoris, & aliorum Confratrum prædictorum votis in præmissis quantum cum Domino possumus benignè an-

nuere

nuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, ut ipse Servus Dei Joannes de Deo in posterùm Beatus nuncupari, ac de eodem ab omnibus dictæ Congregationis Regularibus ubique existentibus quotannis in die ejus obitus Officium recitari, & Missa celebrari de Communi Confessoris non Pontificis ritu duplici majori per annum juxtà Rubricus Breviarii, & Missalis Romani, & quoad Missam etiam per alios Regulares, & Sæculares Sacerdotes ad eorum Ecclesias confluentes: In Civitate verò Granaten. nempè in Ecclesia ubi ejus sacrum Corpus requiescit, & in terra nuncupata Monte Mocil novo, ubi natus est in omnibus Ecclesiis, tàm Regularium, quàm Sæcularium Officium, & Missa ritu duplici minore recitari, celebrari possit, & valeat; Ac pro præsenti anno dumtaxat Major, & alii Confratres dictæ Congregationis solemnem Beatificationem cum Missis in die eis benevisa hic Romæ in Ecclesia Sancti Joannis Colabitæ, necnon alii Sacerdotes, tàm Regulares, quàm sæculares ad dictam Ecclesiam eo die confluentes cum eadem Missa juxtà Rubricas se conformare liberè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

ontraria ...llit. — §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

ransumptis ...dem man...t. — §. 4. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

...at. P. A. s. ...e 21. Sept. — Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 21. Septembris 1630. Pontificatus nostri Anno Octavo.

...CXXXIX.

Quòd Magister Generalis Fratrum Calceatorum Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum infrà quindecim dies confirmare debeat electionem Vicarii Generalis pro tempore, Fratrum Discalceatorum Recollect. ejusdem Ordinis.

Horum Fratrum separatio à Calceatis confirmavit Gregor. XV. Constit. 13. Aliàs à Nobis, & iste Pontif. aliam edidit Constit. super hanc separationem in Sede Constit. 79.

Edita A. D. 1630.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram Rei memoriam.

Proœmium. — COmmissi Nobis per abundantiam divinæ gratiæ pastoralis officii debitum postulat, ut in his per quæ Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium prospero statui, fœlicique directioni consulitur, sedulò intendamus, eáque statuamus, & decernamus, per quæ iidem Christifideles litium sublatis obstaculis in pacis amœnitate reddere valeant Domino abundanter fructus suos.

Causæ Controversiæ. — §. 1. Cùm itaque sicut accepimus, inter dilectos filios Fratres Calceatos Ord. B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum ex una, & Fratres Discalceatos nuncupatos ejusdem Ordinis ex altera partibus, vertatur lis, & causa de, & super confirmatione Vicarii Generalis prædictorum Fratrum Discalceatorum, instantibus, & petentibus Fratribus discalceatis hujusmodi, & cum supplici libello Nobis porrecto, & per Nos ad Venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales negotiis Regularium præpositos transmisso, illos de cætero ampliùs juxtà concordiam inter ipsos factam, & per fœl. rec. Gregorium XV. Papam prædecessorem nostrum, ac etiam Nos confirmatam, non astringi, aut teneri petere dictæ electionis confirmationem à dilecto filio Magistro Generali Fratrum Calceatorum hujusmodi, ex quo id fieri non possit sine magno ipsorum Fratrum Discalceatorum incommodo, & perturbatione præsertim cùm id Magister Generalis etiam sine aliqua justa causa per binas vices illam concedere recusaverit, vel dare distulerit: dictis verò Fratribus Calceatis aliter prætendentibus, rebúsque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latius deductis.

§. 2. Nos pro nostri Pastoralis Officii debito paci, & quieti, fœlicíque Fratrum ejusdem Ordinis regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac dissensiones, quibus Religiosi carere debent, de cætero verò evitandas de eorumdem Cardinalium consilio partibus pluries auditis; Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd Vicarius Generalis dictorum Fratrum Discalceatorum pro tempore electus in signum solius præeminentiæ Magistro Generali Fratrum Calceatorum hujusmodi in supplicata concordia reservatæ, infrà tres menses à die suæ electionis teneatur eamdem electionem præsentare eidem Magistro Generali Fratrum Calceatorum, qui illam absque aliqua contradictione, & cognitione super ejusdem electionis validitate, an videlicet canonicè facta fuerit, confirmare debeat: si verò id facere recusaverit, vel confirmationem prædictam à die præsentatæ electionis ultrà quindecim dies dare distulerit, dictus Vicarius Discalceatus electus accedat, & recursum habeat pro eadem confirmatione obtinenda ad nostrum, & Sedis Apostolicæ Nuncium in Regnis Hispaniarum commorantem. Dictis verò Fratribus tàm Calceatis, quàm Discalceatis perpetuum super præmissis silentium imponimus. — Quod Generalis infrà 15. dies confirmet Vicarium Gen.

§. 3. Decernentes statutum, & ordinationum nostram hujusmodi, præsentésque literas perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & esse, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & non aliter in præmissis perpetuò observari, & ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. — Decretum irritans.

§. 4. Quocircà dilectis filiis causarum Curiæ Cam. Apost. Generali Auditori, ac nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio, ac Officiali Toletano nunc, & pro tempore existentibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Discalceatorum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos præmissorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos desuper à quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. — Executores deputat, ac mandat puniri transgressores.

§. 5. Non obstant. fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis authoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs præmissis adversatur concordia prædicta; necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel qua- — Contrariis derogat.

vis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenore, & formis ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenore præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio, & extrà adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ,

Dat. P. A. 8. die 5 Novemb.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novembris 1630. Pontificatus nostri anno octavo.

CXL.

Super concordia inter Præsules, seu Administratores ex una, necnon Præpositos, & Canonicos ex alia, ac Abbatem, & Monachos Ecclesiæ S. Ambrosii Mediolani Cistercien. Ord. ex reliqua partibus.

Edita A. D. 1630.

URBANUS PAPA OCTAVUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Gregis Dominici cura, à Salvatore, & Domino nostro, qui charitas est, & Deus pacis, humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, commissa postulat, ut inter gravissimas, multiplicésque Apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbamus, qua litibus, & controversiis inter Christifideles quoslibet præsertim Ecclesiarum Præsules, & Cardinalatus honore fulgentes, ac personas Ecclesiasticas sæculares, & Regulares exortis opportunæ transactionis remedio obviam itur, ut personæ ipsæ Ecclesiasticæ, quæ in sortem Domini vocatæ sunt, divinis ejus obsequiis commodiùs deserviant in sanctitate, & justitia coràm ipso, eique semotis litium impedimentis, tranquilliori spiritu reddant abundanter fructus suos. Undè his, quæ propterea facta fuisse dicuntur, ut perpetua roboris validitate subsistant, & à partibus ipsis inviolabiliter observentur: Apostolici muniminis adjicimus firmitatem, prout rebus omnibus matura consultatione pensatis, conspicimus salubriter in Domino expedire.

Causa hujus constitut.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus à quingentis annis, & ampliùs inter Ecclesiæ Mediolanen. Præsules, seu Administratores, ex una, necnon Præpositos, & Canonicos ex alia, ac Abbatem, & Monachos Ecclesiæ Sancti Ambrosii Mediolanen. Cistercien. Ordinis, ex reliqua partibus, qui pro tempore respectivè fuerunt, lis, & causa, seu quæstionis materia ratione dictæ Ecclesiæ S. Ambrosii, ac illius Dominii, & usus, necnon administratione, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus intentata, & ad hæc usque tempora magno earumdem partium dispendio protracta fuerit.

Promotores concordiæ.

§. 2. Cúmque nuper dilectus filius noster Fedeicus Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis Borromeus prædictæ Ecclesiæ Mediolanen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsul liti, & causæ prædictis finem aliquando amicabiliter imponi desideraret, & dilectus etiam filius Cosmus Reynonus ejusdem Ecclesiæ Sancti Ambrosii Abbas, & in Italia Congregationis Cisterciensis Præses pio dilecti filii nostri Francisci Sanctæ Agathæ Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati nostri secundùm carnem ex fratre germano nepotis horratu inductus propensam ejus ad hujusmodi concordiam voluntatem ostendisset, dilecti similiter filii nostri Robertus tituli S. Praxedis Presbyter Cardin. Ubaldinus Ordinis Cisterciensis apud Nos, & hanc S. Sedem Protector, & Theodorus Sancti Cæsarei Diaconus Cardinalis Trivultius nuncupat. à nobis super hoc specialiter deputati, Nobis, & eodem Francisco Cardinale annuentibus totum hujusmodi negocium dilectis filiis Magistris Martino Alifero, & Antonio Torniello in utraque Signatura nostra Referendariis discutiendum commiserint; præfati verò Martinus, & Antonius plures super negocio hujusmodi tractatus, præsentibus eodem Cosmo, ac dilectis pariter filiis Joanne Baptista Besutio Canonico Mediolanensis, necnon Hieronymo Rampono Nostro, & Sedis Apostolicæ Notario, uti præfati Federici Cardinalis, ac dilectorum etiam filiorum Præpositi, & Canonicorum ejusdem Ecclesiæ S. Ambrosii procuratoribus respectivè, necnon Mattheo Moretto ejusdem Theodori, Cardinalis Auditore, de illius mandato habuerint, negociòque ipso maturè discusso, ac visis omnibus, & singulis juribus, & processibus per Martinum, & Antonium, necnon Mattheum præfatos, & nomine ejusdem Roberti Cardinalis dilectum similiter filium Franciscum Nerlium ejus Auditorem, & facta per eos omnes dictis Roberto, & Theodoro Cardinalibus relatione, habitisque primo coràm ipso Theodoro, & successivè coràm eo, & prædicto Roberto Cardinalibus super nonnullis capitibus, quorum resolutio illorum prudentiæ, & judicio relicta fuerat diversis Congregationibus; tandem auctoritate eorumdem Roberti, & Theodori Cardinalium, & in eorum præsentia fuerunt inter dictas partes sub die 21. mensis Septembris proximè præteriti firmata, & subscripta transactionis, sive concordiæ capitula tenoris subsequentis videlicet.

Capitula concordiæ.

§. 3. Capitula concordiæ initæ inter Eminentissimum, & Reverendissimum D. D. Federicum Cardinalem Borromeum, Mediolani Archiepiscopum, & Capitulum Præpositi, & Canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ, & insignis Sancti Ambrosii Mediolani, ac Abbatem, & Monachos ejusdem Ecclesiæ, ac Monasterii, quæ infràscripti eorum Deputati inviolabiliter, & bona fide observare promittunt 21. Septembris 1630.

Canonici tàm horis diurnis, quàm vespertinis teneantur ingredi Chorum per dimidium horæ antequàm ingrediatur Capitulum Metropolitanæ, servata semper ordinaria tabella Illustrissimi D. Archiepiscopi.

In diebus solemnioribus, & præcipuè Sancti Ambrosii, & Sanctorum Gervasii, & Protasii caveat Capitulum Canonicorum nè diutiùs immoretur in Choro, quàm par sit, ita ut Monachis remaneat tantùm temporis, quò possint congruè eorum vesperas celebrare.

Ritu Ambrosiano, quo Clerus utitur, Monachi utantur in solemnioribus diebus videlicet à die Dominico in ramis Palmarum usque ad Dominicam in Albis, & in primis Vesperis Sancti Ambrosii, & Sanctorum Gervasii, & Protasii reliquis verò suo Ambrosiano monastico, quem vocant juxtà solitum utantur, & in musicis possint etiam adhibere Instrumenta ad simphoniam pertinentia.

Unica Missa Sabbati Sancti, quæ in qualibet Ecclesia celebrari solet juxtà solitum alternis vicibus ab unoquoque Collegio celebretur. Monachi numquàm divina celebrare incipiant donec Capitulum Canonicorum è Choro discesserit.

Tàm Canonici, quàm Monachi sub quovis prætextu tempore celebrationis divinorum nullum actum faciant, per quem possit ad invicem celebratio impediri.

Liber usus Pontificalium Abbati Monachorum non controvertatur in quibuscumque ejus fun-

ctionibus

ctionibus Ecclesiasticis. Sedis Abbatis ad usum Pontificalium exercendorum diebus, quibus Illustrissimus Archiepiscopus solet in Ecclesia Sancti Ambrosii solemniter celebrare in latere Epistolæ apponatur: Cæteris verò diebus Abbas in utroque latere prout sibi magis libuerit Pontificalia exerceat. Super sede solita arcuata Abbatis Baldacchinum non apponatur.

Decreta Sacræ Congregationis Rituum tàm quoad numerum ministroaum, quàm quoad alia in solemni Abbatis celebratione, seu functione (quæ tamen sunt in usu) observentur.

Illustrissimus D. Archiepiscopus à latere Monachorum non possit visitare, nisi ad limites, quatuor visitationum tantùm, ut infrà, & non aliàs, &c. duarum scilicet factarum per Sanctum Carolum de annis 1566. & 1578. tenoris, ut in eorum authenticis integrè ac de verbo ad verbum, & non aliàs inferendis in Instrumento desuper inter ipsas partes celebrando, & aliarum duarum factarum per Eminentissimum D. Cardinalem Archiepiscopum modernum de anno 1607. prout tamen in particulis inferendis, ut suprà in dicto Instrumento celebrando, quòd præsens Concordia dictarum visitationum respectu sit restricta ad dictas particulas dumtaxat, & non ad totas, & integras visitationes, ac reliquum eorum tenorem, etiam si quid ampliùs ad favorem Archiepiscopi in illis possit contineri, quia sic &c. & non aliàs &c. omni &c.

Oblationes publicæ, & præcipuè Altaris Majoris ad Canonicos spectent. Privatas unaquæque pars in suo latere percipiat, quæ absque alio impedimento, aut dubitatione percipientium fiant.

Hæreditates, legata, & cætera dispositiones factæ ad favorem Ecclesiæ Sancti Ambrosii in genere præter supradictas oblationes, quæ hic non comprehendantur, neutri Collegio censeantur acquisitæ, sed debeantur fabricæ ipsius Ecclesiæ.

Claves portarum Ecclesiæ lateralium tres consuetas teneat Capitulum Canonicorum, inter quas clavis portæ majoris connumeratur, tres alias Monachi, prout hujusque consueverunt.

Custodia altaris auri ad Capitulum Canonicorum spectet, ejúsque claves ab eodem, seu à deputando ab eo custodiantur: Habeant Canonici curam thesaurri dictæ Ecclesiæ, ac sacræ suppellectilis, etiam communis si quæ &c. & in specie candelabrorum argenteorum.

Custodia Sanctissimi Sacramenti in Altare Majori existenti ad Capitulum Canonicorum pertineat; quoad illius tàm publicam, quàm privatam expositionem servetur ut infrà, videlicet: Quando exponendum est processionaliter, prout in festivitatibus quadraginta horarum, vel similium, fiat alternis vicibus à Capitulo Canonicorum, & Monachorum, ità ut primus turnus in executionem concordiæ sit Canonicorum; clavem igitur Tabernaculi quando solemnitas fiet per Monachos durante dumtaxat solemnitate Monachi per Canonicos traditam custodiant; finita solemnitate eisdem Canonicis absque mora restituendam. Ubi verò ex privatorum precibus erit exponendum, si recursus piorum erit ad Monachos, teneantur illicò Canonici, eisdem Monachis instantibus, sanctuarium aperire, & ad eamdem pariter instantiam claudere.

Capitulum Canonicorum semper Altare majus, & Ecclesiam apparari faciat, & ejus sit peculiare. Superstantiarius à Capitulo Canonicorum juxtà consuetum nominandus pro tempore liberam habens superstantiariæ, ejusdémque introituum administrationem sarta, tectum, & Ecclesiam manutenere debet.

In accessu Legatorum, Archiepiscopi, Ecclesiasticarum personarum, & Principum, ubi recipere opus est ad Januam majorem, tàm Capitulum Canonicorum, quàm Monachi obviam eant, & ab ambobus Collegiis recipiantur; Abbas tamen, & Monachi cucullati incedant, nec obviam eant, nisi præsente Capitulo Canonicorum. Vicarius, quem vocant provisionum cum suo tribunali, ejúsque publicæ oblationes à solo Capitulo Canonicorum excipiantur.

Unica Crux in Ecclesia adoranda populo die veneris majoris hebdomadæ ad Altare majus, nec alibi exponatur, alternis vicibus ab utroque Collegio, prout in processione, & expositione solemni Sanctissimi Sacramenti, eodémque turno servato. Eleemosyna ejusdem occasione adorationis populi ministris exponentium pro tempore relinquatur. Adoratio solemnis ejusdem Crucis juxtà solitum fiat in Ecclesia Sancti Ambrosii per Monachos tantùm quæ actio intelligatur prorsus ab expositione Crucis separata.

Sepulchrum Domini, quod in majori hebdomada in quolibet Ecclesia fieri solet, unicum pariter in Ecclesia Sancti Ambrosii fiat alternis vicibus à Capitulo Canonicorum, & Monachis quolibet anno servata forma turni, prout in solemni expositione Sacramenti, & Crucis die Veneris Sancti, Canonici quidem in Navi dexteri lateris, Monachi autem in sinistri.

Quando ob supplicationes summo mane faciendas, vel aliud simile impedimentum binæ Missæ Capitulares celebrari non possunt, Canonici celebrent ad Altare majus, & Monachi in Capella Sancti Satyri, vel alia versus monasterium, Rogationibus exceptis, quas Litanias vocant.

Festivitas baptismi Sancti Ambrosii in die Sancti Andreæ solemniter à Capitulo Canonicorum celebretur. Monachi verò eadem die celebrent prout in aliis festivis diebus ordinariis solent. Canonici, & Monachi quilibet in Labello versus navem sui lateris existenti aquam ad aspergendum populum benedicant. In navi media Ecclesiæ, sive majori, relicto loco medio ad usum sepulchri pro Archiepiscopis Mediolani, duo sepulchra fiant, à dextero scilicet pro sepultura Præpositorum, & Canonicorum, alterum à sinistro latere ad usum Abbatum, & Monachorum, neque alia sepulchra in dicta navi media fieri aut concedi valeant.

Funeralibus Præpositorum, & Canonicorum Monachi interveniant, & pariter Abbatum, & Monachorum, Canonici. Quoad ordinem quando Præpositi, aut Canonici erit funus, Abbas, vel dignior post ipsum Abbate impedito, in ejus locum officium celebret mortuorum, & cadaver deferatur à Monachis, ipsis à latere dextero cum Canonicis à sinistro binis binis procedentibus Cùm verò Abbatis, vel Monachi funus sit peragendum, observetur ordine converso, Præpositus scilicet, vel eo impedito, dignior primus ex Capitulo officium celebret, cadaver à Presbyteris deferatur, Canonicis latus dexterum, & Monachis sinistrum tenentibus bini bini, prout in funere Canonici procedant. Circà qualitatem, & sumptum funerum, solitum servetur, sicut in hanc usque diem fuit servatum.

Quoad sepulturas extraneorum laicorum, vel Ecclesiasticorum, quilibet in suo latere concedat, & sepeliat. Nullum ducatur in Ecclesia funus absque interventu Canonicorum. Funeralia cadaverum in media navi Ecclesiæ fiant. Emolumenta funerum in quocumque latere sepeliantur mortui æqualiter inter Capitulum Canonicorum, & Monachos dividantur. Officiorum verò integraliter emolumenta sint eorum in quorum latere celebratur officium.

Capitulum Canonicorum provideat Ecclesiæ de subselliis, mensis, & aliis hujusmodi ad usum Ecclesiæ communem spectantibus. Dignior locus semper in quacumque functione sit Capituli Canonicorum, excepto tamen casu funeris Præpositi,

vel Canonicorum in Ecclesia Sancti Ambrosii. In recitatione Completorii servetur decretum Sancti Caroli in visitatione sub die 27. Februarii 1578. Organum, Pulpitum, seu vulgò lettorino, utrique Collegio, Canonicorum scilicet & Monachorum, tàm quoad usum, quàm quoad reparationes, quamvis in diversis lateribus reperiantur, sint communia.

Polluta Ecclesia, si quando contigerit, facultas reconciliandi ab Illustrissimo Archiepiscopo impetretur, eóque nolente per se ipsum, alternis vicibus à Præposito Ecclesiæ, & Abbate Monachorum reconcilietur, ità ut primus turnus sit Præpositi. Teneatur Cimiliarca absque ulla contradictione utrique Collegio necessaria communia tamen pro servitio divinorum tradere.

Redditus superstantiariæ in ornatum, reparationem & alios necessarios usus Ecclesiæ erogandi diligenter per nos Canonicos, eorúmque Cimiliarcam ministrentur. In Solemnibus Ecclesiam decenter ornari pro utroque Collegio curet, & ornatam pariter in pristinum redigi, idque etiam pro Missis prima vice tàm à Canonicis, quàm à Monachis, sive Præpositis; aut Abbatibus pro tempore, item in funeribus eorumdem, seu aliarum Illustrium personarum expensis tamen Monachorum, ubi ad eorum instantiam fiat.

Benedictio solemnis Cærei Paschalis librarum 60. in die Sabbati Sancti alternis vicibus per capitulum Canonicorum, & Collegium Monachorum fiat, ità ut illud ad quod spectabit onus sacræ functionis expensas Cerei faciat, & quod remanebit finito usus retineat. Ordo benedictionis antedictæ sit ut à Collegio celebrante Missam Sabbati sancti fiat. Ad postulationem Abbatis, Canonici seu ab eis deputandi Altare aureum in adventu Illustrium personarum ostendant. Castrum doloris, quod vulgo, tomba vocant, & candelabra pro eodem servitio destinata serventur in loco solito subtus Organum ad usum communem utriusque Collegii. Possint Monachi diebus festivis Sanctorum particularium Cappellas in suo latere existentes in eorumdem Sanctorum honorem erectas arbitrio suo tàm intùs, quàm foris unà cum columnis è regione Capellæ existent. in honorem festivitatum eorumdem ornare.

Ut commodius officiis divinis Monachi incumbere possint, Capitulum Canonicorum in gratiam Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Ubaldini, & Trivultii concedit clavem unam eisdem Monachis tenendam perpetuò, donec præsens concordia durabit, qua Cancellos ferreos Altaris majoris aperire possint, his tamen adjectis conditionibus, & non aliter, &c. Quòd ab Abbate dicti Monasterii Monachus eligatur cui dicta clavis consignetur, qui tamen cavere debebit, ne cancelli aperti remaneant extrà horas divinorum officiorum. Ulteriùs, ut Custodiæ Altaris quantò minus fieri potest, præjudicetur, quotiescumque aperiri contigerit Altare aureum, idque apertum remanere teneatur, dictus Monachus hora præambula ad monitionem simplicem superstantiarii Canonicorum dictam Clavem ei consignare ab eo tenendam donec dictum Altare aureum apertum remanebit, eo tamen statim clauso, Superstantiarius, eamdem clavem reddat Monacho sic ut suprà deputato.

In festivitatibus Sanctorum juxtà stylum Calendarii Monastici Ambrosiani (quæ tamen in diebus festivis ex communi præcepto contigerint) si apparatus ad usum Canonicorum, Monachorum festivitati non respondebit, teneantur Canonici statim eorum divinis peractis proportionabiliter Pallium Altaris majoris, & conopeum Ciborii, immutare. Idem particulàriter fiat in festo Sancti Benedicti, etiam si in die non festivo communi occurrat. Abbas pro suo arbitrio propria Monachorum candelabra argentea, & Sanctorum reliquias in suis vasis existent. ad ampliorem Altaris majoris ornatum, candelabris tamen argenteis communibus non amotis exponere valeat.

Lampades numero 11. circà Altare majus pro Sanctissimo Sacramento suprà idem existente, quinque ad Capitulum Canonicorum, quinque ad Monachos, & una ad Societatem, quam vocant Scuroli, spectent, & eorum manutentio ad singulos proportionabiliter pertineat. Clavis Confessionis, seu Scuroli cuique Collegio consignetur ad usum communem.

Altare privilegiorum pro defunctis fidelibus à Sanctissimo D. N. in Scurolo impetrant. ad usum utriusque Collegii, tàm Canonicorum, quàm Monachorum petatur. Cum generali pariter prohibitione, ne quicquam per Confratres dicti Scuroli, neque pro Missarum celebratione, aut sub alio quovis prætextu nomine eleemosynarum à quoquam percipiatur. Quoad eleemosynas pro Missis mortuorum ibidem celebrandis nullus in dicta Ecclesia, aut Scurolo ad hunc effectum deputetur, aut pro eisdem recipiendis à fidelibus assistat, sed utrumque Collegium in sua Sacristia à sponte consignantibus recipiat. Ne ulla confusio quoad modum celebrandi in Scurolo gignatur, modus infràdicendus servetur.

Quotidianæ, & ex perpetuis obligationibus hinc indè celebrandæ statutis diebus juxtà præcisam formam obligationis, & consueti celebrentur. Extraordinariæ quæ dietim occurrunt, pro defunctis alternis diebus ab utroque Collegio adimpleantur. Quilibet è sua sacristia exteros Sacerdotes ad Altare privilegiatum dirigere possit, discreto tamen modo, ita ut alter ab altero non impediatur, quod à prudentia hinc indè utenda speratur.

Clavis Organi utrique Collegio consignetur, ita ut quilibet pro suo arbitrio, & usu ex se aperire possit, & Organista quandocumque pro servitio utriusque sit paratus. In solemni processione Corporis Christi, & Rogationum ad Ritum Ambrosianum quilibet in suo latere Ecclesiam in Navi majori viridibus frondibus, & similibus urnet. Lampades aliáque luminaria Sanctorum Imaginibus tàm in navi majori, quàm minori è suo latere existentibus, Monachi absque contradictione accendant. Antiphona, sub tuum præsidium per Monachos processionaliter diebus festivis procedendo per navem Canonicorum, & indè per medium Ecclesiæ ad eorum libitum cantari possit. Item eodem modo in festivitatibus Purificationis, Olivarum, & dedicationis Ecclesiæ egredi à Janua laterali Canonicorum procedíque per Cortinam, & Portam majorem ingredi eisdem liceat, quemadmodum à Capitulo Canonicorum viceversa fieri solet.

In vigiliis Sancti Ambrosii, ac Sanctorum Gervasii, & Protasii Abbas celebrans cum Monachis ad Altare Sancti Michaëlis à latere Canonicorum existent. ante latis insignibus Abbatialibus procedat, ibique pro solita statione immoretur, & indè discedens, portámque majorem Ecclesiæ egrediens per plateam proximam ad Ecclesiam Divi Francisci pergat, redeundo per portam Canonicalem ingrediatur Ecclesiam S. Ambrosii, & omnes easdem Ecclesiasticas cæremonias præcedenti die per Capitulum Canonicorum factas ipse Abbas cum suis proportionabiliter adimpleat. Monachi in suo latere subsellia ad usum Confessariorum, quæ vulgò Confessionalia nuncupantur, habeant, quæ tamen sint conformia cum aliis à latere Canonicorum existentibus.

Finito funere in medio Ecclesiæ cum assistentia Cleri sæcularis secundùm determinationem superiùs factam eorum qui debent sepeliri in latere Monachorum, possint Monachi absque ullo interventu ejusdem Cleri asportare cadavera ad

sepulturam destinatam propria auctoritate. Cerei, seu candelæ, quæ solent sustineri per binos Angelos hinc, & hinc super Altare majori existent. & & per Canonicos celebrantes solent accendi, eodem modo per Monachos celebrantes propriis tamen sumptibus apponantur, & accendantur. Monachos Religionem Cisterciensem ingredientes, Abbas ad Altare majus novis vestibus, pro libito inducat: ibique professionem suorum Monachorum, & equitum sui ordinis recipiat.

Officia mortuorum, etiam cum solitis ornamentis ab utroque Collegio in medio Ecclesiæ juxtà solitum fiant. Ubi corpora, vel reliquiæ Sanctorum, vel alii thesauri in Ecclesia S. Ambrosii reperiantur, si in navi majori, liberè Archiepiscopi dispositioni remaneant, si verò in latere dextero, Collegio Canonicorum, sicuti in latere sinistro Monachorum Collegio cedant, non tamen corpora, vel reliquiæ Sanctorum ex eadem navi, seu latere extrahantur, sed in eo, vel ea, debita veneratione serventur, ea tamen inquirere nemini liceat, absque expressa Archiepiscopi licentia.

In Ecclesia Sancti Ambrosii non intelligantur comprehensæ Ecclesia Sancti Sigismundi, ac Capella Sancti Satyri, & S. Joannis.

Item ad tollendas dissentiones, ac lites quæ hactenùs versæ fuerunt, ac vertuntur inter D. Archiepiscopum, ac duo Collegia Canonicorum, & Monachorum super pertinentia dominii Ecclesiæ Sancti Ambrosii Mediolanen. eadem Collegia ex causa prædicta, & pro bono pacis, ut evulsa radice communis controversiæ cum divini cultus augmento quiete, ac liberè fruantur, in posterùm omni commodo dictæ Ecclesiæ cesserunt, ac cedunt D. Archiepiscopo Mediolani pro tempore dominium ejusdem Ecclesiæ, quòd ambo prætendunt habere, ea tamen conditione, ac lege, & non aliàs, ut debeat perpetuò penès eum residere; nec ipse possit ullo umquàm tempore illud, vel aliquam illius partem, aut majorem commoditatem quam de præsenti habeant, eis, aut eorum alteri, seu aliis quibuscumque cedere, aut quod illud habeant consentire, quódque deinceps D. Archiepiscopus vigore dictæ cessionis sicut suprà factæ nihil ampliùs quavis auctoritate, titulo, aut jure, etiam si indigerent speciali mentione in dicta Ecclesia contrà, & in præjudicium utriusque Collegii, eorùmque personas, fructus, redditus, proventus, & emolumenta, tàm conjunctim, quàm divisim facere, seu prætendere possit, quàm usque in præsentem diem appareat habuisse, & fecisse respectu utriusque Collegii, singula singulis congruè referendo, vel circumscripta præsenti cessione, de jure priùs habere, & facere quavis authoritate, titulo, & jure potuisset, & posset, quòd etiam hujusmodi cessio in quieto, ac libero usu ipsius Ecclesiæ, ac etiam in aliis concordatis nullatenùs præjudicet, nec contrà eorum usum, & utilem substantiam, aut exercitium quomodolibet, & qualitercumque possit allegari, aliàs quælibet contraria prætensio, & quilibet actus in contrarium attentatus sint ipso jure nulla, non solùm præmisso, sed etiam omni alio meliori modo.

Hujus concordiæ intuitu liti fabricæ Monasterii Monachorum Sancti Ambrosii Mediolanen. finis perpetuò imponatur, neminique liceat prætendere demolitionem fabricæ hactenùs factæ, & in futurum fiendæ; teneantur tamen Abbas, & Monachi providere ne ex hujusmodi fabrica tàm facta, quàm fienda inferatur præjudicium Ecclesiæ Sancti Ambrosii videlicet altius eam tollendo versus dictam Ecclesiam ultrà summitatem in qua reperitur de præsenti, vel eidem magis appropinquando dictam fabricam, & præcipuè ne ex aqua pluvia murus Ecclesiæ è latere Monasterii labefactetur, construendo cloacam per quam illa recipiatur, & ducatur extrà. Et quia nonnullæ Cappellæ dictæ Ecclesiæ versus Monasterium occasione luminis ampliandi nuper fuerunt ab antiqua earum forma deformatæ Abbatis, & Monachorum expensis in priorem formam reducantur, quatenùs ita videatur Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Borromeo moderno Archiepiscopo, & non alteri ejus successori.

Tandem ne in posterùm aliquid in dicta Ecclesia innovetur per quod fabricæ uniformitas deturpetur, convenerunt nihil aut restaurationis, aut novæ reædificationis prætextu in eadem fieri nisi accedente expresso consensu Illustrissimi Domini Archiepiscopi Præpositi Ecclesiæ, & duorum Canonicorum per suum Capitulum deputandorum, necnon Abbatis ejusdem Ecclesiæ, & duorum Monachorum de corpore Monasterii Sancti Ambrosii per Monachos eligendorum, ità ut saltem duæ partes ex tribus consentiant, & non aliàs &c. Salva tamen superstantiaria cum suis concordatis, & quoad expensas, hæ ubi à fidelibus non subministrentur, & ubi non adsint redditus, vel proventus ad hunc effectum destinati, qui sufficiant in subsidium, Abbas, & Monachi non possint adstringi ad contribuen. ultrà tertiam partem. Attentis omnibus supràdictis concordatis voluerunt ac volunt, tàm Illustrissimus D. Archiepiscopus, quàm duo Collegia, quòd omnes controversiæ, & quæcumque lites censeantur, & sint omninò extinctæ super dominio quomodolibet prætenso; tàm per D. Archiepiscopum, quàm per utrumque Collegium, & perpetuum silentium quo ad omnes desuper impositum &c.

§. 4. Nos quibus deindè, & eidem Francisco Cardinali facta fuit postmodùm per eosdem Robertum, & Theodorum Cardinales de præmissis omnibus relatio, inviolabili concordiæ, sive transactionis, omniúmque, & singulorum Capitulorum præinsertorum observationi quantum Nobis ex alto conceditur providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris déque Apostolicæ potestatis plenitudine, concordiam, sive transactionem hujusmodi, omniáque, & singula Capitula præinserta hujusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illísque omnibus, & singulis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, ac omnes & singulos non modò consensus omnium, & singulorum in præmissis interesse habentium, seu habere prætendentium, sed solemnitatum etiam substantialium, & à quibusvis statutis, legibus, & consuetudinibus, aut aliàs quomodolibet, & ex quacumque causa requisitarum; & forsan omissarum, necnon quoscumque alios tàm juris, quàm facti, & quoslibet alios defectus cogitatos vel incogitatos, si qui principaliter, vel accessoriè aut aut aliàs quomodolibet intervenerint in eisdem, etiam si de illis ad hoc ut suppleri, & sanari possint specialis, specifica, & expressa mentio habenda esset, quàm tamen pro habita, & facta haberi volumus plenissimè supplemus, eosdémque omnes, & singulos defectus à concordia, seu transactione, & præinsertis capitulis hujusmodi ex nunc tollimus, abrogamus, & amovemus. Confirmatio Concordiæ.

§. 5. Necnon concordiam, seu transactionem, ac Capitula præinserta hujusmodi, omniáque, & singula in illis quomodolibet contenta ab omnibus, & singulis ad quos nunc quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; eáque omnia, & singula suum plenarium effectum, executionem, & observantiam sortiri debere volumus, & mandamus in omnibus, & per omnia perindè ac si cum omnibus, & singulis solemnitatibus, ac aliis etiam substantialibus de Jure privilegio etiam Apostolico, etiam in corpore Juris clauso, stylo & consuetudine etiam immemorabili, vel aliàs quomodolibet, etiam ex con- Mandat observari Concordia.

stitutionum

ſtitutionum Apoſtolicarum, vel ſtatutorum etiam juratorum, aut aliàs quomodolibet requiſitis, ac aliis ſervandis plenè ſervatis, facta, geſta, conventa, & celebrata forent.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes concordiam, ſeu tranſactionem, ac præinſerta Capitula, præſentéſque literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, aut habere prætendentes eis nullatenùs conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi minúſque cauſæ propter quas eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, vel aliàs juſtificatæ fuerint, ullo unquàm tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu etiam quantumvìs magno, maximo, & incogitato; ſive etiam ex eo quòd in eiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio etiam à jure, vel facto, aut ſtatuto, ſeu conſuetudine aliqua reſultante; ſeu etiam enormis, & enormiſſimæ, ac in totum læſionis, ſive alio capite etiam in corpore juris clauſo, aut occaſione, vel cauſa etiam quantumvis juxtà, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate noſtra hujuſmodi nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus concedi, aut ſic impetrato, vel conceſſo quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extrà poſſe, neque ipſas præſentes, & in eis contenta prædicta ſub quibuſcumque generalibus, vel ſpecialibus, etiam per viam legis, aut aliàs etiam Motu proprio, ac etiam conſiſtorialiter etiam per Nos, & ſucceſſores noſtros ex quacumque cauſa quantumlibet favorabili, & juridica editis, & edendis regulis, conſtitutionibus, revocationibus ſuſpenſionibus, limitationibus, & modificationibus; aliíſque quibuſlibet contrariis diſpoſitionibus, comprehendi, ſed ſemper ab illis libera, & exempta, & ſub poſteriori data pet quemlibet ipſorum eligenda, conceſſa, & adverſus quaſcumque impugnationes, & impedimenta valida firma, ac efficacia eſſe, & fore, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, Commiſſarios, & cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos quavis auctoritate, & poteſtates fungentes, in quavis cauſa, & inſtantia ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obſtant. quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aut Eccleſiæ, & Ordinis, ſeu Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, uſibúſque, & naturis, ſtylis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis etiam in corpore juris clauſis per Nos, ſeu quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliíſque efficacioribus, & inſolitisclauſulis, ac irritann. & aliis decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & ſæpiùs innovatis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorúmque toties tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur; præſentibus prò plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Decembris 1630. Pont. noſtri anno Octavo.

Dat. P. A. 8. die 7. Decembris.

CXLI.

Confirmatio decreti Conſiſtorialis ſuper vacatione Officiorum Romanæ Curiæ, & Locorum Montium vacabilium per aſſumptionem ad Cardinalatum illa obtinentium.

Decreta Sixti V. ſuper vacatione locorum montium, & Romanæ Curiæ officiorum per aſſumptionem illa obtinentium ad Cathedrales, vel ſuperiores Eccleſias revocavit Innocentius IX. Papa quam revocationem hic Pontifex approbat, & confirmat. Idcircò hujuſmodi. Decreta non ſunt inſerta in hoc Bullario.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1630.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem in his vigilantiæ, & auctoritatis ſuæ partes libenter interponere, ut conſtitutiones, & decreta ab eo præſertim in conſiſtorio ſuo ſecreto edita, ſemotis quibuſlibet dubiis, ſuum plenarium ſortiantur effectum.

Decreta Sixti V. ſuper vacatione Romanæ Curiæ officiorum.

§. 1. Dum itaque aliàs fœl. recor. Innocentius Papa Nonus prædeceſſor noſter decreta piæ memor. Sixti V. Papæ etiam prædeceſſoris noſtri ſuper vacatione Locorum montium, & Romanæ Curiæ officiorum per aſſumptionem illa obtinentium ad Cathedrales, vel ſuperiores Eccleſias facta revocaverit: Nóſque inſuper in Conſiſtorio noſtro ſecreto ſub die 13. Novembris anni proximi præteriti eamdem revocationem confirmaverimus, declaravimus, & ampliaverimus, prout pleniùs continetur in decreto noſtro deſuper emanato tenoris ſubſequentis, videlicet. In proviſionibus Eccleſiarum Cathedralium: Metropolitanarum, Patriarchalium, necnon in Monaſteriorum Commendis cenſuevimus, diſpenſare cum præficiendis prædictis Eccleſiis, ac eis, quibus Monaſteria commendatur, ut poſſint compatibilia retinere, ſed quoniam contingit dubitari à quibuſdam, an officia Romanæ Curiæ, & Loca montium ſub nomine compatibilium comprehendantur: Nos ut ambigendi anſam tollamus, decrevimus deſuper providere per noſtram ſpecificam, & peculiarem declarationem. Hoc præfati hujuſmodi decretum protulimus.

Innocen. IX. Papa, revocavit decreta Six. V. quam revocationem hic Pontifex approbat.

§. 2. Cum aliàs fœl. record. Sixtus Quintus Papa prædeceſſor noſter in uno ſub die 23. Septembris omnia, & ſingula Loca montium, ac Romanæ Curiæ officia per aſſumptionem illa obtinentium ad Cathedrales, vel ſuperiores Eccleſias vacare, & alio ſub die 21. Octobris 1585. celebrato Conſiſtorio illud intelligi debere de officiis, & Locis montium vacabilibus per obitum reſpectivè decreverit, & declaraverit: Nos piæ mem. Innocentii Noni Papæ etiam prædeceſſoris noſtri, qui decretum hujuſmodi revocavit, veſtigiis inhærentes, ac revocationem hujuſmodi confirmantes, declarantes, & ampliantes, Loca montium vacabilia, & officia hujuſmodi per promotionem ad Eccleſias Cathedrales etiam Metropolitan. aut Patriarchales, ſeu etiam Commendas Monaſteriorum nullatenùs, ſed per ſolam promotionem

ad Cardinalatum facien. etiamsi aliàs officia per Cardinales obtineri, vel retineri possent, de cætero vacare decernimus, & declaramus: Non obstantibus erectione officiorum, Locorum montium hujusmodi, Indultis Apostolicis, & aliis quibuscumque, illorum tenores, &c. latissimè extendent. &c. Ità ut in expeditione literarum Apostolicarum super promotione ad Ecclesias prædictas, seu Commendas Monasteriorum ex officio possit dari retentio officiorum, & Locorum montium prædictorum perindè, ac si specialiter in singulis provisionibus, & Commendis hujusmodi à Nobis faciendis eadem retentio concessa esset, & ut magis, & faciliùs innotescat, volumus, & mandamus, ut nostra decreti hujusmodi confirmatio, declaratio, & ampliatio in Cancellaria nostra Apostolica publicetur, & in illius quinterno describatur. Placet, publicetur, & describatur M.

Et Confirmat.

§. 3. Quod quidem decretum fuit deindè in Cancellaria Apostolica sub die 30. Decembris ejusdem anni publicatum; Nos clausulam latissimè extenden. in eodem decreto appositam declarare, & firmiori præmissorum obsertioni quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, ac uberius mentem nostram explicare volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione, præinsertum Decretum nostrum, omniáque, & singula in eo contenta tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausulæ præservativæ.

§. 4. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad id minimè vocati, & auditi, minúsque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenùs justificatæ fuerint; nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ratione enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio prætextu, aut jure, etiam in corpore juris clauso, seu etiam occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari in jus, vel controversiam revocari posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium dispositionum revocationibus suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis, ordinationibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Cameræ Apostolicæ Clericos Præsidentes, Palatiique nostri Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios; ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus; & Ordinationibus Apostolicis, ac nostra de non tollendum jure quæsito, aliisque Cancellariæ prædictæ regulis, necnon erectionibus officiorum, & locorum montium hujusmodi, ac illorum concessionibus, acquisitionibus, gratiis, privilegiis, facultatibus, & indultis quibuscumque, etiam non vacationis, sive extensionis illorum ad plures vitas, vel ad certum tempus etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, aut etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet per Romanos Pontifices prædecessores, successores nostros, ac etiam per Nos hactenùs, & pro tempore quibusvis personis cujuscumque qualitatis, conditionis, status, gradus, & dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque alia mundana dignitate fulgentibus, ac aliàs speciali nota dignis; etiam ex causa remunerationis meritorum laborum, resignationis, emptionis, ac cujuslibet alterius acquisitionis officiorum, & Locorum montium prædictorum, vel alia quantumlibet favorabili, privilegiata, seu onerosa causa concessis, etiamsi præfatæ concessiones, indulta, aliáque prædicta quibuscumque clausulis, etiam insolitis, ac derogatoriarum derogatoriis, irritantibúsque & aliis decretis munita fuerint, ac etiamsi in illis caveatur expressè, resignatarium, vel alium, in cujus capite posita sunt officia, aut Montium loca, non posse in illis, nec eorum fructibus quovis modo se intromittere, nisi consentiente resignante, vel alio, de cujus pecuniis empta, vel aliàs acquisita forent officia, & Montium loca prædicta; quinimò resignantem, vel alium, de cujus pecuniis empta, vel aliàs quomodolibet acquisita fuerunt, ejúsque successorem, vel successores, aut hæredes posse quandocumque sibi, vel ipsis placuerit, officium, vel officia; aut Montium loca resignare, alienare, ac de eo, vel eis, eorúmque fructibus disponere, etiam contradicente resignatario, vel quolibet alio, in cujus capite posita essent officia; vel Loca Montium prædicta, præterquàm in casu infirmitatis ipsius resignatarii; vel alterius, in cujus capite essent posita ipsa officia, vel Montium loca, ac etiam cum clausula dummodò per obitum, vel privationem ejusdem resignatarii, vel alterius personæ vacent.

Clausulæ irritantes.

§. 7. Quibus omnibus, & singulis, cæterísque contrariis quibuscumque; illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, per præinsertum nostrum Consistoriale decretum sufficienter, ac plenè derogatum fuisse, & esse declaramus; & decernimus, ac tenore præsentium plenissimè derogamus. Volumus autem, quòd præsentes omnes, & singulos etiam ignorantes ex nunc ligent, afficiant, & arctent, ac si publicatæ, & unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. R. A. 8. die 2. Jan.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Januarii 1630. Pontificatus nostri anno octavo.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1629. die verò 13. mensis Augusti supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ S. Petri de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per nos Fulvium Marzitellium, & Carolum Pelosium Sanctiss. D. N. Papæ Cursi.
Pro D. Mag. Curs. Antonius Bardus Dep.

CXLII.

Annullatio, & prætensæ Congregationis Jesuitissarum Suppressio.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1630.

Proœmium.

PAstoralis Romani Pontificis, cui cura vineæ Domini Sabaoth ineffabili superni Patrisfamilias provideutia concredita esse dignoscitur solicitudo, in id præcipuè incumbit, ne in agrum Dominicum Operarii sine delectu temerè se ingerant, fa-

ta dissipent, consita evellant, zizania inferant, & adulterinas in eo plantas superinducant.

Recenset prohibitiones veteres erectionis novarum Religionum.

§. 1. Licèt autem Orthodoxis Lateranen. & Lugdunen. Conciliorum generalium ordinationibus districtè prohibitum esset, ne quis novæ Religionis instituendæ auctoritatem sibi arrogare præsumeret, pariterque fœl. record. Joan. XXII. virorum, & piæ mem. Clementis V. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum salutaribus Constitutionibus mulierum cœtus auctoritate privata, & facto instituti tamquàm exitiosi palmites damnati, & sublati fuissent.

Narrat abusum exortum Jesuitissarum.

§. 2. Et nihilominùs (proùt non sine gravi animi nostri molestia acceperamus) in nonnullis Italiæ, & Ultramontanis partibus, certæ mulieres, seu virgines Jesuitissarum nomine assumpto, citrà ullam Sedis Apostolicæ approbationem ab aliquot annis in unum convenire solitæ vitæ religiosæ ducendæ prætextu peculiarem, & distinctum à cæteris habitum usurpassent, ædificia in Collegiorum formam redigissent, domos Probationum erexissent, in eisque Superiorem, ac prætensæ Congregationis suæ Generalem indito Præpositæ titulo, & attributis facultatibus benevisis constituissent, in illiúsque manibus Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ vota, ad instar solemnium emittere, clausuræque legibus non adstrictæ pro libitu divagari, ac specie salutis animarum promovendæ, aliáque opera permulta sexus, & ingenii imbecillitati, & modestiæ muliebri, ac Virginali præsertim pudori minimè convenientia, & quæ viri sacrarum literarum scientia, rerum usu, vitæque innocentia spectatissimi, difficile admodùm, & nonnisi magna circumspectione adhibita aggrediuntur, attentare, & exercere consuevissent.

Provisione ad obviandum dd. abusibus.

§. 3. Nos excrescentes in agro militantis Ecclesiæ vepres, maturè evellere satagentes, venerabili Fr. Aloysio Episcopo Irricaricen. nostro, & Apostolicæ Sedis in partibus inferioribus Germaniæ Nuntio, & nonnullis locorum Ordinariis dedimus in mandatis, quatenùs propositis gravibus periculis, & scandalis exindè resultantibus mulieres, seu virgines præfatas ex parte nostra Apostolica seriò monitas à temerario incepto, ad saniora consilia revocare conarentur. Verùm, quia ille Dei timore, ac nostro, & Sedis Apostolicæ respectu posthabito, in grave animarum suarum præjudicium, & bonorum omnium offensionem arroganti contumacia paternis, & salutaribus monitionibus nostris nedùm non paruerunt, sed etiam in dies similia attentare, ac multa sanæ doctrinæ adversantia proferre non erubescunt.

Annullatio & suppressio dictarum Jesuitissarum.

§. 5. Nos tantam temeritatem acriori censura coërcendam, & plantas istas Ecclesiæ Dei noxias ne ulteriùs se diffundant, radicitùs evellendas, & extirpandas esse decrevimus. Habitáque itaque cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis matura consultatione, de illorum unanimi consilio, & assensu, Conciliorum generalium præfatorum decretis, eorumdémque prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes prætensam Congregationem mulierum, seu virginum Jesuitissarum nuncupatarum, illarúmque sectam, & statum ab ortus sui primordio nullos, & invalidos, nulliúsque roboris, vel momenti fuisse & esse Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus. Et quia de facto processerunt, eadem auctoritate penitùs, & omninò supprimimus, & extinguimus, perpetuæque abolitioni subjicimus, & ab Ecclesia Dei sacrosancta funditus tollimus, delemus, & abrogamus, ac pro suppressis extinctis, evulsis, deletis, & abolitis ab omnibus & Christifidelibus haberi, & reputari, volumus, & mandamus, nec mulieres, & virgines hujusmodi ad votorum præfatorum observationem ullo modo teneri, aut obligari volumus. Insuper assertas Visitatrices, Rectrices, & Præpositam generalem, ac alias quascumque Congregationis, & sectæ hujusmodi Officiales quocumque nomine appellatas officiis, & muneribus suis de facto usurpatis omninò privatas esse, & fore decernimus pariter, & declaramus, & quatenùs opus sit privamus, illásque ab eisdem officiis, & muneribus omninò amovemus, eásque omnes, & singulas mulieres, seu virgines, quæ voti seu cujuscumque alterius vinculi, promissionis, vel cujusvis causæ prætextu ad aliquam obedientiam se obligatas putarent, ab ea, & quocumque vinculo, & promissione hujusmodi, etiam rata, & jurata absolvimus, & totaliter liberamus.

Pœnæ contravenientium, & provisio pro iis, quæ voverunt.

§. 5. Ad hæc mulieribus, seu virginibus, & assertis earum Superioribus præfato, & quocumque alio nomine nuncupatis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris pœna ipso facto incurrenda, à qua nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo constitutæ absolvi possint, & præcipimus, & mandamus, ut extrà hujusmodi Collegia, vel domus ubi hactenùs habitarunt aliæ ab aliis seorsum degant, nec insimul ad aliquod spirituale, vel temporale consultandum, seu paragendum, aut de eo quovis modo tractandum conveniant, susceptum per eas de facto, ut præfertur habitum statim deponant, nec illum ampliùs reassumant, minúsque alias virgines, seu mulieres ad illum admittant, vel recipiant, nec ulli earum ad hæc consilium, auxilium, vel favorem directè, vel indirectè, aut aliàs quomodolibet præstent, vel pro religiosis, seu prætensæ Congregationis, aut sectæ hujusmodi sequacibus ullo modo se gerant, mulieres etiam, ac virgines, quæ eo animo vota licèt de facto, ut præfertur, emiserunt, ut in illo statu ab Apostolica Sede reprobata ea emissuræ non fuissent, utpotè conditione, sub qua tacitè voverunt non impleta à votorum hujusmodi obligatione omninò solutas, & liberas esse declaramus. Quæ autem in quemcumque eventum vovere voluerunt, cùm earum vota sint simplicia honestè vivere, seorsum tamen ab aliis hujus reprobati status, ac prætensæ Congregationis, seu sectæ, & ab omnibus suprà prohibitis abstinentes in sæculo poterunt sub Ordinarii obedientia, & cum usu non dominio bonorum; sed tantùm cum facultate, quam illis misericorditer concedimus, de iis in vita, & in morte ad usus pios disponendi, ab intestato etiam ad eos, devolvendis, qui paupertatis voto ab his mulieribus non emisso, illis successuri fuissent. Et in eventum in quem aliquæ ex mulieribus, seu virginibus præfatis ad conjugalem statum transire voluerint, eis permittimus, ut matrimonium servatis aliàs servandis contrahere possint, eisque Apostolicam benedictionem, & quatenùs opus sit cum omnium votorum de facto, ut præfertur emissorum relaxatione impartimur. Quoniam verò secundùm Apostolum, qui matrimonio jungit virginem suam benefacit, & qui non jungit melius facit, easdem mulieres, & virgines per viscera misericordiæ Christi, quo possumus paternæ charitatis affectu monemus, & Domino hortamur attentè, ut desiderii, quo se regularis vitæ ducendæ teneri ostenderunt memores tollant jugum Domini super se, & abnegantes semetipsas, & sæcularia desideria approbatum ab eadem sancta Sede aliquem sanctimonialium Ordinem quantò citiùs ingrediantur, inibíque fideli, & pia promissione vota voveant Deo Jacob, & innocentes manibus, & mundo corde in assiduo spiritualium operum exercitio super ædificantes exhibeat se illustriorem gregis Christi portionem, lampadésque suas flamma charitatis succensas prudenter aptent sponso cœlesti obviam iture.

§. 12. De-

Clausula preservativa est decreto irritanti.

§. 6. Decernentes præsentes literas, omniáque & singula in eis contenta, etiam ex eo, quòd prætensæ Congregationis, vel sectæ mulieres, aut virgines hujusmodi, vel alii quicumque in præmissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes eis nullatenùs consenserint, nec ad ea vocatæ, & auditæ, seu vocati, & auditi, minúsque causæ, propter quas eidem præsentes emanarint adductæ verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenùs justificatæ fuerint; nullo unquàm tempore de subreptionis, & obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ, remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam ut, seu se juvare in judicio vel extrà posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendi comprehendi, sed semper ab illis exceptas perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat publicari servari, & servari cum executorum deputatione facultatibus.

§. 7. Quocircà venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis, necnon Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis ubilibet existentibus per Apostolica scripta mandamus, ut statim, atque præsentes nostræ literæ ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam quoquomodo pervenerint, illas solemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcumque debitæ executioni demandent, & demandari procurent per se, vel alium, seu alios, prout in Domino judicaverint expedire, Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis compescendo invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus quatenùs opus sit recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una & in Concilio generali edita de duabus dietis, cæterísque in contrarium facientibus quibuscumque.

Affissioni præsentium in Urbe dat vim personalis omnium præsentationi.

§. 8. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit volumus, pariter, & mandamus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cùm indè amovebantur earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ, & affixæ post duos menses à die publicationis computandos omnes, & singulos quos concernunt perindè afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis à fidem dari vult.

§. 9. Quódque illorum transumptis impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ extinctionis, subjectionis, ablationis, deletionis, abrogationis, decretorum privationis, amotionis, absolutionis, liberationis, præcepti declarationum, permissionis, impartitionis, monitionis, hortationis, voluntatem, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 8 die 13. Jan.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Idus Januar. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Publicatio die 21. Maji 1631.

In Dei Nomine Amen. Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo trigesimo primo, die verò vigesimo primo mensis Maji, Indictione decima quarta. Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ Octavi Anno ejus Octavo, supràdictæ literæ Apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ac dimissis copiis ad Basilicas Ecclesiarum SS. Joannis Lateranen. necnon Principis Apostolorum Urbis, & in Cancellaria Apostolica, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Augustinum de Bolis Romanum Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

Matthias Spada Mag. Cursorum.

CXLIII.

Declaratio facultatum transferendi, & reservandi pensiones Beneficiorum per S. R. E. Cardinales obtentorum.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita, An. D. 1631.

Prooemium.

CUm S. R. E. Cardinales, qui circà universalis Ecclesiæ regimen Nobis, & Romanis Pontificibus pro tempore existentibus assistentes, & in partem solicitudinis vocati, graves, & continuos labores, ac non mediocres impensas in obeundo munere suo sustinere coguntur, speciali prærogativa, maximè ob eminentiam dignitatis à Sede Apostolica deceat honorari, plerumque verò contingat dubitari, an in facultatibus, indultis, & privilegiis transferendi pensiones, quæ à Sede Apostolica personis benemeritis quandóque concedi solent, intelligantur comprehensi Cardinales beneficia pensionibus obnoxia obtinentes.

Declat. Indultorum circa reservationes, & translationes

§. 1. Nos omnem ambiguitatis nondùm præcidere, & indemnitati eorumdem Cardinalium consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, ac de Aposto-

beneficiorum per S.R.E. Cardinales obtentorum.

licæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione decernimus, & declaramus, omnia, & singula indulta, privilegia, & facultates transferendi, vel mediante cassatione antiquarum de novo reservandi quascumque pensiones super quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, etiam speciali nota dignis, quibusvis personis etiam S.R.E. Cardinalibus anteà assignatas, vel pro tempore assignandas per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam iteratis vicibus, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis hactenùs concessa, & in futurum concedenda, non tamen executioni mediante translatione, seu cassatione, & nova reservatione hujusmodi pro tota quantitate concessa demandata, pro ea quantitate, pro qua translatio, seu nova reservatio hujusmodi tempore datæ præsentium actu facta, nec dùm fuerit, nullo modo se extendere debere ad pensiones reservatas, seu pro tempore reservan. super beneficiis, quæ tempore concessionis facultatum, & indultorum, ac privilegiorum prædictorum obtinebantur, vel obtineri contigerit per Cardinales, aut alios, qui etsi tunc temporis tales non essent, posteà ad Cardinalatus dignitatem assumantur, dummodò tamen translationis, seu cassationis, & novæ reservationis pensionum hujusmodi adhuc per eosdem obtinerentur, nisi in eisdem facultatibus, indultis, & privilegiis specialis, & expressa eorumdem Cardinalium beneficia prædictæ obtinentium, vel individua de corpore ipsorum beneficiorum mentio facta fuerit, aut eorum, qui tempore concessionis facultatum, indultorum, & privilegiorum prædictorum beneficia obtinerent, expressus ad hoc accesserit assensus.

Extensio dictæ Declar.

§. 2. Et insuper statuimus, & ordinamus indulta, privilegia, & facultates transferendi, vel cassandi, & de novo reservandi pensiones, quæ alias vigore quorumcumque privilegiorum translatæ, vel de novo reservatæ fuerint, etiamsi in dictis facultatibus, indultis, & privilegiis inserta sit clausula, etiam alias translatas, non afficere beneficia, quæ prædicti Cardinales tempore iterandæ translationis, seu cassationis, & novæ reservationis hujusmodi pensionum obtinebant, licèt tempore concessionis, eorumdem indultorum, privilegiorum, & facultatum ab eis, vel aliis Cardinalatus honore minimè fulgen. obtinerentur, ad effectum ut pensiones hujusmodi de cætero ulteriùs transferri, seu de novo reservari queant, nisi illud in facultatibus, indultis, & privilegiis hujusmodi de prædictis Cardinalibus expresè disponatur, vel ipsi ad id præstiterint assensum, aut individua, & specialis fiat mentio de corpore beneficii super quo impositas pensiones transferendi facultates, indulta, & privilegia fuerint concessa.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes necnon causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generales Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos judicari, & definiri, & interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari etiam decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus indultis, privilegiis, & facultatibus, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, statuti, ordinationis decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 8 die 31. Mar.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Kalend. Aprilis Pontificatus nostri anno Octavo.

Public. die 21. Apr.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione decimaquarta die verò undecima mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ Octavi, anno ejus octavo, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Cancellariam Apostolicam, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Augustinum de Bolis Apostolicum Curs.

Matthias Spada Mag. Curs.

CXLIV.

Contrà Astrologos Judiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum Judicia facere, necnon eos qui illos de super consulere præsumpserint; cùm innovatione similis Constitutionis Sixti V.

Hanc Sixti V. Const. vide sup. tom. 2. Constit. 17. Cœli &c. ubi alias indicatas reperies.

Edita, An. D. 1631.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

INscrutabilis Judiciorum Dei altitudo non patitur ut humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu Divino recondita, & ipsis beatissimis Spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solùm explorare, sed etiam tamquàm explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioso exemplo venditare præsumant.

Causa hujus Constitutionis.

§. 1. Hinc est, ut quamvis Civilibus canonicisque sanctionibus, ac novissimè fœl. record. Sixti V. Papæ Prædecessoris nostri Constitutione desuper edita Astrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum qui eventura divinare, seu prædicere audent, quosque uti homicidas, & maleficos antiquitas æstimavit, illorum potissimùm, qui de summa Reipublicæ, vel Principis salute judicia ferre præsumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii propriæ pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniventia audentiores facti vanámque fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, graveque Christifidelium scandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica & prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

Innovatio Constit. Sixti V.

§. 2. Nos itaque perniciosis hujusmodi ausibus quantum nobis ex alto conceditur obviam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum gravitate & severioris disciplinæ fræno coërcere volentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris déque Apostolicæ potestatis plenitudine Constitutionem per præfatum Sixtum Prædecessorem desuper; ut præfertur, editam Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus; confirmamus & innovamus.

Contraventiones & con-

§. 3. Et insuper omnibus, & quibuscumque Laicis cujuscumque sexus conditionis status, gra-

dus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis ejusque usque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatoresvè nuncupatos, vel alios Astrologiam judiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cætero consuluerint, sive desuper eorum judicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisve quomodolibet usi fuerint, vel illas penès se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, necnon iisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, sive aliis Astrologiam Judiciariam, seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profitent. qui Judicia, Prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis etiamsi id non certo se affirmare protestentur fecerint sive à se, vel ab aliis jam facta, seu factas inposterùm penès se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo etiam improbando scripto, vel verbis tractaverint nedùm excommunicationis majoris latæ sententiæ, sed etiam uti læsæ Majestatis reis, ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum suorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcumque Civitatum, Castrorum, & locorum Jurisdictionalium, & feudalium.

§. 4. Clericis quoque, & presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu instituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis, Regularibus utriusque sexus, ultrà prædictas, etiam privationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque & inhabilitatis perpetuæ ad illa inposterùm obtinenda, ita quòd personæ Ecclesiasticæ prævia illarum degradatione Curiæ seculari tradantur puniendæ, in Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam Superiori Ecclesiastica, vel mundana quantumvis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis, etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum, quarumvis amplissimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurrent. Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

§. 5. Cognitionem autem causarum hujusmodi quoad personas Ecclesiasticas tàm sæculares, quàm regulares in Urbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostrum in eis Vicarium in spiritualibus generalem, necnon ejusdem Urbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet insolidum, extrà verò Urbem, & districtum prædictum in Provinciis, Nobis & Apostolicæ Sedi subjectis ad S. R. E. Cardinales in eisdem Provinciis de Latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate ecclesiastica constitutos pro tempore existentes; in aliis verò omnibus, & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cujusvis alterius Principis ditione comprehensis, privativè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitùs exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet verò locorum etiam ad hæreticæ pravitatis Inquisitores spectare volumus.

§. 6. Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus prædictis nunc, & pro tempore existentibus, necnon venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet, in suis Civitate, & Diœcesi, & quoad loca intrà fines alicujus Diœcesis, non tamen de Diœcesi existentia ipsarum Diœcesum, intrà quarum fines eadem loca extiterint, quo verò ad ea, quæ extrà fines alicujus Diœcesis consistunt, vicinoribus, eorumdem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenùs ad instantiam cujusvis Fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam avocatione à quibusvis aliis suprà non expressis, nec à Nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant omnibus juris, & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii sæcularis.

§. 7. Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus Conventibus; & Fratribus quantumvis exemptis, ne sub privationis beneficiorum, & officiorum quorumcumque per eos respectivè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis hujusmodi procedentes quoquomodo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, quoties ad id fuerint requisiti Religiosos ipsos, etiamsi alicujus loci regularis Superiores actu fuerint Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus iidem mandaverint, consignent cum scripturis, & actis si quæ facta fuisse reperiantur. Inhibitio, & pœna contra turbantes, vel non obedientes Judicibus prædictis.

§. 8. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, delegatos, & Commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Decretum irritans.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero septuagesima, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac Provinciarum, Regnorum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam Sancti Joannis prædictorum, aliorúmque Religiosorum, & piorum locorum, etiam juramento, confirmatio Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Provinciis, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorum, Universitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Publicationem in Urbe omnes arrentare vult:

§. 10. Volumus autem, quòd præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquàm sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscumque tàm in statu nostro temporali, quàm extrà eum, ubique locorum perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique nominatim & personaliter intimatæ fuissent.

Transumpt. fides.

§. 11. Quódque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Actio pœnalis.

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 8. die 1. Apr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXXI. Pridiè Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Publicat. die 10. Apr.

In Dei Nomine Amen, Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi Millesimo sexcentesimo trigesimo primo, die verò decima mensis Aprilis, Indictione decimaquarta, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbe in Divina providentia Papæ Octavi, Anno ejus Octavo supràdictæ literæ Apostolicæ præsentatæ, & affixæ fuerunt ac dimissis copiis ad Basilicas Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Urbis, & in Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per Nos Augustinum de Bolis, & Joannem Radicam, S. D. N. Papæ Cursores.

Matthias Spada Magister.

CXLV.

Revocatio licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Similem Const. habes suprà Greg. XV. ubi vide adnot.

Edita An D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

Apostolatus officium Nobis, nullo licèt meritorum suffragio, Divina providentia commissum postulat, ut ad ea vigilantiæ nostræ parte propensiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, ubi divina gratia illæsa viget, conservetur, & ubi restitutione indiget, reparetur.

Prohibitio habendi, & legendi libros prohibit. s, cum licentiarum revocatione.

§. 1. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiva sit, hujusmodi libros legendi licentiarum copia, Nos, ut huic malo maturè occurratur, & in posterùm quam cautissimè licentiæ hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, Omnes & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis Laicis, & Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm regularibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per literas Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocumque & ex quacumque causa tàm in forma Brevis, quàm aliter quomodocumque à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque aliis à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à Nobismet ipsis per literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, seù Chirographum manu nostra signatum, concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione, revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique suffragari.

Contravenientibus pœnas imponit.

§. 2. Quinimò libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Judicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

Hanc legem Pont. publicatam omnes ligare decernit.

§. 3. Decernentes, ut præsentes literæ postquàm valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infrà duos, citrà montes, ultrà verò montes, infrà quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos ad quos spectat, arctent, & afficiant, perindè ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, quódque dictis duobus, & respectivè quatuor mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos hujusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantò citiùs comburere debeant, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione Sancti Officii, dùm singulis hebdomadis coràm Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedantur.

Transumptorum fide.

§. 4. Ac quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 8. die 2. Apr.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno octavo.

Publicatio.

Die & Anno suprà dicto publicatæ fuerunt suprà dictæ literæ per earum affixionem ad valvas Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis & consuetis, ut moris est per me Andream Scalmanum S. D. N. Papæ Curs.

CXLVI.

Super professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Novitiatu.

Novissimè à Sacra Trident. Concilii Congregatione editum fuit Decretum quoad Novitios receptos, & professos contrà formam Decretorum editorum à Clem. VIII. & innovatorum à S. D. N. Urb. VIII. quod uti necessarium, ac huic Const. valdè consonans, hic subinserere opportunum censui.

Constitut. verò Clemen. VIII. habes suprà tom. 3. Nullus omninò; & Const. S. D. N. Urban. VIII. habes suprà Const. 28. Sac. Congregatio. Qui etiam declaravit, quòd Regulares, qui ultrà vota solita, etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extrà Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, aut dimissionem, à à voto hujusmodi nullatenùs liberantur, in Const. 196. Cùm sicut hic infrà, ubi alia de Regularibus indicabo.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam,

Exordium.

Religiosos viros, qui spretis hujus sæculi vanitatibus, divini Numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo sese manciparunt, pastorali benignitate complectimur; utque in vocatione, qua vocavit eos Dominus permaneant, juxtà creditum Nobis Apostolicæ servitutis munus sedulò intendimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studiis intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicæque Ecclesiæ decus, & exaltationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Multi regulares ob non

§. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, Institutorum re-

gularium

...actum in domibus destinatis Noviciarum, professionem invalide emiserunt.

gularium professores ad habitum regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu domibus regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minimè fecerint, proindéque juxtà Constitutionem fœlicis recordat. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri desuper editam, professio per eos subindè emissa invalida existat.

...Pont. mandat, ut hi servatis servandis ad professionem emittendam iterum admittantur, & emissa omnibus suffragetur.

§. 2. Nos Religiosos prædictos ex hujus sanctæ Sedis benignitate specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes; eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Venerabilib. fratribus nostro Scipioni Episcopo Sabinen. Cardinali Burghesio nuncupato, majori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterísque Ordinariis locorum, in quibus eorumdem Religiosorum Monasteria, Domus, seu Conventus, aliavè regularia loca consistunt, sivè ipsorum Religiosorum præfectis, vel Superioribus generalibus, per præsentes committimus; & mandamus, quatenùs omnes & singulos Religiosos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs canonicè recepti annum probationis in Monasteriis, seu domibus regularibus ad id designatis minimè fecerunt, subindéque professionem nihilominùs emiserunt, ad professionem, denuò servatis aliàs servandis emittendam: quæ sic emissa illis; & eorum cuilibet tàm in foro interiori, quàm exteriori suffragari debeat, absque novo probationis anno; ex speciali hujus sanctæ Sedis benignitate, auctoritate nostra Apostolica recipiant, & admittant.

Et eos ad sacros Ordines suscipiendos, ad alias dignitates, & officia religionum restituit.

§. 3. Eosdémque, postquàm professionem denuò, ut præfertur, emiserint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas si ab initio validè professi essent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent, ità ut habeant eumdem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si priores professiones validæ fuissent: & nondùm promoti, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines, servatis aliàs servandis, promoveri: & tàm ipsi; quàm alii ad eosdem ordines jam ritè promoti in susceptis ordinibus hujusmodi, etiam in altaris ministerio ministrare liberè & licitè valeant: necnon omnes actus, sive contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alteriùs Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solùm; quia initi aut contracti sunt invalidè ab iis, qui contrà dictam Constitutionem in Domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbatis; professi sunt, auctoritate nostra prædicta confirment, & approbent, ac validos omninò declarent. Super quibus omnibus, & singulis plenam & amplam facultatem dicta auctoritate, tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Clausulas præservativas apponit.

§. 4. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta, atque illarum vigore in præmissis facienda; & exequenda quæcumque, valida, firma, & efficacia existere: & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac omnibus, & singulis quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; eósque præmissorum occasione, vel prætextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenùs posse, nec debere.

Aliter judicari prohibet.

§. 5. Sicque, & non aliter ab omnibus censeri; & ita per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales; etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios; in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria abrogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis; ac præfatâ Clementis prædecessoris, aliisque constitutionibus; & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenùs opus sit, Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi, & quibusvis aliis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorúmque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritant. aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium; etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & alias quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica; & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Superioribus jubet, ut sic per hoc servare faciant Const. Clem. VIII.

§. 7. Cæterùm, similibus in posterùm consultum esse volentes, dilectis filiis Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi Superioribus generalibus, quocumque nomine censeantur, ac Procuratoribus etiam generalibus per præsentes districtè præcipimus, & mandamus; quatenùs statim visis præsentibus, loca, Monasteria, vel Conventus, in quibus Novitii probationis annum agant, & alia quæ dictus Clemens prædecessor super hac re observari jussit, observentur designari, sive confirmari omnino curent, & faciant.

Exemplis credi mandat.

§. 8. Ut autem præsentium notitia ad omnes facilius perveniat; volumus ut illarum exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis; & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhibeteur; si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 8 die 2. April

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontific. nostri anno 8.

Sequitur Decretum editum à Sacra Tridentini Concilii Congregatione; quoad Novitios receptos, & professos contra formam Decretorum.

Sanctissimus D. N. Urbanus divina Providentia Papa Octavus.

Ad occurrendum motibus; qui possent in Religionibus oriri, occasione receptionis Novitiorum, & professionis per eos emissæ Conventibus non designatis, contrà formam decretorum sanct. mem. Clementis VIII. de Novitiis ad habitum Regularem, & professionem non admittendis; nisi in Conventibus designatis; audita super hoc sententia Sacræ Congregationis Concilii; declaravit; ac decrevit hujusmodi receptos, & professos contrà formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & professionis; non posse super hujusmodi nullitate post lapsum quinquennii quoquo modo audiri.

Quod ut aliqui contrà formam præfatorum decretorum recepti; & professi; è Religione infrà quinquennium exire, vel Superiores extrà eam respectivè illos ejicere voluerint, eadem Sanctitas suas decrevit, ut tàm ipsi professi; quàm Su-

periores

periores respectivè teneantur jura, quæ sibi favere visa fuerint, priùs deducere coram eadem Sac. Congregatione, quæ ex speciali etiam Suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa providebit. Inhibent. propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus jurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque Judicibus Ordinariis, & delegatis, etiam causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nunciis, ne in posterùm in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione, sub pœna ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates, interdicti ab ingressu Ecclesiæ: quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Judices prædictos, excommunicationis latæ sententiæ: quo verò ad Nuncios, & ad S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, indignationis Suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio ejusdem ponendarum.

Si verò iidem, ut suprà recepti, & professi, juribus suis minimè deductis coràm Sac. Congreg. Concilii, & sine illius expressa licentia è Religione exire, vel Superiores Religionis eos ejicere ausi fuerint? ipsi recepti, & professi, tamquàm Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur; necnon contrà eosdem juxtà formam decreti de Regularibus Apostatis, & ejectis ejusdem Sanctitatis Suæ jussu ab eadem Sac. Congreg. sub die 21. Septembris 1634. editi procedatur: & Superiores, qui ejecerint, pœnam suspensionis à Divinis; necnon privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterùm obtinenda, vocisque activæ, & passivæ ipso facto absquè alia declaratione incurrant. Datum Romæ die 5. Januarii 1636.

CXLVII.

Quòd Laici professi Ordinis Capuccinorum præcedant Clericos Novitios nondùm professos in omnibus locis tàm publicis quàm privatis.

De tota istorum Fratrum Religione plenè notatum est ad Constit. 21. Clem. VII. tom. 1. Innovatio constitutionum prohibentium habitum Capuccinorum deferendi ab aliis Regularibus facta fuit à Greg. XV. Constit. Ex injuncto.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Petitio dubii.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Naniensis Vicarii Generalis, ac Francisci Genuensis Procuratoris generalis Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum expositum fuit, quòd à Venerab. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negociis Regularium Præpositis emanavit decretum tenore subsequentis, videlicet, Pater Frater Hieronymus Narniensis Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, ac P. Fr. Franciscus Genuensis ejusdem Ord. Procurator Generalis supplicant Sac. Congregationi pro opportuna declaratione infràscripti dubii nuper ab aliquibus excitati, videlicet.

Decretum.

§. 1. An Laici professi ejusdem Religionis possint, ac debeant inter sedendum, eundum, atque in omnibus locis, & in publicis, ac privatis actionibus semper, & ubique præcedere Clericis nondùm professis. Sacra Congregatio Cardinalium negociis Regularium præposita censuit, Laicos professos utique posse, ac debere Novitiis etiam Clericis, nondùm professis, in omnibus locis, & actionibus, tàm publicis, quàm privatis, ut suprà, in dicta Religione præcedere. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Exponentes prædicti plurimùm cupiant, Decretum præinsertum pro illius validitate, & subsistentia firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri.

Confirmatio decreti pro-ut ia rubr.

§. 2. Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm Juris, quàm facti, defectus, si qui quomodolibet intervenerint supplemus.

Transumptis credi jubet.

§. 3. Decernentes, illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, sicque, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac d. Ord. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. die 7. Maji.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Maji 1631. Pontificatus Nostri Anno VIII.

CXLVIII.

Indultum pro Fratribus Reformatis Discalceatis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniæ, quærendi, petendi, & recipiendi eleemosynas, oblationes & legata, ac alia quæcumque subsidia pro Redemptione Captivorum relicta.

Vide, quæ de his Fratribus indicavi tibi suprà ad Const. 108. Cùm sicut.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Ex incumbenti Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio Religiosos viros, divinis obsequiis, ac charitatis, & misericordiæ operibus, præsertim verò fidelium Captivorum Redemptioni vacantes, pastorali benignitate complectimur: utque in eorumdem operum exercitio magis confoveantur, ac vota sua Domino reddere valeant, favoribus, & gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Constitut.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Gabriel de Assumptione Minister Generalis, & Procurator etiam Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum, quòd aliàs fœlic. record. Nicolao Papæ IV. prædecessori nostro, pro parte tunc existentium Procuratoris, & Fratrum Domus Sanctæ Mariæ de Mercede Captivorum Barchinonen. Ord. S. Augustini exposito, quòd ipsi omnia sua, quæ habebant, sollicito studio pro Captivorum Redemptione reponebant, proindéque cupiebant exhiberi eis, quæ pro Redemptione Captivorum hujusmodi à Christifidelibus relinquebantur: idem Nicolaus prædecessor tunc existenti Episcopo Cæsaraugustan. per suas desuper expeditas literas sub certis modo, & forma tunc expressis, dedit in man-

datis

datis, quatenùs pecunias, terras, possessiones, & alia bona, quæ generaliter Christifidelibus relinquuntur pro Redemptione hujusmodi facienda, illis dumtaxat exceptis, quæ certis, & expressis personis in Captivitate detentis relicta, vel dimissa esse censerentur, Priori, & Fratribus prædictis exhiberi faceret, prout in dictis literis pleniùs continetur. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, proprium, ac præcipuum Fratrum Discalceatorum prædictorum institutum sit, Christifideles in teterrima infidelium servitute detentos redimere, & quò redemptio hujusmodi copiosiùs, & frequentiùs fiat, juxtà eorum Regulæ dispositionem caveatur, ut in omnibus ipsius Congregationis Conventibus tertia pars omnium bonorum, & eleemosynarum ad hunc effectum separetur; facultates verò propriæ ad hujusmodi pium, Deóque maximè acceptum opus peragendum nequaquàm sufficiant, ac Christifidelium eleemosynæ ad valdè opportunè existant. Nobis propterea Gabriel, & Procurator prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Facultas de qua in rubr. §. 2. Nos igitur Fratres Discalceatos prædictos in hujusmodi piis, & sanctis operibus confovere, ac specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; De Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio; Fratribus Discalceatis prædictis nunc, & pro tempore existentibus; quòd omnia, & singula, eleemosynas, oblationes, (atque) legata tàm ex testamento, quàm aliàs quomodolibet pro Redemptione Captivorum legata, & relicta, necnon alia quæcumque subsidia, in omnibus Civitatibus, Villis, & Castellis Regnorum Hispaniæ, & præcipuè Aragoniæ, Navarræ, Valentiæ, & Cathaloniæ, quærere, petere, & recipere liberè, & licitè possint, & valeant; dummodò tamen in quærendis, & recipiendis eleemosynis prædictis, nihil à Fratribus Discalceatis prædictis contrà dispositionem Sacri Conc. Trident. super prohibita eleemosynarum quæstuatione committatur, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes, illos super præmissis à quoquam quavis auctoritate fungente, quovis prætextu, causa, vel occasione quoquo modo impediri, molestari, vel perturbari nullatenùs posse, nec debere.

Clausulæ præservativæ. §. 3. Præsentésque literas semper, & perpetuò validas firmas, & efficaces existere, & fore; eisdémque Fratribus Discalceatis in omnibus; & per omnia plenissimè suffragari; illósque earum commodo, & effectu, pacificè frui, & gaudere.

Clausula sublata. §. 4. Sicque eb omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio. §. 5. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in d. Regnis constitutis, ac dilectis filiis illorum officialibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Discalceatorum, prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque & illis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos præmissorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariorum derogatio. §. 6. Non obstante piæ memor. Bonifacii Octavi Papæ Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus Dietis dummodò ultrà tres Dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur; ac prædicta Nicolai prædecessoris, & quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Domus Sanctæ Mariæ Captivorum hujusmodi, & illius Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Transumptorum fides. Quibus omnibus, etiam si de illos specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servenda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 8. An. 5. die 5. Julii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Junii 1631. Pontificatus nostri Anno 8.

CXLIX.

Communicatio & extensio Indulgentiæ Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Assisien. tempore Pestis.

Vide quæ judicavi ad Constit. Gregor. XV. Splendor. Paterna de hac Indulgentia, in Tomo 3.

URBANUS OCTAVUS, PAPA.

Edita A. D. 1631.

Ad futuram rei memoriam.

Prœmium. PAternæ, ac præcipuè charitatis affectus, quo Gregem Dominicum curæ nostræ divinitùs creditum prosequimur, jugiter nos impellit, ut communi illius saluti, quantum nobis ex alto conceditur, pastorali sollicitudine invigilemus.

Causæ hujus Constit. §. 1. Cùm itaque (sicut non sine gravi animis nostri mœrore accepimus (contagium in nonnullis Civitatibus, & locis Italiæ grassari afferatur: Nos pro injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, pro avertendo quantum divinæ placuerit misericordiæ, contagionis hujusmodi periculo, nihil, quod ad muneris nostri partes spectat, prætermittere, ac ejusdem Gregis spirituali consolationi, animarúmque saluti paterna charitate consulere volentes.

Extensio Indulg. de qua in rubr. §. 2. De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Indulgentiam Portiunculæ nuncupatam, Christifidelibus Ecclesiam Beatæ

Mariæ Angelorum Assisien. secunda die mensis Augusti visitantibus concessam, omnibus, & singulis Domorum Fratrum Ord. Minorum Sancti Francisci tàm Conventualium, quàm de Observantia & Cappucinorum nuncupatorum, ac etiam tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci ubilibet in Italia existentibus, & ubi Domus eorumdem Fratrum non sunt, matricibus, seu principalibus Ecclesiis locorum in Italia similiter existentium, Apostolica auctoritate tenore præsentium, hac vice dumtaxat, communicamus, & ad easdem extendimus; Ita ut Christifideles Ecclesias dictorum Fratrum, & ubi illæ non sunt, Matrices, seu principales Ecclesias prædictas eadem die devotè, & verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti visitantes, eandemmet Indulgentiam consequantur, sicut consequerentur, si dicta die Ecclesiam præfatam S. Mariæ Angelorum visitarent, aliáque propterea adimplenda adimplerent.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstante regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An 8. die 15. Julii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii 1631. Pontificatus Nostri Anno 8.

CL.

Confirmatio nonnullorum statutorum Congregationum Lombardiæ, & Tusciæ Monachorum Ordinis Cistercien. pro reformatione in eis statuenda.

Cistercienses Provinciæ Tusciæ, & Lombardiæ, univit in unam Congregationem S. Bernardi in Italia nuncupandam Alex. VI. in Constit. 7. tom. 1. Julii II. Const. 26. tom. 1. Declarationem horum statutorum vide infrà Constit. 181.

Horum statutorum declarationem habes infrà in Constit. 181. Aliàs à Nobis.

Edita An. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. In Sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, inter multiplices pastoralis officii curas, ad ea, per quæ regularis disciplinæ observantia, in quibuslibet Ordinibus, & Congregationibus conservetur, majoráque in dies suscipiat incrementa, sollicitudinis nostræ partes sedulò intendimus, & iis, quæ propterea piè, & providè statuta sunt, Apostolicæ confirmationis robur libenter adjicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Constit. §. 1. Cùm itaque sicut accepimus, pro fœlici, prosperóque dilectorum filiorum Monachorum Cistercien. Ordinis Congregationem Lombardiæ, & Tusciæ insimul unitarum statu, & reformatione in eis introducenda nonnullæ Constitutiones, & Statuta edita, & à dilecto filio nostro Roberto tituli Sancti Alexii Presbytero Cardinali Ubaldino nuncupato ejusdem Ordinis apud Nos, & Apost. Sedem Protectore, ac duobus aliis Romanæ Curiæ Prælatis pietate, doctrina, & religionis zelo præstantibus, auditis etiam, & consultis dilectis filiis Præside, Procuratoribus, & duobus ex antiquioribus Abbatibus dictorum Congregationum de mandato nostro visa, & examinata fuerint, tenoris subsequentis, videlicet.

Prælati omnes quorumcumque Monasteriorum, residentiam requirentium debeant omninò in eis personaliter residere, nec ullo prætextu possint ab eis abesse ultrà tempus præscriptum à Constitutione edita à Capitulo anni 1616. videlicet ultrà viginti dies continuos. Prælatus, qui ultrà prædictum tempus, vel in totius anni cursu ultra quadraginta dies, continuis, & discontinuis computatis, sine licentia Regiminis ex legitima causa in licentia exprimenda, & in actis redigenda abfuerit à suo Monasterio graviter puniatur, etiam privatione vocis activè, & passivè; quin etiam ipsi Patres Regiminis si absque legitima causa hujusmodi licentiam concesserint, gravi pœna pro arbitrio diffinitorii afficiantur.

Universæ pecuniæ communes ad singulas Provincias pertinentes habeantur repositæ, & custoditæ in capsa Triclavi, quæ retineatur clausa tribus clavibus, quarum una remanere debeat penès caput Regiminis, altera penès Visitatorem majorem, tertia penès Capserium, quo munere fungi debeat unus ex Abbatibus titularibus, qui pro Provincia Lombardiæ teneatur residere in Monasterio Sancti Ambrosii, isque eligi debeat per Capitulum, & interim usque ad ejus celebrationem providebit Illustrissimus Protector, dictúsque Capserius retineat libros introitus, & exitus, in quibus omnia distinctè, & ordinate adnotata appareant, nec aliquid omninò erogare, aut solvere possit alicui personæ absque mandato regiminis in scriptis; si sine prædicto mandato quidquam erogaverit, aut solverit, privationem Prælaturæ incurrat. Supradicta autem computa, & mandata omnia singulis trienniis ante Capitulum diligenter revideri debeant pro Provincia Lombardiæ per Abbates Sancti Stephani de Comu, & Aquæfrigidæ, & pro Provincia Tusciæ à duobus Prælatis, qui non sint de Regimine deputandis per Capitulum, qui accuratam, & plenam relationem prædictorum omnium teneantur facere in Capitulo.

Tempore per Constitutiones ad eligendos Discretos deputato nullus Abbatum accedat ad aliena Monasteria, sed unusque in suo se Monasterio contineat, qui secùs fecerit voce activa in Capitulo careat. Electi in Discretos ad alia Monasteria se minimè transferant, sed in Monasterio, in quo degunt, expectent discessum sui Abbatis, cum quo recta accedant ad Capitulum, si secus fecerint, voce in Capitulo careant, interim verò se informent de statu Monasterii, de quo interrogentur diligenter in Capitulo & casu, quo non reperiantur diligenter informati sint inhabiles in futurum ad hoc, ut possint eligi in Discretos.

In virtute sanctæ obedientiæ præcipimus tàm Discretis, ne quid omninò ab aliquo accipiant, etiam spontè dari volenti, quàm omnibus, & singulis Religiosis, ne quid eis dare audeant, quòd si delictum hujusmodi quis commiserit, & fuerit sufficienter probatum, tunc tàm dans, quàm accipiens privationem omnium dignitatum, & officiorum incurrant, necnon inhabilitatem ad eadem, vel alia in perpetuùm.

Sicut ex præscripto Constitutionum tenentur subditi singulis annis tradere Prælatis inventaria rerum omnium, quas habent penès se, & contra facientes inter proprietarios censentur, & pœnis proprietariorum in utroque foro subjacent, ita in posterùm Abbates, & Prælati omnes tempore visitationis, ipse autem Præses, & Visitatores tempore Capituli sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis teneantur conficere Inventaria, in quibus cujuscumque generis res omninò, pecuniæ, & bona, quæ habent, quàm diligentissimè præscripta sint, eáque Abbates, & Prælati supradicti Præsidi & Visitatoribus, Præses autem, & Visitatores Diffinitoribus tradere teneantur reponenda, & conservanda in capsa triclavi; supradicti Visitatores

tores autem, & Diffinitores in hac re, juxtà præscriptum Sacri Concilii Tridentini curare debebunt, ut uniuſcujuſque Religioſi ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod neceſſarium eis denegetur.

Viſitatio Provinciarum, ut feriò, & diligenter habeatur debeant omninò Præſes, & Viſitatores omnia, & ſingula Monaſteria perſonaliter per ſe ipſos viſitare, & in unoquoque per tantum tempus permanere, quantum neceſſarium erit ad viſitationem plenè, & accuratè perficiendam, ideóque viſitationibus peragendis deputentur menſes Aprilis, Maji, & Junii, non obſtante diſpoſitione Conſtitutionum in hac parte; Viſitatores autem utantur communi menſa, & frugali victu ſint contenti, idémque ſervetur in Comitiis. Præcipitur verò in virtute ſanctæ obedientiæ, ut tàm ipſe Præſes, & Viſitatores, quàm eorum converſi, & famuli nihil omninò percipiant à viſitatis, etiam ſponte dare volentibus, quòd ſi Præſidem, ſeu Viſitatores quicquàm accepiſſe, aut à converſis, & famulis ipſis ſcientibus acceptum fuiſſe probatum fuerit, inhabiles ſint in perpetuum ad Præſidentatus, & Viſitatoriatus officia, & nihilominùs converſi, qui acceperint graviter puniantur, & famuli abſque ſpe reditus à ſervitio ſtatim ejiciantur.

Abbas, Prior, & Reviſores computatorum teneantur ſingulis menſibus revidere computa, tàm Cellerarii, quàm aliorum omnium miniſtrorum, qui ſubſtantiam Monaſterii adminiſtrant, ſinguli autem eorum adnotent in particulari ſchedula omnia ſupradicta computa, dictámque ſchedulam penès ſe cuſtodiant, & tempore Capituli conſignent diſcr.to, ut deferat ad Capitulum, quòd ſi Abbas facere neglexerit de mala adminiſtratione ſuſpectus cenſeatur, ità ut adverſus eum procedi poſſit.

Converſi deputari non poſſint ad adminiſtrationes extrà Monaſteria ad officium Subcellerariatus, aut ad ſervitia particularia Abbatum niſi poſt quintum profeſſionis annum completum; qui ſecùs aliquem deputaverit voce activa in proximo Capitulo careat.

Nemini Monachorum, ſed præſertim juvenibus non ſacerdotibus ullo modo detur licentia permanendi recreationis gratia in loco, in quo ſit eis pernoctandum extrà Monaſteria, vel loca Monaſteriorum; Prælatus, qui adverſus hoc licentiam conceſſerit, ab officio per ſex menſes ſuſpendatur.

Abbatibus emeritus, qui ex legitima cauſa renunciaverint dignitate, liceat honoris gratia Abbatis nomine vocari, quòd maluerint Monaſterium pro habitatione tempore renunciationis, & celebrationis Capituli ſibi eligere, habere converſum ad ſervitia ſibi deputatum, & quoad victum, & veſtitum cenſeri vice Abbatum.

Nemini Prælatorum liceat pecunias Monaſteriorum exigere, aut erogare, aut eas quovis modo contractare, neque item in rebus Monaſteriorum dividendis, aut neceſſariis comparandis per ſe ipſos ſe immiſcere, ſed ea omnia per Cellerarios, aut alios Miniſtros, ad quos ex Conſtitutionum præſcripto attinet, fiant qui tamen Cellerarii; & Miniſtri teneantur in hujuſmodi rebus peragendis ſuorum Prælatorum præceptis obedire, nec quicquam niſi eodem Prælato jubente, & mandante exequi poſſint: pecuniæ autem à capſerio ad id munus ſpecialiter deputato cuſtodiantur in capſa triclavi, quæ in ſingulis Monaſteriis habeatur in cubiculo Prælati, earúmque clavium unam retineat Prælatus Monaſterii, aliam Capſerius, tertiam Cellerarius, per quem Cellerarium, ſeu alios Miniſtros, ad quos ſpectaret, ut ſuprà, tàm eleemoſynæ, quàm munuſcula, ſi quæ dari liquerit, dentur, de Prælatorum tamen mandato, aut licentia, ac ſervata forma Conſtitutionis Clementis VIII. de largit. muner. ſempérque rei, quæ datur, qualitas, quantitas, & ſi fieri poſſit, etiam nomina eorum, quibus dantur, aut per quos tranſmittuntur, in libro dati, & accepti fideliter ſcribantur, quòd ſi Prælati prædicta, aut aliqua eorum per ſe ipſos, & non adhibitis Miniſtris facere auſi fuerint, tunc in eos tamquàm fraudis, & parùm ſinceræ adminiſtrationis ſuſpectos, tàm Capitulum, quàm Viſitatores, & Regimen procedent.

Si quis Prælatus, aut Religioſus privato nomine equos, & jumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, aut alios quoſcumque fructus ex terra provenientes tenere, poſſidere, aut à Monaſteriis emere, vel in ſolutionem accipere auſus fuerit, is præter amiſſionem uſus earum rerum omnium; & ſingularum, ſi Prælatus ſit, pœnam contrà exercentes mercaturam cap. 25. Conſtitutionem taxatam incurrat, Monachi, qui tranſgreſſores reperti fuerint, pœnæ inhabilitatis ad officia omnia, & dignitates ſubjaceant, Converſi denique per annum carceri mancipentur, & deinceps ab omni temporali adminiſtratione arceantur. Ad effectum verò probandi, quempiam privato nomine aliqua prædictorum tenuiſſe, aut poſſediſſe, ſufficiat probare, quòd à die emptionis, adeptionis, aut captæ poſſeſſionis, ſeu tentionis eorum in libris publicis Monaſterii ſcripta non fuerint.

In Viſitatorem minorem aſſumi non poſſit, qui trigeſimum ætatis annum non expleverit, aliàs electio nulla ſit ipſo jure.

Ex Patribus, qui immediatè in Regimine reſederunt, non poſſint tempore Capituli aſſumi in Diffinitores, niſi ad ſummum duo tantùm pro ſingulis Provinciis, quòd ſi agatur directè, vel indirectè de negotiis ad perſonam, vel Regimen, ſeu adminiſtrationem alicujus ex Diffinitoribus pertinentibus, tunc ipſe, de cujus negotiis, ut ſuprà agitur, debeat omninò exire à Diffinitorio.

In Diffinitorio habeat omninò locum unus ſaltem ex Diſcretis pro ſingulis Provinciis. Patres Regiminis eandem habeant in Regimine curationem, & vacationem, quàm habent Prælati in gubernio Monaſteriorum, niſi fortè aſſumendus ſit aliquis ex dictis Patribus in Præſidem.

Liceat Præſidi poſt finitum officium eligere ſibi, quòd maluerit ex Monaſteriis ſuæ Provinciæ gubernandum, exceptis pro Provinciæ Lombardiæ Monaſteriis Claræ vallis Mediolani, S. Ambroſii majoris Mediolani, Martini Parmenſis, & S. Crucis in Hieruſalem de Urbe; & pro Provincia Tuſciæ Monaſteriis, Septimi, Ciſtelli Florentin. & Trium Fontium de Urbe, ad quorum Monaſteriorum gubernationem, ſicut & in Procuratorem Provinciæ in Curia Romana is, qui Præſidentatus munere proximè defunctus eſt nullo pacto eligi valeat. Nullus Abbatum eligi poſſit ad loca Regiminis, niſi ſaltem per triennium fuerit Abbas.

Superiores omnes præſertim Monaſteriorum, in quibus viget regularis obſervantia enixè hortamur in Domino, ac etiam eis præcipimus, & mandamus, ut in frequentando noctu, diúque Chorum, vita communi in Refectorio agenda, cæteriſque obſervantiis omnibus, quæ per Regulam, & Conſtitutiones præſcribuntur exactè obeundis, ſubditis exemplo ſint. Nullus poſſit eligi ad exercenda officia, qui præter aliàs conditiones, & requiſita, non habuerit decem annos completos profeſſionis, aliàs electio ſit nulla, & electores facultate eligendi deinceps careant. Officia Prioratus, Cellerariatus, & Magiſtri Novitiorum non vacent ſingulis annis, ſed ſint triennalia, ut olim obſervabatur.

In Abbatem deinceps nullus aſſumatur; qui non habeat ſufficientem ſcientiam ad exercendam curam animarum; aliàs electio ſit ipſo facto

nulla;

nulla; supràdictam autem scientiam ad hunc effectum eos tantùm habere intelligi volumus, qui pro Provincia Lombardiæ ad exercendam curam animarum approbati fuerint ab Ordinario Mediolanensi; à Florentinensi verò pro Provincia Tusciæ, vel pro utraque Provincia ab Urbis Vicario, sive ab alio Ordinario per Eminentissimum Cardinalem Protectorem pro tempore existentem deputando.

Capitulum duret saltem per octo dies, & singulis diebus bis congregetur diffinitorum duraturum singulis vicibus saltem per tres horas. Constitutio, qua disponitur, ut Præses resideat in partibus Mediolani, intelligatur de Monasteriis non distantibus ab Urbe Mediolani ultrà dietam, in quibus aliàs non sit prohibitum residere Patribus Regiminis. In proximè futuro Capitulo ad præscriptum decreti de celebratione missarum, taxetur numerus Religiosorum in unoquoque Monasterio retinendorum, juxtà ejusdem Monasterii redditus, & idem fiat de famulis, & æquis, quo taxato non licebit Abbatibus numerum, etiam famulorum, & æquorum augere sub pœnis expressis in suprà dictis decretis.

Erigatur in Monasterio deputando in proximo Capitulo aliud Collegium in Provincia Lombardiæ, in quo habeantur saltem decem Collegiales, & decem alii Collegiales retineantur pro Provincia Tusciæ in uno, vel pluribus Collegiis, ad quem effectum debeat in futuro Capitulo unum, vel alterum Monasterium deputari. Novitii non recipiantur in posterùm nisi tempore celebrationis Capituli in ipso Capitulo, & priusquàm admittantur ad habitum debeant omninò degere in habitu sæculari per duos menses in Monasterio sub regulari observantia, circà receptionem verò, & qualitates eorumdem serventur decreta Clementis VIII. & constituatur omninò professorium in quo pariter serventur decreta ejusdem Clementis.

Pro sustentatione Monachorum Monasterii, & Collegii S. Crucis in Hierusalem de Urbe, & aliis nonnullis oneribus, & expensis, quæ in Urbe consueverunt fieri pro Provincia Lombardiæ, de quibus in schedula per Præsidem, & Abbatem S. Crucis subscripta, assignentur redditus bonorum de Viono, quorum administerio ad Abbatem pro tempore S. Crucis, vel ad eos, qui eidem Abbati benevisi fuerint, spectabit, quamdiù Collegium in prædicto Monasterio S. Crucis perseverabit; quòd si Collegium alio transferri, aut quovis modo in dicto Monasterio cessare contigerit, tunc, & eo casu redditus, & administratio bonorum de Viono ad capsam, quàm vocant triclavem pertineant, prout hactenùs pertinuerunt; contributiones autem pro Collegii sustentatione Monasteriis in proximo præterito Capitulo impositæ ipsi capsæ Congregationis persolvantur quamdiù redditus prædictorum bonorum de Viono Collegii sustentationi deputati manserint. Per suprà dictos autem articulos pro reformatione dictæ Congregationis formatos, non intelligitur derogatum in aliquo decretis Sac. Conc. Trid. ac fœl. record. Clem. VIII. & S. D. N. quoad Regulares editis.

Confirmatio & approbatio statutorum

§. 2. Nos inviolabili Constitutionum, ac Statutorum hujusmodi observationi, fœlicique earumdem Congregationum directioni quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere, ac Præsidem & Monachos prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Constitutiones, & Satuta præinserta hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti, ac solemnitatum omissarum, & quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici possent supplemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes illa in prædictis Congregationibus ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, & adimpleri omninò debere, irritúmque nihilominùs, & inane quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; ac quatenùs opus sit, ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 8. die 21. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Martii 1631. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CLI.

Quòd Fratres Capuccini Conventus Terræ Modogni, Baren. Diœc. non possint prohiberi in publicis Processionibus incedere sub propria Cruce.

De hujusmodi Fratribus lege, quæ notavi ad Constit. 21. Clem. VIII. tom. 3. & ejusdem, ut Crucem propriam in publicis Processionibus ubique locorum deferre possint indulsit Paulus V. in Constitut. 107. Pastoralis, tom. 3.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Guardianus, & Fratres domus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Terræ Modogni Barenn. Diœc. quòd nuper à Venerab. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet.

Decretum Sac. Rit. Congr.

§. 1. Fratres Capuccini Terræ Modogni Barenn. Diœc. conquesti sunt de Clero sæculari illius loci, prohibente eos in publicis Processionibus incedere sub propria Cruce, supplicantes provideri. Et Sacra Rituum Congregatio respondit. Regulares in publicis Processionibus non posse prohiberi, quin incedant sub propria Cruce, & ità in casu proposito servari mandavit. Die 2. Augusti 1631. non obstante contraria consuetudine.

Confirmatio decreti, de quo in rub.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, Guardianus, & Fratres prædicti plurimum cupiant, Decretum hujusmodi, quo firmiùs subsistat, & inviolabiliter observetur, Apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri. Nos Guardianum, & Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censis & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum

serie

serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Præinsertum Decretum hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apost. firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Decretúmque hujusmodi, ac præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac Guardiano, & Fratribus prædictis plenissimè suffragari, ac omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, irritúmque & inane si secùs super his à quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimns.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis eorum tenore præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 9. die 30. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1631. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CLII.

Quòd Fratres Capuccini (excepta Provincia Romana) non audeant accedere Romam absque licentia Card. Protectoris, aut Superiorum Generalium.

Fratres isti ad laxiorem Ordinem transire non valent; prout in Const. 104. Injuncti nobis suprà; ac Provinciam Romanam eorumdem subjecit Generali ministro S. D. N. in sua Constit. 241. Injuncti Nobis.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

IN specula Militantis Ecclesiæ, nullis licet Nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti ad ea potissimùm vigilantiæ Nostræ studium intendimus, per quæ Religiosi viri, qui spretis hujus sæculi vanitatibus divini numinis obsequiis sese manciparunt, in via Domini prosperè dirigantur, & gubernentur.

Præcipit. pro ut in Rubr.

§. 1. Hinc est, quòd Nos Fœlici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum statui, & gubernio quantum cum Domino possumus consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, Omnibus, & singulis ejusdem Ordinis Provinciis (excepta Romana) illarúmque Superioribus quocumque nomine nuncupatis ne deinceps aliquem, vel aliquos dicti Ordinis Religiosos tàm propriæ eorum, quàm quarumvis aliarum Provinciarum hujusmodi quovis prætextu, occasione, vel causa etiam quantumvis legitima, & à quocumque Capitulo Provinciali, vel quovis alio Superiore, approbata, ad Almam Urbem nostram, nisi obtenta prius in scriptis à pro tempore existentibus ejusdem Ordinis Cardinale Protectore, seu Ministro, aut Vicario, seu Procuratore generalibus ad id auctoritatem habentibus licentia, mittere quoquomodo audeant, seu præsumant, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ tàm quoad ipsas Provincias, earúmque Superiores mittentes, quàm quoad Religiosos absque hujusmodi licentia accedentes, ac etiam quoad ipsos Religiosos privationis vocis activæ, & passivæ per triennium, & mancipationis carceribus per annum; per contrafacients incurrendis pœnis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Decretum irritans.

§. 2. Non obstantibus quibusvis Decretis per fœl. rec. Clementem VIII. factis, & per Paulum V. & Gregorium XV. Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac per Nos approbatis, & confirmatis, necnon aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Provinciis, illarúmque Superioribus, sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis specialis specifica, & expressa, & individua, at de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alias expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 3. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Ministri, seu Vicarii, aut Procuratoris generalis prædicti subscriptis, & sigillo dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 9. die 13. Dec

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Septembris 1631. Pontificat. nostri Anno Nono.

CLIII.

Confirmatio sententiæ latæ super caputio rotundo, ac largiori mozzetta à Fratribus S. Francisci Strictioris Observantiæ Recollectis Regni Franciæ deferendo. Et mandatum observandi dictam sententiam cum impositione pœnarum.

Istemet Pont. hoc idem sanciverat anteà, ut in ejus Const. 10. In supremo. Sed quia in Regno Franciæ dictam Const. non servabant, ideò sententiæ super hoc pronunciatæ de ejus mandato (quam hic habes de verbo ad verbum) obedire præcipit.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram Rei memoriam.

Alias ab isto Pont. emanavit Const. super hac materia.

§. 1. ALiàs à Nobis emanarunt literæ subsequen. videlicet: Urbanus VIII. Papa Ad perpetuam rei memoriam. In supremo Apostolatus solio, meritis licet imparibus &c.

Non acquiescentibus illi Const. Fratribus Recollectis Galliæ Pont. deputavit Card. Bentivolum, qui sententiam diffinitivam tulit hic insertam.

§. 2. Subindè verò cùm Fratres Recollecti præfati præinsertis literis hujusmodi non acquiescerent, sed ad Nos recursum habuissent, Nos causam, & causas hujusmodi inter Fratres Capuccinos ex una, ac Fratres Recollectos præfatos ex altera partibus, de, & super delatione, seu reformatione Caputii, & Mozzettæ per eos deferen. ac declaratione in hac parte, & executione respectivè præinsertarum literarum nostrarum, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latiùs deductis, dilecto filio nostro Guidoni tituli Sanctæ Mariæ de Populo Presbytero Cardinali Bentivolo nuncupato, per alias nostras in simili formaBrevis expeditas commisimus, coràm quo ad nonnullos actus (citrà ta-

men illius conclusionem) devento, tandem suam in hujusmodi causa tulit, & promulgavit diffinitivam sententiam tenoris subsequentis, videlicet: Christi nomine invocato: Pro Tribunali sedentes, & solùm Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de jurisperitorum consilio pariter, & assensu in his scriptis ferimus in causa, & causis; quæ coràm Nobis vigore literarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum, in secunda seu alia veriori vertuntur instantia, inter Rev. Fratres Capuccinos nuncupatos Ordinis Minorum Sancti Francisci ex una, & Rev. Fratres ejusdem Ordinis Sancti Francisci Strictioris Observantiæ Recollectos Galliæ nuncupatos, de &, super delatione, seu reformatione Caputii, & Mozzettæ per eos deferen. & declaratione in hac parte, & executione respectivè, literarum Apostolicarum Sanctiss. D. N. Papæ sub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub diebus 10. Januarii, & ultima Julii anni 1624. in simili forma Brevis desuper expeditarum, ac Perillustri, & Reverendiss. D. Bernardino Archiepiscopo Damiaten. Sedis Apostolicæ Nuncio in Regno Galliæ commoranti, & Illustriss. & Reverendiss. D. Francisco Tituli S. Callisti Presbytero Cardinali de la Rochofoucault, & Reverendiss. D. Episcopo Silvanecten. respectivè dictarum, rebúsque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latiùs deductis, & illorum occasione, partibus ex altera, visis priùs literis antedictis, ac omnibus juribus, & scripturis in judicio productis, actísque actitatis, & partibus hinc indè priùs in jure, & in facta pluries auditis, visísque aliis omnibus viden. & consideratis consideran. factóque etiam verbo cum eodem Sanctissimo Domino Papa, causámque & causas præfatas: unà cum toto negocio principali Nobis commissas amplectentes, & decidentes, ac ultimo dictas literas Sanctiss. D. N. Papæ, & etiam sententiam per Illustrissimum, & Reverendissimum D. Franciscum Cardinalem, & Reverendissimum D. Episcopum antedictos Judices, & executores aliàs ab eodem Sanctiss. D. N. Papa, in hujusmodi causa deputatos promulgatam, declarantes, Dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitivè sententiamus, & declaramus, prædictos Fratres Recollectos teneri, & obligatos esse ad deponendum Caputium quod deferunt acuminatum, & tàm eos qui Religionem hactenùs ingressi sunt, quàm alios, qui eandem Religionem in futurum ingredientur, similiter teneri, & obligatos ad deferendum Caputium rotundum formæ, & qualitatis hujusmodi, videlicet: Caputium rotundum cum Mozzetta largiori illi unita, & annexa, quòd in majori latitudine suæ rotunditatis à parte anteriori ad posteriorem intrà sinciput, & occiput non fit largius duarum quindecimarum portionum minoris, & extremæ suæ latitudinis, quæ erit ab anteriori ad posteriorem partem intrà guttur & collum ejusdem Caputii, delatione cujuscumque alterius generis, seu formæ Caputii illis in posterùm penitùs interdicta, firmísque & in robore suo perpetuò remanentibus cæteris omnibus. & singulis contentis in ultimo dictis literis Apostolicis Sanctiss. D. Nostri quæ, & quas in omnibus, & per omnia etiam sub pœnis, & censuris in eis expressis inviolabiliter observari mandamus, ac ambas partes justis de causis animum nostrum moventibus ab expensis absolvimus, & eisdem partibus perpetuum silentium desuper imponimus, ac de deponendo, & auferendo, & respectivè deferendo Caputium præfatum ut suprà, & alia quæcumque mandata desuper necessaria, & opportuna decernimus, & relaxamus. Et ità dicimus, pronunciamus, declaramus, decernimus, sententiamus, interdicimus, mandamus, absolvimus, & relaxamus, non solùm præfato, sed & omni alio meliori modo &c. Ac ad majorem demonstrationem, abundantiorémque cautelam, & partium, ac aliorum notitiam, tres modulos Caputii præfati ut suprà deferendi cum mozzetta in pergameno designato confici mandavimus, nostróque sigillo, & subscriptione firmavimus, & communivimus, quorum unum Notario una cum hac nostra sententia in actis conservandum, reliquos duos, unum scilicet cuique parti, sive cujusque ipsarum partium Procuratori coràm Notario, & testibus consignavimus: salva tamen facultate dictum Caputium augendi, & minuendi pro majoritate, & minoritate corporis, & statutæ ipsorum Fratrum illud deferre debentium, dummodò forma, & proportio supradicta nullatenùs immutetur, nec alteretur &c. Quæ quidem sententia sic apparet subscripta, videlicet: Ego Guido Cardinalis Bentivolus Judex, & Commissarius Apostolicus.

Quam approbat & observari omninò mandat, & contrafacientibus pœnas imponit.

§. 3. Cùm autem, sicut accepimus, sententia hujusmodi debitæ executioni demandata nunquàm fuerit, nec Fratres Recollecti prædicti illi parere voluerint. Nos pro nostri pastoralis officii debito in præmissis, quantum cum Domino possumus, opportunè providere, ac sententiam præinsertam hujusmodi debitæ executioni (ut par est) demandari volentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium omnibus, & singulis Fratribus Recollectis prædictis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ac privationis vocis activæ, & passivæ, ac etiam carcerationis, illorum verò Superioribus sub privationis officiorum per eos obtentorum, inhabilitatísque ad illa, & alia in posterùm obtinen. pœnis districtè præcipien. mandamus, quatenùs, Fratres videlicet præfati Caputium acuminatum, quod nunc deferunt, omninò deponant, omniáque & singula, quæ in literis nostris, & sententia præinsertis hujusmodi ordinantur, promptè exequantur, & adimpleant; Superiores verò præfati præmissa omnia observari curent, & faciant realiter, & cum effectu. Decernentes nihilominùs irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis actoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 4. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præinsertis literis prædictis volumus non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem probari decernit.

§. 5. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 9. die 3. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die ultima Julii 1631. Pontificatus nostri Anno Nono.

CLIV.

Moderatio Constit. editæ à Clem. VIII. circà distractionem Castrorum, & bonorum, etiam fideicommissariorum, pro satisfactione creditorum Baronum, & Domicellorum Statutis Ecclesiastici, quòd non habeat locum quoad debita contracta post sex menses à die archiviationis Instrumentorum, ac vinculatione bonorum.

Constitutio indicata Clem. VIII. est suprà tom. 3. num. 41. Justitia ratio ad quam lege alia notata.

Edita An. D. 1631.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam memoriam.

Procemium.

Romanum decet Pontificem ea, quæ à suis Prædecessoribus licet rationabiliter statuta, & ordinata esse reperiantur, cùm justæ suadent causæ, moderari, & immutare, prout ipse rerum, & personarum, ac temporum qualitatibus debitè consideratis conspicit in Domino salubriter expedire.

Recenset provisionem

§. 1. Aliàs si quidem fœlic. record. Clemens VIII. Papa Prædecessor noster, ut Principum, Du-

cum, Marchionum, Comitum, & Baronum, ac Domicellorum S. R. E. subditorum tàm in Urbe, ejúsque districtu, quàm in universo Statu Ecclesiastico existentium creditoribus pro facili, & expedita pecuniarum eis debitarum consecutione aliqua opportna ratione consuleret, per quandam suam constitutionem, Motu ejus proprio sub Dat. videlicèt vii. Kalend. Julii, Pontificatus sui anno quinto editam, omnibus, & quibuscumque investituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris, & alienandi prohibitionibus, necnon pactis de succeden. tàm in contractibus, quàm in ultimis voluntatibus purificatis, & purifican. super Civitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis bonis immobilibus per quoscumque ascenden. seu collaterales, ac penitùs extraneos, & forsan ipsos Romanos Pontifices prædecessores suos etiam Motu simili, & Consistorialiter emanatis, & sub quibuscumque clausulis, vinculis, & cautelis quomodolibet factis, & confirmatis, quorum omnium, & singulorum tenores pro expressis haberi voluit, ad effectum, ut Civitates, Terræ, Castra, Casalia, Palatia, & alia bona hujusmodi, prævìis eorum pro satisfacien. ex illorum pretio creditoribus prædictis, sub certis modo, & forma, tunc expressis subhastatione, & deliberatione, semper & perpetuò penès illorum emptores, & eorum successores libera, & exempta remanerent, ac etiam regulæ de non tollen. Jure quæsito plenissimè, & latissimè Apostolica auctoritate derogavit, & successivè mentem suam ampliùs declarando, Congregationi desuper institutæ, necnon cuilibet ex personas ipsius Congregationis, certo etiam tunc expresso modo deputato ultrà facultates jam concessas, ut in omnibus, & singulis causis super præmissis activè, & passivè, ac alias quovis modo inter quascumque ex suprà dictis; vel eorumdem præmissorum occasione, etiam alias personas motis, & moven. etiam prævia à pro tempore existente causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditore, & aliis quibuscumque Judicibus avocatione procedere, decreta facere, sententias ferre, mandata relaxare, eáque executioni demandare, aliáque circà præmissa necessaria, & opportuna facere summariè, manu regia, sola facti veritate inspecta, absque processu, ac tela judiciaria, necnon terminorum etiam substantialium observatione, singulis diebus, præterquàm in honorem Dei feriatis, ac feriis indictis, & indicen. non obstan. ac omni, & quacumque appellatione remota, procedere liberè, & licitè posset, facultatem concessit, prout in uno, seu pluribus ejusdem prædecessoris chirographis, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus emanatis, necnon constitutione prædicta pleniùs continetur.

§. 2. Nos matura deliberatione præhabita prodè pensantes, quàm justum, & rationabile, ac legibus consentaneum sit, ut supremæ Testatorum voluntates, contractus, investituræ, aliæque dispositiones quæcumque quantum fieri potest effectum sortiantur, & ut simplicitati, seu facilitati, qua dicti creditores bonam fidem Principum, & aliorum debitorum prædictorum sequuti sunt, exemplo prædicti Clementis prædecessoris salubri aliquo temperamento consulendum, ità rationem potissimùm ad hoc opportunam ineundam esse censuimus: ut inter eos qui fideicommissa prohibitiones, pacta, primogenituras, aliáque præmissa ac onera, & vincula prorsus ignorantes, & alios, qui illa scientes, sed fortasse nescire simulantes, nihilominùs cum eisdem Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, eorúmque successoribus suprà dictis remedio Constitutionis prædictæ freti contrà hunc distinctio fiat: quandoquidem illi commiseratione digni, isti verò tamquàm ultimas hominum voluntates eludere artificiosé satagentes, dictæ Constitutionis beneficio, quo faciliùs ad pecunias, merces, & alia bona credendum inducuntur, indigni omninò censendi sunt. Proindè Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Domicellos suprà dictos, qui debita quomodocumque contrahunt, ad fideicommissorum prohibitionum, pactorum, primogeniturarum, aliorúmque onerum, & vinculorum hujusmodi Instrumentorum desuper forsan editorum, ac penès se forsan secretè, & ad effectum personas de illis ignaras in sua nomina alliciendi retentorum manifestationem inducere volentes, ac constitutionis, & chirographorum prædictorum totos, & integros tenores etiam veriores, perindè acsi illi de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes; Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, meráque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Constitutionem prædictam, cum indè secutis, ut præfertur, chirographis de cætero indebitis, quæ ab eisdem Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, eorúmque successoribus hujusmodi post sex menses à die, quo fideicommissorum, prohibitionum, pactorum, contractuum, investiturarum, primogeniturarum, aliorúmque onerum, vinculorum, & dispositionum, tàm hactenùs institutorum, quàm in posterùm perpetuis futuris temporibus instituen. Instrumenta, seu documenta in Archivio Nostro Urbano exhibita, necnon bona in eis obstricta, vel vinculata, indicata, & in eodem Archivio descripto fuerint, computandos, quovis modo, & ex quacumque causa, seu occasione in posterùm contrahentur, etiamsi creditores prædicti, Pupilli, Viduæ, Societates, Collegia, Confraternitates, & alia loca Pia quovis nomine nuncupata, & quantumvis exempta, ac etiam dictæ S. R. E. Cardinales, aut aliàs quantumvis privilegiati, & speciali nota digni existant, & quacumque etiam Regali, Imperiali, seu alia præfulgeant dignitate, locum non habere debere, eadem Apostolica auctoritate tenore præsentium, decernimus, & declaramus, ac constitutionem prædictam cum indè secutis chirographis, in hâc parte dumtaxat; ità ut pro debitis post sex menses à die factæ archiviationis fideicommissorum, prohibitionum, investiturarum, contractuum, primogeniturarum, & aliorum præmissorum, ad Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, & aliorum bonorum, fideicommissis, prohibitionibus, pactis, primogeniturìs, aliísque oneribus, & vinculis hujusmodi, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet obnoxiorum, seu tamquàm talia ab eisdem Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, eorúmque successoribus hujusmodi possessorum, & tentorum, subhastationem hujusmodi, ac venditionem, & pretii consignationem nullo modo deveniri possit, etiam perpetuò moderamur, corrigimus, & limitamus.

§. 3. Et nihilominùs, quòd si novum debitum etiam elapsis dictis sex mensibus archiviationem, indicationem, & descriptionem hujusmodi, subsequen. ad effectum antiquum debitum extinguen. reportata per novum creditorem jurium cessione creari contigerit; Constitutio prædicta, cum indè secutis chirographis, quoad novum debitum hujusmodi, prout etiam ne publica fides eludatur, quoad loca Montium tàm hactenùs erecta, quàm pro tempore erigen. etiamsi illorum erectiones, quas in posterùm, nisi sufficientibus assignatione, & pensata qualitate, & quantitate bonorum, quatenùs opus sit, cautione tàm pro fructibus, quàm pro sorte principali datis, & concurren. urgentissimis causis, ac de consensu ad successiones, fideicommissa, & primogenituras vocatorum, & in eisdem, ac aliis præmissis quomodocumque inte-

Ampliat Const. Clem. ad alios casus ut hic expressos.

resse habentium consensu, ac illa pro tempore consequi, & obtinere debentium evidenti utilitate, concedere nullo modo intendimus. & aliàs à Nobis, vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus, quos in eandem sententiam ituros arbitramur, per subreptionem, & obreptionem emanatas, & exortas, nullas, & nullius roboris, ac momenti fore, esse, & censeri, nullique suffragari posse, & debere, ac si concessæ non essent, etiam decernimus, in dicto Archivio non annotatæ, neque præsentatæ fuerint, in omnibus & per omnia locum habere, & servari debere; necnon quòd pro omnibus & singulis quomodocumque creatis, & undecumque provenient. debitis, eorúmque satisfactione super omnibus bonis cujuscumque generis non vinculatorum, etiam in Archivio descriptorum, ad eos qui contraxerunt debita spectan. fructibus eorum vita durante, juxtà juris communis dispositionem, sed & pariter super ipsis bonis vinculatis, ut præfertur descriptis, si quidem debita fuerint de Sedis Apostolicæ licentia, cum derogatione vinculorum hujusmodi contracta, in vim dictæ Constitutionis, & juxtà illius formam procedi possit, & debeat: eandémque Constitutionem, & chirographa, pupillos, & alias omnes personas quantumvis privilegiatas prædictas, non solùm activè, sed etiam passivè, in prædictis constitutione, & chirographis comprehensas fuisse, & comprehendi debere, eisdem auctoritate, & tenore similiter declaramus, & decernimus.

Contrà hanc formam judicari prohibet.

§. 4. Sicque & non aliàs in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungen. etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam S. R. E. Camerarium, aliósque Cardinales etiam de Latere Legatos, & Prolegatos, dictæque Sedis Nuncios, & causarum Curiæ Cameræ præfatæ generalem Auditorem, ac Thesauriarum, & Præsidentes Clericos, sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane etiam decernimus.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstan. piæ mem. Pii Papæ IV. etiam prædecessoris Nostri de rebus interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernent. in eadem Camera registran. & insinuant. ac prædicta Clementis, cui quoad partem, ut præfertur moderatam, correctam, & limitatam, necnon chirographis prædictis illis aliàs semper, & perpetuò in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Motu, scientia, & potestatis plenitudine hujusmodi harum serie derogamus, aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens prædecessor in dicta ejus constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Providet ne vocati ad successionem bonorum vinculatorum damnum aliquod patiantur.

§. 6. Ut autem in bonis vinculatis succedere debentium, & aliorum quorumcumque indemnitati faciliùs consulatur: Volumus, & statuimus, unicuique, etiam interesse non habenti, cuilibet, videlicet de populo licere fideicommissa, & cujuscumque tenoris vincula, aliáque præmissa in Archivio prædicto exhibere, & bona vinculata indicare, ac describi facere, & talem exhibitionem indicationem, & descriptionem pro debitis factis per sex menses exindè subsequen. etiam ab iis, qui exhibitionem, indicationem, & descriptionem facere non curaverint, ad effectum præmissorum sufficere. Ità ut semel factæ exhibitio, indicatio, & descripto semper, & in futurum perpetuis futuris temporibus contrà quoscumque interesse habentes suffragentur.

Injungit onus Conservatori Archivii pro commoditate habentium interesse.

§. 7. Necnon dilectum filium modernum, & pro tempore existentem dicti Archivii Conservatorem ad librum particularem, in cujus una nomina, & cognomina fideicommittentium, & aliàs dispönen. in altera verò partibus loca nominatim, & bona fideicommissis, & aliis vinculis supposita fideliter, sub literis Alphabeti annotata repériantur, palàm, & publicè habendum, ac tàm illum, quàm omnia, & singula Instrumenta, Testamenta, & alia præmissa concernen. in dicto Archivio nunc, & pro tempore insinuata, seu ad custodiend. tradita, indicata, & descripta, omnibus, & singulis de illis notitiam habere, eáque legere volen. exhiben. & illorum copiam petentibus concedendum, competen. mercede respectivè recepta, omni mora, & dilatione postpositis, teneri.

Mandat publicari in Urbe, & publicationi hujusmodi vim tribuit personalis omnium intimationis.

§. 8. Utque præsentes, & in eis contenta ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, mandamus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cùm indè amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos quos concernunt, perindè afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis fidem dari præcipit.

§. 9. Utque illarum transumptis etiam impressis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extrà, ubique adhibeatur, quæ ipsismet adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionémque pœnarum superaddit.

§. 10. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam decretorum, declarationum, moderationis, correctionis, limitationis, derogationis, voluntatis, statuti, & mandati nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 8. die 7. Aug.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majore sub Annulo Piscatoris die 22. Septembr. 1631. Pontificatus Nostri Anno nono.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Indictione decimaquarta, die verò vigesima secunda mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Urbani Divina Providentia Papæ VIII. Anno eis Nono, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariâ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem per aliquod temporis spatium earumdem literarum originalibus appensis, deindè amotis, illorúmque posteà exemplaribus ibidem relictis, affixis, per me Joseph Masseum Romanum S. D. N. Papæ Cursorem.

Augustinus de Bolis pro Mag. Curs.

CLV.

Quòd Constitutiones Apostolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenùs editæ, & in posterùm etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur.

Inquisitorum hæreticæ pravitatis facultas est amplissima, & quòd in causis Fidei possint procedere contrà quoscumque etiam exemptos, ac eligere etiam Regulares, qui aliàs in seculo Notarii, fuerunt, in Notarios pro prædictis causis, concessit Alexan. IV. Const. 23. Ne commissæ. sup. tom. 1. Necnon Religiosorum quomodolibet privilegiatorum de hæresi culpabilium (dummodò ab eorum Superioribus non sint præventi) causas cognoscere ac punire posse, voluit Pius IV. ut sup. tom. 2. Const. 51. Pastoris. Et postremò Paul. V. revocavit facultates Superioribus quorumcumque Ordinum concessas

sas cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes in const. 26. Romanus Pont. sup. to. 3.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM sicut accepimus, Sancti Benedicti, Cistercien. Præmostraten. Sancti Antonii de Sancto Antonio Vienen. Societatis JESU, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum regularium Professores vigore, seu prætextu privilegiorum, & indultorum sibi, dictisque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, ab hac Sancta Sede Apostolica tàm per viam meræ concessionis, quàm communicationis, etiam Motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter concessorum, in Constitutionibus generalibus à Nobis: & dicta Sede hactenùs editis, & de cætero edendis se minimè comprehendi prætendant, nisi de eis specialis, specifica, individua, & expressa mentio fiat.

§. 1. Nos qui inter gravissimas, multiplicésque Apostalatus nostri curas in eam præcipuo, ac peculiari studio jugiter incumbimus, ut extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus, Catholica Fides ubique gentium conservetur, & propagetur, ambiguitates & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio providere volentes, ut tot, tantæque Constitutiones generales à Nobis, & hac Sancta Sede, & præsertim ad favorem Fidei Catholicæ, illiúsque propagationem, & Officii sanctæ Inquisitionis contrà hæreticam pravitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis, ad majorem DEI gloriam, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem debitum, ut par est, sortiantur effectum: necnon quorumcumque privilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusvis clausulis, & decretis etiam quantumlibet, extraordinariis, & cautelis quomodolibet & ex quacumque causa concessorum, etiamsi in corpore juris clausa sint, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in eis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine: Quòd quævis generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros in concernentibus Fidem Catholicam, illiúsque propagationem, & sanctæ Inquisitionis officium præfatum, præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus sancti officii, & de propaganda fide coràm Nobis tractari solent, hactenùs editæ, omnes, & singulos tàm S. Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen. & Societatis JESU præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores omninò comprehendant, perindè ac si præfati, & alii quantumlibet privilegiati, in eis nominatim expressi fuissent.

§. 2. Edendæ verò in posterùm per Nos, & Romanos Pontifices successores nostros, tàm in favorem præfati fidei Catholicæ, illiúsque propagationis, & sancti Officii Inquisitionis præfati quàm super quacumque alia re, negotio, seu materia, Constitutiones, dispositiones, & ordinationes hujusmodi similiter omninò comprehendant, præfatos eorumdem Ordinum Congregationum, Societatum, & Institutorum professores; nisi in edendis Constitutionibus, hujusmodi specialiter, & expresiè excipiantur, etiamsi ipsi privilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni eisque privilegia, gratiæ, & indulta, à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam Motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tàm per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectivè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant in Constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

§. 3. Præsenres verò literas, omniáque, & singula in eis contenta, etiam ex eo quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum hujusmodi professores, vel alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi, ac causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari nullatenùs posse, néque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet facien. comprehendi, sed semper ab illis exceptas, sempérque validas, firmas, & efficaces existere & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Hanc declarationem clausulis præservativis munit.

§. 4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Ità & non aliter judicari mandat.

§. 5. Non obstan. regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon tàm S. Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. Sancti Antonii de S. Antonio Viennen. & Societatis JESU præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, & privilegiis, necnon præfatis, & quibusvis aliis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, Monasteriis, locis regularibus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & suffi- Contraria tollit.

cienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hujus transumptis credi jubet, & publicat, in Urbe omnes ligare statuit.

§. 6. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quódque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Flore affixa, omnes ità arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

D.P.A. 9 die 5. Novemb.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Novembr. 1631. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Publicatio in Urbe.

Die, & anno supràdicto affixa, & publicata fuerunt supràdicta literæ ad valvas Curiæ, & Cameræ Apostolicæ, ac in acie Campi Flor. & aliis locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum S. D. N. Papæ Cursorem.

CLVI.

Quòd in Ecclesia S. Jacobi Nationis Hispanorum de Urbe, celebrari possit Festum Conceptionis B. MARIÆ Virginis immaculatæ etiamsi in Dominica secunda Adventus venerit sub Ritu Duplicis Primæ Classis.

Conceptionis B. Mariæ Virginis disputatio est prohibita, & punita. Pius V. Constit. 114. tom. 2. Paulus V. Constit. 97. to. 3. & Greg. XV. Constit.

Edita An. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

SAnctæ, & immaculatæ Virginis Genitricis DEI Mariæ omni laude dignissimæ cultum, & venerationem augere desiderantes, pia Christifidelium in id tenentia vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusque, & gratiis prosequimur opportunis.

Causæ hujus Const.

§. 2. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Administratores Ecclesiæ, & Hospitalis Sancti Jacobi Nationis Hispanorum de Urbe, quòd ipsi pro eo præcipuo quem universa Natio hujusmodi ergà Festum Concepti Beatæ Mariæ Virginis gerit devotionis affectu, Festum hujusmodi quotannis in prædicta Ecclesia solemniter celebrare consueverunt.

Concedit prout in Rubrica.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, Administratores prædicti cupiant Festum hujusmodi quod quandoque in secundam Dominicam Adventus incidit, sub Ritu Duplici Primæ Classis celebrare posse, proindéque sibi per nos de opportuna ad hoc licentia providere. Nos piis dictorum Administratorum votis in præmissis quantum cum Domino possumus annuere, illósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventis, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Administratoribus nunc, & pro tempore existentibus, quòd de cætero in dicta Ecclesia Festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis hujusmodi, etiam ipsa secunda Dominica Adventus, cum in illam inciderit, sub Ritu Duplici Primæ Classis juxtà rubricas Missalis, & Breviarii Romani, celebrare liberè, & licitè valeant, cum hoc tamen, quòd in Missis tàm privatis quàm solemnibus, & in utriusque Vesperis fiat commemoratio de Feria currenti, & cum in Dominicam inciderit de ipsa Dominica, cujus etiam Evangelium legatur in fine, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur.

Contrariis derogat.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 9. die 26 Novembris.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Novembr. 1631. Pontificatus Nostri Anno Nono.

CLVII.

Extensio Constitutionis Greg. XV. revocatoriæ omnium concessionum vivæ vocis oraculo factarum præter S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmatarum, ad omnes etiam factas Cardinalibus, & eorum manu signatas.

Hanc revocationem factam à Gregor. XV. habes sup. inter ipsius const. incip. Romanus Pontifex. Quam postea declaravit non comprehendere illos officiales, quibus ratione munerum suorum anteà de summi Pontificis oracula fides haberi solebat, hic idem S. D. N. Urb. infr. in const. 195. Alias fœl. rec.

Edita A. D. 1631.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Greg. XV. edidit const. de hac materia indicatam in 2. rubr.

§. 1. ALiàs fœl. rec. Gregorius Papa XV. prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumerò concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequen. videlicet Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ.

Omittitur residuum, quia est sup. tom. 3.

Quam hic Pont. extendit, ut in rubr.

§. 2. Cùm autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmitas sæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minùs canonica interpretatione extendi, perperam in disciplinæ ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari: Idcircò, quantum cum Domino possumus his, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negocium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnes & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Provincialibus, cæterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive sæcularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati JESU, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribúsque, & effectu vacua esse, & fore, nullíque prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.

§. 3.

[...]licari à [...]perioribus [...]dinum ju-

§. 3. Præterea, ut præsentes literæ omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quantocitiùs innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & Institutorum, sub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infrà tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Provinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, & Institutorum, de eisdem præsentibus literis certiores faciant, earumdémque præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Comorum, & locorum regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est publicent.

Clausulas [p]ræservati[v]as addit.

§. 4. Decernentes præsentes literas etiam ex eo quòd quicúmque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidiri, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, sive adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenùs posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectùs sortiri, & obtinere.

[...]liter judi[c]andi facul[t]atem tollit.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 6. Non obstan. præinsertis literis hujusmodi ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenùs opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinationibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorúmque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis sub quibuscumque verborum formis, & ten. ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expresså, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 7. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ indignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ: quódque cædem præsentes literæ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ hujusmodi similiter affixa omnes, quos concernunt perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. P. A. 9. die 20. Decembris.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Decembris 1631. Pontificatus nostri anno nono.

Die, & anno suprà dicto affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est per me Andream Scalmanum, S. D. N. Papæ Cursorem.

Publicatio in Urbe.

CLVIII.

Declaratio nullitatis Notariorum creatorum à Gubernatoribus Civitatum, aliorúmque locorum Prætoribus, prætextu Baunimenti Henrici Card. Cajetani S. R. E. Camerarii. Ac revalidatio Instrumentorum, & scripturarum per eos olim factarum. Necnon facultas Præfecti Archiviorum cognoscendi causas super nullitatibus hujusmdi creationum, & acta talium Notariorum revalidandi.

Quoad Notarios in futurum extrà Urrem creandos. & examinis, cui subjacere debeant, formam præscripsit hic idem Pontif. ut in Constitut. sequenti 159. Ratio pastoralis.

URBANUS EPISCOPUS,

Edita A. D. 1631.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN suprema pastoralis officii specula, meritis licèt imparibus à Domino constituti, ad ea, quæ populorum nostræ. & Sedis Apostolicæ temporali ditione subditorum utilitatem, pacem, & securitatem respiciunt, vigilantiæ nostræ aciem, prout officii nostri ratio postulat, sedulò dirigimus; & perturbationibus, quæ non solùm ex malitia, verùm etiam ignorantia personarum, & præcipuè publicis addictarum negotiis exoriri noscuntur, occurrentes, quantum Nobis ex alto conceditur, ejusdem officii nostri partes impartimur.

Gubernatores Civitatum, & Prætores locorum multos crearunt in Notarios prætextu facultatis examinandi eos, qui Notarii esse vellent.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus, aliàs post erectionem, & institutionem Archiviorum per fœlicis recordationis Sixtum Papam V. prædecessorem nostrum in quibusvis statùs Ecclesiastici nobis tunc illi, & Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subjecti Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Castris, Villis, & aliis locis designatis factam, bonæ memoriæ Henricus; dùm viveret tituli S. Pudentianæ Presbyter Card. Cajetanus nuncupatus, S. R. E. Camerius, de ejusdem Sixti prædecessoris expresso mandato, bonum Archiviorum eorumdem regimen, & Notariorum personas concernens edictum publicari fecerit, & inter alia ad obviandum litibus, & aliis periculis, quæ in dies ob imperitiam Notariorum suscitabantur, quòd nullus Notarius per quamcumque personam, etiam prætextu cujusvis facultatis, etiam ex Urbe nostra concessæ, extrà Romanam Curiam creatus, officium Notariatus exercere posset, nisi prævio rigoroso examine per Gubernatorem, aut Superiorem loci cum interventu Advocati, & Archivistæ approbatus fuisset, statuerit, & ordinaverit; Gubernatores verò Civitatum, quinimò & Prætores locorum minùs insignium, edicti hujusmodi vim hac in parte ex malitia, vel ignorantia, licèt supina, minùs benè percipientes ex præmissis facultatem eosdem Notarios creandi sibi attributam fuisse præsumpserint, ac proindè ingentem Notariorum, etiam imperitorum, & ineptorum numerum, temerè, & de facto creaverint, in nostræ, & Apostolicæ auctoritatis præjudicium, & gravamen contrahentium, & aliorum, qui similium Notariorum opera pro tempore usi decepti remanserunt, jacturam.

Ita creatos Pont. annullat, & eorum creationes invalida declarat.

§. 2. Quare Nos temeritati hujusmodi occurrere, litibusque, discordiis, præjudiciis: & scandalis, quæ exindè provenire solent, obviare, ac tàm pro præterito, quàm perpetuis futuris temporibus opportunà ratione providere cupientes; Motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ peti-

petitionis instantium, sed ex certa nostra scientia, meráque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam à nonnullis probis, & peritis viris per Nos super hoc deputatis sententia, creationes Notariorum per Gubernatores, & Prætores prædictos, ut præfertur, factas, nullas, & invalidas, ac nulliter, & attentatè factas; ipsósque Notarios tali pacto creatos prætextu eorum creationis hujusmodi, nullo modo Notarios esse, nec reputari debere, Apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Actus tamen & scripturas per ipsos factas, validas esse, & suum debere sortiri effectum decernit: dummodò non sit in Judicium deductum de nullitate creationis, & Instrumentorum documenta in Archiviis reponi mandat.

§. 3. Et nihilominùs ad consulendum indemnitati illorum omnium, qui bonam fidem sequuti eorum opera sunt usi, omnia, & singula testamenta, tàm in scriptis, quàm nuncupativa, codicillos, necnon cujusvis generis contractus & instrumenta, aliàque acta per similes Notarios, tàm de præsenti in vita degentes, quàm vita functos, pro omnibus, & singulis cujusvis ordinis, status, grádus, & conditionis, ac quibuscumque Ecclesiis, & locis piis, seu inter illos, & illa rogata, stipulata, & facta, etiam specialem expressionem requirentibus personis eisdem auctoritate, & tenore perpetuò revalidamus: Omnésque & singulos nullitatis ex tali etiam specialem expressionem requirentibus, personis eisdem auctoritate, & tenore perpetuò revalidamus: Omnésque & singulos nullitatis ex tali creatione dumtaxat provenientes defectus (dummodò tamen nullitas creationis hujusmodi acceptata, & in Judicium deducta nondùm fuerit) sanamus; ipsisque testamentis, codicillis, contractibus, & actis (dummodò aliud non obsistat) plenam, & indubiam fidem in Judicio & extrà illud, ac si per Notarios, legitimè creatos rogata, stipulata, & facta fuissent, adhiberi: neque in Judicio, aut extrà illud de nullitate ex præmissa causa ullo umquam tempore, aut pacto argui, dici, vel opponi posse volumus, & mandamus: necnon sanationem, & revalidationem prædictas in quolibet dicti Status Ecclesiastici loco, à die, quo in ipso loco præsentes nostræ literæ modò, ac forma ibidem servari solitis, & consuetis publicatæ fuerint, effectum sortiri, & de publicatione hujusmodi publicum documentum in libris Archivii cujuslibet loci, in quo facta fuerit, unà cum eisdem præsentibus inserendum fieri debere statuimus, & ordinamus.

Notarios verò ex alio capite nulliter creatos sanandi facultatem concedit Archiviorum Præfecto, facto verbo cum Rom. Pont.

§. 4. Præterea, cùm sicut etiam accepimus, reipsa compertum sit complures alios Notarios ex potestatis, vel solemnitatum defectu, aut aliis capitibus, quæ de facili recenseri non possunt, nulliter, & de facto creatos existere; Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Archiviorum Præfecto omnia, & singula instrumenta, & alia præmissa per Notarios ex quovis alio quàm priori capite nulliter creatos rogata, & facta, facto tamen prius nobiscum, seu cùm pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris in singulis casibus occurrentibus verbo, & (dummodò nullitas præfata, ut præfertur non sit à parte acceptata, nec Judicium deducta) sanandi, & revalidandi; absque eo, quòd umquàm infuturum de nullitate hujusmodi dici, aut redargui possit, amplam, & omnimodam licentiam, auctoritatem, & facultatem concedimus, & impartimur.

Inhibet de cætero fieri hujusmodi creationes.

§. 5. Inhibentes insuper sub indignationis nostræ, aliisque gravissimis arbitrio nostro imponendis, & declarandis pœnis, omnibus, & singulis Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis officialibus quovis nomine nuncupatis Provinciarum, Civitatum, Terrarum, ac locorum dicti nostri Status mediatè, & immediatè subjecti, ne in futurum ullo umquàm tempore prætextu edicti per præfatum Henricum Cardinalem, & Camerarium, ut præfertur editi, & publicati, aliquem in Notarium creare; Notariis, verò, ut præfertur creatis, & quos pro tempore ex alio capite nulliter creatos esse per Præfectum hujusmodi declarari contigerit, ne officium Notariatus prætextu eorum creationis tali pacto factæ exercere audeant, vel præsumant.

Notariis sic creatis de novo admitti se facere posse permittit.

§. 6. Necnon volentes, quòd Notarii sic creati in eorum exercitio perseverare intendentes, de novo se ab habente creandi potestatem, & servata forma per alias nostras literas hodiè præscribenda, creari, & admitti faciant.

Clausulás præservativas addit.

§. 7. Ac decernentes easdem præsentes, ac omnia, & singula in eis contenta, & ex eo quòd Notarii, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, nullatenùs eis consenserint, & ad hoc vocati, aut auditi non fuerint; minúsque causæ propter quas præsentes emanarint, deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenùs justificatæ fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, & alio quovis defectu, etiam quantùmvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive ex eo quòd in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel præscriptionis, etiam quadraginta annorum, & ultrà, aut enormis, enormissimæ, ac totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, ac terminos juris, aut aliud quodcumque juris facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extrà illud posse: neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Contra judicari prohibet.

§. 8. Sicque & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere: irritum quoque & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 9. Quocircà Venerabilibus Fratribus nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & Prolegatis, necnon dilectis filiis Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, aliisque Officialibus quovis nomine nuncupatis Provinciarum, Civitatum, & locorum prædictorum per Apostolica scripta mandamus, quatenùs statim atque præsentes nostræ literæ illis, seu alicui eorum præsentatæ fuerint, illas solemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcumque per se, vel alium, seu alios debitæ executioni demandent, & demandari procurent; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis, compescendo,

invo-

invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis.

ontraria movet.

§. 10. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii VIII. de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodò quis ultrà tres dietas extrà suam Civitatem, vel Diœcesim ad judicium earumdem vigore præsentium non trahatur, & Pii IV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de gratiis interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernentibus infrà certum tempus in eadem Camera insinuandis, & registrandis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & aliorum dicti Status tàm mediatè, quàm immediatè, ut præfertur subjectorum locorum, statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, & literis Apostolicis, Legatis, Prolegatis, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Officialibus præfatis, ac quibusvis aliis etiam Communitatibus, Universitatibus, Monasteriis, Hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & aliis piis, & non piis locis, etiam speciali nota, & mentione dignis, etiam Motu scientia, & potestate paribus, & etiam Consistorialiter, & de eorumdem Cardinalium consilio, & consensu, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam necessario exprimendis, etiam in vim contractus jurati, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmati, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, editis, factis, & pluries, ac iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caveatur expresse, quòd nullo unquam tempore sub similium, vel dissimilium facultatum, licentiarum, concessionum, privilegiorum, & aliarum gratiarum præfatarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illa emanarent, toties in pristinum, & validissimum statum, etiam sub posteriori data per eos, quibus concessa sunt eligenda, restituta, reposita, & plenariè reintegrata, & de nova concessa sint, & esse censeantur; necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter, & expresse, ac latissimè derogamus, & derogatum esse etiam volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

jus Consti. emplis edi jubet.

§. 11. Volumus autem, & Apostolica auctoritate præfata decernimus, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extrà illud habeatur, quæ ipsis originalibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

nctionem- ne pœnam super- dis.

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, revalidationis, sanationis, statuti, ordinationis, concessionis, impartitionis, inhibitionis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo trigesimo primo, duodecimo Kalend. Januarii, Pontificatus nostri Anno Nono. Dat P. An. 4 die 21. Decembris.

Die 11. Mensis Martii 1632. Illustrissimus, & Reverendissimus D. Franciscus Usimbardus C. A. Clericus, & Archiviorum Status Ecclesiastici Præfectus, ad instantiam R. P. D. Fœlicis Contelorii Cameræ præfatæ generalis Commissarii, ad majorem cautelam, & ut dictæ literæ Apostolicæ semper cùm opus fuerit, in eadem Camera appareant, & aliàs omni meliori modo, &c. mandavit illas in ejusdem Cameræ libris registrari, prout registratæ fuerunt, & collationatæ concordant. Registratio in Camera Apost.

Petrus Antonius Severus.

CLIX.

Notarii extrà Urbem creandi, antequàm officium Notariatus exercere incipiant, examini se subjicere debeant, sub pœna nullitatis, & falsi.

Notarios creatos prætextu Bannimenti Henrici Card. Caëtani S. R. E. Camerarii annulavit istemet Sanctiss. Pont. in Const. sequenti.

Forma autem hujus examinis præscribitur in hac constit.

URBANUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Edita A. D. 1631.

Exordium.

Ratio Pastoralis officii sollicitè vigilare Nos admonet, ut ad publica munia præcipuè verò Nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum interesse concernentia exercenda viri præficiantur idonei, qui fide, doctrina, & experientia commendabiles sustinendo oneri sibi credito pares existant.

Gubernatores Civitatum occasione prohibitionis jam per Card. Camerarium factæ ne Notarii officium exercerent nisi prævio examine creaverant nonnullos Notarios.

§. 1. Hinc est quod Nos, qui hodie accepto quod post erectionem, & Institutionem Archiviorum per fœlicis recordationis Sixtum Papam V. prædecessorem nostrum in quibusvis statuus Ecclesiastici Nobis tunc illi, & Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subjecti Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Castris, Villis, & aliis locis designatis factam, Gubernatores Civitatum, ac Prætores locorum minus insignium, sumpta occcasione quòd bonæ memoriæ Henricus olim tituli S. Pudentianæ Presbyter Card. Caëtanus nuncupatus, tunc S. R. E. Camerarius statuerat, & ordinaverat, quòd nullus Notarius per quamcumque personam, prætextu cujusvis facultatis etiam ex Urbe nostra concessæ extra Romæ Curiæ creatus, officium Notariatus, nisi prævio rigoroso examine per Gubernatorem, aut Superiorem loci, cum interventu Advocati, & Archivistæ approbatus fuisset, exercere posset; facultatem creandi Notarios sibi arrogare ausi fuerant, & de facto creaverant.

Quod sic creatos Pont. annullavit, & de novo se creari facere ut possint concedit, certa præscribenda forma.

§. 2. Creationes Notariorum per Gubernatores & Prætores sic factas, invalidas, & attentatas, & Notarios tali pacto creatos non Notarios per alias nostras literas declaravimus, prohibentes assertis Notariis, ut præfertur creatis, ne officium Notariatus prætensi exercere auderent, vel præsumerent; sed de novo se ab habente creandi potestatem & servata forma per Nos præscribenda creari facerent.

Eam formam hic præscribit.

§. 3. Volentes formam hujusmodi præscribere, & omnibus interesse habentibus consulere, Motu proprio, non ad alicujus super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, meràque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd perpetuis futuris temporibus in omnibus, & singulis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Castris, Villis, & locis Status prædicti tam

mediatè, quàm immediatè subjecti, nullus omninò tàm ex prædictis, ut præfertur jam creatis, quàm ex eis, quos in futurum quavis auctoritate creari contigerit, extrà districtum Urbis ad exercitium officii Notarius hujusmodi admitti possit, nec debeat, nisi coràm pro tempore existente Legato, aut Præside, vel Gubernatore Provinciæ, in qua degit, vel ipsis impeditis, coràm Prolegato, vel locumtenente generali respectivè, cum interventu duorum Jurium Doctorum, & totidem Notariorum, inter quos sit loci Archivista; ubi verò Tribunal Rotæ institutum fuerit, duorum ejusdem Auditorum; docuerit priùs de creatione in Notarium legitimè facta, eáque legitima, & valida comperta rigorosè examinatus, & interrogatus fuerit super ijs, quæ ad exercitium officii Notariatus spectant: & quatenùs ad id repertus fuerit idoneus, super quo examinatorum omnium conscientiam oneramus, à Legato Præside, vel Gubernatore ad exercitium præfatarum, præstito tamen priùs per eum juramento de observandis Apostolicis Constitutionibus, & bannimentis super Archiviis emanatis, admissus, & super admissione per Archivistam literæ parentes Legati, Præsidentis, vel Gubernatoris manu subscriptæ eidem consignatæ fuerint: Quo verò ad Civitates Legatorum, vel Gubernatorum Provinciæ, præfatorum jurisdictioni non suppositas, & illarum loca, ac Territoria, examen, & alia præmissa coràm singulis Civitatum hujusmodi Gubernatoribus, cum earumdem personarum superiùs expressarum interventu adimpleantur. In eventum verò quòd occasione Legationum Civitas Legato subjiceretur, durante tali subjectione in loco residentiæ Legati; & quoad Terras, & alia loca, in quibus specialis Gubernator constitutus reperitur, coràm Præside Provinciæ. Quo verò ad Civitates, Terras, & loca in districtu dictæ Urbis existentia, coràm pro tempore existente Archiviorum Præfecto, cum interventu quatuor Jurium Doctorum, & quatuor Cameræ Apostolicæ Notariorum, supradicta peragi posse volumus: & insuper Notarium, ut præfertur approbandum, & admittendum præmissorum occasione in aliqua expensa, præterquàm decem Juliorum monetæ Romanæ pro literis patentibus per Archivistam exigendorum gravari non posse.

Contra facientibus pœnas infligit.

§. 4. Et si quis ex superiùs comprehensis Notariis contrà præsentium tenorem, non obtenta admissione, ut præfertur, officium Notariatus exercere ausus fuerit, pœnam falsi incurrere, & actus per ipsum factos, perindè ac si nunquam Notarius creatus extitisset, nullos & invalidas, ac nullius roboris, & momenti in judicio, & extrà fore, & esse decernimus, & declaramus.

Easque Notarios citra Urbem residentes extendit.

§. 5. Quæ quidem omnia quoad Notarios extrà Urbem residentes, & quavis auctoritate, etiam ex Urbe provenienta, ac per Protonotarios, & Scriptores Romanæ Curiæ; necnon Communitatum, Archiviorum, Collegia, & alios quoscumque etiam Apostolica, vel Imperiali, aut alia quacumque suffultos auctoritate creatos, etiam si in Instrumento creationis particulares Judices deputati reperirentur, locum habere, & observari volumus pariter, & mandamus.

Clausulis præservativis in hanc constit. munit.

§. 6. Præsentes quoque, & omnia, ac singula in eis contenta, & ex eo quod Scriptores Romanæ Curiæ, & aliorum Archiviorum præfatorum, ac Notarii, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, præmissis nullatenùs consenserint, & ad hoc vocati, aut auditi non fuerint, minúsque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenùs justificatæ fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quòd in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, à jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel præscriptionis etiam quadraginta annorum & ultrà, enormis, enormissimæ, ac totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore Juris clauso, seu occasione vel causa, & quantumvis justa, rationabili, etiam privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret: aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos Juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extrà posse: neque ipsas præsentes quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Sicque, & non aliàs judicari præcipit.

§. 7. Sicque & non aliàs in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere: irritum quoque & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane pariter decernimus.

Exequutores deputat.

§. 8. Quocircà Venerabilibus Fratribus nostris, & de Sedis die latere Legatis, & Prolegatis; necnon dilectis filiis Præsidentibus, Gubernatoribus, aliisque Officialibus quovis nomine nuncupatis Provinciarum, Civitatum, & locorum prædictorum, per Apostolica scripta mandamus quatenùs statim atque præsentes nostræ literæ illis, seu alicui eorum præsentatæ fuerint, illas solemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcumque per se, vel alium, seu alios debitæ executioni demandent, & demandari procurent. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contraria abrogat.

§. 9. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii VIII. de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodò quis ultrà tres dietas extrà suam Civitatem, & Diœcesim ad judicium vigore præsentium non trahatur, & Pii IV. Rom. Pontificum Prædecessorum nostrorum de gratiis interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernentibus infrà certum tempus in eadem Camera insinuandis, & registrandis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & aliorum dicti Status tàm mediatè, quàm immediatè, ut præfertus, subjectorum locorum, statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, im-

munitati-

munitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, & literis Apostolicis, Legatis, Prolegatis, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Officialibus, & Collegiis prædictis, ac quibusvis aliis etiam Communitatibus, Universitatibus, Monasteriis, Hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & aliis piis, & non piis locis, etiam speciali nota, & mentione dignis, etiam motu, scientia, & potestate paribus, & etiam consistorialiter, & de eorumdem Cardinalium consilio, & assensu, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis etiam necessaria exprimendis, etiam in vim contractus jurati, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmitati, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, editis, factis, & pluries, ac iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si in eis caveatur expresse quòd nullo unquam tempore sub similium; vel dissimilium facultatum, licentiarum concessionum, privilegiorum, & aliarum gratiarum prædictarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptæ, & quoties illæ emanarent, toties in pristinum, & validissimum statum, etiam sub posteriori data per eos, quibus concessæ sunt, eligenda restituta, reposita, & plenariè reintegrata, ac denuò concessa sint, & esse censeantur; necnon pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter, & expresse, ac latissimè derogamus, & derogatum esse volumus; cæterísque contrariis quibuscumque.

[...]anc const. [...]ublicari, & [...]ublicatam [...]mnis affi[...]re decer[...]t.

§. 10. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, ultrà earumdem publicationem in quolibet dicti status loco faciendam & in cujuslibet loci Archivio registrandam, Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus easdem præsentes ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui: quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt in Urbe commorantes perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

[...]jusdem [...]ansumptis [...]lit fidem [...]beri.

§. 11. Quódque earumdem præsentium transumptis etiam impressi, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud habeatur, quæ ipsis originalibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

[...]nctionem [...]enam ad[...]t.

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis; mandatorum derogationis, voluntatum, & decretorum, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

[...]at. P. An. 9. [...]e 21. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1631. xij. Kal. Januarii Pontificatus Nostri anno Nono.

[...]ublicatio in [...]rbe.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, Indictione decimaquinta, die verò septima mensis Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina providentia Papæ Octavi, anno ejus, nono, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, dimissis in eisdem locis supradictarum literarum Apostolicarum exemplis affixis per me Antonium Bardum Romanum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Augustinus de Bolis pro Mag. Curs.

Registratio in Camera Apost.

Die 11. mensis Martii 1632. Illustriss. & Reverendiss. D. Franciscus Usimbardus C. A. Clericus, & Archiviorum status Ecclesiastici Præfectus, ad instantiam R. P. D. Fælicis Contelorii Cameræ præfatæ generalis Commissarii, ad majorem cautelam, & ut dictæ literæ Apostolicæ semper cùm opus fuerit in eadem Camera appareant, & aliàs omni meliori modo &c. mandavi illas in ejusdem Cameræ libris registrari, prout registratæ fuerunt, & collationatæ concordant.

Petrus Antonius Severus.

Indictio Sex Decimarum super omnibus fructibus Ecclesiasticis Italiæ. CLX.

Edita An. D. 1631.

URBANUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Suprema dispositione illius cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa in eminenti Apostolicæ dignitatis specula meritis licèt imparibus constituti, & inter multiplices sollicitudines quas pro communi utilitate universæ Christianæ Reipublicæ nostræ curæ commissæ dies noctésque suscipimus, tot, ac tantos novos orthodoxæ Fidei hostium in inclitam Germaniam, & illi proximas Provincias percurrentes conatus paterna meditatione considerantes, non possumus calamitosum statum catholicorum illarum partium non misereri, & ne catholici ipsi in majores incidant ærumnas non pertimescere.

Causæ hujus const.

§. 1. Quare nos officii nostri partes esse duximus charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem electo, quacumque opportuna ratione possumus opem ferre, & communem Catholicæ Ecclesiæ causam adjuvare. Hinc est, quod post elargitos novissimè ex ipsius Ecclesiæ ritu ejusdem Ecclesiæ thesauros, quia Cameræ nostræ Apostolicæ valdè debilitatæ vires ad ea comparanda præsidia, quæ præsentes necessitates postulant nequaquàm sufficiunt cogimur exemplum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ad aliarum Ecclesiarum peculium, Christique Domini patrimonium, cujus causa nunc agitur Nos convertere, sperantes in Domino non iniquum quemquam urgentium harum necessitatum æstimatorem, in tàm sanctum pium, ac necessarium usum pro christiana pietate libenter contributurum.

Exceptis paucis omnes ad solutionem.

§. 2. Habita igitur super his omnibus cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura de eorum consilio, & assensu indicimus, & imponimus Sex integras Decimas omnium & quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, Jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque præpositurarum, Præceptoriarum, Cano-

nicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, cæterorúmque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmostratensis, S. Basilii, Silvestrinorum, & qui proprietates, redditúsque certos ex privilegio, vel aliàs possident Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Congregationum regularium, & insuper Hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultrà infirmorum necessitates, & alia pro quibus instituta sunt pia officia exercentium possidentium, necnon Beatæ Mariæ Theutonicorum, S. Lazari de alto passu, Templi Dominici, & aliarum Militiarum in Italia universa consistentium, secundùm verum annuum valorem fructuum, redditüum, proventuum, & aliorum prædictorum, nisi aliter cum sede, & Camera Apostolica fuerit concordatum) Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani Militia, quæ pro sui tutela contrà Turcas, & alios infideles alienis indiget continuò auxiliis, necnon Duodecim illis Congregationibus, quæ cum Camera Apostolica tempore fœlicis recordationis Pii Papæ Quinti Prædecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, & S. R. E. Cardinalibus ob assiduos, magnósque labores quos ipsi Ecclesiæ universali impendunt, & gravissima quæ tuendæ dignitatis causa sustinent onera, dumtaxat exceptis (ac etiam indicimus, & imponimus Sex similes decimas omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis in favorem quorumcumque (non tamen Cardinalium, & Duodecim Congregationum hujusmodi) assignatarum, & assignandarum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscumque Episcopus Archiepiscopus & Primatibus, Patriarchis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, & conditionis persona prædicta, quocumque Jure & titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon Oeconomis, & administratoribus perpetuis, & temporalibus usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia hujusmodi Jura ex quacumque causa sibi Apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata habentibus, & habituris sæcularibus, & regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Joannis) prædictorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Cappellanis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua suffultis, quos omnes ad hoc obligatos, pro una intrà proximum diem festum S. Michaëlis Archangeli proximi mensis Septembris, & pro alia intrà eumdem festum anni proximè futuri, & pro tertia partibus æqualibus intrà illum ipsum diem festum consequentis protinùs anni Cameræ prædictæ, & illius Depositario generali ad id constituendo, omninò volumus persolvisse.

Depositarii officium.

§. 3. Ejusdem verò Depositarii munus erit sedulò curare, ut quicquid pecuniarum ex Decimis colligitur id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato nostro speciali in prædictos usus dumtaxat, nec aliàs erogandum.

Pœnas contrà non integra solventes imponit.

§. 4. Quicumque verò Decimas hujusmodi nullo modo, vel non integrè scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, redditüum, proventuum, Jurium, obventionum, distributionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur ineundam, sive terminis constituendis non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem Ecclesiarum Antistites suspendimus à divinis; Capitula verò, Conventus, Collegia quæcumque Ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas Antistite inferiores excommunicationis sententia innodamus. Cæterùm, ad prædictas Decimas consequendas præcipimus etiam omnibus Conductoribus, Censuariis, & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & Jurium prædictorum, etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, ut utrasque Decimas nomine Dominorum, ac Pensionariorum ad computum suæ quisque locationis; omnibus verò possessoribus, usufructuariis, & aliis Pensionis solvere debentibus, ut ipsi etiam Decimas, pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum Cameræ, & Depositario prædictis integrè persolvant.

Solvere jubet juxtà valorem, vel concordata.

§. 5. Decernentes Decimas, fructuum redditüum, proventuum, & aliorum Jurium prædictorum secundùm verum valorem annuum, vel saltem juxtà taxam de qua cum dilectis filiis nostro Hippolyto S. Angeli in foro piscium Diacono Cardinali S. R. E. Camerario, ac nostro, & Cameræ prædictæ Thesaurario generali, quibus etiam Ecclesiarum, Monasteriorum beneficiorum, & aliorum prædictorum fructus hactenùs non taxatos taxandi, & taxam in libris Cameræ Apostolicæ describendam describi faciendi, necnon taxas antiquas quas opus fuerit, juxtà verum fructuum valorem augendi, licentiam, facultatem, potestatem, & auctoritatem plenariè concedimus, & impartimur, ut præfertur concordaverint, aliàs verò pensionum Decimas ad rationem decem pro centenario præstari debere, & secundùm ea prædictos omnes insolidum cogendos esse, ipsarúmque Decimarum Procuratores à quibus libuerit integrè exigendi optionem facultatémque habere, neque ullas immunitates, & exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis Juris, concordiæ, conventionis, aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione quocumque modo concessas, & interim concedendas, integram solutionem hujusmodi minuere, vel impedire, neque possessores usufructuarios, aut alios pensiones hujusmodi solvere debentes, etiam si ipsi Juri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, vel retinendæ portionis, & ratæ partis pensionarios contingentis Jurejurando renunciaverint, atque ex forma d. Cameræ amplissima caverint modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse.

Quietantiæ fidem faciunt.

§. 6. Omnes verò confessiones, & quietantias receptionis Decimarum à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ, tàm Conductoribus, Censuariis, & Locatoribus nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas perindè valere, atque in judicio, & extrà illud ubique locorum fidem habere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent. Conductores autem qui pretium locationis Dominis legitimè anticipaverint, locationem suam hujusmodi quam ad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem, ut priùs etiam adveniente successore continuare debere. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Collectorem facit, & dat ei privilegia.

§. 7. Ut autem omnia prædicta sicut causa urgens postulat diligenter, & fideliter executioni demandetur prædictum Hippolytum Cardinalem Camerarium, cujus integritas, atque experientia jampridem Nobis perfecta est, generalem omnium Decimarum prædictarum Collectorem in

universa Italia cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, Jurisdictionibus, ac Juribus quæ omnes aliis ante hac hujusmodi Collectores habuerunt auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine ubique procurandi, prædictos omnes tàm conjunctim, quàm divisim ad illarum integram solutionem, ut prædictum est faciendam, etiam per Edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi non parentes, fraudentes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas incidisse, servata formata Concilii Tridentini declarandi proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum etiam manu regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi.

Contrafacientibus pœnas ponit.

§. 8. Contradictores, & perturbatores, molestatores, & rebelles quoscumque eisque auxilium consilium, vel favorem publicè, vel occultè quovis quæsito colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint prædictis, & aliis censuris, & pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illásque etiam iteratis vicibus aggravandi dignitatibus, beneficiis & officiis omnibus privandi, & amovendi, & ad futura inhabiles faciendi interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliúmque brachii sæcularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem verò reversos, qui debitè satisfecerit ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, super irregularitate forsàn incursa dispensandi, & ad pristinum statum omninò restituendi.

Aliæ facultates Generalis collect.

§. 9. Prætereà Collectores, & Subcollectores, fide, & facultatibus idoneos in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, prædictæ quotquot viderit expedire cum simili, vel limitata, non tamen absolvendi potestate constituendi, cúmque vel eos arbitrio suo revocandi negligenter, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi, quotiescumque ei videbitur in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forte oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumque circà ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale quàm præsentibus est expressum.

Contrario derogatio.

§. 10. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostris de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis quódque Prælatis, & personis prædictis, eorúmque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi, necnon personis, earúmque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis hujusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere, & in specie quomodocumque concessis, confirmatis, & innovatis etiam solutionem Decimarum aliter quàm secundùm antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, nec non promissionibus, denominationibus, obligationibus, Juramentis, & renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis quibus per impositionem Decimatum hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contrà quemcumque locorum habere similiter declaramus, aliisque Indultis, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omninò non inserta effectus earum impediri valeant quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contrà præmissa nolumus cuiquam in alio suffragari, necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondùm elapsum si quæ sint factis. Cæterisque contrariis quibuscumque.

Res sacras pro solutione accipere prohibet.

§. 11. Cæterùm, in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem recol. memor. Clementis Papæ V. similiter prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quòd Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, cæteráque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari quin etiam. Præcipimus ne quisquam etiam plura quanticumque valoris beneficia Ecclesiastica, seu pluries pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinent. pro litera, & sigillo quietanæ universalis, si illam habere voluerit, ultrà unum carolenum conficientem quatrenos triginta septem monetæ Romanæ solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam prætextu cambii uspiam compellatur.

Exemplis stare jubet.

§. 12. Quia verò difficile nimis esset præsentes literas quocumque illas opus erit perferre, Volumus quoque ut illarum exemplis etiam impressis, & Notarii publici manu, ac Hippolyti Cardinalis & Camerarii prædicti, aut alterius Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici, ejúsque Curiæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud ubique locorum adhibeatur quæ illis ipsis adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Pœna lacerantium.

§. 13. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, præcepti, & voluntatum nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. S quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. A. nono.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1631. 14. Kal. Februarii, Pontificatus Nostri Anno IX.

Papæ subscriptio.

† Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Card. subscriptiones.

† Ego Dominicus Episcopus Ostienn. & Vellitrenn. Card. Gymnasius.
† Ego C. Episcopus Portuenn. Card. Pius.
† Ego Scipio Episcopus Sabinenn. Card. Burghesius Major Pœnitentiarius.
† Ego M. Episcopus Tusculanus Card. Lantes.
† Ego P. Paulus Episcopus Prænestinus Cardinalis Crescentius.
† Ego G. Episcopus Albanenn. Card. Borgia.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Ubaldinus.

† †

†
†
† Ego B. tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Sandoval.
†
†
† Ego Guido tit. S. Mariæ de Populo Cardinalis Bentivolus.
†
†
† Ego Fr. Desiderius tit.S.Caroli Presbyter Card. de Cremona.
† Ego Augustinus tit. S. Bartholomæi in Insula Presbyter Card. Spinula.
†
†
†
†
†
† Ego Fr. Antonius tit. S. Honuphrii Presbyter Card. S. Honuphrii.
†
† Ego Aloysius tit. S. Pudentianæ Presbyt. Card. Caëtanus.
† Ego Bernardinus tit. S. Stephani in Monte Pincio Presbyt. Card. Spada.
† Ego Laudivius tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. S. Sixti nuncupat.
† Ego Berlingerius tit. S. Augustini Presbyter Card. Gypsius.
†
†
† Ego Julius tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis Sacchettus.
† Ego J. Baptista tit. S. Eusebii Presbyter Cardin. Pamphilius.
† Ego J. Fr. tit. S. Alexii Presbyt. Card. à Balneo.
† Ego F. tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presbyt. Card. Verospius.
† Ego Ægidius tit. S. Mariæ in Via Presbyt. Cardinalis Albornotius.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Gregorius tit. SS. Quirici & Julittæ Presbyter Card. Narus.
†
† Ego Lucas Antonius tit. S. Salvatoris in Lauro Presbyter Card. Virilis.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Hippolytus S. Angeli in foro piscium Diaconus Card. Aldobrandinus S. R. E. Camer.
† Ego Franciscus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Barberinus.
† Ego P. Maria Burghesius Diaconus Cardinalis S. Georgii.
†
† Ego Hieronymus Sanctorum Quatuor Coronatorum Diac. Card. Vidonus.
† Ego L. SS. Viti & Modesti Diaconus Cardinalis Biscia.
† Ego Martius S. Mariæ Novæ Diac. Card. Ginettus Sanctiss. D. N. PP. Vicarius.
† Ego Alexander S. Mariæ in Dominica Diaconus Card. Cæsarinus.
† Ego Card. Antonius Barberinus Signat. Justitiæ Præfectus.
† Ego Hieronymus S. Agnetis in Agone Diac. Cardinalis Columna.

CLX.

Ampliatio Constitutionis Pauli V. super simplicibus votis, quæ Professi Societatis Jesu emittunt post Professionem solemnem circà paupertatem, & acceptationem dignitatum extrà Religionem, & quæ dispensari nullatenùs possunt, nisi à Romano Pontifice, dispensationem sibi, & pro tempore Romano Pontifici reservavit, editæ ad communicationem, & relaxationem, & jam super declaravit quod in dicto voto de dignitatibus extrà Societatem comprehenduntur, etiam dignitates sæculares, & officia sæcularia, quæ jurisdictionem habent extrà Societatem.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Vota, quæ Deo fiunt, omninò reddi debent, & præsertim, si in manibus Superiorum emittantur per Religiosos, qui tantò plus cæteris tenentur opere, quantò plus promiserunt professione. Undè Romanus Pontifex inter maximas Apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari studio jugiter incumbit, ut Religiosi ipsi reddant Domino vota sua in sanctitate, & justitia coràm ipso.

Indicatio Constit. Pauli V.

§. 1. Quapropter à fœlicis recordationis Paulo V. Prædecessore nostro circà vota Clericorum, & Presbyterorum Societatis Jesu emanarunt literæ tenoris sequentis.

Exordium.

Paulus V. Papa. Ad perpetuam rei memoriam. Ex incumbenti Nobis Pastoralis officii debito, ad ea sedulò intendimus, per quæ Religiosorum Ordines in militanti Ecclesia ad divini nominis laudem, & gloriam, animarúmque salutem piè, rectéque instituti sub salubribus eorum regulis, & constitutionibus perseverent, ac majoribus in dies in Dei obsequio, & sanctitate vitæ proficiant incrementis.

Supplicat Generalis Societatis.

§. 1. Sanè dilectus filius Mutius Vitellescus Societatis Jesu Præpositus Generalis nobis nuper exponi fecit, quòd Clerici Regulares ejusdem Societatis, qui ad solemnem professionem in dicta Societate admittuntur, post emissam professionem hujusmodi, inter alia infrascripta simplicia vota emittere consueverunt verbis sequentibus, videlicet.

Formula, quæ adhibetur in emissione votorum.

§. 2. Ego N. professus Societatis Jesu promitto Deo Omnipotenti coràm ejus Virgine Matre, & tota Curia Cœlesti, & coràm R. P. Præposito Generali, vel coràm N. locum Præpositi Generalis tenente, nunquàm me acturum quacumque ratione, vel consensurum, ut quæ ordinata sunt circà paupertatem in Constitutionibus Societatis immutentur, nisi quando ex causa justa rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis. Promitto præthereà, nunquàm me curaturum prætensurumvè extrà Societatem Prælationem aliquam, vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia ejus, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati.

Commendatio emissionis votorum.

§. 3. Cùm verò vota hujusmodi laudabilibus prædictæ Societatis institutis convenientia sint. Nos ad eximios, & uberes fructus, quos ejusdem Societatis Clerici in agro Dominino in dies faciunt considerationis nostræ dirigentes intuitum, ne Societas prædicta processu temporis aliquod in spiritualibus detrimentum faciat, quantum cum Domino possumus providere volentes, supplicationibus ejusdem Mutii Præpositi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

§. 4. Quod

Dispensatio spectat ad Pontificem & reservat.

§. 4. Quòd de cætero perpetuò futuris temporibus cum Clericis ejusdem Societatis super votis prædictis nisi per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari nullatenus possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & ordinamus, ac facultatem super votis prædictis disponendi. Nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti reservamus.

Annullat dispensationes aliter factas.

§. 5. Decernentes, quascumque votorum prædictorum dispensationes contrà præsentium tenorem quandocumque faciendas nullas, irritas, & inanes, nulliúsque roboris vel momenti.

Præcipit observantiam Constit.

§. 6. Præsentes verò literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere.

Ac ità, & non aliter declarari statuit.

§. 7. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuntios quavis auctoritate fungentes ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Removet obstacula.

§. 8. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. A. 13. 31. Januarii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Januarii 1618. Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Explicat causam novæ suæ Constit.

§. 9. Et licèt præinsertæ literæ hactenùs inviolabiliter observatæ fuerint nihilominùs, quia sicut dilectus Filius Mutius Vitellescus ejusdem Societatis Præpositus Generalis Nos nuper exponi fecit, à nonnullis dubitetur, Præpositum Generalem dictæ Societatis pro tempore existentem, vel quemlibet ejus Superiorem etiam Legatum Sedis Apostolicæ etiam de latere, seu Nuntium facultates prædicti Legati habentem, vel quemcumque alium Superiorem potuisse, & posse saltem in foro conscientiæ cum prædictis Clericis, & Presbyteris Societatis prædictæ super præinsertis votis, & præcipuè supradicto voto non procurandi, nec acceptandi extrà ipsam Societatem Prælaturam, vel dignitatem, dispensare, seu prædicta vota relaxare, & commutare.

Admonet Religiosos Societatis de illorum statu ac emissione votorum.

§. 10. Nos volentes quæcumque dubia de medio tollere, ac attendentes servitio Dei, & prædictæ Societatis quieti valdè expedire, ne ipsius Societatis Religiosi, qui prædicta vota emiserunt immemores eorum professionis, qua contemptis honoribus, abjectis divitiis, spretísque delitiis, arbitrium proprium alterius ditioni subjugarunt, retrò aspiciant ad aratrum manum mittentes, ut solium Prælaturæ, seu dignitatis extrà eorum Religionem conscendere moliantur.

Confirmat Paulinam Constitutionem, & ex certa scientia innovat.

§. 11. Supplicationibus ejusdem Mutii Præpositi Nobis humiliter porrectis, inclinati, præinsertas literas Pàuli Prædecessoris nostri tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & quatenùs foret opus, etiam ex nostra certa scientia innovamus.

Nemo qui habet generalem facultatem dispensandi, commutandi, relaxandi vota potest suam facultatem exercere super dictis votis, sed dicta omnia sunt reservata Summo Pontifici.

§. 12. Præthereà super votis prædictis, & præcipuè super illo, de non procuranda, nec acceptanda extrà Societatem prædictam dignitate, vel Prælatura, neminem etiam de latere Legatum, Nuncium, & quemcunque alium etiam speciali nota dignum potuisse, vel posse, etiam vigore quarumcumque facultatum generalium super votis dispensandi, commutandi, & relaxandi à Nobis, & Romanis Pontificibus etiam ad supplicationem, seu contemplationem Imperatoris, Regum, aliorúmque sublimium Principum etiam Motu proprio, certáque scientia, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet etiam vigore cujuslibet Jubilæi, vel Cruciatæ, seu Missionum, & aliàs quovis modo, & quacumque causa quantumlibet pia, favorabili publica, & privilegiata, concessarum, & concedendarum potuisse, nec posse tàm in foro conscientiæ, quàm in foro exteriori, vel aliàs quomodolibet cum prædictis Clericis, & Presbyteris Societatis prædictæ super prædictis votis, & præsertim super præfato voto de Prælatura, & dignitate Ecclesiastica extrà ipsam Societatem non acceptanda, nec assequenda, dispensare, nec prædicta vota commutare, vel relaxare, sed hujusmodi dispensationem, & commutationem, vel relaxationem dumtaxat nobis, & Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, reservatam fuisse, & esse declaramus.

In voto de non acceptando dignitates extra Societatem comprehendunt dignitates, & officia sæcularia quæ jurisdictionem habet.

§. 13. Insuper cùm à Sacris Canonibus prohibitum sit omnibus personis Ecclesiasticis, & præsertim Regularibus ne Officia sæcularia acceptent, & exerceant, negotiisque sæcularibus se immisceant, tenore præsentium nedùm Prælationes, seu dignitates Ecclesiasticas extrà ipsam Societatem existentes, sed multò magis sæculares quascumque, ac quæcumque officia, quorum Officiales jurisdictionem Ecclesiasticam, vel laicalem de jure, usu, vel consuetudine habent, seu quomodolibet extrà ipsam Societatem exercent, sub prædicto voto, & prohibitione hujusmodi comprehensa fuisse & esse, ac comprehendi debere similiter declaramus, & decernimus.

Clausulas præservativas apponit.

§. 14. Præsentes quoque literas de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari, seu ad viam, & terminos juris reduci, aut adversùs eas quodcumque juris, vel gratiæ remedium impetrari, aut concedi, sive etiam Motu proprio, seu aliàs concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, & extrà illud nullatenùs posse, sed illas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac in dicta Societate ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter servari.

Aliter judicandi facultatem tollit.

§. 15. Sicque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, auctoritatéque interpretari, judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 16. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenùs opus foret, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, necnon omnibus illis, quæ in eisdem præinsertis literis concessa sunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat P. A. 9. 25. Januarii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 25. Januarii 1632. Pontificatus nostri Anno nono.

CLXI.

Prohibitio super concessione licentiæ pro Fratribus Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum transeundi ad statum Clericalem.

Isti Fratres non possunt transire ad Calceatos absque licentia Sedis Apostolicæ, ut in Constitutione 88. *Injuncti.*

Edita An. D. 1632.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Causa hujus Constitut.

EXponi Nobis fecerunt dilecti Filii Vicarius, & Procurator generales Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, quòd cùm aliàs nonnulli ipsius Ordinis Laici, sive Conversi, vel cum falsa narrativa, seu aliàs à dilecto Filio nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio licentias obtinuissent, quarum vigore se ad sacros Ordines promoveri fecerant, & faciebant, indéque gravia in dicto ordine inconvenientia non sine Dei offensa orirentur, Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium præpositi, quibus pro opportuno super præmissis remedio supplicatum fuerat, eidem Nuntio, & Magistro generali dicti Ordinis injunxerunt, ut ille à similium licentiarum concessione abstineret, hic verò præfatos conversos puniret.

Prohibitio prout in rubr.

§. 1. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat Magistri generalis officium hujusmodi brevi temporis spatio duret, & Ordo præfatus in multas adeò sibíque maximè distantes orbis partes diffusus existat, ut ob maxima terrarum intervalla sui Generalatus tempore mandata sua in eisdem partibus executioni demandari facere nequeat, Nobis propereà humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pœnæ contrà transgressores.

§. 2. Nos igitur dictum Procuratorem generalem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali, cæterísque Superioribus Ordinis hujusmodi, ad quos spectat, Apostolica auctoritate tenore præsentium inhibemus, ne de cætero inconsulta Congregatione eorumdem Cardinalium, & sine expressa illius approbatione præfatis Fratribus Laicis, seu Conversis licentiam transeundi à statu Laicali ad Clericalem, seu de se promoveri faciendo ad minores, ac sacros ordines ullo modo concedant, alioquin Magistri Generales, ac Superiores præfati contrafacientes excommunicationis, necnon vocis activæ & passivæ, ac officiorum quæ obtinent privationis, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterùm obtinenda pœnas eo ipso incurrant; Laici verò seu Conversi, qui cum licentiis hujusmodi, vel aliter absque speciali ipsius Congregationis approbatione ad statum Clericalem prædictum transierint, vel minores, ac sacros ordines susceperint, à susceptis ordinibus sint in perpetuum suspensi, atque Laici seu Conversi ut priùs remanere intelligantur, ac Laicorum seu Conversorum habitum deferre omninò cogantur, aliisque pœnis mulctentur arbitrio Superiorum, absque spe dispensationis in præmissis obtinendæ.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii, Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; & quatenùs opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 10. Martii 1632. Pontificatus nostri Anno nono.

Dat. P. A. 9. die 10. Mart.

CLXII.

Pia & Pastoralis adhortatio ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Clerum, Religiosos viros, ac omnes Ecclesiæ Catholicæ Christifideles, ut ab Omnipotenti Deo fusis precibus, concordiam inter Catholicos Principes obtineant.

Edita An. D. 1632.

URBANUS VIII. PAPA.

Venerabiles Fratres, & dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Docet calamitatibus impendentibus, è Cœlo implorandum esse præsidium.

§. 1. UNanimi Catholicæ Ecclesiæ consensu sine intermissione fusa ad Deum oratio, præsertim cùm ipsum Ecclesiæ caput in terris à Domino constitutum, præsidium è cœlo suppliciter implorat, quàm sit efficax remedium, calamitatibus impendentibus, docet sacra pagina.

Ad hoc annis elapsis excitavit pro sedandis tunc exortis motibus. Hanc indicatam habes in rubr.

§. 2. Hinc Nos præteritis annis, Venerabiles Fratres, vos universos Apostolicis literis excitavimus ad congregandos cœtus Fidelium, & placandam iram Divinæ ultionis, dùm Legationibus uteremur ad sedandos tunc exortos motus, quia Christianum orbem summoperè turbare posse videbantur, Catholicósque Principes inter se committere.

Et nunc pro periculis Rei Catholicæ avertendis idem satagit.

§. 3. Nunc autem præsentia rei Catholicæ pericula hortantur Nos ad eamdem opem pari ratione quærendam, in eisdem Principibus animorum conjunctionem inserere satagentes. Itáque ad Patrem misericordiarum Deum cum fiducia confugimus, stamus ad ostium, & pulsamus, ut qui se à famulis suis orari gaudet, optato Nos tandem dono publicæ quietis consoletur.

Et solemnes Jubilæi supplicationes indicere decernit.

§. 4. Quamobrem expedire existimavimus, solemnes Jubilæi supplicationes indicere, ut nobiscum Ecclesia universa conjungat officia pietatis, quibus super humanam malitiam præstabilis Divina bonitas, quòd ex animo, & omni tempore petimus, multiplicatis intercessoribus largiatur. Planè si audita vota nostra fuissent, & preces, sumere possemus stolam jucunditatis, & gratulari pacem Principibus Catholicis. Perseverantes tamen quantum in Nobis est, omnia præstamus, quæ ad obtinendam tranquillitatem, & incolumitatem Religionis Catholicæ conferre censemus.

Nuntiósque mittit ad Cæsaream Majestatem, ac Reges pro bono publico, & animorum conjunctione consequenda.

§. 5. Hanc autem, cui reliqua omnia postponimus, non solùm ordinariorum, sed etiam extraordinariorum Nuntiorum, quos ad Cæsaream Majestatem, & utrumque Regem mittimus, geminatis officiis, omníque conatu consequi studemus, & confidimus fore, ut instructi nostris monitis, quibus eos, non sine prudentium Cardinalium consilio munivimus, ingruentia confertim discrimina possint avertere, & bono publico, Fideíque Catholicæ effectus parere salutares. Utinam hæc nostra Pastoralis muneris sollicitudo, Divina favente Clementia afferrat, ut aliàs similis nostra opera, successus optati fructum.

§. 6. Ve-

ortatur mnes, ut ua pollent oud Princi- es gratia, udeant eo- um animos eræ charita- s vinculo onjungere.

§. 6. Verumtamen, ne quid intentatum relinquatur, hortamur omnes ex Dominico grege, prout pollet quisque gratiâ apud aliquem ex Catholicis Principibus, ad accuratè incumbendum, ut turbines excitati compescantur, & fiat expetita tranquillitas, quam sperare possumus, sublatis è medio iis, quæ sunt in causa, ne eorumdem Principum animi vinculo veræ charitatis conjuncti in concordiam coalescant. Ex mutuis autem, quæ hinc indè jactantur, expostulationibus, quæ tàm salubre opus impediunt, satis patent, nec deerunt rationes, quibus ea pii, prudentésque viri amoliantur. Quis enim non videt, nisi Discordia disjungeret Principes Catholicos, neque Hæresim, neque Infernum posse unquam perterrefacere Ecclesiam; Quamobrem cùm aliquando humani labores in irritum cadant, Venerabiles Fratres, & dilecti Filii, jactate in Dominum cogitationes vestras, roboramini, & omne studium intendite, ut imminentia mala propulsetis armis orationis, & fidei. Apostolo enim docente, Gedeon, David, Samuel, & Prophetæ per fidem vicerunt Regna, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, Castra verterunt exterorum, obturaverunt ora leonum. Propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.

pse quoque oto corde ominum recabitur, t ad nihi- m deducat ribulantes os.

§. 7. Itáque Nos etiam, qui inter hasce tempestates sedemus ad regimen Naviculæ Petri, cum eo ex toto corde, & supplici voce clamamus, Salva nos Domine, dùm fidelis Congregatio populi effundit coràm te corda sua. Deus adjutor noster in æternum: In te faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deduces tribulantes nos. Salutare Fraternitatibus Vestris, & universo gregi Catholico solatium à Domino præstolamur, vobísque Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

at. P. An. 9. ie 1. April.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Aprilis 1632. Pontificatus nostri Anno nono.

CLXIII. Confirmatio Decreti editi à Sacra Rituum Congregatione ad favorem Abbatum Congregationis Camaldulensium Monachorum Ordinis S. P. Benedicti super usu Baldachini, ac facultate celebrandi solemniter in Pontificalibus.

De Congregatione Camaldulensium lege indicata ad Constit. 1. Alex. II. Nulli fidelium, suprà Tom. 1.

dita An. D. 1632.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam

Sacra Rit. ongr. ema- avit decre- um ad favo- em Abba- um Camal- ulensium.

§. 1. NUper pro parte dilecti Filii Desiderii Arigonii, seu Bardellonii de Mantua, Procuratoris Generalis Congregationis Camaldulensis Nobis expositum fuit, quòd aliàs à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet.

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinale Columna referente, ad instantiam P. D. Desiderii Arigonii, seu Bardellonii de Mantua Procuratoris Generalis Congregationis Camaldulensis, nomine Abbatum ejusdem Congregationis, ut attenta antiqua consuetudine solemniter cum Baldachino, & Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi, recederetur quoad eos decretis aliàs hac de re editis in causis Firmana 28. Januar. 1606. & Neapolitana 18. Martii 1617. Sacra Rituum Congregatio censuit licere Abbatibus Congregationis Camaldulensis, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantùm quolibet anno festivitatibus, eis facere permittitur, uti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, cum assistentia unius Presbyteri, & duorum Diaconorum, ultrà Diaconum & Subdiaconum pro cantandis Evangelio, & Epistola, ac sex aliorum ad summum Monachorum, Sacris vestibus indutorum, quorum duo assistant cum Pluvialibus, duo cum Planetis, & duo cum Tunicellis coloris tempori convenientis, & dummodò iidem Abbates nullo modo teneant Sedem Abbatialem fixam, & permanentem, ut Sedes Episcopalis retineri consuevit, sed eorum Sedes retineatur in Ecclesia his tantummodò tribus diebus per annos singulos, quibus Abbates solemniter celebraturi erunt; & dicti sex Monachi, ut suprà parati, non in Sedibus Choralibus, sed super scabellis sedeant in loco congruo, juxtà Ecclesiæ convenientem situm ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis, dictis Sacræ Congregationis Decretis in causa Firmana, & Neapolitana editis aliàs in suo robore permansuris. Die 21. Augusti 1632.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Exponens decretum hujusmodi Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summoperè desideret. Supplicant Pont. ut illud confirmes.

§. 3. Nos illum favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus. Quod approbat, & confirmat.

§. 4. Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Clausulas præservativas addit.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et ità judicari statuit.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterísque contrariis quibuscumque. Ac contraria tollit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Septemb. 1632. Pontificatus nostri Anno decimo. D. P. An. 10 die 15. Sept

Prohibitio ne Fratres Carmelitæ Calceati de Observantia in Belgio, & Siciliæ Provinciis gestent habitum per Fratres ejusdem Congregationis Discalceatorum gestari solitum, nec se Fratres Carmelitas Reformatos Sanctæ Theresiæ vocitent, aut subscribant. CLXIV.

Carmelitarum Regulam à Divo Alberto Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha traditam approbavit Honor III. ut in ejus Const. 8. Ut vivendi, suprà Tom. 1. ubi lege tibi indicata: Discalceatorum verò tàm Virorum, quàm Monialium Congregationem approbavit Gregor. XIII. Constit. 64. Pia consideratione; suprà Tom. 2. Canonizationem autem Sanctæ Theresiæ eorum Fundatricis habes in Gregor. XV. Constitut. Omnipotens. Vide etiam infrà ad Constit. 194. Inter cæteras.

Edita An. D 1633.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex in Sede Principis Apostolorum à Domino constitutus, ex incumbenti sibi munere, ad ea potissimùm mentis suæ aciem assiduè intendit, per quæ Christifideles divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo, & strictioris observantiæ regulis mancipari prosperè dirigi valeant, etsi aliquæ unquàm subrepunt corruptelæ, pastorali vigilantia eliminentur, ut regulares ipsæ personæ in pacis amœnitate vota sua Domino reddant, & fœlicioribus indies proficiant incrementis.

Carmelitæ Calceati in Belgio, & Sicilia Habitum mutarunt, & se Carmelitas Reformatos S. Teresiæ vocari faciunt.

§. 1. Cùm itaque sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregrationis Sancti Eliæ Nobis nuper exponi fecit, nonnulli religiosi Carmelitæ Calceati de Observantia nuncupati, in Belgio existentes Habitum per Fratres ejusdem Congregationis Discalceatorum gestari solitum, & per eos susceptum, vel eidem similem, cum gravi Fratrum Discalceatorum Congregationis hujusmodi damno, à primæva sui forma mutaverint, & variaverint, malúmque hujusmodi in aliis etiam, & præsertim Siciliæ Provinciis serpere cœperit, quin etiam Fratres Carmelitæ Calceati hujusmodi se Carmelitas Reformatos Sanctæ Theresiæ vocirent, & subscribant in grave ipsorum Fratrum Discalceatorum detrimentum, & scandalum plurimorum.

Pont. id prohibet sub pœnis hic expressis.

§. 2. Nos pro muneris nostri debito huic malo de opportuno remedio, per quod Fratrum Calceatorum præfatorum temeritas compescatur, quantum cum Domino possumus, providere, ac Fratrum Discalceatorum Congregationis hujusmodi, quam in visceribus gerimus charitatis, prospero, fœlicique statui, & directioni consulere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Fratribus Carmelitis Calceatis de Observantia nuncupatis prædictis, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & quoad illorum Superiores, etiam suspensionis ab officiis per eos obtentis ipso facto incurrendis pœnis districtè præcipiendo mandamus ut habitum regularem uniformem, & per eos anteà susceptum, juxtà Congregationis eorumdem Carmelitarum Calceatorum de Observantia hujusmodi communia statuta deferant, nec illum ullo unquàm tempore mutare, vel variare audeant, vel præsumant, absque speciali hujus Sanctæ Sedis licentia.

Gestantibus talem Habitum terminum assignat ad illum deponendum.

§. 3. Iis verò, qui eundem habitum, ut suprà mutarunt, vel quoquo modo variarunt, sub eisdem censuris, & pœnis, ut præfertur, incurrendi similiter mandamus, ut intrà duorum mensium spatium post publicationem præsentium, eundem Habitum, prout anteà deferebant, & quem communis usus, juxtà universalia statuta Congregationis Fratrum Carmelitarum Calceatorum de Observantia, hujusmodi reassumere omninò debeant, & teneantur, neque se Carmelitas Reformatos Sanctæ Theresiæ, vel Beatæ Theresiæ nominent, vel subscribant.

Executores deputat.

§. 4. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis in prædictis, & aliis Provinciis, & locis, ubi opus fuerit, constitutis per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes Fratres Calceatos de Observantia hujusmodi ad præsentes literas, omniáque & singula in illis, ut suprà contenta, & ordinata plenè observanda, & adimplenda, sub pœnis prædictis cogant, & compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Clausulas præservativas ponit.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo, quòd interesse in præmissis habentes ad id vocati, citati, & auditi non fuerint, vel aliàs quovis prætextu, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari impugnari, retractari, aut in jus, vel controversiam vocari nullatenùs unquàm posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari.

Clausulam Sublata addit.

§. 6. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuntios, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria aufert.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Fratribus Carmelitis Calceatis præfatis, illorúmque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cùm quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, & scientia similibus, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi imperat.

§. 8. Volumus autem, quòd præsentibus literis, ac omnibus in eis contentis nullatenùs derogetur aut derogatum sit, vel esse censeatur, nisi de eis specialis, & specifica, non autem per clausulas generales idem importantes mentio omninò fiat: Quódque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Decemb. 1632. Pontificatus nostri Anno decimo.

D. P. An. 10. die 1. Dec.

CLXV.

Feriâ quintâ, 15. Decembris 1633. In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coràm Sanctissimo Domino Nostro Urbano Divinâ Providentia Papa Octavo; ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

DECRETUM.

Ut omnes Regularium Superiores suos subditos, & Religiosos

giosos persæpè commoneant de injuncta omnibus observantia, & executione Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum, ad Officium Sanctissimæ Inquisitionis adversùs Hæreticam pravitatem pertinentium.

SAnctissimus Dominus Noster sedulò incumbens, ut ea, quæ salubriter Apostolicis Decretis, & Constitutionibus statuta, & ordinata sunt præsertim, quæ ad Sanctum Officium Inquisitionis contrà hæreticam pravitatem pertinent, & inviolabiliter observentur, & omnimodam sortiantur executionem, districtè mandat, & præcipit; Ut omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, etiam per amplissima privilegia cum clausulis, ne comprehendantur in Literis, Decretis, Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, non facientibus plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, ne dùm de ipsis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, sed etiam de hujusmodi exemptione, privilegio, vel indulto mentionem, quibus hac vice, & ad effectum præsentis decreti dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresse, & ad formam etiam generalis Constitutionis Suæ Sanctitatis incipientis, *Cum sicut accepimus.* Sub Dat. Romæ die 5. Novembris 1631. Sanctitas Sua derogavit, & derogat, cæterisque contrariis quibuscumque, teneantur sub pœna privationis officii, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis pœnis, in perpetuum semel saltem in anno, id est, feriâ sextâ post octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato: Et insuper in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos subditos ac Religiosos commonere de injuncta omnibus observantia, & executione earumdem Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum, ad Sanctum Officium Inquisitionis, adversùs hæreticam pravitatem pertinentium, ac præsertim.

Julii III. Constitutio 11. incipit. *Licèt à diversis.* Contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorúmque complices, & fautores: Et contrà ipsos Inquisitores admittentes Laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pii V. Constitutio 82. incipit. *Si de protegendi.* Contrà Occidentes, verberantes, dejicientes, aut perterrefacientes quemvis ex Ministris Sanctissimi Officii Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, vel Provincia obeuntium, seu Accusatorem, Denunciatorem, aut Testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum: necnon contrà diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliòve exportantes alicujus prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliavè Instrumenta, sive publica, sive privata, ubicumque posita, eorumque Complices, & fautores: & contrà effringentes carcerem vel custodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum captumvè eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri jubentes, eorúmque complices, & fautores, etiam effectu non secuto: nullatenùs excusandos, nisi claras tantummodò probationes in contrarium adducentes: & contrà intercedentes pro præfatis delinquentibus: Inflictis contrà quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Juliæ Majestatis, eorúmque filiis irrogantur: & oblata Revelantibus impunitate.

Pii IV. Constitutio 31. incipit. *Cùm sicut nuper.* Contra Sacerdotes, qui Pœnitentes Mulieres in actu Sacramentalis Confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & solicitant; & Gregor. XV. Constitut. incipit. *Universis Dominii Gregis,* ampliativæ circà hujus criminis probationes, & extensivæ contrà Confessarios, qui personas (quæcunque illæ sint) ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sive antè sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extrà occasionem Confessionis in Confessionario, aut alio loco ad audiendam Confessionem electo sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos; & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Et contrà Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis sollicitatos esse, ut Inquisitoribus, vel Ordinariis sollicitantes denunciént, vel docentes eos ad ità denunciandum non teneri.

Gregorii XIII. Constitutio 21. incipit. *Officii nostri partes.* De Jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti Missas celebrant, & Sacramentaliter Confessiones audiunt. Clementis VIII. Constit. 81. incipit. *Etsi aliàs,* declaratoriæ pœnæ contrà eos infligendæ per Judices Laicos prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis Suæ Constitut. incipit. *Apostolatus officium.* Extensivè ad minores 25. annis, dummodò vigesimum ætatis annum compleverint.

Sixti V. Constitutio 17. incipit. *Cœli, & Terræ Creator.* Contrà exercentes artem Astrologiæ Judiciariæ, & alia quæcumque Divinationum genera, librosvè harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis Suæ Constitut. incipit. *Inscrutabilis Judiciorum Dei.* Extensivæ ad alia, & cum gravioribus pœnis.

Clementis VIII. Constit. 42. incipit. *Cùm sicut.* Contra Italos, ne extrà Italiam proficiscantur ad loca, in quibuslibet, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat, minúsque eis in locis habitent. Et Gregor. XV. Constitutio incipit. *Romani Pontificis.* Contrà Hæreticos, ne in locis Italiæ, & Insularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contrà eorum Fautores, & Receptatores.

Pauli V. Constitutio 26. incipit. *Romanus Pontifex.* Revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum, cognoscendi Causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Ejusdem Constitutio 97. incipit. *Regis pacifici:* Innovatoriæ Constitutionum à Sixto Quarto, & Pio Quinto de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: impositionis majorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregor. XV. Constitut. incipit. *Sanctissimus Dominus noster auditis.* Ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi Beatam Mariam Virginem conceptam in peccato originali.

Gregor. XV. Constit. incipit. *Romanus Pontifex in specula.* Revocatoriæ quarumcumque Concessionum vivæ vocis oraculo factorum. Et Sanctitatis Suæ Constit. extensivè ad quoscumque quantumvis privilegiatos, & exemptos, incipit. *Aliàs fœl. record. Gregorius Papa XV. sub Datum Romæ 20. Decembris 1631.*

Ejusdem Constitut. incipit. *Apostolatus officium.* Et Sanctitatis Suæ Constitut. incipit, eo modo revocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ Constitut. incipit. *Sanctissimus Dominus noster sollicitè animadvertens.* De Imaginibus nondùm à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum Radiis, Splendoribus, aut Laureolis, non proponendis Tabellis, aut Luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis: eo-

rumvè gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis Suæ Constitut. incipit. *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officii.* De libris ubicumque compositis de quacumque materia tractantibus, ab his qui degunt in Statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, ut imprimantur, sine Vicarii, & Magistri Sacri Palatii in Urbe, vel extrà eam sine Ordinarii, & Inquisitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et ejusdem Sanctitatis Suæ Constitut. sub Dat. Romæ die 5. Novembris 1631. incipit. *Cùm sicut accepimus.* Quòd Constitutiones Apostolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenùs editæ, & in posterùm etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & afficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur ità, ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Urbe. Et nihilominùs voluit, ut Decretum hujusmodi, seu illius exemplum, intimatum Procuratori Generali cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, ut suprà, in Urbe degenti, vel ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Urbis, & in acie Campi Floræ affixum, etiam absque intimatione prædicta, infrà duos citrà Montes, ultrà verò Montes infra quatuor menses ex tunc proximos omnes, & singulos eorumdem Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, Religiosos perindè arctet, & afficiat, ac si commonitio, & affixio prædictæ executæ essent, & unicuique hoc ipsum Decretum exhibitum, ac personaliter intimatum foret. Et ità mandat, & præcipit Sanctitas Sua.

Joannes Antonius Thomasius S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, Indictione secunda, Pontificatus S. D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi, die verò 5. Januarii supradictæ Literæ sive Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Urbis, & in acie Campi Floræ, ut moris est per me Antonium Bardum Prælibati S. D. N. Papæ Cursorem.

CLXVI. Declaratio Privilegiorum Congregationis Clericorum Regularium Papiensium de Somasca quoad Oratoria privata.

Clericorum Regularium de Somasca Congregationis Erectio, & Privilegia habentur in Constit. 78. Pii V. Tom. 2. Qui eos sic appellari jussit, ibid. §. 8.

Edita An. D. 1632.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor literarum Pauli V. refertur.

ALiàs fœl. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster, inter alia privilegia Congregationi Clericorum Regularium de Somascha aliàs Sancti Majoli nuncupatorum Papiens. concessit, ut singuli Presbyteri professi dictæ Congregationis omnibus, & quibuscumque personis degentibus, & commorantibus in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis sub cura, regimine, & administratione dictæ Congregationis existentibus Extremæ Unctionis, necnon etiam tempore Paschatis, Resurrectionis Dominicæ Festivitatis Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenta, absque aliquo censurarum, & pœnarum incursu ministrare possent, prout in dicti Pauli Prædecessoris litteris desuper confectis, quarum, tenores præsentibus pro expressis haberi volumus pleniùs continetur.

Causa hujus Constitutionis.

§. 1. Cùm autem sicut dilectus filius Franciscus Tontulus Procurator generalis dictæ Congregationis, Nobis nuper exponi fecit, à nonnullis locorum Ordinariis revocetur in dubium an per supradictam concessionem Presbyteris prædictis implicitè etiam concessa sit licentia, privata Oratoria in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis hujusmodi præsertim dictæ Congregationis non propriis habendi, in eisque Sacrosanctum Missæ Sacrificium etiam extrà tempus Paschatis celebrandi. Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut dubium hujusmodi opportunæ nostræ declarationis ministerio è medio tollere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declarat posse habere Oratoria, & in eis celebrare.

§. 2. Hinc est quòd Nos dictum Procuratorem Generalem, totàmque ipsam Congregationem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & ejus singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Congregationi quòd ipsa in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis hujusmodi etiam non propriis dictæ Congregationis sub ejus tamen cura, regimine, & administratione existentibus Oratoria privata habere, ipsiúsque Congregationis Presbyteri Professi in eis Sacrosanctum Missæ Sacrificium in personarum in dictis Orphanotrophiis, Seminariis, Accademiis, & Convictorum Collegiis degentium, & commorantium præsentia tàm intrà, quàm extrà tempus Paschatis Resurrectionis Dominicæ festivitatis hujusmodi celebrare liberè, & licitè possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, ac quatenùs opus sit eis de novo concedimus, & indulgemus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1632. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Dat. P.A.10. die 22. Dec.

CLXVII. De Missionibus Religiosorum cujuscumque Ordinis ad Japonicas, & aliàs Indiarum Orientalium Regiones: Impedientium pœnis, & aliis ad eas pertinentibus.

Ad hoc vide Clem. VIII. Const. 74. Onerosa, sup. tom. 3. & Paul. V. Const. 90. Sedis Apostolicæ, d. tom. 3.

Edita A. D. 1633.

URBANUS VIII. PAPA.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

EX debito Pastoralis officii saluti animarum, & fidei Catholicæ propagationi prospicientes, ea, quæ providè à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris propterea ordinata fuerunt, si subindè experientia doceat, ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliásque disponimus, prout ad fidei Catholicæ propagationem, & animarum salutem hujusmodi conspicimus in Domino salubriter expedire.

Greg. XIII. prohibuit ne quisquam

§. 1. Aliàs siquidem fœl. record. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster, certis tunc expressis

causis

accederet ad Provin. Japonicas prædicandi causa sine Sedis Apost. licentia.

causis adductus, per suas in simili forma Brevis literas sub dat. die 28. Januarii 1585. Pontificatus sui anno 13. Omnibus Patriarchis, & Episcopis, etiam Provinciæ Chinæ, & Japonis, sub interdicti Ecclesiastici, & suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & Pontificalium exercitio; aliis verò Sacerdotibus, Clericis, & Ministris Ecclesiasticis tàm Secularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existerent, sub excommunicationis majoris pœnis ipso facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad earum regiones, & Provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacramenta administrandi, aliáque munia Ecclesiastica obeundi causâ, sine suæ, & Sedis Apostolicæ expressa licentia proficisci auderent.

Hanc prohibitionem declaravit Clemens 8. ut in const. 44. Onerosa sup. tom. 3.

§. 2. Postmodùm autem rec. me. Clemens Papa VIII. similiter Prædecessor noster, accepto quoad tàm Chinæ, & Japonum, quàm aliæ illius vicinæ & adjacentes Insulæ, Regiones, & Provinciæ, ac finitima Regna Indiæ Orientalis amplissima, & populis refertissima erant, & pro tanta animarum multitudine ad fidem Catholicam traducenda, & spiritualibus alimentis fovenda, plures Operarii, ac Ministri necessarii erant, quàm ex sola Religiosorum Societate Jesu haberi poterant, omnibus & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, seu Prioribus Generalibus tunc & pro tempore existentibus indulsit, ut cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos nimirùm ad prædicta officia, & ministeria idoneos, & utiles fore in Domino judicarent, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta indè navigatione, in Indias, & Civitatem Goanensem, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, & tàm ipsi sic transmittendi, quàm alii supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum à suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus electi, & approbati, tàm ad Japonicas prædictas, quàm ad aliàs proximas, & adjacentes etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & Terræ Firmæ Indiæ Orientalis Insulas, Regiones, & Provincias accedere possent. Cæterùm, omnibus & singulis Religiosis cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis essent, sub excommunicationis majoris, à qua nonnisi à Romano Pontifice præterquàm in articulo mortis absolvi possent, necnon privationis vocis tàm activæ, quàm passivæ, ac dignitatum, administrationum, & officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterùm obtinenda, ac exercenda pœnis, ipso facto absque ulla declaratione incurrendis, interdixit, & prohibuit, ne ex Insulis Philippinis nuncupatis, sivè qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium tunc habeantur, parte ad illas pertinente, in Japonicas, & alias illis proximas adjacentes, & finitimas Insulas, Provincias, & Regiones prædictas, etiam quorumcumque privilegiorum eis, vel suis Ordinibus à dicto Clemente, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis, sub quibuscumque tenoribus, & formis in genere, vel in speciè, etiam super facultate prædicandi verbum Dei per universum mundum eatenùs concessorum, seu in posterùm etiam concedendorum, approbandorum, & innovandorum, nisi in illis de prohibitione hujusmodi, & interdicto specialis, specifica, & expressa mentio, cum sufficienti derogatione fieret, aut quovis alio prætextu, & quæsito colore proficisci, & transire auderent, vel præsumerent, et si qui eatenùs, vel in posterùm secùs facerent, postquàm moniti essent, statim sub eisdem pœnis, omni mora, & excusatione cessante, ad dictas Insulas Philippinis, vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti, & redire omninò tenerentur, & ad id per quoscumque Judices Ecclesiasticos sub eisdem, & aliis eorum arbitrio infligendis pœnis cogi, & compelli possent.

Subinde Paulus V. nonnulla super hoc disposuit in const. 90. Sedis Apostolicæ sup. t. 3.

§. 3. Et subindè fœl. rec. Paulus Papa V. similiter Prædecessor noster, accepto, experientiâ compertum esse, quòd prohibitio accedendi ad Indias, & Civitatem Goanensem aliàs quàm per Lusitaniam, nec qui sperabatur, ex eo fructum protulerat, neque Catholicæ fidei propagationis negotio utilis fuerit, & propterea ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento, liberè peragi posset, providere volens, omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore existentibus, ut cum necessitas postularet quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ; & eruditionis Religiosos, quos nimirùm ad prædicta officia, & munia idoneos, & utiles fore in Domino judicassent, ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes etiam per aliam viam, quàm per Lusitaniam, in Japonicas, & aliàs illis proximas adjacentes, & finitimas Insulas, Provincias, & Regiones prædictas, servatâ in reliquis dictarum literarum Clementis Prædecessoris formâ in omnibus, & per omnia, & non aliter, transmittere liberè, & licitè valerent; indulsit; & aliàs, prout in Gregorii, & Clementis, ac Pauli V. Prædecessoris prædictorum literis desuper expeditis quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Modo ut Faciliùs Christi Evangelium possit prædicari in Insulis ac Regnis Orientalibus concedit Superioribus quorumcumque Ordinum, ut Religiosos ad ipsas Provincias mittere possint, etiam per aliàs vias quàm per Lusitaniam.

§. 4. Cùm autem experientiâ plurimum annorum compertum fuerit, ordinationes in prædictis literis contentas non sufficere, easque aliqua provisione indigere, ut in prædictas Insulas, & Regna feliciùs, ac faciliùs Sacrosanctum Christi Domini Evangelium prædicari, & propagari possit, ac valeat: Nos pro officii nostri debito post habitam cum Venerabilis Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotio Propagandæ Fidei per universum mundum præpositis maturam deliberationem, præfati Pauli Prædecessoris nostri literis inhærentes, omnibus, & singulis Religionum cujuscumque Ordinis, aut Instituti, etiam Societatis Jesu, Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupentur Ordinum Capitibus nunc, & pro tempore existentibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ut cum eis expedire visum fuerit, quoslibet suarum Religionum Ordinum, & Instituti religiosos, quos ætate, vita, moribus, & scientia idoneos esse ad Missiones judicaverint, ad prædictas Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis, etiam per alias vias, quàm per Lusitaniam, liberè, & licitè mittere possint, ac valeant; servatâ tamen in reliquis præfatarum literarum Clementis Prædecessoris nostri formâ in omnibus, & per omnia, & non aliter.

Impedientes hujusmodi accessum excommunicat.

§. 5. Necnon quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis, & Instituti, tàm non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & Seculares Religiosorum, ut præfertur, mittendos ad Insulas, Provincias, Regiones, & Regna prædicta accessum hujusmodi impedientes excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodamus.

Religiosis missis, ut utantur Catechismo, & Doctrina Christiana Card. Bellarmini in instruendis illis gentibus præcipit.

§. 6. Religiosos verò, ut suprà mittendos, ac etiam missos, & in prædictis locis nunc degentes, plurimùm in Domino hortamur, ut in docendo populos, & præsertim de recenti ad fidem Christianam conversos, uniformes sint, ne ob doctrinæ diversitatem, præsertim in materiis moralibus, Neophyti illi aliquod scandalum patiantur, & quia in hac re Generalium præfatorum curam, & vigilantiam plurimùm profuturam arbitramur, eisdem injungimus, ut prædictos suos Religiosos

 adser-

ad servandam prædictam conformitatem sæpiùs adhortentur. Ut autem id faciliùs succedat, præfati Religiosi in instruendis populis prædictorum locorum Indiæ Orientalis, Catechismum Romanum, & Doctrinam Christianam parvam, & magnam bo. mem. Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini nuncupati in linguas prædictorum populorum translatas, & impressas, si fieri poterit, omninò adhibeant.

Christianis in illis Provinciis existentibus recipere posse Sacramenta etiam parochialia à quocumque Sacerdote ab eo misso indulget, præter requirentia ordinem Episcopalem.

§. 7. Quoniam autem, sicut non sine animi nostri dolore intelleximus, in Japone à pluribus annis contrà Christianos, & præsertim Religiosos, acerrima persecutio fuit commota, eáque usque ad præsens perdurat, & viget, omnibus, & singulis Christianis nunc in Japone existentibus, & pro tempore futuris, ut à quibusvis Sacerdotibus, ut suprà à Generalibus eorum illuc missis, ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta (ordinem tamen Episcopalem non requirentia) etiam Parochialia, durante præsenti rerum statu, suscipere liberè, & licitè valeant, concedimus pariter, & indulgemus.

Religiosis hujusmodi missis mercaturam quamvis minimam exercere prohibet sub excommunicatione, & aliis pœnis, ac super conventionibus disponit.

§. 8. Cæterùm quia à Sacris Canonibus, Conciliorum decretis, ac Apostolicis Constitutionibus, omnibus Religiosis, ac etiam aliis Ecclesiasticis, præsertim in Sacris Ordinibus constitutis, mercatura, & negotiationes sæculares districtè prohibentur, ac valdè damnosum, indecorum, & indecens existit, hujusmodi personas divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum Sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatæ sunt, præfatis mercaturæ, & negotiationibus se immiscere, aut operam dare, prædictorum Sacrorum Canonum, ac Decretorum, Constitutionúmque Apostolicarum dispositioni inhærentes, auctoritate Apostolica, earumdem tenore præsentium, Religiosis omnibus cujuscumque Ordinis, & Instituti, tàm non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jesu, eorúmque singulis tàm in prædictis locis nunc existentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem, & quamcumque mercaturam, seu negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, sivè per se, sivè per alios, sivè proprio, sivè Communitatis nomine, directè, sivè indirectè, aut quovis alio prætextu, causa, aut colore interdicimus, & prohibemus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto incurrenda, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quorumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, & insuper amissionis mercium, & lucrorum ex eis factorum: quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existent, reservanda erunt ad usum Missionum, quas eædem Religiones habent, & habituræ sunt in futurum in prædictis Indiis, & non in alios usus: eisdem Superioribus districtè præcipientes sub eisdem pœnis, ut in hoc invigilent, & contrà delinquentes ad prædictas pœnas procedant, sublata eisdem facultate hujusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris quantumvis minimum remittendi, aut condonandi.

Controversiis oriundis providit, ut minores Episcopi cognoscant, graviores Pontif. significent.

§. 9. Quòd si fortè aliquæ controversiæ inter Religiosos dictarum Religionum (quod Deus avertat) oriantur, Episcopi locorum prædictorum pro tempore existentes, tamquàm Sedis Apostolicæ Delegati, illas decidant, & terminent. Si verò graviora quædam negocia occurrerint, ea ad Nos & Romanos Pontifices Successores nostros quantocitiùs ab eisdem Episcopis referantur; ut quod in illis statui, ac decerni debeat, matura consultatione adhibita, provideri possit: sicque volumus, & ordinamus.

Præservativas clausulas apponit.

§. 10. Decernentes præsentes literas validas firmas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Sicque judicari mandat.

§. 11. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores hujus Const. deputat.

§. 12. Mandantes propterea universis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac cæteris Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis per universum Orbem constitutis, ut præsentes literas in suis quisque Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, Capitulis, & Jurisdictionibus, ab omnibus inviolabiliter observari; & quoties ab Ordinum prædictorum Religiosis requisiti fuerint, solemniter publicari curent, & faciant.

Contraria aufert.

§. 13. Non obstantibus interdicto, & prohibitionibus, ac literis dictorum Prædecessorum, aliísque præmissis, necnon Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, & Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Constitutionibus de una, & duabus dietis, ita quòd vigore præsentium, etiam ultrà duas dietas quilibet trahi possit; necnon prædictæ Societatis JESU, aliarúmque Religionum, Provinciarum, & Regionum prædictarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorúmque Prælatis, Superioribus, & personis etiam particularibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice specialiter, & expressè, in quantum nostris prohibitioni, & interdicto, aliísque præmissis adversentur, harum serie derogamus, ac derogatum esse, & censeri, neque illa eis ullatenùs suffragari volumus, & declaramus, cæterísque contrariis quibuscumque. Declarantes etiam, ac decernentes facultatem eligendi posteriorem Datam quibusvis Ordinibus, Societatibus, etiam JESU nuncupatis, & aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis concessam, nemini adversùs præsentes, nostras literas posse unquam suffragari.

Hujus exemplis credi vult.

§. 14. Et quia difficile foret, præsentes literas ubicumque usus venerit ostendi, & publicari; Volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, vel alicujus dictarum Religionum Secretarii subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel cujusvis ex Generalibus prædictis sigillo munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A 10. die 22. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Februarii 1633. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLXVIII.

Confirmatio designationis Novitiatuum factæ à Fratribus Eremitis S. Augustini Congregatio-

nis Lom-

nis Lombardiæ, vigore facultatis concessæ Cardinali Protectori vivæ Vocis oraculo à Paulo quinto; ac Concessio, quòd in illis possint recipere Novitios ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum.

Extendit hic Pontif. Constitut. Gregor. XV. quam habes suprà. Romanus Pontifex ad omnia vivæ vocis oracula, etiam S. R. E. Cardinalibus facta, & eorum manu firmata, ut in Constitut. 157. Aliàs fœlic. record. hic suprà, sed huic confirmationi nihil obstat, cùm illa extensio sit prior.

Super Professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Novitiatu, nonnulla sancivit hic S. D. N. ut hic suprà in Constitut. 146. Religiosos ad quàm legere poteris Constitut. Pontif. hic indicatas. Et de Eremitis S. Augustini lege ad Constitut. 42. Romanus. suprà.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Vicarii generalis, & Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Lombardiæ, quòd aliàs de Anno 1608. fœl. record. Paulus V. Papa Prædecessor noster, ejus vivæ vocis oraculo b. m. Antonio Episcopo Ostien. Cardinali Saulio nuncupato, tunc ejusdem Congregationis apud ipsum Paulum Prædecessorem, & Sedem Apostolicam Protectori facto, præfatæ Congregationi Novitiatus in aliquibus ejus Domibus regularibus erigendi, seu designandi facultatem concessit, cujus quidem facultatis vigore, unus indè Incoronatæ nuncupatus, Mediolanensis, & alius in Sancti Augustini Bergomensis, & reliquus Novitiatus hujusmodi in Sancti Barnabæ Brixiensis ejusdem Congregationis Domibus regularibus erecti, seu designati, in eisque à vigintiquatuor annis citrà Novitii ad Habitum, & Probationis annum peragendum, & Professionem regularem deindè emittendam recepti, & admissi fuerunt.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, stante Constitutione nostra quarumcumque gratiarum, indultorum, & privilegiorum à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris vivæ vocis oraculo concessorum revocatoria, ne de præmissorum subsistentia, & validitate ullo unquàm tempore dubitari contingat, illa cum indè secutis Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimùm desiderent.

§. 3. Nos Vicarium, & Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum Consilio, erectionem, seu designationem Novitiatuum prædictorum vigore dictæ facultatis, ut præfertur, factas, cum omnibus indè secutis, dummodò tamen in Novitiatibus hujusmodi Novitii ad præscriptum decreti à Nobis super receptione, & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon fœl. record. Sixti V. Prædecessoris nostri, ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum pariter similis mem. Clementis VIII. institutionumque generalium super receptione, & educatione Novitiorum ejusdem Clementis, necnon Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum similiter nostrorum auctoritate editarum recipiantur, Apostolica Auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Decernentes præmissa, ac præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Congregationi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. *Clausulas præservativas ponit.*

§. 5. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquàm quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Ita judicari mandat.*

§. 6. Non obstantibus nostra prædicta, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contraria removet.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Martii 1633. Pontificatus nostri anno decimo. *Dat. P. An. 10. die 15. Mart.*

CLXIX.

Quòd Fratres Sancti Augustini Discalceati Hispaniarum, in Philippinis, & Occidentalibus Indiis degentes, à quovis Catholico Episcopo Communionem Sedis Apostolicæ habente, Minores & Sacros Ordines, etiam non servatis interstitiis, suscipere possint.

De his Fratribus vide suprà ad Constitut. 63. Clem. VIII. Decet. Tom. 3.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1633.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cùm sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum, Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum, & Indiarum, Nobis nuper exponi fecit; Fratres prædicti in Philippinis, & Indiis Occidentalibus degentes, ob locorum hujusmodi ab Episcopis distantiam, non sine impensis, & magnis incommodis ipsos Episcopos pro Sacris Ordinibus suscipiendis sæpiùs adire nequeant; cupiátque propterea illis per Nos desuper, ut infrà, opportunè provideri. *Quia Fratres S. Aug Ord. Discalceatorum Hispan. in Indiis Occidentalibus degentes, non facilè ad Episcopos pro suscipiendis Ordinibus accedere possunt.*

§. 2. Nos Procuratorem, & Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Eccesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes. Supplicationibus ejusdem Procuratoris illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ fidei præpositorum, Consilio, eisdem Fratribus, ut à quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite gratiam, & Communionem Apostolicæ Sedis habente in propria Diœcesi residente, vel in aliena de Diœcesani loci consensu Pontificalia exercente, per eos eligendo, ad quatuor Minores quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unica, & subinde ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & *Concedit, ut à quovis Episcopo Communionem Sedis Apostol. habente, ad Minores, & Sac. Ordines promoveri possint etiam non servatis interstitiis.*

Presby-

Presbyteratus ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam extrà tempora ad id à jure statuta, ac interstitiis à Sacro Concilio Tridentino designatis minimè servatis, annique curriculo non exspectato; etiamsi in unoquoque ex dictis Sacris Ordinibus, antequàm ad alium promoveantur, se non exercuerint; dummodò tamen ad id idonei reperiantur, promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Necnon Antistiti per eos eligendo hujusmodi ordines prædictos tibi conferendi licentiam impartimur.

Obstantibus derogat. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Hujus Constitut. exemplis credi mandat. §. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 10. die 9. Julii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Julii 1633. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLXX. Concedit facultatem Generali Minimorum supprimendi Conventus tenues, eorùmque bona in Conventus majores transferendi cum oneribus annexis.

Vide quæ de his Fratribus indicavi tibi suprà ad Constitut. 17. Ut ea, &c.

Edita A. D. 1633.

URBANUS VIII. PAPA.

Dilecto filio Correctori Generali Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Motiva hujus Constit. §. 1. Cùm sicut Nobis nuper exponi fecisti, in visitatione tui Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, per te hactenùs facta, compereris & indies comperias, nonnullos ipsius Ordinis Conventus adeò pauperes, & tenues existere, ut spes nulla sit illos unquàm ad formam Conventuum reduci, minúsque eorum Religiosorum numerum, qui per Constitutiones Apostolicas pro Regulæ ejusdem Ordinis observantia, divinique cultus servitio præscriptus existit, in eis sustentari posse, quin etiam Conventus hujusmodi in Observantiæ regularis, ac disciplinæ relaxationis, totiúsque Ordinis hujusmodi dedecus, & ruinam esse noscas, & experiaris, & proptereà tibi de infrascripta facultate per Nos provideri summoperè desideres.

Concedit pro ut in rubr. §. 2. Nos de tua fide, virtute, prudentia, & diligentia plurimùm in Domino confisi, necnon Conventuum hujusmodi situationes, confines, qualitates, eorúmque fructuum redditus, & proventus, veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum Consilio, tibi, ut Conventus tenues hujusmodi facta per Ordinarios locorum eorum, Ecclesiarum, profanatione, sive Confraternitatibus, vel aliis locis piis applicatione, eorúmque onerum, ut infrà, translatione, supprimere, & extinguere; & eorum bona quæcumque majoribus conventibus perpetuò unire, & incorporare, & ad ipsos majores Conventus, quibus bona hujusmodi unita, & incorporata fuerint, onera etiam ipsorum minorum Conventuum transferre; ac si magis utile Ecclesiis futurum judicaveris, bona hujusmodi, vel eorum partem vendere, permutare, aut aliàs alienare, dummodò id in Conventuum hujusmodi, & illarum Ecclesiarum utilitatem cedat, ac pretium indè redigendum in alia bona stabilia dictis Conventibus majoribus applicanda, & incorporando omninò, & unico contextu convertatur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium licentiam, & facultatem impartimur.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes præsentes literas, & illarum vigore faciendas uniones, incorporationes, venditiones, permutationes, & alienationes hujusmodi, si, & postquàm factæ fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac eisdem Conventibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus fœl. record. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliísque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostra de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, & Lateranensis Concil. novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, necnon Conventuum, & ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 10. die 23. Jun. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Junii 1633. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLXXI. Concedit quòd Regulares non possint prohiberi associare corpora defunctorum, & quod Curati non possint cogere hæredes defunctorum celebrari facere Missas in suis Ecclesiis Parochialibus.

Parochi non possunt cogere habentes sepulturam in Ecclesiis Fratrum minorum S. Francisci de Observantia in Indiis sepeliri in Ecclesiis Parochialibus. Urb. VIII. Constitut. 22. suprà. Aliàs fœl. &c. Nec plus percipere possunt in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularum, quàm in eis, quæ fiunt in propriis. Constit. 223. Cùm sicut, &c.

Edita An. D. 1633.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum Generalium Ordinum prædictorum S. Francisci, S. Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Discalceatorum nuncupat. Nobis expositum fuit, quòd aliàs à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacris Ritibus præpositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet, Instantibus Procuratoribus generalibus Ordinum Prædicatorum, Sancti Francisci, S. Augustini, & Discalceatorum Carmelitarum, declarari. Primò, an liceat Curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire, contrà voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares Curati ad funus corpora defunctorum

ad quasvis Ecclesias deferenda, unà cum Parochis, & Clericis processionaliter associent. Et ad hoc Sacra Rituum Congregatio respondit, Regulares in casu proposito non posse impediri. Secundò, an prædicti Curati possint cogere hæredes, seu Executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularium, in quibus cadavera sepeliuntur. Et Sacra Rituum Congregatio respondit, non posse cogere. Die vigesima tertia Aprilis 1633.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, decretum præinsertum Apostolicæ nostræ Confirmationis robore communiri summoperè desiderent; Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus, illorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 3. Decernentes, Decretum præfatum, necnon literas præsentes valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Junii 1633. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

LXXII

Quòd Festum Transitus S. Benedicti in singulis locis, in quibus existunt Ecclesiæ Ordinis ipsius Congregationis Hispaniarum, ad instar aliarum de præcepto Ecclesiæ celebrandarum, recolatur.

Monachos Cassinenses Congregationis Sancti Benedicti, Ideò sic vocari jussit Julius II. quia Monasterium Cassinense est Caput aliorum Monasteriorum, ut in ejus Constitut. 1. Tom. 1.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Sancta Mater Ecclesia, quæ salutaribus Nos semper instruit documentis annuas Orthodoxæ fidei filiis venerandas proponit Sanctorum celebritates, qui in terris non solùm exempla ad salutem reliquerunt, sed in Cælo Beati Christi fidelium patrocinium suscipere, eorumque orationes & vota suis precibus adjuvare non cessant, quàm omnibus, opem apud Misericordem Deum credentes Beatum Benedictum Monachorum Principem, & Patriarcham assiduo impendere, dignum, quin & Pastoralis officii nostris humeris ex alto commissi debitum reputamus, ut fœlicis ejus transitus dies, quâ ipsius anima beatifica fruitione digna ad æternas illas divinæ claritatis sedes humanis exuta spoliis translata fuit jucundissima recordatione undique celebretur.

§. 1. Cùm itaque sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris modernæ Comitissæ de Monterrey Regni Neapolitani Proreginæ, & nobilis viri moderni Marchionis Castri Rodrighi apud Nos, & Sedem Apostolicam pro charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico Oratoris, necnon Mauri de Villa Roel Ordinis ejusdem Sancti Benedicti Abbatis generalis, ac Augustini de Castro olim Comitis de Lemos Ordinem ipsum expressè professi dilectorum filiorum petitio continebat, quòd cum ejusdem gloriosi Monachorum Patriarchæ S. Benedicti inter mortales degentis vita jam indè ab ejus pueritia adeò virtutum trophæis admiranda fuerit, ut Beato Gregorio Magno dùm in humanis sanctam vitam ageret Romano Pontifice Prædecessore nostro teste divina interiùs luce splendens sublatus in mentis lumine superior mundo, & expansùs in Deo mentis laxato sinu beatifico lumine humani imbecillitatem intellectus elevante Deum ipsum, & in ipso Deo adhuc mortalis omne quod infrà Deum est videre meruerit, ac demùm post vitam sanctissimè exactam, purissimámque pompa mirabili per viam palliis stratam, & innumeris coruscam lampadibus summo rerum Auctori conjungenda in Cœlum migravit, efflaverit animam; Propterea-que Comitissa, & Marchio, ac Maurus, & Augustinus præfati pro eximio eorum, quem in tanti Viri sanctitatem devotionis affectu plurimum cupiant fœlicis ejus animæ transitus diem ad majorem Præpotentis Dei gloriam, ac fidelium devotionis incrementum solemniùs celebrari. Quare pro parte dictorum Comitissæ, & Marchionis, ac Mauri, & Augustini Nobis fuit humiliter supplicatum quatenùs piis eorum votis hac in parte favorabiliter annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet devotionem ergà Beatos illos sempiternæ beatitudinis Cives non solùm promoveri, sed etiam consecrari sinceris exoptamus affectibus, eosdem Comitissam, & Marchionem, ac Maurum, necnon Augustinum, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus, & Cæremoniis præpositorum inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus ejusdem S. Benedicti transitus dies præfatus duodecimo Kalendas Aprilis, videlicet quolibet anno in omnibus, & singulis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis, in quibus ad præsens existunt Ecclesiæ Ordinis ipsius Sancti Benedicti Congregationum Hispaniarum ad instar aliarum de præcepto Ecclesiæ celebrandarum festivitatum recolatur, & celebretur Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus.

§. 3. Mandantes propterea omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis, sub quorum jurisdictione spirituali, Civitates, Oppida, Terræ, & loca hujusmodi extiterint, ut præsentes Nostras in eisdem Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis suæ Jurisdictioni hujusmodi subjectis solemniter publicari, ac omnibus, & singulis personis cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus faciant inviolabiliter observari.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis etiam in Provincialibus, & Synodalibus, etiam universalibus

Conciliis

Margin notes: [left] ...ncedit ...out in ...ibr. | ...judicari ...ndat, ...in Decreto ...tante. | ...ntrariis ...rogat. | ...t. P. A. 10. ...25. Julij. | ...ita An. D. 1632. | ...œmium. [right] Causa hujus Constitut. | Mandat observari prout in Rubr. | Executores deputat. | Contrariis derogat.

Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §. 5. Volumus autem quòd præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 6. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, duodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

CLXXIII. Erectio Reformationis Provinciæ Austriæ Fratrum Minorum Sancti Francisci Observantiæ.

De erectione Custodiarum Fratrum Reformatorum in Provincias, lege quæ notavi ad Constitut. 240. Injuncti nobis. infrà.

Edita An. D. 1632.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. IN Apostolicæ dignitatis specula meritis licèt imparibus à Domino constituti circà statum Religiosorum quorumcumque, præsertim strictioris Observantiæ Regulis Altissimo famulantium prosperè dirigendum mentis nostræ aciem assiduè intendimus, atque hic quæ pro fœlici eorum statu, & directione facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò subsistant, & inviolabiliter observentur Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, prout pia Catholicorum Principum vota exposcunt, nósque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Constitut. §. 1. Cùm itaque, sicut charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus Nobis nuper exponi fecit aliàs in Domibus Regularibus dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Provinciæ Austriæ opera Dilecti filii Antonii à Galbiato, tunc dicti Ordinis in illis partibus Commissarii Generalis Reformatio introducta fuerit, dictique Fratres uberes in vinea Domini fructus afferant, & proptereà quò uberiores sub hujusmodi reformatione in pacis amœnitate Domino reddere valeant per Nos desuper ut infrà opportunè provideri summoperè desideret.

Confirmatio Reforma. tionis. §. 2. Nos piis dicti Ferdinandi Regis in Imperatorem electi votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Reformationem in Domibus Regularibus dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi, ut præfertur introductam, cum iisdem Privilegiis, gratiis, & Indultis, modo, & forma, quibus similem reformationis introductionem in Provinciis Bavariæ, & Tirolii, aliàs Apostolica auctoritate confirmavimus eadem auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes præmissa, ac præsentes literas valida firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A. [...] die 11. Dec[...] Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11. Decembris 1632. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLXXIV. Fratres Minores Strictioris Observantiæ S. Francisci introducuntur in Monasteriis S. Claræ, & Mariæ Magdalenæ Neapolis.

Istorum Fratrum materiam habes signatam ad Constit. 12. Romanus Pontifex. suprà.

Dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vicecancellario, nostro secundùm carnem ex Fratre Germano Nepoti, Fratrum Ord. Min. S. Francisci de Observantia apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori.

Edita An. [...] 1633.

URBANUS VIII. PAPA.

Dilecti Fili noster! Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Motiva hujus Constit. §. 1. EX dignis, & rationabilibus causis animum nostrum moventibus circumspectioni tuæ totius Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Protectori per præsentes injungimus, ut semotis à Monasterio, & Ecclesia Monasteriorum Monialium S. Claræ, & S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Neapolitanæ Fratribus Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci, si qui nunc sunt, eorum loco, & vice pro hujusmodi Ecclesiarum servitio, ac Monialium cura speciali nonnullos Religiosos Professores dicti Ordinis ex Reformatis nuncupatis Provinciarum Romanæ, Siciliæ ultrà Pharum, & Mediolanensis provectæ ætatis exemplaris vitæ, bonæ famæ, atque Doctrinæ quotquot necessarii erunt Neapolim proficisci, & ibi permanere jubeas, eísque, seu aliquibus ex ipsis singulo saltem triennio mutandis postquam ab Ordinario pro tempore examinati, & approbati fuerint, & non aliter auctoritate nostra mandes, ut regimen spirituale curam animarum earumdem Monialium Sanctæ Claræ, & S. Mariæ Magdalenæ suscipiant, & deinceps sicuti speramus laudabiliter exerceant, eisdémque Monialibus, ut ipsis Fratribus pareant, & obediant districtè præcipias sub censuris, & pœnis arbitrio tuo infligendis, quod à te diligenter fieri cupimus, ita ut diligentiam, & pietatem tuam in hoc meritò collaudare possimus.

Archiepisc. habeat jurisdict. ordinariam. §. 2. Volumus tamen, ut Venerabili Fratri Archiepiscopo Neapolitano nunc, & pro tempore existenti salvum, & reservatum sit omne jus tàm ex juris communis dispositione, quàm ex Sacri Concilii Tridentini Decretis super hujusmodi Monialium Monasteriis Regularium curæ commissis, præsertim in his, quæ ad clausuræ custodiam pertinent competens, ita ut facultas concedendi licentias quibuscumque personis cujusvis status conditionis, & Ordinis etiam Regularibus præterquam supradictis Religiosis prædictarum Monialium, speciali curæ ut suprà deputatis tàm ingrediendi Monasterii clausuram, etiam ex causa urgenti, & necessaria, quàm acceden-

di ad loca collocutionum ad eumdem Ordinarium spectet, quibus sanè licentiis, antequàm executioni demandentur, Superioris Regularis prædictorum Fratrum Reformatorum ejusdem Monasterii consensus accedat, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. An. ... die 13. ...br.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1633. Pontificatus Nostri anno Decimo.

CLXXV.

De vacatione non expleto sexennio, & aliis casibus Ministri Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis Reformatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum.

Habes de hac Congregatione materiam plenè signatam suprà, ad hujusmet Pontif. Constitut. 108. Cùm sicut.

Edita An. D. 1633.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncti Nobis per abundantiam divinæ gratiæ Pastoralis Officii ratio postulat; Ut Regularium Ordinum in Ecclesia Dei militantium prospero statui, fœlicique directioni incumbentes, in his, per quæ Ordines ipsi, illorum Superiorum quoquo modo occurrente vacatione, nullis valeant incommodis pergravari, paternis, & sollicitis studiis intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Constitut.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes de Annunciatione Procurator Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum, quòd in propria eorumdem Fratrum Regula à fœl. record. Innocentio Papa III. Prædecessore nostro Sanctis Patriarchis Joanni, & Fœlici dicti Ordinis Fundatoribus tradita, & à Nobis per nostras sub plumbo sub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1631. 7. Kalend. Octobr. expeditas literas reformata, inter alia expressè disponitur, quòd Capitulum Generale de triennio in triennium celebretur, ac Electio Majoris, & Generalis Ministri de sexennio in sexennium in Capitulo Generali per secreta suffragia juxtà Concilium Tridentinum fiat. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat Officium Ministri Generalis hujusmodi ex aliqua legitima causa, etiam ante finitum sexennium vacare possit; cupiatque propterea dictus Joannes per Nos desuper opportunè provideri.

...æc S. D. N. ...rban. VIII. ...onstitut. ...st valdè ...onsimilis ...onstitut. ...nocent. ...I. indicatæ ...a rubr. ...eò eam ...on posui.

Provisio de ...a in rubr. ... primo in ...su vaca... ...onis Officii ...inistri Ge...er. ante ...pletum ...xennium.

§. 2. Nos pro nostri muneris debito in præmissis consultum esse cupientes, ac Joannem, & Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus dicti Joannis nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum Consilio; Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, si Officium Ministri Generalis prædicti ante finitum sexennium vacare contigerit, mortis renunciationis, depositionis, aut alia quavis causa, statim primus Definitor Generales, & Ministros Provinciales Provinciarium Hispaniæ, & primo dicto Definitore Generale Præsidente, omnes simul canonicè eligant unum Vicarium Generalem, qui eamdem auctoritatem, præeminentiam, vocem, & locum, ac Minister Generalis prædictus habeat; ejúsque Vicarii Generalis hujusmodi munus duret usq; ad finem primi subsequentis Capituli Generalis, in quo electionem Ministri Generalis fieri præcipimus.

§. 3. Si congregato jam Capitulo Generali Minister Generalis ægrotaverit, vel propter aliam causam ad Capitulum non accesserit; tunc totum Capitulum eligat Præsidentem Generalem in prima ejusdem Capituli sessione, qui in absentia Ministri Generalis eisdem auctoritate, & præeminentiis præsideat, cujus Præsidentis Officium solùm durabit usque ad finem ejusdem Capituli, quod tunc celebratur. In casu quòd Minister Gener. ad Capitulum non accesserit.

§. 4. Si Congregato Capitulo Generali, etiam contigerit, Ministrum Generalem è vita discedere, electo prius Præsidente, ut dictum est, fiat electio Ministri Generalis in illo Capitulo, in quo hoc evenerit. In morte Ministri Gener. congregato Capitulo.

§. 5. Sicque, & non aliter ab ipsis Fratribus in præmissis perpetuò observari, & ità per quoscumque Judices ordinarios, & commissarios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, ac decernimus, & declaramus. Ita observari & judicari debere jubet.

§. 6. Non obstantibus fœl. record. Pauli Papæ V. Prædecessoris nostri sub Datum die 14. Augusti 1613. & quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

§. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi præcipit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Augusti 1633. Pontificatus Nostri Anno Undecimo. Dat. P. An. 11. die 22. August.

CLXXVI.

Confirmatio Triennalis impositionis super fructibus Commendarum Ordinis S. Joannis Hierosolymitani.

Istius Ordinis materiam habes suprà ad Constitut. 13. Universalis, & in Constitut. 102. In specula.

Edita An. D. 1634.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Inter cæteras, quibus assiduè premimur Apostolatus nostri curas in eam præcipuè incumbimus, ut in Insula Melevitana Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani firmissimum Christiani nominis adversùs Turcarum tyrannidem propugnaculum debitè Muniatur, & quæ propterea ab ipsius Hospitalis magno Magistro, & Consilio providè ordinata sunt Apostolicæ firmitatis munimine roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Constitut.

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Antonii de Paula Magni Magistri necnon Consilii completi dicti Hospitalis nobis expositum fuit, quòd cùm pro reficiendis & instaurandis mœnibus Civitatum Victoriosæ Sengleæ, & Vallettæ earúmque arcium, necnon propugnaculis, aliisque fortificationibus perficiendis,

ciendis, ac de novo construendis, commune ærarium dicti Hospitalis ingenti pecuniarum summa indigeat, infrascriptam impositionem sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito statuerunt & ordinaverunt, prout pleniùs continetur in decreto desuper emanato tenoris subsequentis, videlicet.

Decretum super fortificationibus faciendis.

§. 2. Frater Antonius de Paula Dei gratiâ sacræ Domus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ac militaris Ord. S. Sepulchri Dominici Magister humilis pauperumque Jesu Christi Custos. Universis & singulis præsentes nostras literas visuris, lecturis, & audituris salutem. Notum facimus, & in verbo veritatis attestamur qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro seu registro Conciliorum nostræ Cancellariæ, in quo similia annotari, & registrari solent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi, & redigi jussimus, ut ubique tàm in judicio, quàm extrà eidem plena, & indubitata fides adhibeatur. Cujus tenor est, qui sequitur videlicet. Die 15. Mensis Novembris 1633. Cùm pro reficiendis, & instaurandis mœnibus Civitatum Victoriosæ Sengleæ, & hujus humilissimæ Vallettæ, earumque arcium, ac propugnaculis, aliisque fortificationibus perficiendis, ac de novo construendis opus sit communi ærario ingens pecuniarum summa juxtà decretum per Venerandum Concilium, referentibus Venerandis Commissariis desuper deputatis, nuper conditum, quòd præmissa pro conservatione hujus dominii, imò totius Reipublicæ Christianæ tuitione fieri censuit, ac mandavit Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Magnus Magister ac Venerabile Concilium Completum legitimè congregatum, intellecta denuò relatione præteritorum Commissariorum maturaque deliberatione præhabita cum Scrutinio Ballottarum sub beneplacito, & confirmatione Sanctissimi Domini Nostri Papæ ejúsque Sanctæ Sedis Apostolicæ, & non aliter, nec alio modo, ordinaverunt, statuerunt, & imposuerunt, ac imponunt pensionem, sivè impositionem, duodecim millium scutatorum monetæ de tarenis duodecim pro singulis scutatis super omnibus Prioratibus, Castellania Empostæ, Bajulivatibus, Commendis, membris, pensionibus, ac bonis ordinis tàm exemptis, quàm non exemptis etiam per commune ærarium (si in mortuario, & vacanti extiterint) in quolibet ex tribus proximè sequentibus annis tantùm, & dumtaxat præter, & ultra responsiones, & impositiones ordinarias pro rata, & juxtà taxam sive æstimationem de Anno 1583. editam exsolvendum in Capitulis Provincialibus cujuslibet Prioratus in singulis futuris annis 1634. 1635. & 1636. celebrandis, prout solvi consueverunt responsiones, & impositiones, ita ut in prædictis tribus annis summa trigintasex millium scutatorum ad præmissum effectum, & non alium eroganda exigi possit, & debeat, nec ulteriùs iis transactis, quovis prætextu, seu colore ipsa impositio continuari valeat, sed statim suppressa, & extincta sit, & esse censeatur. Volentes, ut pecuniæ ex hujusmodi impositione proventuræ in Arca sub clavibus suæ Eminentiæ, & commissariorum super fortificationibus deputatorum conserventur, & exindè quando opus erit, extrahi valeant per eos fideliter in præfatum usum impendendæ. Quódque singulis mensibus iidem Commissarii rationes, & computa expensarum Venerabili Concilio, sub pœna de proprio ipsas expensas illius mensis satisfaciendi, reddere teneantur. Et quia ita se habet veritas, factáque fideli cum originali collatione, concordare comperimus; Ideò in hujus rei testimonium Bulla nostra Magistralis in cera nigra præsentibus est impressa. Datum Melitæ in Conventu nostro die 19. mensis Novembris 1633.

Confirmatio præfati decreti.

§. 3. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes impositionem hujusmodi, desuperque confectum decretum præinsertum, quo exactiùs observentur, Apostolici roboris firmitate communiri summoperè desiderent. Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, impositionem prædictam desuperque confectum decretum præinsertum, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes impositionem, & decretum hujusmodi, præsentésque literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Hospitalis etiam juramento, confirmatione, Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, ac ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. II. die 30. Januarii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 30. Januarii 1634. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

CLXXVII.

Quòd Ordinarii locorum, & Concionatores Verbi Dei tempore Adventus, & Quadragesimæ necessitates locorum Terræ Sanctæ commendari curent.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1634.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

SAlvatoris, & Domini nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem. Vices licèt immeriti gerentes in terris inter multiplices, gravissimásque Apostolicæ servitutis curas, in ea præcipuâ pastoralis solicitudinis vigilantiâ incumbimus ut tanti,

actàm

ac tàm salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni, qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

§. 1. Cùm itaque sicut dilectus Filius Ambrosius della Polla Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Professor, ac Commissarius Terræ Sanctæ nobis nuper exponi fecit, Ecclesiæ & alia loca pia ibidem existentia ferè diruta sint, & quæ ibi adhuc sunt Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum hæreticorum, & Schismaticorum tyrannidem, & pro sanctæ fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto, admodùm gravata sint. Nos eorundem Sacrorum monumentorum hujusmodi conservationi, & manutentioni quantum nobis ex alto conceditur consulere volentes.

[...]cipit pro [...] rubr.

§. 2. Venerabilibus Fratribus Patriarchis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum regularium Generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut ad minùs duabus vicibus quolibet anno Adventus, & Quadragesimæ temporibus, tàm per Verbi Dei Prædicatores in suis sacris concionibus, quàm in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorundem sacrorum monumentorum populo proponi, & commendari curent, & faciant, quod & Omnipotenti Deo bonorum omnium retributori acceptissimum, nobis verò gratissimum erit.

[...]nsumptis [...]i man-

§. 3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

[...]P. An. 11. 3. Febr.

Datum Romæ apud St. Petrum sub Annulo Piscatoris, die tertia Februarii 1634. Pontificatus Nostri Anno 11.

[...]XXVIII.

Indictionis seu Impositionis duorum pro centenario super omnibus fructibus, & pensionibus Ecclesiasticis Universæ Italiæ Decretum.

Aliam Indictionem sex Decimarum fecit iste Pontifex in Constit. 160. Supremæ dispositioni. Super omnibus fructibus Ecclesiasticis Italiæ.

[...]ita A. D. 1634.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

[...]oœmium.

NUper Nos ingentes Orthodoxæ Fidei hostium in inclytam Germaniam irruptiones, & Catholicorum illarum partium oppressiones ac miserabilem statum paterna meditatione considerantes, & ne ipsi Catholici in majores inciderent ærumnas anxiè pertimescentes, Charissimo in Christo Filio nostro Ferdinando Romanorum Regi in Imperatorem electo, quacumque potuimus opportuna ratione subvenire statuimus.

[...] ecessitas [...]mponendi.

§. 1. Verùm quia Cameræ nostræ Apostolicæ vires valde attritæ ad ea comparanda subsidia, quæ imminentes postulabant necessitates, nequaquàm sufficiebant, ad aliarum etiam Ecclesiarum peculium, Nos convertere coacti fuimus, & proindè de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, & assensu indiximus, & imposuimus sex integras decimas omnium & quorumcumque fructuum redditum, proventuum, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, & Metropolitanarum, ac quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum tàm secularium, quàm cujusvis Ord. Regularium, etiam Militiarum quas omnes per ea obtinentes (nonnullis tamen utpotè S. R. E. Cardinalibus, Militibus St. Joan. Hierosolymitani, ac duodecim Congregationibus quæ cum Camera prædicta aliàs concordaverant exceptis) pro una intrà tunc proximum diem Festum S. Michaëlis Archangeli mensis Septembris, & pro alia intrà idem festum anni tunc proximè futuri, ac pro tertia partibus æqualibus intrà illum ipsum diem festum consequentis anni Cameræ prædictæ, & illius Depositario generali ad id constituendo voluimus persolvi, prout in nostris sub Dat. 14. Kalend. Februarii Pontificatus nostri Anno nono desuper confectis literis pleniùs continetur.

Causa hujus Constitut.

§. 2. Verùm quia postmodùm calamitates Germaniæ cum magno animi nostri dolore admodùm invaluerunt, & res Catholicorum in deterius prolapsæ longè majora quàm ex dictis sex integris decimis colligi possint auxilia postulare cognovimus, aliud magis opportunum remedium adhibere voluimus, certò Nobis persuadentes neminem fore qui circumspectis causarum, & temporum qualitatibus onus sibi in tàm piam causam imponendum promptè, & lubenter non subeat.

Omnes Ecclesiasticos obligat, exceptis solùm paucis.

§. 3. Habita itaque cum eisdem S. R. E. Cardinalibus super præmissis matura deliberatione, de eorum Consilio, & assensu impositionem sex integrarum decimarum quoad solutionem tertiæ partis earundem adhuc non exactæ de cetero faciendam revocantes, & annullantes, ac viribus, & effectu carere, ac neminem ex nominatis obligatis in dicti literis ad ipsius tertiæ partis non exactæ solutionem cogi posse, aut debere declarantes, indicimus, & imponimus ad decennium proximum solutionem annuam duorum pro quolibet centenario omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum omnium, & quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium, necnon Monasteriorum & Conventuum, ac etiam mensarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præposituratum, Præceptoriarum, Canonicatuum, Præbendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum cæterorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum etiam Juspatronatus Laicorum, tàm ex privilegio, quàm ex fundatione, & dotatione cum cura, & sine cura secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Basilii, Silvestrinorum, & qui proprietates, redditúsque certos ex privilegio, vel aliàs possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Congregationum Regularium, & Hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra infirmorum necessitates, & alia pro quibus instituta sunt pia officia exercentium possidentium, (non tamen per Cardinales prædictos, quia ipsi pro sustinenda tanta dignitate gravissimas impensas, & labores Reipublicæ Christianæ causâ continuò subire coguntur, obtentorum, necnon S. Mariæ Theutonicorum, S. Lazari de alto passu, Templi Dominici, & aliarum, non tamen Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Militiarum in Italia universa consistentium etiam duodecim Congregationum quæ cum Camera prædicta de subsidio ordinario concordarunt,) & insuper omnium Collegiorum possidentium bona stabilia fructifera, Ecclesiastica per viam unionis, aggregationis, aut alio quovis titulo Monasterio-

rum, Prioratuum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quovis nomine nuncupatorum secundùm verum, & realem annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum præmissorum, necnon etiam indicimus, & imponimus ad idem tempus similem annuam solutionem duorum pro singulo centenario omnium, & quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ac distributionibus, in favorem quorumcumque etiam duodecim Congregationum prædictarum assignatarum, & assignandarum percipiendam, exigendam, & levandam ab omnibus, & quibuscumque Episcopis, Archiepiscopis, & Primatibus, Patriarchis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, & conditionis personis (prædictis Cardinalibus, & Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Militibus dumtaxat exceptis) prædicta quocumque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon Oeconomis, & Administratoribus perpetuis, & temporalibus usufructuariis, ac fructus pensiones, res, & alia hujusmodi jura ex quacumque causa sibi Apostolica auctoritate in toto vel in parte reservata habentibus, & habituris secularibus, & regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Joannis prædictorum) necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, mensis, massis, & locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua suffultis quos omnes adhoc obligatos intrà diem Festum S. Michaëlis Archangeli cujuslibet anni dicti decennii, à proximè venturo incipienti Cameræ prædictæ, & illius Depositario generali ad id constituendo omninò volumus persolvi.

Depositarii onus.

§. 4. Ejusdem verò Depositarii munus erit sedulò curare, ut quicquid pecuniarum ex annua solutione hujusmodi colligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato nostro speciali in prædictos usus dumtaxat, nec aliàs erogandum.

Contrafacientes pœnâ excommunicat. mulctat.

§. 5. Quicumque verò annuam solutionem, hujusmodi nullo modo, vel non integrè scienter, aut non secundùm verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, Jurium, obventionum, distributionum, & emolumentorum, etiam medio juramento juxta id quòd à quinquennio citrà, si per tantum tempus fuerint possessores, sin minùs pro tempore quo possederint, perceperint denunciandum, non autem juxtà taxam hactenùs observatam exprimendum, vel concordiam cum Camera prædicta, cum interventu dilecti Filii illius Commissarii ineundam in præscriptis terminis non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem, Ecclesiarum Antistites suspendimus à divinis; Capitula verò, Conventus, Collegia quæcumque Ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas Antistite inferiores excommunicationis sententiâ innodamus.

Conductores ad solutionem astringit.

§. 6. Cæterùm ad prædictam annuam solutionem consequendam præcipimus etiam omnibus Conductoribus, Censuariis, & Locatariis proprietatum, fructuum, & Jurium prædictorum, etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, ut utramque annuam solutionem nomine Dominorum ac Pensionariorum ad computum suæ quisque locationis; omnibus verò possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones solvere debentibus, ut ipsi etiam pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum Cameræ, & Collectoribus, seu Subcollectoribus deputatis, seu deputandis integrè persolvant.

Juxta valorem, vel taxam, vel concordatum solvendum est.

§. 7. Decernentes annuam solutionem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum Jurium prædictorum secundùm verum, & realem valorem annuum, ut præfertur verificandum, vel saltem juxtà taxam de qua cum dilectis Filiis nostro Hippolyto S. Eustachii Diacono Cardinali S. R. E. Camerario, ac nostro, & Cameræ prædictæ Thesaurario generali cum interventu Commissarii, ut præfertur concordaverint, & annuæ solutionis hujusmodi Collectores, seu Subcollectores prædictos à quibus libuerit integrè exigendi optionem facultatémque habere, neque ullas immunitates, & exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis Juris concordiæ, conventionis, compositionis, aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione quocumque modo concessas, & interim concedendas, integram solutionem hujusmodi minuere, vel impedire, neque possessores usufructuarios, aut alias personas pensiones hujusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi Juri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, vel retinendæ portionis, & ratæ partis pensionarios contingenti. Jurejurando renunciaverint, atque ex forma dictæ Cameræ amplissima caverint modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse.

Quietantiæ probant.

§. 8. Omnes verò confessiones, & quietantias receptionis annuæ solutionis à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ, tàm Conductoribus, Censuariis, & Locatariis nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas perindè valere, atque in judicio, & extrà illud ubique locorum fidem habere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent. Conductores autem qui pretium locationis Dominis legitimè anticipaverint, locationem suam hujusmodi quam ad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem, ut priùs etiam adveniente successore continuare debere. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Collectorem generalem instituit, & facultates illi tribuit.

§. 9. Ut autem omnia prædicta sicut, causa urgens postulat diligenter, & fideliter executioni demandentur prædictum Hippolytum Cardinalem Camerarium, cujus integritas, atque experientia jampridem Nobis perspecta est, generalem annuæ solutionis hujusmodi Collectorem in universa Italia cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, Jurisdictionibus, ac Juribus quæ omnes alii ante hac hujusmodi Collectores habuerunt Apostolicâ auctoritate tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus annuam solutionem hujusmodi Cameræ prædictæ nomine ubique procurandi, prædictos omnes tàm conjunctim, quàm divisim ad illarum integram solutionem, ut prædictum est faciendam, etiam per Edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi non parentes, fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum etiam manu regia apprehendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi.

Contradictores, & perturbatores, molestatores, & rebelles quoscumque eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè quovis quæsito colore præstantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint prædictis, & aliis censuris, & pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compel-

lendi,

lendi, illásque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis & officiis omnibus privandi, & amovendi, & ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliúmque brachii sæcularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem verò reversos, qui debitè satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, super irregularitate forsan incursa dispensandi, & ad pristinum statum omninò restituendi.

as facultes dicti llectoris plicat.

§. 10. Præterea Collectores, & Subcollectores, fide, & facultatibus idoneos in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ prædictæ, quotquot viderit expedire cum simili, vel limitata, non tamen absolvendi potestate deputandi, eúmque vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi, quotiescumque ei videbitur, in delinquentes & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forte oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumque circà ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum.

ontrariis rogat.

§. 11. Non obstantibus piæ memor. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostris de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & Locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & aliis quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quódque Prælatis, & Personis prædictis, eorúmque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi, necnon personis, earúmque nominibus, cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis hujusmodi mentionem. Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere & in specie quomodocumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem annuam hujusmodi aliter quàm secundùm antiquam taxam, vel conventionem factam, & nisi in universali solutionem per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, Juramentis, & renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem annuæ solutionis hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contrà quemcumque locum non habere similiter declaramus, aliisque Indultis, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus, cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omninò non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris mentio specialis, quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari, necnon aliis impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint, factis. Cæterisque contrariis quibuscumque.

Pro solutione pecuniarum tantùm, & non res

§. 12. Ceterùm in exigenda annua solutione hujusmodi Constitutionem recol. memor. Clementis Papæ V. similiter Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quòd Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, ceteraque ornamenta divino cultui dicata ex causa pignoris capi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, vbique volumus observari, quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quanticumque valoris beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro litera, & sigillo quietantiæ universalis, si illam habere voluerit ultrà unum Carolenum conficientem Quatrenos triginta septem monetæ Romanæ solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam prætextu cambii uspiam compellatur.

factas pro pignore recipere lubet.

Exemplis standum.

§. 13. Quia verò difficile nimis esset, præsentes literas quocumque illas opus erit perferre, Volumus quoque, ut illarum exemplis, etiam impressis, & Notarii publici, ac Hippolyti Cardinalis & Camerarii prædicti, aut alterius Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici, ejusvè Curiæ sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud ubique locorum adhibeatur, quæ illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Contra lacerantes pœnæ.

§. 14. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, annullationis indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationum, præceptorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. A. undecimo.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1633. 11. Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno XI.

Papæ subscriptio.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Cardd. subscriptiones.

† Ego Dominicus Episcopus Ostiensis & Velitern. Card. Gymnasius.
† Ego C. Episcopus Portuenn. Card. Pius.
† Ego M. Episcopus Tusculanus Card. Lantes.
†
† Ego G. Episcopus Albanensis Card. Borgia.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Ubalnus.
† Ego Tib. tit. Priscæ Presb. Card. Mutus.
†
† Ego I. tit. S. Sabinæ Presb. Card. Sabellus.
†
†
† Ego Guido tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presb. Card. Bentivolus.
†
† Ego Fr. Desiderius tit. S. Caroli S. R. E. Presbyt. Card. de Cremona.
† Ego Augustinus tit. S. Bartholomæi in Insula Presbyter Card. Spinula.
†
† Ego Cosmus tit. S. Pancratii S. R. E. Card. de Torres.
† Ego A. tit. S. Martini S. R. E. Presb. Card. de la Cueva.
† Ego Fr. Antonius tit. S. Honuphrii S. R. E. Presbyter Card. Barberinus.
†

†
†
†
†
† Ego B. Card. Spada tit. Sancti Stephani in Monte Celio.
† Ego Laudivius tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. S. Sixti nuncupat.
† Ego Berlingerius tit. Sancti Augustini Cardinal. Gypsius.
†
†
†
† Ego J. B. tit. Sancti Eusebii Presbyter Cardinal. Pamphilius.
†
† Ego F. tit. S. Mariæ de Pace Presbyt. Cardinalis Verospius.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Gregorius tit. SS. Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Narus.
†
†
† Ego Franciscus Maria Maria tit. Basil. SS. Apostol. Presb. Card. Brancaccius.
†
† Ego Uldericus tit. S. Anastasiæ Presb. Cardinalis Carpineus.
† Ego Stephanus tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presb. Card. Duratius.
† Ego Augustinus Card. Oregius tit. Sancti Sixti Presbyt.
†
†
†
†
†
† Ego Hip. S. Eustachii Diaconus Card. Aldobrandinus S. R. E. Camer.
† Ego Franciscus S. Laurentii in Damaso Diac. Cardinalis Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius.
† Ego P. Maria Card. Burghesius.
† Ego L. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Biscia.
† Ego Martius S. Angeli in foro piscium Diacon. Card. Ginettus Sanctiss. D. N. PP. Vicarius.
† Ego A. SS. Cosmæ, & Damiani Diac. Cardin. Cæsarinus.
† Ego S. Agathæ Diaconus Card. Antonius Barberinus.
†
†
†
†
†
† Ego Benedictus SS. Viti & Modesti Diaconus Card. Ubaldus.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, Indictione secunda, die verò vigesima quarta Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi, anno undecimo, præsentes literæ Apostolicæ lectæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen. & Principis Apostolorum, Cameræque & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Franciscum de Paulis, & Dominicum Mangilium prælibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Joannes Radica pro D. Mag. Curs.

CLXXXI.

Communicatio Privilegiorum omnium, non Mendicantium, & Mendicantium Ordinibus, seu Congregationibus Clericorum concessorum, Fratribus Discalceatis Hispaniarum, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Istorum Fratrum Congregationem Hispaniarum, inter alios Mendicantium Ordines adscripsit Paul. V. & eis privilegia communicavit in Const. 60. Ecclesiæ sup. tom. 3. Cætera lege ad hujus Pont. Const. 108. Cùm sicut.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita Anno Dom. 1634.

Exordium.

REdemptoris nostri JESU Christi Salvatoris exemplo, quo se ipsum exinaniens, formámque servi accipiens, sui sanguinis profusione nos redemit, assidua meditatione pensantes; continuis excitamur stimulis, ut tantæ liberalitatis memores, gemitus maximè filiorum Ecclesiæ in vinculis compeditorum, & misericordiam Nobis postulantium audientes, paterna sollicitudine ad opem illis, quam possumus ferendam, eò promptiùs excitemur, quò illos apud gentes barbaras, & incultas durior servitus premit, vincula coarctant, perdita patria, & amissi parentes affligunt; necnon eorum, quos frequens Sacramentorum Ecclesiæ participatio non recreat; imò spiritualis perditionis evidentius terret periculum, saluti, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus, illosque ab illa miserabili servitute sublevemus; ac operarios illi messi, quæ utique non pauca existit, ex professo invigilantes, adjuvemus, eorùmque pium exercitium, quo ipsi labores expeditiùs suscipiendo, tàm pium opus alacriter continuent, & promptiùs exequantur, gratiis, & favoribus, quibus possumus, amplissimis confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Enarrat à Paulo V. Ordinem istorum Fratrũ inter Mendicantium Ordines adscriptum fuisse, & privilegia communicata. Hæc Pauli V. const. est num. sup. 50. to. 3.

§. 1. Sanè pridem fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster, Congregationem Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum, inter cæteros Mendicantium Ordines adscripsit; ac illam, & illius Fratres sub Mendicantium nomine comprehendi debere decrevit, & declaravit; propterea omnia privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, libertates, indulta, & alias gratias Mendicantium Ordinibus concessa, ad ipsam Congregationem, ejúsque Fratres, Domos, Ecclesias, & loca extendit, & ampliavit: Omnia præterea privilegia, speciali, quoque nota digna, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, gratias, tàm spirituales, quàm temporales, universo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Ordini, illiúsque Domibus, Ecclesiis, Superioribus, ac Fratribus concessa, præfatæ Congregationi pariter concessit, communicavit, & extendit; ac aliàs, prout in literis Apostolicis desuper expeditis pleniùs continetur.

Nunc ex causis hic expressis.

§. 2. Cùm autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis de Annunciatione, ipsius Congregationis Procuratoris Generalis, petitio continebat, Fratres, & Religiosi ejusdem Ordinis juxta particulare eorum Institutum à piæ memoriæ Innocentio Papa III. etiam Prædecessore nostro approbatum, sub Regula propria Sanctis Patriarchis Joanni, & Felici, dictæ Religionis Fundatoribus tradita, in Captivorum Redemptione pro viribus occupentur, & longos, ac tædiosos labores in transfretando mari, & apud ipsos infideles dietim sustineant; & non modò in redemptione ipsa, quæ ad omnes Captivos nunquàm extendi potest; sed etiam exhortationibus, concionibus, & admonitionibus ad reliquos, qui dictam duram servitutem continuant,

ne fides

ne fides eorum deficiat, occupentur, proprias facultates libenter exponant, diſcrimina quælibet, & pericula alacriter indefeſſi ſubeant; & ut tàm pium opus eò alacriùs Fratres ipſi continuent, & utiliùs exequantur, promptioresque ad id reddantur, ac propterea plurimùm cupiant, aliarum Religionum, & Ordinum gratias, & privilegia hactenùs à Sede Apoſtolica conceſſa, Congregationi præfatæ, illiuſque Fratribus, & Locis per Nos, & Sedem eandem, ut infrà, concedi, & communicari, Quare pro parte ejuſdem Joannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ipſius Congregationis ampliationi in præmiſſis opportunè providere, & conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

...municat ...c Congationi ...nia Privi-ia aliorũ ...dinum, & ...ngrega-...num, ...atenus ...t in uſu, ...n revoca- neque ...revoca-...nibus ...mprehen-

§. 3. Nos igitur ipſius Congregationis augmentum, & conſervationem firmiſſimis vallare præſidiis deſiderantes, ipſúmque Joannem, ac ſingulas perſonas ejuſdem Congregationis à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; necnon literarum præfatarum tenores, etiam veriores, ac datas præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum; Congregationi Fratrum Diſcalceatorum prædicti Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiúſque Domibus, & Regularibus locis ſub illa comprehenſis, necnon Miniſtro Generali pro tempore exiſtenti, Definitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Viſitatori, Conſultoribus, Aſſeſſori, Miniſtriſque Provincialibus, & Conventualibus, aliiſque cujuſcumque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religioſis omnibus, & ſingulis in ea Profeſſis Fratribus pro tempore ad captivos redimendos tranſmiſſis, & Capitulis Generalibus, Perſonis Regularibus, Novitiis, Converſis, Donatis, Oblatis, Miniſtris, Famulis, cunctiſque tàm Officiariis, quam Domeſticis, & eorum Domibus inſervientibus, & cæteris primodictæ Congregationis, ac Domorum, & Regularium locorum Perſonis quibuſcumque pro tempore exiſtentibus necnon quibuſvis aliis perſonis, ac Chriſti fidelibus, illorum Eccleſias, ſeu Capellas pro tempore viſitantibus; ut omnibus, & ſingulis Privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, conceſſionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliiſque prærogativis, & gratiis univerſis, & ſingulis, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, ſingulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac perſonis, tàm Canonicorum, quàm Clericorum Regularium ubivis exiſtentium inſtitutis, & non ſolùm Ordinibus, Monaſticis, Regularibus Mendicantium, & non Mendicantium, tàm pro redimendis captivis, quàm aliàs quomodolibet Ordini Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiúſque Domibus, Conventibus, & Fratribus; nec non Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ac etiam omnibus, & quibuſcumque Congregationibus Regularibus, & præcipuè Clericorum Regularium infirmis miniſtrantium & Canonicorum Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris Lateranenſis, Sancti Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffii Valentiæ, & S. Crucis Colimbriæ; Clericorum Regularium de Somaſcha, & Pauperum Matris Dei, & Scholarum Piarum; ipſiſque Monaſticis Congregationibus, etiam Caſinenſi, aliiſque Monachis, & Monaſteriis S. Benedicti, Sancti Hieronymi, Carmelitis Diſcalceatis, Conventui Beatæ Mariæ de Guadalupe, necnon Societati JESU, ipſiſque Carthuſienſium, Præmonſtratenſium, & Reformatorum Ciſtercienſium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliiſque Familiis, & Societatibus Regularibus, Militiis, Hoſpitalibus quibuſcumque, & piis locis Regularibus, ac quibuſcumque perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoſcumque Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, necnon ejuſdem S. R. E. Cardinales, & de latere Legatos, & quoſvis Sedis prædictæ Nuncios; vel etiam tàm Apoſtolica prædicta, quàm ordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritatibus reſpectivè, aut aliàs quomodolibet quibuſcumque verborum expreſſionibus, & tenoribus in genere, vel in ſpecie, ac particulariter, tàm per modùm communicationis, & ampliationis, quàm ſimplicis, & individuæ, ac particularis, & ſpecialis conceſſionis, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam iteratis vicibus conceſſis hactenus vel confirmatis, aut approbatis; & quibus illi tàm in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remiſſiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de jure, uſu, aut privilegio, vel conſuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa ſint ſpeciali nota digna, difficiliſque conceſſionis, & quæ in generali conceſſione non veniunt; non ſolùm per participationem, communicationem, illorum extenſionem, & ad illorum inſtar; ſed ſpeciatim, & nominatim, pariformiter, & æquè principaliter in omnibus, & omnia abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi illa primodictæ Congregationis, illiúſque Capitulis Generalibus, Miniſtro Generali pro tempore exiſtenti, illiúſque Superioribus, & Perſonis præfatis ſpecialiter, expreſſè, & nominatim, etiam per viam, & modùm ſimplicis, & individuæ, ac particularis, & ſpecialis conceſſionis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis conceſſa fuiſſent; quatenus tamen ſint in uſu, & non revocata, nec ſub aliqua revocatione comprehenſa; uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Ita quod omnes, & ſinguli primodictæ Congregationis, & illius Domorum, Locorúmque Regularium, Superiores, & Miniſtri quocumque nomine appellati, eoſdem favores, gratias Apoſtolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, Monaſteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regularium, & Familiarum Generales, Superiores, Præpoſiti, Provinciales, Rectores, Priores Conventuales, aut clauſtrales, Viſitatores, Guardiani, Cuſtodes, aut alio quocumque nomine, titulo, aut dignitate inſigniti, habent; ſimiliter, ut ſupra, habeant. Fratreſque & perſonæ Regulares primodictæ Congregationis, Generales, Superiores, Miniſtri, & cæteri alii cujuſcumque appellationis Præpoſiti, & Præfecti, in primodicta Congregatione expreſſè Profeſſi, & in ejus gremio, & obſervantia viventes Fratres, & perſonas Regulares primodictæ Congregationis cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apoſtolicis Ordinum, & Congregationum hujuſmodi perpetuò ſecundùm obſervantiam Regularem, & canonicum inſtitutum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis regere, & gubernare, & reſpectivè viſitare valeant. Neque primodicta Congregatio ſuper præfatis omnibus, & ſingulis à quoquam, quavis auctoritate, vel nomine moleſtari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in judicio, & extra impediri poſſint, Apoſtolica auctoritate prædicta, earumdem tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes, eaſdem præſentes ſemper, Clauſulas

& per-

...æservativas adjungit.

& perpetuò, tamquàm ad divini cultus, & bonorum operum augmentum, & Religionis propagationem tendentes, validas, & efficaces esse, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere; nec ab illis ullo unquàm tempore quovis prætextu, occasione, vel causa, recedi, aut resiliri; easdémque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedémque præfatam sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis, minimè comprehendi, vel confundi; sed semper, & perpetuò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessas esse, & fore; primodictæque Generalis Ministri, & Fratrum Discalceatorum hujusmodi Congregationi suffragari.

Ità judicari ab omnibus mandat.

§. 4. Sicque & non aliàs per quoscúmque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quicquid secùs super hís à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Synodalibus, Provincialibúsque & Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus; necnon Regularium Domorum, Locorum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis primodictæ Congregationi, illiúsque Superioribus, & personis in genere, vel in specie, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem dari præcipit.

§. 6. Volumus autem, quòd ipsarum præsentium exemplis, seu transumptis, etiam impressis, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obsignatis stetur, eadémque prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctionemque pœnalem superaddit.

§. 7. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. A. II. die 28. Martii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo trigesimo quarto 5. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno Undecimo.

CLXXX

Declaratio, ac Confirmatio Decretorum editorum circa Imagines defunctorum nondùm à Sede Apostolica Canonizatorum cum splendoribus, aut laureolis non proponendas, & processus pro eorum Beatificatione, aut Canonizatione conficiendos.

Decreta hic enunciata habes sup. inter ejus S. D. N. Sanctiones. num. 41. Sanctissimus.

Edita A. D. 1634.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

COelestis Hierusalem Cives, quorum gloriosis natalitiis sancta lætatur mater Ecclesia, sicut hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ ministerio à piis utriúsque sexus Christifidelibus honorantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesiæ regimini divina providentia præpositum, pro suo præcipuo honoris Domus Dei zelo invigilare, ne quid in personarum cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, sive cultum, inconsulta sancta Sede prædicta innovetur.

Refert decreta aliàs edita super imaginibus defunctorum nondum à Sede Apost. Canonizatorum.

§. 1. Aliàs siquidem Nos sollicitè animadvertentes abusus, qui irrepserant, & irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque in Ecclesiis, aliisque locis publicis, atque etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponebantur, miracula, & revelationes, aliáque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, & ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur: Volentésque proinde hujusmodi abusibus pro debito officii pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, ab eadem Sede specialiter deputatis, communicata, & maturè considerata, ac discussa; de eorumdem Cardinalium consilio sub die 13. Martii 1625. declaravimus, statuimus, & decrevimus, ne quorumvis hominum cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantacunque illa esset) defunctorum imagines, aliáque præfata, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tàm Secularibus, quàm Regularibus, cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequàm ab Apostolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, & (si quæ appositæ essent) amoverentur, prout eas statim amoveri mandavimus. Ac pariter imprimi de cætero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, sive martyrii, fama, vel opinione, ut præfertur, celebres è vita migravissent, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tamquàm eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhiberet: & ne deindè fraus, aut error, aut aliquid novi, & inordinati in re tam gravi committeretur, negocium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, ejúsque responsum exspectaret: Revelationes verò, & miracula, aliáque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, gestáque continentes eatenùs sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimúsque. Ad horum hominum

sepulchra

sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tàm pictas, quàm fictas, atque exsculptas appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omninò prout suprà, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quòd per suprascripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorúmque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ, ac tolerantiâ præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii celebrantur. Cúmque posteà die 2. Octobris ejusdem anni 1625. à quibusdam revocari in dubium accepissemus, an tabellas, & imagines, quas in posterùm afferri contingeret, recipere, & anteà oblatas conservare liceret; Nos, qui tantummodò voluimus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re priùs cum eisdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio declaravimus, quòd sicut numquàm prohibuimus, nec intentionis nostræ fuit prohibere oblationem, receptionémque tabellarum, & imaginum hujusmodi, ità ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur; statuimus, & decrevimus, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumvè alium publicum sæcularem, seu regularem tabellas, & imagines, aliudvè simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii, aut sanctitatis fama demortuorum, optata impetravisse diceret, liceret Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumvè prædictorum curæ præpositis tabellas, & imagines sivè pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorúmque qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidémque jam amota collocare, & asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent hujusmodi sanctitatis qualescunque probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ. Demùm verò, & ejusmodi decreta observarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur executionem, cùm eisdem Cardinalibus re pariter communicata, déque eorumdem consilio præmissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum, super alicujus utriusque sexus cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisque ejusmodi sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquomodo reciperet, aut processum instrueret, vel huc usque receptas informationes, instructumvè processum ulteriùs prosequeretur, nisi postulator priùs per legitimas juridicè susceptas probationes circà personam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliisvè rebus gestis sanctitatem præseferentibus ageretur, præscriptam in præfato nostro decreto formam omninò servatam extitisse docuerit; & nisi posteà successivè idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus, diligenti præhabita disquisitione circà eandem personam, supracitato decreto nullatenùs contraventum esse, ritè pronunciaverit, Utque id inviolabiliter observetur, statuimus insuper, ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecunque hujusmodi processus, à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minusvè à sanctæ fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi priùs in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione, alio sejunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum ritè ac rectè ut præmittitur, cognovisse, ac pronunciasse prælibato decreto nequaquàm contrarium esse plenè constiterit, ac deindè à Nobis judicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset. Insuper longissimum tempus, illiusvè immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto, intelligi declaravimus esse tempus, centum annorum metam excedens: Déque his, atque infrascriptis omnibus, quæ in his decretis disposita, & ordinata sunt, aliqua suboriente difficultate, Ordinariis locorum, & delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omninò interpretandi facultatem ademimus; utque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eáque responsum exspectarent, mandavimus eisdem, & aliàs prout in decretis desuper editis pleniùs continetur.

§. 2. Quare inviolabili decretorum prædictorum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, decreta prædicta, cum omnibus, & singulis in eis contentis, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omniáque, & singula decreta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, observari omninò præcipimus, sub pœna nullitatis quarumcumque informationum processuum, ac interpretationis aliter, quàm prævia suprascripta præcognitione instructorum, eorúmque admissionis, publicationis, aut interpretationis; ità ut earumdem informationum receptiones, processuumvè instructiones, necnon eorum admissiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorúmque ampliùs ratio aliqua nullatenùs alicubi unquàm haberi debeat. Modò illud confirmat, & declarat.

§. 3. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd quicunque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad præmissa vocati, & auditi, minúsque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenùs justificatæ fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sivè etiam ex eo quòd in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint; aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocunque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret; aut quòd de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ; remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio vel extrà posse; neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomo- Clausulas præservativas addit.

dolibet

dolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Ità judicari statuit.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat, ac mandat puniri transgressores.

§. 5. Quocircà Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis Filiis nostris, & Apostolicæ Sedis Nuntiis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ubilibet existentibus, per Apostolica scripta mandamus, ut statim atque præsentes literæ nostræ ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in sua quisque respectivè Diœcesi, vel Provincia sedulò pervigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliavè contrà superiùs disposita fiant: transgressores verò, si regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon suspensionis à divinis: si verò Clerici sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à divinis, & ab administratione Sacramentorum, executionéque suorum ordinum respectivè, aliisque arbitrio prædictorum ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo affixerint, vel formaverint, cæterique artifices circà præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque, etiam corporalibus pœnis juxtà criminis gravitatem, eorumdem ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstantibus, quatenùs opus sit, recol. memoriæ Bonifacii Octavi Papæ etiam Prædecessoris nostri, de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, cæterísque in contrarium facientibus quibuscumque.

Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§. 7. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum indè amovebuntur, earumdem exempla in eisdem locis affixa dimittantur: quæ sic publicatæ, & affixæ post duos menses à die publicationis computandos, omnes & singulos, quos concernunt, perindè afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis credi mandat.

§. 8. Quódque illarum transumptis impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 5. Julii 1634. Pontificatus nostri Anno undecimo.

D P. An. 11. die 5. Julii.

Publicatio in Urbe.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, Indictione secunda Pontificatus S. D. N. D. Urbani divinâ Providentiâ Papæ VIII. die verò 5. Septembris supradicta litera, sive decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicarum Sancti Joannis in Laterano, & Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Alexandrum Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag Curs. Dominicus Mag. Curs.

CLXXXI.

Confirmatio decreti S. Congregationis Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum, videlicèt quòd à Patribus Ordinis Redemptionis S. Mariæ Mercede, & Patribus Discalceatis ejusdem Ordinis ea observentur, quæ antè concordiam inter eos initam cum clausula citrà dispensationem super quarto voto, ac ministerio Redemptionis Captivorum Calceatis reservato, emanata reperiuntur, ità ut quoad dictæ opus Redemptionis omnia remaneant sub directione totius Ordinis Magistri Generalis.

De hujusmodi Fratrum separatione à Calceatis vide ad Constit. Greg. XV. Aliàs à nobis. & Const. hujus Pont. 79. In sede. Demùm obedientiæ Magistri Generalis Calceatorum eos subjecit infrà Const. Aliàs pro. & plura alia statuit infrà in Const. Exponi nobis.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus Constit.

Cùm sicut dilecti Filii Fratres Calceati Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt in controversia nuper exorta inter dictos Fratres Calceatos ex una, & Fratres Discalceatos, sive Recollectos ejusdem Ordinis partibus ex altera super observatione concordiæ, alias inter eos initæ, & auctoritate Apostolica à fœlicis recordationis Gregorio XV. Papa Prædecessore nostro, ac etiam à Nobis confirmata cum clausula citrà dispensationem super quarto voto, ac Ministerio Redemptionis Captivorum eisdem Fratribus Calceatis dumtaxat in eadem concordia reservato, quod nihilominùs etiam à dictis Fratribus Discalceatis fieri posse prætenditur vigore clausulæ prædictæ citrà dispensationem super quarto voto in literis Apostolicis confirmationis concordiæ hujusmodi appositæ, rebúsque aliis, Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Regularium præpositi censuerint vigore dictæ clausulæ citrà dispensationem super quarto voto, hujusmodi, & aliarum in dicta concordia, & confirmationibus Apostolicis contentarum non fuisse, nec esse jus aliquod de novo quæsitum dictis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis ad ministerium Redemptionis Captivorum exercendum sub directione, & super superioritate eorum Vicarii Generalis sed omnia circà ministerium prædictæ Redemptionis Captivorum remansisse, & remanere in iisdem statu, & terminis, in quibus reperiebantur antè dictam Concordiam; ità ut prædicti Fratres Discalceati quoad dictum pium opus Redemptionis, aut alia ad idem ministerium quomodolibet spectantia remaneant sub directione, cura, & obedientia, ac superioritate dilecti Filii Magistri Generalis Calceatorum, prout, & quemadmodùm, ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant antè Concordiam, & confirmationes prædictas, & alius prout in eorumdem Cardinalium decreto desuper sub die 18. Novembris præsentis anni 1633. emanato pleniùs dicitur contineri.

Approbat, & confirmat Pont. decre-

§. 2. Nos inviolabili decreti, & in eo contentorum quorumcumque firmitati atque observan-

tiæ quan-

...m Sacræ Congregationis circa concordiam ... qua in ...

tiæ quantum cum Domino possumus consulere, dictósque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum tenore absolventes, & absolutos fore censentes Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris decretum prædictum & in eo contenta quæcumque Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & omnes, & singulos tàm juris quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

...ausulæ hujus constit. ...servati...

§. 3. Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

...ontrariis ...rogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenùs opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica; vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

...P. An. 11. 1634.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1634. Pontificatus nostri Anno undecimo.

CLXXXIII.

Designatio Conventuum pro Noviatiatibus Laicorum, seu Conversorum Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Fratres Carmelitæ suam Regulam susceperunt ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, quam Honorius III. approbavit in Constit. 8. Tom. 1. Cappis albis uti jussit Bonif. VIII. in Const. 3. Tom. 3.

...dita An. D. 1634.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Nobis expositum, fuit quòd à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Regularium præpositis emanavit Decretum per dilectum Filium nostrum Martium Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconum Cardinalem Ginettum nuncupatum dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Protectorem exponi demandatum infrascripto sub tenore videlicèt.

Causæ hujus Constit. referuntur, & decretum desuper emanatum.

§. 1. *Eminentissimi & Reverendissimi Signori. Il Procuratore Generale de' Carmelitani espone all' Eminenze Vostre, come nella sua Religione è stato sempre solito, che i Fratri Conversi, seu Laici facessero l' Anno del Noviziato in qualsivoglia Convento in virtù si delle loro Constitutioni, come anco per concessione della bona memoria di Clemente VIII. ma perche forsi tale concessione sarebbe troppo ampla, supplica che almeno si dia facoltà al Padre Generale, che in ogni Provincia d' Italia, & Isole adiacenti possa designare quattro ò cinque Conventi de' principali, dove sotto la cura di persona idonea detti Conversi, seu Laici faccino l' anno del Novitiato, quale finito possino poi fare la loro professione solennemente, non ostante li decreti di Clemente Ottavo di bona memoria & altri in contrario che si riceverà à gratia singolarissima.* Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, committendum esse Eminentissimo Cardinali Ginetto Ordinis hujusmodi apud hanc sanctam Sedem Protectori, prout præsentis Decreti virtute committit, ut pro suo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire arbitrabitur Conventus prædictos in singulis Provinciis ad Novitios Laicos, seu Conversos recipiendos designet, contrariis quibuscumque non obstantibus, dummodò in reliquis Novitii Conversi ad habitum & professionem in ipsis Conventibus ut suprà designandis admittantur servatâ formâ Decreti Sanctissimi D. N. super receptione, & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon fœlicis recordations Sixti V. ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & decretorum pariter similis memoriæ Clementis VIII. institutionúmque generalium super receptione & educatione Novitiorum ejusdem Clementis, necnon sanctæ memoriæ Pauli V. auctoritate editarum Romæ die 10. Februarii 1634.

Designatio Conventuum pro Novitiatibus Laicorum.

§. 2. Nos Martius Sancti Angeli in foro Piscium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Ginettus totius Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Protector, vigore retroscripti Decreti instituimus, deputamus, & designamus in singulis Provinciis Italiæ & Insularum adjacentium Conventus infrascriptos videlicèt in Provincia Sancti Alberti in Sicilia Conventus Placiæ, Melatii, Scicli, Siracusæ, Mazarini; In Provincia Romana Conventus Transpontinæ, Sancti Martini in Montibus, Præneste, Velitrarum, Roncilionis; In Provincia Lombardiæ Conventus Mediolani, Cremonæ, Navariæ, Montis Calerii, Novarum; In Provincia Venetiarum Conventus Vicentiæ, Roboreti, Dezensani; In Provincia Tusciæ Conventus Pisarum, Prati, Montis Politiani, Emporii. In Provincia Romandiolæ Conventus Anconæ, Cæsenæ, Arimini, Senogalliæ; In Provincia Neapolis Conventus Capuæ, Nuceriæ Apuliæ, Beneventi, Salerni, Aversæ; In Provincia Apuliæ Conventus Licii, Bitunti, Neriti, Baruli, Monopolis; In Provincia Sancti Angeli in Sicilia Conventus Marsale, Alcami, Sancti Nicolai de Bononia Calatanixete, Racalbuti; In Provincia Calabriæ Conventus Cosentiæ, Rhegii, Caroleorum, Catanzarii; In Provincia Aprutii Conventus Terami, Ortonæ, Bilantis; In Granciis Conventus Neapolis Conventus Summæ, Surrenti, & Concordiæ. In quibus possint recipi, & admitti ad habitum, & expleto probationis anno ad professiónem Fratres Conversi, seu Laici, servatâ formâ Decreti Sanctissimi Domini Nostri super receptione & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon fœlicis recordatis Sixti V. ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & decretorum pariter similis memoriæ Clementis VIII. institutionúmque generalium super receptione & educatione ejusdem Clementis, necnon sanctæ Memoriæ Pauli V. auctoritate editarum. Et ità observari mandamus, contrariis quibuscumque non obstantibus, Romæ die 4. Julii 1634.

Confirmatio Apostol.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Procurator Generalis decretum præinsertum, Conventuúmque prædictorum ad effectum supradictum designationem hujusmodi ab eodem Martio Cardinale ejusdem decreti vigore factam Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summoperè desideret. Nos eundem Procuratorem Generalem spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,

censu-

censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum prædictum, & illius vigore factam Conventuum hujusmodi designationem præinserta Apostolica auctoritate tenore presentium approbamus & confirmamus ac universos & singulos tàm juris quàm facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes illa necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vol ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac domorum, seu Conventuum, & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 12. die 12. Aug.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

CLXXXIV.

Præfixio & approbatio Cæremonialis pro electione Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

Hoc Cæremoniale habes insertum in ipsa Const.

Alias leges ediderat pro hujusmodi electione hic idem Pont. ut suprà const. 102. In specula. Ubi aliàs constit. habes indicatas.

Edita An. D. 1634.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium, & causæ hujus constit. Aliàs hic Pont. nonnulla constituit circà electionem Magni Magistri hujus Militiæ in const. indicata in rubr.

Militantis Ecclesiæ regimini, non meritis nostris, sed inscrutabili divinæ voluntatis providentiâ vocati, & attenta mentis acie considerantes, Hospitale S. Joannis Hierosolymitani in Insula Melitæ multis Doctoris gentium miraculis celebrata, firmissimum, tutissimúmque Reipublicæ Christianæ adversùs impii Turcarum tyranni invasiones, propugnaculum existere, ejúsque Fratres Milites, tanquàm veros Christi Athletas, pro Fidei Catholicæ defensione, nullis vitæ periculis parcendo, jugiter laborare: dignum, quin potiùs debitum reputamus, ut ea, quæ per nostras literas, Motu proprio expeditas, aliàs statuimus, & ordinavimus pro fœlici, rectáque Magni Magistri dicti Hospitalis electione, suum debitum sortiantur effectum.

Pro cujus faciliori executione edidit Cæremoniale hic subsequens.

§. 1. Cúmque pro faciliori ipsarum literarum nostrarum executione proprium Cæremoniale per nonnullos Romanæ Curiæ Prælatos, Religionis zelo, prudentia, fide, doctrina, rerum gerendarum usu, aliísque egregiis virtutibus conspicuos, quibus negotium hujusmodi commiseramus, diligenti, ut res postulabat, adhibito examine, confectum, & à Nobis approbatum fuerit, ut illud cum omnibus, & singulis in eo contentis inviolabiliter perpetuò observetur, ex nostro Pastoralis officii debito providendum, ac nostræ Apostolicæ confirmationis patrocinio muniendum censuimus.

De Congregando Capitulo.

Tenor autem illius est. Magno Magistro vitâ functo, congregetur quam primùm fieri poterit Consilium completum, à quo inter cæteros, præcipuè infrascripti fiant.

De Locumtenentis electione & facultate.

Primò, Deputet sivè eligat Locumtenentem juxtà formam Statutorum, seu Stabilimentorum dicti Hospitalis Apostolica auctoritate confirmatorum, qui juxtà literarum Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papæ VIII. desuper emanatarum hujusmodi dispositionem, ea dumtaxat exercere valebit, quæ ad meram justitiam pertinent; non autem cum quovis Fratre Milite dicti Hospitalis, seu alia quavis persona ad habitum Fratrum dicti Hospitalis admitti petente super cujuscumque generis impedimento, vel defectu, etiam in vim quorumcumque privilegiorum, seu facultatum dicta auctoritate concessorum, seu confirmatorum, dispensare: neque cum eodem Consilio Status, & quovis prætextu alias gratias etiam facere, ut sunt, habitum dicti Hospitalis concedere, aut exhibere, vel similia: minúsque literas Apostolicas, Magno Magistro prædefuncto directas, executioni demandare, aut alios quosvis actus, gratiam concernentes, facere, sub pœna in omnibus vel singulis casibus prædictis, privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrenda, & per Consilium prædictum, excluso ipso Locumtenente declaranda: & nihilominùs omnia, & singula per eum contrà præsentium tenorem quomodolibet gesta, irrita, & inania, nulliúsque roboris, & momenti existant: sicque dispensati, & alii quicumque executionis literarum prædictarum, necnon gratiarum eis sic, ut præfertur, à Locumtenente hujusmodi factarum, usu, & effectu careant, sed in eodem statu, in quo anteà erant, non secùs, ac si cum eis super suis impedimentis, vel defectibus dispensatum, gratiæque eis concessæ, ac literæ Apostolicæ hujusmodi executioni demandatæ non fuissent, remaneant.

De exactorum electione, & auctoritate.

Secundò, Locumtenens, & Consilium prædicti tres ejusdem Hospitalis, ac unius, seu diversarum Linguarum Fratres Milites, fide, & facultatibus idoneos, prout sibi videbitur, deputent, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniæ per communis ærarii debitores, durante Sedis Magistralis vacatione realiter, & cum effectu solvantur, & numeerentur: solventes verò solutionum hujusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent. Qui quidem deputati, statim secuta Magni Magistri electione, pecuniarum per eos receptarum, & exactarum rationem reddere, pecuniásque ipsas Magno Magistro canonicè electo, seu Thesaurario, vel aliis ministris, ad quos de jure, & ex forma Statutorum, seu Stabilimentorum hujusmodi spectabit, consignare, & restituere teneantur; aliterque factæ solutiones nullatenùs solventibus suffragentur; quin adhuc communis ærarii, ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

De Vocalibus.

Tertiò, Curabunt iidem Locumtenens, & Consilium Status, ut à qualibet Lingua, seu aliàs, prout eis celeri expeditioni magis expedire videbitur, eorum Fratrum, qui juxtà earumdem literarum prædictarum formam suffragium laturi sunt, nota, sive catalogus conficiatur, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis, & denominationibus, necnon tempore susceptionis habitus, ac residentiæ, & caravannarum per eorum quemlibet factarum: quæ quidem nota, sive catalogus, edicto per eosdem Locumtenentem, & Consilium Status promulgando inferatur; edictúmque hujusmodi in locis publicis, & consuetis, adhoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contrà aliquem etiam alterius Linguæ excipere voluerit, infrà terminum ab eisdem in dicto termino præfigendum, in actis Cancellarii seu Vicecancellarii, aut cujusvis alterius ad hoc deputandi, jura sua exhibere, & deducere possit: quo termino elapso, & nihil opposito, opponere volentes posteà ampliùs non audiantur. Præterea juxtà literarum prædictarum dispositionem, etiam vigore cujuscumque privilegii, seu concessionis, etiam specialis à Sede Apostolica obtentæ, sive consuetudinis etiam immemorabilis, aut quovis alio prætextu, in electione Magistri, aut in quovis alio actu, illam concernente, votum,

vel suffragium nec ferre, nec passivè habere, nec in ea quomodolibet se intromittere, vel immiscere poterit ullus ejusdem Hospitalis Frater, aut Capellanus, vel Serviens armorum, extrà omnium Linguarum, sive totius Hospitalis limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum fuerit: nullúsque Frater Capellanus actu Sacerdos non existens: minúsque ullus Frater Serviens ex mera gratia, & non factis probationibus receptus. Qui omnes propterea, seu eorum aliqui, in Catalogo, sive nota hujusmodi poni non debebunt; exceptis tamen Episcopo Melevitano, & Priore Ecclesiæ Conventualis d. Hospitalis nunc, & pro tempore existentibus, necnon quovis alio magnæ Crucis Fratre; qui licèt extrà limites recepti, voto, sive suffragio activo, & passivo gaudebunt respectu Electionis xxiv. dumtaxat: nec in hac prohibitionis parte ullatenùs comprehendi, sed ejusdem Episcopi, nec non etiam Linguæ Germanicæ jura, Privilegia, & prærogativæ, si quæ aliàs illis competunt, præservata censeantur.

Impotentis ferre ... in ... ptis.

Quartò Iidem Locumtenens, & Consilium ad nominationem cujuslibet eligentium, qui ex aliqua infirmitatis, vel alterius justæ, & rationabilis impotentiæ causa, nomina, cognomina, & denominationes prædicta scribere non poterit, personas deputabunt, quæ eadem nomina, cognomina, & denominationes pro iisdem sic impeditis scribant.

... causarum ... editioni-

Insuper Locumtenens, & Consilium prædicti decidant, & terminent summariè, sine strepitu, & figura Judicii, etiam manu Regia, juxtà tamen Statuta, Stabilimenta, & consuetudines d. Hospitalis, omni, & quacumque appellatione, restitutione in integrum, & aliis quibuscumque executionem retardare valentibus, remotis, omnes causas supradictorum gravaminum, & exceptionum, & quamlibet aliam controversiam, etiam xxxiv. & xvj. Electorum, quas Sede Magistrali vacante, oriri contigerit, donec ad Magni Magistri consummatam electionem deventum fuerit.

... modo ... endi.

Conventus verò, & omnes Fratres die, & hora solitis in Ecclesia Conventuali S. Joannis congregentur: & Missa celebrata, Hymnóque, Veni Creator Spiritus, decantato, singuli Fratres jus suffragii vigore literarum Apostolicarum prædictarum habentes ad Capellam unicuique Linguæ, ad id in eadem Ecclesia destinatam, seu destinandam, accedant; exceptis tamen Fratribus illius Linguæ, ex qua dictus Locumtenens extiterit, qui in corpore ejusdem Ecclesiæ Conventualis remaneant. Hi non unum, ut anteà consueverant, sed tres Fratres Milites ex unaquaque Lingua capaces, ac juxtà earumdem literarum Apostolicarum, necnon Statutorum, seu stabilimentorum prædictorum formam qualificatos, in Electores eligant, ita ut in posterùm non octo tantùm Fratres Milites, qui in Electores deputabantur, sed vigintiquatuor eligantur. Ipsáque trium Fratrum cujuslibet Linguæ electio per secretas schedulas modo, & forma sequentibus fiat: Videlicet, quòd omnes schedulæ vel impressæ, vel unâ, & eadem manu tantùm conscriptæ sint, juxtà exemplum infrascriptum.

Exemplum schedulæ electionis.

Ego Frater
Eligo Fratrem in unum ex xxiv.

Eædem schedulæ super mensa in Capellis, & Ecclesia Conventuali prædicta respectivè poni, singulíque eligentes soli seorsim, & separatim, aliis indè remotis, ad ipsam mensam accedere; & in superiori schedulæ parte nomen, cognomen, seu denominationem propriam ipsiusmet eligentis, & in inferiori schedulæ parte nomen, cognomen, seu denominationem eligendi, propria manu scribere debeant; ità ut certa tàm eligentis, quàm electi persona habeatur: alioquin suffragium sit nullum; exceptis tamen votis illorum, quorum nomina, cognomina, & denominationes iidem Locumtenens, & Consilium ob causas suprà expressas per aliam personam scribi posse concesserint. Caveant etiam diligenter, ne in qualibet schedula plures, quàm unum nominent, juxtà exemplum inferiùs positum.

Ego Frater Silvester Scotus
Eligo Fratrum Nicolaum la Marra in unum ex xxiv.

Advertatur etiam, quòd Scrutinium erit toties reiterandum, donec tres supradicti, votis sive suffragiis sufficientibus electi sint, juxtà prædictum Motum proprium. De Scrutinio.

Quilibet verò eligentium hujusmodi ad mensam prædictam accedens, nominibus, seu cognominibus, aut denominationibus prædictis in sua schedula, ut præmittitur, conscriptis, primò illam in superiori parte complicabit, & communi suæ Linguæ sigillo in eadem mensa ad hunc effectum præparando, ita claudat, ut eligentis nomen nunquàm videri possit, nec ullo umquàm tempore publicetur. De schedulæ complicatione, & sigillo.

Secundò, eamdem schedulam ità totam complicabit, ut tunc temporis à nemine legi valeat.

Tertiò, schedulam ipsam sic complicatam, & sigillo clausam summis digitis elevans, & circumstantibus palàm, & publicè ad hoc, ut unicam esse, omnibus pateat, commonstrans, alta, & intelligibili voce jurabit juxtà sequentem formam.

Ego N. Juro, me eligere illum, quem secundùm Deum eligendum judico. De juramento.

Quod quidem juramentum in omnibus aliis electionibus in vim literarum Apostolicarum hujusmodi faciendis præstari, & renovari debebit.

Præstito hujusmodi juramento, schedulam prædictam in urnam, seu vas, ad hunc effectum in mensa appositum, immittat. De positione schedularum in urnam.

Quo facto tres Fratres Milites antiquiores, & magis antiani: nulla habita præeminentiæ consideratione, ultrà alios actus, sibi uti Scrutatori competentes, palàm, & publicè omnibus eligentibus, videntibus, & audientibus, schedulas in urnam, seu vas immissas, numerent: & ubi pauciores, seu plures, Schedulæ numero eligentium repertæ fuerint, illicò, & publicè comburantur; & toties Scrutinium renovetur, donec schedularum numerus eligentium numero coæquetur, illíque respondeat. De numeratione schedularum.

Comperto autem, numerum Schedularum parem esse numero Eligentium, Scrutatores prædicti legant alta voce, & publicent Schedulas in parte sigillo non clausa, publicando propterea personam, quæ in eis eligitur: factáque publicatione hujusmodi, censeantur electi tres Fratres milites De publicatione schedularum & electione 24. Militum.

prædicti pro qualibet Lingua, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodò singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Quòd si nemò, sive duo, aut unus dumtaxat ex tribus eligendis, hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, ad novum scrutinium toties pariter deveniatur, quoad alios, qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dicta saltem quarta parte compleatur. In eventum, in quem aliquis necessariis dumtaxat votis eligatur, idem electus propriam schedulam agnoscet, adhoc ut videatur, an detracta ipsius electi schedula, sufficiens pro electione schedularum numerus fuerit, & an electus sibimet (quod non potest) suffragium tulerit: & renuente electo propriæ schedulæ agnitionem, sive manifestationem, ille ea vice pro non electo habeatur.

De Electo ad Conclave se transferendo.

Qui verò, ut præmittitur, electus fuerit, à suffragio, sive voto ferendo pro aliis duobus arceatur; statimque atque electus fuerit; ab ipsa Capella recedat, & ad locum Conclavis opportunum se conferat.

De subrogando in causa electionis Locumtenentis.

Quòd si Locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius Locumtenens deputetur, seu magis Antianus ipsius Consilii ibi existens, omissa qualibet præeminentiæ consideratione, Locumtenentis loco præsideat, prout Consilio expedire videbitur.

De subrogandis pro Anglicana Lingua.

Quia verò Lingua Anglicana non habet Fratres Milites, Capellanos, nec Fratres Servientes, ideò donec illud Regnum ad gremium S. R. E. redierit, unaquæque aliarum septem Linguarum successivè alium Fratrem Militem è propria lingua per schedulam, ut suprà eligat: & ex septem sic electis viginti & unus supradicti, prævia d. juramenti præstatione per secreta pillularum suffragia pro majori eligentium numero respectu minoris, tres diversarum nationum, Gallicæ videlicet, Italicæ, Hispanicæ, & Germanicæ eligant, cum ballottatione cujuslibet ipsorum septem: qui tres, ut præmittitur, electi Linguam Anglicanam repræsentent, illiúsque vice, & nomine in ista electione dd. septem dumtaxat suffragium ferant.

De electis ad Conclave se transferendis pro eligendo Magno Magistro.

Facta, ut præmittitur eorumdem electione, illi ad locum Conclavis se conferant, in quo Electio Magni Magistri necessariò facienda erit, & ad infrascriptos actus deveniant, videlicet.

De Præsidente Electionis.

Primò, eligant prævia d. juramenti præstatione, Præsidentem Electionis per pillulas secretas, juxtà antiquam d. Hospitalis consuetudinem, hactenùs ibi observatam: qui sic electus loco d. Locumtenentis, cum prohibitionibus supradictis gratias & alia supradicta faciendi, præsideat, & ea, quæ Præsidentes Electionis de jure, privilegio, usu, vel consuetudine facere, & gerere possunt, seu debent, gerat, & faciat.

De Electione Triumviratus.

Secundò, prævia similiter ejusdem juramenti præstatione, procedant ad Electionem Triumviratus, nempe unius Militis, unius Capellani, & unius armorum Servientis Fratrum, qui sint diversarum Linguarum, juxtà formam scrutinii pillularum superiùs descripti, usque ad perfectam Electionem hujusmodi.

De Electione quarti.

Tertiò, celebrata electione prædicta, ipsi tres sic electi ad quarti Electionem, diversæ tamen Linguæ à sua, unanimes deveniant: &, si infrà unius horæ, à primo momento clausuræ Conclavis computandæ, spatium concordes non fuerint, tunc, & eo casu illorum singuli alium Fratrem Militem eorum cuilibet benevisum, qui non sit ex eorum Linguis, nominent; nominationéque hujusmodi ad viginti quatuor Electores relata, ipse se in Sacristiam eis loco Conclavis, in hoc casu dumtaxat assignatam, recipientes, prævia pariter d. Juramenti præstatione ad secretum Scrutinium pillularum pro Electione unius ex dd. tribus nominatis deveniant; ità ut quilibet horum trium ballottetur, & ille pro quarto electus sit, & esse censeatur, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, etiamsi sit de corpore dd. vigintiquatuor.

De Electione quinti, & sic successivè, usque ad sexdecim.

Quartò, iste quartus sic electus ad Conclave accedat, & cum aliis tribus ad quinti: quintus verò similiter electus cùm aliis quatuor ad sexti electionem procedat per majorem suffragiorum, seu pillularum numerum, sicque successivè usque ad sextidecimi electionem, videlicet duorum ex unaquaque lingua juxtà eorum præeminentias, & prærogativas hactenùs observatas, quibus præjudicium inferre non censetur, deveniatur.

De præferendis in paritate suffragiorum.

Occurrente autem in omnibus electionibus prædictis suffragiorum paritate, aliis præferatur, electúsque sit, & esse censeatur magis Antianus; & in antianitatis æqualitate is, qui diuturniorem in Conventu residentiam fecerit, seu in servitio d. Hospitalis magis occupatus fuerit; propter quod servitium pro residente in Conventu habeatur ad prædictum effectum; & in residentiæ paritate is, qui plures caravannas fecerit.

De electione Magni Magistri.

Completa tandem sexdecim prædictorum electione, ipsi sexdecim sic electi, odio, amore, & aliis quibuscúmque humanis affectibus posthabitis, solúmque Deum, illiúsque religionis decus, ac propagationem præ oculis habentes, præviáque etiam juramenti supradicti præstatione, ad Electionem Magni Magistri, quem capacem, & pro tanti Ordinis dignitate, & utilitate, idoneum judicaverint, sicut hactenùs observatum fuit, deveniant. Omnibus autem innotescat, Electionem nullam, & irritam fore eo ipso, nec ullum effectum sortiri debere, si aliter celebrata fuerit, quàm in Conclavi. Et prævia Electione trium Fratrum Militum uniuscujusque Linguæ non receptorum ex gratia limitum, modo, & forma præmissis, tàm respectu scrutinii, & suffragiorum, quàm respectu Linguæ Anglicanæ facienda. Et non electo priùs uno Fratre Milite, uno Fratre Capellano, & alio Fratre Serviente armorum, ut suprà qualificatis, qui usque ad electionem decimisexti, duorum videlicet pro qualibet lingua, juxtà earumdem literarum tenorem, procedant, & à sexdecim electis hujusmodi. Demúmque de alio quàm uno ex Fratribus Militibus ex eadem limitum gratia nequaquàm receptis.

Ceremoniale hic relatum approbat, & revocat, ac annullat quodcumque aliud Cæremoniale seu Electionarium.

§. 2. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, éque Apostolicæ potestatis plenitudine, quodcumque Electionarium, sive Cæremoniale, vel Rituale Electionis, seu Electionum hujusmodi quodcumque desuper hactenùs factum, compositum, sive publicatum, etiam typis impressum, inprimis, & antè omnia revocantes, & annullantes, omnia, & singula in præsenti Cæremoniali ordinata, & quomodolibet contenta, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus; illisque omnibus, & singulis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Omnia in eo contenta inviolabiter observari mandat.

§. 3. Eáque ab omnibus, & singulis d. Hospitalis Fratribus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus.

Ita judicari decernit.

§. 4. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 5. Non obstantibus omnibus illis, quæ in literis nostris prædictis volumus non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

Datum

Dat. P. An. die 21. Octobr. Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis sub Annulo Piscatoris die 21. Octobris 1634. Pont. Nostri anno Duodecimo.

Publicatio in Urbe. *Anno à Nativitate Domini 1635. Indictione tertia, die verò 2. Martii, Pontificatus autem in Christo Patris, & Sanctiss. D. N. D. Divinâ Providentiâ Papæ Urbani VIII. Anno ejus XX. retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Principis Apostolorum de Urbe, S. Jo. Lateranens. in acie Campi Floræ, ac aliis locis consuetis Urbis per nos Dominicum Mangilium, & Hieronymum Vecchionum Curs. Apost. Pro D. Mag. Curs. Antonius Bardus dep.*

CLXXXV. Declaratio circà Præcedentias inter Fratres Sancti Francisci de Observantia Reformatos.

De his Fratribus vide signata ad Constitut. S. D. N. Urb. VIII. 53. Sacrosanctum. sup. Et si quid magis desideras, require Indice V. Fratres S. Francisci, lege etiam infr. ad S. D. N. Urban. VIII. Const. 200. Religiosos.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1634. Inter gravissimas, multiplicésque Apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut Religiosi viri, qui obliti populum suum, & domum patris sui, divini Numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter, in spiritu humilitatis, ac sanctitate, & justitia coram ipso.

Exordium.

Dispositio præcedentiarum. §. 1. Hinc est, quòd nos fœlici dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia, Reformatorum nuncupatorum, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, harum serie statuimus, atque præcipimus, & mandamus, quòd de cætero inter eosdem Fratres Minores S. Francisci de Observantia, Reformatos nuncupatos, nulli illorum jus præcedendi, sive honoratioris loci competat, nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministris Provincialibus, Commissariis, & Vicariis Provincialibus, si fuerint ex Reformatis, Custodibus Reformationum, Commissariis, Visitatoribus, Guardianis, Præsidentibus, seu Commissariis & Vicariis localibus: qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tàm ii, qui jam Habitum per d. Fratres Reformatos gestari solitum, susceperunt, & de cætero suscipient, quàm ii, qui se à Fratribus de Observantia ad Fratres Reformatos hujusmodi canonicè transtulerunt, & transferent, exceptis tamen iis, qui Officio Ministri Generalis, seu Commissarii generalis Cismontanæ familiæ functi sunt, vel fungentur, qui post Superiores actuales immediatè locum habeant.

Clausulæ præservativæ & decretum irritans. §. 2. Decernentes, præsentes literas semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere; irritúmque, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, vel ignoranter, scienter contigerit attentari.

Contrariorum abrogatio. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & dividua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 12. die 23. Aug. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Augusti 1634. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

CLXXXVI. Prohibitio facta Fratribus Discalceatis Reformatis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum, de cætero recipiendi personas Seculares ad Habitum Donatorum, & contrafacientibus pœnarum impositio. Ac facultas concedendi Habitum, & nomen Laicorum Fratribus, qui nunc existunt in dicta Congregatione sub nomine Donatorum.

Privilegia aliorum Ordinum communicavit his Fratribus S. D. N. Urban. VIII. in Const. 179. Redemptoris, hic sup. Et de Ministri Generalis vocatione quædam sancivit idem in Const. 175. Injuncti. Indultum quoque petendi, ac recipiendi eleemosynas, legata, & alia subsidia pro redimendis Captivis relicta habes sup. in Const. 148. Ex incumbenti. Et in Turcarum partibus celebrandi super altari portatili, & ante diem, facultatem concessit idem sup. in Const. 108. Cùm sicut.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1634.

Causæ hujus Constit. §. 1. Cum sicut accepimus, in Congregatione Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, præter Religiosos Clericos orationi, & contemplationi, ac aliis Ecclesiæ ministeriis vacantes, ad Chorúmque deputatos, duo sint genera Religiosorum, sub nomine videlicet Laicorum, & Donatorum pro eleemosynis ad sustentationem Fratrum quærendis, & colligendis, necnon pro aliis servitiis domorum regularium obeundis cum Habitu regulari ad id eis exhibito juxtà dicti Ordinis statuta (sine tamen Caputio quoad Fratres Donatos) qui omnes legitimo probationis tempore decurso, tria vota substantialia, obedientiæ scilicet, paupertatis, & castitatis in manibus Superiorum dictæ Congregationis spontè emittunt, perpetuóque Religionis servitio famulantur. Experientiâ verò dicta Congregatio reperit, ad suum spiritualem profectum, necnon ad majorem suæ regularis observantiæ conservationem magnoperè convenire; quòd in dicta Congregatione totaliter extinguantur Fratres, qui Donati appellantur, quandoquidem in propria hujus Congregationis Regula à fœl. record. Innocentio Papa III. Prædecessore nostro confirmata, & à Nobis reformata, nulla fiat mentio de Fratribus Donatis, sed tantùm de Clericis, & Laicis.

Prohibit. de qua in Rubr. & pœnæ contra facientibus. §. 2. Idcircò fœlici, ac prospero dictæ Congregationis statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negociis Regularium præpositorum, consilio, motu proprio, & ex certa scientia nostra, tenore præsentium præcipimus: Quòd deinceps perpetuis futuris temporibus in prædicta Congregatione nullo modo aliquæ personæ, tàm Regulares, quàm Seculares, ad Habitum Fratrum Donatorum recipiantur, sub pœna privationis Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis Superioribus contrafacientibus: Et quod in dicta Congregatione tantùm sint duo genera Religiosorum, unum videlicet

licet Clericorum Ecclesiæ ministeriis vacantium, & alterum Laicorum, ad eleemosynas colligendas, & ad alia Monasteriorum servitia attendentium.

Facul quòd Definitorio Congr. possit concedere Fratribus Donatis modo existentibus, nomen, & Habitum Fratrum Laicorum.

§. 3. Prætereà Definitorio Generali dictæ Congregationis concedimus, vt liberè, & licitè possit dare Fratribus Donatis nunc in dicta Congregatione degentibus, tàm Professis, quàm Novitiis, nomen, & Habitum, quem deferunt Fratres, qui appellantur Laici, virtute, & meritis uniuscujusque consideratis.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Non obstantibus literis piæ mem. Pauli Papæ V. similiter Prædecessoris nostri, sub die 27. Augusti 1611. Motu proprio emanatis incipientibus Circumspecta Sedis Apostolicæ Providentia, ac dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque quibuscumque.

Dat. P.A. 12. d. 29.Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

CLXXXVIII

Ne de cætero Fratres Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum existentium extrà Conventum vivant, seu maneant absque Sedis Apostolicæ, & Superiorum ejusdem Ordinis licentia.

Istorum Fratrum materiam habes signatam ad Const. 2 Honorii III. tom. 1. Fratres Prædicatores S. Dominici sunt verè, & propriè Mendicantes prout in Constitut. 44. Pii V. tom. 2.

Edita An. D. 1634.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

INjunctum Nobis desuper Apostolicæ servitutis officium postulat, ut Religiosorum quorumlibet fœlici, prosperóque regimini, atque statui jugiter consulentes, ea libenter statuamus, quæ ad regularis disciplinæ observantiam indies magis promovendam pertinere dignoscuntur.

Causæ hujus Constit.

§. Cùm itaque sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum nobis nuper exponi fecit, indecens admodùm esse videatur, ut ejusdem Ordinis Fratres præsertim in partibus Indiarum extra Domorum Regularium claustra absque suorum Superiorum licentia vivant. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur d. Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illúmque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati;

Præcipit prout in rubr.

§. 2. Ne de cæterò dicti Ordinis Fratres in partibus Indiarum existentes extrà Conventum Domorum, & aliorum dicti Ordinis locorum regularium claustra absque hujus Sanctæ Sedis, & Superiorum ejusdem Ordinis licentia vivant, seu maneant sub censuris Ecclesiasticis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per eosdem Fratres extra claustra hujusmodi manentes, seu viventes, ut præfertur, eò ipso incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium prohibemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A.12 die 8. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Novembr. 1633. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

CLXXXIX.

Declaratio, quòd Clerici Regulares Pauperes Matris Dei Scholarum Piarum non comprehendantur in Decretis circà Regularium reformationem editis.

Hæc Decreta primùm edidit Clem. VIII. ut in Const. 60. sup. tom. 3. quæ posteà confirmavit S. D. N. Urb. VIII. Const. 26. sup.

De his Clericis attende indicata ad Constit. 101. Paul. V. tom. 3. & Const. 15. Greg. XV. & novissimè prohibuit Scholas sub hujusmodi denominatione erigere S. D. N. Urb. VIII. Const. 136.

Edita Anno Dom. 1634

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanum decet Pontificem, si quæ circà Constitutionum, seu decretorum Apostolicorum intelligentiam dubia oriuntur, declarationis suæ ministerio de medio removere.

Causæ hujus Constit.

§. 1. Cùm itaque, sicut pro parte dilectorum Filiorum Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, Nobis expositum fuit, à nonnullis in dubium revocetur, an dicti Exponentes sub decretis de Novitiis nonnisi in certis Monasteriis, & Locis à Sede Apostolica designatis recipiendis per fœl. record. Clem. PP. VIII. Prædecessorem nostrum editis, & à Nobis confirmatis, comprehendantur.

Declaratio de qua in rubr.

§. 2. Nos omnem in præmissis dubitandi materiam de medio tollere, dictósque Exponentes spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum consilio, dictos Clericos Regulares dictæ Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehendi in decretis præfatis dicti Clementis Prædecessoris per Nos approbatis, & innovatis, quemadmodùm non comprehenduntur cæteri Clerici Regulares, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

Clausula sublata.

§. 3. Sicque observari, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, cæterísque in contrarium facientibus quibuscumque.

Dat. P.A.12. die 17. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17. Novembris 1634. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

Quòd

.XXXIX. Quòd in Familia Ultramontana, ficut in Cifmontano duo Fratres germani Definitoriis intereffe non poffint.

De hujufmodi Fratribus lege, quæ notavi ad Conftit. 53. Sacrofanctum fuprà.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

ita An.D. 1634.

ufa hujus nftit.

§. 1. EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius Didacus de Cea Commiffarius Generalis Curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francifci de Obfervantia, quòd juxtà regularia eorum inftituta, Apoftolica auctoritate confirmata, ut factionibus obvietur, & aliàs pro bono gubernio Definitoriis eorumdem Fratrum Italiæ, quibus quatuor dumtaxat Definitores, Cuftos, & Provincialis interfunt, duo intereffe non poffunt, qui fint Fratres Germani. Cùm autem ficut eadem Expofitio fubjungebat, in divini cultus, & Religionis augmentum maximè ceffurum fit, fi idem in eorumdem Fratrum Definitoriis Regnorum Hifpaniarum obfervetur. Nobis propterea humiliter fupplicari fecit, ut fuper præmiffis opportunè providere de benignitate Apoftolica dignaremur.

onfirmatio out in or.

§. 2. Nos igitur dicti Didaci Commiffarii Generalis votis quantum cum Domino poffumus annuere, illúmque fpecialibus favoribus, & gratiis profequi volentes, & à quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & interdicti, aliifque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occafione vel caufa latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit ad effectum præfentium dumtaxat confequendum, harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes hujufmodi fupplicationibus inclinati; Quod etiam eorumdem Fratrum Definitoriis Regnorum Hifpaniarum duo intereffe non poffint, qui fint Fratres Germani, idque quemadmodum in Definitoriis Italiæ omninò obfervari debeat, fub indignationis noftræ, & cenfuris Ecclefiafticis, nec non privationis vocis activæ, & paffivæ pœnis ipfo facto per contrafacientes incurrendis, Apoftolica auctoritate tenore præfentium ftatuimus, ac præcipimus, & mandamus.

ecretum citans.

§. 3. Decernentes nihilominùs irritum, & inane quicquid fecùs fuper his à quoque quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obftantibus præmiffis, ac quibufvis Conftitutionibus, & Ordinationibus Apoftolicis, nec non dicti Ordinis Juramento, confirmatione Apoftolica, vel alia quavis firmitate roboratis ftatutis, & confuetudinibus, cæterifque contrariis quibufcumque.

at.P. A.12. e 17. Nov.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris, die 17. Novembris 1634. Pontificatus noftri Anno duodecimo.

CXC. Super Refidentia Epifcoporum, Archiepifcoporum, Metropolitanorum, & aliorum Ecclefiis Cathedralibus Præfectorum, etiam S. R. E. Cardinalium, cum præfixione termini ad proficifcendum ad eorum Refidentias, & determinatione pœnarum, ac prohibitione ab ipfis non difcedendo abfque Sedis Apoftolicæ licentia ex quibufvis, etiam urgentiffimis caufis.

Multa fuper hoc fanciverat Concilium Tridentinum indicatum in Apoftillis hujus Conftitutio §§. 1. & 2. & etiam vide Conftitutio Pii IV. 10. De falute. fup. tom. 2. ad Conftitution 91. In fuprema. ubi fup. cum ibi indicatis.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An.D. 1634.

§. 1. SAncta Synodus Tridentina fub recolendæ mem. Paulo Papa III. Prædeceffore noftro, ad difciplinam Ecclefiafticam reftaurandam, providè ftatuit, ut omnes, quacumque dignitate, gradu, & præeminentia fulgentes, Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclefiis quibufcumque quovis nomine, & titulo Præfecti, apud eas perfonaliter refidere deberent: aliàs, fi per fex menfes continuos abeffent, amiffionis quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipfo jure incurrerent: quòd fi per alios fex menfes in abfentia perfeverarent, tunc aliam quartam partem fructuum hujufmodi eo ipfo amitterent: crefcente verò contumacia, Romanus Pontifex fuprema ejus authoritate in ipfos abfentes animadvertere, & Ecclefiis ipfis de Paftoribus utilioribus providere poffet. — Conc. Trid. multa ftatuit fub Paulo III. circà Refidentiam Epifcopalem in feff. 6. c. 1. de refor.

§. 2. Deindè fub fœl. rec Pio IV. etiam Prædeceffore noftro, eadem Synodus declaravit, omnes, eifdem Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclefiis Præfectos, etiamfi S. R. E. Cardinales forent, obligari ad perfonalem refidentiam in fua Ecclefia, vel Diœcefi faciendam, nec abeffe poffe, nifi ob legitimas caufas in fcriptis approbandas. Et in eorumdem Concilii decretorum executionem idem Pius IV. Prædeceffor per fuas fub plumbo, fub Dat. 7. Kalendas Decembris 1564. expeditas litteras monuit eofdem præfatis Ecclefiis Præfectos, in virtute fanctæ obedientiæ, ac ultrà pœnas in eodem Concilio contentas, fub privationis eorum à regimine, & adminiftratione ipfarum Ecclefiarum, ac amiffionis facultatum teftandi, & difponendi, aliifque pœnis, fuo, & Romani Pontificis arbitrio imponendis, mandavit eifdem, ut in Ecclefiis præfatis omninò perfonaliter refidere deberent: Denique certior factus, quòd multi eorumdem Præfectorum erant inobedientes, Motu fuo proprio commifit Cameræ Apoftolicæ Auditori generali, ut contrà illos ufque ad fententiam procederet, & fibi deinde referret, ad effectum in eos privationis, & depofitionis fententiam in fuo Confiftorio fecreto pronunciandi. — Et feff. 23. c. 1 & feff. 24. ca 12. de Refor. fub Pio IV. qui etiam addidit Conft. fup. t. 1. n. 91. hic indicatam.

§. 3. Succeffivè alii etiam Romani Ppntifices contra non refidentes diverfa edicta publicari fecerunt, ac piæ mem. Gregorius XIII. etiam Prædeceffor nofter per fuum decretum Confiftoriale declaravit, decreta ejufdem Concilii de perfonali refidentia, in Ecclefiis prædictis facienda, etiam in S. R. E. Cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis præeffent, ità ut à reatu, & pœnis, in dicto Concilio ftatutis, non excufarentur, nifi abfentiæ caufa in fcriptis approbata foret, fcientiáque, vel tolerantia non excufaret eofdem Cardinales, nec alios Epifcopos. — Et fucceffivè alii. Pont & Gregor. XIII declaravit, etiam afficere S R. E. Cardinales.

§. 4. Similis quoque mem. Clemens Papa VIII. eaiam Prædeceffor nofter per fimile Confiftoriale decretum pro obfervantia refidentiæ perfonalis, ab eodem Concilio ordinatæ, addidit, pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, & Ecclefias obtinendas; prout in præfatis Concilii, ac literis Apoftolicis, Confiftorialibúfque decretis latiùs continetur. — Clem. VIII. pœnas inhabilitatis ad majores dignitates addidit.

§. 5. Cúmque etiam Nos edicta contrà non refidentes fæpiùs publicari fecerimus, & tamen præteritis menfibus aliqui, etiam S. R. E. Cardinales, Metropolitanis, feu Cathedralibus Ecclefiis ex conceffione Apoftolica Præfecti, fuæ obligationis ad perfonalem refidentiam, in eis faciendam, immemores, in grave animarum fuarum detrimentum, ac ovium fibi creditarum præjudicium, ab eifdem Ecclefiis abeffe continuarent, etiam fub prætextu fuorum titulorum Cardinalatus, præfertim Epifcopalium, propè Urbem, feu in Urbis diftrictu refpectivè confiftentium, & quòd — Hic Pont. edicta publicari unà cum pœnis juffit contra non refidentes & eos monuit ut ad refidentiam pergerent.

in eadem Urbe in conspectu, & præsentia nostra moram traherent: Nos pro nostro Pastorali debito, nedùm animarum præfatorum, sed etiam Ecclesiarum indemnitati, providere volentes, in Consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem S. R. E. Cardinales, qui aliis Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus præerant, & apud eas non resederant, nec residebant, non fecisse, nec facere illarum fructus suos, etiam sub prætextu, quòd alicui ex dictis Ecclesiis Episcopalibus, quibus Cardinales in ordine priores esse solent, præsideant & ibi, vel in Urbe commorentur, aut cujusvis tolerantiæ, vel facultatis, præterquàm per Breve speciale nostrum, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, sibi concessæ: Ideóque eosdem Cardinales monuimus pro prima vice, ut ad residentiam hujusmodi statim se conferrent, sub amissionis fructuum eo ipso incurrenda, & aliis canonicis pœnis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, & prout in decreto nostro Consistoriali pleniùs habetur.

Tamen quia omnes non obedierunt Conc. Trid. & Const. Apost contra ipsos editas approbat & confirmat, ac adversus prætensum non usum innovat, & restituit.

§. 6. Quia verò ab inde citrà non omnes, prout tenebantur, nostra mandata executi sunt; Nos, ut omninò debitum suum agnoscant, & animabus subjectis, quantum Nobis ex alto conceditur, magis consultum sit, ulteriùs providere volentes, Concilii Tridentini decretis, & literis Apostolicis, Motuique proprio, ac Consistorialibus decretis præfatis inhærentes, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè insertis, & expressis habentes, Motu simili, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfata Concilii decreta, literásque Apostolicas, ac primò dictum Motum proprium, decretáque Consistorialia præfata, & in eis contenta quæcumque hac Nostra Constitutione perpetua confirmamus, & approbamus, & quatenùs foret opus, adversus quemcumque prætensum non usum, vel contrarium usum, innovamus, & plenissimè restituimus.

Ac præcipit singulis Episcopis, etiam S. R. E. Cardinalibus, sub gravissimis pœnis, ut se conferant infrà tempus hic assignatum ad residentiam.

§. 7. Insuperque omnes, & singulos, Ecclesiis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, quocumque nomine, seu titulo præfectos, etiam S. R. E. Cardinales, à præfatis suis Ecclesiis absentes, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ, amissionisque tàm fructuum earumdem Ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quàm facultatum testandi, & disponendi de bonis suis, à Sede Apostolica sibi aliàs concessarum, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, necnon privationis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum hujusmodi, aliisque pœnis, nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis, arbitrio infligendis, districtè præcipiendo monemus. Ut omnibus postpositis, quantò citiùs, in Romana Curia videlicet moram trahentes intrà unum, extrà eam verò in Italia intrà duos, extrà verò Italiam existentes intrà quatuor menses, à die publicationis præsentium, in locis infrascriptis faciendæ computandos, quos pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, & terminis respectivè eis assignamus, & assignatos esse volumus, se itineri committere, & legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Diœceses suas proficisci, & se personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere debeant.

A qua non discedant, nisi de licentia Sedis Apost.

§. 8. Eisdémque Præfectis, postquàm personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscumque aliis, apud suas Ecclesias quandocunque personaliter residentibus, sub eisdem pœnis, etiam eo ipso respectivè incurrendis, injungimus, ne ab eorum Ecclesiis discedant, nisi priùs obtentâ nostrâ, & Romani Pontificis pro tempore existentis, per Breve, seu literas missivas, licentiâ.

Idem servandum à promovendis ex nunc declarat.

§. 9. Illos etiam, qui in posterùm per Nos, seu Romanos Pontifices Successores nostros, alicui præfatarum Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium Metropolitanarum, Archiepiscopalium, & Episcopalium quovis nomine, vel titulo præfecti fuerint, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales quandocunque fuerint, vel sint, sub eisdem pœnis, etiam eo ipso respectivè incurrendis, debeant, & quilibet ipsorum debeat infrà præfatum tempus, à die eorum promotionis ad aliquam Ecclesiarum præfatarum, inchoandum, quod eis pro tribus monitionibus, & dilationibus, ut præfertur, ex nunc assignamus, pariter se itineri committere, & ad Ecclesias, sive Diœceses sibi commissas, ad personaliter in eis residendum, conferre; Et respectivè postquàm residere inceperint, ab illis non discedere, nisi obtentâ prius à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, licentiâ præfatâ.

Quódque non possint se excusare ex quacumque causa hic descripta excipiendo nonnullos casus.

§. 10. A quarum pœnarum incursu nolumus, posse aliquem se excusare prætextu, & ratione cujuscumque servitii, quomodolibet præstiti, & præstandi pro gerendis, & tractandis negotiis quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, & Regum, aut Rerumpublicarum, Regnorum, ac Provinciarum, nec ratione cujuslibet jussionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocumque facti, vel faciendi, nec etiam ratione prosecutionis, seu defensionis quarumcumque litium, seu controversiarum, etiam Ecclesiasticarum, vel ineundi fœderis, aut cujuscumque alterius negotii, etiam gravissimi, & speciali mentione digni, tractandi, vel distantiæ locorum, aut brevitatis temporis, ob quam non videatur expectanda Sedis Apostolicæ licentia præfata antequàm à suis Ecclesiis, & Diœcesibus discedant, aut ratione cujuscumque alterius causæ, vel occasionis, etiam publicæ, vel aliàs favorabilis, & æquè piæ, etiam cujuslibet utilitatis, sive necessitatis Ecclesiarum, & personarum: præterquàm personalis interessentiæ in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris, aut Reipublicæ officii, Episcopalibus, vel Ecclesiis majoribus præfatis adjuncti, cujus ratione ad certum tempus occupari solent: & tunc pro tempore, quo illæ Synodus, Congregationes, & Assembleæ, exercitiúmque muneris, seu officii publici, ipsis Ecclesiis adjuncti, actu duraverint; quibus finitis, recto tramite ad Ecclesias præfatas, sibi commissas, se conferre debeant. Nec etiam à prædicta residentia, & pœnarum præfatarum incursu volumus excusari Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nunc & pro tempore existentes alicui præfatarum Ecclesiarum præfectos, seu præficiendos, etiamsi tanquàm in ordine Priores, aliquem ex dictis titulis Episcopalibus, propè Urbem, vel in ejus districtu consistentibus, obtineant, & in posterum obtinuerint, & in prædictis Episcopatibus Titularibus, Urbi proximis resederint, vel in Romana Curia in suis titulis respectivè, etiam Nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, scientibus, videntibus, & quomodolibet tolerantibus, moram traxerint, ità ut nulla nostra, ac Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum conniventia, taciturnitate, & ad quarumcumque functionum, & actuum Pontificalium, etiam publicorum, & solemnium celebrationem, receptione, & admissione, unquàm tueri se possint.

Executores deputat contra transgressores cum facultate procedendi usque ad sententiam exclusivè.

§. 11. Et pro præmissorum, & infrascriptorum inviolabili observatione committimus, & mandamus dilecto Filio Cameræ Apostolicæ generali Auditori, nunc, & pro tempore existenti, quatenùs contrà omnes, & singulos prædictos, tàm in Urbe, quàm alibi, & ubique locorum, nunc, & pro tempore commorantes, & in suis Ecclesiis, seu Diœcesibus non residentes, per affixionem ad valvas Basilicæ Sancti Petri, ac in Acie Campi Floræ, & quoad præsentes in Romana Curia ad

abundan-

abundantiorem cautelam, etiam domi dimissâ copiâ, procedat: Et constito sibi, quantum sufficere videbitur, summariè, simpliciter, & de plano, sola veritate inspecta, & manu Regia, de contraventione, & inobedientia præfatis usque ad sententiam exclusivè procedat; & deindè Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut Nos, ac Romanus Pontifex pro tempore existens, in Consistorio ad sententiam declarationis incursus pœnarum, ac respectivè privationis, seu depositionis, aliarúmque punitionum præfatorum inobedientium, valeamus, & ipse Pontifex Romanus, pro tempore existens, valeat procedere.

empus statuit Episcopis Ultramontanis pro visitatione liminum Apostolorum.

§. 12. Volumus tamen, Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, & Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales citrà Montes, vel Mare existentes, per quatuor, alios verò ultrà Montes, vel Mare degentes, per septem menses continuos à residentia, in præfatis Ecclesiis facienda, ad effectum visitandi limina SS. Apostolorum Petri. & Pauli juxtà Sacros Canones, ac Apostolicas Constitutiones, pro qualibet visitatione excusari: ità tamen ut tunc illis durantibus, visitationis hujusmodi munus explere teneantur, nec ad alios actus se divertant.

Cardinalibus in vacatione Sedis Apost.

§. 13. Cardinalibus verò, nunc, & pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicæ ad Electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum Conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab Ecclesiis præfatis, sibi commissis, habitâ tamen priùs certâ notitiâ vacationis ipsius Sedis Apostolicæ, & extrà residentiam in loco, in quo Electionem hujusmodi celebrari continget, commorandi, & permanendi usque ad peractam Electionem, ac etiam posteà per duos menses postquàm Romanus Pontifex coronationis suæ insignia susceperit; quo tempore elapso, præfati Cardinales, nisi illicò, ut præfertur, ad Ecclesias præfatas, quibus præsidere eos contigerit, se contulerint, subjaceant pœnis supradictis.

Clausulas hujus Const. præservativas addit.

§. 14. Præsentes quoque litteras, omniáque & singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis, ac cujuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionísque nostræ, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo, quòd in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel prætendentes, & præsertim iidem Ecclesiis prædictis nunc, & pro tempore Præfecti, etiam ejusdem S. R. E. Cardinales, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatésque, & quævis alia servanda, & adimplenda, nullatenùs servata, & adimpleta, & causæ, propter quas præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, & causa, etiam in Corpore Juris clausis, & alia quacumque quantumvis rationabili, justa, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, à quoquam notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci non posse, nec sub quibuslibet similium, vel dissimilium Constitutionum, sivè dispositionum, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores Nostros, ac etiam per Nos factarum, & faciendarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuóque valida, firmáque, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios,& integros effectus sortiri,ac obtinere, ac per omnes & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§. 15. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Nuncios, & prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac quoscumque alios, quavis authoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, ubique judicari, explicari, declarari, & definiri debere: itaut si unquàm aliquod dubium, seu hæsitatio super præmissis; seu eorum aliquo oriri, vel suscitari contingat, nullus, præter Nos, ac Romanos Pontifices Successores Nostros, possit præsentes literas quovis modo interpretari, & declarare, ac irritum, & inane, si secùs à quoquam quavis authoritate contigerit attentari, decernimus. Contrà quam judicari prohibet.

Contraria removet.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus, Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus editis, & edendis, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam primæ, & cujuslibet secundæ editionis, & quatenùs foret opus, de non tollendo Jure quæsito; statutis quoque etiam juratis, & consuetudinibus, etiam diuturnis, & immemorabilibus Ecclesiarum præfatarum, & cujuslibet earum, & licentiis, aliàs quàm, ut præfertur, impetratis, ac privilegiis, & indultis, etiam Apostolicis, eisdem Ecclesiis, earúmque Præsulibus quomodolibet, & ex quacumque causa, hic forsan de necessitate exprimenda, concessis, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet emanatis, ac quocumque juramento, per eosdem Ecclesiis hujusmodi præfectos sub quovis prætextu, vel causa præstito, & præstando, quod fuisse, & fore nullum, ac irritum, & minimè obstare, neminíque suffragari, quo minùs ab integra observatione præsentium in aliquo excusari possit, declaramus, & quatenùs opus sit, decernimus, nec non omnibus, & singulis, quæ Prædecessores nostri præfati in suis literis, & decretis præfatis voluerunt, non obstare. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium plenissimè, specialiterque & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus etiam, quòd ii, qui duabus, vel pluribus Ecclesiis præfatis ex earum unione, vel aliàs ex concessione, seu dispensatione Apostolica quocúmque nomine, vel titulo præfecti sunt, vel pro tempore erunt, à residentia, & pœnis hujusmedi excusentur, dummodò in earum altera, in qua de jure residere debent, verè, & personaliter resideant, exceptis tamen, ut præfertur, Ecclesiis Episcopalibus, Urbi proximis, quibus Cardinales in ordine priores præesse solent, residentia enim, si quæ apud præfatas Ecclesias titulorum Cardinalium fieret, aliquam excusationem eisdem Cardinalibus, ut præfertur, non præstaret, quominùs ipsi in alia, vel aliis Ecclesiis præfatis, quibus eos etiam pro tempore præfici contigerit, residere omninò teneantur. Præfectis pluribus Ecclesiis quomodo resideant, declarat.

§. 18. Quódque ut præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam ampliùs deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris, ut præfertur, in valvis Basilicæ S. Petri, & in Acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, quæ sic affixæ, & publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, afficiant, & arctent, ut præmittitur, perindè ac si unicuique eorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent. Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Decembris 1634. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo. Dat. P.A. 12. die 12. Dec.

Publicatio in Urbe.

Die 18. Decembris 1634. affixæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ literæ ad valvas Basilicæ Sancti Petri, & in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum Sanctiss. D. Nostri Papæ Curs.

Pro Magistro Cursorum Dominicus Mang. Curs.

CXCI. Quòd Fratres Ordinis Prædicatorum Professi in Conventibus pro Novitiatibus non designatis, simpliciter emittant novam Professionem sine nova Fratrum Vocalium acceptatione.

Novitii Religiosorum in quibus locis recipiendi designavit Clemens VIII. in Constit. 83. tom. 3. Novitii Fratrum Ordinis Prædicatorum in articulo mortis in manibus Prælatorum, ante tempus, Regulam profiteri possunt, ut in Constit. 109. Pii V. tom. 2.

Edita An. D. 1638.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Causa renovationis hujus Constit.

§. 1. Aliàs per Nos accepto, quòd quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium Professores ad Habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolica Sede approbatis minimè fecerant, proindéque juxtà Constitutionem fœlic. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri desuper editam Professio per eos subinde emissa invalida existebat.

Mandat observari prout in rubr.

§. 2. Nos Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris bo. memor. Scipioni Episcopo Sabinensi, Cardinali Burghesio nuncupato Majori Pœnitentiario, vel Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria, Domus, seu Conventus, aliáque Regularia loca consistebant, sive ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per nostras in simili forma Brevis sub die 2. Aprilis 1631. expeditas literas commisimus, & mandavimus quatenùs omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad Habitum Regularem aliàs canonicè recepti annum probationis in Monasteriis, seu Domibus Regularibus ad id designatis minimè fecerant, subindéque Professionem denuò servatis aliàs servandis emittendam, quæ sic emissa illis, & eorum cuilibet tàm in foro interiori, quàm exteriori, suffragari deberet absque novo probationis anno ex speciali hujus sanctæ Sedis benignitate auctoritate nostra Apostolica reciperent, & admitterent, eosdémque postquàm Professionem denuò, ut præfertur, emisissent, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas si ab initio validè professi essent, legitimè obtinerent, eadam auctoritate restituerent, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declararent, ità ut haberent eumdem locum, sessionem, & votum prout haberent, si priores Professiones validæ fuissent, & nondum promoti ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines servatis aliàs servandis, promoveri, & tàm ipsi, quàm alii ad eosdem Ordines jam ritè promoti in susceptis Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè valerent, necnon omnes actus, sive contractus, quos contraxerant, & legitimè contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solùm quia initi, aut contracti erant invalidè ab jis, qui contrà dictam Constitutionem in Domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbatis professi erant, auctoritate nostra prædicta confirmarent, & approbarent, ac validos omninò declararent, super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, & impartiti sumus, & aliàs prout in dictis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Decretum irritans.

§. 3. Cùm autem sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum nobis nuper exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis Provinciis novæ oriantur difficultates, quæ conscientias multorum solicitas habent. Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur omnem in præmissis ambigendi, seu hæsitandi materiam è medio tollere, dictorúmque Fratrum quieti quantum cum Domino possumus consulere, ac Procuratorem Generalem prædictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio Apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium statuimus, atque ordinanamus, quòd in ratificationibus, sive novis Professionibus faciendis in manibus Prælati nova Fratrum vocalium acceptatio nullatenùs requiratur, sed statim Professus intelligatur, & Filius ejus Conventus, in quo Professionem fecerat, supplendo cum simplici ratificatione, seu nova Professione qualecúmque requisitum, quod de jure requireretur, seu de facto occurreret, cum retentione eorum graduum, officiorum, honorum, dignitatum, vel præeminentiarum, quibus ad præsens gaudent, ità tamen, ut qui de facto Habitum Regularem dimiserint, recipiantur, salvâ Ordinis disciplinâ.

§. 4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, plenissimè suffragari, irritúmque & inane quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscúmque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 31. Januarii 1635. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo. — D. P. An. 12. die 31. Janu.

CXCII. Quòd Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, in Collegio Sanctæ Theresiæ Salamanticensi absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum à Regularibus dicti Ordinis requisitis, in eadem Sac. Theologia Lauream suscipere possint absque expensis.

De hujusmodi Fratribus lege, quæ notavi ad Constit. 183. Nuper. sup. & ad Constit. 164. Romanus Pontifex &c.

Dilecto Filio Theodoro Stratio Priori Generali Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Edita An. D. 1634.

URBANUS VIII. PAPA.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Motiva.

Cùm sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu juxtà regularia tui Ordinis instituta Apostolica auctoritate confirmata, Ordinis prædicti Professores, qui eos cursus, lecturas, vel exercitia litterarum peregerunt, quæ secùndum eorumdem Regularium

gularium institutorum formam, & tenorem requiruntur, ejusdem Ordinis Magistros in Sacra Theologia creandi, & instituendi facultatem habeas, dummodò tamen iidem Professores Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream in aliqua approbata Studii generalis Universitate suscipiant; Quia verò in suscipienda Magisterii, sive Doctoratus in Universitate generali hujusmodi laurea, intolerabiles pecuniarum summæ expendendæ sunt, in magnum pauperrimæ inter mendicantes Religionis detrimentum, & Collegium Sanctæ Theresiæ Salamanticensis ejusdem Ordinis semper habuit, & in posterùm habiturum speratur Regentes, & in eadem Sacra Theologia Magistros doctos, & in literarum exercitiis maximè versatos. Nobis propterea, quòd debitus virtutis honos ejusdem Ordinis Provinciarum Hispaniæ, & Lusitaniæ Professoribus, qui in Artibus, & Sacræ Theologiæ hujusmodi studiis cursum perfecerunt, & aliàs digni, & idonei sunt, sublatis expensis hujusmodi, habeatur, humiliter supplicari fecisti, ut super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in rubrica.

§. 1. Nos igitur te, ac Provinciarum prædictarum tui Ordinis hujusmodi Professores specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, téque & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existitis ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum Consilio, Tibi, omnibus, & singulis dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum Professoribus, quos absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis litterarum à regularibus dicti Ordinis institutis, ut præfertur, requisitis, & servatis aliàs servandis in eadem Sacra Theologia creaveris, & institueris, quòd illi in prædicto Collegio Sanctæ Theresiæ Salamanticensis cum rigoroso examine, & approbatione Regentium, & aliorum Magistrorum ejusdem Collegii, ac servatis aliis conditionibus juxtà regularia instituta hujusmodi necessariis à Superiore ejusdem Collegii Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia Lauream suscipere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate nostra concedendi, & indulgendi, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 12. die 26. Augusti.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Augusti 1634. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CXCIII. Declaratio nonnullorum Statutorum pro Congregationibus Tusciæ, & Lombardiæ Monachorum Ordinis Cisterciensis emanatorum.

Horum Statutorum confirmationem habes suprà in Constitut. hujus Pontif. 150. In Sede. Ubi etiam videre poteris, quæ annotata sunt de hujusmodi Congregationum unione.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs ab hoc Pontif. emanavit Constitut. super Reformat. & confirmat. nonnullorum statutorum.

Aliàs à nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. In Sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis divinâ Providentiâ constituti; inter multiplices Pastoralis Officii curas, ad ea per quæ regularis disciplinæ observantia in quibuslibet Ordinibus, & Congregationibus conservetur, majoráque indies suscipiat incrementa, sollicitudinis nostræ partes sedulò intendimus, & in iis, quæ propterea piè, & providè statuta sunt, Apostolicæ Confirmationis robur libenter adjicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque sicut accepimus pro fœlici prosperoque dilectorum filiorum Monachorum Cisterciensium Ordinis Congregationum Lombardiæ, & Tusciæ insimul unitarum statu, & reformatione in eis introducenda, nonnullæ Constitutiones, & statuta edita, & à dilecto Filio nostro Roberto tituli Sancti Alexii Presbytero Cardinali Ubaldino nuncupato ejusdem Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectore, ac duobus aliis Romanæ Curiæ Prælatis pietate, doctrina, & Religionis zelo præstantibus, auditis etiam, & consultis dilectis Filiis Præside, Procuratoribus, & duobus ex antiquioribus Abbatibus dictarum Congregationum de mandato nostro visa, & examinata fuerint, tenoris subsequentis videlicet. Prælati omnes quorumcumque Monasteriorum residentiam requirentium debeant omninò in eis personaliter residere, nec ullo prætextu possint ab eis abesse ultrà tempus præscriptum à Constitutione edita à Capitulo Anni 1616. videlicet ultrà viginti dies continuos. Prælatus, qui ultrà prædictum tempus, vel in totius anni cursu ultra quadraginta dies, continuis & discontinuis computatis, sine licentia Regiminis ex legitima causa in licentia exprimenda, & in actis redigenda abfuerit à suo Monasterio, graviter puniatur, etiam privatione vocis activæ, & passivæ, quin etiam ipsi Patres Regiminis, si absque legitima causa hujusmodi licentiam concesserint, gravi pœna pro arbitrio Definitorii afficiantur.

Cujus tenor hic refertur.

Secundò. Universæ pecuniæ communes ad singulas Provincias pertinentes habeantur repositæ, & custoditæ in Capsa Triclavi, quæ retineatur clausa tribus clavibus, quarum una remanere debeat pœnès caput Regiminis, altera penès Visitatorem majorem, Tertia penès Capsarium, quo munere fungi debeat unus ex Abbatibus titularibus, qui pro Provincia Lombardiæ teneatur residere in Monasterio Sancti Ambrosii, isque eligi debeat per Capitulum, & interim usque ad ejus celebrationem providebit Illustrissimus Protector, dictúsque Capsarius retineat libros introitus, & exitus, in quibus omnia distinctè & ordinatè adnotata appareant, nec aliquid omninò erogare, aut solvere possit alicui personæ, absque mandato Regiminis in scriptis; si sine prædicto mandato quicquam erogaverit, aut solverit, privationem Prælaturæ incurrat. Supradicta autem Computa, & mandata omnia singulis trienniis ante Capitulum diligenter revideri debeant pro Provincia Lombardiæ per Abbates Sancti Stephani de Cornu, & Aquæ frigidæ, & pro Provincia Tusciæ à duobus Prælatis, qui non sint de Regimine deputandis per Capitulum, qui accuratam, & plenam relationem prædictorum omnium teneantur facere in Capitulo.

Tertiò.

Tertiò. Tempore per Constitutiones ad eligendos Discretos deputato nullus Abbatum accedat ad aliena Monasteria, sed unusquisque in suo se Monasterio contineat, qui secùs fecerit voce activa in Capitulo careat.

Quartò. Electi in Discretos ad alia Monasteria se minimè transferant, sed in Monasterio in quo degunt, exspectent discessum sui Abbatis, cum quo rectà accedant ad Capitula, si secùs fecerint, voce in Capitulo careant, interim verò se informent de statu Monasterii, de quo interrogentur diligenter in Capitulo, & casu quo non reperiantur diligenter informati, sint inhabiles in futurum, adhoc, ut possint eligi in Discretos.

Quintò. In virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus tàm Discretis, ne quid omninò ab aliquo accipiant etiam spontè dare volenti, quàm omnibus, & singulis Religiosis, ne quid eis dare audeant, quòd si delictum hujusmodi quis commiserit, & fuerit sufficienter probatum, tunc tàm dans, quàm accipiens privationem omnium Dignitatum, & officiorum incurrant, necnon inhabilitatem ad eadem, vel alia in perpetuum.

Sextò. Sicut ex præscripto Constitutionum tenentur Subditi singulis annis tradere Prælatis inventaria rerum omnium quas habent penès se, & contrafacientes inter proprietarios censentur, & pœnis proprietariorum in utroque foro subjacent, ità in posterùm Abbates, & Prælati omnes tempore Visitationis, ipse autem Præses, & Visitatores tempore Capituli sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis teneantur conficere inventaria, in quibus cujuscumque generis res omninò, pecuniæ, & bona quæ habet quàm diligentissimè descripta sint, eáque Abbates, & Prælati supradicti Præsidi, & Visitatoribus, Præses autem, & Visitatores Definitoribus tradere teneantur reponenda, & conservanda in Capsa Triclavi, supradicti Visitatores autem, & Definitores in hac re, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini curare debebunt, ut uniuscujusque Religiosi suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat nihilique superflui in ea sit nihil etiam quod necessarium eis denegetur.

Septimò. Visitatio Provinciarum, ut seriò, & diligenter habeatur, debeant omninò Præses, & Visitatores omnia, & singula Monasteria personaliter per se ipsos visitare, & in unoquoque per tantum tempus permanere, quantum necessarium erit ad visitationem plenè, & accuratè perficiendam, ideóque Visitationibus peragendis deputentur Menses Aprilis, Maij, & Junii non obstante dispositione Constitutionum in hac parte. Visitatores autem utantur communi mensa, & frugali victu sint contenti, idémque servetur in Comitiis. Præcipitur verò in virtute Sanctæ obedientiæ, ut tàm ipse Præses, & Visitatores, quàm eorum Conversi, & famuli nihil omninò percipiant à visitatis etiam spontè dare volentibus, quod si Præsidem, seu Visitatores quicquam accepisse, aut à Conversis, & famulis ipsis scientibus acceptum fuisse, probatum fuerit inhabiles sint in perpetuum ad Præsidentatus, & Visitatoratus Officia, & nihilominùs Conversi qui acceperint, graviter puniantur, & famuli absque spe reditus à servitio statim ejiciantur.

Octavò. Abbas, Prior, & Revisores computorum teneantur singulis mensibus revidere computà tàm Cellerarii, quàm aliorum omnium Ministrorum, qui substantiam Monasterii ministrant, singuli autem eorum adnotent in particulari schedula omnia supradicta computa, dictámque schedulam penès se custodiant, & tempore Capituli consignent Discreto, ut deferat ad Capitulum. Quòd si Abbas facere neglexerit de mala administratione suspectus censeatur, ità ut adversùs eum procedi possit.

Nonò. Conversi deputari non possint ad Administrationes extrà Monasteria ad Officium Subcellerariatus, aut ad servitia particularia Abbatum nisi post quintum professionis annum completum, qui secùs aliquem deputaverit, voce activa in proximo Capitulo careat.

Decimò. Nemini Monachorum, sed præsertim junioribus non Sacerdotibus ullo modo detur licentia permanendi recreationis gratiâ in loco, in quo sit eis pernoctandum extrà Monasteria, vel loca Monasteriorum, Prælatus qui adversùs hoc licentiam concesserit, ab Officio per sex menses suspendatur.

Undecimò. Abbatibus emeritis, qui ex legitima causa renunciaverint dignitati, liceat honoris gratiâ Abbatis nomine vocari quod maluerint Mon. pro habitatione tempore renunciationis, & celebrationis Capituli sibi eligere, habere conversum ad servitia sibi deputatum, & quoad victum, & vestitum censeri vice Abbatum.

Duodec. Nemini Prælatorum liceat pecunias Monasteriorum exigere, aut erogare, aut eas, quovis modo contractare, neque item in rebus Monasteriorum divendendis, aut necessariis comparandis per se ipsos se immiscere, sed ea omnia per Cellerarios, aut alios Ministros ad quos ex Constitutionum præscripto attinet, fiant, qui tamen Cellerarii, & ministri teneantur in hujusmodi rebus peragendis suorum Prælatorum præceptis obedire, nec quicquàm nisi eodem Prælato jubente, & mandante exequi possint, pecuniæ autem à Capsario ad id munus specialiter deputato custodiantur in Capsa triclavi, quæ in singulis Monasteriis habeatur in cubiculo Prælati, eárumque clavium unam retineat Prælatus Monasterii, aliam Capsarius, tertiam Cellerarius per quem Cellerarium, seu alios ministros, ad quos spectaret ut suprà, tàm eleemosynæ, quàm munuscula, si quæ dari licuerit, dentur de Prælatorum tamen mandato, aut licentia, ac servatâ formâ Constitutionis Clement. VIII. de largit. muner. sempérque rei, quæ datur, qualitas, quantitas, & si fieri possit etiam nomina eorum quibus dantur, aut per quos transmittuntur in libro dati, & accepti fideliter scribantur. Quòd si Prælati prædicta, aut aliqua eorum per se ipsos, & non adhibitis ministris facere ausi fuerint, tunc in eos tamquàm fraudis, & parum sinceræ administrationis suspectos, tàm Capitulum, quàm Visitatores, & Regimen procedant.

Decimotertiò. Si quis Prælatus, aut Religiosus privato nomine equos, jumenta, pecudes, frumenta, blada, legumina, aut alios quoscumque fructus ex terra provenientes, tenere, possidere, aut à Monasteriis emere, vel in solutionem accipere ausus fuerit, is præter amissionem usus earum rerum omnium, & singularum, si Prælatus sit, pœnam contrà exercentes mercaturam Cap. 25. Constitutionum taxatam incurrat. Monachi, qui transgressores reperti fuerint pœnæ inhabilitatis ad officia omnia, & dignitates subjaceant. Conversi denique per annum carceri mancipentur, & deinceps ab omni temporali administratione arceantur. Ad effectum verò probandi quempiam privato nomine aliqua prædictorum tenuisse, aut possedisse sufficiat probare, quod à die emptionis, adeptionis, aut captæ possessionis, seu tentionis eorum in libris publicis Monasterii scripta non fuerint.

Decimoquartò. In Visitatorem minorem assumi non possit, qui trigesimum ætatis annum non expleverit, aliàs electio nulla sit ipso jure.

Decimo-

Decimoquintò. Ex Patribus qui immediatè in Regimine resederunt, non possint tempore Capituli assumi in Definitores, nisi ad summum duo tantùm pro singulis Provinciis, quod si agatur directè, vel indirectè de negociis ad personam, vel Regimen, seu administrationem alicujus ex Definitoribus pertinentibus, tunc ipse, de cujus negociis, ut suprà agitur debeat omninò exire à Definitorio.

Decimosextò. In Definitorio habeat omninò locum unus saltem ex Discretis pro singulis Provinciis.

Decimoseptimò. Patres Regiminis eandem habeant in Regimine durationem & vacationem quam habeant Prælati in gubernio Monasteriorum, nisi fortè assumendus sit aliquis ex dictis Patribus in Præsidem.

Decimooctavò. Liceat Præsidi post finitum Officium eligere sibi, quod maluerit ex Monasteriis suæ Provinciæ gubernandum exceptis pro Provincia Lombardiæ Monasteriis Claræ Vallis Mediolani. Sancti Ambrosii majoris Mediolani, Sancti Martini Parmensis, & Sanctæ Crucis in Hierusalem de Urbe, & pro Provincia Tusciæ Monasteriis Septimi; Cistelli Florentini, & trium Fontium de Urbe, ad quorum Monasteriorum, gubernationem, sicut & in Procuratorem Provinciæ in Curia Romana is, qui Præsidentatus munere proximè defunctus est, nullo pacto eligi valeat.

Decimononò. Nullus Abbatum eligi possit ad loca Regiminis nisi saltem per triennium fuerit Abbas.

Vigesimò. Superiores omnes, præsertim Monasteriorum, in quibus viget Regularis Observantia, enixè hortamur in Domino, ac etiam eis præcipimus, & mandamus, ut in frequentando noctu, diùque Chorum, vita communi in Refectorio agenda, cæterisque observantiis omnibus, quæ per Regulam, & Constitutiones præscribuntur, exactè obeundis, subditis exemplo sint.

Vigesimoprimò. Nullus possit eligi ad exercenda officia, qui præter alias conditiones, & requisita non habuerit decem annos completos professionis, aliàs electio sit nulla, & Electores facultate eligendi deinceps careant.

Vigesimosecundò. Officia Prioratus, Cellerariatus, & Magistri Novitiorum non vacent singulis annis, sed sint triennalia, ut olim observabatur.

Vigesimotertiò. In Abbatem deinceps nullus assumatur, qui non habeat sufficientem scientiam ad exercendum curam animarum, aliàs electio sit ipso facto nulla, supradictam autem scientiam ad hunc effectum eos tantùm habere intelligi volumus, qui pro Provincia Lombardiæ ad exercendum curam animarum approbati fuerint ab Ordinario Mediolanensi, à Florentinensi verò pro Provincia Tusciæ, vel pro utraque Provincia ab Urbis Vicario sive ab alio Ordinario per Eminentissimum Cardinalem Protectorem pro tempore existentem deputando.

Vigesimoquartò. Capitulum duret saltem per octo dies, & singulis diebus his congregetur Definitorium duraturum singulis vicibus saltem per tres horas.

Vigesimoquintò. Constitutio, qua disponitur, ut Præses resideat in partibus Mediolani, intelligatur de Monasteriis non distantibus ab Urbe Mediolani ultra dictam, in quibus aliàs non sit prohibitum residere Patribus Regiminis.

Vigesimosextò. In proximè futuro Capitulo ad præscriptum Decreti de celebratione Missarum taxetur numerus Religiosorum in unoquoque Monasterio retinendorum juxtà ejusdem Monasterii redditus, & idem fiat de famulis, & equis, quo taxato non licebit Abbatibus numerum etiam famulorum, & equorum augere, sub pœnis expressis in supradictis Decretis.

Vigesimoseptimò. Erigatur in Monasterio deputando in proximo Capitulo aliud Collegium in Provincia Lombardiæ, in quo habeantur saltem decem Collegiales, & decem alii Collegiales retineantur pro Provincia Tusciæ in uno, vel pluribus Collegiis, ad quem effectum debeat in futuro Capitulo unum, vel alterum Monasterium deputari.

Vigesimooctavò. Novitii non recipiantur in posterùm nisi tempore celebrationis Capituli in ipso Capitulo, & priusquàm admittantur ad habitum debeant omninò degere in habitu seculari per duos menses in Monasterio sub regulari observantia, circà receptionem verò; & qualitates eorumdem serventur Decreta Clement. VIII. & constituatur omninò Professorium, in quo pariter serventur decreta ejusdem Clementis.

Vigesimononò. Pro sustentatione Monachorum Monasterii, & Collegii Sanctæ Crucis in Hierusalem de Urbe, & aliis nonnullis oneribus, & expensis, quæ in Urbe consueverunt fieri pro Provincia Lombardiæ de quibus in schedula per Præsidem, & Abbatem Sanctæ Crucis subscripta, assignentur redditus bonorum de Viono, quorum administratio ad Abbatem pro tempore Sanctæ Crucis, vel ad eos, qui eidem Abbati benè visi fuerint, spectabit, quamdiù Collegium in prædicto Monasterio Sanctæ Crucis perseverabit, quòd si Collegium aliò transferri, aut quovis modo in dicto Monasterio cessare contigerit, tunc & eo casu redditus, & administratio bonorum de Viono ad capsam, quàm vocant triclavem pertineant, prout hactenùs pertinuerunt; Contributiones autem pro Collegii sustentatione Monasteriis in proximo præterito Capitulo impositæ ipsi Capsæ Congregationis persolvantur, quamdiù redditus prædictorum bonorum de Viono Collegii sustentationi deputati manserint.

Per supradictos autem Articulos pro Reformatione dictæ Congregationis formatos, non intelligitur derogatum in aliquo decretis Sacri Concilii Tridentini, ac fœl. record. Clement. VIII. & S.D.N. quoad Regulares editis.

Nos inviolabili Constitutionum, ac Statutorum hujusmodi observationi, fœlicique earumdem Congregationum directioni quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere, ac Præsidem, & Monachos prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorùmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Constitutiones & Statuta præinserta hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti, ac solemnitatum omissarum, & quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici possent, supplemus.

Decre-

Decernentes, illa in prædictis Congregationibus ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, & adimpleri omninò debere, irritúmque nihilominùs, & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit Ordinis, & Congregationum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Martii 1631. Pontificatus Nostri Anno octavo.

Et quia aliqua ex suprà dictis statutis indigebant explicatione.

§. 2. Cùm autem, sicut denuò accepimus post emanatas præinsertas litteras hujusmodi in Capitulo Generali earumdem Congregationum de modo, & forma suprà insertas Constitutiones, & Statuta executioni, & observantiæ demandandi actum fuerit, ac matura consultatione adhibita compertum sit, faciliori, atque exactiori tàm ipsarum superiùs insertarum, quàm etiam aliarum Constitutionum earumdem Congregationum olim à fœl. record. Gregorio VIII. Papa Prædecessore Nosto confirmatarum executioni, & observantiæ securiùs consultum fore, si tàm ipsæ suprà insertæ in nonnullis ex supradictis capitibus, videlicèt, 6. 7. 13. 23. & 28. quàm etiam aliæ à dicto Gregorio Prædecessore, ut præfertur confirmatæ Constitutiones, & Statuta, in duobus infrascriptis capitibus quorum unum est, videlicet. Electio, sive imbursatio Discretorum fiat præsentibus, & intervenientibus pro veritatis testimonio religiosis aliis in illo Monasterio commorantibus, inter quos saltem quatuor Sacerdotes interveniant ex alio Monasterio vocandi, si ex eo haberi non poterunt, sicque electi Discreti ad Capitulum accessuri, literas testimoniales fidem facientes de legitima eorum electione ab omnibus Sacerdotibus, seu saltem à quatuor eorum, qui intervenerint electioni subscriptas deferant, aliter sine litteris hujusmodi ad Capitulum non admittendi. Alterum verò est, videlicet. Illi tantùm ad Prælaturam, & ad Visitatoris Majoris Officium approbentur, qui Officia minora, Prioratus scilicet, & Cellerariatus dignè gradatim saltem biennio, in quolibet Officio fideliter exercuerint, per Nos ut infrà declarentur, moderentur, limitentur, & alia etiam addantur respectivè.

Modo declarat, moderatur, & alia addit.

§. 3. Quare Nos, qui negocium hujusmodi dilectis Filiis nostris Antonio tit. S. Honuphrii Presbytero, nostro secundùm carnem Fratri Germano, ac Martio S. Mariæ Novæ Diacono Cardinali Ginetto nuncupato maturè diligentérque examinandum, Nobísque referendum commisimus pro incumbentis Nobis Pastoralis Officii debito prosperum earumdem Congregationum statum, fœlicémque directionem sinceris desiderantes affectibus; Singulares eorumdem Monachorum personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; De eorumdem Antonii, & Martii Cardinalium Consilio, motu, scientia, & deliberatione similibus.

Quoad VI. Ut per Capsam triclavem intelligatur triclavis Congregationis.

Ad VII. Singulis trienniis una tantùm visitatio fiat, uno quidem Anno in Monasteriis omnibus citrà Montes Appenninos, altero verò in iis, qui sunt ultrà montes, ità ut prima Visitatio sit ejus partis, in qua fuerit Præses, eáque fiat temporibus in ipsa Constitutione assignatis, scilicèt mensibus Aprilis, Maij, & Junii singulorum annorum ex duobus, in quibus non celebratur Capitulum, quòd si Præses, & Visitatores singula Monasteria personaliter non visitaverint, privationem vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatem ad Officia Præsidentatus, & Visitatoratus incurrant.

Ad XIII. Monachi qui extrà claustra ad curam animarum, vel alia beneficia Ecclesiastica degunt, res hujusmodi ad usus proprios habere poterunt, sed singulis annis rerum hujusmodi notas Abbati suo tradere tenebuntur sub pœnis Proprietariorum incurrendis.

Ad XXIII. Examen, & approbatio fiat per Examinatores deputandos in Capitulo Congregationis.

Ad XXVIII. In Capitulo numerus tantùm Novitiorum præfigatur, non autem necesse sit ut eorum nomina exprimantur, & quoad tempus deferendi habitum secularium sufficiat mensis.

Quo verò ad Constitutiones à dicto Gregorio Prædecessore, ut præfertur confirmatas.

In iis Monasteriis, in quibus non sunt quinque Sacerdotes ultrà Abbatem, sufficiat interventus, & subscriptio eorum Sacerdotum, qui ibi commorantur.

Insuper verò Monachis curam animarum exercentibus, tempus talis exercitii suffragetur ad effectum habilitatis ad Prælaturam, & Visitatoris Majoris Officium non secùs, ac tempus exercitii Officiorum Prioris, & Cellerarii, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò declaramus moderamur, limitamus, eísque addimus respectivè.

§. 4. Decernentes Constitutiones, & Statuta sic per præsentes declarata, moderata, limitata, & addita respectivè in prædictis Congregationibus, & singulis ad quos spectat & in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter perpetuò observari, & adimpleri, & ità per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 5. Non obstantibus literis nostris præinsertis, ac aliter disponentibus Constitutionibus, & Statutis in eis contentis prædictis, aliisque omnibus, & singulis, qui in eisdem præinsertis litteris voluimus non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 25. Januarii 1634. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Dat. P. An. 11. die 25. Januarii.

CXCIV.

Confirmatio Præfinitionis Habitus factæ inter Fratres Discalceatos S. Theresiæ, & Fratres primi Instituti, vulgò de Monte Sancto, nuncupatos.

De Fratribus Carmelitis, vide indicata ad Constitut. 8. Honor. III. Ut vivendi. suprà Tom. 1. Et de Carmelitis Discalceatis, vide ad Constitut. 64. Gregor. XIII. Pia consideratione. suprà Tom. 2. Et hic suprà ad Constitut. 164. Romanus.

...NNO
...635.
...t An. D.
...635.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

INteras cæteras Apostolicæ sollicitudinis curas, quibus jugiter premimur, ea Nos potissimum urget, ut personæ regulares in pacis amænitate feliciter regantur, & gubernentur.

§. 1. Nuper siquidem pro parte dilecti filii, Prioris Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, expositum fuit, quòd aliàs cùm inter Fratres Discalceatos S. Theresiæ, & Fratres primi instituti, seu Seminarii de Propaganda Fide, vulgo de Monte Sancto nuncupatos, aliqua dubia circa habitum suborta essent; ad removendam omnis controversiæ, & litis materiam, habita ratione eorum; quæ ab utraque parte coram dilecto filio nostro, Martio Sanctæ Mariæ Novæ Diacono Cardinale Ginetto nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectore allegata fuerunt; de eorum consensu à se pro Fratribus primi Instituti decretum fuit, ut ipsi Calceati semper incedant, tunicamque deferant ex lana, quæ in Provinciis minori, & viliori pretio emi poterit, coloris grisii, nigri, vel ad nigredinem tendentis; cùm manicis strictis, scapulari aliquantulum breviori tunica, & latitudinis sexdecim digitorum per transversum, necnon cum Caputio, cujus anterior extremitas descendat ad octo digitos super pectus, & posterior usque ad cingulum, & decenter utrumque humerum cooperiat; ipsum verò Caputii caput ad formam capitis rotundum erit, & strictum, & illi iisdem mensuris correspondere debet Caputium album. Habebunt insuper cappam albam laneam ad collum crispatam cum plicis octo digitis tunica breviorem, & pallium, de quo fit mentio in Constitutionibus Ordinis parte prima Cap. 16. §. 2. sive in Conventu, sive extra talis erit formæ, ut eis distinctio à Cappa Discalceatorum sit nota, & evidens: utenturque galero nigro, si quando ejus necessitas illis occurrerit. Ut autem prædictis Religiosis imposterum ea retractandi vel diffidendi libera tollatur facultas; quin potius, ut in vinculo pacis Domino famulentur; Nobis propterea dictus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune, ut infra, providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictum Priorem generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, consilio, Decretum prædictum Apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 3. Decernentes Decretum hujusmodi, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentati.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris; hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Aprilis 1635. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

Margin notes: ...edium. / ...sæ hujus ...stit. re... ...ntur, ac ...tetti de... ...er ema... ...um. / ...od modo ...firmat. / ...ausulas ...ervati... ...s, ac sub... ...am addit. / Contraria removet. / Dat. P. A. 10. die 3. Apr.

CXCV.

Declaratio, quòd Constitutiones revocatoriæ vivæ vocis Oraculorum non comprehendant illos, Officiales, quibus ratione munerum suorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi solebat.

Concessiones vivæ vocis Oraculo factas, exceptis Oraculis factis S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmatis, revocavit Gregor. XV. in Constit. 30. Romanus. Eam postea extendit ad omnes concessiones, etiam factas Cardinalibus, & eorum manu signatas S. D. N. Urbanus VIII. hic sup. in Const. 157. Aliàs felicis rec.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1635.

§. 1.

ALiàs felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus, ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumerò concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet, Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula Militantis Ecclesiæ &c.

Refert Const. revocantem vivæ vocis oracula, editam à Greg. XV. int. 3.

Omittitur hæc Constit. quia eam habes sup. Constit. 27. Greg. XV. tom. 3.

§. 2. Et subinde per Nos accepto, quòd experientia rerum magistra compertum erat, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari; Idcircò quantùm cum Domino potuimus, his, & aliis malis occurrere volentes; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine; De consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Provincialibus, cæterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive Secularibus, sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati JESU, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, & contemplatione, seu ad instantiam

Ipsam Greg. const. hic Pont. extendit ad Oracula etiam facta S. R. E. Card. & eorum manu firmata. Hanc Const. habes hic supra, Aliàs fel.

Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut alias quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, Apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus, sustulimus, abrogavimus, & annullavimus, ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nullique deinceps suffragari posse, nec debere declaravimus; prout in aliis nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis volumus haberi plenius continetur.

Nunc illam declarat non comprehendere illos Officiales, quibus ratione munerum suorum antea de SummiPont. oraculis fides haberi solebat.

§. 3. Cùm autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, & Sedis Apostolicæ Officialibus seu Ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione, de gratiis concessionibus, & dispositionibus quibuscumque per Nos faciendis, mandatisque, & jussionibus nostris exequendis, aliisque rebus, & negociis gerendis, Nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato facienda, gerenda, & executioni demandanda vivæ vocis oraculo commiserimus, & indies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum Officium, seu munus quo funguntur, pertinent, committamus; Nos firmiori gestorum de mandato nostro per eosdem Officiales, seu Ministros validitati, eorumdemque Officialium, seu Ministrorum securitati consulere volentes; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Officiales, seu Ministros prædictos, quibus aliàs ante emanatas prædictas Constitutiones ex officiorum suorum auctoritate, & prærogativa de oraculo per eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito fides haberi solebat, quoad ea quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in literis etiam nostris prædictis super revocatione Oraculorum hujusmodi emanatis minimè comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere declaramus, & decernimus: & ad abundantiorem cautelam eosdem Officiales, seu Ministros adversus easdem Constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, & plenariè reintegramus in omnibus, & per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ Constitutiones non emanassent.

Clausulas præservativas apponit.

§. 4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 5. Non obstantibus Gregorii prædecessoris hujusmodi, Nostrisque literis præfatis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis concessa sunt ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 12. die 11. Apr.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1635. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

CXCVI.

Regulares, qui ultra vota solita, etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, aut dimissionem, à voto hujusmodi nullatenus liberantur.

Diversis Regularium personarum Ordinibus ambitum prohibuerunt Pontifices, & hoc videre poteris in Repertoriis Urbis, ad singula eorum nomina.

His addo, quod super professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Novitiatu, Const. edidit hic Sanctiss. Pont. hic sup. Religiosos num. 146. Qui subjectos declaravit ipsos Regulares, quantumvis exemptos, Constitutionibus Apostolicis in concernentibus fidem Catholicam, & sanctæ Inquisitionis Officium, ut hic sup. in Const. 155. Cum sicut accepimus. Et super missionibus ad Japoniam nonnulla statuit in Const. 167. Ex debito hic sup.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1635.

§. 1.

Quia mult. Regulares ultra alia vota emiserunt voti de non petenda, pro curanda, ve acceptanda dignitate extra eorum Religiones.

CUm, sicut accepimus, diversorum Ordinum, Congregationum, & Institutorum, ac etiam Societatis JESU personæ Regulares, ultra alia vota, etiam votum, promissionem, sive Juramentum solemniter, sive simpliciter emittant, aut præstent de non petenda, nec procuranda, minusvè acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua superioritate extra eorum Religionem.

Et sub diver excusationibus prætendunt se liberatos à dicto voto.

§. 2. Quoniam verò propter infirmitatem, seu aliam legitimam causam, Sedes Apostolica aliquibus personis Regularibus licentiam aliquando impartitur, se de una ad aliam Religionem, etiam speciali nota, & expressione dignam, etiam laxioris observantiæ transferendi, necnon aliqui etiam Religionum supra expressarum, & cujuslibet earum Generales, vel alii Superiores vigore, ut asserunt, facultatem sibi per Sedem eamdem concessarum, translationem de una ad aliam Religionem, aut strictiorem, vel laxiorem Regularibus suis, sive per viam expulsionis, sive alio quovis modo concedunt; vel aliàs Regularibus suis hujusmodi ut se transferant, occasionem præbent; vel etiam ipsi Regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra Claustra, etiam in habitu Clerici, vel Sacerdotis sæcularis aliquando obtinere solent.

Ideo Pontif. declarat, per quamcumque eorum translationem, seu habitus privationem, vel dimissionem nullatenus à voto hujusmodi liberatos esse.

§. 3. Ideò, ne per præfatas, & quascumque alias translationes, expulsiones, & dimissiones habitus Regularis eorumdem Regularium, quavis authoritate, licentia, occasione, ratione, & causa, quantumlibet rationabili, favorabili, pia, & publica, etiam in corpore juris clausa, sive ratione majoris boni, ac aliàs quomodolibet hactenus, & pro tempore factas, & faciendas, possint Regulares hujusmodi quandocumque, ut præfertur, translati, expulsi, etiam post habitum Religionis dimissum, prætendere se à dicto voto, promissione, sive juramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, & de illam etiam Motu proprio collatam non acceptando, fuisse, vel esse liberatos, quantùm cum Domino possumus, opportunè providere volentes; necnon voti, promissionis, seu juramenti, ac facultatum, licentiarum, expulsionum, & causarum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum veriores, & totos tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habetnes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, declaramus, & decernimus, quoscumque Regulares prædictos cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis JESU, per quamcumque translationem hactenus, & in posterum quandocumque de sua, ad aliam Religionem, vel Ordinem, ut præfertur, seu aliàs quomodolibet, etiam plures, & per quamcumque expulsionem, habitusque Regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici, aut censeri posse, seu debere à præfato voto, promissione, seu juramento liberatos: sed eos hactenus, & pro tempore, ut præfertur, translatos, expulsos, ac à delatione habitus Regularis absolutos, vel privatos, quarumcumque dignitatum hujusmodi proinde incapaces,

&

& ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde ac si translati, expulsi, seu à delatione habitus liberati, seu privati non fuissent.

§. 4. Præsentes verò literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quòd in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à Jure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore Juris clauso, seu occasione, vel causa etiam, quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Cancellariæ nostræ Regulis, & quatenus opus fuerit, etiam illa de Jure quæsito non tollendo, ac cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret; illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit; Volumus pariter, & mandamus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ Valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur: quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent. *Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.*

§. 8. Quòdque illarum transumptis impressis, sigillo, alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Transumptis fidem dari jubet.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Maji 1635. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo. *D. P. A. 12. die 21. Maji.*

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die verò vigesima mensis Novembris, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Bardum, & Julium Marzitellium Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem. *Publicatio in Urbe.*

Hieronymus Vecchionus Mag. Curs.

CCXCVII.

Quod assertiones, & enunciationes scriptorum, & aliorum quorumcumque non faciant fidem, nisi servata forma in hac Constitutione præscripta.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1635.

Procemium.

In supremo Justitiæ solio, & Apostolicæ potestatis plenitudine à Domino constituti, inter cæteras pastoralis officii nostri curas, in eam boni patrisfamilias exemplo libenter incumbimus, ut non modò unicuique quod suum est, æqua lance tribuatur, verùm etiam Cameræ Apostolicæ, Ecclesiarumque omnium, & personarum eis in divinis inservientium jura sarta tectaque, opportunis rationibus, præserventur, nec literarum ab hac sancta Sede emanatarum, ob sinistram, & malitiosam quorundam interpretationem, sive enunciationem, effectus eludantur.

§. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, ocularique inspectione cognovimus, nonnulli Scriptores, Glossatores, Expositores, interpretes, & Commentatores tàm historiarum etiam antiquarum, repetitionum, tractatuum, & allegationum, seu consiliorum, glossarum, & annotationum, collectanearum, seu quæstionum, vel ut vocant, decisionum, ac resolutionum, disceptationum, expositionum, declarationum, controversiarum, & aliarum quovis nomine nuncupatarum scripturarum, etiam *Quia nonnulli Scriptores, Glossatores, & Commentatores scripto vel impressione, aut renunciatione asserunt editas nonnullas const. à Sede Apost. in præjudicium ipsius Sedis Eccle-*

Left margin notes: *…ic Con… clausu… præser… ivas ap… ut.* — *…iter judi… ndi facul… tem tol…* — *…ontrariis …rogat.*

siarum, seu aliorum locorum piorum.

etiam typis impressarum, ac compositionum, & librorum etiam impressorum, etiam super interpretatione sacræ Scripturæ, sacrorum Canonum, & Conciliorum, ac Legum, etiam Imperialium, & Pragmaticarum, sive Decretorum, & Statutorum, etiam Regnorum, & Provinciarum, quàm quarumcumque aliarum materiarum, etiam pactionum, etiam mutuarum, concordatorum, compactorum, capitulationum, articulorum, seu conditionum etiam pacis, seu fœderis, etiam generalis, seu treguæ, ac quorumcumque contractuum, conventionum, donationum, dationum, emphyteucationum, infeudationum, investiturarum, etiam de Terris, Castris, Civitatibus, Regnis, seu Provinciis, ac facultatum, licentiarum, indultorum, privilegiorum, gratiarum, commissionum, delegationum, constitutionum, sanctionum, & dispositionum quarumcumque, ac cujusvis generis, & speciei, etiam speciali nota, seu expressione dignarum, quascumque artes liberales, & alias quascumque materias tàm profanas, quàm Ecclesiasticas, & spirituales tractantium, seu continentium, & quæ quomodolibet præeminentias, dignitates, jurisdictiones, superioritates, confinia ditionum, resque, & jura etiam Sedis Apostolicæ, & quorumcumque Principum cujuscumque qualitatis, conditionis, status, dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, & cujuslibet alterius prærogativæ, & præeminentiæ, etiam speciali nota dignorum; ac etiam quarumcumque Rerumpublicarum, Universitatum Civitatum, Communitatum, Nationum, & quorumcumque aliorum aliis præsidentium, etiam Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, etiam cujuslibet ordinis; & militiæ Regularium concernunt, & aliàs quomodolibet interesse S. R. E. & Sedis prædictæ, ac Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum tangunt, ausi fuerint, & audeant asserere, & affirmare, seu enunciare, à Nobis, Romanisque Pontificibus Prædecessoribus nostris emanasse diversas concessiones, gratias, indulta, privilegia, aliasque diversas dispositiones, cùm tales, & talia non emanaverint, vel saltem aliter, quàm ipsi sive maitiose, sive erroneè suis commentis, sive compositionibus tàm calamo exaratis, quàm typis impressis hactenus etiam antiquitùs dixerint, & publicaverint, dicantque, & publicent, etiam ratione monumentorum, ac aliorum quomodolibet in publico expositorum; imo, quod pejus est, etiam non erubuerint, nec erubescant in suis scriptis, ac tractatibus, etiam impressis, ponere assertos tenores prætensarum Literarum Apostolicarum tàm sub plumbo, quàm sub annulo Piscatoris, ut dicunt, ab hac S. Sede expeditarum, & illos, vel falsos, vel valde diminutos, ac truncatos inserere, omittendo restrictiones, seu limitationes temporum, & alias substantiales, ac diversa, & plura alterata inserendo, ponendo, referendo, seu enunciando, & ita fingendo concessiones, quæ factæ non fuerunt, vel concessionem esse perpetuam, & unius tenoris, cùm fuerint ad certum etiam modicum tempus, seu etiam alterius tenoris, ac aliter multis modis unum pro alio asserere, affirmare, vel enunciare voluerint, & velint, suasque assertiones, & scripta ediderint, & impresserint, edantque, & imprimant, publicentque in præjudicium Ecclesiarum, & locorum piorum, Cameræque, & Sedis Apostolicæ.

Declarat. hujusmodi assertiones, enunciationes, &c. scriptas vel impressas nullam fidem facere in judicio, nec extra, in præjudicium Sedis Apost. Ecclesiarum, seu aliorum locorum & personarum, etiam in favorem alterius Ecclesiæ, loci pii, &c nisi prius constiterit de ipsarum originalibus recognitis, seu extractis à Datario, Secretario Brevium, Præfectis Archiviorum, vel aliis Sedis Apost. Officialibus.

§. 2. Quapropter Nos his fraudibus, & malitiis, ac etiam erroribus, & præjudiciis, quæ etiam defectu imprimentium multoties occurrunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, ipsarumque historiarum, tractatuum, repetitionum, allegationum, compositionum, interpretationum, & assertionum, ac insertionum, & enunciativarum quarumcumque, aliorumque præfatorum cujuscumque generis, & speciei sint, ac super qualibet re, & ex quacumque occasione, vel causa, & à quibuscumque personis facta fuerint, etiamsi speciali mentione, & expressione, imò etiam de verbo ad verbum insertione, vel relatione indigerent, tenores etiam majores, & veriores pro insertis, & expressis habentes; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, & decernimus, omnes, & singulas præfatas assertiones, narrativas, insertiones, relationes, expositiones, declarationes, & enunciativas, ac quascumque expressiones quarumcumque gratiarum, concessionum, indultorum, privilegiorum, ac dispositionum Apostolicarum, & quorumcumque aliorum, ut præmittitur, ac aliàs quomodolibet à præfatis, & aliis quibuscumque scriptoribus, & auctoribus, etiam quoad alia receptis forsan, & approbatis, etiam antiquis, antiquioribus, & antiquissimis factas, scriptisque exaratas, & typis impressas, nullam fidem, nec indicium, aut probationis speciem, seu adminiculum fecisse, nec facere in judicio, nec extra judicium in damnum, læsionem, seu præjudicium Sedis Apostolicæ, Ecclesiarum, & locorum piorum, eaque obtinentium, ejusque, & eorum jurium quorumcumque, ac dignitatum, & jurisdictionum, etiam in favorem cujuscumque alterius Ecclesiæ, loci pii, & Ecclesiasticæ personæ, nisi, si & postquam constiterit, de originalibus literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, Chirographorum, supplicationum, vel Motuum propriorum; seu in defectum originalium, nisi prius ipsæ gratiæ, indulta, concessiones, privilegia, & quæcumque aliæ dispositiones, quæ, ut præfertur, per Nos, ac Romanos Pontifices asseruntur factæ, fuerint recognitæ, seu extractæ à Datario, Secretario Brevium, & Præfectis Archiviorum, ac Magistris Registrorum, aliisque ejusdem Sedis Apostolicæ Officialibus respctivè, & per eosdem Officiales cum earum originalibus auscultatæ, collatæ, & concordare inventæ, seu respectivè recognitæ, ita ut quibuscumque scriptorum, aliorumque præfatorum assertionibus, narrativis, insertionibus, relationibus, enunciativis, & expressionibus gestorum, concessorum, & dispositorum; ut dicunt per Nos, seu Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, nulla fides umquam adhibeatur, nec adhiberi possit, nisi constito prius de narrato, relato, inserto, asserto, & enunciato authentico, videlicet per originale exhibendum, vel per sumptum, ut præfertur extrahendum, & respectivè recognoscendum.

Vult insuper quod ubi agitur de interesse Sedis Apost vel Cameræ, prædicta extractio fiat citato, & audito C. A. Commiss, & in subscriptione extractionum fiat mentio de hujusmode citatione.

§. 3. Et quoad ea, in quibus agitur quomodolibet de aliquo interesse, vel præjudicio Cameræ, & Sedis Apostolicæ, nisi ultra præfata etiam concurrat, quòd prædicta extractio, collatio, & auscultatio, ac respectivè recognitio factæ fuerint citato, & audito Cameræ Apostolicæ Commissario pro tempore existente; & nisi Officiales hujusmodi in eorum, & earum extractione, & subscriptione attestentur de citatione, auscultatione, collatione, & concordia, ac respectivè recognitione prædictis. Et idem statuimus, & decernimus esse observandum respectu gratiarum, concessionum, indultorum, privilegiorum, ac quarumcumque aliarum dispositionum, quæ in posterum à Nobis, seu à Romanis Pontificibus Successoribus nostris canonicè intrantibus, emanasse assererentur, ut illarum assertiones, insertiones, & enunciativæ, aliaque præmissa, & quodlibet eorum à quibuscumque scriptoribus, & autoribus, ut præfertur pro tempore faciendæ, & facienda, nullam fidem, indicium, vel probationem faciant in præjudicium Sedis Apostolicæ, & aliorum præfatorum in judicio, & extra judicium, nisi si, & postquam auscultatio, & respectivè ci-

ratio, aliaque præmissa omnia, & singula pariter intervenerint.

Clausulas præservativas apponit.

§. 4. Præsentes quoque literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quòd in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à Jure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam prætextu enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut alia quacumque causa, etiam in corpore Juris clausa, etiam quantumvis rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque, juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse; neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Decretum irritans subaddit.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate declarari, judicari, & definiri debere; irritum quoque; & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus foret, nostra de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit; Volumus pariter, & mandamus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur: quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent. Mandat eam publicari in Urbe, & publicatam omnes afficere.

§. 8. Quodque illarum transumptis impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Et ejusdem transumptis credi.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 1. Junii 1635. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo. D. P. A. 12 die 1. Junii.

Publicatio

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die verò vigesima mensis Novembris, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Bardum. & Julium Marzitellum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Hieronymus Vecchionus Mag. Curs.

CXCVIII.

Quòd Procurator Generalis Ord. Fratrum Minor. Sancti Francisci Conventualium possit supprimere parvos Conventus, in quibus non potest manuteneri numerus sufficiens Fratrum pro regulari observantia.

URBANUS PAPA VIII.

Edita A. D. 1635.

Dilecto Filio Ministro Generali Ord. Minor. Conventual. S. Francisci Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§. 1.

Causa hujus Const.

Cum sicut dilectus filius F. Blasius à Chersio Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, quòd in eodem Ordine nonnulli parvi Conventus reperiantur, ac in eis Fratrum numerus observantiæ regulari sufficiens nequaquam manuteneri possit; & propterea illos supprimi, eorumque res, & bona, necnon onera eis incumbentia in majores ipsius Ordinis Conventus transferri posse plurimùm desideret, Nobis idcircò humiliter supplicari fecit, ut sibi de infradicta facultate providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in rubr.

§. 2. Nos prospero ejusdem Ordinis, illiusque Domorum statui, regularisque disciplinæ incremento consultum esse cupientes, supplicationibus ejusdem F. Blasii Procuratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi parvos Conventus prædictos, illorumque statum, & essentiam regularem in eis auctoritate nostra Apost. perpetuo supprimendi, & extinguendi, eorumque res, & bona, ac onera quæcunque eis incumbentia in majores ejusdem Ordinis Conventus etiam perpetuò transferendi facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes præsentes literas, & illarum vigore facientes suppressiones, extinctiones, & translationes prædictas, postquam factæ fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac majoribus Conventibus hujusmodi plenissime in omnibus, & per omnia suffragari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his à quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 13. die 3. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1635. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

CXCIX.

Revalidatio literarum Concordiæ inter Provinciam S. Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum ex una, & F. Onuphrium Legazam, ex alia ejusdem Ordinis, cum perpetuo silentio.

De hujusmodi Fratrum Concordia lege Const. 129. sup. Regis Pacifici. ac confirmationem Privilegiorum in Constitutione 245. Cum ea. infra.

Edita An. D. 1635.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Causa hujus Constit.

CUm sicut accepimus, ob causam, & causas vertentes inter Provinciam S. Joannis Baptistæ Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Regnis Hispaniarum, seù Joannem Baptistam Bervegal illius Procuratorem ex una; ac Onuphrium Legazam, ejusdem Ordinis, & Provinciæ Professores dilectos filios, & illi adhærentes partibus ex altera, de & super controversiis ortis causa, & occasione assertarum inobedientiarum, ut dicebatur, præstitarum dilecto etiam filio Petro Logronno in Generali Visitatione dictæ Provinciæ, ac decretorum à Veneralibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium præpositis de anno 1626. emanatorum, necnon de, & super prætensa nullitate, seu revocatione trium Capitulorum Provincialium, seu electionum inde sequutarum, ac de, & super prætensa nullitate, & revocatione confirmationum Apostolicarum desuper emanatarum, ut in literis Apostolicis in forma Brevis sub datis 22. Aprilis 1630. desuper expeditis plenius continetur; necnon super prætensa Apostasia dicti Onuphrii Legazæ, ac aliorum dicti Ordinis Fratrum forsan à dicta Provincia occasione Præmissorum, absque Superiorum licentia absentium, ac de, & super quibuscumque etiam speciali nota dignis in causa, & causis prædictis appositis, seu prætensis delictis contra eumdem Onuphrium Legazam, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latius deductis, habita fuerit Congregatio die 18. Aprilis præsentis anni coram dilectis filiis nostris Desiderio Sancti Caroli de Cremona, ac Berlingerio Sancti Augustini Gyptio, & Laudivio Sancti Petri ad Vincula titulorum Sancti Sixti Presbyteris, necnon Martio Sancti Angeli in foro Piscium Diacono Cardinalibus Ginetto respectivè nuncupatis, ac dilectis filiis Joanne Baptista Coccino, & Alexandro Buccabella Capellanis nostris, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus à Nobis super præmissis specialiter deputatis, & in eadem Congregatione Joannes Baptista, ac Onuphrius prædicti, eorumque Procuratores, & Advocati pluries priùs etiam in contradictorio auditi, scripturæque quamplurimæ hinc inde exhibitæ, visæ, ac negotium diu, matureque & diligentissimè perpensum, ac examinatum respectivè fuerint; Nos audita plena relatione meritorum, ac status causæ, & causarum hujusmodi per eosdem Desiderium, Berlingerium, ac Laudivium, & Martium Cardinales prædictos, Nobis facta.

Avocando ad se causas controversiæ penitus extinguit.

§. 2. Ad tollendas discordias, lites, & controversias, quæ in præmissis ortæ fuerunt, & in dies oriri possunt, non sine maxima inquietudine, perturbatione, & detrimento dictæ Provinciæ, & eorumdem Religiosorum Paci, & quieti, fælicique ac prosperæ ejusdem Provinciæ gubernationi consulere volentes, ac statum, & merita causæ, & causarum hujusmodi, nominaque, & cognomina Judicum, & collitigantium, aliaque etiam hic de necessitate exprimenda, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, Motu proprio, non ad alicujus, Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque contraversiarum hujusmodi causas, & molestias super præmissis, & illarum occasione civiliter, vel criminaliter hactenus quomodolibet motas, & pendentes, seu quæ desuper moveri possent, cum omnibus suis annexis, & dependentibus ad Nos harum serie avocantes, illas penitus extinguimus, ac Fratribus prædictis, & quibuscumque aliis interesse habentibus, seu prætendentibus, perpetuum super præmissis silentium imponimus, necnon omnibus & singulis Fratribus Discalceatis prædictis, cujuscumque conditionis, seu gradus existant, sub præcepto sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, necnon quorumcumque Officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso incurrendis, præcipimus, & mandamus, ne de cætero dictæ Provinciæ Fratribus hujusmodi lites, & controversias, quavis occasione, causa, seu prætextu, directè, vel indirectè, civiliter, vel criminaliter, per se, vel alios quoscumque movere, vel prosequi possint, nec inter se molestare, affligi, aliqua pœna affici, seu molestare facere quomodolibet audeant, seu præsumant præmissorum occasione; Ipsique Onuphrio, & aliis illi adherentibus (si qui sint absentes) pariter mandamus, ut infra tres menses à data præsentium, nisi dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Card. Barberino nuncupato S. R. E. Vicecancellario nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti, dicti Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, aliter videbitur, ut ad suam debeant remeare Provinciam: districtè præcipiendo ejusdem Provinciæ Superioribus, & Fratribus, ut illum, seu illos recipiant, ac eum, aliosque Fratres, qui adhæserunt, etiamsi pœnis aliquibus occasione Præmissorum possent affici, seu condemnari, aut affecti, vel condemnati fuerint benè, & benignè tractent, neque illos in futuris Capitulis, vel alibi occasione præmissorum ab Officiis, & muneribus Religionis excludant; Imò eos ad ipsa, nulla de præmissis habita consideratione, si aliàs habiles sint, absque ulla differentia, ac pariformiter, prout, & alios Fratres eligant, seu admittant; Facultatemque tribuimus Confessariis ordinariis ejusdem Provinciæ absolvendi, & dispensandi respectivè, tàm prædictos, quàm quoscumque alios Fratres ejusdem Provinciæ, vel aliquos illorum, si id petierint etiam ad cautelam, seu aliàs à censuris, seu irregularitatibus, & aliis pœnis, forsan incursis Præmissorum occasione.

§. 3. Insuper quibusvis Judicibus, & personis quibuslibet, quavis auctoritate fungentibus, districtius inhibemus, ne Fratres hujusmodi, seu alios

pro

pro eis super præmissis ulteriùs audire, seù aliàs desuper se ingerere quomodolibet audeant, seu præsumant.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, seu invalidari posse, sed semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus. quos illa concernunt in futurum inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstante regula nostra de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 13. die 10. Octobris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1635. Pontificatus Nostri Anno tertio decimo.

CC.

Quod in Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Fratrum S. Francisci de Observantia Discalceatorum, amplius non sint, neque habeantur tituli Lectorum Iubilatorum, neque exemptione Patris gaudeat, nisi qui Minister Provincialis fuerit.

De Fratribus S. Francisci notavi satis ad Constitut. 53. S. D. N. Urban. VIII. Sacrosanctum sup. & Constit. 185. Inter gravissimas hic sup.

Edita An. D. 1635.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui abjectis hujus sæculi vanitatibus, humilitati, & paupertati sub arctioris vitæ Instituto se per omnia tradiderunt; & abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt; sicut peculiaribus hujus Sanctæ Sedis favoribus, & gratiis dignos existimamus, ita ad circumspectam illius providentiam pertinere dignoscimus, ea sedulo statuere, atque ordinare, quibus Religiosi ipsi in ea, quam singulari Divinæ benedictionis præsidio ingressi sunt, via de cætero ambulent, & vota sua reddant Domino in sanctitate, & justitia coram ipso,

Prohibitio de cætero habendi titulos Lectorum Jubilatorum.

§. 1. Hinc est, quòd Nos dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatis nuncupatis Hispaniarum, & Indiarum, quos in visceribus gerimus charitatis, omnem ambitionis, honorumque, & titulorum consequendorum viam præcludere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, atque ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in ulla eorumdem Fratrum Provincia tàm Hispaniarum, quàm Indiarum tituli Lectoris Jubilati nullatenus sint, neque habeantur.

Neque gaudendi exemptione Patris nisi fuerit Minister Provincialis.

§. 2. Quòdque nullus eorumdem Fratrum Discalceatorum, qui Minister Provincialis non fuerit, titulo, ac exemptione Patris gaudeat, etiam si fuerit, vel pro tempore sit Vicarius Provincialis.

Titulorum hujusmodi abrogatio, ac pœnarum impositio contrafacientibus.

§. 3. Nos enim ex nunc quoscumque titulos Lectorum Jubilatorum, qui ad præsens in eisdem Provinciis reperiuntur, Apostolica auctoritate tenore præsentium revocamus, cassamus, & abrogamus, ac pro revocatis, cassis, & abrogatis haberi volumus: Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis, dictarum Provinciarum Fratribus, ad quos spectat, ne titulis Jubilatorum sibi aliàs quomodolibet concessis, seu per eos quavis occasione, vel causa obtentis, de cætero uti, seu se illis juvare audeant, vel præsumant: ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, ac privationis Officii pœnis, ipso facto incurrendis, dilectis filiis eorumdem Fratrum Ministro, & Commissario Generalibus respectivè præcipimus, & mandamus, ut statim receptis præsentibus literis, illis pareant, & obediant, deque illis Ministros Provinciales, Vicarios prædictos, & Fratres in numerum Lectorum Jubilatorum relatos certiores faciant; ac Ministri Provinciales Vicarii prædicti, & Lectores Jubilati hujusmodi omnia, & singula in eisdem literis contenta sub eisdem pœnis, ut præfertur, incurrendis adimpleant.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum prædictarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 13. d. 3. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1635. Pontificatus Nostri Anno tertiodecimo.

CCI.

Declaratio quoad facultates transferendi pensiones, aut illarum loco fructus, ac translationes, novasque reservationes pensionum, aut fructuum antea translatorum.

Quoad pensiones obtinendas, seu transferendas, vide indicata ad Constitut. 73. Pii V. Sacrosanctum, sup. tom. 2.

Edita A. D. 1636.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas, multiplicesque Apostolicæ servitutis curas, quibus jugiter premimur, illa

etiam est, ne Ecclesiæ, & Beneficia Ecclesiastica indebitè contra, aut præter mentem Romani Pontificis prægràventur.

Causæ hujus const.

§. 1. Cùm igitur ex translatione pensionum onus illarum prorogetur, seu extendatur de persona ad personam, & sæpè de infirmo ad sanum, & de sene ad juvenem, in non modicum præjudicium Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac illa pro tempore obtinentium; & propterea difficiliùs concedatur facultas transferendi illas pensiones, quæ aliàs translatæ fuerunt.

Declaratio de qua in rubr.

§. 2. Idcircò Ecclesiarum, ac Beneficiorum, & illa obtinentium prædictorum detrimentis, & incommodis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare volentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, omnes, & singulas per Romanos Pontifices Prædecessores, & Successores nostros, ac etiam per Nos ex quacumque causa, etiam onerosa, etiam ratione quorumcumque Officiorum, etiam Motu, & scientia, potestatisque plenitudine similibus, ac consistorialiter, etiam iteratis vicibus, & cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis decretis concessas, & concedendas facultates transferendi quascumque pensiones, seu fructus Ecclesiasticos earum loco pro tempore reservatas, & reservatos, aut mediante earumdem pensionum antiquarum cassatione de novo illas reservandi; necnon pensionum, & fructuum hujusmodi translationes, seu novas reservationes, super quibuscumque Ecclesiis, etiam Cathedralibus, & majoribus, ac Monasteriis, etiam Constorialibus, cæterisque Beneficiis, tàm secularibus, quàm quorumvis Ordinum Regularibus, & Hospitalibus quomodolibet qualificatis, etiam cujuscumque Jurispatronatus, etiam Laicorum, etiam quorumcumque Regum, & Principum, illorumque fructibus, etiam incertis, & distributionibus, etiam quotidianis nunc, & pro tempore factas, & concessas quibuscumque personis, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, etiamsi super facultatibus, translationibus, seu novis reservationibus hujusmodi, lis, seu lites in quocumque gradu, instantia, vel Tribunali pendeant indecisæ, non potuisse, nec posse cuiquam suffragari, quoad pensiones, seu fructus aliàs translatos, nisi in eis consensus, pensiones, aut fructus hujusmodi solvere debentium accesserit; aut quod aliàs pensiones, seu fructus hujusmodi translati, seu de novo reservati fuerint, expressum sit, seu exprimatur; vel clausula, etiamsi pensiones, seu fructus hujusmodi forsan aliàs translatæ, seu translati, vel de novo reservatæ, vel reservati fuerint, apposita sit, vel apponatur.

Exceptio nonnullorum casuum.

§. 3. Non intendimus autem sub præsenti Constitutione comprehendere facultates, translationes, & novas reservationes hujusmodi, pro quarum validitate hactenus lata esset sententia, quæ in rem judicatam transivit, vel pro quarum executione mandatum relaxatum, & executioni demandatum fuerit.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

§. 4. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ generales Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri, ac declarari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, etiam decernimus.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus indultis, privilegiis, & facultatibus, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ regulis etiam individuam mentionem requirentibus, cæterisque contrariis quibuscumque, illorum omnium, & singulorum tenores pro plenè expressis, & insertis habentes.

Dat. P.A.13. die 8. Martii.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Martii 1636. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate D.N. JESU Christi 1636, die verò decima quarta mensis Maji, supradicta Bulla, sive Declaratio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per nos Paulum Bartoccium, & Franciscum de Paulis S. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Bardus Mag. Cursorum.

CCII.

Extensio Const. Greg. XIII. ne Subcollectorum, & Commissariorum crimina possent cognosci nisi à Nunciis, & Collectoribus Apostolicis in Regno Neapolitano, ad excessus, & crimina patrata in aliis Regnis, & Provinciis, etiam expletis eorum Officiis.

Greg. XIII. edidit Sanctionem solum pro Regno Neapolis, quam habes inter ipsius Constitut. 25. Cupientes, tom. 2.

Edita An. D. 1636.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Greg. XIII. in Const. 25. sup to. 2. pag. 205. Sancivit, quòd Subcollectores, & Commissarii Nuncio Apost. in Regno Neap. ejus jurisdictioni subjaceant in causis criminalibus, &c.

ALiàs rec. mem. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster indemnitati Ministrorum Cameræ Apostolicæ, ne ullis molestiis, litibus, vel incommodis fatigarentur, opportunè providere cupiens, quòd omnes, & singulæ causæ tunc motæ, & pro tempore movendæ quorumvis prætensorum excessuum, criminum, & delictorum, per quoscumque Subcollectores, & Commissarios tàm Generales, quàm Particulares, in quibuslibet Provinciis, Civitatibus, & Diœcesibus Regni Neapolitani per tunc, & pro tempore existentem Nuncium Apostolicum, & Collectorem Generalem deputatos, commissorum, à tunc, & pro tempore existente Nuncio Apostolico in eodem Regno commorante solùm, non autem à quibusvis aliis Judicibus, etiam locorum Ordinariis, non modò durante eorum Officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec viverent, audiri, cognosci, & decidi possent, & deberent, statuit, & ordinavit: prædictisque Judicibus, & locorum Ordinariis, ne in illis se se quovis prætextu, seu quæsito colore intromittere quoquomodo ullatenus auderent, vel præsumerent, districtiùs inhibuit; prout in suis literis in simili forma Brevis sub datum die quarta Januarii 1575. Pontificatus sui anno tertio expeditis pleniùs continetur.

Postea fuit dubitatum, an Privilegium prædictum duraret etiam expletis eorum Officiis.

§. 1. Cumque postea, ut accepimus, fuerit à nonnullis pluries dubitatum, an prædictæ literæ Gregorii Prædecessoris prædicti de prætensis excessibus, criminibus, & delictis, durante Officio dumtaxat, an verò etiam de aliis post finitum eorum Officium, ut præmittitur, donec viverent, commissis, intelligi deberent; & desuper diversas resolutiones etiam ad invicem contrarias emanasse afferatur.

Pont. volens huic dubitationi finem imponere.

§. 2. Nos volentes finem huic dubitationi imponere, & attendentes, quòd iidem Subcollectores, & Commissarii in concernentibus servitium, Cameræ, & Sedis Apostolicæ, timidiores, ac negligentiores fierent, si sub prædictorum Judicum & Ordinariorum jurisdictione post finitum eorum Officium se relictum iri timerent, & propterea,

justo

justo metu retraherentur à gerendo, ut debent, eorum officio, dubitantes, ne illo finito, prædicti Judices & locorum Ordinarii in illos, etiam ex causis mendicatis sævirent, quod in non modicum præjudicium Cameræ, & Sedis Apostolicæ redundaret.

eclarat itam finis eorum fficiis hujusmodi rivilegio muniri se osse.

§. 3. Idcircò Motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hàc nostra Constitutione perpetuò valitura, cognitionem, & decisionem causarum, prætensorum excessuum, criminum, & delictorum per prædictos Subcollectores, & Commissarios à Nunciis, & Collectoribus Apostolicis, tàm in Regno Neapolitano, quàm in aliis Provinciis, Regnis, & locis, etiam speciali nota dignis, & ubique terrarum, & locorum, per Nuncios, sive Collectores Apostolicos hactenus deputatos, & pro tempore deputandos, quomodocumque, etiam post finitum Officium, commissorum, ut prætenditur, & patratorum, spectasse, & spectare ad Nuncios, & Collectores Apostolicos pro tempore existentes privativè quoad quoscumque alios Judices, etiam locorum Ordinarios prædictos, declaramus, & quatenus opus foret decernimus, statuimusque, & ordinamus.

Mandat in eorum statutis comminationem apponi, quòd committentes crimina intuitu hujus privilegii ... Judici... us Ordinariis.

§. 4. Ne autem inde major libertas delinquendi, & excessus committendi eisdem Subcollectoribus, & Commissariis nascatur, & ne eorum delicta, si quæ patrata essent, vel patrarentur, in posterùm impunita remaneant; Volumus, quòd Collectores Cameræ Apostolicæ nunc, & pro tempore existentes, inter Statuta per eorum Subcollectores, & Commissarios observanda, tamquam ab ipsis Collectoribus jam edita, etiam impressa, addant comminationem de eosdem Subcollectores, & Commissarios privando hujusmodi privilegio, & illos ordinariæ jurisdictioni submittendo, quatenus post dimissum Officium ab excessibus, & delictis committendis non se abstineant; quodque prædicta statuta in Cancellariis Episcoporum, & aliorum Ordinariorum retineantur, & stent affixa.

Clausulas præservativas superaddit.

§. 5. Decernentes, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, vocati, & auditi non fuerint, aut præmissis non consenserint, seu causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint: aut alia quavis de causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, aperitionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel Justitiæ remedium impetrari, seu de impetrato quemquam uti, seu se juvare in judicio, vel extra nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore.

...a, & non aliter judicari decernit.

§. 6. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac illas quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 2. Julii 1636. Pontificatus Nostri Anno Decimo tertio. Dat. P. A. 13 die 2. Julii.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die verò 12. mensis Septembris, tempore Pontificatus S. D. N. Papæ Divinâ Providentiâ Urbani Octavi, anno ejus 13. supradicta Bulla publicata fuit per Urbem in locis solitis, & consuetis, per me Silverium Pontirolum S. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Jo. Baptista Riccius Mag. Cursorum.

CCIII.

Quod Officium proprium Sanctæ Theresiæ Virginis, aliàs à sacra Rituum Congregatione approbatum, possit recitari in universis Hispaniarum Regnis.

Hujus Sanctæ Canonizationem vide ad Constitut. 23. Greg. XV. Omnipotens sermo, Confirmatio verò præfinitionis factæ circa habitum inter Fratres Discalceatos S. Theresiæ, Fratres primi instituti de Monte Carmelo adest in Constit. 194. Urbani VIII. Inter cæteras.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1636.

§. 1.

Paulus V. edidit constit. de hac materia.

ALias à fel. recor. Paulo Papa V. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. In supremo Apostolatus solio meritis licet insufficientibus divina dispensatione constituti ad ea, per quæ Servorum, & Ancillarum Christi honos, & veneratio in terris promoventur, juxta creditum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium, libenter intendimus, & Christi fidelium, præsertim Catholicorum Regum id exoptantium, votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubiter expedire. Alias siquidem nomine dilectorum filiorum omnium Religiosorum totius Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo nobis exposito, quod bon. mem. Theresia à JESU dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum discalceatorum Fundatrix tam multis, & eximiis virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illustrata fuerat, ut magna idcircò erga ejus nomen, & memoriam Christi fidelium devotio vigeret, & propterea non solum universus Ordo prædictus, sed etiam Charissimus in Christo filius noster, Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac omnium ferè Hispaniarum Regnorum Archiepiscopi, Episcopi, Principes, necnon Communitates, Universitates, & homines nobis iteratis precibus humiliter supplicari fecerant, ut donec Canonizationis honor ab Apost. Sede dictæ Theresiæ deferretur, sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Officium ab omnibus, & singulis dicti Ordinis utriusque sexus Religiosis personis de dicta Theresia, tanquam de una Beata Virgine

agi, & recitari respectivè posset. Nos re prius per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præfectos, quibus eam examinandam mandaveramus, maturè discussa, de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus inclinati ut singulis annis in die depositionis dictæ Beatæ Theresiæ, videlicet die quinta mensis Octobris, in omnibus Monasteriis, & Ecclesiis dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum ab omnibus ejusdem Ordinis Religiosis utriusque sexus Officium, & Missa de Beata Theresia prædicta, tamquam de una Virgine, necnon in Oppido Albæ Salmanticensis Diœcesis in Monasterio, & Ecclesia, in qua corpus dictæ Beatæ asservari asseritur, ab omnibus Presbyteris tam Secularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis in dicta die quinta Octobris tantùm Missa in honorem ejusdem Beatæ Theresiæ pro eorum devotione juxta regulas Breviarii, & Missalis Romani recitari, & celebrari respectivè posset, concessimus, & indulsimus: Et subinde de simili eorumdem Fratrum consilio, ut ex tunc in futurum in omnibus Ecclesiis quarumcumque Civitatum, & Diœcesim Regni Castellæ veteris tantum Missa, & Officium de eadem Beata Theresia in die ejus depositionis prædicta dumtaxat, juxta rubricas Breviarii Romani à quibuscumque utriusque sexus personis Ecclesiasticis, servata alias in omnibus, & per omnia nostrarum super prioris gratiæ, & concessione expeditarum litterarum forma, & tenore, celebrari, & recitari respectivè liberè posset, & valeret, concessimus, & indulsimus: Aliàsque prout in diversis nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Cùm autem sicut nomine dictorum Religiosorum nobis nuper iterum expositum fuit, tam Philippus Rex, quam etiam Ordo prædicti attenta universali devotione erga dictam Beatam Theresiam omnium populorum, non solum Regni Castellæ veteris, sed etiam omnium aliorum Regnorum Hispaniarum, necnon Portugalliæ, & Algarbiorum, concessionem, & indultum prædicta ad universa Hispaniarum necnon Portugalliæ, & Algarbiorum Regna per Nos Apostolica auctoritate extendi summopere desiderent, Nos supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc iterum humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus Hispaniarum, ac etiam Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis dicta dia quinta mensis Octobris ab omnibus utriusque sexus personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus Officium, & à quibuscumque Præsbyteris tam Secularibus, quam cujusvis Ordinis Regularibus, etiam Missa de eadem Beata Theresia, servata alias in omnibus, & per omnia litterarum prædictarum forma, & tenore, celebrari, & recitari libere, & licitè possit, & valeat, Apostolica authoritate tenore Præsentium concedimus, & indulgemus, non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Augusti 1617. Pont. Nostri Anno decimotertio.

§. 2. Cùm autem sicut pro parte dictorum Religiosorum dicti Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo nobis nuper expositum fuit, approbatis per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositos, tribus lectionibus, duobus hymnis, & oratione pro festo Sanctæ Theresiæ prædictæ, aliqui ex iis, qui prædictam habent facultatem dubitaverint, an dictas lectiones, hymnos, & orationem recitare possint, & propterea eisdem Cardinalibus pro parte dictorum Religiosorum supplicato pro habenda desuper opportuna declaratione, iidem Cardinales responderint, tuto posse tam à Secularibus, quàm à Regularibus, qui recitant Officium Sanctæ Theresiæ in die ejus festo recitari cum lectionibus, hymnis, & oratione propriis, approbatis ab eisdem Cardinalibus pro Religione Carmelitarum, prout in decreto, desuper sub die 18. Augusti 1629. emanato pleniùs dicitur contineri.

Confirmat prout in rub.

§. 3. Nobis propterea Religiosi prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut pro firmiori dicti decreti validitate, & subsistentia illud Apostolicæ confirmationis robore communire de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur piis dd. Religiosorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplcationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum prædictum Apostolica authoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, dictisque Religiosis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 13. die 23. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Julii 1636. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

CCVII.

Erectio Montis Communitatum Status Ecclesiastici Tertiæ Erectionis nuncupati.

Edita An. D. 1636.

URBANUS PAPA VIII.

Motuo proprio &c.

Licèt alias felic. recor. Clemens Papa Octavus Prædecessor noster, ut Communitates, & Universitates Status Ecclesiastici ab ære alieno per eas diversimodè contracto, gravioribusquè interusuriis sublevaret, Montem non vacabilem Communitatum Status Ecclesiastici nuncupatum

tum ad rationem scutatorum quinque, & Juliorum duorum monetæ pro quolibet centenario, & anno, in quo postea dictæ Communitates, & Universitates dicti Status pro censibus extinguendis, aliisque earum necessitatibus reparandis admissæ fuerunt, erexerit, & instituerit, deindeque similis memoriæ Paulus Quintus etiam Prædecessor noster pro servitio, & commodo earumdem Communitatum alium Montem non vacabilem Communitatum, & Universitatum Status Ecclesiastici Secundæ Erectionis nuncupatum ad rationem scutatorum quatuor cum dimidio ejusdem monetæ pro quolibet centenario, & anno erexerit pariter, & instituerit, in quo etiam Communitates prædictæ pro diversis summis pro earum necessitatibus participarunt; Nos nihilominus, quia, sicut accepimus, nonnullæ Communitates dicti nostri Satus adhuc non solum remanent debitrices pro diversis summis in primo dicto Monte Communitatum, & aliis Montibus Cameralibus, verum etiam diversis aliis debitis, pro quibus majora interusuria substinent gravatæ reperiuntur, eisdem Communitatibus, & Universitatibus quantum possumus prodesse cupientes alium Montem non vacabilem Communitatum, & Universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici Tertiæ Erectionis nuncupandum ad eandem rationem scutatorum quatuor cum dimidio monetæ pro quolibet centenario, & anno, ex quo omnes Communitates dicti nostri Status non solum pro extinctione Censuum, sed etiam dictorum locorum Montis, Communitatum, & aliorum locorum Montium, & debitorum, pro quibus majora interusuria solvunt, pro eorum extinctione, & redemptione, ac pro aliis pro tempore occurrentibus necessitatibus pecunias in promptu habere valeant, erigere, & instruere deliberamus. Motu igitur simili, ac ex certa scientia, & deliberatione nostris, deque Apostolicæ nobis attributæ potestatis plenitudine, Montem non vacabilem Communitatum, ac Universitatum Status nostri Ecclesiastici Tertiæ Erectionis nuncupandum pretio scutatorum centum monetæ pro quolibet loco redimibilem pro beneficio, & commodo omnium Communitatum, & Universitatum dicti nostri Status Ecclesiastici locorum quatuor millium, & pro ea summa, & quantitate locorum quæ pro censibus, locis Montium, & ære cujusvis generis alieno, legitimè tamen, & debitis cautelis, & solemnitatibus, contracto pro quibus majus interesse scutatorum quatuor cum dimidio pro singulo centenario, & anno quolibet persolvitur, redimendis, & penitus extinguendis sufficiens fuerit, & cujus singulorum locorum pretia scuta centum monetæ, fructus autem annui, quos illius Creditoribus pro rata pecuniarum in eo expositarum singulis annis de bimestri in bimestre in fine proportionabiliter libere, & sine aliquo impedimento hic Romæ solvi volumus annua scutata quatuor cum dimidio pro quolibet loco non excedant, & cum amplissimis privilegiis, facultatibus, libertatibus, indultis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, prærogativis, assignationibus, cautelis, modoque, & forma infra latius dicendis, & exprimendis, sine tamen omnium, & quorumcumque Jurium Cameræ nostræ Apostolicæ aliquo præjudicio, & citra ejusdem Cameræ, suorumque bonorum aliquam obligationem tenore præsentium creamus, erigimus, & instituimus; In quo quidem Monte sic à Nobis erecto, & instituto volumus, & nostra auctoritate decernimus, & ordinamus, omnes, & singulas Communitates, & Universitates dicti Satus nostri Ecclesiastici pro ea rata, & summa, & quantitate Censuum, ac locorum Montium, & quorumcumque debitorum, pro quibus dictis scutatis quatuor cum dimidio pro quolibet centenario, & anno majus interesse, ut supra persolvitur ad effectum æs alienum prædictum extinguendi, etiamsi super eorumdem Censuum, locorum Montium, & debitorum solutione, & extinctione cum Mercatoribus, aut quibusvis aliis personis aliter pactæ fuerint, seu quomodolibet contraxerint, & pro aliis eorum occurrentibus indigentiis de nostra, successorumque nostrorum Romanorum Pontificum licentia, & mandato, & non aliàs participare, contribuere, fructusque ad rationem prædictam, modo, & forma, ac in terminis infra dicendis, persolvere omninò posse, & debere. Et insuper ad tollendas difficultates, quæ in his possint suboriri, & tam Communitatum, quam Montistarum indemnitati, ac potiori securitati consulendum. Volumus pariter, & ordinamus, quod Censuum prædictorum Creditores, prævia indicta, intimatione per duos menses antea juxta Bullam felicis recordationis Pii Quinti Prædecessoris nostri super forma creandi census, ac ipsorum Censuum Instrumentorum formam, & dispositionem facienda sortes principales dictorum Censuum, una cum fructibus tunc decursis, & non solutis recipere, ac de illis quittantiam facere, & eorum jura, & actiones quæcumque translativè, & non extinctivè, ac talia qualia habent contra easdem Communitates, & Universitates, & quoscumque alios eis quomodolibet occasione dictorum Censuum obligatos ad favorem dicti Montis, illiusque Emptoris, & Emptorum, & futurorum Creditorum, ac Montistarum ad majorem eorum cautelam cedere teneantur: Alioquin si statuto termino notificationis, & intimationis prædictæ, ut præfertur, faciendæ, pecunias supradictas recipere recusaverint, aut alias quomodolibet distulerint, seu neglexerint tunc pecuniæ prædictæ à die lapsi termini in depositum stare intelligantur, & stent eorumdem Creditorum risico, periculo, fortuna, sumptibus, & expensis, fructusque ulterius non currant, & quittantiæ, & cessiones prædictæ habeantur pro factis, dictaque jura, & actiones, ut supra cessa, & translata esse censeantur, & nihilominus quandocumque postea illa receperint, quietantias, & cessiones prædictas ad majorem cautelam, ut supra, facere teneantur, ita tamen, quod jura prædicta pro Cedularum Bancariarum, seù fidejussorum renovatione, vel præstationes, ad quam, seù quas Communitates, seù Universitates prædictæ se obligarunt, minusque pro fructibus ultra rationem prædictam pro quolibet centenario & anno exigendis ullatenus experiri, aut alias exercere non possint. Cæterum, ut etiam Mons sic à Nobis, ut præmittitur erectus, & institutus suas habeat debitas cautelas, & assignationes, & illius Creditoribus, & Montistis in fine cujuslibet bimestris debito tempore hic Romæ fructuum solutio fiat, volumus atque statuimus, quòd Communitates, & Universitates prædictæ tantam partem fructuum unamquamque ipsarum tangere pro illis locis, & portionibus, pro quibus ratione, & causa Censuum locorum Montium, & debitorum prædictorum in eodem Monte erunt participes factæ, ut supra contribuant integram, & sine ulla diminutione, & ab omnibus, & singulis oneribus, impositionibus, contributionibus, collationibus, tributis, subsidiis, & collectis ex quavis causa etiam urgenti, & urgentissima etiam Sedis, & Cameræ Apostolicæ, aut etiam Communitatum, & Universitatum prædictarum necessitate etiam publica, & pro fide orthodoxa tuenda, & quavis alia quantumvis necessaria, cogitata, & incogitata causa, hactenus etiam per quosvis Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & Nos impositis, & per Nos, seu Successores nostros forsitan imponendis quibuscumque liberam, immunem, & exemptam, una cum Portu ad hanc Almam Urbem quotannis in perpetuum durante

hujuſmodi Monte, & proportionabiliter, & pro rata videlicet de quadrimeſtri in quadrimeſtre anticipatis ſolutionibus in manibus, ſeù Banco Depoſitarii hujus Montis, vel Theſaurarii illius Provinciæ, cui una quoque Communitas, & Univerſitas ſubjecta eſt, vel erit. Qui quidem Provinciæ Theſaurarius, & Theſaurarii volumus atque decernimus, quod ad inſtar onerum Cameralium facultatem habeant exigendi dd. fructus, quodque illos de bimeſtri in bimeſtre in fine cujuſlibet bimeſtris proportionabiliter, & pro rata liberè, & integrè, ſive exegerint, ſive non, perſolvere teneantur Depoſitario hujus Montis in Urbe ut infra conſtituendo, modis, formis, obligationibus, & cautelis in ſolutionibus onerum Cameralium ipſi Cameræ faciendis fieri, ſervari, & adhiberi ſolitis, & ad hoc etiam in forma Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ſe ſe obligare teneantur. Communitates verò, & Univerſitates in manibus prædictorum Theſaurariorum, ſeù aliorum Exactorum perſolvere, & exburſare, ac tam pro hujuſmodi ſolutionibus, ut ſupra faciendis, quam omni, & quacumque evictione, & defenſione generali, & particulari illorum locorum omnium, pro quibus in hoc Monte erunt, ut ſupra participes, per ſuos certos Procuratores in publico, & Generali Conſilio ad id deputatos, & approbatos, promittere, præſenteſque noſtras litteras ratificare, ac ſeſe, & eorum bona, introitus, & Jura quæcumque etiam in ampliori ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ forma, & ſuo juramento obligare, ſeu ratificationum, promiſſionum, & obligationum prædictarum hujuſmodi publica, & authentica Inſtrumenta in eiſdem actis exhibere teneantur. Nos enim earum ratificationes, & obligationes, & inſuper confecta Inſtrumenta hujuſmodi ex nunc, prout ex tunc, approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus ſi qui intervenerint in eiſdem ſupplemus; Ac eaſdem Communitates, & Univerſitates omnes, & ſingulas ſupradictas, quæ ut ſupra, in hoc Monte admiſſæ fuerint, ac ratificabunt, & obligabunt eorum bona, introitus, & jura quæcumque præſentia, & futura ubilibet exiſtentia pro omnibus, & ſingulis præmiſſis, ut præmiſſorum quomodolibet etiam in forma Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ampliori, & pleniori generaliterque, & ſpecialiter, & expreſsè obligamus, & hypothecamus, & obligata, & hypothecata eſſe volumus, & declaramus, annuamque ſummam pro fructibus illorum locorum, pro quibus in dicto Monte erunt, ut ſupra, participes, modo, & forma, ac terminis, & locis quibus ſupra perſolvendis neceſſariam illam ſic ut ſupra, integram, liberamque, immunem, & exemptam, ex quibuſcumque eorum introitibus, redditibus, & proventibus ordinariis, & extraordinariis, certis, & incertis, diſmembrantes, & ſeparantes eidem Monti, ejuſque Collegio, & futuris Creditoribus, & Montiſtis prædictis perpetuò aſſignamus, applicamus, & appropriamus, & quoad illam, illiuſque liberam perceptionem, exactionem & conſignationem, in omne jus, locum, & privilegium earumdem Communitatum, & Univerſitatum ponimus, ſubſtituimus, & ſubrogamus. Deficientibus autem Communitatibus, & Univerſitatibus ſupradictis in ſolutionibus de quadrimeſtri in quadrimeſtre, ut ſupra, faciendis, poſſint Theſaurarii, & eorum Exactores contra eos procedere cum eiſdem privilegiis, facultatibus, & prærogativis, quibus in exactionibus Cameralibus fieri, & procedi ſolet; Theſaurarii tamen prædicti cùm ad exactionem rigoroſam procedi contigerit, illam cum exactione onerum Cameralium ſine augmento impenſæ facere debeant, Communitates, & Univerſitates verò prædictæ facta per eas in manibus Theſaurarii, & Exactorum, ut ſupra, ab eis deputatorum fructuum ſolutione pro fructibus ſic ab eis ſolutis, ulterius, nec etiam à Montiſtis moleſtentur, nec moleſtari poſſint. Et inſuper volentes Montem prædictum ſpecialibus privilegiis, & gratiis decorare, Motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus perpetuò ſtatuimus, decernimus, ordinamus, & declaramus, quod hujus Montis loca ad inſtar aliorum Montium non vacabilium Romanæ Curiæ reſignabilia ſint, & non vacent. Et quicumque etiam Laici utriuſque ſexus, ac Presbyteri, & alii Clerici, necnon Eccleſiarum, aut alii quicumque Prælati, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac cæteri cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis Sæculares, & quorumcumque Ordinum, etiam in Communi Mendicantium, ac Militiarum, vel Hoſpitalium Regulares, & aliæ quæcumque perſonæ cujuſvis ætatis, etiam minores, & pupilli, ac etiam ſpurii, illegitimi, aut alis, quolibet, inhabiles, & incapaces, necnon Communia, Univerſitates, Eccleſiæ, Capitula, Collegia, Congregationes, Conventus, Societates, Hoſpitalia, Capellæ, & alia quævis tam Profana, quam pia, & Religioſa loca, tam intus, quam extra ditionem noſtram temporalem, & etiam in qualibet Mundi parte nunc, & pro tempore exiſtentes (Infidelibus tamen ſemper exceptis) nihilominus in Monte hujuſmodi Communitatum, & Univerſitatis Tertiæ Erectionis nuncupando, quaſcumque pecuniarum ſummas, & quantitates ſemel, & pluries, ac quoties eis viſum fuerit ponere, & erogare, ac pro ſingulis locis, & portionibus prædictis annua ſcutata quatuor cum dimidio monetæ ſimilis in fine cujuſlibet bimeſtris illorum rata ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo, ſeu ſortis principalis reſtitutione, aut quovis alio reſtitutionis onere, ac omni prorſus impedimento ceſſante, percipere, conſequi, & in eorum uſum, & utilitatem convertere liberè, & licitè poſſint. Qui etiam loca prædicta quocumque modo obtinentes, ſi illa in alios cedere, & transferre, ac etiam qui loca hujuſmodi aliis acquirere voluerint, tales in hujuſmodi ceſſionibus, translationibus, vel acquiſitionibus ſibi ipſis, vel aliis etiam quoad vixerint, omnimodam dictorum locorum ſic ceſſorum, vel acquiſitorum, adminiſtrationem, eorumque fructuum, & emolumentorum perceptionem, necnon plenam liberam, & abſolutam poteſtatem illa quæcumque voluerit, nulla etiam ſubſiſtente cauſa, ad ſe recipiendi, & revocandi, ſeu alii, vel aliis vendendi, alienandi, donandi, relinquendi, obligandi, & pignorandi ſuper eis paciſcendi, & contrahendi, & prorſus omnem aliam ipſorum diſpoſitionem Jus, & facultatem, nullo obtinentium conſenſu deſuper requiſito, aut alia ſolemnitate ſervata, ac etiam cum prohibitione hujuſmodi adminiſtrationis fructuum perceptionis, ceſſionis, venditionis, obligationis, fidejuſſionis per ipſos obtinentes faciendæ, necnon decreto irritanti adjecto his quæ ſecus facta fuerint ab eiſdem reſervare, & obtinere, liberè, & licitè valeant, Montemque ipſum, illiuſque loca, & portiones etiam reſpectu fructuum, & emolumentorum ad rationem prædictam illi aſſignatorum, nullis omninò reductionibus, diminutionibus, aut menſium, ſeù menſatarum quarumcumque retentionibus, & quibuſvis aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam prætextu urgentis neceſſitatis, ſeù etiam videntis utilitatis, tam Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, quàm ipſarum Communitatum, & Univerſitatum prædictarum, & pro Eccleſiaſticæ ditionis, & Catholicæ fidei defenſione, vel ex quavis alia cogitata, vel incogitata cauſa etiam neceſſario exprimenda ſubjecta, vel quomodolibet obnoxia fore, vel eſſe, ſed firma, & valida ſemper perſiſtere, & ab illis fore, & eſſe ſemper excepta, nec quemcumque ex ipſius Montis futuris Creditoribus, illorumque hæredes, & ſuc-

ceſſores

cessores quoscumque, seu causam, & jus ab eis quomodolibet habentes, & habituros super locis, & portionibus, ac illorum integris fructibus, & emolumentis prædictis quoquo modo contra præsentium formam turbari, vel impediri, nec eos ad pecunias in ipso Monte positas, & erogatas, aut illorum partem aliquam in solutionem, & extinctionem Censuum, & debitorum prædictorum, aut aliam quamvis earumdem Communitatum, & Universitatum necessitatem, causam, vel utilitatem conversas fuisse, esse, aut aliqua alia etiam necessaria, & requisita in judicio, vel extra probandi, deducendum, seu quomodolibet verificandum, ullo unquam tempore teneri, nec probationem contrariam in his obesse, ac pro præmissis omnibus, & singulis, ac quacumque evictione, & defensione generali, & particulari dicti Montis, & illius locorum, & portionum quorumcumque Communitates, & Universitates prædictas, & earum, & cujusque ipsarum bona mobilia, stabilia, & se moventia, introitus, effectus, & proventus, ac res, actiones, & jura quæcumque præsentia, & futura, ubique locorum existentia generaliter, specialiter, & expressè, ità tamen, quòd specialitas generalitati non deroget, nec è contra, in ampliori ejusdem Cameræ Apostolicæ forma teneri obligata, & hypothecata fore, & esse, prout obligamus, hypothecamus, præsentesque vim validi, ac solemniter, & legitime initi, & stipulati contractus, & utrinque jurati inter dictas Communitates, & Universitates, ex una, & ejusdem Montis Emptores, & futuros Creditores, illorumque hæredes, & successores quoscumque habere, & obtinere, pariter statuimus, decernimus, & ordinamus. Volumus etiam, quòd dictus Mons, ut supra, à Nobis erectus, & institutus, extingui non possit, nisi cæteris aliis earumdem Communitatum debitis extinguibilibus, tàm hucusque contractis quàm contrahendis in futurum quibuscumque, pro quibus majus, vel æquale interesse dictorum scutatorum quatuor dimidio pro quolibet centenario, & anno persolvunt, ac etiam dicto Monte Communitatum Secundæ erectionis per felicis recordationis Paulum Quintum, ut præmittitur, erecto, penitùs extinctis, itaut Mons hic Tertiæ Erectionis post cætera debita hucusque contracta extingui possit, & non anteà. In casu verò extinctionis Montis prædicti Communitates, & Universitates prædictæ non ultra scutatos centum monetæ pro quolibet loco, restituere, Creditores verò, & Montistæ ità recipere teneantur. Extinctio autem Montis, & locorum illius quando fieri contigerit, tunc pretium, seù pecuniæ ad hunc effectum destinatæ in Banco Depositarii Generalis Communitatum Status nostri Ecclesiastici deponantur, prout hactenus fieri consuevit. Et ut præmissa omnia & singula facilius, & rectiùs gerantur, & exequutioni dentur, Dilectum filium Magistrum Petrum Donatum Cæsium Thesaurarium nostrum Generalem, aliosque pro tempore existentes Thesaurarios Generales dicti Montis Protectores eligimus, & deputamus cum potestate litteras patentes sub eorum nominibus, & sigillis expediendi, & concedendi, necnon omnes, & quascumque causas super dicto Monte illiusque causa, & occasione, & ab eo quomodolibet dependendas, & movendas privativè quoad omnes alios Judices cognoscendi, & terminandi; ac omnia alia quæ ad ejusdem Montis utilitatem, providamque directionem pertinere cognoverit peragendi cum facultate etiam Secretarium, & Ratiocinatorem, seu Computistam d. Montis cum emolumentis per Secretarium & Computistam Montis Communitatum Secundæ Erectionis exigi solitis ad eorum vitam, & donec vixerint, & prout ipsis meliùs placuerit, & videbitur eligendi, & deputandi Depositarium verò dicti Montis dilectum filium Joannem Franciscum Sacchettum donec vixerit, ejus vita durante, qui tamen de solvendo Montistis dicti Montis debitis terminis, & temporibus fructus locorum, qui obtinebunt exactis, vel non exactis assignationibus, & quocumque impedimento cessante, & non obstante se obligare teneatur, & debeat eligimus, & deputamus.

§. 2. Decernentes præsentes litteras ad omnia, & singula necessaria, & requisita legitime sufficientes, tàm in judicio, quam extrà plenè probanda, verificandi, nec alterius probationis adminiculum requiri, easdemque præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu etiam ex eo, quòd Communitates, & Universitates prædictæ, aut alii quicumque in præmissis jus, & interesse forsan habentes, seu habere prætendentes vocati, seu auditi, aut quòd ipsæ litteræ in eadem Camera Apostolica admissæ, & in ejus liberis registratæ minimè fuerint, vel ex alia quavis causa, quantumvis legitima urgenti, & juridica etiam necessariò exprimenda notari impugnari, invalidari ad terminos juris reduci in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam intentari posse, vel debere, minusque sub similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus, limitationibus, reductionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa emanabunt toties in pristinum, & eum in quo erant statum restitutas, repositas, & plenariè etiam sub quacumque posteriori data reintegratas, ac de novo concessas, ac semper majorem vim, robur, & efficaciam habere, & obtinere, ac si de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, & in nostro Consistorio secreto editæ factæ, & emanatæ fuissent. Clausulas præservativas superaddit.

§. 3. Sicque, & non aliter per Camerarium, necnon Vicecamerarium, ac ejusdem Cameræ Thesaurarium, & Clericos Præsidentes & quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum Palatii Apostolici, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Sic judicari vult.

§. 3. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra regula de non tollendo Jure quæsito, necnon etiam super bono regimine redditum Communitatum, & Universitatum prædictarum, ac Pii Quarti nostri Prædecessoris de registrandis, & quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiam de bonis earumdem Communitatum, & Universitatum non alienandis, nec obligandis, aut quòd in illorum alienationibus, & obligationibus, certæ solemnitates servandæ sint. Necnon earumdem Communitatum, & Universitatum statutis, ordinationibus, reformationibus, necnon Instrumentis, seu scripturis quibuscumque inter prædictas Communitates, & Universitates ex una, & quosvis Mercatores, seù alias personas quascumque ex parte altera super extinctione debitorum dictarum Communitatum, seu Universitatum quomodolibet factis, vel initis exequutioni demandari cæptis etiam obligatione Camerali, seu Quarantigia, aut alia etiam strictiori forma vallatis, necnon juramento, & quavis alia cautela roboratis, atque firmatis, privilegiis quoque indultis, concessionibus, facultatibus etiam pluries aut etiam auctorit. Apost. concessis, factis, innovatis confirmatis, & approbatis, necnon stylis, usibus, regulis, consuetudinibus, cæterisque contrariis qui- Contrariis derogat.

buscumque. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, expressa, & individua mentio habenda esset illorum tenores hic pro expressis, & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis habentes hac vice dumtaxat illis alias in suo robore permansuris, derogamus, tollimus, & abrogamus.

Cameram Apost. ab obligatione reservat.

§. 5. Volumus autem, & nostra auctoritate decernimus, & declaramus, quod præmissa omnia, & singula intelligantur, & sint facta, & concessa sine omnium, & quorumcumque Jurium Cameræ nostræ Apostolicæ aliquo præjudicio, & citra aliquam ejusdem Cameræ, bonorumque suorum obligationem, itaut juribus Cameræ nequaquam præjudicetur, neque de suo in aliquo propria ipsa Camera teneatur, vel obligetur.

Signatura sufficit.

§. 6. Quodque præsentis nostri Motus proprii cedulæ sola signatura sufficiat absque eo, quòd daretur, vel registretur regula quacumque, & aliis contrariis non obstantibus.

Exemplis stare jubet.

§. 7. Quodque ejusdem Cedulæ transumptis, etiam impressis, & per unum ex dictæ Cameræ Notariis subscriptis, & ejusdem Thesaurarii sigillo signatis stetur, & credatur, illaque plenam fidem faciat, tàm in judicio, quam extra, ac si ipsa cedula foret exhibita, vel ostensa.

Subscriptio Papæ.

Placet Motu proprio M.

CCV.

Quòd nullus Fratrum Ordinis Prædicatorum per se, vel per alium negotium aliquod tractare audeat in Romana Curia, inconsulto Procuratore generali dicti Ordinis.

Vide quæ de his Fratribus indicavi tibi sup. ad Constit. 57. Cum sicut. & ad Constit. 191. & 187. Injunctum nobis &c.

Edita A. D. 1635.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus const. referuntur, & decretum desuper emanatum.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Galassinus Ord. Prædicatorum Procurator Generalis, quòd licet per decreta Capitulorum generalium d. Ordinis prohibeatur ejusdem Ord. Professoribus sub certis inibi expressis pœnis, ne per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam prætextu procurationis, vel commissionis sibi datæ à propria Provincia vel domo Regulari, negocium aliquod, cujuscumque illud generis sit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per pro tempore existentem d. Ord. Procuratorem Gener. vel de ejus scitu, & expressa in scriptis licentia, & aliàs prout in dictis decretis latius continetur, tenoris subsequentis videlicet. Ex actibus Capituli Generalis Romæ 1612. Admonemus omnes, ac singulos nostri Ordinis Patres ac Fratres, cujuscumque gradus, status & conditionis existant, eisdemque justis de causis, & ad tollenda, evitandaque incommoda multa quæ in dies oriri cognoscimus, in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto, necnon sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, hac una, pro trina Canonica monitione præmissa, à qua nonnisi per Magistrum Ordinis, vel ejus Vicarium Generalem, præterquam in mortis articulo possint absolvi, & si Prælati fuerint, sub pœna etiam remotionis à suis Officiis ipso facto incurrenda præcipimus & mandamus, ne in Romana Curia, negotium aliquod, cujuscumque illud generis sit, per se, vel per alium, pro se, vel pro alio, etiam prætextu procurationis, vel commissionis sibi datæ à propria Provincia, vel Conventu quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, nisi per prædictum Admodum Rev. Patrem Procuratorem Ordinis, vel de ejus scitu, & expressa licentia in scriptis; Revocantes præsentium tenore omnes facultates, hactenus in contrarium datas, & si quas in posterum his contrariis dari contingat. Ex actibus Capituli Generali Bononiæ 1615. Confirmamus & renovamus ordinationem Romæ factam 1612. & sub pœnis in eodem Capitulo taxatis, præcipimus omnibus & singulis nostri Ord. Patribus ac Fratribus, ut nemo sive per se, sive per alium, sive Secularis, sive nostri Ordinis Frater fuerit, & cujuscumque gradus, & conditionis existat in Curia Romana, quicquam sine scitu Rev. Admodum P. Procuratoris Ordinis tractare, vel procurare audeat.

Confirmat prout in rubrica.

§. 2. Nihilominus cum experientia compertum sit, quòd aut sub prætextu ignorantiæ dd. decretorum, aut quod illa non sint in usu, parum, aut nihil observantur in grave d. Ordinis præjudicium, necnon Officii Procuratoris Generalis illius contemptum; Idcircò ne provisio observantiæ Regularis adeò salutaris, & Ordini prædicto proficua, in desuetudinem abeat, prædictus Franciscus Procurator Generalis, Nobis humiliter supplicari fecit, ut decreta hujusmodi, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communire de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur d. Franciscum Procuratorem Generalem, specialibus, favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes, illa, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus & singulis d. Ordinis Fratribus inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis, auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 13. die 3. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Decemb. 1635. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

CCVI.

Quòd Fratres Oruinis Eremitarum S. Augustini, Discalceatorum nuncupat. possint erigere Crucem in publicis Processionibus.

De modo regendi & gubernandi Provincias horum Fratrum vide Constit. 97. Alias pro &c.

Edita A. D. 1636.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ hujus const. referuntur ac decretum desuper emanatum.

CUm sicut dilectus filius modernus Vicarius Generalius Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustinini Discalceatorum nuncupatorum

Congre-

Congregationis Italiæ nobis nuper exponi fecit, aliàs postquam ipse Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacris Ritibus præpositis, exposuisset, prædictos Fratres Discalceatos incedere in Processionibus publicis sub Cruce Fratrum Eremitarum ejusdem Sancti Augustini, petiissetque Fratribus Discalceatis hujusmodi concedi licentiam erigendi propriam Crucem, & sub ea in Processionibus incedendi, iidem Venerabiles Fratres licentiam prædictam Fratribus Discalceatis hujusmodi sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito concesserint, dummodo digniorem locum omnibus aliis Regularibus, qui hactenus Crucem erexerunt, concederent, prout in Decreto desuper emanato plenius dicitur contineri, cupiatque propterea d. Vicarius Generalis præmissa omnia pro illorum validitate, & subsistentia firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri.

Confirmat prout in rub.

§. 1. Nos d. Vicarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, ac omnia & singula in eo contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes, illa necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis hujusmodi in omnibus, & per omnia suffragari debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 14 die 1. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris 1635. Pontificatus Nostri Anno 14.

CCVII.

Quòd de cetero nullus Fratrum de Observantia in Guardianum, aut Magistrum Novitiorum in Conventibus Recollectorum Provinciæ Granatensis deputari possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit.

Ne jam judicate otiose repetam, te remitto ad ea, quæ supra notavi in Clementis VII. Constit. 35. In suprema tom. 1.

Edita A. D. 1636.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

Cum sicut accepimus dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis in Regnis Hispaniarum, dum à Provincialibus non recollectis, sed de Observantia dumtaxat gubernantur, diversa inconvenientia, sive incommoda experti sint, quoniam Provinciales prædicti Conventibus Recollectorum Guardianos præficiunt similiter de Observantia, qui rigorosæ exactæque regularis disciplinæ observantiæ, sub cujus regulis ipsi Recollecti vivunt, minus assueti, modorumque, & ceremoniarum eorumdem Recollectorum nescii, multis relaxationibus, abusibusque ansam præbent, non sine regulæ, & normæ vivendi arctioris eorumdem Recollectorum præjudicio; præterea iidem Fratres de Observantia Ordinis sui Professores, ad eosdem Fratres Recollectos facile mittere consueverint, qui quidem Fratres de Observantia ad eosdem Recollectos, ut præfertur, missi ad pristinum eorum vitæ institutum sæpe sæpius redire volunt, non sine scandalo, & eorumdem Recollectorum perturbatione.

Concedit prout in rubr.

§. 1. Nos felici eorumdem Recollectorum regimini, & gubernio, eorumque quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & ordinamus; Quod de cetero nullus in Guardianum, Definitorem, nec Magistrum Novitiorum in Conventibus eorumdem Fratrum Recollectorum deputari, eligi seu alias assumi, aut constitui possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit, & inter eosdem Recollectos per sexennium ad minus vixerit juxta eorumdem Recollectorum constitutiones, quas in hac parte ex certa scientia nostra, quo autem ad reliqua illorum capitula, dummodo sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibusque eorumdem Recollectorum institutis non adversentur, approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmat statuta Recollectorum.

Transitus ad Recollectos.

§. 2. Insuper quod etiam de cetero Fratres de Observantia prædicti ad Recollectos hujusmodi transire non possint, absque eorumdem Recollectorum consensu, seu majoris partis ejus Conventus, ad quem transire quilibet voluerit, quodque ii ex Observantibus prædictis, qui ultra tres vices transitum hujusmodi fecerint, inter eosdem Recollectos amplius admitti nullo modo valeant, Apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium pariter statuimus, & ordinamus.

Mandat puniri transgressores.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, sub privationis officiorum, ac excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis ipso facto incurrendis, ne constitutiones, ordinationes, & statuta eorumdem Fratrum Recollectorum quovis prætextu alterare, mutare, seu abrogare audeant, vel præsumant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his

per his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apost. in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 14 die 25. Oct.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 25. Octobr. 1636. Pontificatus Nostri Anno 14.

CCVIII.

De Electione, ac Confirmatione Ministri Generalis Fratrum Reformatorum Discalceatorum Congregationis Hispaniarum, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Circa vacationem non expleto sexennio Ministri Generalis horum Fratrum Constitutionem edidit hic S. D. N. Urbanus VIII. quam habes hic supr. num. 175. Injuncti. Alia verò indicavi ad ejusdem Constitut. 108. Cùm sicut.

Edita A. D. 1636.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Refert Pont. aliàs concessisse his Fratribus facultatem eligendi unum Ministrum Generalem à superioritate Generalis I. F. Calceat. exemptũ, qui à Romano Pont. confirmationem obtinuit. Hanc S. D. N. Urbani VIII. const. non posui, quia coincidit in plurimis cum const. Innoc. III. not. in rubr.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes de Annunciatione, Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniarum, Procurator Generalis, quòd aliàs, postquàm Nos per nostras sub plumbo de anno 1631. expeditas literas incipientes: Salutaribus Apostoli monitis: Fratribus Discalceatis hujusmodi, facultatem eligendi ex ipsis Fratribus Discalceatis in suo Generali Capitulo unum Ministrum Generalem, juxta formam in dictis literis præscriptam, à superioritate Ministri Generalis Fratrum ejusdem Ordin. Calceatorum penitus, & omninò exemptum concessimus; ipse Minister Generalis Congregationis hujusmodi in dicto Capitulo noviter electus confirmationem suæ canonicæ electionis à Nobis, tamquam Prælati à Summo Pontifice immediatè dependentis obtinuit. Sed ne imposterum dicta Congregatio, in illius regimine interim, dum literæ confirmationis sui Ministri Generalis à Sede Apostolica impetrantur, detrimentum aliquod patiatur; Nobis propterea dictus Joannes Procurator Generalis hujusmodi humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nunc concedit ut electio canonicè facta in Capitulo Generali Minist. Generalis. etiam confirmatione non indigeat, sed statim sit ac cæteri Generales aliorum Ordinum.

§. 2. Nos igitur prospero, felicique d. Congregationis regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Joannem Procuratorem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, consilio: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, Capitulum Generale Fratrum Discalceatorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi, pro illius Ministri Generalis electione facienda legitimè congregatum, electionem Ministri Generalis hujusmodi in dicto Capitulo Generali factam juxta formam in dictis literis præscriptam confirmare liberè, & licitè possit, & valeat; ita quòd Minister Generalis hujusmodi noviter electus, & à Capitulo General confirmatus, nulla alia confirmatione unquam indigeat; sed statim possit exercere Officium Ministri Generalis totius Congregationis Fratrum Discalceatorum hujusmodi, cum ipsismet auctoritate, facultatibus, & præeminentiis, aliis Superioribus Generalibus aliorum Ordinum ex privilegio Apostolico, vel aliàs quomodolibet competentibus, & concessis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Clausulas præservativas addit.

§. 3. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari debere: ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 14. die 3. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Decemb. 1636. Pontificatus Nostri Anno 14.

CCIX.

Quòd in Provinciis Sancti Bernardini, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Gallia Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum seu Recollectorum nuncupat. nullus omnino gaudeat privilegiis Patrum Provinciæ.

Similem Constitut. fecit Gregor. XV. pro toto Ordine S. Francisci, quæ est num. 21. Militantis Ecclesiæ.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

INter gravissimas, multiplicesque Apostolicæ servitutis curas in eam peculiari solicitudine incumbimus, ut Religiosi viri, qui obliti populum suum, & domum patris sui divini numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis, & sanctitate, & Justitia coram ipso.

Mandat prout in rubrica.

§. 1. Hinc est, quòd nos Felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum seu Recollectorum nuncupatorum Provinciarum Sancti Bernardini,

&

& S. Mariæ Magdalenæ in Gallia, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; motu proprio, & ex certa scientia nostra, harum serie, sub excommunicationis ac privationis omnium actuum legitimorum pœnis, prohibemus ne ullus omnino in præfatis Provinciis gaudeat privilegiis Patrum Provinciæ; mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ut absolutè tales Patres Provinciæ sublati sint non obstante quacumque constitutione vel concessione Provinciali aut alia quavis, exceptis tamen his qui fuerunt aut erunt in posterum Patres Ordinis vel Definitores Generales.

Executores deputat, & transgressores puniri mandat.

§. 2. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Albiensi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum fuerit requisitus, solemniter publicans, eisdem in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra eosdem Fratres præsentium literarum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate fungente quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, Invocato etiam adhoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; Decernentes præsentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiter observari debere, irritumque, & inane, quicquid secus super his, à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac quibusvis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie, & alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, Illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 3. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 14. die 18. Febr.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Februarii 1637. Pontificatus Nostri Anno 14.

CCX.

Exemptio Fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniarum à Jurisdictione, obedientia, & superioritate Ministri Generalis Fratrum Calceatorum Ordinis præfati.

Lege de hac Congregatione indicata à me supra in Constit. 105. Cùm sicut.

Edita An. D. 1636.

URBANUS EPISCOPUS,
Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo regimen Universalis Ecclesiæ Nobis à Domino commissum, meritis licèt imparibus, suscepimus, primas esse Officii nostri partes semper reputavimus, si pro multiplicibus ministeriis, quæ in Ecclesia Militanti ab illius fidelibus sedulò convenit exerceri, singulos operarios susceptis oneribus insistentes, opportunis confoveremus præsidiis, & auxiliis Proindeque curæ Nobis semper fuit viros Religiosos, eosque præcipuè, qui remoti à turbis, divinæ vacantes contemplationi, in altum primævi Instituti montem juxtà normam à Sede Apostolica peculiariter illis præscriptam: Et non solum privatæ, sed publicæ animarum saluti invigilantes, dura servitute apud Barbaros detentorum libertati, & spiritualibus periculis fructuosè insudant, & consulunt, pro Pastoralis Officii nostri sollicitudine firmissimis munire præsidiis. Quod ut pleniùs Nobis eveniat, illos pleni sui juris efficimus, ac ab omnimoda subordinatione, & subjectione libenter emancipamus, atque etiam sub inviolabili Sedis Apostolicæ protectione, paterna benevolentia recipimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Innocen III. approbavit Ordinem Fratrum SS. Trinitatis Redemtionis Captivorum.

§. 1. Cùm pridem felicis recordationis Innocentius Papa Tertius Prædecessor noster, Ordinem Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum sub propria regula, nutu divino Sanctis Patriarchis Joanni, & Felici illius Fundatoribus tradita, & ab eodem Prædecessore confirmata, instituisset.

Clem. VIII. instituit Congregationem Fratrum Reformatorum hujus Ord. in Const. 62. t. 3. & eam non exemit à Superioritate Ministri General. totius Ord.

§. 2. Postmodum verò, vel temporum injuria, aut fervore remisso, vel certè hominum tepiditate, antiqua inolevisset observantia, laxiori modo vivendi paulatim invalescente: piæ memoriæ Clemens Papa Octavus, etiam Prædecessor noster, Motu suo proprio in Regnis Hispaniarum unam Provinciam, seu Congregationem Fratrum Reformatorum, & Discalceatorum ejusdem Ordinis, in qua primitiva Regula cum antiquo, & pristino illo rigore in spiritus fervore observaretur, & quæ per unum Ministrum Provincialem ex eisdem Discalceatis eligendum, regeretur, erexerit, & instituerit: Ipsamque Congregationem, ac Provinciam Discalceatorum hujusmodi ab aliis Provinciis prædicti Ordinis Fratrum Calceatorum, seu modificatæ Regulæ, perpetuò sejunxerit, separaverit, & dismembraverit: ipsosque Fratres Reformatos, & eorum Monasteria tàm erecta, quàm imposterum erigenda, ab omni, & quacunque jurisdictione, visitatione, & superioritate tàm Commissarii Generalis, quàm aliorum Ministrorum Provincialium, & aliorum quorumcumque Superiorum Calceatorum, seu modificatæ Regulæ ejusdem Ordinis (excepto Ministro Generali totius Ordinis præfati, sub cujus obedientia, & superioritate Provincia ipsa, illiusque Domus, & Monasteria præsentia, & futura, semper manerent, perpetuò exemerit, & liberaverit.

Paul. V. Congregationem Reformatorum in duas Provincias divisit in cōst. 50

§. 3. Et postmodum recolendæ memoriæ Paulus Papa Quintus, similiter Prædecessor noster, considerans, ipsam Congregationem Fratrum Discalceatorum, non mediocriter, benedicente, Domino,

to.3. cum facultate eligendi ex ipsis unum Vicarium Gener. ad sex annos duraturum, ut in const. seq. ad const. 59.

Domino, in diversis dictorum Regnorum partibus jam tunc esse propagatam cum bonæ famæ odore, necnon spiritualium operum incremento, eique, plurima illius Monasteria, per unum Ministrum Provincialem commodè regi, & gubernari non posse, innotescens, etiam Motu suo proprio ex omnibus Monasteriis, & Regularibus Domibus dictæ Congregationis, duas Provincias separatas, quarum quælibet per unum Ministrum Provincialem, ex prædictis Fratribus Discalceatis eligendum, gubernaretur, instituerit. Et deinde idem Paulus Prædecessor facultatem concesserit, eligendi ex ipsis Discalceatis unum Prælatum, Vicarium Generalem nuncupandum, cujus Officium & potestas per sex annos duraret: quique Congregationis prædictæ, illiusque Provinciarum, & Ministrorum tàm Provincialium, quàm Conventualium Superior existeret, atque plenam potestatem gubernandi dictam Congregationem, dicto durante tempore, haberet, Ministroque Generali totius Ordinis subesset, & confirmationem suæ Electionis ab ipso obtineret.

Hic idem Pont. subinde concessit facultatem eligendi ex ipsis Discalceatis unum Ministrum Gener. de sexennio in sexennium in sua Const. quam non posui, quia coincidit cum Const. Innocent III. indic. in rubr.

§. 4. Et subindè, cùm rationi consentaneum non esset, ut qui arctioris Regulæ sectantur observantiam, Superioribus, qui in laxiori degunt, subjaceant, sed Superiores habeant proprii sui Instituti: Nos propterea Motu nostro proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationi Fratrum Discalceatorum hujusmodi concessimus facultatem eligendi unum Ministrum Generalem ex ipsis Discalceatis; statuentes inter alia, quod Electio hujusmodi Majoris, ac Generalis Ministri, de sexennio in sexennium, in Capitulo Generali per secreta suffragia juxta Concilium Tridentinum fieret.

Auctoritatemque dedit confirmandi Electionem prædicti Ministri General. ipsi Capit. Gen.

Facultas confirmandi est indicata in rubr.

§. 5. Cùmque post concessionem nostram hujusmodi Minister Generalis ex ipsis Reformatis noviter electus confirmationem suæ canonicæ Electionis, tamquam Prælatus dicti Ordinis à Sede Apostolica immediatè dependens, à Nobis obtinuisset: Postremò etiam Nos eidem Congregationi, ut Capitulum Generale Discalceatorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi, pro illius Ministri Generalis Electione facienda legitimè congregatum, de cætero perpetuis futuris temporibus, Electionem Ministri Generalis in dicto Capitulo generali factam confirmare libere, & licitè posset, & valeret; Ita quod Minister Generalis Discalceatorum hujusmodi noviter electus, & à Capitulo Generali confirmatus, nulla alia confirmatione umquam indigeret, Apostolica auctoritate concessimus, prout in diversis literis Apostolicis desuper expeditis pleniùs continetur.

Modo iste Pont. ad tollendam omnem causam dubitandi, eximit hanc Congreg. à jurisdictione, obedientia, & superioritate Ministri Gener. Fratrum Calceatorum.

§. 6. Cùm autem, sicut accepimus, Quamvis prædicta Discalceatorum Congregatio, vigore literarum nostrarum hujusmodi, facultatem habeat eligendi suum Generalem Ministrum totius Congregationis prædictæ; Et jam cessante nomine Vicarii Generalis, satis appareat, cessasse illam subordinationem Vicarii Generalis Ministro Generali totius Ordinis, cujus vices gerebat, & ad quem illius confirmatio pertinebat: nec par in parem habeat imperium: Nihilominus pro majori quiete, & spirituali progressu ejusdem Congregationis Reformatorum hujusmodi, Nos dilectum filium Fratrem Joannem de Annunciatione, Procuratorem Generalem dictæ Congregationis, amplioris gratiæ favore prosequi volentes, ipsumque Joannem, necnon singulares personas Congregationis prædictæ à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, necnon singularum literarum præfatarum tenores, etiam veriores, ac datas præsentibus pro expressis habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, non ad alicujus Nobis desuper factæ petitionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate; ex voto tamen Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis Regularium Præpositorum: Quod de cætero prædicta Congregatio, aut illius Religiosi, vel Minister Generalis, aliique Prælati, Superiores, Officiales, & Personæ, perpetuis futuris temporibus Ministro Generali Fratrum Calceatorum totius Ordinis prædicti, nunc, & pro tempore existenti, in spiritualibus, vel temporalibus, minimè subjaceant, aut subjecti & suppositi esse minimè debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Ipsosque Fratres Discalceatos, illiusque Ministrum Generalem, ipsiusque Personas, Conventus, Domos, Collegia, Provincias, tàm præsentia, quàm futura, res, & bona, ab omni, & quacumque jurisdictione, superioritate, subordinatione, obedientia, correctione, visitatione, gubernio, aut alia quavis jurisdictione, tàm Ministri Generalis Fratrum Calceatorum hujusmodi, quàm aliorum Prælatorum, & Superiorum, quacumque auctoritate fungentium, & functurorum, & quantumvis amplissimis privilegiis, & facultatibus utentium, & usurorum, etiam quandocumque Reformandorum, auctoritate, & tenore prædictis, etiam perpetuò eximimus, liberamus & dismembramus. Illosque sic exemptos, liberatos, & dismembratos, uti Sedi Apostolicæ immediatè subjectos, sub nostra, & Sedis Apostolicæ tutela, & protectione recipimus, & admittimus.

§. 7. Omniaque & singula privilegia eidem Congregationi Reformatorum, circa exemptionem hujusmodi, aut aliàs per Sedem Apostolicam concessa, eadem auctoritate, etiam perpetuò approbamus, & confirmamus, eisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Omnesque, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Approbatio, & privilegiorum confirmatio.

§. 8. Decernentes, præsentes, etiam ex eo, quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut præmissis non consenserint, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes aut Sedem Apostolicam, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, pro tempore factis, nullatenus comprehendi, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per Superiores Congregationis Reformatorum hujusmodi, quandocumque eligenda, concessas esse, & fore. Clausulæ præservativæ.

§. 9. Sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritumque, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Clausula sublata.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac præfatis literis Clementis, & Pauli Prædecessorum nostro- Contrariorum derogatio.

rum

rum hujusmodi, necnon in Universalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutioniqus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Ministro Generali Fratrum non Reformatorum hujusmodi, illiusque Provincialibus Ministris, aliisque Officialibus, & Superioribus, ac personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hæc servanda foret, eorum tenores pro plenè, & integrè expressis habentes, & Motu pari de eadem potestatis plenitudine harum serie specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod præsentium transumptis, vel earum copiis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Generalis, vel Procuratoris generalis hujusmodi, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constituræ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent publicatæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, exemptionis, liberationis, dismembrationis, receptionis, admissionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P A.14. die 28. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo trigesimo sexto. Pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno quartodecimo.

CCXI.

Ne Fratres Discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniæ, post emissam Professionem possint transire ad Ordinem Fratrum Minimorum Sancti Fracisci de Paula.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Aliàs hic Pontifex edidit Const. præcedentem.

Alias à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis. Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Commissi Nobis per abundantiam divinæ gratiæ Pastoralis Officii debitum postulat &c.

Omittitur residuum hujus Constitutionis, quia est sup. Const. 23.

Nunc ad tollendam hæsitationem, an liceat his Fratribus transire ad ordinem Minimorum S. Francisci de Paula.

§. 2. Sed ne aliquis dubitare possit, an Fratribus prædictis, per præinsertas nostras literas hujusmodi, in illis verbis, etiam emissionis quarti voti, vel strictioris Regulæ prætextu, Transitus ad Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula nuncupatorum prohibitus sit.

Procurator General. pro declaratione supplicavit Pont.

§. 3. Ideò pro majori quiete, & conservatione Regularis Observantiæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis hujusmodi, Dilectus filius Joannes de Annunciatione, ejusdem Congregationis Procurator Generalis, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium, providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui declarat quod prohibitio præinserta includat etiam transitum ad Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula.

§. 4. Nos igitur eumdem Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: Hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, consilio, tenore præsentium declaramus, prohibitionem in præinsertis nostris literis contentam, & expressam, quòd nimirum non liceat Fratribus Discalceatis Congregationis hujusmodi post emissam in ea professionem ad alium Ordinem, seu Religionem præterquam Fratrum Carthusianorum, ut præfertur, transire, comprehendere, etiam Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula.

Prohibetque, ne de cætero transeant ad dictum Ordinem.

§. 5. Ac proinde omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis ejusdem Congregationis Sanctissimæ Trinitatis tàm Laicis, quàm cæteris à Choro deputatis, explicitè, nominatim, & expresè prohibemus, ne de cætero, sub prædictis, & aliis quibusvis prætextibus, & aliàs, quàm, ut præfertur, ad secundò dictum Ordinem Fratrum Minimorum hujusmodi transire quoquomodo audeant, seu præsumant.

Ac irritat p ofessionem emissam contra istam, vel præcedentem Const.

§. 6. Decernentes, si aliquis Religiosus ex prædictis Discalceatis jam professus novam professionem in prædicto eorundem Minimorum Sancti Francisci de Paula, vel in alio quolibet Ordine quomodocumque nuncupato, emiserit: Ultra pœnas in prædictis nostris literis appositas, professionem hujusmodi ipso facto nullam, irritam, & inanem, nulliusque valoris, & effectus: Eodemque prorsus modo, professionem per eosdem primò dictos Fratres in Ordine Carthusianorum hujusmodi emissam, absque licentia prius petita, & obtenta à Superioribus prædictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis hujusmodi, etiam ipso facto nullam, irritam, & inanem, nulliusque valoris, & effectus existere, & fore, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatque contrariis.

§. 7. Non obstante, quod de jure communi concessum est *in cap. Licet,* de Regularibus, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinum, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Congregationi, & Ordinibus hujusmodi, illorumque quibusvis personis, & Fratribus, sub quibusvis verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hujus Const. transumptis fidem mandat.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, & Ministri Generalis, seu

Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ eorumdem Fratrum Discalceatorum, seu alicujus Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, & Notarii publici manu subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 14. die 4. Apr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Aprilis 1637. Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

CCXII.

Quod Capitulum generale Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis de sexennio in sexennium dumtaxat celebretur.

Hanc Congregationem approbavit Six. V. in Constit. 25. tom. 2. & quod Capitulum celebretur quolibet sexennio alias ordinavit Clem. VIII. in Const. 75. tom. 3.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Matthæus Mortuelles Præpositus Generalis, & Consultores Generales, & Arbiter Consultæ Congregationis Clericorum Regularium ministrantium infirmis, quod licèt juxtà Congregationis constitutiones Apostolica auctoritate confirmatas statutum sit, ut Capitulum generale ejusdem Congregationis quolibet sexennio celebretur, nihilominus à nonnullis asseritur, celebrationem Capituli Generalis hujusmodi ad triennium Apostolica auctoritate redactam esse; Quare cum de tali reductione non constet, ut cuicumque difficultati, quæ inde oriri posset, occurratur, & gravissimi sumptus, quibus domus regulares, & præsertim Romanæ Congregationis hujusmodi maximo suo cum detrimento gravarentur, si dictum Capitulum generale tam sæpe celebrandum foret, evitentur; Nobis exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declarat servari prout in Rubr.

§. 1. Nos igitur Congregationis, & Domorum prædictarum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attento quod non constat de Capituli hujusmodi reductione prædicta, Capitulum generale prædictum de sexennio in sexennium dumtaxat juxta dictas Congregationis hujusmodi constitutiones celebrandum esse, & celebrari, electionemque moderni Generalis, & aliorum Officialium in Capitulo Generali Congregationis hujusmodi novissimè celebrato aliàs canonicè factam, juxta formam constitutionum prædictarum per integrum sexennium durare debere, ac Generalem, & alios Superiores in Capitulis generalibus, seu in Consulta Generali eligi solitos, scilicet Procuratorem Generalem, Provinciales, & Secretarium Consultæ prædictæ Officia eorum per totum sexennium hujusmodi, servata tamen dictarum constitutionum dispositione, libere, & licite exercere posse, & valere, ita tamen ut literæ nostræ, super modo, & forma Generalem, Consultores, & Arbitrum dictæ Congregationis eligendi, sub die 29. Aprilis 1628. emanatæ omninò observentur.

Decretum irritans.

§. 2. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus, quatenus extet, reductione prædicta, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictæque Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 14. die 24. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

CCXIII.

Contra eos, qui mentito nomine, vel cognomine adhuc prima uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt.

Anathematis pœnam dicentibus, quòd Christianis plures habere uxores liceat, imposuit Conc. Trid. de sacros. matrim. sess. 24. can. 2. Idemque prohibitum asserit Innocen. cap. gaudemus §. nec ulli de divortiis.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

MAgnum in Christo, & in Ecclesia Matrimonii Sacramentum, ut vitæ est legitima inter Virum, & Fœminam indissolubilis societas, in qua ex pari consensu semetipsum alter alteri debet; ita gravibus, debitisque pœnis corripiendi sunt ii, qui mandatorum Domini immemores, & posthabita propriæ salutis ratione, sacrosanctas hujusmodi Sacramenti leges violare non verentur.

Nonnulli mentito nomine seu cognomine ad secundas nuptias transeunt, vivente prima uxore.

§. 1. Cùm itaque, sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui sub mentito nomine, seu cognomine, adhuc prima uxore vivente ad secundas Nuptias transire audent.

Ad quod scandalum magis arcendum Pont. ultra solitas pœnas etiam ad Triremes, fustigationem & alias pœnas damnari hujusmodi nefarios homines decernit.

§. 2. Nos nefariam improborum hominum hujusmodi temeritatem, juxtà creditum Nobis desuper Apostolicæ servitutis Officium, quantum cum Domino possumus reprimere volentes, habita prius super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus ab hac Sancta Sede deputatis, deliberatione matura, hac nostra perpetuò valitura Constitutione decernimus, ut hujusmodi sic delinquentes, ultra pœnas, quibus ipsi ordinariè puniri solent, damnentur ad Triremes in perpetuum: quod si inhabiles reperti fuerint, publicè fustigentur, & damnentur ad carceres in perpetuum; Si verò pro qualitate, & enormitate delicti graviores pœnas meruerint, etiam Curiæ sæculari arbitrio eorumdem præfatæ Congregationis Cardinalium puniendi tradantur.

Clausulas præservativas addit.

§. 3. Decernentes, præsentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætenden-

tes,

tes, ad ea vocati, & audiri, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse; neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Ita judicari præcipit, ac contrariis derogat.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari; In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Mandat hanc Const. publicari in Urbe, & publicatam omnes ligare.

§. 5. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis de eis ignorantiam prætendere possit; Volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes, per aliquem, seu alios ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Flore affigantur, & publicentur, ac cùm inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur: quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Ac ejus transumptis fidem dari.

§. 6. Quòdque illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. Ann. 14. die 20. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Junii 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo septimo die verò 20. mensis Junii supradictæ Constitutiones affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut mos est, per me Antonium Bardum, Apostolicum Cursorem.

Julius Marzitellus Mag. Curs.

CCXIV. Confirmatio decreti, videlicet, Præcedentiam in Processionibus in Civitate Oriolenensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos.

De hac materia vide Constit. 128. Ex incumbenti, & Const. 303. Aliàs à nobis, ac Constit. 299. Exponi nobis.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1637.

Exordium.

Ex incumbenti Nobis Apostolici muneris debito ad ea mentis nostræ aciem assiduè intendimus, per quæ Christi fideles sub suavi religionis jugo Altissimo famulantes, sublatis obstaculis, in quietis, & pacis amœnitate vota suo Domino reddant, ac fœlicioribus in via mandatorum ejus proficiant incrementis.

Causa hujus Constit. refertur.

§. 1. Nuper siquidem à Veneralibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet. Orta controversia circa præcedentiam in processionibus inter Regulares Recollectos Conventus S. Annæ, & Discalceatos S. Gregorii Ordinis S. Francisci de Observantia Civitatis Oriolenensis ex una, & Regulares Conventus S. Augustini Ordinis Eremitarum S. Augustini ejusdem Civitatis, partibus ex altera: Sac. Rituum Congr. citatis sæpius, & auditis utriusque partis Procuratoribus, utraque parte informante, censuit ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Verospii, Præcedentiam, & digniorem locum in Processionibus tàm publicis, quàm privatis competere, & deberi Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos, juxta dispositionem Bullæ Gregorii XIII. quæ incipit, Exposcit, sub die 15. Julii 1583. editam. Et hoc siue dicti Recollecti, & Discalceati in prædictis processionibus incedant conjunctim, sive divisim. Et ita in posterum inter dictas partes in Civitate Oriolensi servari mandavit. Quibus propterea in præmissis perpetuum silentium imposuit. Die 20. Decembris 1636.

Decretum desuper emanatum.

Confirmat prout in Rubr.

§. 2. Nos, quò decretum hujusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus observetur, illud cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud, necnon præsentes literas semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Fratribus Augustinianis prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, necnon ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari perpetuò, sicque ab omnibus censeri, & ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Executores deputat.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratri Episcopo Oriolen. seu dilecto filio Officiali Oriolen. per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per

se,

se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Augustinianorum hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Fratribus Augustinianis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, præmissa omnia, & singula ab iis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, eosdemque Fratres Augustinianos præmissorum commodo, & effectu quietè, & pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum, & Institutorum regulares in præmissis quovis prætextu, causa, vel occasione, aut aliàs quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Contravenientium pœnæ.

§. 4. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut alias in præmissis non parentes, seu se se quomodolibet opponentes, eisque auxilium, consilium, vel favorem, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quomodolibet præstantes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, illorumque Domorum, & locorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & Personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 14. die 12. Jan.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Januarii 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

CCXV.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, & quinquaginta millium scutatorum monetæ, necnon reducendi annuos Census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi.

Pro hac alienatione observa Constitutiones 252. Aliàs à nobis &c. & 307. Aliàs. infra.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, prædictæ Congregationis, illiusque regiminis nomine, quòd ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atque incommoda per eandem Congregationem, accepta ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte ejusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quæ pro summa quadraginta trium circitèr millium scutatorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria d. Congregationis ob defectum suorum redditum ad præsens sunt adeò oppressa, ut illorum nonnulla jam ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita sint, aliis verò eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout aliàs per Romanos Pontifices Prædecessores nostros Monasteriis hujusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & præsertim per Pium V. qui similes, & forsan minus urgentes ob causas per quasdam suas sub die 10. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutatorum auri, quorum centum, & triginta tria millia dictæ Congregationi Cassinensi pro sua rata obtigerunt, & postmodum, quia summa hujusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respectivè expeditas literas, eidem Congregationi Cassinensi bona stabilia pro alia summa quinquaginta millium scutatorum aureorum vendendi facultatem respectivè concessit, eoque modo damnis, & periculis Monasteriis d. Congregationis tunc temporis imminentibus opportunè occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientia compertum est.

§. 1. Nobis propterea dictus Procurator quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & aliàs ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati quantùm cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pii V. Prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & aliis majoribus necessitatibus ad præsens gravata reperiuntur, ut cum approbatione tamen dilecti Filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberanda ab ære alieno Congregatione prædicta, restaurationibusque necessariis, & utilibus in ejus bonis faciendis magis opportuna fuerint judicata usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutatorum monetæ quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis, & formis in prædictis Pii V. Prædecessoris nostri literis contentis, & juxta illarum tenores, & continentias, vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori instrumento appositis redimere, ita tamen, ut præsentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minimè suffragentur, quàm iis dumtaxat, quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integrè

Concedit prout in Rubr.

concur-

concurrerunt, & concurrunt, libere, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ Secundi etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius V. Prædecessor noster in prædictis suis literis voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque.

Dat P.An.14 die 19.Junii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Junii 1637. Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

CCXVI.

Quod in Provincia Granatensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nullus Frater, aut consanguineus in primo, & secundo gradu Ministri actualis pro tempore, possit succedere immediatè ad Provincialatum dictæ Provinciæ, &c.

Vide quæ de his Fratribus indicavi tibi ad Constitut. Pastoralis Officii Gregor. XV. & ad Constitut. 53. Sacrosanctum. hujus Pontificis.

Edita A. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

Cum, sicut Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupati Provinciæ Granatensis, Nobis nuper exponi fecerunt, alias contigerit, ut Ministri Provinciales animadvertentes, sese ad idem Provincialatus Officium in vim literarum Apostolicarum reeligi minimè posse, dederint operam, ut eorum Frater, aut Nepos ad Officium hujusmodi eligeretur, & sic multorum annorum spatio dictum Officium inter ipsos hæreditarium per continuatam sibi sanguine conjunctorum in Officio hujusmodi successionem effectum fuerit; propterea que dicti Exponentes cupientes opportunum aliquod in præmissis remedium adhiberi, ac aliàs ne dictæ Provinciæ Fratres hujusmodi graves, & bene meriti ab Officiis excludantur, illaque juvenibus inexpertis in maximum dedecus, & boni regiminis dictæ Religionis detrimentum conferantur, desuper provideri.

§. 1. Nos prædictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Volumus, & Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Observari mandat prout in rubr.

§. 2. Quòd de cætero nullus Frater, aut consanguineus in primo, & secundo gradu Ministri Provincialis dictæ Provinciæ, Provincialatus Officium hujusmodi dimittentis, immediatè post ipsum, in Ministrum Provincialem dictæ Provinciæ eligi quoquomodo possit, & valeat; Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Provinciæ, & Ordinis hujusmodi Superioribus, Fratribus, & personis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, ne quicquam contra præsentium nostrarum literarum continentiam, & tenorem facere, vel attentare audeant, seu præsumant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, debere, irritumque & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A.15. die 1.Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Octobris 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimo quinto.

CCXVII

Prohibitio extrahendi libros è Bibliothecis, & Paramenta ab Ecclesiis Conventuum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncup. Provinciæ Granatensis.

Plures Summi Pontifices prohibuerunt extractionem librorum è Bibliothecis Regularium.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Conservationi, & manutentioni Bibliothecarum singularum Domorum, necnon paramentorum, & ornamentorum illarum Ecclesiarum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis, quantum cum Domino possumus, benignè consulere, ipsarumque Domorum Guardianos, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet prout in rubr.

§. 1. Ne de cætero ulli quavis auctoritate fungentes, libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, Bibliothecis, aut paramenta, & ornamenta quæcumque Ecclesiis hujusmodi per quoscumque Christi fideles hactenus quomodolibet donata, & assignata, seu in posterum forsan donanda, & assignanda, ex Bibliothecis, & Ecclesiis hujusmodi respectivè extrahere, seu quibusvis aliis Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, aut person s

commodare, sive ut extrahantur, seu commodentur permittere, quovis prætextu, aut quæsito colore, causa, ingenio, ratione, vel occasione audeant, seu præsumant, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat. §. 2. Non obstantibus Constitutionibns, & ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, quòd præsentis prohibitionis copia in Valvis singularum Bibliothecarum, & Ecclesiarum hujusmodi respectivè, aut aliquibus aliis perspicuis locis, unde ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat.

Transumptis credi jubet. §. 4. Quòdque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A.15. die 13. Octobris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Octobris 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

CCXVIII

Quòd Minister Fratrum de Observantia Provinciæ Granatensis teneatur recipere Religiosos missos ex Recollectis ejusdem Provinciæ, qui à perfecta suæ Regulæ Observantia declinarunt.

De transitu Fratrum à Reformatione ad Observantes dat modum Paul. V. in sua Constitut. 31. Postulat. §. 6. tom. 3.

Edita A. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. Cum sicut dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum Provinciæ Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, temporis progressu compertum sit, quod quando Religiosus aliquis Ordinis, & Provinciæ hujusmodi à perfecta suæ Regulæ observantia declinavit, exindè aliis Fratribus perturbationes non sine maximo eorumdem præjudicio perveniant, cupiantque propterea pro majori divini cultus incremento inconvenientibus hujusmodi opportunum aliquod remedium adhiberi.

§. 1. Nos dictorum Exponentium votis in præmissis, quantum cum Domino possumus annuere ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Mandat observari prout in rubr. §. 2. Volumus, & Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut tunc, & eo casu possint Definitor, & quatuor Guardiani dictorum Fratrum Recollectorum se se congregare, sique apud Ministrum Provincialem Fratrum Minorum eorumdem institerint pro amotione alicujus ex Recollectis Religiosi, & transmissione ad Fratres de Observantia nuncupatos, dictus Minister Provincialis teneatur eumdem Fratrem ex Recollectis removere, illumque inter dictos Fratres de Observantia recipi facere liberè, & absolutè, & absque ulla prorsus mora, & tergiversatione.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apost. ac Ordinis, & Provinciæ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robere permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A.15. die 16. Oct. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Octobris 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Quòd Moniales Conversæ Ordinis Sanctæ Claræ Monasterii Sancti Marcelli Parisiensis debeant manuteneri in possessione eligendi Abbatissam. CCXIX.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Universis præsentes literas inspecturis.

Supplicatio. Exposito Nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum Sororum Conversarum Monasterii Sanctæ Claræ, Ordinis Sancti Francisci in Suburbio Sancti Marcelli Parisiensis siti, sub regimine Fratrum Minorum dicti Ordinis existentium, quòd dilecta in Christo filia nostra Magdalena Reboures Abbatissa triennalis ejusdem Monasterii, absque consensu Ministri Provincialis, & alterius Superioris ipsius Monasterii dictas Sorores Conversas in electionem Abbatissæ dicti Monasterii, voce activa, de qua gaudent à trecentis annis, aut circiter, voluerit privare; & ad hunc effectum voces, & suffragia sanioris partis Sororum Chori efflagitaverat, cum quibus aliquot in Capitulo fecerat Decretum, cui Decreto aliæ Sorores Chori cum omnibus Sororibus Conversis sese formaliter opposuerant tamquam nullo, & invalido, atque contra Constitutiones Regulæ suæ facto, quæ vult, ut in illa nil immutari possit absque expresso consensu totius Conventus. Quibus de causis prædictis Supplicantes Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus præmissis authoritate nostra Apostolica providere vellemus, & dignaremur.

§. 1. Nos igitur ipsas supplicantes specialibus favoribus, & gratiis nostris prosequi volentes, ipsasque, & earum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis de jure, vel facto, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, absolventes, & absolutas fore

censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, Volumus, & in virtute præsentium declaramus, quòd dictæ Sorores Conversæ sunt, & debent manuteneri in possessione eligendi Abbatissam, cum aliis Sororibus Chori, secundùm præscriptam, & immemorabilem consuetudinem, quâ gaudent.

Mandat proput in rubr.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes, præsentes litteras firmas, & validas, ac stabiles remanere, suumque plenum, & integrum sortiri effectum, & ab omnibus inviolabiliter observari debere.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus omnibus, Ordinationibus, Statutis, & omnibus Conciliis his contrariis.

Dat. P. A. 15. die 15. Nov.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Novembris Anno Domini 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimo quinto.

CCXX. Super Præcedentia inter Regulares diversarum Religionum.

Cùm de hac materia non possit dari certa regula cum qua moderentur omnes Religiones, S. Cong. S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit servandas esse literas Greg. XIII. & has Urbani VIII. Romæ 6. Octobris 1645.

Edita An. D. 1637.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Nuper pro parte dilecti filii Blasii à Cherso Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Nobis expositum fuit, quòd dictus Ordo gravatur admodùm litibus occasione Præcedentiæ cum aliis aliarum Religionum Regularibus in Processionibus, ex quo etiamsi aliàs à Venerabilibus Fratribus nostris, S.R.E. Cardinalibus, negotiis Regularium præpositis diversis in præfata materia præcedentiæ literis emanatis; unam videlicet contra ejusdem Ordinis de Observantia nuncupatos Arbensis, aliam contra Servorum B. MARIAE Virginis Soanensis, necnon duas literas contra Prædicatorum respectivè Ordinum Fratres Cassanenses, & Ferentinenses obtinuerit, tenoris subsequentis, videlicet.

Archiepisc. copo Arben.

§. 1. Arbi. All'Arcivescovo. Pare, che sia nata differenza della precedenza trà cotesti Frati di S. Francesco Conventuali, & Osservanti, allegando ogn'un di loro alcune ragioni, per lequali si persuadono di dover precedere à gli altri, lequali essendosi diligentemente considerate nella Congregatione di questi miei Illustrissimi Signori Preposti da Nostro Signore sopra le cause de Vescovi, e Regolari, s'è risoluto etiam con il parere dell'Illustrissimi Protettori di tutte due le Religioni di far scrivere à VS. che occorrendo piu simili differenze determini senza alcuna eccetione nell'istesso modo, che quel Convento tenga il primo, è più degno luogo, che è le più antico nella Città, secondo, che s'è fatto sin'hora, per quanto si presuppone, imperciò che questo mezo usato altrove è stato tale, che hà finito ogni controversia, come si spera, che farà anche costi per mezzo della prudenza, e destrezza di VS. A Dio, &c. Roma 6. Marzo 1582.

Episcopo Soanen.

§. 2. Al Vescovo di Soana, ò suo Vicario. Havendo inteso questi miei Sign. Illustrissimi, che in cotesta Città sono in disparere di Precedenza li Frati de Servi con quelli di S. Francesco Conventuali, hanno voluto, ch'io faccia sapere à VS. che nella precedenza di questi Frati Mendicanti secondo il parere di Nostro Signore, s'attende solamente l'antichità de i loro Conventi, cioè che precedino quelli, che prima hanno ottenuto li Monasterii ne i luoghi, ove è nata la differenza, & perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima sono venuti ad habitare in cotesta Città, che sarà appunto conforme à quello, che s'è risoluto, & osservato in altri luoghi, &c. Roma li 24. di Maggio 1583.

Episcopo Cassanen.

§. 3. Al Vescovo di Cassano, Fù dato in Congregatione un Memoriale dal Procuratore Generale de Frati Conventuali di S. Francesco à nome del suo Monastero di Castrovilari di cotesta Diocesi, nel quale si doleva, che alcuni Padri di San Domenico, che poco fà hanno pigliato luogo nella medesima Terra, pretendevano nell'attioni publiche di precedergli, non ostante che già siano 350. anni, che quel Monasterio di S. Francesco è fondato: e sapendosi, che Nostro Signore altre volte haveva dichiarato, come si doveva procedere in simili casi, questi miei Signori Illustrissimi volsero, che se ne dasse conto à Sua Beatitudine, la quale hà commesso, che si scriva à V. S. che faccia havere la prerogativa, ove nascano queste novità alle Religioni, che sono più antiche nel luogo, il che farà V. S. intender à detti Padri di S. Domenico, & oprarà che così si eseguisca. Roma li 24. Maggio 1583.

Episcopo Ferentinen.

§. 4. Ferentino. Al Vescovo. Nella differenzà, che verte trà cotesti Frati di S. Domenico, è quelli di S. Francesco per conto della Precedenza, là Sacra Congregatione vuole, che s'osservi per l'auvenire quello, che è stato osservato trà loro per il passato, sin tanto, che non sia destinato altro, & inclina, che conforme al Moto proprio di Gregorio XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima hanno hauuto il luogo nella Città, & i decreti, che si allegano per parte de Frati di S. Domenico in contrario, non sono stati fatti per derogare generalmente al Moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occasioni militavano altre ragioni di quelle, che possano militare costì. Questa è la mente di questi Illustrissimi miei Signori, & ella la doverà esseguire, A Dio, &c. Roma il primo Giugno 1604.

§. 5. Attamen in casibus occurrentibus eædem literæ reputantur provisiones particulares, non autem declarationes generales, dictique Fratres Conventuales nova semper judicia iisdem de rebus subire coguntur. Quare dictus Blasius Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut circa prædictarum literarum observantiam per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium providere ac aliàs ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur d. Blasium Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, eisdem Regularium negociis præpositorum, consilio, præinsertas literas ab eisdem Cardinalibus, aliàs utcumque in casibus particularibus emanatas, cùm innitantur Justitiæ Motus proprii Gregorii XIII. hac de re editi, & sint conformes declarationibus Sacrarum Tridentini Concilii, ac Rituum Congregationum, ut qui sunt in possessione Præcedentiæ præcedant: & ubi non probatur, aut non constat de possessione, præcedant ii, qui sunt antiquiores in loco con-

Qui sunt in possessione præcedentiæ præcedant.

troversiæ; esse generaliter observandas, ubicumque contigerit de eadem præcedentia dubitari: Apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, & mandamus.

Decretum irritans. §. 6. Decernentes irritum, & inane si secus super his à quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis Ecclesiæ Decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus prò plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A. 15. die 18. Dec. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 18. Decembris 1637. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

CCXXI. Quòd Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum Ordinis Sancti Augustini à Fratribus Discalceatis impressæ, vel depictæ, cum Habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, suspendantur.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, quòd cum ipse Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus præpositis, exposuisset, qualiter dilecti filii Patres Discalceati ejusdem Ordinis, tum Romæ, tum multis aliis in locis imprimebant, & depingebant Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai Tolentinatis, & aliorum ejusdem Ordinis Sanctorum cum Habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, quòdque id vergebat in maximum præjudicium ejusdem Ordinis, & indies dare poterat occasionem plurium controversiarum, & scandalorum, dicti Cardinales hac super re ediderunt decretum tenoris subsequentis, videlicet.

Sac. Congr. decretum. §. 1. Referente Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Verospio petitionem supradictam, ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Augustini, Sacra Rituum Congregatio, citatis & auditis partibus, censuit, Imagines Sancti Augustini, Sancti Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis S. Augustini impressas, aut depictas à Fratribus Discalceatis ejusdem Ordinis cum Habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, suspendendas, & abolendas esse, injungendumque dictis Fratribus Discalceatis, ne sub pœnis arbitrio hujus Sacræ Congregationis infligendis talia amplius audeant peragere. Et ità omnino servari mandavit. Die 19. Decembris 1637.

Confirmatur, & approbatur, supplenturque defectus. §. 2. Ut autem decretum hujusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus, ad quos spectat, observetur, nobis idem Procurator humiliter supplicari fecit, quatenus illud Apostolicæ confirmationis robore communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti, & solemnitatum quamtumvis substantialium, & quovis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint, in eodem supplemus.

Mandat observari cum decreto irritante. §. 3. Decernentes, præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque Pomorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus, & Personis, ac quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciorbus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, & alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robere permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhibere jubet. §. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat P.A. 15. die 23. Jan. Datum Romæ Apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Januarii 1638. Pontificatus Nostri Anno decimo quinto.

CCXXII. Circà Lectorum Jubilationem Fratrum Minorum de Observantia Cismontanæ Familiæ.

De hujusmodi Fratrum materia lege, quæ indicavi tibi ad Constit. 53. Sacrosanctum, & ad Const. 50. Greg. XV. Pastoralis &c.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva. Cum sicut accepimus, ex frequentissima, immeritaque Lectorum Jubilatione in Cismontana familia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum quamplures querelæ, multaque & gravia incommoda in eadem Familia redundarint, ac de remedio incommodis hujusmodi adhibendo cum primum illa ad dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarii nostri secundum carnem ex Fratre germano Nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem

Aposto-

Apostolicam Protectoris, aures pervenerunt, tractatum fuerit.

Lectores Jubilati instituantur juxta Ord. Constit.

§. 1. Nos qui Religiosorum Ordinum pacem, & unitatem sinceris desideramus affectibus, ut querelis, & incommodis hujusmodi obviam eatur; Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, ut Lectores Jubilati juxtà præscriptum litterarum fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri necnon generalium dicti Ordinis Constitutionum pluries renovatarum, ac postremò in Capitulo generali dicti Ordinis in Civitate Toletana celebrato instituantur, ita quòd nullus posthac ad Jubilationem admittatur, quin priùs Logicam, & Philosophiam tres annos, ac Theologiam decem absque ulla intermissione edocuerit, vel si intermitti contigerit, duodecim annos Theologiæ Lector exstiterit.

§. 2. Singulis quibusque annis publica, & authentica attestatio à Guardiano, & Discretis eorum manu propria, & juramento firmata, Conventusque sigillo obsignata conficiatur, & in publico Conventus Archivio servetur, ubi cum opus fuerit, reperiatur. Ut Theologiæ lectio in ordine ad futuram Jubilationem non introducatur, nisi ubi studia formata viguerint, & generalia atque à Capitulo,& Congregatione generalibus instituta. Quòd Lectores, qui non intervenientibus prædictis conditionibus Provinciam, vel per Superiores Generales ad jubilati censeantur.

§. 3. Ut numerus Lectorum Jubilatorum admissi reperientur, eò ipso nulliter restringatur juxta dispositionem Capituli Generalis in Alma Urbe anno 1612. celebrati pro Ultramontana familia, videlicet ut pro unoquoque Studio Generali in singulis Provinciis existenti, duo tantum Jubilati permittantur, & quolibet deficiente, loco ipsius alter sufficiatur, qui lectionis cursum priùs absolverit. Demum pro servanda in Provinciis dicti Ordinis tranquillitate; reprimendisque querelis in hac Curia in dies exurgentibus, & quòd plurimi non probato legitimè lectionis tempore, & cum majorum deceptione Superiorum, jubilationem obtinuerunt, statuimus pariter, & ordinamus, ut præfato more informationes, & temporis ad lectionem constituti attestationes per Ministros Provinciales de novo conficiantur, & ad Generales Superiores firmatæ, sigillatæque remittantur, ut hac ratione relaxationibus, & abusibus obviam eatur.

Mandantes servari statuta quoad Jubilationem.

§. 4. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Cismontanæ familiæ Ordinis hujusmodi Superioribus, Fratribus, & Personis quocumque nomine nuncupatis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis, aliisque arbitrii nostri pœnis, ne circa prædictorum lectorum Jubilationem quicquam aliàs quam in prædictis statutis disponitur, ullo unquam tempore de cætero facere, vel attentare audeant, seu præsumant, ac decernentes statuta hujusmodi, necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & Cismontanæ familiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A.15. die 2. Martii.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die secunda Martii 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

CCXXIII.

Ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quàm in eis quæ fiunt in propriis.

De hac materia vide, quæ indicavi tibi ad Const. 22. Alias fel. circa eleemosynas, quas Rectores Parochiarum prætendere possunt ab his, qui in Ecclesiis Ordinis Sancti Francisci sepeliuntur.

Edita A. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

CUM sicut dilectus filius Blasius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci nuncupatorum. Nobis nuper exponi fecit, diversæ extorsiones excessivæ à dilectis filiis Capitulo, & Canonicis sæcularis, & Collegiatæ loci de Veglie Brundusinæ Diœcesis, necnon etiam à diversis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis sepulturæ in Ecclesiis Ordinis hujusmodi, Nobisque propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in præmissis remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Committit Ordinariis locorum prout in rubr.

§. 1. Nos igitur dictum Exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolvendum, & absolutum fore censendum; Hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Regularium præpositorum consilio, Ordinariis locorum per præsentes committimus, ut provideant omninò, ne diutiùs abusus hujusmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quàm in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A.15. die 11. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Ma tii 1638. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

CCXXIV.

Quòd Sacerdos celebrans in Altari Capellæ Sanctæ Catherinæ Senensis super Minervam pro anima alicujus defuncti liberet eam à pœnis per modum suffragii, ac Indulgentia plenaria pro visitantibus dictam Capellam in ejus die festo Communione refectis.

Plures Summi Pontifices concesserunt similes Indulgentias diversis Regularibus, ut copiosissimè habes in Repertorio tom. 5. verb. Indulgentia plenaria.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus Constit.

CUM sicut accepimus, dilectus Filius noster Antonius Sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Antonius Barberinus nuncupatus Noster secundum Carnem ex fratre germano Nepos, Ordinis Sancti Dominici apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, pro eximia sua in Deum pietate, ac erga Sanctam Catherinam Senensem dicti Ordinis devotione. Capellam olim cubiculum dictæ Sanctæ Catherinæ in Urbe existens, cum suis parietibus, incrustationibus, & picturis antiquis in eo existentibus transferri ad Ecclesiam B. Mariæ super Minervam Domus Regularis dicti Ord. de eadem Urbe, & propè Sacristiam dictæ Ecclesiæ collocari curaverit.

Concedit prout in Rubr.

§. 1. Nos eandem Capellam spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare volentes, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: Ut quandocumque Sacerdos aliquis Secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis Missam defunctorum, pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altaræ dictæ Capellæ celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur.

§. 2. Ita ut Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Insuper mulieribus cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, sub excommunicationis latæ sententiæ pæna, à qua non possint nisi à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolvi; ne Capellam prædictam ingredi audeant, seu præsumant, præterquam in die festo ejusdem Sanctæ Catherinæ Senensis, quo die mares eò devotionis causâ confluentes sub eadem pœna illam ingredi non possint districtè prohibemus.

Indulgentia plen. pro visitantibus.

§. 3. Omnibus autem, & singulis fœminini sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quæ dictam Capellam die festo Sanctæ Catherinæ prædicto à primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam: Universis verò, & singulis masculini sexus Christi fidelibus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra eadem Communione refectis, qui eandem Capellam in Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ac Annunciationis, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, necnon Sancti Dominici festis diebus à primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devotè similiter visitaverint, & ibi ut prædicitur oraverint, etiam plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Cæterùm spirituali consolationi dilectarum in Christo Filiarum nobilium mulierum, nunc & pro tempore existentium, nobilis & antiquæ, domus, & familiæ nostræ Barberinæ consulere volentes eisdem mulieribus nunc, & pro tempore existentibus, ut unà cum aliis mulieribus eas comitantibus, ac cum suis Matronis, & ancillis prædictam Capellam ultimò dictis quatuor festis diebus, absque ullius pœnæ propterea incursu ingredi, eisdemque mulieribus etiam comitantibus, ac Matronis, & ancillis verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quæ Capellam hujusmodi ultimò dictis quatuor festis diebus ut prædicitur visitaverint, & ibi ut supra oraverint, quòd eamdem Indulgentiam plenariam, & remissionem consequantur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Maji 1638. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

Dat. P. A. 15 die 22. Maji

CCXXV.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis Conventuum Fratrum Capuccinorum ubique existen. Cum facultate Superioribus commutandi inutiles per Syndicos.

Similem prohibitionem pro hujusmodi Fratribus fecit Alex. VII. in sua Constit. tom. 5.

Edita A. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

CONservationi, & manutentioni Bibliothecarum singularum Domorum ubique existentium Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benignè consulere, earumdemque Domorum Guardianos, & Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti Filii moderni d. Ordinis Procuratoris Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Mandat prout in Rubr.

§. 1. Ne de cetero quisquam quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia sive impressa, sive manuscripta dictis Bibliothecis per quoscumque Christi fideles hactenus quomodolibet donata, & assignata, seu in posterum forsan donanda, & assignanda ex eis extrahere, sive ut extrahantur permittere sub quovis quæsito colore, causa, prætextu, vel occasione audeant, seu præsumant sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus: Permittimus tamen Provincialibus, & Definitoribus dicti Ordinis conjunctim procedentibus, ut per eorum Syndicos earundem Bibliothecarum libros dicto Ordini inutiles cum aliis utilibus, de licentia tamen illorum, qui eosdem libros, ut præfertur, donaverint aut eorum hæredum si extiterint, permutare: Superioribus autem singularum hujusmodi Domorum, ut libros, quinterna, & folia hujusmodi etiam è dictis Bibliothecis pro usu Verbi Dei Prædicatorum dicti Ordinis, qui in Civitatibus, Oppidis,

Terris,

Terris, Castris, & locis, in quibus dictæ Domus existant, vel existent, aut aliis locis ejusdem Diæcesis, vel non multùm distantibus prædicabunt, extrahere, ac Fratribus Domorum Regularium hujusmodi, ut illa studendi causâ ad suas cellas deferre valeant, dummodò in libro ad id in Bibliothecis hujusmodi parato nomina sua, & librorum, seu quinternorum, ac foliorum hujusmodi quæ sumpserint, annotent, ac postquam dicti Prædicatores, & Fratres illis usi fuerint, illa illicò ad dictas Bibliothecas sub eisdem pœnis reportentur concedere possint.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Domorum; & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, quòd præsentis prohibitionis copiæ in valvis singularum dictarum Bibliothecarum, aut aliis perspicuis locis, undè ab omnibus commodè cerni possint, continuò affixæ remaneant; Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 15. die 29. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Julii 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

CCXXVI.

Privilegium pro Congregatione Cassinensi contra appellantes, & ambientes.

Plures Summi Pontifices Congregationibus Monachorum prohibuerunt dignitatum ambitum, ut copiosè habes in Repertorio, verb. Ambitus.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Literæ Greg. XIII.

Aliàs à fel. record. Greg. XIII. Prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet: Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Nihil in unaquaque religiosa Familia, in qua obedientiæ firmissimè jactis fundamentis plerique fideles in claustris Altissimo famulari student æquè arbitramur esse utile, quàm supremam in eisdem auctoritatem gerentibus omni contentione exclusa, eâ quâ decet reverentiâ, universos parere eorumque dictis audientes esse, necnon à regularis Observantiæ professorum pectoribus, bonorum assequendorum nimiam cupiditatem exulare. Utque hæc, divina assistente gratia, maximè in Congregatione Monachorum de Observantia Congregationis Cassinensis aliàs Sanctæ Justinæ de Padua Ordinis Sancti Benedicti, quæ vitæ Sanctitate claruit, ex sententia nostra succedant, antiquas constitutiones approbandas, & in illarum, transgressores duriores pœnas proponendas, & aliàs opportunè prividendum esse censemus, prout in Domino conspicimus expedire.

§. 2. Accepimus enim, quòd licet aliàs fel. rec. Eugenius Papa IV. Prædecessor noster sub datum Romæ apud S. Petrum Anno Domini 1432. Nono Kalendas Decembris, Pontificatus sui Anno 2. inter alia voluerit in Capitulo Generali ejusdem Congregationis singulis annis celebrando, novem Definitores ex Monachis dictæ Congregationis eligi, qui vocem in Capitulo haberent, sicque Electos totum Capitulum prædictum repræsentare, eorumdemque Definitorum statutis, constitutionibus, ordinationibus, definitionibus, & correctionibus, singulos Congregationis ejusdem Monachos, cujuscumque dignitatis, status, gradus, sive conditionis existerent in omnibus efficaciter parere, ac hujusmodi Definitores de Monasteriis, & locis, illorumque bonis, prout viderent, expedire, disponere, necnon ex Monachis tunc præsentibus, & futuris, quos ad id idoneos judicavissent in Abbates pro tempore vacantium Monasteriorum, ac Prioratuum hujusmodi aliàs juxtà dictæ Congregationis Constitutiones, ordinationes, & statuta eligere, sive nominare, necnon ad eorum beneplacitum taliter Electos absque aliqua etiam causæ cognitione à regimine etiam dictorum Monasteriorum, & Prioratuum, quibus tunc præfuerint, & quæ tunc propterea vacare censerentur, absolvere, & amovere posse. Idemque per alias literas Datas Florentiæ Pontificatus sui Anno quarto decrevit, dum occurrente vacatione Monasteriorum, & Prioratuum dictæ Congregationis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantium, qua illis ratione providendum esset, ordinavit, prout in singulis ejusdem Prædecessoris literis pleniùs continetur.

§. 3. Nihilominus nonnullos dictæ Congregationis Monachos, ejus quàm Deo voverunt obedientiæ planè oblitos, præfatis Superioribus in Electione, & amotione Abbatum, & aliorum ad eorumdem nutum, & beneplacitum à Monasteriis & aliis Officiis absolvendis, & liberandis, aut ad illa eligendis, & nominandis adversari, & contradicere, & cum illis ad contentiones devenire: alios verò, ne contra eos, veluti inobedientes, vel alia etiam ex causa, aut ex quantumvis gravi crimine, & excessu procedi possit contra ejusdem Congregationis statuta, & ordinationes, varias oppositiones, & subterfugia, aut alia impedimenta afferre, vel interponere, necnon absque eorundem Superiorum licentia in his, quæ ad morum correctionem, & regimen, administrationemque Congregationis ejusdem pertinent, Jurisperitos, & alios consulere, temerè ausos fuisse, & nunc præsumere, quosdam etiam Professionis, & Regulæ, quam sub humilitatis habitu professi sunt penitus immemores reperiri, qui sic ambitione Dignitatum, & Officiorum Ecclesiasticorum in dicta Congregatione consequendorum, quo faciliùs de Congregationis rebus, & personis ad eorum libitum disponant, se efferri patiuntur, ut ad Ecclesiasticorum, & Sæcularium Principum auxilia vel occultè vel palam recurrant, & à S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis commendatitias literas propterea expetant, & novi aliquid semper, ut optati compotes fiant, in eorum animæ perniciem parando, aut moliendo, ejusdem Congregationis quietem cum animarum illorum periculo non modico perturbent.

§. 4. Nos igitur præmissis occurrere, ac ejusdem Congregationis Monachorum, honori, & quieti, quos in visceribus gerimus charitatis, necnon ad deterrenda maleficia, gravioribus etiam pœnis propositis, consulere cupientes, ac dictarum Prædecessoris literarum seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia singulas Prædecessoris prædicti literas, ea in parte, qua illæ auctoritatem illorum, qui pro tempore regendæ Congregationi deputati erunt, respiciunt; Quod ad eorum nutum, & beneplacitum Abbates, & alios quovis nomine nuncupatos dictæ Congregationis Prælatos, vel Officiales eligere, & electos similiter absque aliqua causæ cognitione, servatis alias ipsius Congregationis Constitutionibus, ab officio amovere, & absolvere possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium appro-

approbamus, & confirmamus, & quatenus etiam opus sit, easdem quoad præmissa dumtaxat innovamus, quòdque contra eos, qui in præmissis eisdem Superioribus in electionibus, vel amotionibus hujusmodi contradicere, vel se opponere, aut cum illis contendere præsumpserint per pœnam privationis officiorum, quæ obtinuerint, ac personæ coërtionem, & carcerationem animadvertatur, statuimus.

§. 5. Cùmque idem Prædecessor districtiùs inhibuerit, ne cui Prælatorum, vel Monachorum dictæ Congregationis ab institutis ordinationibus correctionibus, & mandatis Capituli Generalis, sive Præsidentis, aut Visitatorum, vel Rectorum ejusdem Congregationis ad quemcumque, etiam Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis, liceret appellare, quamcumque appellationem, si aliquam quandoque interponi contingeret, cum inde secutis irritam decernendo. Si autem contra aliquem Prælatum, vel Monachum dictæ Congregationis civiliter, aut criminaliter ageretur secundùm statuta, & consuetudines Congregationis prædictæ, juris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus omissis procedi debere mandaverit, ejusdem Prædecessoris exemplo adducti, quòd quandocumque contra Monachos judicium ex quavis causa institui contigerit, summariè, simpliciter, & de plano, ac sola facti veritate inspecta, necnon omni, & quacumque appellatione remota agi: Appellantes verò, aut de nullitatibus sententiarum processuum, & aliorum quorumcumque contra se decretorum, vel actorum dicentes, vel aliquod aliud impedimentum interponentes illis non obstantibus privationis Officiorum, & carceris pœnis itidem affici, & ad ulteriora, in causis, quas pro tempore agitari contingit, privationisque, carceris, & aliarum pœnarum propterea inflictarum executionem procedi posse volumus, easdemque pœnas ad eos etiam Monachos, qui à Jurisperitis, aut aliis quibusvis personis extra dictam Congregationem absque eorum Superiorum licentia in his, quæ ad obedientiam, aut correctionem, ejusdemvè Congregationis regimen pertinebunt, consilium capient, extendimus, ac omnes, & singulos Monachos Congregationis prædictæ cujuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ existentes, & quacunque dignitate præfulgentes, qui ad Prælaturas, & alia Officia dictæ Congregationis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non existentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directè, vel indirectè, palam, vel occultè ad Dignitates, seu Officia in Congregatione præfata obtiuenda aspiraverint, vel aliis minùs legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiverint, illorumque complices, & fautores ad quascumque Prælaturas, Dignitates, & Officia spiritualia, vel temporalia, & præsertim in ipsa Congregatione obtenta, & obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, Dignitatibus, Administrationibus, vel Officiis eo ipso privamus, ac privatos voce tum activa, tum passiva carere decernimus, & declaramus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus dictæ Congregationis Monachis, qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, præcipientes, districtèque mandantes, ne aliquos precibus, literis, vel favoribus Principum, vel Prælatorum, aut aliorum extra dictum gremium existentium adducti ad cujusvis generis Prælaturas, Dignitates, Officia, Administrationis, & Gradus promovere præsumant: Immò promovendorum meritis, & virtutibus tantum inspectis, quòd Dei causam agant memores sint, quò magis puro & sincero corde, nulla privata, aut mundana affectione commoti, in electionum negocio procedant.

§. 6. Decernentes Electiones, & promotiones ad Monasteria, sic literis, aut aliis favoribus Principum, & Prælatorum vel aliorum extra gremium ut præfertur, existentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus injustè, ac indebitè extortas, nullas, invalidasque esse, & adversùs eos, qui his minùs legitimis rationibus ad regenda Monasteria, vel Prioratus, aut alia Officia se eligi, aut assumi obtinuerint, per ejusdem Congregationis Superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita, contradictionis pœnis tanquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores affici fungentes posse, & debere, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpetrandi auctoritate, & facultate judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac dd. Congregationis, & Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis illis, & illorum Superioribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice motu, & scientia similibus latissimè derogamus, ac derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque, aut si prædictis Congregationi, & Monachis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possiut per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac ut harum literarum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos faciliùs deveniat, volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo singulo quoque anno publicè legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitimè unicuique intimatæ fuissent, illorumque exemplis, vel impressis manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præsidentis, ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate Ecclesiastica constituti obsignatis eamdem prorsùs fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem exhiberentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Aprilis 1574. Pontificatus Nostri Anno Secundo. Cum autem sicut dilectus Filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit ipse præinsertas literas per Nos confirmari, necnon præceptum, quod in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna in hujusmodi literis fit Prælatis, qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, ne Monachos, ad Prælaturas, Dignitates, Gradus, Administrationes, & alia ipsius Congregationis Officia precibus, literis, vel favoribus Principum, vel Prælatorum extra gremium dictæ Congregationis

existen-

existentium adducti promovere præsumant, ad alios quosque, & singulos, Abbates, & Superiores quorumcumque dictæ Congregationis Monasteriorum qui prædictos Monachos ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & cujusvis generis Officia tam spiritualia, quam temporalia ab eisdem Monasteriis dependentia, precibus, & favoribus hujusmodi deputabunt extendi, eosdemque Monachos ad similes favores recurrentes, eadem pœnâ ligari summoperè desideret.

§. 8. Nos prospero felicique dictæ Congregrationis gubernio, & regimini peramplius consultum esse cupientes, ipsumque Procuratorem generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas literas dicti Gregorii Prædecessoris cum omnibus, & singulis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus opus sit innovamus, necnon omnibus & singulis quoruncumque Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus, & Superioribus quomodolibet nuncupatis nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam preces, & requisitionem quarumcumque personarum tam Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra gremium dictæ Congregationis consistentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate, & excellentia etiam Ducali, Regali, Imperiali fulgentium quosvis dictæ Congregationis Monachos ad cujusvis generis Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & Officia quæcumque tam spiritualia, quàm temporalia singulorum Monasteriorum deputare præsumant, eosdemque dictæ Congregationis Monachos, cujuscumque ætatis, gradus conditionis, præeminentiæ, & literaturæ existant, & quacumque dignitate præfulgeant, qui tàm ad Prælaturas, Dignitates, Gradus, & alia Officia à Prælatis pro tempore regimini dictæ Congregationis deputatis assequenda, quàm etiam ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes & alia Officia quæcunque tàm spiritualia, quàm temporalia à Præfatis, & Superioribus singulorum Monasteriorum impetranda, ad prædictarum personarum Principum, & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non existentium favores pro se, vel interpositam personam directè, vel indirectè, occultè, vel palam, aut aliàs quomodolibet recurrerint, vel ad Prælaturas, Dignitates, Administrationes, & alia hujusmodi dictæ Congregationis, & Monasteriorum Officia aspiraverint, vel aliis minùs legitimis & honestis rationibus ea obtinere conati fuerint, prædictas excommunicationis latæ sententiæ, aliasque inhabilitatis, & privationis pœnas in præinsertis Gregorii Prædecessoris literis contra similia perpetrantes comminatas, eo ipso incurrere & incurrisse decernimus, & declaramus.

§. 9. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in præinsertis literis idem Gregorius Prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem harum literarum nostrarum notitia ad omnes Monasteriorum dictæ Congregationis Abbates, Superiores, & Monachos faciliùs deveniat, volumus illas in generali dictæ Congregationis Capitulo singulo quoque anno publicè legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitimè unicuique personaliter intimatæ fuissent, illorumque exemplis impressis manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici scriptis, & sigillo Præsidentis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Maji 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto. D. P. A. 15. die 11. Maji

Quòd Abbates Monasteriorum pauperiorum Congregationis Montis Oliveti, de licentia Procuratoris generalis possint imponere unum seu plures Census pro sublevandis indigentiis eorumdem. CCXXXII

De hac materia vide notata ad Constit. 215. Exponi Nobis &c. sup.

URBANUS PAPA. VIII.
Ad futuram rei memoriam. Edita An. D. 1638.

In iis præcipuè sollicitudinis nostræ partes libenter interponimus, per quæ Regularium personarum necessitatibus commodiori qua fieri potest ratione succurratur, cùm non modo Pastorale nostrum munus à Nobis id exposcat, sed ad hoc etiam paternus amor, quo illas diligimus nos inducat. Prooemium.

§. 1. Cùm itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Congregationis Montis Oliveti Procurator Generalis, quàm plurima dictæ Congregationis Monasteria, tum propter steriles quorundam annorum messes, aliasque calamitates, ad eam devenerint egestatem, adeòque ære alieno gravata existant, ut illorum ordinarii redditus, & proventus ipsius æri alieni interusurio persolvendo, necnon Cameræ Apostolicæ oneribus, aliisque sibi incumbentibus oneribus supportandis non sufficiant. Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis aliqua ratione providere de benignitate Apostolica dignaremur. Motiva.

§. 2. Nos Monasteriorum hujusmodi indigentiis paterna pietate prospicere, illorumque Superiores, & Monachos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus dicti Procuratoris generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

§. 3. Quòd Monasteriorum pauperiorum dictæ Congregationis Abbates, & Superiores de Abbatis, seu Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis licentia, & assensu unum, seu plures census annuos usque ad pecuniarum summas, quas ipsi Abbas, seu Procurator Generalis hujusmodi illis necessarias esse judicaverint, in sorte principali ascendentes ad rationem quinque pro centenario super suorum Monasteriorum bonis imponere, illosque aliis ditioribus dicti Ordinis Monasteriis tantùm alienare, seque & dicta Monasteria, sive illorum bona ad solutionem censuum sic imponendorum, & alienandorum faciendam obligare; Monasteria verò ditiora hujusmodi pauperioribus Monasteriis prædictis pecuniarum summas eis necessarias ad census, seu pro censibus hujusmodi concedere, censusque prædictos sibi ut præ- Concedit prout in Rubrica.

fertur vendendos, & assignandos recipere, ac Instrumenta desuper necessaria, & opportuna celebrare respectivè liberè, & licitè possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus; dictisque Abbati, seu Procuratori generalibus Monasteria ditiora hujusmodi ad pauperioribus Monasteriis prædictis pecuniarum summas illis necessarias, ut præfertur, concedendas cogendi, & compellendi plenam auctoritate & tenore præfatis tribuimus facultatem.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes præsentes litteras semper validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; pauperioribus verò Monasteriis prædictis, plenissimè suffragari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat. §. 5. Quocirca omnibus & singulis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Abbatis, seu Procuratoris generalium, Monasteriorumquæ dictæ Congregationis, illorumque Superiorum, & seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, ac illis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes, ac omnia in eis contenta ab omnibus, quos illa concernunt integrè, & inviolabiliter observari.

Transgressores puniri mandat. §. 6. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ipsas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis Processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat. §. 7. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. aliorumque Roman. Pontific. Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, illiusque Monasteriorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis. & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §. 8. Volumus autem quòd census hujusmodi sic ut præfertur imponendi quanto citiùs fieri poterit extinguantur, quòdque præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 15. die 12. Apr. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Aprilis 1638. Pontificatus nostri Anno 15.

CCXXVIII.

Annullatio Capituli Provincialis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum. Provinciæ S. Bernardini in Gallia celebrati in spretum, & contemptum literarum Apostolicarum.

De hujusmodi Fratribus lege ad Constit. 209. Inter gravissimas. sup.

Edita A. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit. Cum sicut accepimus in Provincia S. Bernardini Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia, fuerit de mense Septembris proximè præteriti Capitulum Provinciale dictæ Provinciæ celebratum cum assistentia, jussu, & mandato dilecti filii Martialis de la Chaumette d. Ordinis Professoris, prætensi Visitatoris à dilecto Filio ejusdem Ordinis Ministro generali ad id deputati, in spretum, & contemptum nostrarum in simili forma Brevis literarum, per quas dilectus pariter Filius Romanus Cupif ejusdem Ordinis etiam Professor in ejusdem Provinciæ illiusque Fratrum Commissarium, & Visitatorem deputatus, seu delegatus fuerat.

Remittitur controv. Sac. Congr. §. 1. Imò vero Apostolicarum literarum executione ipsius Martialis nomine interposita ad Nos, & Sanctam Sedem Apostolicam appellatione negocium hujusmodi ad Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales negociis Regularium præpositos, ut examinarentur, & à dilecto Filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diac. Cardinale Barberino nuncupato S. R. E. Vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano Nepote, dictique Ordinis apud Nos, & eandem Sedem Protectore decideretur remissum fuerit.

Declarat Capitulum prout in Rubr. §. 2. Nos rationibus pro utraque parte allegatis, & deductis maturè consideratis, accuratèque discussis: De eorundem Fratrum consilio, Capitulum Provinciale prædictum cum omnibus inde secutis fuisse, & esse nullum, nulliusque roboris, vel momenti extare Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, illudque irritamus, revocamus, & annullamus; Eundemque præterea Martialem, omnesque alios qui prædictis nostris literis, ac mandatis Venerab. Fratris Episcopi Biterrensis illarum executoris resistere, vel aliàs contraire ausi sunt, præter censuras, & pœnas in eisdem literis comminatas, & per eos incursas, ad quæcunque dicti Ordinis Officia, Munia, & Dignitates inibi inposterum obtinenda inhabiles vocisque activæ, & passivæ beneficio ad nostrum, & ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum privatos declaramus; ac eundem Romanum in præfati Visitatoris, & Commissarii hujusmodi Officii possessione manutenendum esse, & fore decernimus.

Præceptum de observando. §. 3. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Provinciæ Fratribus, & Personis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub Indignationis, & aliis arbitrii nostri pœnis, ut eundem Romanum in Visitatorem, & Commissarium hujusmodi habeant, & recognoscant, illique debitum honorem, & obedientiam in quocunque dictæ Provinciæ Visitationis actu per eum faciendo præstent, ac eidem Romano, ut peracta per ipsum Visitatione hujusmodi, denuò Capitulum Provinciale d. Provinciæ indicere, intimare, ac celebrare, & vocatis vocandis juxta seriem, & continentiam earundem nostrarum literarum absolvere omninò debeat,

ac

ac decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: ac ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari, sicque per quoscumque Commissarios, & quosvis alios, quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis d. Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Superioribus, & Personis, sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie, etiam aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 15. die 15. Febr.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Februarii 1630. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

CCXXIX.

Quòd Fratres strictioris Observantiæ S. Francisci Provinciæ Principatus non erigant Conventum in Civitate Neapolitana, sed observent concordiam jam factam.

De hujusmodi Fratribus lege, quæ copiosè notavi ad Constit. 240. Injuncti nobis.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1638.

Exordium.

CHristi Salvatoris nostri, qui caritas est, & Deus pacis vices meritis licèt imparibus gerentes in terris, his quæ pro bono pacis inter Christi fideles quoslibet, præsertim Altissimo sub suavi Religionis jugo, & arctioris vitæ disciplinæ famulantes concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma, & illibata persistant, libenter cum à Nobis petiur Apostolici muniminis adjicimus firmitatem.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes de Neapoli Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum S. Francisci nuncupat. Provinciæ Terræ Laboris Professor, quòd vertente quadam inter Patres Custodiæ Terræ Laboris, & Custodiæ Principatus dicti Ordinis controversia, Patres prædicti devenerunt ad concordiam tenore subsequenti, videlicet. Ad omnem sedandam, tollendamque controversiam, quæ inter Patres Custodiæ Terræ Laboris, & Patres Custodiæ Principatus versatur, in hoc omnes unanimes conveniunt, ut Patres Reformationis Principatus desisterent à lite, & prætensione Conventus in Civitate Neapolitana construendi, sive jam constructi petendi; Patresque Terræ Laboris tria infrascripta executioni mandarent; Et primò, ut quoties ægroti Custodiæ Principatus pro infirmitatibus insolitis, & alibi curari non valentibus, præcipuè ob indigentiam remediorum Puteolis Neapolim perveniunt, caritativè à Fratribus Terræ Laboris recipiantur, ac juxta Seraphici Patris mandatum eis inserviatur, sicut vellent sibi serviri. Secundò verò, ut quoties pro necessariis, & honestis negotiis Fratres Principatus Neapolim confugiunt, ab ipsis tractandis minimè impediantur, sed potiùs eis faveant, & tandem quoties pro ejusdem Custodiæ occurrentibus negotiis eandem Civitatem Neapolitanam adeunt, juxta Reformatorum consuetum morem, Patrumque gradus, & conditiones de Cella, cæterisque hospitiis necessariis, benignè provideatur, ac si propriæ Custodiæ Fratres, ac Filii essent: & ne ob concurrentium Fratrum multitudinem, confusioni, ac hospitandi impossibilitati detur locus, Custos, pro tempore Reformationis Principatus sit circumspectus, ne plures, quàm deceat, simul Neapolim Fratres mittat; Ego Frater Laurentius à Monte Corvino Custos Reformationis Provinciæ Principatus confirmo, ut supra. Ego frater Marcellus à Summa à Patre Custode, à Patribus meæ Reformationis ad hoc missus, & delegatus confiteor ut supra. Ego Frater Joannes Baptista à Dongo Procurator Generalis Reformatorum interfui, ac pro bono publico, & pace annui.

Capitula cōcordiæ observanda.

Approbatio Protectoris.

§. 2. Pro nostri muneris ratione utriusque Custodiæ paci, & quieti consulentes supradictam conventionem, & concordiam perpetuò valituram, præsenti Decreto confirmamus, & approbamus, ab omnibusque, & singulis utriusque Reformationis pro tempore existentibus Superioribus, & Inferioribus observari volumus, decernimus, & præcipimus sub pœnis inobedientiæ, aliisque arbitrio infligendis. Dat. Romæ ex Palatio nostræ solitæ Residentiæ die 29. Martii 1618.

Fabritius Card. Verrallus Protector.

Confirmat prout in Rubrica.

§. 3. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, dictus Joannes præmissa pro firmiori illorum subsistentia Apostolica auctoritate comprobari desideret; Nos ipsum Joannem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvendum, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Concordiam prædictam, cum omnibus in ea contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm Juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes Concordiam hujusmodi, nec non præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac à dictarum Custodiarum Superioribus, & Fratribus, & quibusvis aliis ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum, ac inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, & Custodiarum homini etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 16 die 17. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 17. Augusti 1638. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCXXX

Quòd in Ecclesiis Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes Cura animarum exerceri possit etiam per Monachos ad nutum suorum Superiorum amovibiles.

Vide quæ de hujusmodi Monachis indicavi tibi ad Constit. 100. Commissi nobis. & ad aliam 172. Sancta Mater.

Edita A. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

ALiàs à Venerabilib. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini interpretibus super subinserto supplici libello sibi tunc porrecto emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet.

Supplicatio.

§. 1. Illustrissime, & Reverendissime Domine. Monasterium Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis Civitatis Patavinæ habet nonnullas parochiales Ecclesias in eadem Diœcesi, quæ non sunt unitæ Monasterio, sed sunt Parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus Episcopus Patavinus dicit, Monasterium fuisse solitum deputare Presbyteros Seculares, qui prævio ipsius Episcopi examine, & approbatione curam animarum exercuerunt, sed ab aliquot annis cepisse deputari unum Monachum, qui sine Socio regulari, & cum solo famulo habitat in d. Parochiali, & Curam administrat etiam sine Episcopi approbatione. Unde nunc quæritur, an in dictis Parochialibus ab ipsis Monasteriis quoquomodo dependentibus, non autem unitis debeat cura animarum exerceri per Monachum, vel per Presbyterum Secularem ab ipsis Monachis nominatum, & ab Episcopo approbatum. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum partibus auditis, censuit, in Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum Congregationis Cassinensis, aut aliàs ab ipsis dependentes, curam animarum exerceri posse etiam per Monachos ad suorum Superiorum nutum amovibiles, ita tamen ut iidem priùs examinentur, & approbentur ab Episcopo, ejusque jurisdictioni subjiciantur in his, quæ ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, & cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius saltem Monachus ejusdem Ordinis Professus ad præscriptum Concilii Lateranensis sub Alexandro III. cap. 10.

Declaratio prout in Rubrica.

Confirmatio decreti.

§. 2. Cùm autem sicut dilectus Filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, ipsum decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desideret; Nos eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Ita judicari mandat cum decreto irritante.

§. 3. Decernentes illud, necnon præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Septembris 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Dat. P.A. 16 die 6. Sept.

CCXXXI.

Contra deferentes Habitum Tertiariorum Tertii Ordinis S. Francisci, absque licentia Superiorum Ordinis, vel deferentes Tunicam oblongam cum, vel sine Caputio, cum mantello.

Pro observantia hujus Constitutionis die 27. Novembris 1638. Provicarius Papæ Fr. Antonius Cardinalis Barberinus expedivit edictum sub pœna carceris, & exspoliationis Habitus in contrafacientes.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CUm sicut dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum regularis Observantiæ Sancti Francisci Nobis nuper exponi fecit quamplures abutentes Habitu Fratrum Tertiariorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci, vel simplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel sine eo absque Superiorum prædictæ Religionis licentia deferant, vel etiam eis Caputium aut Tunicæ adjunctum, aut ipsi Mantello consutum superaddant, eorumque nonnulli extra Claustra degentes tum scandalosè, & inopportunè sub specie peregrinationis, aut alterius emendicati prætextus divagentur tum etiam aliquas Ecclesias, seu Capellas adscito sibi Heremitarum nomine incolant, exindeque maxima apud sæculares scandali materia, & pravæ opinionis erga prædictam Religionem ingeratur, Nobis propterea d. Procurator Generalis humiliter supplicari fecit ut tot incommodis, & scandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur eundem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommuuicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Mandat Ordinariis, si quos invenerit de quibus in Rubr. carceri mancipan. esse &c.

§. 2. Omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac Nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis ubivis Terrarum constitutis, & degentibus tenore præsentium districtè præcipiendò mandamus, ne de cætero quemquam prædictam Tunicam oblongam, cum, vel sine Mantello absque Superiorum prædictæ Religionis Minorum de Observantia, & cujusvis instituti, seu Congregationis Ordinis ejusdem S. Francisci licentia in scriptis obtenta quoquomodo deferre permittant, utque si aliquem præmissorum transgressorem repererint illum carceri mancipandum, tali Habitu exuendum, & arbitrariis pœnis mulctandum irremissibiliter curent, & præterea nemini licitum faciant etiamsi prædictæ Religionis Minorum de Observantia, & cujusvis Instituti, seu Congregationis universi Ordinis hujusmodi Superiorum scripta,

seu

seu quovis alio prætextu roborata licentia desuper accesserit, ut habitum hujusmodi cum prædicto Caputio, vel Tunicæ, seu Mantello, ut præfertur, consuto deferant, sublata ejusdem Ordinis Superioribus, ipsisque locorum Ordinariis, ac Nunciis Apostolicis, & eorum cuilibet quavis auctoritate licentias hujusmodi cuiquam concedendi, ac demum, earumdem tenore præsentium volumus, & ordinamus, ut si quispiam tale deferens Caputium, vel cum licentia, vel sine ea inventus fuerit, carceris detentione, habitus privatione, & aliis arbitrariis pœnis ab eisdem Ordinariis, & Nunciis omninò puniatur.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Ut autem præsentes nostræ literæ ad omnium, quos illæ concernunt notitiam facilius deveniant. Volumus autem quòd illarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 16. die 5. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Octobris 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CCXXXII.

Decretum Sacræ Rituum Congregationis de non jejunando in Vigilia S. Joannis Baptistæ, quando contingit in die Solemnitatis Corporis Christi.

Die 24. Septembris 1638.

Cum anno proxime venturo 1639. Vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in diem Solemnitatis Corporis Christi, fuit à pluribus locorum Ordinariis supplicatum Sanctissimo pro declaratione, quid agendū esset de Jejunio eo die præscripto. Et supplicatione per Sanctitatem Suam ad Sacram Rituum Congregationem remissa. Eadem Sacra Congregatio re mature discussa censuit. Non esse jejunandum, neque abstinendum à Carnibus in festo Solemnitatis Corporis Christi. Sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe Feria quarta, prout jejunaretur in ipsa Vigilia, & videri etiam S. Congregationi, quòd Sanctitas Sua, si ita placuerit, præciperet super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus contigerit, & facta per me Secretarium relatione de præmissis Sanctitati Suæ, Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis laudavit, & Breve pro toto Orbe expediri mandavit, prout expeditum fuit, tenoris, ut infra.

C. Episc. Portuensis Card. Pius.

Loco † sigilli.

Declaratio, quòd non sit jejunandum in Vigilia S. Joannis Baptistæ, quando contingit in die solemnitatis Corporis Christi.

Circa hoc habes immediatè supra Decretum Sacræ Rit. Congregationis.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum evenire quandoque possit ; ut Vigilia S. Joannis Baptistæ in diem festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri JESU Christi incidat.

Causa hujus constit.

§. 1. Nos attendentes diem festum hujusmodi quo tanti Sacramenti institutio, summa totius populi Christiani lætitia recolitur ; è principalibus anni Festivitatibus existere, propterea de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties Vigiliam prædictam in dictum diem festum Solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini Nostri JESU Christi incidere contigerit, non esse jejunandum, neque à carnibus abstinendum in die festo hujusmodi, sed antecedenti, nempè Feria quarta, prout jejunaretur in ipsa vigilia, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur eisdem literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 16. die 13. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Octobris 1638. Pontificatus Nostri Anno 16.

CCXXXIII

Quod Monachi Cassinenses non sunt ullo modo cogendi accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti.

Ne jam indicata otiosè repetam te remitto ad ea, quæ notavi ad Constitut. 100. Commissi Nobis, &c. & ad aliam 172. Sancta Mater, &c.

Edita An. D 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Motiva cum Decreto desuper emanato.

Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti Nobis expositum fuit, quòd alias seu nuper à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Sacris Ritibus Præpositis emanavit Decretum tenoris subsequentis videlicet. Pro Monachis S. Sixti Congregationis Cassinensis Placentiæ commorantibus narratum fuit, quòd ipsi Monachi nunquam in eadem Civitate, nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, præterquam ad Processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc verò Episcopus vult eos cogere, ut accedant etiam ad Processiones, quæ fieri solent pro Rogationibus majoribus, & minoribus singulis annis, ad quas antea nunquam accesserunt, & propterea petierunt non adstringi ultra eorum solitum, & consuetum. Sacra Rituum Congregatio respondit, Monachos prædictos non esse ullo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, juxta eorum antiquam consuetudinem, quam tàm dictis Monachis Placentiæ commorantibus, quàm aliis ejusdem Congregationis Cassinensis ubique conservandam esse censuit, & declaravit. Die 10. Junii 1602. Datum hac die 9. Octobris 1638.

Confirmatio Decreti, de quo in Rub.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Procurator Generalis Decretum hujusmodi pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Nos eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc hu-

militer porrectis inclinati; Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Ita judicari mandat cum Decreto irritante.

§. 3. Decernentes illud, necnon præsentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 4. Quocirca dil. fil. nostro, & Sedis Apostolicæ nunc, & pro tempore existenti in Regno Neapolis Nuncio, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios Decretum, & præsentes literas hujusmodi, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tàm prædictorum Monasterii Placentini, quàm aliorum quorumcumque ejusdem Congregationis Monachorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant illos auctoritate nostra præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes, eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, vel facti remedia appellatione postposita compescendo; Invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Congregationis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A.16. die 17. Nov.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Novembris 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CCXXXIV.

Indulgentia Plenaria pro visitantibus Ecclesias Societatis JESU, ac Communione refectis in festo S. Francisci Xaverii cum translatione Indulgentiæ, quando Festum occurrit prima Dominica Adventus.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Greg. XV. edidit Const. de hac materia.

ALiàs fel. rec. Gregorius XV. Prædecessor noster omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis Societatis JESU, ac aliis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictæ Societatis ubique existentibus in festo Sancti Francisci Xaverii devotè visitassent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuò concessit, prout in literis desuper confectis pleniùs dicitur contineri.

§. 1. Cùm autem, sicut Præpositus Generalis dictæ Societatis Nobis nuper exponi fecit, Festum S. Francisci Xaverii prædicti quandocumque in Dominicam primam Adventus incidat, cupiatque propterea illud in aliam Nobis benevisam diem, ut infra, transferri;

Concedit prout in Rubr.

§. 2. Nos ad augendum eorum Presbyterorum, aliorumque utriusque sexus Christi fidelium devotionem, & animarum salutem, Cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate apertis, quotiescumque de cætero Festum hujusmodi in dictam primam Dominicam Adventus inciderit, celebrationem Festi hujusmodi in unum ex diebus infra Octavam Festi prædicti S. Francisci Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò transferimus; iisdemque Presbyteris, ac aliis Christi fidelibus prædictis aliquam ex dictis Ecclesiis Societatis hujusmodi visitantibus & præmissa peragentibus die, in quam celebrationem festi hujusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 3. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A.16. die 22. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1637. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCXXV

Privilegia Molitoribus Urbis concessa.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus Const.

CUm sicut accepimus dilectis filiis Universitati, & Hominibus Artis Molitorum Almæ Urbis, nedum Molarum, ac domorum ejusdem Molis contiguarum ob necessitates repentinas necessariarum, ac Scalarum, & Turricularum earumdem pensiones, seu locationes, quandoque augeri contingat; Verum etiam permulti Molariam artem revera non exercentes, Molas, Domos, Scalas, & Turriculas hujusmodi, Molitoribus locandas, seu sublocandas conducant, vel in socios sibi Molitores, qui suo nomine Artem hujusmodi exerceant, assumant, hisce artibus lucrum ex alieno labore captando, & aliis pauperibus Molitoribus, occasionem sibi quærendi victum subtrahendo.

§. 1. Nos attendentes, Molitorum operam Reipublicæ maximè necessariam, & utilem esse, ac proindè illorum commodis, & quieti, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine,

§. 2. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, Molarum, tàm in terra, quàm in flumine existentium, Turricularum, Scalarum, & Domorum ipsis Molis contiguarum, & pro illarum custodia commodarum, in quibus Molitores habitant, seu habitabunt, pensiones, seu locationes augeri nequeant, quòdque locationes Molarum, Scalarum, Domorum, & Turricularum hujusmodi factæ illis, qui realiter, & cum effectu Molitores non sunt, & personaliter artem prædictam non exercent, licèt patentes desuper ipsorum Universitatis, & Hominum literas obtinuerint, etiamsi de locationibus hujusmodi specialis mentio facienda foret, ipsæque etiam Apostolica auctoritate confirmatæ sint, nullæ, & invalidæ sint, & esse, ac expirasse censeantur, inque illis in omnibus, & per omnia Molitores prædictas Molas, Scalas, Domos, & Turriculas hujusmodi inhabitantes, restituto tamen dictis locatariis suorum bonorum mobilium valore, succedere debeant.

§. 3. Ac præterea, quòd nullus cujusvis Molæ,

aut

aut illius partis Dominus, qui verè, & actu non sit Molitor, possit illam per tertiam personam exerceri facere, nec ab illa Molitores actu exercentes ad effectum illam inhabitandi amoveri, etiamsi prædictæ Molæ, Domus, Scalæ, & Turriculæ, ad quasvis Basilicas, Collegiatas, & alias Ecclesias, loca pia, & alias quasvis privilegiatas personas, etiam speciali nota, & mentione dignas, & hic forsan de necessitate exprimendas spectarent, & pertinerent, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ipsosque Molitores in emptione Molarum, Domorum, Scalarum, & Turricularum hujusmodi cæteris omnibus, & quibuscumque præferri volumus.

§. 4. Et propterea omnes, & singulas lites, & causas hactenus forsan contra ipsos Universitatem, & Homines occasione augmenti pensionum, seu locationum, Molarum, Scalarum, Domorum, & Turricularum hujusmodi, vel aliorum quorumcumque prædictorum coram quibusvis Judicibus, seu Tribunalibus etiam quantumvis privilegiatis, & supremis etiam speciali, & individua expressione dignis motas, & pendentes, indecisas, in eisdem statu, & terminis, in quibus ad præsens reperiuntur, statum earum hujusmodi veriorem, & certum, ac merita, & causas, nominaque & cognomina Judicum, Notariorum, ac Collitigantium, & Dominorum Molarum, Scalarum, Domorum, & Turricularum hujusmodi, aliorumque causam ab eis habentium, etiamsi Basilicæ, Ecclesiæ, Monasteria, Confraternitates, Hospitalia, & alia loca pia, ac etiam Viduæ, Pupilli, & Minores, aliique quantumvis privilegiati existant, præsentibus pro sufficienter expressis habentes ad Nos harum serie avocamus, illasque sic avocatas, ac quascumque alias ratione præmissorum de cætero movendas dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Annonæ Præfecto privativè quoad omnes alios, & singulos Romanæ Curiæ Judices, Magistratus, & Tribunalia committimus, illique plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem per se vel alium, seu alios ab eo deputandos privativè quoad alios quoscumque Judices, Magistratus, & Tribunalia etiam supremos, & suprema, ac speciali mentione, & expressione dignos & digna cognoscendi, decidendi, & debito fine terminandi omnes, & singulas causas hujusmodi motas & movendas, ut præfertur, cum omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ac etiam cum clausula quam & quas, etiamsi contra ipsos Universitatem, & Homines ageretur & procederetur, vigore obligationum Cameralium juramento vallatarum, & cum expressa renunciatione præsentis indulti, necnon Domus, Scalæ, Molæ, & Turriculæ hujusmodi ab eis possessæ, seu conductæ, directè, vel indirectè ad quasvis personas quantumvis privilegiatas, ac etiam Basilicas, & quasvis Ecclesias etiam Parochiales, Capellas, Religiones, Præceptorias, seu Commendas, Monasteria, Conventus, Hospitalia, Confraternitates, & alia pia loca etiam insignia, & pari privilegio suffulta, ac etiam ad quoscumque Pupillos, Minores, & Viduas, & quoscumque alios, quantumvis amplissimis privilegiis suffultos, etiam speciali mentione dignos spectarent, necnon etiam in eisdem causis & litibus, ac illarum qualibet singulis diebus & horis præterquam in honorem Dei feriatis, summariè, executivè, simpliciter, & manu regia, sine strepitu & figura Judicii, sed sola facti veritate inspecta, & aliàs prout eidem Annonæ Præfecto, & ab eo deputandis prædictis, ac secundum rei & casus exigentiam visum, fuerit expedire, omni & quacumque appellatione, provocatione, & recursu postpositis procedendi cum facultate pariter avocandi, & reassumendi prædictas lites, & causas motas, & movendas, ac quibusvis Judicibus, Tribunalibus, & Magistratibus Ecclesiasticis, & Secularibus etiam Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & quibusvis aliis Judicibus etiam supremis, ac privilegiatis, & necessario exprimendis, necnon omnibus, & singulis supradictis, & aliis, quibus opus fuerit sub pœnis pecuniariis, & censuris eidem Annonæ Præfecto, & ab eo deputandis placitis, & beneviſis inhibendi, aliaque omnia & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi concedimus.

§. 5. Decernentes, præsentes literas nullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, vel impugnari, in Jus vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque Juris vel facti, aut gratiæ remedium impetrari posse sed semper & omni tempore contra & adversus quascumque impugnationes validas, & efficaces existere, suosque effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici, & Cameræ Apostolicæ Auditores, ac ipsam Cameram, ejusque Camerarium, Vicecamerarium, Thesaurarium, Decanum & Præsidentes, Clericos, necnon etiam Vicarium nostrum in Alma Urbe in spiritualibus Generalem, ejusque Locumtenentes & Auditores Senatorum, Collaterales, Viarum Magistros Urbis prædictæ, eorumque Assessores, & quosvis alios Romanæ Curiæ Judices, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, cōtigerit attentari. Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus omnibus & singulis præmissis, ac quod in illis interesse quomodolibet habentes, aut habere prætendentes ad illa vocati & auditi non fuerint, vel illis contradicant expresſè, & se opponant, necnon quibusvis litis pendentia, & Instrumentis factis, & de cætero faciendis etiam cum obligatione in forma Cameræ prædictæ, & Juramento, & cum præsentis indulti, & quavis alia renunciatione, & cautela, & quibusvis aliis privilegiis & facultatibus concessis quibusvis Tribunalibus, & Magistratibus dictæ Urbis, ipsique Cameræ, ejusque Camerario & Clericis, etiam dictæ Cameræ Auditori Generali, dictoque Vicario nostro, Populo Romano, Magistris Viarum, eorumque Assessoribus, necnon Basilicis, Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis supradictis, ac alias quomodolibet in genere, vel in specie etiam ex titulo oneroso, ac sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac fel. record. Gregorii Papæ XIII. Prædecessoris nostri super Jure congrui edita, ac cum quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam Cancellariæ Apostolicæ regulis, & præsertim illa de Jure quæsito non tollendo, ac prædictæ Urbis etiam Juramento, confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, confirmationibus, stylis, & usibus etiam Palatii nostri Apostolici, ac decretis etiam Consistorialibus & Conventionibus. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi perinde, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, necnon forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expresſè dero- Contrariis derogat.

gamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P.A.16. die 30. Apr. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 30. Aprilis 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Die 9. Maij 1639. Supradictum Breue fuit in plena Camera Apostolica exhibitum, & ex illius decreto commissum Illustriss. & Reverendiss. D. Dongho ejusdem Cameræ Clerico, & per ipsum die Veneris 13. ejusdem prævia citatione contra Reverendiss. D. Commissarium Gen. ejusdem Cam. exequ. facta relatione in eadem plena Camera ex alio decreto illius fuit admissum, & Lib. 11. Diu. S. D. N. sub fol. 159. registratum. Joannes Cermontinus.

CCXXXVI. Contra Ambientes Dignitates, & Officia Ordinis S. Hieronymi Congregationis Fesulanæ.

Promotor istius Congregationis Fesulanæ fuit Carolus Comes Montis Granelli, eorumque regularem vitam approbavit Innoc. VII. & Greg. XII. ut in ipsius Gregor. Constit. 3. tom. 1. Fratres prædictos iterum approbavit sub Regula S. Augustini, Eugen. VI. Const. 21. tom. 1.

Edit. An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. QUoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus à Deo tamquam Aaron, & à Regularis vitæ instituto valdè alienum est, ut Religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus, sanctitate vitæ, ac aliis Religiosis virtutibus potiùs promereri, quàm appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet: mendicatis sæcularium præsertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesia Dei pernicies adferri solet. Nos, qui pro muneris nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut Ecclesiastica, regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus, quidam in Ordine Sancti Hieronymi Congregationis Fesulanæ Professionis, & regulæ, quàm professi sunt, penitus immemores, nimiaque Dignitatum, & Officiorum Ecclesiasticorum in dicta Congregatione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis, Ecclesiasticorum, & Secularium Principum studia requirant, & è S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis commendatitias literas, aliosque favores, & gratias propterea exspectant, quibus adjuti, quos ipsi ex se promeruisse minus confidunt gradus, & dignitates in eadem Congregatione consequi valeant, sicque ejusdem Congregationis quietem, non sine animarum suarum periculo perturbant.

§. 2. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Congregatione, cujus prosperum regimen, & incrementum ad Ecclesiæ Sanctæ utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostra Pastorali solicitudine propellere summoperè cupientes. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, eos omnes & singulos Fratres dicti Ordinis, & Congregationis cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Congregationis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque personarum tàm Sæcularium, quàm Ecclesiasticarum de gremio dictæ Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque sæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directè, vel indirectè palam, vel occultè, ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia Officia prædicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiverint, aut etiam spontè oblatis, & minimè conquisitis usi fuerint, illorumque complices, & Fautores ad quascumque Prælaturas, dignitates, & officia, gradusque honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & Officiis hujusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tàm activa, quàm passiva carere decernimus, & declaramus, atque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, omnibus dicti Ordinis, & Congregationis Fratribus, Superioribusq; & Prælatis quocumq; titulo muneris insignitis etiam Priori generali, præsentibusque & futuris præcipimus, districtèque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque tàm Secularium, quàm Ecclesiasticorum extrà dictum gremium existentium etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum ad cujusvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & Officia prædictæ Congregationis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant, vel præsumant.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes Electiones, & promotiones, ad Monasteria, seu Prioratus, vel Officia dicti Ordinis, & Congregationis contra Præsentium dispositionem (quod absit) quandocumque faciendas & pro tempore obtentas, nullas prorsus, invalidasque fore, & esse, nullisque viribus subsistere; Ac omnes & singulos in præmissis delinquentes, nulla aliâ monitione præcedente, & absque Processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illos sententias, & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitimè probandum, & omninò convincendum, solas præmissarum personarum instantias, preces, & favores etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam, & sufficientè in judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, & ita per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi ju[ra]mento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si prædictis Fratribus, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Ut

Transumptis credi jubet. §. 5. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Congregationis Fratres faciliùs deveniat; Volumus, illas in generali Capitulo dictæ Congregationis publicè legi, illasque in dicto Capitulo lectas sic arctare, ac si legitimè unicuique intimatæ fuissent, illarumque exemplis etiam impressis manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & Prioris Generalis ipsius Congregationis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis eamdem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem præsentes exhiberentur.

Dat. P. A. 16. die 15. Febr. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Februarii 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CCXXXVII. Præfinitio numeri Magistrorum Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum.

De istorum Fratrum Religione notavi sup. ad Const. 191. & ad Constit. 205. Exponi. &c.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In his Apostolici nostri muneris partes libenter interponimus, per quæ fœlici Regularium personarum statui opportunè consuli judicamus.

Motiva. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Michaelis Mazarini Sac. Theologiæ Magistri, ac Romanæ Provinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Provincialis Nobis expositum fuit, quod in non mediocre dictæ Provinciæ bonum cederet, si quemadmodum in quibusdam aliis dicti Ordinis Provinciis sancitum est, certus, ac determinatus Magistrorum in Sac. Theologia Ordinis hujusmodi cum loco & voce, qui Acceptati communiter nuncupari solent, numerus in dicta Romana Provincia per nos constitueretur: Nobis propterea dictus Michael Prior Provincialis hujusmodi humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè ut infra providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Magistri sint tantum viginti. §. 1. Nos igitur ejusdem Provinciæ felici regimini & gubernio quantum cum Domino possumus benignè consulere, ipsumque Exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Præfatis Magistris Acceptatis in Provincia Romana hujusmodi numerum Vicenarium, qui nonnisi per eos qui in Studio Generali dictæ Provinciæ Regentis munere functi fuerint excedi possit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium præscribimus, & præfinimus.

Nullus nisi Regens fuerit in Magistrum acceptetur. §. 2. Ac insuper quod de cætero nullus, nisi Regens ut supra fuerit in ejusdem Provinciæ Magistrum acceptari valeat, donec & quoadusque Magistri, qui modo sunt in dicta Provincia acceptati, quibus per præsentes nullum præjudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate, & tenore præsentium interdicimus, & prohibemus; Decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Capitulorum Generalium dicti Ordinis decretis, si quæ præmissis adversentur, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 16. die 17. Maji. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Maij 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CCXXXVIII. Quod Priores Provinciales Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum debeant esse Biennales.

Vide quæ de his Fratribus indicata sunt ad Const. 7. Gregorii XI. Virtute.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ hujus Constit. Nuper pro parte dilecti filii Michaelis Mazarini in Sacra Theologia Magistri, ac Romanæ Provinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Provincialis Nobis expositum fuit, quòd dictæ Provinciæ Priores Provinciales antè Capitulum Generale ejusdem Ordinis in Alma Urbe nostra novissimè de anno 1629. celebratum biennales erant, in eo autem Capitulo Generali statutum fuit ut Priores Provinciales ab inde quadriennales forent, exceptis tamen Provinciis speciali, quoad hoc indulto Apostolico gaudentibus. Verùm quia dubitari potest, an in prædicta Provincia Romana hujusmodi indultum vigeat, ad omnem scrupulum è medio removendum statutum etiam fuit in Dieta nuper in eadem Alma Urbe in domo Regulari, seu Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam dicti Ordinis habita supplicandum esse, prout idem Exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur felici Provinciæ hujusmodi gubernio quantum cum Domino possumus consulere, ac eumdem Michaelem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Mandat prout in rubr. §. 2. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus dictæ Provinciæ Romanæ Priores Provinciales biennales sint, & esse debeant, nec ultra biennium in hujusmodi Provincialatus Officio perdurare possint, & quidquid secus à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, irritum, & inane existat, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus respectivè; Non obstantibus prædicta Capituli Generalis ordinatione, seu statuto, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis

teris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum omnium tenoribus præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A.16. die 28 Maji. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Maij 1639. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

CCXXXIX. Reſtitutio Patrum Provinciæ, & Revocatio, ſeu Moderatio Motus proprii Greg. XV. pro tota Familia Ultramontana.

Statuta pro Ultramontana Familia Vide ad Conſt. 53. hujus Pont. Sacroſanctum. & ea quæ ſequuntur poſt ipſam.

Edita An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Oneroſa Paſtoralis Officii cura Nobis ex alto, meritis licet imparibus, commiſſa crebro nos admonet, ac inducit, ut ad ſtatum Chriſti fidelium quorumlibet, præſertim regularem vitam profitentium ſalubriter dirigendum operoſis ſtudiis intendentes, ea quæ pro felici eorum gubernio, proſperaque directione providè ſtatuta, & ordinata eſſe comperimus, Apoſtolicæ confirmationis robore communiamus; prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Cauſæ hujus Conſtit. §. 1. Nuper ſiquidem ad aures noſtras pervenit, quod deficientibus in Definitoriis omnium Provinciarum Ultramontanæ Familiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, qui Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis ſubjiciuntur, iis, qui Provinciæ Patres nuncupantur, & inibi præſtantiores Judices, Electoreſque habentur, magna totus Ordo prædictus ſuſtinet incommoda, & ſubditorum regimen, & Officiorum proviſio difficiliora in dies efficiuntur, ideoque communi Vocalium in Generali dicti Ordinis Capitulo nuperrimè celebrato congregatorum aſſenſu, decretum fuit nobis ſupplicandum eſſe, ut omnes Patres Provinciarum, quos fel. rec. Greg. XV. Prædeceſſor noſter per ſuas in ſimili forma Brevis literas abſtulit, & abolevit: Nos de benignitate Apoſtolica reſtituere dignaremur. Verumtamen re in Definitorio Generali ejuſdem Ordinis maturiùs deliberata, de conſenſu dilecti filii noſtri Franciſci S. Laurentii in Damaſo Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarii, noſtri ſecundum carnem ex fratre germano Nepotis, ac Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris ſtatutum fuit, ut duo tantum Patres Provinciæ in prædicta ſingularum Provinciarum Ultramontanæ Familiæ hujuſmodi Definitoria introducantur, unus ſcilicet, qui in Provincia reliquis dignior ſit, ille nimirum, qui inter Patres Provinciæ primum locum ſibi vendicat, qui quidem ſemper in Definitorio aſſiſtat, alter verò, qui immediatè Miniſtri Provincialis Officium abſolverit, ut ſequenti etiam immediatè triennio dumtaxat eam obtineat dignitatem, & in Definitorio aſſiſtat, ea lege tamen, ut ſi iſte ex qualibet cauſa deficiat in ejus loco ſubrogatus eo ipſo ſit, qui ante ipſum Miniſter Provincialis immediatè extiterit, triennio autem hujuſmodi tranſacto, alius qui Miniſtri Provincialis Officio etiam immediatè functus fuerit ſubſequatur, & ſic deinceps de triennio in triennium dumtaxat ſervetur, ita quod nunquam hi duo Patres in dictarum Provinciarum Definitoriis deſiderentur. Quod ſi contingat, ut quis erit dignior, & perpetuus in Definitorio hujuſmodi, vigore præſentium literarum aſſiſtens alio titulo de eodem Definitorio exiſtat, ſibique jus in illud ingrediendi competat, tunc in ejus locum ipſo facto ſubrogatus ſit ille Pater Provinciæ, qui eidem dignitate proximus fuerit.

Inſtituit duos Patres pro Definitoriis Provinciæ Ultramontanæ. §. 2. Quare nos attendentes ea ratione, & multitudinem Patrum Provinciæ auferre, ac de iis, qui pro felici Provinciarum hujuſmodi directione, & gubernio neceſſarii ſunt ſufficienter provideri, ac prædictarum Gregorii Prædeceſſoris hujuſmodi literarum tenoribus, & datis præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris inſtitutionem, ſeu reſtitutionem prædictorum duorum Patrum Provinciæ pro Definitoriis Provinciarum prædictarum in dicto Definitorio generali, ut præfertur, factam; Apoſtolicæ auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus ſi qui deſuper, quomodolibet intervenerint ſupplemus.

Præmiſſa obſervari mandat. §. 3. Decernentes illa, & præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari.

Aliter judicari non poſſe decernit. §. 4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat & pœnas contrafacientib. addit. §. 5. Quocirca dilectis filiis Miniſtro, & Vicario ſeu Commiſſario Generalibus d. Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut præſentes literas, & in eis contenta quæcumque à ſibi ſubditis omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet ſub excommunicationis, privationiſque ſuorum Officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ, pœnis eo ipſo incurrendis, debitæ executioni demandari, ac inviolabiliter obſervari curent & faciant.

Contrariis derogat. §. 6. Non obſtantibus quoad præmiſſa dumtaxat præfatis Gregorii Prædeceſſoris literis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & Perſonis quibuſvis, ſub quibuscumq; tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantib⁹ & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum, etiam motu, ſcientia, & deliberatione ſimilibus quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio facienda eſſet, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 7. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

D. P. A. 16. die 23. Julii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Julii 1639. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

CCXL.

Erectio Custodiarum Fratrum strictioris Observantiæ S. Francisci Cismontanæ familiæ in Provincias Reformatas.

De horum Reformatorum primæva Congregationis approbatione, totoque ejus statu multa habes indicata in Clementis VII. Constit. 35. In suprema militantis. to. 1. Alias ordinationes dedit Gregor. XIII. in Const. 55. Cùm illius. t. 2. Etiam Pius V. de domibus à Fratribus de Observantia eis assignandis sanctionem ediderat in Const. 81. Injunctum. Deinde Clemens VIII. eosdem veros Regulæ B. Francisci non autem novæ Regulæ Professores esse declaravit in sua Const. 92. Ex injuncto; Ac etiam confirmavit, & declaravit præfatum Greg. XIII. Const. in sua Constit. 45. Pro injuncti nobis. tom. 3. Postremò dictas Constitutiones pro feliciori horum fratrum regiminis progressu S. D. N. Urban. VIII. innovavit, & superaddidit alias Constitutiones hic sup. Const. 12. Romanus Pont.

Edita An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

Injuncti Nobis per abundantiam divinæ gratiæ pastoralis Officii ratio postulat, ut circa statum regularium personarum quarumlibet, præsertim illarum, quæ sub arctiori observantiæ norma gratum Altissimo exhibent famulatum, jugiter invigilantes, ad ea per quæ pium eorum institutum, ad majorem Dei gloriam, & ejus Ecclesiæ decorem propagetur, pax & concordia inter eos conservetur, ipsique facilioribus indies in via Domini proficiant incrementis, propensius intendamus: ac in his ejusdem Officii nostri partes interponamus, prout conspicimus in Domino feliciter expedire.

Motivum.

Cùm itaque sicut accepimus, Custodiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci, Reformatorum nuncupati, adeò excreverint, ut in Provincias erigi possint, distinctasque Fratrum Reformatorum hujusmodi, ab illis Fratrum de Observantia ejusdem Ordinis Provincias, institui, pacis inter illos stabiliendæ plurimù intersit.

Erectio Provinciarum, prout in rub.

§. 1. Idcircò Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Majoris, & Minoris Poloniæ, ac omnes alias Cismontanas Fratrum hujusmodi Custodias, quæ duodecim saltem Conventus habent, in Provincia Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi, tenore præsentium erigimus.

Protector prima vice eligit Ministros.

§. 2. Ac dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vicecancellario, nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti, d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, Ministros Provinciales Provinciarum hujusmodi, & Definitores, pro prima vice, constituendi, & deputandi: Capitulis verò Provincialibus cæteris Officiales facultatem concedimus.

§. 3. Necnon, quod Provinciæ, sic, ut præfertur, per Nos erectæ retineant proprium nomen, addito solummodò, quod sunt Reformatæ.

§. 4. Ac habeant locum, & præcedentiam juxta consuetudinem dicti Ordinis post Provincias jam erectas: itaut eo loco permaneant, quo dum Custodiæ nominabantur, erant.

Protector eligit Procuratorem generalem.

§. 5. Ac insuper, quod Provinciæ Reformatæ hujusmodi habeant Procuratorem Generalem nominandum, & eligendum, à dicto Francisco Cardinale, & pro tempore existenti Ordinis prædicti Protectore.

Privilegia quibus gaudet Procurator generalis Reformatorum.

§. 6. Qui Procurator Generalis in Capitulis, & Congregationibus, ac Definitoriis Generalibus sedeat immediatè post Procuratorem, & Commissarium Generalem dicti Ordinis Familiæ: & in eis votum, seu suffragium habeat quemadmodum habent Procurator Generalis Ordinis, & Commissarius Curiæ. Finito autem suo Officio remaneat Pater Ordinis perpetuus, cum omnibus privilegiis, exemptionibus, & præcedentiis, quæ conceduntur Procuratori Fratrum de Observantia, & Commissario Curiæ ejusdem Ordinis.

§. 7. Ad hæc quod quando Minister Generalis erit ex Ultramontana Familia, Commissarius Generalis eligatur ex Cismontana Familia; & idem servetur in electione Vicarii Generalis, quando Minister Generalis, ex Cismontana familia discessurus est ultra montes præservata Nobis hac vice Commissarii Generalis hujusmodi electione, & deputatione suo tempore per Nos declaranda. — Commissarius Generalis ex qu Familia eligendus.

§. 8. Deinde, quòd Definitores Generales ex diversis Provinciis, juxta formam statutorum Generalium dicti Ordinis, quorum tamen quatuor ex Familia, & duo ex Reformatis esse debeant.

§. 9. Dictique Reformati, & eorum Conventus, nisi per Patres alicujus ex Provinciis Reformatis hujusmodi visitari minimè possint.

§. 10. Gubernarique debeant cum solis statutis Reformationum, quæ nec à Capitulo, nec à Ministro Generali possint alterari, seu immutari, sed eorum moderatio fieri debeat à Reformatis tantum, in Capitulo, vel Congregatioue Generali.

§. 11. Nec Minister Generalis Constitutiones, vel ordinationes perpetuas, vel ad tempus, quæ Reformatos obligent, vel contra illos condere possit.

§. 12. Ipsique Reformati ad peculiaria illius mandata, quæ Definitorum Provinciæ judicio, dictorum Reformatorum Reformationi, & Observantiæ non fuerint congruentia, minimè teneantur.

§. 13. Insuper, quòd ad Visitationes, & negotia Reformatorum nullo modo possint deputari Fratres de Familia, sed solummodo ipsimet Reformati.

§. 14. Ac demum quòd transitus ab Observantia ad Reformationem concedatur, prout hactenus Observantes habuere; itaut dictæ Provinciæ Reformatæ inserviant pro reformatione Observantium hujusmudi.

§. 15. Sublata eisdem Observantibus in perpetuum, novam Reformationem erigendi, seù instituendi facultate.

§. 16. Quòdque Reformati prædicti possint etiam transire ad Observantes, ex causis in Constitutione fel. rec. Pauli Papæ V. hac super re emanata expressis. Et sic transeuntes nequeant ab observantibus rejici, earundem tenore præsentium statuimus, volumus, & ordinamus.

§. 17. Mandantes præterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque nostris, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio pœnis, omnibus, & singulis Ordinis prædicti Superioribus, & Fratribus quomodocumque, & qualitercumque qualificatis, ut præsentes nostras literas, ac in eis contenta quæcunque inviolabiliter observent, & ab eis ad quos spectat, ad amussim servari curent, & faciant.

§. 18. Et nihilominus ex nunc irritum, & inane decernimus, quidquid secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 19. Quocirca eidem Francisco Cardinali per præsentes jungimus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum prædictorum fuerit requisitus solemniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat illa authoritate nostra, ab omnibus, ad quos spectabit, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & re- — Executorem deputat.

belles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 20. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non dicti Ordinis, & illius Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & constitutionibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, eidem Ordini, illiusque Provinciis, Superioribus, & Fratribus, & quibuscumque aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum omnium tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A. 16. die 12. Maii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 12. Maij. 1639. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCXLI.

Quòd Provincia Romana Fratrum Capucinorum subjiciatur Generali, & in ejus absentia Procuratori Generali eorumdem, eo modo quo cæteræ Provinciæ.

Istius Ordinis materiam habes supra ad Constit. 16. Gregor. XV. Ex injuncto, & ad Constit. 76. Salvatoris. hujus Pontif. Demum de tota eorum Religione plenè notatum est ad Const. 21. Clem. VII. tom. 1.

Edita An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

INjuncti Nobis à Domino Apostolici muneris ratio postulat, ut Religiosorum virorum, qui spretis hujus sæculi vanitatibus divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo, & strictioris observantiæ Regulis se manciparunt paternam curam gerentes, in his ejusdem muneris partes sedulò intendamus, per quæ prospero, felicique eorum statui, & directioni opportunè consulatur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Subjicit prout in Rubr.

§. 1. Hinc est quòd Nos quò difficultates, quæ ut accepimus Ordini Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncup. aliquid molestiæ adferunt è medio tollantur quantum cum Domino possumus providere volentes, Ministrum Provincialem Provinciæ Romanæ dicti Ordinis, ipsamque Provinciam cum omnibus, & singulis ejus Domibus, Locisque regularibus, & Conventibus dilectis Filiis modernis, & pro tempore existentibus Ministro generali, & Procuratori generali ejusdem Ordinis, dum hic vices ipsius Ministri Generalis sustinet, Commissariusque generalis appellatur, & est, iis legibus, eoque modo quo cæteræ Provinciæ, cæterique Ministri Provinciales Ordinis hujusmodi juxta ejus Constitutiones Apostolica auctoritate confirmatas subjectæ, & subjecti sunt Apostolica auctoritate tenore præsentium subjicimus, ac præsentibus nostris literis aliàs à Nobis die 16. Martii anno 1626. emanatas minimè obstare, Nosque per secundo dictas literas auctoritati Commissarii Generalis dicti Ordinis, cui Minister Provincialis Romanæ Provinciæ prædictæ, ipsaque Provincia more cæterarum Provinciarum, cæterorumque Ordinum parere debent, eo maximè tempore quo dictus Minister generalis transmarinas, & ultramarinas Provincias incolit, invisitque noluisse, nec intendisse derogare declaramus.

Quòd recognoscant Superiores generales.

§. 2. Mandantes propterea dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Provinciali, aliisque Officialibus, & Fratribus d. Provinciæ Romanæ quomodolibet nuncupatis, nunc & pro tempore existentibus in virtute S. Obedientiæ, ac sub suspensionis, & irregularitatis, depositionisq; ab eorum Officiis, & muneribus, perpetuæque privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, aliisque arbitrii dilecti Filii nostri Antonii videlicet S. Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis S. Onuphrii nuncupati, nostri secundum carnem Fratris germani moderni, & pro tempore existentis Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris pœnis, ut Ministrum Generalem, ac Procuratorem Generalem dum vices ipsius Ministri Generalis sustinet, estque Commissarius Generalis præfatorum in suos Superiores recipiant, & agnoscant, eorumque salubria monita, & jussa suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus quatenùs opus sit prædictis nostris literis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, ac literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciæ, ac Ministro Provinciali, aliisque Fratribus prædictis, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 16. die 13. Maii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Maij 1638. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCXLII.

Confirmatio, extensio, & declaratio Constitutionum Apostolicarum prohibentium Civitates, Castra, & alia tam Jurisdictionalia, quàm non Jurisdictionalia, stabilia tamen, in Statu Ecclesiastico consistentia alienari in Forenses ex quacumque causa absque Sedis Apostolicæ licentia, & Revocatio quarumcumque licentiarum, & facultatum adversùs prædictas Constitutiones concessarum.

Aliena-

Alienationem bonorum Status Ecclesiastici in non subditos, & forenses prohibuit Sixtus V. Sua Const. 3. Sollicitudo. Quam postea approbavit Clem. VIII. in sua Const. 78. Romanum. Et ampliavit Paul. V. Constit. 108. Pastorale. tom. 3.

Edita A. D. 1637.

URBANUS PAPA. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sixtus Quintus prohibuit alienationem Civitatum, Castrorum, &c. de quibus in Rubr.

OLim felicis recordationis Sixtus V. Prædecessor noster, ut tunc suorum, & Sedis Apostolicæ subditorum conservationi prospiceret, Civitates, Castra, Oppida, Jurisdictiones, Feuda, & bona quæcumque stabilia, seu immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico consistentia, per quemcumque cujusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existeret, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate, ac dignitate, etiam Ecclesiastica, quæ specialem, & individuam mentionem requireret, præditus esset, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi sine sua, & Sedis Apostolicæ licentia in aliquam Communitatem, Universitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensem, etiam ut præmittitur, quomodolibet qualificatam, quæ dictæ Sedi in temporalibus subdita, & supposita non esset, vel quæ in dicto Statu domicilium legitime non contraxisset, prædictas verò Civitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & alia quæcumque Jurisdictionalia, præsertim Feudalia tàm in forenses, quàm in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari, ac donari, nisi præcedente præfata licentia Apostolica prohibuit sub pœna nullitatis contractuum, aliorumque gestorum: In præfata tamen prohibitione neque census, neque officia, neque portiones, seu montium loca, nec mulierum dotes, nec Almam Urbem, uti communem Patriam, cum ejus circuitu ad decem millia passuum voluit comprehendi; filios tamen, & hæredes prædictarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem statu, vel bona prædicta in alium, seu alios habitatores, ac subditos transferre statuit.

Quam prohibitionem Clemens PP. VIII. confirmavit, & extendit.

§. 2. Deinde recol. mem. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster, eandem Sixti prohibitionem, ac statutum, nedum confirmavit, sed etiam ad Principes extraneos, Universitates, Communitates, & Collegia, non tamen Ecclesiastica, respectu quorumcumque bonorum stabilium, tàm in confinibus ejusdem Status Ecclesiastici, quàm in quacumque alia ipsius Status parte, & in ipsa Urbe consistentium, ac etiam censuum, aliorumque bonorum, & jurium, quæ pro stabilibus habentur, non tamen Officiorum Romanæ Curiæ, nec portionum, seu locorum montium comprehendere declaravit, ac etiam ad quæcumque genera contractuum præterquam, ut præfertur, ex causa dotis, & ad quascumque dispositiones inter vivos, ex causa mortis, ac ultimas voluntates extendit.

Item Paulus V. declaravit & extendit.

§. 3. Et successivè piæ mem. Paulus V. etiam Prædecessor noster, prædictas Sixti, & Clementis Constitutiones declaravit, ac extendit, statuens quoque licentiam Apostolicam prædictam esse in scriptis obtinendam, & in actu celebrationis instrumentorum exhibendam sub diversis pœnis, etiam quoad Notarios ipso jure incurrendis. Ac denique Nos prioribus nostris literis easdem Constitutiones confirmavimus, ac in eis bona in confinibus territorii Baronalis existentia, & Castra diruta, ac tenutas Jurisdictionales, censusque super eisdem bonis impositos comprehendi declaravimus. Et successivè per alias nostras literas terminum illis, qui præmissis contravenerant, ut contractus, & gesta quæcumque, ut præfertur, prohibita retractarent, præfiximus, & aliàs, prout latiùs, & pleniùs in prædictis Sixti, Clementis, & Pauli, Prædecessorum nostrorum, ac nostris literis continetur. Cùm autem postmodum longiori experientia compertum sit, etiam ex dotibus, seu ex contractibus, ac dispositionibus causa dotium, posse Sedi Apostolicæ, suisque subditis non modicum fieri præjudicium, & sæpè ex occultis assignationibus, etiam per scripturas privatas fieri solitis ipsas dotes, ac bona, & jura dotalia, in venditiones ab eisdem Constitutionibus prohibitas, clam transire posse, si Civitates, Castra, Oppida, Fortalitia, Arces, aliaque jura, & bona Jurisdictionalia, ac bona stabilia, seu immobilia quæcumque præsertim in confinibus ejusdem Status Ecclesiastici, etiam pro aliqua parte contigui existentia, certo pretio æstimanda per quoscumque sive forenses, sive subditos quomodolibet qualificatos, etiam Imperiali, Regali, Ducali, & quavis alia authoritate, ac dignitate etiam Ecclesiastica, & aliàs individuam mentionem requirente præditos, in puellarum, seu mulierum, etiam subditarum dotibus, & acconciis, sive causa, vel prætextu dotium, donationumque propter nuptias, vel pro arrhis, ac aliàs quomodolibet in dotes, seu pro dotium solutione, vel assicuratione constituerentur. & assignarentur, vel aliàs, etiam absque æstimatione, qualibet alia palliatione darentur, seu traderentur quibuslibet forensibus, quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam Principibus majoris potentiæ quibuscumque, eorumque patribus, matribus, avis, & aviis, tàm paternis, quàm maternis, ac fratribus, filiisque, & nepotibus, etiam ex fratre, vel sorore nunc natis, & quandocumque nascituris.

Hic demum Pontifex prædictas constitutiones confirmat, & extendit, pœnasque innovat.

§. 4. Ideò Nos volentes, prout ex debito nostro Pastorali tenemur, omnibus præjudiciis prædictis, & aliis quibuscumque obviam ire, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetua Constitutione easdem Sixti, Clementis, & Pauli, ac nostras literas, omniaque, & singula in eis, & earum qualibet expressa, & prohibita, pœnasque tam nullitatis contractuum, ac dispositionum, quàm alias quascumque ab eis, & singulis earum, etiam contra Notarios, & alios quoscumque inflictas approbamus, confirmamus, & innovamus. Necnon illas ampliando, ac declarando, easdem Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus causa, vel prætextu dotium quomodolibet in posterum ineundos, ac ad quascumque dotes cujuscumque qualitatis, quantitatis, ac valoris, & quantumlibet privilegiatas, & favorabiles, etiam ratione educationis infantium, pupillorum, & personarum quarumcumque, & cujuslibet alteriùs necessitatis. & aliàs quomodolibet per quoscumque sive subditos, sive forenses utriusque sexus, cujuscumq; status, gradus, conditionis, qualitatis, præeminentiæ, etiam Imperialis, Regalis, Ducalis, nunc, & pro tempore existentes, & quacumque authoritate ac dignitase, etiam Ecclesiastica, & individuam expressionem requirente præditos, de quibuscumque bonis, & juribus sive Jurisdictionalibus, sivè non Jurisdictionalibus, stabilibus tamen, seu immobilibus, aliisvè bonis, & juribus, quæ pro stabilibus habentur, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, præsertim in confinibus ejusdem Status, pro aliqua ejus parte contigui, sitis, tàm conjunctim, quàm divisim absque nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis, expressa licentia prædicta in posterum, etiam absque aliqua palliatione assignandas, & quomodolibet dandas cuicumque puellæ, seu mulieri, etiam viduæ, etiam subditæ, & quovis modo, ut præmittitur, qualificatæ in

favorem tamen cujuslibet forensis, quantumlibet, ut præmittitur, qualificati, etiam Principis majoris potentiæ, vel ejus patris, matris, avi, aviæ, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis etiam ex ejus fratre, vel sorore nunc nati, & quandocumque nasciturі, extendimus, & ampliamus, perindè ac si dotes, & contractus ex causa dotium hujusmodi non fuissent in prædictis Constitutionibus exceptæ, nec excepti

Et alios superaddit.

§. 5. Quinimò ultra pœnas in prædictis Constitutionibus inflictas, addimus pœnam privationis, & confiscationis ipsorum bonorum, & jurium quorumcumque eo ipso, absque alia declaratione incurrendam in favorem Cameræ Apostolicæ, sive Ecclesiarum inferiorum, à quibus contrahentes, vel disponentes illa recognoverunt, vel recognoscunt.

Declaratio ejus confirmationis, & extensionis.

§. 6. Quàm quidem confirmationem, & extensionem ita declaramus, ut quoad jurisdictionalia respectu dotium, & contractuum, ac dispositionum præfatarum, de cætero ineundarum, assignandarum, & faciendarum sine licentia Apostolica prædicta, tàm Principes majoris potentiæ, & sui præfati, quàm quicumque alii quomodolibet qualificati subjaceant eisdem pœnis, etiam privationis, & confiscationis, etiamsi ipsi ità contrahentes, ac disponentes Nobis, & Sedi Apost. ratione feudi essent subditi, ac etiamsi alia Castra, vel alia jurisdictionalia quæcumq; aut stabilia, aut Palatia, vel domos apertas haberent in eodem Statu, vel etiam in Urbe, in quibus ipsi continuè cum eorum familiis, & laribus verè, & personaliter habitare non consueverint. Quo verò ad non Jurisdictionalia, stabilia tamen, seu immobilia, ac census, & alia, quæ pro stabilibus habentur, non tamen Romanæ Curiæ officia, nec portiones, seu Montium loca, iidem Principes majoris potentiæ, & sui prædicti eisdem pœnis subjaceant; Reliqui verò forenses pariter easdem pœnas, etiam privationis, & confiscationis præfatorum stabilium, & aliorum, quæ pro stabilibus habentur, ubilibet in præfato Statu Ecclesiastico, non tamen in Urbe, nec etiam in ejus districtu consistentium, à Mari tamen ultra duo milliaria distantium, nec Romanæ Curiæ officiorum, nec portionum, seù locorum Montium incurrant, nisi ultimò dicti forenses infra annum, à die constitutæ dotis, vel à die initi contractus, vel factæ dispositionis incipiendum, veniant cum eorum familiis, & laribus verè, & personaliter ad habitandum in Statu Ecclesiastico, inde non recessuri, vel infra eumdem annum eadem stabilia, & quæ pro stabilibus habentur, realiter, & cum effectu in alium, vel alios Sedi Apostolicæ in temporalibus subditos, & in eodem Statu habitantes transferant, & idem pariter observari volumus quoad dotes hactenus promissas, assignatas, datas, seu traditas, ubi non fuerit hactenus celebratum, & consummatum matrimonium, nisi respectu Principum majoris potentiæ, & cujuslibet suorum præfatorum Sponsus per annum immediatè præcedentem ante celebratum matrimonium venisset ad habitandum personaliter in Statu Ecclesiastico, se, ejusque familiam, & lares transferendo, inde non recessurus; Quibus nullitatibus, & pœnis locum esse volumus non obstante, quòd Sponsa, vel uxor, aut quicumque promittentes, dantes, vel relinquentes dotem, eorumque hæredes in eorum possessione continuaverint, ac non obstante quocumque fideicommisso, primogenitura, majoricatu, alienandi prohibitione, & quolibet alio vinculo, investitura, nominatione, vocatione, & quavis alia concessione, ac dispositione, etiam feudali, ac emphyteotica, à Sede Apostolica, & à quocumque alio etiam in favorem, & pro conservatione cujuscumque familiæ quantumlibet nobilis, & aliàs quomodolibet privilegiatæ, factis, ac semel, & pluries per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos approbatis, ac effectum sortitis, quibus omnibus, & singulis plenissimè derogamus quoad ipsos contrahentes, vel disponentes adversus præmissa, & eorum singula, ac eisdem contractibus, & dispositionibus consentientes, eorum tamen vita durante tantùm.

Licentias emendi, acquirendi, &c. revocat.

§. 7. Insuperque omnia, & singula indulta, & licentias emendi, & acquirendi, ac non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico, & bona quæcumque in subditos non transferendi, & aliàs quomodolibet contra prædictas Constitutiones, etiam præsentibus per Nos extensas, ac declaratas, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam à Nobis, etiam Motu, scientia, deliberatione, ac potestate paribus, & ex quibuscumque causis quantumlibet favorabilibus, & onerosis, quibuscumque personis, etiam Principibus majoris potentiæ, suisque prædictis, & eorum cuilibet, ac familiis quantumlibet, ut præmittitur, qualificatis, ac aliàs quomodolibet concessa, & concessas etiam effectum sortita, & sortitas; non tamen in eo, in quo usque huc realiter exequuta sunt, revocamus respectu Jurisdictionalium quorumcumque prædictorum, & illis annexorum dumtaxat, ac pro revocatis haberi volumus, & esse revocata declaramus, ita ut in posterum nemini suffragentur, nisi cum infrascripto onere veniendi ad habitandum in dicto Statu Ecclesiastico, exceptis tamen illis, qui desuper cum Sede Apostolica transactiones, & pactiones hinc inde obligatorias habent, quoad tamen, quæ sunt specialiter expressa in ipsis transactionibus, & pactionibus respectivè, quibus præjudicare non intendimus, ac etiam exceptis quoad prædictum onus habitandi in Statu Ecclesiastico eisdem Principibus majoris potentiæ propter insignes Jurisdictiones, quas habuerunt, & habent, vel in posterum habebunt, in suis ditionibus, extra prædictum Statum Ecclesiasticum consistentibus, non tamen eidem Statui Ecclesiastico contiguis, seu conterminis, residentiam continuam sibi constituerunt, vel in futurum constituent, ac etiam exceptis illis, qui, seu quorum Majores priùs in exteris ditionibus, quàm in Statu Ecclesiastico habuerunt, & habent, vel habebunt possessionem actualem Jurisdictionalium.

§. 8. Ulterius volumus, quòd exceptis prædictis, reliqui omnes, & singuli, etiam indulta, & licentias hujusmodi habentes, & Jurisdictionalia prædicta Sedis Apostolicæ, seu Ecclesiarum inferiorum, in eodem Statu Ecclesiastico sita nunc, & pro tempore possidentes, vel illa, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico consistentia, præcedente tamen licentia Apostolica ementes, etiam sub hasta, aut aliàs quovis titulo, etiam dotis acquirentes, eorumque hæredes, & Successores teneantur venire ad habitandum verè, & personaliter cum eorum familiis, & laribus in eodem Statu Ecclesiastico infra annum proximum, à die datæ præsentium, & respectivè à die acquisitionis, seu adeptæ possessionis ipsorū Jurisdictionalium decurrendū, inde non recessuri, vel infra eundē annum eadem Jurisdictionalia præcedente præfata licentia Apostolica, in alium, vel alios subditos, & habitatores transferre, aliàs in eventū contraventionis, seu inobedientiæ, in easdē pœnas, etiā privationis, & confiscationis eorumdē Jurisdictionalium, eo ipso pariter ad favorem Cameræ Apostolicæ, & respectivè Ecclesiarum inferiorum præfatarum, incidant. Forenses verò, sive Exteros ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum, illos imposterum non esse, nec fore declaramus, qui Nobis, ac dictæ Sedi ratione temporalis Jurisdictionis Status nostri Ecclesiastici subditi, & suppositi sint, vel qui domicilium in eo legitimè contra-

xerint,

xerint, quòd domicilium requiratur etiam quoad possidentes in eodem Statu Ecclesiastico aliquam Jurisdictionem, vel qui in prædicto Statu Ecclesiastico, etiam Avenionensi, Bononiensi, & Beneventano, & intra ejus limites, non tamen in locis eorumdem Principum majoris potentiæ, vel suorum prædictorum, nati sint. Qui autem nunc, & pro tempore sint, vel fuerint Principes majoris potentiæ, etiamsi ipsi à ritualibus, & diariis Sedis Apostolicæ indicentur, declarationem tamen illorum ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris reservamus, prout etiam reservamus declarationem Jurisdictionum insignium, in quibus fuerit hactenus constituta, vel in posterum constituetur per Principes habitatio prædicta.

Clausulas præservativas addit.

§. 9. Præsentes quoque literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea minimè vocati, & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari posse, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 10. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Clericos Cameræ Apostolicæ Præsidentes, Cardinalem Camerarium, & quoscumque alios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Nuncios, & alios quavis potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus præmissis; necnon prædictis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiam Cancellariæ nostræ regulis, etiam illa de non tollendo jure quæsito, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis quibusvis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam illis, quæ iidem Prædecessores nostri voluerunt, ac Nos etiam voluimus in prædictis Constitutionibus non obstare, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam ampliores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis.

§. 12. Et ut ad omnium notitiam præsentes, & in eis contenta quæcumque deveniant, volumus, quòd eædem per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris in valvis Basilicarum S. Jo. Lateran. & S. Petri, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, quæ sic affixæ, & publicatæ omnes, & singulos afficiant, & arctent, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Dat. P. A. 15. die 3. Nov.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Novemb. 1637. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1639. Indictione quinta, Pontificatus autem Sanctiss. D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. Anno ejus 15. die verò prima Decembris, supradictæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Basilicarum S. Joan. Lateranens. & S. Petri, atque in acie Campi Floræ per nos Josephum Massæum, & Antonium Bardum Apostolicos Curs.

Dominicus Varesius Mag. Curs.

Declaratio quòd per alienationem quorumcumque locorum in statu Ecclesiastico existentium non censetur translatus in acquirentem titulus Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, locis hujusmodi annexus, vel in eis erectus, vel illum transferendi data facultas, nisi in licentia alienandi id expresè concessum fuerit.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CUM rationi minus consentaneum sit, ut translato in alios dominio Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, aliorumque locorum in statu nostro Ecclesiastico existentium, ac honoris, & dignitatis titulis plerumque non tam sui, quàm illa possidentium, vel Majorum ipsorum intuitu, & contemplatione ob præclara eorum ergà Romanos Pontifices, & Sedem Apostolicam, Christianamque Rempublicam merita decoratorum, ipsi quoque tituli hujusmodi quasi accessoriè translati censeantur.

Causa hujus Const.

§. 1. Hinc est, quòd Nos Motu proprio, & ex scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, declaramus, & decernimus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus per quamcumque Civitatum, Oppidorum, Castrorum, Terrarum, aliorumque locorum in Statu nostro Ecclesiastico mediato, vel immediato existentium, venditionem, & quamvis alienationem, etiam alienationis latissimè sumpto vocabulo, non censeatur in Emptorem, & quemlibet alium quocumque titulo lucrativo, vel oneroso, & alias quomodolibet acquirentem translatus titulus Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, nec Titulum hujusmodi transferendi data facultas, etiamsi Titulus hujusmodi Civitati, Oppido, Castro, Terræ, vel loco venditæ, seu vendito, & alienatæ, seu alienato annexus, seu in ea, vel eo erectus esset, nisi in licentia Apostolica vendendi, & alienandi juxta Constitutiones felic. record. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac nostra omninò priùs obtinenda specificè, & verbis expressis translatio tituli hujusmodi concessa fuerit.

Clausulæ præservativæ.

§. 2. Præsentes quoque literas quovis prætextu, defectu, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, retractari, in jus, vel controversiam vocari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, plenamque roboris firmitatem obtinere.

Clausula sublata.

§. 3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem, & d. Cameræ Præsidentes ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, ac ejusdem Sanctæ Ro-

manæ

manæ Ecclesiæ Camerarios, Civitatumque Oppidorum, Castrorum, Terrarum,& Locorum hujusmodi Gubernatores, & Magistratus quomodolibet nuncupatos nunc, & pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis& eorum cuilibet quavis aliter judicandi,& interpretandi facultate, & auctoritate, judicari,& definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter,vel ignoranter,contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit nostra de jure quæsito non tollendo, & aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, legibus quoque Imperialibus,& municipalibus, ac quorumvis locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis locis,& personis quomodocumque nuncupatis, ac qualitercumque qualificatis, etiam speciali nota, & mentione dignis sub quibuscumque tenoribus,& formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis,& innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret,illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A 16. die 17.Maji

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Maij 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo nono, die verò 13. mensis Augusti supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ S. Petri de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per nos Fulvium Marzitellium, & Carolum Pelosium Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Antonius Bardus dep.

CCXLII.

Præcipit, & mandat omnibus Fratribus Recollectis, seu Discalceatis S. Mariæ de Mercede etiam pro tempore existentibus, sub privationis vocis activæ,& passivæ, ac quorumcumque ejusdem Ordinis Officiorum etiam obtinendorum, pœnis ipso facto absque alia declaratione incurrendis, ut Rev. Patri Magistro Generali P. Calceatorum in omnibus sibi ab eo commissis ad Redemptionis Captivorum opus, seu ministerium quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obediant, ejusque mandata efficaciter adimplere procurent.

Separationem Fratrum Discalceatorum à Calceatis habes supra in hujus Pont. Const. 79. In sede. ubi quæ ad hanc materiam spectant, videre poteris,& prohibitionem transeundi abOrdine Reformatorum ad Calceatos habes itidem Const. 88. Injuncti. sup.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1636.

Exordium.

ALiàs pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet,Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Cùm sicut dilecti filii Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper,&c. (sequitur prout in antedictis literis de verbo ad verbum jacet.

Causæ hujus Const.

§. 1. Cùm autem,iidem Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt notificatis in præinsertis literis hujusmodi, per quas auditis partibus mandatur, ut Religiosi Discalceati, seu Recollecti ejusdem Ordinis, quoad Redemptionis Captivorum opus, seu alia ad idem ministerium quomodolibet spectantia,remaneant sub obedientia, superioritate, cura & directione dilecti filii Magistri Generalis Calceatorum dicti Ordinis, ab aliquibus ex Discalceatis,seu Recollectis hujusmodi partium minimè fuerit; alii verò cum ingentibus protestationibus ad Regium Hispaniarum Consilium, per viam violentiæ recurrerint, declaratumque prædictas literas executioni demandandas esse, Nosque novissimè expressè mandavimus, ut ipsi Religiosi Discalceati, seu Recollecti, quibuscumque appellatione, reservatione, protestatione, vel conditione remotis,obedirent, prædictusque Magister Generalis ipsis pariter injunxerit, ut, quas apud se retinent pecuniarum summas, de quibus, prout opus foret, disponerent; necnon personas ad prædictum Redemptionis opus exercendum idoneas declararent, Vicarius autem Generalis Prædicatorum Fratrum Discalceatorum, seu Recollectorum dicti Ordinis Prædicatorum dicti Magistri Generalis mandatum notificari non permisit, licet per suos Religiosos sciverit quendam Tabellionem auctoritate Apostolica creatum ad eum decies pro notificatione dicti decreti accessisse,ut ex fide authentica dicti Tabellionis constare dicitur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè, ut infrà providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Subjicit Discalceatos obedientiæ Magistri Generalis.

§. 2. Nos igitur illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris,& pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,& absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis d. Ordinis nunc, & pro tempore existentibus, quacumque auctoritate,& officio fungentibus, & functuris,sub privationis vocis activæ,& passivæ, & quorumcumque dicti Ordinis Officiorum per eos obtentorum, & obtinendorum pœnis, ipso facto absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrendis tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut prædicto Magistro Generali in omnibus sibi ab eo commissis ad prædictum Redemptionis Captivorum opus, seu ministerium quomodolibet concernentibus, irrefragabiliter obediant, pareant, & assistant, ejusque monita, & mandata humiliter suscipiant,& efficaciter adimplere procurent.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus,privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis,confirmatis,& innovatis,quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro

suffi-

sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi præcipit.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 13. die 12. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Februarii 1636. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

CCXLIII.

Absolutio, seu Communicatio omnium Indulgentiarum, ac piorum operum per PP. Redemptionis S. Mariæ de Mercede omnibus Christi fidelibus in suis Ecclesiis præsentibus fieri solita in die Feriæ quintæ majoris Hebdomadæ. Loco hujus subrogat Pontifex diem festum Beatissimi Patriarchæ S. Petri Nolasci.

Facultatem his Fratribus in diebus Sanctæ Catherinæ, ac Cinerum, & Cœnæ Domini generalem faciendi benedictionem, & absolutionem concessit Clemens VIII. in Const. 4. Infirma, & permisit hoc etiam fieri in die Sancti Antonii, & S. Laurentii idem Pont. in Const. 79. Cùm nos. tom. 3.

Insuper Confirmationem Privilegiorum Fratrum istorum habes in Const. hujus Pont. 3. Ex Clementi. ubi supra indicata legere poteris.

Edita An. D. 1638.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Const.

CUM sicut dilectus filius Joannes Perez de Munebrega Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, inter alia privilegia, gratias, & indulta in favorem dicti Ordinis à Sede Apostolica emanata, & per fel. recor. Paulum Papam V. Prædecessorem nostrum, & Nos etiam confirmata indultum fuerit, ut ipsa Religio in die Cinerum, ac feria quinta majoris Hebdomadæ, necnon in Sanctorum Laurentii, & Antonii, ac Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris festis diebus omnes tàm Religiosos quàm Seculares nimirum in Ecclesia præsentes, & genuflexos post confessionem à Sacerdote coram omnibus recitatã de more absolvere, & benedicere possit; Feriæ autẽ quintæ hujusmodi diem festum S. Petri Nolasci primi Ordinis hujusmodi Professoris subrogari summoperè desideret.

Communicatio omnium indulgentiarum omnibus Christi fidelibus, ut in rubr.

§. 2. Nos piis dicti Joannis Procuratoris Generalis tam suo, quam universorum dicti Ordinis Professorum nominibus desuper porrectis supplicationibus inclinati, Feriam quintam in Cœna Domini præfatam in diem Festum Sancti Petri Nolasci, in quo dicta Religio omnes tam Religiosos, quàm Seculares in Ecclesia præsentes, & genuflexos post confessionem, ut præfertur, recitatam de more absolvere, & benedicere possit Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò commutamus.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 15. die 16. Jan.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Januarii 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

CCXLIV.

Confirmatio Concessionum Domorum Regularium de Observantia Fratribus Reformatis Sancti Francisci quomodolibet factarum.

Istorum Fratrum materiam habes signatam plenè ad Constit. 240. Injuncti nobis. ubi notavi.

Edita An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

EX injuncti Nobis Apostolici muneris debito Christi fidelium sub suavi Religionis jugo, & strictioris Observantiæ Regulis Altissimo famulantium votis, per quæ eorum quieti opportunè consulitur libenter annuimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studiis interponimus, ut iidem Christi fideles sublata omni perturbationum materia in pacis amœnitate, ac Justitia, & Sanctitate coram Deo felicioribus indies proficiant incrementis.

Motiva.

§. 1. Cùm itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Ascanius ab Assisio Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupat. nonnullæ Domus Regulares, quas Fratres Minores de Observantia nuncupati Ordinis prædicti possidebant dictis Fratribus Reformatis Apostolica auctoritate, vel à Superioribus Ordinis hujusmodi, aut aliàs alio modo assignatæ, & concessæ fuerint, ut autem litibus, & controversiis, quæ propterea fortassis excitari possent via præcludatur, idem Procurator assignationes, & concessiones prædictas auctoritate nostra Apostolica comprobari, & aliàs desuper ut infra provideri summoperè desideret; Nos ejusdem Ascanii Procuratoris votis hujusmodi benignè annuere volentes, illumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis; à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ipsius Ascanii Procuratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmat prout in Rub.

§. 2. Assignationes, & Concessiones Domorum Regularium prædictarum dictis Fratribus Reformatis Apostolica auctoritate, vel à Superioribus Ordinis hujusmodi, vel alias quomodolibet factas ut præfertur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris quàm facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus; Mandantes propterea quibusvis dicti Ordinis Superioribus, & Fratribus quomodocumque nuncupatis, & qualificatis in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrenda, aliisque arbitrii nostri pœnis, ne super assignationibus, & concessionibus prædictis litem, seu lites contra Reformatos hujusmodi movere, seu intentare, vel illas in jus vocare, aut alias quomodolibet eis desuper molestiam exhibere audeant, seu præsumant, & nihilominus ex nunc irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, & juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque domibus Regularibus, Superioribus, Conventibus, Fratribus, & quibusvis aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus

omni-

omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter,& expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A.16. die 30. Apr. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Aprilis 1639. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCXLIV. Quòd Secretarii Generales Ordinis Minorum de Observantia in Ministrum, seu Commissarium Generalem eligi non possint, nisi transacto sexennio ab expletione sui Officii.

De vacantia Officiorum Ordinis lege ad Constit. 21. Militantis. Gregor. XV. ac meum Theatrum Regularium verb. vacantia.

Edita An. D. 1639

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PRospero, felicique dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum regimini,& gubernio, pro Pastorali nostra sollicitudine quantum cum Domino possumus consulere volentes; Motu proprio,ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris,deque Apostolicæ potestatis plenitudine.

Mandat prout in Rub. §. 1. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus,ille,seu illi ex Fratribus dicti Ordinis, qui pro tempore existentis Ministri Generalis ejusdem Ordinis Secretarius, seu Secretarii fuerint, in Ministrum, seu Commissarium Generalem Ordinis hujusmodi immediatè, & per sexennium, post illum Ministrum Generalem, cui in Officio Secretarii inservierint, ac pariter durante dicto sexennio, si novi Ministri generalis immediatè quocumque modo Officium vacare contingat in Vicarium Generalem nullo modo eligi possint, & valeant tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans. §. 2. Sicque inviolabiliter observari, & per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos judicari,& definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter,vel ignoranter,contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus.& Fratribus, ac Secretariis hujusmodi, & quibusvis aliis in contrarium præmissorum forsan concessis confirmatis,& innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. Ap.16. die 12 Junii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Junii 1639. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCXLV. Confirmat omnia,& singula Privilegia à Clemente Papa VIII. Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum Regularis Observantiæ S. Francisci in Hispania, concessa.

De hujusmodi Fratribus Discalceatis lege, quæ notavi ad Constit. 129. Regis pacifici. & ad Constit. 199. Cum sicut.

Edita An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Const. CUM ea quæ propter justas,& rationabiles causas aliquando stabilita sunt,ipsa rerum,& temporum experientia doceat providè oportere moderari, & immutari; Superioribus verò annis per quasdam nostras in simili forma Brevis litteras pro bono regimine Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupatorum, Regularis Observantiæ Sancti Francisci in Hispania, quædam clausulæ quarundam aliarum in eadem forma Brevis in favorem ejusdem Provinciæ à fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanatarum incipientium, *Ex injuncto nobis Apostolici muneris debito*, sub datum die 29. Novembris 1599. declaratæ, & aliæ limitatæ fuerint, ex præfata verò limitatione, seu moderatione,nonnulla gravia inconvenientia, quæ novis litibus, & inquietudinibus januam aperuerunt, indies oriri videantur; Nobis propterea dilecti filii Michael Teruel Minister Provincialis, & Definitores dictæ Provinciæ Fratrum eorumdem per dilectum etiam Filium Franciscum Seguer dicti Ordinis Professorem eorum Procuratorem humiliter supplicari fecerunt, ut omnia, & singula gratias, & privilegia in prædictis Clementis Prædecessoris literis, eidem Sancti Joannis Baptistæ Provinciæ alias concessa confirmare,& opportunè sibi ut infrà providere, & indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio prout in rub. §. 1. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, præsertim sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium quieti, & statui quantum cum Domino possumus libenter consulimus, omnem super præmissis inconvenientium hujusmodi materiam,& occasionem è medio submovere, ipsosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis,& interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatas Clementis Prædecessoris literas in favorem Provinciæ prædictæ S. Joannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum hujusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus,ac omnes,& singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint,supplemus.

Quod possint erigere nova loca, cum sola Ordinarii licentia. §. 2. Et insuper modernis eidem Michaeli, & pro tempore existentibus Ministro Provinciali, Custodi, Definitoribus, Guardianis, & Fratribus dictæ Provinciæ,ut quascumque Domos, sive Eremitoria,seu loca; si quæ sibi à piis Christi fidelibus in Hispaniæ partibus concedantur, recipere, & in illis Conventus sui Ordinis erigere, & fundare; servata tamen alias Sacrorum Canonum,& Decretorum Sacri Concilii Tridentini forma, de sola Ordinarii loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cujusvis Ordinis, Congregationis, aut instituti Regularium desuper requisito consensu, ac in Domos sui Ordinis, & Provinciæ præfatæ cum Ecclesia, Sacrario, Campana, seu Campanis humilibus, Cœmeteriis, Claustro, Refectorio, Cellis, Hortis, aliisque Officinis, & ædificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac

in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum Domorum Ecclesiis postquam erectæ, & fabricatæ fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis asservare, ac divina Officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ut in cæteris Fratrum Discalceatorum eorumdem Domibus fieri solet.

Ac recipere ad Habitum, & Professionem.

§. 3. Ac ejusdem Provinciæ nunc, & pro tempore existentibus Ministris Provincialibus, seu Guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis Prælatis, ad quos de jure, & juxta regularia ejusdem Ordinis statuta Apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, ut quoscumque prædictum Discalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum Domorum erigendarum tàm Fratres Professi, quàm Novitii numerum triginta non excedant, juxta regularia ejusdem Ordinis instituta ad Habitum, & Professionem recipere, & admittere, ac cum aliis Religiosis Professis incorporare liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem perpetuò concedimus.

Quòd moderentur cum solis statutis Reform.

§. 4. Prætereà, quod Provincia præfata, illiusque Fratres, & Conventus suis arctioribus Constitutionibus, & Statutis, quæ in pleno Capitulo Provinciali à majori parte Capituli recepta, & stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda Statuta generalia à Capitulis, vel Congregationibus Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum jam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia ejusdem Ordinis Superiorum mandata, quæ Ministri Provincialis, Custodis, & Definitorum Provinciæ judicio fuerint dictorum Fratrum Discalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea, teneantur.

Quòd Congregationes convocare possint.

§. 5. Quòd Ministri, seu Prælati Provinciales, Congregationes particulares, quas Definitoriales vocant quando, & ubi commodius sibi visum fuerit, liberè, & licitè convocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quascumque causas, sive civiles, sive criminales, & negocia ad eandem Provinciam spectantia juxta formam Sacrorum Canonum, & regularium Statutorum, & suarum Constitutionum Provincialium tractare, definire, & sententiare possint. Quodque Prælati Generales ejusdem Ordinis hujusmodi Congregationes particulares Definitoriales, aut earum electiones, seu definitiones, vel Decreta, & sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.

Quòd Provincia non possit visitari, nisi per visitationem Discalceat.

§. 6. Quod dicta Provincia, ejusque nunc, & pro tempore existentes Conventus, & Fratres, nisi per Fratres Visitatores alicujus Provinciæ Discalceatorum hujusmodi, à Prælatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari, aut sindicari possint, quodque hujusmodi Visitatores Discalceati in dictam Provinciam ingredi, aut in ea aliquam Jurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennii Ministri Provincialis, nempè post duos annos, & septem menses Provincialatus cujuslibet Ministri Provincialis ejusdem Provinciæ transactos, & non antea; Tales autem Visitatores omnia statuta Provincialia ejusdem Provinciæ observare, & juxta illorum tenorem, & præscriptum Provinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu majoris partis Definitorii plenè dispensare valeant, quamvis hoc idem in literis patentibus, & authenticis à Prælatis Generalibus, aliisve Superioribus specialiter iisdem indultum, & concessum fuerit.

Punitiones fiant post celebrationem Capit.

§. 7. Ut autem omnes ambitionis, & injustitiæ occasiones, quæ sub simulato, ac apparentis correctionis, & reformationis zelo obrepere solent, è medio penitus evellantur, postquam prædicti Visitatores Commissarii suam Jurisdictionem, & Visitationem in Provincia hujusmodi cœperint exercere, nulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concursus ad Capitulum proximè futurum de jure competit, possint ante ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab Officio removeri, nec voce activa, aut passiva privari: Si autem in ipsa Visitatione aliquibus delictis, & culpis quidam præfatorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio, & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis Canonicis, & Regularibus pœnis præter privationem Officii, ac vocis activæ, & passivæ arbitrio Superiorum puniri debeant.

§. 8. Insuper quod Fratres ejusdem Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ, ab ipsa sua Provincia per quoscumque Superiores abstrahi nequeant, ut ad Indos, vel alias partes, & Provincias remittantur, nisi de consensu Capituli Provincialis, vel Definitorii pleni ejusdem Provinciæ. Et quod hujusmodi Superiores quicumque illi sint, non possint Fratres præfatos licentiare, ut in domibus Secularium, seu extra claustra habitent, nisi servata ad unguem forma à Clemente Prædecessore præfato præscripta in Bulla, seu literis de Reformatione Regularium incipientibus, *Nullus omninò prætextu cujuscumque Privilegii*, sub anno 1599. nempe quod tales licentiæ nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica approbanda nullatenus concedantur, quæ verò aliter concessæ sint, ipso facto irritæ, & nullæ censeantur, & Religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur.

Quòd gaudeant omnibus privileg. aliarum Provinciarum.

§. 9. Quodque possint iidem Fratres Discalceati intra septa domus regularis suæ libros à Bibliothecis de licentia Prælati abstractos habere, & illis uti; dummodo postquam illis usi fuerint eisdem Bibliothecis illos restituere procurent; Ac demum Ministro Provinciali, Custodi, necnon Guardianis, Conventibus, & Fratribus universis d. Provinciæ nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis gratiis, indultis, & privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, & literis Apostolicis tàm Provinciis S. Josephi, & S. Pauli, quàm quibusvis aliis ejusdem Ord. Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Provinciis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores, ac per Nos, & Sedem Apostolicam hactenus concessis, & inposterum concedendis æquà, ac si ipsimet Provinciæ S. Joannis Baptistæ nominatim concessa fuissent, frui potiri, & gaudere perpetuò possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuò concedimus, & indulgem^s^. Volumusque, statuimus, & ordinamus respectivè, & insuper præcipimus Ministro, & Comissario Generalibus Ord. Minorum Regularis Observantiæ, & quibusvis Commissariis, Visitatoribus ad dictam Provinciam S. Joannis Baptistæ destinatis, cæterisque tàm Prælatis, quàm Subditis sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis quorumcumque Officiorum, & Dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrendis, nè in præmissis Fratres præfatos Discalceatos Provinciæ S. Joannis Baptistæ hujusmodi litibus gravari, aut quovis modo molestari permittant; quinimò præfata omnia privilegia, & indulta illis inviolabiliter observent, & observari faciant, ac per suas proprias literas, quoties pro parte præfatorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti faveant, & assistant.

Executores deputat.

§. 10. Et nihilominus Ven. Fratribus Valentino & Granatensis Archiepiscopis, necnon Carthaginens. Guadixensi Oriolensi Dertusensi & Illerdensi Episcopis, eorumque Vicariis Generalibus, seu Provisoribus, ac dilecto filio Curiæ Cameræ Aposto-

licæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere; Non permittentes eos desuper per Prælatos Generales, & Visitatores præfatos quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas præfatas illos incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Decretum irritans. §. 11. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quòd in præmissis interesse habentes, vel Fratres de Observantia præfati, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in Jus, vel controversiam revocari, sed semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, per quam cavetur expresè, nè Professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque dictæ Sedis licentia speciali, & de prohibitione hujusmodi expressam mentionem faciente recipiant, & de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis quæ incipiunt *In Cathedra B. Petri Apostolorum Principis*, de anno 1626. emanatis, ac quibusvis ejusdem Ord. Fratrum Minorum de Observantia, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam per Fratres Discalceatos hujusmodi acceptatis, præsertim Capitulorum, seu Congregationum generalium, quibus cavetur expresè, ne Fratres Discalceati hujusmodi, domum aliquam d. eorum Ord. absque expressa licentia Capituli generalis, aut infra quinque leucas à Domo eorumdem Fratrum Minorum erigere audeant, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, illiusque Superioribus, & quibusvis Religiosis particularibus, aliisque personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & approbaris. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Ministro & Commissario generalibus, aut Fratribus d. Ord. Minorum de Observantia, seu quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat. §. 12. Ceterum quia difficilè foret præsentes literas ad singula quæque loca ubi necesse fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earumdem præsentium etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P A 16. die 15. Junii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 15. Junii 1639. Pontif. Nostri Anno 16.

CCXLVI. Abrogat omnia & singula Privilegia personalia per Religiosos Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupat. obtenta, quæ eorumdem Constitutionibus adversantur.

Clericorum Regularium Minorum Congregationem approbavit Sixt. V. Const. 81. tom. 2. Hujusmodi Clericis Privilegia Clericorum Regularium Theatinorum concessit Greg. XIV. Const. 2. tom. 2.

URBANUS PAPA VIII.

Edita An. D. 1639.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. ROmanus Pontifex, æqui bonique supernus assertor, gregi Dominico à Deo & Salvatore nostro præpositus, ut juxta verbum propheticum noxia evellat & destruat, utiliaque plantet & ædificet, ea quæ rationabilibus ex causis etiam à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim felici Christi fidelium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium statui & salubri gubernio consulitur, revocat, in hisque suæ solicitudinis studium interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Constit. §. 1. Cum itaque, sicut dilecti filii, Capitulum generale Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupat. Nobis nuperexponi fecerunt, quòd aliàs diversi d. Congregationis Clerici à Sede Apostolica, & à qui pro tempore fuerunt S. R. E. Cardinalibus, ejusdem Congregationis apud Nos & eandem Sedem Protectoribus, frequentiùs verò à Nuntiis Apostolicis, varia privilegia, concessiones, & indulta, dispensationes à Regulis, necnon exemptiones, Constitutionibus & aliis d. Congregationis Ordinationibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, minimè conformia, imò contraria obtinuerint; nempè, ut redditus administrare, eleemosynas certis usibus applicare, suffragium sive votum perpetuum in Capitulis habere, ab aliqua domo non removeri, socium certum habere, & alia hisce similia facere possint: experientia verò compertum sit, præmissa omnia Observantiæ Regulari non leviter officere. Nobis propterea iidem, Capitulum generale communi omnium illius Vocalium nomine, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè, ut infra, providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Annullat privilegia, prout in sub. §. 2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus

bus quomodolibet innodatæ existunt,ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Præfata omnia privilegia,concessiones, & indulta,ac dispensationes, & exemptiones hujusmodi, & quævis alia hic non expressa, aliàs ut præfertur ab ipsius Congregationis Clericis obtenta quomodolibet, quæ quoquomodo eisdem Constitutionibus & Ordinationibus adversantur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu vacuamus.

§. 3. Et insuper,ne de cetero perpetuis futuris temporibus similia privilegia, concessiones,& indulta, aliaque supra expressa, cuiquam ullatenus concedantur, nec à quoquam absque Capituli generalis d. Congregationis licentia impetrentur, statuimus, & ordinamus, & nihilominus omnia & singula, aliàs quàm ut præfertur concessa, & quomodolibet impetrata, nulla, & subreptitia fore,& censeri, nec cuiquam ullatenus suffragari.

Decretum irritans. §. 4. Ac præsentes literas validas,firmas,& efficaces existere,& fore suosque plenarios & integros effectus sortiri,& obtinere, ac ab omnibus, & singulis,ad quos spectat, inviolabiliter & inconcussè observari; sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos,etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate,scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non d. Congregationis, etiam juramento,confirmatione Apostolica,vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis ipsius Congregationis Superioribus & Personis sub quibusvis tenoribus & formis, ac cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis,confirmatis,& innovatis.

§. 6. Quibus omnibus & singulis, etiamsi illorum pro sufficienti derogatione specialis, specifica,expressa,& individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio,seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes,illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus,ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam,ac de verbo ad verbum,de indultis hujusmodi mentionem.

Transumptis credi jubet. §. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo d. Congregationis, seu alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem in judicio & extra adhibeatur fides, quæ adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 16. die 22. Junii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Junii 1639. Pontificatus Nostri Anno 16.

CCXLVII. Declarat, quòd in Monasteriis S. Basilii del Tardon, & S. Antonii de Galliguillos inter Choristas & Sacerdotes non possint esse nisi unius ex quibuslibet quatuor, & reliquæ tres partes sint Laici.

De istorum Monachorum Congregatione notavi supra ad Constit. 127. Pastoralis, & ad Constit. 304. In Sede. infra.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1639.

Exordium. IN his Pastoralis Officii nostri partes libenter interponimus, per quæ Personarum Regularium, quæ spretis Mundi vanitatibus totas se Deo devoverunt statui & quieti opportunè consuli judicamus.

Causa hujus Constit. §. 1. Aliàs siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster certior factus, quod ex duorum Eremitoriorum, videlicet Eremi del Tardon Cordubens. & Vallis de Galliguillos Hispalens. Diœc. in Monasteria Ordin. S. Basilii Magni per piæ memor. Gregorium Papam XIII. etiam Prædecessorem nostrum erectorum cum alio Monasterio S. Mariæ de Oivedo Giennens. à similis recol. mem. Pio Papa IV. etiam Prædecessore nostro priùs erecto in unam Provinciam S. Basilii Hispaniarum nuncupandam, necnon aliis Monasteriis in Hispaniarum Regnis in posterum construendis unione à prædicto Gregorio Prædecessore facta,multæ contentiones inter d. Provinciæ Monachos super modo vivendi exortæ fuerant,ut contentionibus hujusmodi finem imponeret d. duo Monasteria S. Basilii Eremi del Tardon, ac etiam S. Antonii de Galliguillos,in Monasteria Reformationis & veræ ejusdem S. Basilii Regulæ Observantiæ deputavit,constituit, & separavit, ad quæ se reciperent omnes quotquot in dicta Provincia Monachi zelo Dei, & Spiritu Sancto ducti tanti Patriarchæ præcepta,& instituta desiderarent observare, quæ juxta nonnullas Constitutiones pro d. Reformatione à se tunc editas jussit in omnibus & per omnia practicari,& aliàs prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis in simili forma Brevis hac super re emanatis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus pleniùs continetur.

§. 2. Cùm autem, sicut accepimus licèt idem Clemens Prædecessor majorem & principaliorem partem Monachorum hujusmodi ex Laicis esse voluit & sufficientes Choristas, & Sacerdotes ad Chori & divinorum Officiorum ministeria haberi permiserit,quia tamen certum eorumdem Choristarum & Sacerdotum numerum non præfinivit, nonnullæ inter Laicos ex una, & Choristas,ac Sacerdotes hujusmodi ex altera partibus ea propter controversiæ exortæ fuerint.

Præfinit numerum Choristarum. §. 3. Nos ut semotis quibusvis perturbationibus & dissensionibus Monachi prædicti juxta laudabile eorum institutum, & ad præscriptum literarum ejusdem Clementis Prædecessoris in pacis amœnitate & tranquillitate vivant,& felicioribus indies in via Domini proficiant incrementis quantum cum Domino possumus providere volentes Motu proprio,ac ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine,quod de cetero perpetuis futuris temporibus in prædictis S. Basilii del Tardon & S. Antonii de Galliguillos Monasteriis inter Choristas & Sacerdotes non possint esse nisi unius ex quibuslibet quatuor, itaut quarta pars Monachorum cujuslibet ex dd. duobus Monasteriis sit ex Choristis & Sacerdotibus, & reliquæ tres partes sint Laici,ac donec Choristæ & Sacerdotes qui ad præsens sunt in eisdem Monasteriis ad numerum prædictum redacti fuerint, alii in Choristas & Sacerdotes hujusmodi recipi non possint sub pœna nullitatis receptionis hujusmodi,& inde sequendorum quorumcumque tenore præsentium statuimus & ordinamus, & nihilominus prædictas

Clementis Prædecessoris literas innovantes, illas prout disponunt etiam quoad Capitulum 7. prohibens studium Philosophiæ & Theologiæ, & alia in eo expressa sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis, omnino observari præcipimus & mandamus.

Decretum irritans.

§. 4. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus in his quæ præsentibus adversantur prædictis Clementis Prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ord. ac Monasteriis, illorumque Superioribus, Monachis, & Personis, ac cum quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 16. die 10. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Julii 1639. Pontificatus Nostri Anno 16.

CCXLVIII.

Indulgentia Plenaria Perpetua pro Confratibus & Consororibus Confraternitatis sub invocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis loci de Chaul. Goan. Diœc. in Indiis Orientalibus.

De modo aggregandi Confraternitates lege Constit. 115. Clementis VIII. Quæcumque. tom. 3.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

CUm sicut accepimus in Ecclesia S. Barbaræ Domus Fr. Ord. Minorum S. Francisci de Observantia loci de Chaul Goanensis Diœc. in Indiis Orientalibus una pia & devota utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub Invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonicè erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres & Consorores quamplurima pietatis, & charitatis opera exercere consueverunt.

Indulg. Plenaria in ingressu.

§. 1. Nos ut Confraternitas prædicta majora indies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur postquam erit canonicè instituta die prima eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam, necnon tàm descriptis, quàm pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen JESU ore si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint etiam Plenariam.

In art. mortis.

In festo principali.

§. 2. Ac eisdem nunc & pro tempore existentibus Confratribus & Consororibus, verè quoque pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Ecclesiam vel Capellam, seu Oratorium die festo principali ipsius Confraternitatis, à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Sexaginta die in præscriptis operibus piis.

§. 3. Insuper eisdem verè etiam pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, Ecclesiam vel Capellam, seu Oratorium hujusmodi in Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, & Assumptionis B. Mariæ Virg. festis diebus, ut præfertur visitando, & orando, quó die prædictorum id egerint septem annos & totidem quadragenas. Quoties verò Missis, ac aliis divinis Officiis in d. Ecclesia, vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis ipsius Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vec pacem inter inimicos composuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum & Consororum hujusmodi, quàm aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum tàm in processionibus, quàm cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti, campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem & Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum & Consororum prædictorum recitaverint, aut demùm aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

§. 4. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut si alias dd. Confratribus & Consororibus præmissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint, quodque si d. Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seù etiam quomodolibet instituatur, priores, & quævis aliæ literæ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

D. P. An. 16. die 20. Julii.

CCXLIX.

Abrogatio omnium Privilegiorum personalium Fratribus Minorum concessorum.

Abrogationem omnium gratiarum, & indultorum, quæ

Obser-

Observantiæ Regulæ S. Francisci quomodolibet contraria sunt habes supra in Constit. 53. Sacrosanctum. ubi plura pro istorum Fratrum gubernio Statuta, & quæ sunt annotata videre poteris.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter cæteras Apostolicæ servitutis curas, quibus circa Universalis Ecclesiæ regimen humilitati nostræ à Domino commissum assiduè premimur; ea Nos non parum sollicitos habet, ut personæ Regulares divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatæ juxta Regularia earum instituta salubriter regantur, & propterea si quæ felici earum statui obesse, aut in aliquod Observantiæ Regularis earum, & disciplinæ detrimentum vergere cognoscimus, ea, quantum nobis ex alto conceditur, removemus, & prohibemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Constit.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci introductus fuerit abusus, ut passim à Superioribus Patres privilegiati efficiantur, ex quo magnum relaxationi ostium aperitur, & gravissimum Paupertati, & Humilitati, quas dictus Ordo profitetur nocumentum infertur, & propterea unanimi Vocalium in generali dicti Ordinis Capitulo nuper celebrato congregatorum voto abusum hujusmodi auctoritate nostra tolli desideratum fuerit.

Revocat privilegia hujusmodi Fratribus concessa.

§. 2. Nos, qui regularem disciplinam ubique vigere, & omnem illius relaxationi viam præcludi summopere cupimus de opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & quæcumque privilegia personalia quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ord. Fratribus cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis existant (Charissimorum in Christo Filiorum nostrorum Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Prædicatoribus, & Confessariis dumtaxat exceptis) quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione, & ad cujusvis instantiam, & supplicationem, tam à Nobis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quàm etiam à Dilecto Filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato nostro secundum carnem ex fratre germano Nepote, d. Ord. apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore, aliisque ejusdem Ordinis Protectoribus, à quibuslibet Ord. hujusmodi Superioribus hactenus quoquomodo contra, & præter Regularia Ordinis prædicti instituta, & Apostolicas constitutiones concessa, harum serie perpetuò revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque perpetuò revocata, cassata, abrogata, & abolita, juribusque & effectu vacua esse, & fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cætero à quoquam concedi posse.

Et ita, & non aliter judicari decernit.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, irritumque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Executores deputat, & contrafacientibus pœnas imponit.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis, privationisque suorum Officiorum, vocisque activæ, & passivæ pœnis eo ipso incurrendis, dilectisque Filiis Ministro, ac Vicario, seu Commissario Generalibus, & Ministris Provincialibus, aliisque d. Ord. Superioribus, ut quàm primum præsentes nostræ literæ ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres, & Fratres Ordinis hujusmodi similia privilegia habentes, illis eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant, vel permittant, inobedientes quomodolibet, & rebelles opportunis juris, & facti remediis juxta Regularia ejusdem Ord. statuta Apostolica auctoritate confirmata, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recursu remotis compescendo.

Derogatio Contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis literis Apostolicis, super concessione, seu confirmatione concessionis privilegiorum hujusmodi emanatis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, & scientia, ac potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 16. die 13. Julii.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Julii 1639. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

CCL.

Contra Superiores Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorum, qui favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates, & gratias concedunt. Et contra eosdem Fratres dictos favores conquirentes &c.

Plures Summi Pontifices Regularibus prohibuerunt Dignitatum ambitum, ut copiosè habes in Repertorio 5. tom. 5. Ambitus.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ADmonemur pastoralis Officii nostri debito diligentiùs prospicere, ne Religiosis, qui regularem vitam professi Seculo renunciarunt, ad Dignitates, ac Officia, per emendicata suffragia, ambitiosus pateat accessus.

Prohibitio prout in rub.

§. 1. Quocirca Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dilectis Filiis Ministro Generali Commissario generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorum nuncupat. Prælatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum tàm Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra dictum ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, Impe-

riali fulgentium, cuivis prædicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, Dignitates, Officia, & Administrationes, Functiones, & Prælaturas ejusdem Ordinis concedere audeant, quinimò dicti Ordinis Fratres Religiosos, qui contra decreta hac via & his remediis per conquisitos favores & suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia & similia, ac etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuò inhabiles declaramus.

§. 2. Insuper dictis Religiosis, & Fratribus ejusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expresse interdicimus, ut non solum in præmissis omnibus favores hujusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & similiter nec ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis statutis, & consuetudinibus etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque aut si eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat.

§. 3. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 16. die 29. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Julii 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CCLI.

Declaratio, quod quæcumque pactiones particularium personarum super Montibus, vel Locis Montium quorumcumque factæ absque Sanctæ Sedis, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendas literas patentes deputatorum licentia, non attendantur, nec afficiant Montes, & Loca hujusmodi.

Circa materiam Pactionum, vide in Indice, verb. Pacta *Item, & de Locis Montium habes multa, verbo,* Mons Pietatis.

Edita A. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Nos ex pastoralis Officii nostri debito providere, ne privatorum pactionibus utilitati publicæ quoquomodo officiatur.

Causæ hujus Const.

§. 1. Quapropter, cum ut accepimus in Camera Apostolica, & forsan aliis Urbis nostræ Tribunalibus fuerit prætensum, ac etiam inter partes diversas controversum super articulo, an pacta, & obligationes particularium personarum afficiant loca Montium sive vacabilia, sive non vacabilia.

Declarat non esse attendendas obligationes privatorum super Locis Montium.

§. 2. Nos ad tollendum omnem prætensam ambiguitatem, & litium, quantum cum Domino possumus occasionem, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris deque attributæ Nobis potestatis plenitudine, quaslibet dispositiones, & pactiones inter particulares personas, tam quoad hypothecas, & obligationes, quam quæcumque alia onera, seu vincula realia, vel in rem scripta, aut rei persecutoria super Montibus, vel eorum Locis cujuscumque generis tam vacantibus, quàm non vacantibus, sive sint Camerales, sive Communitatum, vel Baronum, aut aliorum quorumcumque etiam Ducum, & Principum factas absque nostra, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendum literas patentes deputatorum licentia in eisdem literis patentibus exprimenda non esse attendendas, ac dispositiones, pactiones, & obligationes privatorum hujusmodi afficere dumtaxat personas, ac quoad ipsas sustineri ad effectum, ut quando promissa, & conventa servare nollent, vel non possent, ad damna, & interesse teneantur, non autem ut jus, vel onus aliquod reale adjectum, seu impositum ipsis Locis Montium censeatur, neque illis vinculis, obligationibus, pactionibus, & oneribus ullatenus Loca Montium prædicta sint obnoxia ad instar Romanæ Curiæ Officiorum, in quibus similium pactionum nulla ratio habetur, sed solum nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis Decreti, tenore præsentium declaramus, & ita in posterum, etiam quoad præterita non decisa per rem judicatam servari declarari, & definiri debere volumus, & mandamus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes præsentes literas etiam ex eo quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, illis minimè consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi, ac causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, vel justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quocumque alio defectu notari impugnari, redargui, in jus, vel controversiam revocari, aut aliter quomodolibet infringi, vel limitari, & adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sic impetrato, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam uti vel se juvare in judicio, vel extra posse, sed semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apostolici, & Curiæ Cam. Apost. generalem Auditorem, ipsiusque Cameræ Præsidentes, Clericos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, nunc, & pro tempore existentes, ac quosvis alios quacumque auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicādi, & interpretādi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans superaddit.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit nostra de jure quæsito non tollendo, ac aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, & almæ Urbis nostæ, & Cameræ prædictæ etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eidem Cameræ, illiusque Officialibus, & Ministris, ac Montium prædictorum, & generaliter quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium, ac quarumcumque litium, & eorum statum, aliorumque hic exprimendorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specia

liter

liter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P. A. 16. die 28. Julii

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Julii 1639. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi, 1639. die verò 13. mensis Augusti supradictæ literæ affixæ, & & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicæ S. Petri de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per nos Fulvium Marzitellum, & Carolum Pelosium Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Antonius Bardus dep.

CCLII.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, & quinquaginta millium scutatorum monetæ, necnon reducendi annuos Census ad minus interusurium, concessa Congregationi Cassinensi cum declaratione, quod pro hujusmodi alienatione non requiritur licentia Protectoris.

De istorum Monachorum Congregatione notavi sup. ad Constit. 172. Sancta mater. & ad Constit. 215. Exponi nobis.

Edita An. D. 1638.

Refert Cõst. aliàs editam.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Aliàs à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet: URBANUS Papa Octavus; Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator generalis Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti prædictæ Congregationis, illiusque regiminis nomine, quod ob malas temporum conditiones damna, detrimenta, atque incommoda per eandem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte ejusdem Congregationis prædia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quæ pro summa quadraginta trium circiter millium scutatorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria dictæ Congregationis ob defectum suorum redditruum ad præsens sunt adeò oppressa, ut illorum nonnulla jam ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita sint, aliis verò eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout alias per Romanos Pontifices Prædecessores nostros Monasteriis hujusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & præsertim per Pium V. qui similes & forsan minus urgentes ob causas per quasdam suas sub die 19. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutatorum auri, quorum centum & triginta tria millia d. Congregationi Cassinensi pro sua rata obtigerunt, & postmodum, quia Summa hujusmodi non sufficiebat per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respectivè expeditas literas eidem Congregationi Cassinensi bona stabilia pro alia summa quinquaginta millium scutatorum aureorum venden. di facultatem respectivè concessit, eoque modo damnis, & periculis Monasteriis dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportunè occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientia compertum est.

Motiva.

§. 1. Nobis propterea dictus Procurator, quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & aliàs ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati quantum cum Domino possumus consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pii V. Prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & aliis majoribus necessitatibus ad præsens gravata reperiuntur, ut cum approbatione tamen dilecti Filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Viceecancellarii, Nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia, quæ pro liberanda ab ære alieno Congregatione prædicta, restaurationibusque necessariis, & utilibus in ejus bonis faciendis magis opportuna fuerint judicata usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutatorum monetæ, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis, & formis in prædictis Pii V. Prædecessoris nostri literis contentis, & juxta illarum tenores continentias vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori Instrumento appositis redimere, ita tamen ut præsentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minimè suffragentur, quam iis dumtaxat quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integrè concurrerunt, & concurrunt liberè & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Non obstantibus fel. record. Pauli Papæ Secundi etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis Ordinis, & Monasteriorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius Quintus Prædecessor noster in præfatis suis literis voluit non obstare, & aliis contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

§. 3. Cùm autem, sicut idem Procurator generalis nobis nuper exponi fecit, à quamplurimis præsertim verò à censùs super bonis ejusdem Congregationis juxta tenorem præinsertarum literarum imponendos emere volentibus dubitetur, an pro imponendis censibus hujusmodi dicti Francisci Cardinalis Protectoris hujusmodi approbatio, & regiminis prædicti licentia sint necessariæ, Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunæ declarationis nostræ ministerio providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati peramplius consul-

Absque alia licentia.

tum esse cupientes, illasque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Quòd in vim præinsertarum nostrarum literarum Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis intelligatur intelligique debeat, absque alia licentia, & approbatione, concessa facultas super eorum, & dictæ Congregationis Monasteriorum bonis stabilibus novos annuos, & redimibiles census juxta formam Constitutionis præfati Pii Prædecessoris imponendi, ad effectum census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus alias de Sedis Apostolicæ licentia impositos cum pecuniis novorum censuum hujusmodi ad minorem tamen rationem pro quolibet centenario, & anno, sivè minori interusurio obnoxiis, super eodem fundo & non aliàs accipiendis, servata in reliquis earundem literarum forma redimendi, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus fel. record. Pauli Papæ II. etiam Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus eius Prædecessor voluit in prædictis suis, & Nos in nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut novorum censuum hujusmodi impositio, & veterum extinctio unico contextu fiant, vel saltem pecuniæ ex nova impositione hujusmodi provenientes penes Montes Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendæ, nisi ad effectum extinctionis prædictæ.

D. F. An. 16. die 11. Aug. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Augusti 1638. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

CCLIII. Quod Ministri Provinciales Indiarum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia pro tempore existentes possint mittere Commissarios, qui eorum nomine in Capitulo Generali suffragium ferant.

Plura pro istis Fratribus Statuta habes ad Constit. 53. Sacrosanctum supra.

URBANUS PAPA VIII.

Edita An. D. 1639.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Circumspecta Romani Pontificis providentia ea, quæ in personarum Regularium Capitulis Generalibus interdum sancita, & auctoritate Apostolica comprobata fuerunt: ipsa subindè rerum experientià suadente, præsertim cum felici earundem personarum statui, & quieti opportunè consulitur, immutat, in hisque suæ sollicitudinis partes favorabiliter interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causæ hujus Const. §. 1. Aliàs siquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorũ de año 1625. celebrato, inter alia conditum fuit statutum tenoris sequentis, videlicet, Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipsi veniant, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultas conceditur. Nosque statutum hujusmodi illius tenore inserto confirmamivus, & approbavimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

General. supplicat huic Pontif. deinde dulto, prout in Rubr. §. 2. Cùm autem, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Joannes Merinero dicti Ordinis Minister Generalis, Patres in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in hac Alma Urbe nostra novissimè celebrato congregati, Ministris Provincialibus prædictarum Provinciarum Indiarum antiquum jus quod habebant; ut ad Capitulum generale Commissarios eorum nomine suffragium laturos mittere possent justis ex causis restituendum esse censuerit. Nobis propterea dictus Joannes Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Cui Pontif. iste annuit. §. 3. Nos igitur ejusdem Joannis Ministri Generalis votis annuere volentes, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum generale dicti Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen lege, ut tam Commissarii, qui mittentur, quàm etiam Custodes filii earum Provinciarum respectivè sint, pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, sive in Indiis, sive in aliis Europæ partibus existant, dummodò ad electionis effectum non incorporentur, ac ut tàm Commissarii, quàm Custodes prædicti à suis Provinciis, non aliter quam juxta Constitutiones Generales Segobienses eligantur, quodque si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant suffragium suum nemini, etiam tamquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint, ac idem in aliis etiam Prælatis, & Vocalibus juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem servetur Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Constit. Clement. VIII. 67. His, quæ ad tom 3. confirmat. §. 4. Et insuper pro commodiori præmissorum executione Constitutionem fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: His quæ ad Regularium personarum statum. Die 4. Martii 1600. Pontificatus sui Anno nono editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum præsertim in Limensi Provincia ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis Officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quam illi, qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expressè, ac nominatim missi ex Hispaniis, cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, innovamus, approbamus, & confirmamus. Declarantes sub illis verbis, seu quodlibet aliud dignitatis Officium in dicta Constitutione expressis Ministri Provincialis, tàm pro regenda Provincia, quàm pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum Officia comprehendi, & comprehensa intelligi.

Nec aliter judicari posse decernit. §. 5. Sicque in præmissis, & per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ

Nuncios

Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Præmissa observari jubet. §. 6. Quocirca dilectis Filiis nunc, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Commissariis Generalibus in Indiis in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, privationisque suorum Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, ut præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter servent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet servari curent. Alioquin si eos hac in parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant, injungentes, & districtè præcipientes dicto Joanni, & aliis pro tempore existentibus Ordinis prædicti Ministris Generalibus, ut citra conniventiam quamcumque pœnas prædictas contra transgressores debitæ executioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Contrariis derogat. §. 7. Non obstante statuto, & literis nostris prædictis, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Ministris Generalibus, ac Provincialibus, & Commissariis prædictis, aliisque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 17. die 6. Aug. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti 1639. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

CCLIV.

Confirmatio Decreti Congregationis Regularium circa delationem Habitus Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci.

Istorum Fratrum in communi viventium Regulam accommodavit Leo X. Const. 42. tom. 1. Fratres prædicti, quæ servare debeant in eligendis eorum Prælatis, sancivit Clem. VIII. Constit. 33. tom. 3. Gestare tenentur habitum distinctum à colore habitus Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, Paul. V. Const. 66. tom. 3.

Edita An. D. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NOBIS pro parte dilecti Filii Marci Antonii Bottoni Bononiensis Tertii Ordinis Sancti Francisci Commissarii Generalis, & Procuratoris nuper expositum fuit, quod inter generalia dicti Ordinis statuta Apostolica auctoritate confirmata reperitur infrascriptum, videlicet.

§. 1. Religioni consulentes decernimus, ut juxta nostra Apostolica Privilegia, nostratum habitus, sit tunica talaris cum scapulari, veste, sive cucullo utrinque angulari, posteriori tamen angulo funiculum attingenti; Pallium verò instar inpluviæ, nulla vel coloris, vel formæ differentia, ut eodem modo, & colore, quem vulgò Beretinum appellamus, omnes vestiantur.

§. 2. Verum quia Fratres dicti Ordinis alicubi aliquando à Fratribus Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum super hoc de facto perturbantur; Nobis propterea dictus Exponens ad obviandum controversiis, & litibus quibuscumque humiliter supplicari fecit, ut præfatum decretum pro illius firmiori subsistentia Apostolicæ Confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eumdem Exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati.

§. 4. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, Decretum præfatum cum omnibus, & singulis in eo contentis Apostol. auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Confirmatio prout in Rubr.

§. 5. Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac primodictis Fratribus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis inviolabiliter observari, nec eos à quoquam quavis auctoritate fungente quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari posse, vel debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Septemb. 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo. Dat. P. A. 17. die 9. Sept.

CCLV.

Quòd Ministerium Redemptionis Captivorum in omnibus spectat ad Fratres Calceatos dumtaxat, & quod servetur Concordia facta cum Discalceatis.

Istorum Fratrum materiam habes signatam, quoad eleemosynas recipien. pro Redemptione Captivorum ad

Constit. 148. *Ex incumbenti, & ad Constit.* 210. *Ex quo, &c.*

Edita An. D 1640.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXPONI Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Perez de Munebrega, Procurator Generalis Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, quòd aliàs inter Fratres Calceatos dicti Ordinis ex una, & Fratres ejusdem Ordinis Congregationis Discalceatorum nuncupatorum ex altera, partibus, occasione separationis, ac totalis dismembrationis Fratrum Discalceatorum à Fratribus Calceatis hujusmodi; inita fuit quædam Concordia, inter cujus Capitula extat unum, tenoris sequentis, videlicet.

Motiva hujus Constit.

§. 2. Item quòd Ministerium Redemptionis solum spectet ad Religiosos Calceatos; & quod Patres Recollecti non se intromittant in recipiendis legatis à Christi fidelibus relictis ad dictum effectum; nec possint petere in suis Monasteriis, nec extra, pro redimendis Captivis, nec habere cippos, nec capsas, nec aliquid aliud pro eleemosyna petenda hac de causa; quia totum hoc debet mandari curæ, & sollicitudini Patrum Calceatorum dumtaxat; sicut usque nunc fuit in consuetudine. Quæ quidem Concordia à fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro: ac etiam à Nobis cum clausula, citra dispensationem à quarto Voto, confirmata fuit.

§. 3. Postmodum verò, dictis Fratribus Discalceatis prætendentibus vigore prædictæ clausulæ, citra dispensationem à quarto Voto; ministerium Redemptionis Captivorum Fratribus Calceatis hujusmodi in dicta Concordia illiusque Confirmationibus dumtaxat reservatum, à se quoque exerceri posse, etiam vigore suarum particularium Constitutionum, aliàs à Nobis confirmatarum: Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales negociis Regularium præpositi decreverunt, vigore dictæ clausulæ, citra dispensationem super quarto voto hujusmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius Confirmationibus Apostolicis contentarum, non fuisse, nec esse jus aliquod de novo quæsitum Fratribus Discalceatis præfatis ad ministerium Redemptionis Captivorum exercendum, sub directione, & superioritate eorum Vicarii Generalis; sed omnia, circa ministerium dictæ Redemptionis Captivorum, remansisse, & remanere in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Concordiam; itaut præfati Fratres Discalceati, quoad dictum opus Redemptionis Captivorum, aut alia ad id Ministerium quomodolibet spectantia remaneant, & remanere debeant, sub Directione, Cura, Obedientia, & Superioritate ejusdem dilecti Filii Magistri Generalis Calceatorum; ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant ante dictam Concordiam, & Confirmationes prædictas; Nosque Decretum Cardinalium hujusmodi confirmamivus, & subindè nonnullis ex Fratribus Discalceatis, hujusmodi decreto præfato, Nostrisque literis, illius confirmatoriis, parere detrectantibus.

§. 4. Nos omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis Ordinis Præfati, nunc, & pro tempore existentibus, quacumque authoritate, & Officio fungentibus, sub privationis vocis activæ & passivæ, ac quorumcumque dicti Ordinis Officiorum per eos detentorum pœnis, ipso facto, absque alia declaratione per Contravenientes, incurrendis; Præcipimus, ut dicto Magistro Generali in omnibus ab eo commissis, & præfatum Redemptionis Captivorum opus, seu Ministerium, quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & alias prout in Gregorii Prædecessoris prædicti, ac Nostris super præmissis, in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. 5. Cùm autem, sicut eadem Expositio subjungebat Fratres Discalceati prædicti prætendant legata particularia relicta, ac Dispositiones quascumque etiam Donationes inter vivos factas, & pro tempore faciendas, per quoscumque pro Redemptione Captivorum, Ecclesiis seu Domibus, aut personis ipsorum Discalceatorum, cum electione industriæ earum sub Concordia, & Literis prædictis minimè comprehendi. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit; ut in præmissis opportunæ declarationis Ministerio providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur negocio maturè, ac ambabus partibus pluries in facto, & jure informantibus, & auditis per Congregationem Prælatorum à Nobis, ad id, deputatorum; eorumdem Prælatorum resolutione, in favorem Fratrum Calceatorum, eorumque Procuratoris Generalis facta, Nobis relata; Ejusdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum prædictorum votis hujusmodi annuere volentes, ac singulares eorum personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Concordiam prædictam, ac dicti Gregorii Prædecessoris, & Nostras desuper expeditas literas prædictas comprehendisse, & comprehendere etiam legata particulatia, ac dispositiones, & donationes etiam inter vivos particulariter aliasque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus, pro Captivorum redemptione, per quoscumque faciendas, etiam in favorem quorumcumque prædictorum Discalceatorum, eorumque Vicarii Generalis, ac Conventuum, & Domorum ipsorum Discalceatorum, & in quibus eorum industria sit, vel erit electa; & præsertim Legatum, sivè dispositionem & donationem quondam Elviræ Manrique, factam Conventui Sanctæ Barbaræ Matriti Toletanæ Diœcesis non facta expressione, ita ut in Ministerio Redemptionis Captivorum attributo, seu concesso per Concordiam, & literas Apostolicas prædictas Magistro Generali dictorum Fratrum Calceatorum comprehensa, & comprehensæ sint, & comprehendantur Apostolica authoritate tenore præsentium, declaramus, eisdemque Fratribus Discalceatis, eorum Conventibus, & Vicario Generali perpetuum silentium imponimus.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§. 7. Volumus tamen, quod idem Magister Generalis Calceatorum debeat integrè Relicta, Donationes, & Dispositiones prædictas, & prædictum opus Redemptionis expendere, absque eo, quod aliquam illorum partem pro se, Conventibus, aut sua Religione Calceatorum hujusmodi, nec alias unquam retinere possit.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus quorumvis Testatorum, & Testatricum, etiam ultimis voluntatibus, ac donationum dispositionibus, quas in, & quoad præmissa, quatenus foret opus sufficienter, &

expressè

expresſè commutamus ; necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Conſtitutionibus Diſcalceatorum authoritate Apoſtolica confirmatis, & præcipuè earum Capitulis vigeſimo, vigeſimo primo, & vigeſimo ſecundo primæ diſtinctionis,ac omnibus illis, quæ in prædictis literis Apoſtolicis dictus Gregorius Prædeceſſor voluit,& Nos volumus non obſtare,cæteriſque contrariis quibuſcumque.

D.P. An. 17, die 15. Febr. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris , die 15. Februarii 1640. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſeptimo.

CCLVI.

Quòd Fratres Minores Conventuales tanquam Mendicantes prohiberi non poſſint ab Ordinariis locorum , ſeu aliis Regularibus quominus per ſe ipſos in locis ubi habent Conventus eleemoſynas quærant.

De tota ipſorum Religione plenè notatum eſt ad Conſt. 5. Honorii III. tom. 1. & ad Conſt. 101. Militantis.

Edita An. D. 1640.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.
§. 1.

Motiva. CUM ſicut dilectus Filius Blaſius à Cherſio Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit , Fratres prædicti qui nedum ex regula,quam profitentur, ſed etiam ex Conſtitutionum dicti Ordinis Urbanarum nuncupatarum Apoſtolica auctoritate confirmatarum Obſervantia verè Mendicantes ſunt, & hactenus privilegiis Mendicantium gaviſi fuerunt , & gaudent, impediri non debeant quominus eleemoſynas quærant præſertim in partibus Ultramontanis, ubi ab hæreticis majori parte rerum, quas in communi poſſident, exuti ſunt, & abſque piorum eleemoſynis fame perirent , aut ſuas Domos regulares deſerere cogerentur, Nobis propterea dictus Blaſius Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Declaratio prout in Rubr. §. 2. Nos igitur eundem Blaſium Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus , & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis,ſuſpenſionis,& interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure,vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis , ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes,& abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negociis Regularium præpoſitorum conſilio , inhærentes declarationibus aliàs deſuper editis, præfatos Fratres Minores Conventuales Sancti Franciſci tanquam Mendicantes nequaquàm poſſe ab Ordinariis locorum , ſeu aliis Regularibus prohiberi, quominus per ſe ipſos in locis ubi habent Conventus eleemoſynas quærant, ſed tantum ſi extra loca ubi Conventus exiſtunt quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere , Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus.

Decretum irritans. §. 3. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ,ac ſub aliis arbitrii noſtri pœnis, omnibus,& ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet in futurum ſpectabit,ut eoſdem Fratres Conventuales præmiſſorum omnium commodo,& effectu frui, & gaudere ſinant, & faciant, non permittentes eos deſuper à quibuſvis quavis auctoritate fungentibus etiam aliis Regularibus Mendicantibus quovis prætextu quomodolibet indebite moleſtari, ac decernentes præſentes literas validas,firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere dictiſque Fratribus Conventualibus in omnibus,& per omnia pleniſſimè ſuffragari , ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari,& definiri debere,ac irritum, & inane , ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,ac dicti Ordinis etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis ſtatutis , & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis , & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus,& ſingulis,etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum , non autem per clauſulas generales idem importantes mentio facienda eſſet , aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium,& ſingulorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter,& expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem,ut præſentium tranſumptis,etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis , eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Tranſumptis credi jubet.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris , die 8. Februarii 1640. Pontificatus noſtri Anno Decimoſeptimo. Dat. P.A. 17, die 8. Febr.

CCLVII.

Declaratio mentis circa reductionem onerum quorumdam Beneficiorum.

Multa alia ſecuritatem conſcientiarum beneficia obtinentium concernentia annotari poſſunt ex Repertorio materiarum, in verbo Beneficium.

Edita An. D. 1640.

URBANUS PAPA. VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ALiàs Nos ex certis rationabilibus cauſis adducti,ex diverſis legatis piis,ſeu bonis, diverſis Domibus Regularibus Fratrum tam non Reformatorum , quam etiam forſan Reformatorum Ord. S. Franciſci Minorum de Obſervantia nuncupatorum ſimilium legatorum incapacium in diverſis Civitatibus , & locis Regni Neapolit. ac in Civitate, ſeu Diœc. Florentina,ac alibi etiam forſan in Statu noſtro Eccleſiaſtico exiſtentibus per Chriſti fideles per viam teſtamentorum, ſeu Codicillorum, aut Donationum tam inter vivos, quam cauſa mortis , aut aliàs etiam ſub celebrationis miſſarum, ſeu anniverſariorum, aliorumve divinorum Officiorum, & ſuffragiorum , & forſan aliis oneribus,ac etiam ſine oneribus reſpectivè relictis , diverſa perpetua ſimplicia Beneficia Eccleſiaſtica in diverſis Eccleſiis, & diverſis temporibus tàm noſtro motu proprio , quàm ad diverſorum ſupplicationem Apoſtolica auctoritate perpetuò ereximus,& inſtituimus, illiſque ſic erectis,& inſtitutis pro eorum dote, & illa pro tempore obtinentium ſuſtentatione , onerumque eis incumbentium ſupportatione,tam in actu ipſarum erectionum , & applicationum plurima , quàm etiam deinde in pluribus vicibus diverſa alia legata,ſeu bona ſimilia , cum ſimilibus oneribus, ac etiam forſan ſine illis, eiſdem,ſeu aliis domibus Regularibus eorumdem Fratrum etiam , ut præfertur, relicta, etiam forſan cum eorum fru-

ctibus eatenus respectivè decursis, etiam forsan pro supplemento, seu augmento dotis hujusmodi, etiam perpetuò applicavimus, & appropriavimus, oneraque eisdem legatis, seu bonis, ut præfertur, incumbentia ad certum Missarum numerum per unumquemque ex obtinentibus unumquodque ex beneficiis hujusmodi, vel per alium ejus nomine respectivè celebrandarũ etiam perpetuò reduximus, ac obtinentes Beneficia hujusmodi ad aliquod aliud, quàm dictarum Missarum onus non teneri voluimus, ipsaque Beneficia à primæva illorum erectione, & institutione hujusmodi vacantia diversis Clericis, seu Presbyteris contulimus, & de illis etiam providimus, prout in diversis nostris desuper confectis literis pleniùs respectivè continetur.

Declarat Pōtifex suam mentem circa reductionem onerum quorumdam Beneficiorum.

§. 1. Cùm autem, sicut accepimus, nonnulla ex dictis legatis, seu bonis sic ut præfertur applicatis, & appropriatis cum onere dotationis alicujus puellæ, seu aliquarum puellarum, inter cætera eisdem Fratribus relicta fuerint, ab aliquibus verò revocetur in dubium, an sub reductionibus onerum sic in confuso expressorum per Nos, ut præfertur factis, dotationes puellæ seu puellarum hujusmodi comprehensæ extiterint. Nos ne ulterius circa præmissa à quoquam hæsitari contingat providere, ac securitati conscientiarum dicta Beneficia obtinentium consulere volentes, ac omnium, & singularum literarum super erectionibus, & institutionibus, ac applicationibus & appropriationibus, necnon reductionibus, & provisionibus hujusmodi respectivè confectarum totos, & integros tenores, perindè ac si de verbo ad verbum nihil omisso insererentur, & exprimerentur, ac datas, necnon nomina, & cognomina illorum qui dicta Beneficia ad præsens obtinent, seu aliàs obtinuerunt, etiamsi familiares, ac continui Commensales, ac Prælati domestici nostri, aut aliàs speciali nota, & expressione digni sint, ac etiam legatorum, seu bonorum prædictorum veros annuos valores, eorumque ac dictorum onerum qualitates, & quantitates præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes motu simili, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse decernimus, & declaramus sub reductionibus onerum, sicut supra in confuso, & in genere absque aliqua specificatione dotationis, seu dotationum puellæ, seu puellarum expressorum, & narratorum per Nos factis hujusmodi noluisse comprehendere illa onera dotationum, quæ fuerunt relicta pro aliqua puella, vel aliquibus puellis nominatim, vel de aliqua particulari familia, aut descendentia, seu agnatione in specie, quæ nullo modo reducta intelligantur, sed juxta voluntatem legantium tam quoad tempus decursum, quam decurrendum semper, & perpetuò adimpleri debeant, sed tantum eas dotationes, quæ fuerunt relictæ pro aliqua puella, seu aliquibus puellis etiam ex certo loco oriundis, aut aliàs quomodolibet qualificatis in genere, & in confuso absque ulla speciali expressione personarum, seu particularis familiæ, aut descendentiæ, vel agnationis.

Clausulas præservativas apponit.

§. 2. Sicque & non aliter literas nostras prædictas etiam ab illarum dat. intelligi & per modernos, ac pro tempore obtinentes Beneficia hujusmodi, & eorum quemlibet tam quoad tempus præteritum, quàm futurum semper, & perpetuò observari debere, præsentesque literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nunquam posse, sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Per præsentes autem non intendimus aliquid innovare, seu immutare circa eas dotationes dictarum puellarum, quæ à nobis in eisdem literis, seu earum aliquibus in specie præservatæ extiterunt.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus literis nostris præfatis, & earum singulis quatenus in aliquo obstent, aut obstare dici possent, ac earumdem legantium voluntatibus, necnon regula nostra de jure quæsito non tollendo quatenùs opus sit, & quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis, earumque singulis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentium literarum transumptis etiam impressis, & manu Nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii subscriptis, eiusque sigillo munitis eadem prorsus tam in judicio, quàm extra illud ubique in Romana Curia, & extra eam fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1640. die 6. Martii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Martii 1640. Pontificatus Nostri Anno. 17.

CCLVIII.

Declarat Religiosos Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum circa nullitatem Professionis reclamantes, esse veros Professos: Et qui Professionem ante vigesimum primum annum emiserunt esse veros Clericos:

De istorum Clericorum Congregatione notavi sup. ad Constit. 15. Greg. XV. In supremo, & in Const. 136. Ad uberes hujus Pontificis.

Edita A. 1639.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Religiosos viros, qui spretis hujus sæculi vanitatibus divini numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo sese manciparunt Pastorali charitate complectimur, utque in vocatione qua vocavit eos Dominus permaneant, ibique sublatis quibusvis perturbationibus tranquillè famulentur, juxta creditum Nobis Apostolicæ servitutis munus, sedulò intendimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studiis interponimus prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus nonnulli Religiosi Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum piarum nuncupatorum circa nullitatem Professionum Regularium per eos emissarum prætextu non servatæ formæ Constitutionum ejusdem Congregationis Apostolica auctoritate confirmatarum reclament, ac in eadem Congregatione circa distinctionem inter Clericos, & Laicos nonnullæ differentiæ vigeant.

Declaratio prout in Rubrica.

§. 2. Nos in præmissis quantum Nobis ex alto conceditur opportunè providere volentes de nonnullorum Rom. Cur. Prælatorum, & Theologorum, qui pluries auditis partibus negocium hujusmodi maturè jussu nostro discusserunt, consilio, dictos Religiosos reclamantes circa nullitatem Professionum sub prætextu non servatæ formæ Constitutionum prædictarum non esse audiendos, & maximè post quinquennium, ac insuper omnes Religiosos reclamantes hujusmodi qui emiserunt Professionem ante vigesimum primum annum elapsum esse veros Clericos, & si infra tempus à Dilecto Filio nostro Alexandro S. Eustachii Diacono Cardinali Cæsarino nuncu-

pato

pato Congregationis prædictæ apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore assignandum fuerint idonei reperti, posse ad omnes, etiam Sacros Ordines promoveri Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

Validat Professiones.

§. 3. Et quoniam sicut pariter accepimus aliqui ex prædictis Religiosis minimè tuti sibi videntur de validitate suæ Professionis propter defectum solemnitatum ex suo instituto requisitarum eorum conscientiæ, & quieti consulere volentes, quandocumque aliquis, vel aliqua ex istis Professiones suas ratas habere voluerint, Nos eas ex nunc acceptamus, & validamus, atque ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates quas si ab initio validè professi fuissent, haberent, & obtinerent restituimus, ac restitutos eo ipso esse, & censeri decernimus, itaut habeant eumdem locum, sessionem, & votum prout haberent si priores Professiones validæ fuissent, & nondum promoti ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines servatis alias servandis promoveri, & tàm ipsi, quàm alii ad eosdem Ordines jam promoti in susceptis Ordinibus hujusmodi etiam in Altaris Ministerio ministrare liberè, & licitè valeant, necnon omnes actus, sive contractus quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius Religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum quia initi aut contracti sunt invalidè ab iis qui sine prædictis solemnitatibus professi sunt auctoritate nostra prædicta confirmamus, & approbamus, ac valida omninò esse volumus, & declaramus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari eosque præmissorum occasione vel prætextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere, sicque, & non aliter ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, illi, ejusque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium, & motu proprio, ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, & alias quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, ac individua, & de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Ut autem præsentium notitia ad omnes faciliùs perveniat, volumus ut illarum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis credi mandat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Octobris 1639. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

Dat. P.A. 17. die 22. Octobris.

CCLIX.

Prohibitio erigendi nova loca sub titulo de Propaganda Fide, ubique Terrarum, absque facultate Sedis Apostolicæ.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1640.

Prohibet prout in Rubrica.

Ne nova loca sub titulo de Propaganda Fide, imposterum ubivis gentium temerè, & inconsulta Sede Apostolica erigantur, aut instituantur, quantum cum Domino possumus, opportunè providere volentes, de Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei hujusmodi præpositorum consilio, Superioribusque cujuscumque Ord. Religionis, Congregationis, Societatis, aut instituti sub pœnis privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatis ad ea, Apostolica auctoritate tenore præsentium prohibemus, ne Monasteria, Conventus, Domos, Seminaria, Collegia, Hospitia, seu Oratoria sub titulo de Propaganda Fide construant, aut erigant, vel à suis subditis construi, aut erigi permittant, sine speciali eorumdem Cardinalium licentia. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cujuscumque Ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis.

Contrariis derogat.

§. 2. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda esset, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Secretarii Congregationis dictorum Cardinalium de Propaganda Fide, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præfecti Congregationis hujusmodi, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 17. die 13. Martii.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 13. Martii 1640. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo, Indictione octava, die verò vigesima quarta mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. D. N. Domini divinâ Providentiâ Urbani Papæ Octavi anno ejus decimo septimo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Bardum prælibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

CCLX.

Pro restituendo, ac conservando in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia disciplinæ regularis candore.

De hujusmodi Fratribus Religione plenè notatum est ad Constit. 53. Sacrosanctum. & in sequentibus statutis generalibus.

Edita A. D. 1640.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus, inscrutabili divinæ providentiæ voluntate, præsidentes; quid pro felici Christi fidelium quorumlibet, & præsertim regularium personarum, quæ, abjectis Mundi vanitatibus, Deo sub suavi Religionis jugo se totas devoverunt, statui conferat; diligenter prospicimus: ac quæ ipsis, per emissorum votorum semitas ad perfectionis apicem contendentibus, offendiculo esse possunt, removere studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cùm igitur, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ob minus accuratam aliquorum præceptorum regulæ eorumdem Fratrum Observantiam, nonnullosque abusus, quib⁹ in Ordine prædicto, contra Apostolicarum Constitutionum, præcipuè fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri decretorum, pro reformatione Regularium editorum, præscriptum, pacem, mentisque quietem turbari, religionis candorem minui, ac fidelibus non paucorum scandalorum occasionem præberi contingat.

Tollit quasdam desuetudines & pœnas apponit.

§. 2. Hinc est, quod Nos, ejusdem Clementis decretis, dictique Ordinis statutis, per Sedem Apostolicam confirmatis, inhærendo, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, confirmantes, quæ aliàs à Nobis circa Patrum Privilegiatorum abrogationem sub die 23. Julii anni, 1639. sancita fuere, Patrum ex electione factorum sive ii Procuratores, & Commissarii Generales Curiæ, sive Definitores generales Ordinis, seu Ministri Provinciarum, sive earumdem Custodes, & Definitores, à quibus, ob majorem multitudinem, majora etiam in eisdem oriuntur incommoda, quos ultra numerum, in Statutis Ordinis præscriptum minimè augeri posse, sine dispensatione, decernimus, sive Provincialium gratiis, & privilegiis ex Ordinis concessione gaudentes, extiterint, vel existant; relicta tantummodò præcedentia, ac antelatione, ac socio, eisdem per Ordinis statuta, respectivè concessis; omnes exemptiones, immunitates, licentias, consuetudines, quæ potius abusus dici possunt, quoquomodo in dicto Ordine obtenta, inducta, intrusaque in perpetuum cassamus, tollimus, abolemus, & abrogamus, ac cassata, ablata, abolita, & abrogata esse, & censeri debere, cuicumque in posterum tales exemptiones, & privilegia concedendi facultate penitus interdicta, sub privationis vocis activæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendis pœnis, decernimus, & ordinamus.

Dat facultatem Superioribus liberè exercendi munus suum.

§. 3. Declarantes, ex Officiis, quibus functi fuerint, nullum aliud in ipsis remansisse, vel remanere, aut eos prætendere posse jus, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quocumque alio nomine nuncupetur, præeminentiam in Provinciis, Conventibus, Fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus; itaut liberum omninò sit Provincialibus, & Definitoribus (nullo ad prædictos Patres habito respectu) de Conventibus disponere, Guardianos instituere, Fratres collocare, aliaque exequi, sicuti communi Provinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Cardinali Protectori, Ministro, ac Commissario Generalibus, pro tempore existentibus, contravenientes Provinciales, & Guardianos taliter electos, obtentis Officiis eorum arbitrio privandi; Patres verò præfatos, qui præteritorum Officiorum per eos obtentorum prætextu, aliquid contra præsentis Constitutionis tenorem moliri, innovare, vel attentare præsumpserint, ad majorem tranquillitatem, & pacem, eorumdem Protectoris, & Generalium arbitrio, etiam si opus fuerit in alienas Provincias transferendi, & transmittendi, facultatem concedimus, & impartimur.

Mandat, quòd Prædicatores Eleemosynas Superioribus significent.

§. 4. Nè autem in dicto Ordine recipiendi, pro concionibus, pecuniarias eleemosynas, deque illis ad Concionatorum arbitrium disponendi, neve nimius equitandi abusus ulterius invalescant, gravissimisque regulæ Beati Francisci voto, & præcepto passim contraveniatur; Omnibus, & singulis, prædicti Ordinis Concionatoribus, ultra pœnas in proprietarios, per ejusdem Ordinis statuta, fulminatas, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub privatione Officiorum quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quæcumque Officia, gradus, & dignitates in posterum, ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, ut de prædictis eleemosynis per se nullo modo disponant, nec eas ob offerentium manibus in suas recipiant, vel in Procuratoris, sive alterius cujuslibet deponi faciant; sed easdem integras Superiori Provinciali significent, qui de illis juxta Regulæ præscriptum disponat; quibus etiam pœnis eo ipso subjicimus omnes ejusdem Ordinis Fratres, qui sine manifesta, vera, gravique necessitate, aut infirmitate, & absque licentia Provincialis, vel in casu urgenti, Superioris localis, de consilio, & judicio trium Discretorum Conventus, in scriptis obtenta, equitare ausi fuerint: easdem pœnas solis Ministro, & Commissario Generalibus aliquando, & ex rationabili causa remittendi, facultate relicta.

Dat normam equitandi.

§. 5. Quos cum Provincialibus, Provinciarum Commissariis, & ad urgentiora negotia destinatis paternè monemus, ut in casu urgenti, ac per regulam permisso, memores sint paupertatis, humilitatis, & patientiæ Christi Domini Salvatoris Nostri, ad cujus vitæ exemplum B. Franciscus, & conversationem instituit, & Ordinem suum fundavit, vilioribus, despectisque jumentis contenti sint, & Comitatu, qui Seculares divites decet, relicto, majori, qua fieri poterit, modestia gradiantur, exemploque cæteros præeuntes, sciant in concessis tantùm casibus, equitandi licentiam indulgere, super quo Superiorum omnium, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, conscientiam oneramus. Concedentes Provincialibus, & Provinciarum Commissariis, ut uno, eoque humili jumento, pro se tantum, non autem pro sociis, in nessitatis articulo, uti possint: alias, si contrafecerint, suis Officiis eo ipso destituti remaneant.

Observari mandat Const. Clem. VIII. pœnas apponit.

§. 6. Ad hæc ut prædicti Clementis VIII. Prædecessoris nostri decreta inviolabiliter observentur omnes Fratres, præcipuè nominatos Ordinis, & Provinciarum Patres, legitimè non impeditos, ad Chori servitium, & ad faciendum hebdomadam, aliasque Ecclesiasticas functiones, ad vestitum, & Cellarum suppellectilem, eorum statui convenientes, ad communem mensam, cum eisdem pane, vino, obsonio (nihil cuiquam singularitatis concesso) ad egressum de Conventibus cum licentia, & socio, qualibet vice à Superioribus obtinendis, benedictionisque receptione post regressum, ad cubitum singulorum in singulis lectis, ad orationis mentalis studium, à qua nullus, cujuscumque conditionis existat, exemptus censeatur, ad silentii custodiam

ſtodiam, ad culparum Capitula, ad virtutum exercitium, ad collocutiones, & ſermones, ſingulis ſaltem hebdomadis de regulari diſciplina, ſpiritualique profectu tractantia, teneri volumus, & obligamus, nedum ſub pœnis in eiſdem decretis contentis, verum etiam ſub privatione Officiorum, & perpetua inhabilitate in poſterum, ipſo facto incurrendis: Guardianis, Provincialibus, & Generalibus reſpectivè, qui ſine legitima cauſa prædictorum transgreſſionem permiſerint, & notabiliter negligentes, ac transgreſſores non legitimè impeditos, voce activa & paſſiva non privaverint, & in poſterum ad alia non inhabilitaverint, prout Nos hac noſtra Conſtitutione (quam in ſola Cismontana Familia valere, ſtatimque poſt ejuſdem notitiam à prædictis Superioribus ſub fulminatis pœnis in quolibet Conventu, pro felici exequutione publicari, ac in ſtatutis Ordinis inſeri, & cum illis bis ſaltem in anno publicè in Communitate Fratrum legi, ſub deſtitutione ipſo facto Superiorum localium negligentium, volumus) privamus, & inhabilitamus; ac tamquam candoris ordinis obſcuratores, diſciplinæque regularis relaxatores, privatos eſſe volumus, & declaramus.

Decretum irritans.

§. 7. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis, inviolabiliter obſervari, & per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Conciliis Univerſalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini, illiusque Superioribus & Fratribus, ac quibusvis aliis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Tranſumptis credi jubet.

§. 9. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſt. conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubiq; fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. A. 17. die 1. Junii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 1. Junii 1640. Pontificatus Noſtri anno 17.

CCCLXI.

Statuta generalia à Sanctiſſ. D. N. Urbano Octavo in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia, cum præinſertione ipſorum literis ſequentibus confirmata.

Similia Statuta habes in Conſtit. hujus Pont. 53. Sacroſanctum. ubi plura ad materiam annotata reperies.

Edita An. D. 1640.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Supremo Apoſtolatus ſolio, meritis licèt imparibus, divina diſpenſatione præſidentes, ex incumbenti Nobis Paſtoralis Officii debito Religioſorum Ordinum in Eccleſia Dei militantium proſperum ſtatum, felicemque directionem ſinceris deſiderantes affectibus, iis, quæ propterea piè, & providè præſertim in eorum Capitulis Generalibus facta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuò, & illibata remaneant, libenter cum à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

In Capitulo Gener. hujus Ordin. edita fuerunt nonnulla ſtatuta.

§. 1. Cùm itaque ſicut dilectus Filius Joannes Merinero Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Miniſter Generalis Nobis nuper exponi fecit, in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis in Domo Beatæ Mariæ de Aracœli nuncupatæ de Urbe prædicti Ordinis noviſſimè celebrato, pro felici Univerſi Ordinis hujusmodi guberaio, & directione nonnulla ſtatuta edita fuerant; tenoris ſubſequentis, videlicet.

STATUTA GENERALIA
Pro utraque Familia.

De Miniſtro Generali.

Declarat Capitulum Generale, omnem & quamlibet poteſtatem, quæ in Miniſtro Generali reperitur ad diſpenſandum in Statutis generalibus, totam ipſi provenire à Generali Capitulo; unde quoties ab eodem Capitulo Generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo Statuto concedatur abſolutè diſpenſatio, vel nonniſi ſub certis conditionibus ibidem expreſſis, ſi Generalis Miniſter, aut abſolutè diſpenſet, aut conditiones ad diſpenſandum requiſitas non obſervet, ejusmodi diſpenſatio ipſo facto irrita evadit.

Ordinatur à Capitulo Generali, nè liceat Miniſtro Generali, & multò minus aliis inferioribus Prælatis, qui Electionibus præſident, illas jam inchoatas ſuſpendere, aut iis jam congregatis, ad quos ſpectat faciendis Electionibus intereſſe, eas impedire, ne fiant. Præterea iiſdem Prælatis Generalibus interdicitur, ne functiones, quæ ad Congregationem legitimè convocatam ſpectant, ſuſpendere, aut impedire præſumant: ſcientes totum hoc irritum fore, utpote violentum, & libertati Electionis contrarium.

Item prohibetur iiſdem Prælatis Generalibus, ne poſthac ad Provincias quemquam mittant, ut celebrandis earum Congregationibus intermediis præſit, niſi cauſa valdè notoria, & urgens ſe obtulerit, vel major Definitorii pars Provinciæ ita poſtulet. Alioquin Provinciales, & alii ad quos attinet uti jure ſuo in hac parte permittantur.

Si Generalis Miniſter è Familia diſcedat, ex qua fuit aſſumptus, & neminem ibi relinquat, cui vices ſuas commiſerit, ut ad eum veluti Commiſſarium Generalem è Provinciis recurratur. In hoc eventu determinat Capitulum Generale Provincialibus fas eſſe cum Definitoriis ad intermedias Congregationes celebrandum devenire; Capitulum tamen Provinciale nullatenus celebrabunt.

Declaratur nemini Prælatorum deinceps licere vices ſuas alteri committere, ut in Capitulo Generali ipſius loco tàm ad eligendum, quàm ad alios actus ibi exercendos interſit. Quia Sanctiſſimus Dominus Noſter Urbanus Octavus Conſtitutione edita, & in præſenti Capitulo promulgata, ſimiles ſubſtitutiones contra formam Conſtitutionum factas interdixit.

Commiſſarius Generalis Belgicæ nationis ſecundum antiquam conſuetudinem fit à Miniſtro Generali cum poteſtatis plenitudine, & hujusmodi Officium triennale eſt.

Prædicto Commiſſario Generali Belgico fas erit auctoritatem ſuam alteri ſubdelegare, attamen Subdelegatus non habebit in Electionibus votum, quo fruitur ipſe Commiſſarius.

Congregationes intermedias, ex vi sui muneris cogere nequit,& ideò in hac parte statutorum generalium decretis standum est. Quinimò omni severitate præfatis Commissariis præcipitur,& decreto quicquid in contrarium fecerint irritante prohibetur, ne Congregationes nationales cogere aut celebrare præsumant, quicquid in contrarium habeatur in statutis Generalibus Barchinonensibus pro eadem natione accommodatis, quæ Capitulum Generale ad hunc effectum dumtaxat revocat. Quòd si id necessarium censuerint, Capitula, seù Congregationes Generales exspectent, & ibi nationalium Congregationum celebrationem fieri ipsis permittitur.

De Vicario Generali Ordinis.

Ad tollendam omnem ambiguitatis speciem, atque ut certior cognitio de qualitate eligendi in Vicarium Generalem habeatur, revocat Capitulum Generale Constitutionem illam Ultramontanæ Familiæ,qua statuebatur, ut vita functo Generali Ministro, Electio Vicarii Generalis fieret in Familia,in qua vita functus est Generalis,dummodo is, qui in Vicarium totius Ordinis erit eligendus, sit ex illa Familia, ex qua erat Generalis, Minister, ex cujus persona Officium Ministri Generalis vacavit. Et statutis Cismontanæ Familiæ adhærens præcipit, ut vacante quacumque de causa Officio Ministri Generalis,electio Vicarii Generalis in ea Familia celebretur, ex qua erat Generalis assumptus.In Electione autem facienda unaquæque Familia modum sibi in constitutionibus præscriptum observabit.

Jubetur deinde,ut in ejusmodi Electione votum activum habeant Patres omnes, qui pro tempore in Generali Definitorio assistunt: Videlicet Discreti perpetui Ordinis,aut Familiæ,quales sunt Ministri & Commissarii Generales præteriti,& Vicarii Generales præteriti, qui per biennium completum Officium Vicarii Generalis exercuerunt. Deinde Procurator, & Commissarius Romanæ Curiæ, Procurator Generalis Reformatorum Cismontanæ Familiæ, & Definitores Generales utriusque Familiæ, quamdiu munere suo actu funguntur, dummodò in ea natione præsentes sint, ubi Electionem fieri contingat. Quòd si absentes sint, nec vocandi erunt,nec exspectandi,sed ad Electionem juxta præscriptum Constitutionum generalium procedendum,quam utraque Familia,nemine dissentiente, novo compromisso sic faciendam pronunciavit.

De Patribus perpetuis Ordinis, & Familiæ.

Attento Ordinis,ac honoris gradu, in quo singuli pro sua quisque dignitate constitui debent, Capitulum Generale determinat, ut perpetui Ordinis, & Familiæ Patres secundum à Superiore locum semper obtineant : ita quod Ordinis Patres, in toto Ordine,unus tantum Superior sedendi ordine præcedat. Undè præsentibus Ministro, vel Commissario Generali, illi solummodò præcedent. Si verò absint, solus Provincialis, & hoc absente,Guardianus Conventus anteibit. Et idem cum Familiæ Patribus, unoquoque in sua Familia observetur,sicut Statuto Cismontanæ Familiæ fuerat præceptum, à qua mutuatum in Ultramontana Familia observandum statuit Capitulum Generale.

De Procuratore,& Commissario Generali Curiæ Romanæ.

Declarat Capitulum Generale juxtà Constitutionem Gregorii XIII. Procuratorem, & Commissarium Generalem Curiæ Romanæ tàm in Capitulis, quàm in Congregationibus Generalibus,in Definitoriis assistere semper debere, nimirum, ut in veteri Definitorio, quod tunc absolvitur,& in novo, quod creatur, Religionis rebus determinandis intersint. Et idem statuitur de Procuratore Reformatorum Cismontanæ Familiæ ; juxtà Constitutionem Sanctiss. D. N. Urbani Octavi.

De Definitoribus Generalibus, & eorum Subrogatis, ac Substitutis.

Censuit Capitulum Generale nimis indecorum esse,atque ab optimi regiminis ratione valdè alienum, ut Definitores Generales, primarii in Ordine judices, penes quos est aliorum suffragatorum discussio,& approbatio, in Congregationibus, & Capitulis Generalibus suffragandi potestate careant. Et ideò statuit, ut post hac Definitores Generales utriusque Familiæ tàm in Congregationibus,quàm in Capitulis Generalibus, ubi suo funguntur Officio,suffragium ferant:non aliter quam in suarum Provinciarum Capitulis, & Congregationibus suffragantur.

Quando in utraque Familia contingat,ut Definitores Generales absint, vel quolibet eventu deficiant: statuitur,ut eorum loco alii statim subrogentur, vel substituantur. Verùm tàm in substitutione, quàm in subrogatione, forma in statutis apud Toletum novissimè editis tradita observetur.

Patres illi, qui loco Definitorum Generalium dum adhuc vivunt,& absentes sunt, substituuntur pro Capitulo Generali, deinceps inter Provinciæ suæ Patres numerentur : dummodò ultimi sint,& post eos locum habeant, qui Ministri, & Vicarii Provinciales jam extiterunt, vel postea eisdem Officiis perfungentur.

De Ministris Provincialibus.

Prohibet Capitulum Generale ne in Ministros Provinciales assumantur, nisi qui de earumdem Provinciarum corpore, hoc est, ibi professi,vel à longo jam tempore (saltem per decennium) in eis fuerint incorporati, & insuper in inferiorum Officiorum gradibus aptitudinis suæ ad gubernandum specimen præbuerint : aliter electio ipso facto irrita,& nulla sit.

Titulares Ministri ad suffragandi effectum solummodò electi, ad instar Commissariorum Provincialium se habeant,qui pro Provincialibus legitimè impeditis in Generali Capitulo suffragantur : Nec ullo Patrum Provinciæ privilegio, aut exemptione gaudeant.

De Vicariis Provincialibus.

Provinciali Ministro è vita decedente, determinat Capitulum Generale ad amputandas litium occasiones, quæ ex diversis Provinciarum consuetudinibus, ac constitutionibus oriuntur, ut in toto Ordine Regestum, scripturæ, & sigilla ad digniorem Provinciæ Patrem, eum videlicet, qui primum locum vendicat,statim deferantur. Is verò absque mora convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis Electionem, in qua votum activum habeat & passivum. Quod si Minister, aut Commissarius Generalis intra tres dietas consistant,consulendi sunt,& eorum responsio exspectanda. Si tamen longiùs absint, iis inconsultis fiat Electio, non obstante statuto in contrarium edito, quod ad hunc effectum revocat Capitulum Generale.

Vicarii Provinciales, qui per biennium completum in Officio steterunt, Patrum Provinciæ privilegium, & præcedentiam habeant : eos tamen subsequentur, qui Ministri Provinciales extiterunt, vel postmodum existent. Absoluto tamen Vicariatus Provincialis Officio, nonnisi post triennii vacationem in Provinciales Ministros eligentur. Qui verò per biennium integrum in Officio non steterint, nullo gaudeant privilegio, sed absque ullo vacationis interstitio eligi poterunt Provinciales Ministri.

Is,qui mortuo Provinciali Ministro, vel quolibet eventu vacante, in Vicarium Provincialem fuit assumptus, usque ad Capituli Provincialis celebrationem in Officio durabit. At verò Capitu-

lum

lum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodò tempus lege præscriptum non excedatur.

Provincialibus Ministris è Provincia discedentibus, vel ad Generale Capitulum, vel negotiorum causa, quæ per ipsos fieri necesse sit: quolibet eventu Officium vacaverit, Commissarii Provinciales qui relicti fuerant; sub titulo, & appellatione Vicariorum Provincialium in Officio succedent, quousque Capitulum Provinciale celebretur. Quando autem absentibus Ministris Provincialibus Commissarii morientur, Provinciæ regimen ad digniorem ipsius Patrem, cum eadem authoritate, usque ad Provincialis regressum deferatur.

De Custodibus.

Decrevit Capitulum Generale, ut Custodes in solo Definitorio extra Capitulum electi, Custodum qui Officium absolverunt Privilegio minimè gaudeant, nisi per duos annos integros functi fuerint Custodiatus Officio, vel ad Capitulum, seu Congregationem Generalem suffragaturi accesserint, quamvis biennium non sit completum. Sive autem Custodes in Capitulis, sive in Definitoriis sint electi, in Capitulo Provinciali eorum cesset Officium, & alii de novo eligantur. Ille tamen qui duos annos non complevit reeligi poterit ad idem Officium.

De Secretariis Curiæ Romanæ.

Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII. considerato labore, ac ingenti fatigatione, quam Secretarii, Procuratores, & Commissarii Generales in Romana Curia subeunt, quatenus eos in suorum Officiorum administratione coadjuvant, literis in forma Brevis expeditis decrevit, ut prædicti Secretarii, postquam Officium per triennium expleverint, in suis Provinciis, immunitatibus, & privilegiis gaudeant eorum, qui ibi Definitores extiterunt, sed semper post eos, qui per Electionem Definitores fuerunt, vel postea existent.

De Privilegiis, & Privilegiatis.

Creverat adeò in Religione nostra Privilegiatorum numerus, & tàm frequenti abusu Immunitates, & Privilegia laborantibus in præmium destinata, ignavis forsan & ambitiosis gratuitò, & spontè donabantur, ut propterea Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. motu proprio omnia Privilegia personalia ex gratia, & favore per quemcumque concessa abstulerit, sublata facultate alia de novo concedendi, iis tamen exceptis, quæ in justum laboris præmium, & virtutis incitamentum constitutionibus nostris, & statutis stabilita sunt, vel postmodum stabilientur. Exemptis hinc etiam Regum, & Imperatorum Prædicatoribus, & Confessoribus, quos ab hac regula Sanctissimus exclusit.

PRO ULTRAMONTANA FAMILIA.

De Patribus Provinciæ.

Provinciarum Patres à Gregorio XV. quoad Jus suffragandi in Capitulis, & Definitoriis in toto Ordine extinctos, S. D. N. Urbanus VIII. in tota Ultramontana Familia iterum suscitandos judicavit, non tamen omnes, ne Provinciæ tot Judicibus oneratæ premerentur, sed aliquos, qui rerum Religionis experti in Capitulis, Congregationibus, & Definitoriis existentes, auctoritate sua, & consilio alios in Officio novos erudiant, & compescant. Quapropter motu proprio decrevit ut in unaquaque Provincia Ultramontanæ Familiæ duo essent Provinciæ Patres, unus qui foret perpetuus, is videlicet, qui in Provincia dignior esset, hoc est, primum inter Provinciæ Patres locum vendicaret. Quòd si Pater iste alio titulo sit de corpore Definitorii, pro illo tempore assumatur alius in dignitate propinquior. Idem etiam subrogationis ordo servetur, cum per mortem vacare contigerit.

Alter Provinciæ Pater juxtà prædictam Constitutionem Apostolicam ille est, qui immediatè Provincialatum absolvit. Per triennium tantummodò durabit hujusmodi Pater, quo finito, succedet Provincialis, qui post ipsum subsequetur, Officio absoluto. Quod si ante triennium decessisse contingat, alius assumatur, qui immediatus Provincialis extiterat.

Præcipit verò Sanctissimus Ministris Generalibus, & aliis, ad quos prædictæ Constitutionis Apostolicæ executio spectat, ut sub gravissimis pœnis, & nullitate Electionis illud observent, & inviolabiliter observari procurent.

De Commissario Generali Terræ Sanctæ in Curia Regis Catholici residente.

Declarat Capitulum Generale Commissarium Generalem Terræ Sanctæ, qui residet in Curia Regis Catholici, non esse Prælatum; Proindeque non solum Ministro Generali, sed etiam Commissario Generali Familiæ subditum esse, ac in omnibus, & per omnia subjectum. Ipsius autem socii quoad regularem disciplinam Provinciali Ministro, & Guardiano Conventus subjici debent.

Prædictus verò Commissarius singulis sex mensibus rationes reddere teneatur sub pœna privationis, quæ ipsi Segobiensibus statutis imponitur.

De Magistris Novitiorum.

Abrogatur Statutum ultimi Capituli Toletani, in quo Magistris Novitiorum concedebatur, ut qui per octo annos in Conventibus principalioribus munus illud exercuissent, Lectorum Jubilatorum Privilegio quoad præcedentiam dumtaxat fruerentur. Et decernit Capitulum Generale, ut Statutum Segobiense observetur.

De Lectoribus.

Censuit Generale Capitulum Theologiæ Lectoribus nullum unquam Jus quæsitum, aut actionem ad continuandum legendi Officium, quousque tempus Jubilationis præscriptum compleverint. Et ideo statuit posse à Ministris Provincialibus amoveri de consensu Definitorii, & aliis muneribus, prout necessum videbitur, destinari. Eodem namque jure Lectores primò instituere, & cum libeat amovere ad Ministrum Provincialem & Definitorium pertinet.

De Præcedentia.

Quoniam variatis in Ordine nostro aliquibus statutis, & constitutionibus Apostolicis, non parva circa Præcedentiam exorta est confusio, & abusus aliqui pullularunt; Quapropter visum est graduum, & Præcedentiæ ordinem hunc in modum digerere, quem ab omnibus in Ultramontana Familia inviolabiliter observandum statuimus.

Primo igitur inter Prælatos actuales habeat primum locum Minister Generalis; Postea Commissarius Generalis Familiæ; Deinde Commissarius Visitator Provinciæ, & Minister Provinciæ, & tandem Guardianus loci.

Post Prælatos autem sedeant, qui Ministri Generales, deinde qui Vicarii Generales per biennium fuerunt: post quos sequentur qui Commissarii Generales fuerunt secundum Bullam Unionis Electi: Deinde qui Vicecommissarii Generales biennio extiterunt.

Postea sequentem locum habeat Commissarius Generalis Indiarum in Curia Regis Catholici residens.

Deinde Procurator, & Commissarius Romanæ Curiæ, dum actu suis muneribus funguntur: post quos sequetur Procurator Reformatorum Cismontanæ Familiæ.

Postea Definitores Generales dum in suis Officiis actualiter persistunt.

Deinde Procuratores, & Commissarii Curiæ Romanæ Officiis functi (etiamsi Ministri Provinciales aliàs non fuissent) qui intra suam Provinciam,& extra omnes alios præcedent, licet Ministri Provinciales, aut Definitores generales extitissent.

Post prædictos sequentur qui Ministri Provinciales fuerunt in suis Provinciis.

Deinde qui Definitores Generales extiterunt, qui si Ministri Provinciales antea fuerunt, alios qui eodem munere functi sunt præcedent: sin minus illos dumtaxat, qui postquam ipsi Definitoriatus Officium expleverunt, ad Ministeriatum sunt promoti.

Postea verò ii, qui triennio Secretarii Ordinis fuerunt,videlicet Ministri, aut Vicarii, aut Commissarii,aut Vicecommissarii Generalis secundùm Bullam unionis electi.

Deinde, qui Commissarii Generales fuerunt in Regno Peruano, & in nova Hispania, & in India Orientali per triennium: dummodò in eisdem muneribus obeundis laudabiliter se gesserint.

Deinde qui in propriis Provinciis Vicarii Provinciales per biennium completum extiterunt.

Postea sedebunt, qui Ministri Provinciales in aliena Provincia fuerunt intra Hispaniæ Provincias.

Post quos sequentur actuales Prædicatores Regis Catholici.

Deinde qui pro Definitoribus Generalibus in Capitulo Generali substituti sunt.

Postea sequentur qui per duodecim annos in Curia Regis Catholici Commissarii Generales fuerint Terræ Sanctæ.

Postea qui per duodecim annos Hispali Vicecommissarii Generales Indiarum extiterunt.

Deinde Definitores, & Custodes actuales Provinciæ.

Postea qui in eadem Provincia Definitores, & Custodes fuerunt: quo gradu solum gaudent Custodes, qui in Capitulo electi sunt, vel si extra per solum Definitorium, per biennium completum in Officio durarunt,vel si in Capitulo Generali tulerunt suffragium,licèt biennium non compleverint.

Deinde qui per triennium Secretarii fuerunt Procuratoris,aut Commissarii Curiæ Romanæ.

Postea Secretarii Commissarii Generalis Indiarum, qui residet in Curia Regis Catholici, dummodò per sexennium laudabiliter Officium illud exercuerint.

Deinde qui per octo annos Commissarii Generales Terræ Sanctæ in Curia Regis Catholici extiterunt. Et illi postea, qui etiam per octo annos Hispali Vicecommissarii Indiarum fuerunt.

Deinde Lectores Jubilati juxta Ordinis Statuta.

Postea sedebit Procurator, seu Commissarius Curiæ Regis Catholici.

Deinde Commissarius Generalis Terræ Sanctæ dum actu exercet Officium in Curia Regis Catholici.

Postea immediatè sedebit Vicecommissarius actualis Indiarum, qui Hispali residet.

Deinde sedebit primus Lector Sacræ Theologiæ.

De aliis verò Lectoribus, & Prædicatoribus, cæterisque Officialibus, & Religiosis circa præcedentiam serventur Statuta Segobiensia, exceptis quæ huic dispositioni contraveniunt.

Pro Indianis.

Quoniam Decretum illud ultimi Capituli Toletani; quo concedebatur Ministris Provincialibus Indiarum, ut mittere possent Commissarios ad Capitulum Generale,nullum erat, utpote contrarium alteri Statuto edito in Capitulo Generali Romano ad annum 1625. tenoris sequentis. Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales,ne ad Capitulum Generale,vel aut ipsi veniant, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultas conceditur. Quòd Statutum à Sede Apostolica in forma speciali, ac ex certa scientia cum illius præinsertione fuit confirmatum. Atque adeo nonnisi ab eadem Sede Apostolica potuit revocari. Quapropter cum in hoc Capitulo Generali sancitum fuerit restituendum esse Ministris Provincialibus jus antiquum, quod habebant, ut Commissarios ad Capitulum Generale suo nomine suffragaturos mitterent, ad Sedem Apostolicam recursum est,quatenus non obstante prædicto Statuto Romano, facultatem mittendi Commissarios Indianis Provincialibus indulgeret,prout clausulis sequentibus, Sanctiss. D. N. Urbanus VIII. indulsit.

Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale d. Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen lege, ut tàm Commissarii, qui mittentur,quàm etiam Custodes, filii earum Provinciarum respectivè sint, pro quibus mittuntur, vel in eis per sexennium completum antea incorporati (sive in Indiis, sive in aliis Europæ partibus) existant, dummodò ad electionis effectum non incorporentur (aliter Electio sit nulla ipso facto) ac ut tàm Commissarii, quàm Custodes prædicti à suis Provinciis non aliter quàm juxta constitutiones generales Segobienses eligantur,quod si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini etiam tanquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint,ac idem in aliis etiam Prælatis, & Vocalibus juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem à Sede Apostolica approbatam servetur.

Et insuper pro commodiori præmissorum executione Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. quæ incipit: *Hu,quæ ad Regularium personarum statum.* Die 4. Martii 1600. Pontificatus sui anno 9. editam,qua cavetur, ut in Provinciis d. Ordinis in partibus Indiarum, præsertim in Limensi Provincia, ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud Dignitatis Officium assumi non valeant alii d. Ordinis Religiosi, quàm illi, qui ejusdem Provinciæ alumni sunt, vel ad eam expressè, ac nominatim missi ex Hispaniis, cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum, apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis, literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, omninò admittimus, & præcipimus observandum esse.

Declarantes,sub illis verbis, *seu quodlibet aliud Dignitatis officium* in dicta Clementis VIII. Constitutione expressis, Ministri Provincialis, tam pro regenda Provincia, quàm pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum Officia, comprehendi, & comprehensa intelligi.

Quocirca Commissariis Generalibus nunc & pro tempore existentibus in Indiis in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, privationisque suorum Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis, præcipimus, & mandamus, ut præsentes literas, & in eis contenta quæcunque inviolabiliter servent,& ab aliis,ad quos spectat, & spectabit quomodolibet servari curent. Alioquin si eos in hac parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio,titulo,immunitate, & exemptione privati remaneant: injungentes, & districtè præcipientes Ministro Generali, & aliis pro tempore existentibus Ministris Generalibus, & citrà conni-

ventiam quamcumque, pœnas prædictas contra transgressores debitæ executioni demandari faciant onerando in his eorum conscientias.

Declarat insuper Capitulum Generale, ut nullus ex Sociis, quos secum deferunt Commissarii Generales Indiarum, nec etiam alii Religiosi ad Provincialis, Custodis, Definitoris & Guardiani Officium assumi valeant, nisi postquam sexennium ab incorporatione fuerit transactum, aliter Electionem ipso facto irritam esse determinat. Quod si Commissarii Generales Indiarum in hac parte deliquerint, idem Capitulum Generale decernit, ut ipso facto pœnas à Sanctiss. D. N. Urbano VIII. in Brevi suprapposito adversus transgressores impositas incurrant, inane, irritumque dijudicans, si quid in contrarium per quosvis Ordinis Superiores fuit, vel postmodum fuerit statutum.

De Authoritate Commissarii Generalis Peruensis.

Determinat Capitulum Generale, ut prædictus Commissarius de Peru in omnibus Electionibus suarum Provinciarum votum habeat, & authoritatem suam cuilibet alteri subdelegari possit; attamen subdelegatus non habebit in Electionibus votum, sicuti Commissarius habet. Et idem statuitur de Commissario novæ Hispaniæ.

De Vicecommissario Indiarum Hispali residente.

Vicecommissarius Indiarum ex decreto Capituli Generalis, dum actu exercet Officium, sedeat immediatè post Lectores jubilatos. Et qui per octo annos completos idem Officium continuaverit, eorum privilegio gaudeat, qui fuerunt Definitores; Si autem per duodecim annos in Vicecommissariatu steterit, Præcedentiam, & Paternitatem habeat dumtaxat, qua Patres Provinciæ fruuntur: dummodò sedeat post omnes, qui Ministri, seu Vicarii Provinciales fuerunt, vel postea existent.

De Secretario Commissarii Generalis Indiarum.

Secretarius Commissarii Generalis Indiarum, qui residet in Curia Regis Catholici, ex concessione S. D. N. Urbani VIII. postquam per sexennium in eo munere rectè, & laudabiliter se gesserit, in sua quisque Provincia dumtaxat privilegiis, & exemptonibus gaudeat, quibus uti, & gaudere solent ii, qui fuerunt Definitores. Illum tamen omnes præcedent, qui vel jam Definitores extiterunt, vel postea extiterint.

Reliqua negotia, quæ pro Indianis tractanda supersunt, Capitulum Generale determinat, ut à Reverendissimo P. Ministro Generali, una cum Indiarum Commissario generali, & Patribus de Definitorio generali apud Matritum existentibus tractentur, & resolventur.

Pro Canaria.

Statuitur ne in Canaria priventur Guardiani voce activa, ante electionem factam, nisi delictum sit aliàs publicum, & scandalosum.

Pro Sardinia.

Decrevit Capitulum generale Provinciam Sardiniæ in duas fore dividendam, quarum una sub nomine S. Saturnini Martyris haberet Conventus, qui in Capite Calaritano continentur, & alia sub titulo S. Mariæ Gratiæ fieret ex Conventibus, qui sunt in Capite Saceris, servato illi pristino nomine, una cum prioritatis, & antiquitatis jure, prout Sanctiss. D. N. Urbani VIII. motu proprio sancitum fuit. Const. Edita die 12. Julii An. 1639.

Pro Custodia Insularum de Açores.

In Definitorio Generali, Præside, assistenteque D. Cardinali Barberino Protectore nostro, decretum est, Custodiam Insularum de Açores ab Algarbiorum Provincia, cui alias in regimine subjiciebatur separandam esse, prorsusque dividendam, ac in novam Provinciam erigendam, & de facto S. D. N. Urbanus VIII. motu proprio prædictam Custodiam divisit, ac dismembravit, & in novam Provinciam sub Invocatione S. Joannis Evangelistæ erexit. Const. Edita die 12. Julii 1639.

Pro Cismontana Familia.

Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. omnes Cismontanæ familiæ Custodias Reformatorum, quæ vigintiquinque numerum explent, in Provincias erexit, & unicuique præcedentiæ locum juxta ordinem infrascriptum assignavit.

Provincia S. Francisci.
Provincia Romana.
Provincia Marchiæ.
Provincia Tusciæ.
Provincia Bononiæ
Provincia S. Antonii.
Provincia Genuæ.
Provincia Mediolani.
Provincia Principatus.
Provincia septem Martyrum.
Provincia Vallis Nemorum.
Provincia Vallis Mazari.
Provincia Vallis Neti.
Provincia S. Nicolai.
Provincia S. Bernardini.
Provincia S. Angeli.
Provincia minoris Poloniæ.
Provincia majoris Poloniæ.
Provincia Corsicæ.
Provincia Brixiæ.
Provincia Basilicatæ.
Provincia Terræ Laboris.
Provincia Calabriæ.
Provincia S. Didaci.
Provincia S. Thomæ Apostoli.

Receptum est Breve S. D. N. Urbani VIII. circa Lectorum jubilationem; cujus initium est: *Cum sicut accepimus &c.*

Nullus deinceps Prædicator, aut Lector instituatur, nisi prius fidem suorum Lectorum exhibeat per Provincialem Ministrum authenticatam & nisi ab eodem Ministro cum suo Definitorio fuerit antea examinatus, atque idoneus repertus.

Nec aliquis Studens possit in futurum ad Sacræ Theologiæ studium transire, nisi Philosophiæ cursum antea perfecerit, & à Definitorio Provinciæ, quoad sufficientiam, & bonos mores fuerit approbatus. Cursum autem Philosophiæ declaramus esse trium annorum completorum. De quo Studens tenebitur suorum Lectorum fidem per Provincialem, & Definitorium authenticatam præsentare.

Renovatur Statutum, quo præcipitur nullum institui posse Prædicatorem, nisi prius cursum Theologicum trium annorum completorum perfecerit: neque Lectorem, nisi quatuor annis expletis studuerit.

Renovatur etiam generale Statutum prohibens, ne Studentes Generales è Conventu possint egredi nisi bis pro quolibet mense; nec Guardianus, aut alius Superior localis possit eis licentiam concedere, nisi pro gravissima causa à Discretis Conventus prius approbata.

Ministri, & Definitores Provinciales actuales, extra suam Provinciam præcedant eos qui fuerunt Provinciales, & Definitores respectivè.

Lectores Artium, & Casuum conscientiæ eos Sacerdotes præcedant, qui trigesimum annum Religionis non compleverunt, inter sese juxta antiquitatem Habitus sedeant, & incedant, nisi aliquis Theologiam alias legisset.

Laici transeuntes ad Statum clericalem, non possint habere Officia, & Dignitates in Religione.

Duo Fratres germani in Provincialatu immediatè sibi succedere, aut simul in Definitores duo ex eadem agnatione eligi minimè possint, ut alias statutum est.

Minister in eo Capitulo, in quo suum explet

Officium, in Definitorem eligi non possit, sub pœna nullitatis Electionis.

Moriente aliquo Definitore extra limites Provinciæ, vel absente, itaut infra tres dies ejus præsentia haberi non possit, subrogetur alter Pater dignior illius Provinciæ, aliter Electio nulla sit.

Ut induendis Fratribus opportunè consulatur Ministris districtè præcipitur, ut Officinas pro lanificio, & pannorum fabricatione introductas conservare procurent. Et ubi introductæ non fuerint intra unius anni spatium illas erigant, & introducant, sub pœna privationis Officii ipso facto incurrenda: Nec ex alio panno, quàm ex fabricato in supradictis Officinis indui Fratres possint, alias induti inhabiles ad Officia, & Dignitates Provinciæ indispensabiliter censeantur.

Defunctorum spolia nonnisi Conventibus, in quibus Fratres decedere contigerit, applicentur; sublata Ministris Provincialibus in hac parte facultate aliàs dispensandi sub pœna privationis Officii.

Ut multis abusibus, & periculis occurratur, statuimus, ut qua die quisque Fratrum itineris causa discesserit, & qua item accesserit ab eisdem Conventuum Superioribus in ea ipsa facultas discedendi fideliter notetur. Si secus fecerint Prælati ab Officio suspendantur per mensem; & subditi sicut Apostatæ plectantur. Quod ut exactius observetur, districtè præcipitur Superioribus ut in obedientiarum, & licentiarum exemplis idipsum Guardianis, cæterisque locorum Superioribus distinctè injungant, & terminum temporis præfixum secundum distantiam viarum, & dispositionem mittentium, & qualitatem euntium apponant.

Pro Germaniæ Provinciis.

In Provinciis Germaniæ Confessarii, & Commissarii Monialium, & Guardiani durent tantummodò ad triennium, & nullo pacto possint Provinciales, nec Commissarii Generales super hoc dispensare, cum sit mandatum Apostolicum. Quòd etiam servetur de Abbatissis Monialium.

Minister Provincialis Bohemiæ habeat jurisdictionem in Moniales Sanctæ Claræ, quam regulariter habent Ministri aliarum Provinciarum in suos.

Pro Poloniæ Provinciis.

Tollitur authoritas Ministris Poloniæ incorporandi Fratres unius illarum Provinciarum in aliam, sub pœna privationis mandantibus, & recipientibus. Capitulum Generale prohibet sub pœna privationis Officiorum, & actuum legitimorum Superioribus, & subditis Provinciarum Poloniæ, ne ullo unquam tempore tractent de reuniendis illis Provinciis.

De Bulgaria.

Guardiani ultra triennium durare non possint cum Apostolicis Constitutionibus repugnet. Aliter facta Electio nulla sit, & invalida.

Quæ hic Pont. confirmat cum suppl. mento defectuū.

§. 2. Nos inviolabili Statutorum hujusmodi observatione, perpetuæque firmitati, quantum nobis ex alto conceditur opportunè consulere, ipsumque Joannem Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis Ministri Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Statuta præinserta hujusmodi Apostolica authoritate tenore præsentium, sine præjudicio tamen observantiæ regularis, & statutorum Apostolica authoritate confirmatorum, ac ordinationum, & Brevium Apostolicorum pro Fratribus Discalceatis Hispaniarum, & Indiarum factorum, & emanatorum, perpetuò approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Et ab omnibus observari mandat.

§. 3. Decernentes eadem Statuta in prædicto Ordine ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter perpetuò observari, & adimpleri debere, irritumque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. die 8. Novemb.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Novemb. 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Præter ea, quæ sub hac confirmatione Apostolica in forma speciali, utpotè majoris momenti facta continentur, alia etiam à Capitulo Generali sancita sunt non minori observatione custodienda, cujusmodi sunt.

Pro Monialibus Hispaniarum.

Præcipit Capitulum Generale, ut Statuta nunc pro Monialibus edita, & approbata, typis mandentur, & inviolabiliter observentur.

Pro India Orientali.

Præcipit Capitulum Generale, ut in India Orientali serventur Statuta Segobiensia pro iis partibus edita, nunc verò renovata, & approbata, in melioremque methodum cum aliquibus additamentis redacta, quæ ad feliciùs earum Provinciarum regimen tranquillitatemque deserviunt.

Pro Regestis.

Sit in utraque Familia Regestum, in quo notentur actus omnes Capitulares, non solùm ad futuram rei memoriam; sed ut Religionis status cognoscatur, & ad regiminis directionem inserviat.

Ad præsentis Decreti properam executionem jubetur, ut Actus omnes Capitulares, Decreta, Bullæ, Declarationes Sacrarum Congregationum, Decisiones Rotæ, & Sententiæ latæ in causis nostræ Religionis spectantia Romæ in Archivio reperta, quamprimum transcribantur, & transumptum authenticum ad Ultramontanam Familiam remittatur, ubi etiam aliud fiet transumptum earum rerum, quæ ibi fuerint inventæ ad Cismontanam Familiam pariter trantmittendum.

Tria Apostolica Brevia pro feliciori nostri Ordinis regimine, nunc à S. D. N. Urbano VIII. expedita. Videlicet, Primum, in quo omnia Privilegia personalia in nostro Ordine abrogantur. Secundum, in quo pro unaquaque Ultramontanæ Familiæ Provincia, duo Provinciæ Patres instituuntur. Tertium ad favorem Provinciarum Indiarum expeditum, ad finem horum Statutorum excudantur.

Ut Statutorum varietas, & multiplicatio tollatur, ac in sacris Ritibus, & administranda justitia, æqualis in omnibus Provinciis forma servetur; statuit Capitulum Generale, ut Statuta Cismontanæ Familiæ, per ejusdem Patres revisa, reformentur, & ad normam Apostolicarum Constitutionum strictiùs reducantur: edanturque Ceremoniale, & Praxis Criminalis; quibus standum esse, Superioribus omnibus, & subditis respectivè præcipitur.

Numerus defunctorum à postremò Capitulo Generali.

Numerus Fratrum, qui à præterito Capitulo Generali,

nerali,usque in præsens è vita decesserunt,juxta computationem factam per testimonia ad Capitulum delata, complet septem millia ducentos, & nonaginta tres, Gallis hinc exceptis, qui ad Capitulum non venerunt;

Ita est

Cardinalis Barberinus Protector, & Præsidens.

Fr. Joannes Merinero Minister Gen.
Fr. Didacus de Cea Commissarius Generalis Curiæ.
Fr. Joseph Vasquez Defin. Gen.
Fr. Bartholomæus Foyas Definitor Gen.
Fr. Lazarus Sanguessa Definitor Gen.
Fr. Antonius Hiqueus Definitor, & Secretarius Definitorii Gen.
Fr. Benignus à Genua Commiss. Gen.
Fr. Joannes Baptista à Campanea Pater totius Ordinis.
Fr. Joseph Redaellus Procurator Gen.
Fr. Ascanius de Assisio Procurator Gen. Reformatorum Cismontanæ Familiæ.
Fr. Evangelista Mogminio Defin. Gen.
Fr. Thomas à S. Agatha Defin. Gen.
Fr. Petrus Posnaniensis Defin. Gen.
Fr. Nicolaus de Spinazzola Defin. Gen.
Fr. Joannes a Neapoli Defin. Gen.
Fr. Pacificus de Roma Defin. Gen.

Loco † Sigilli.

CCLXII. Erectio Custodiæ Reformatæ Transilvaniæ Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ.

Istorum Fratrum Reformatorum materiam habes signatam ad Constit. 40. Sacrosanctum. Et in Constit. 240. Injuncti nobis, ubi agitur de Reformatione Provinciarum.

Edita A. D 1640.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. SAlvatoris nostri Jesu Christi partes licèt immeriti gerentes in terris illam curam libenter amplectimur, per quam Religiosorum Ordines multiplicatis cultoribus, quorum assiduis precibus, & fructuosis operibus Omnipotens Deus propitiatur & fides Catholica propagatur nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, quod ut optatum sortiatur effectum Officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sanè pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Reformatorum nuncupati Ordinis S. Francisci Nobis nuper expositum fuit, quod pro cultura Catholicorum in Transilvania, ac Hæreticorum, & Schismaticorum in illis partibus degentium conversione maximè expedit ex Domibus Regularibus Fratrum Minorum strictioris Observantiæ Ordinis hujusmodi, in eisdem partib' existentib' unam custodiam Transilvaniæ nuncupandam erigi, & à Provincia S. Salvatoris Ungariæ ejusdem Ordinis separari.

§. 2. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hujusmodi quantum cum Domino possumus benignè annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, æ pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: Tres quæ à Fratribus Minoribus Strictioris Observantiæ hujusmodi ad præsens, ut asseritur, habitantur in Transilvania, nec non aliam de Cich. Eorumdem Fratrum Provinciæ S. Salvatoris Ungariæ prædictæ Domos Regulares ab eadem Provincia S. Salvatoris, illiusque Ministri Provincialis jurisdictione, & superioritate, ita quod illi amplius minimè subsint, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò separamus; ipsasque quatuor Domos Regulares hujusmodi in custodiam Transilvaniæ nuncupandam eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò erigimus, illamque jurisdictioni, superioritati, visitationi, & correctioni Ministri, & Commissarii Generalium pro tempore existentium ejusdem Ordinis, qui Custodiam per Nos sic erectam pro tempore regant, illique de Religiosis, & aliis necessariis provideant immediatè subjicimus, necnon in Custodem Custodiæ hujusmodi pro hac prima vice dilectum Filium Stephanum Salines ejusdem Ordinis Professorem deputamus, & constituimus. Erectio custodiæ.

Quòd hæc Custodia gaudeat privilegiis. §. 3. Demùm eidem Custodiæ sic erectæ, illiusque Domibus Regularibus, Custodi, & Fratribus, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, præeminentiis, concessionibus, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Custodiæ, illarumque Domus Custodes, & Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum similiter, & æque principaliter ac si Custodiæ per præsentes erectæ, illiusque Domibus Custodi, & Fratribus concessa fuissent, uti frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant indulgemus.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes, præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere debere, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ S. Salvatoris prædictorum cum juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus ac singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 17. die 3. Febr. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Februarii 1640. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

CCLXIII. Decernit Pontifex, quod etiam legata particularia, ac dispositiones, & donationes etiam inter vivos particulariter, & aliàs quomodolibet factæ, perpetuisque futuris temporibus pro Captivorum Redemptione faciendæ in favorem quorumcumque dicti Ordinis Fratrum Recollectorum, etiam in quibus sit, vel erit eorum industria, pertineant & competant privativè quoad eosdem Fratres Recollectos ad Reverendissimum totius prædicti Ordinis Magistrum Generalem. Nec non circa Ministerium Redemptionis perpetuum silentium imponit Vicario Generali, Conventibus, & Fratribus omnibus Recollectis prædictis. Præscribitque modum expendendi legata.

Ne jam dicta otiosè repetam, vide quæ indicata sunt in Const. hujus Pont. 181. Cum sicut. supra. ubi plura ad similem materiam annotata legere poteris.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Causæ hujus Constit.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Perez de Munebrega Procurator Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod aliàs inter Fratres Calceatos dicti Ordinis ex una; & Fratres ejusdem Ordinis, Congregationis Discalceatorum nuncupatorum ex altera, partibus, occasione separationis, ac totalis dismembrationis Fratrum Discalceatorum à Fratribus Calceatis hujusmodi, inita fuit quædam Concordia, inter cujus Capitula extat unum tenoris sequentis, videlicet: Item quod Ministerium Redemptionis solùm spectet ad Religiosos Calceatos; & quod Patres Recollecti non se intromittant in recipiendis legatis à Christi fidelibus relictis ad dictum effectum, nec possint petere in suis Monasteriis, nec extra, pro redimendis captivis, nec habere cippos, nec capsas, nec aliquid aliud pro eleemosyna petenda hac de causa, quia totum hoc debet demandari Curæ, & solticitudini Patrum Calceatorum dumtaxat, sicut usque nunc fuit in consuetudine. Quæ quidem Concordia à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro, ac etiam à Nobis cum clausula, *citra dispensationem à quarto voto*, confirmata fuit.

Declaratur Clausula in concordia apposita, citra dispensationem in quarto voto.

§. 2. Postmodum verò dilectis Fratribus Discalceatis prætendentibus vigore prædictæ clausulæ, *citra dispensationem à quarto voto*, Ministerium Redemptionis Captivorum Fratribus Calceatis hujusmodi in dicta Concordia, illiusque confirmationibus dumtaxat reservatum à se quoque exerceri posse etiam vigore suarum particularium Constitutionum alias à Nobis confirmatarum; Venerabiles Fratres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Regularium præpositi decreverunt, vigore dictæ clausulæ, *citra dispensationem super quarto voto*, hujusmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius confirmationibus Apostolicis contentarum, non fuisse, nec esse Jus aliquod de novo quæsitum Fratribus Discalceatis præfatis ad Ministerium Redemptionis Captivorum exercendum, sub directione, & superioritate eorum Vicarii Generalis; sed omnia, circa Ministerium dictæ Redemptionis Captivorum remansisse, & remanere in eisdem Statu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Concordiam; itaut præfati Fratres Discalceati, quoad dictum opus Redemptionis Captivorum, aut alia ad id Ministerium quomodolibet spectantia remaneant, & remanere debeant sub directione, cura, obedientia, & superioritate ejusdem dilecti filii Magistri Generalis Calceatorum; ac in eisdem statu, & terminis, in quibus erant, seu existebant ante dictam Concordiam, & confirmationes prædictas; Nosque decretum Cardinalium hujusmodi confirmavimus; & subinde nonnullis ex Fratribus Discalceatis hujusmodi decreto præfato, Nostrisque literis illius confirmatoriis parere detrectantibus: Nos omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, seu Recollectis Ordinis præfati nunc, & pro tempore existentibus, quacumque auctoritate, & Officio fungentibus sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac quorumcumque d. Ordinis Officiorum per eos detentorum pœnis, ipso facto, absque alia declaratione per contravenientes incurrendis, præcipimus, ut dicto Magistro Generali in omnibus ab eo commissis, & præfatum Redemptionis Captivorum opus, seu Ministerium quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & alias prout in Gregorii Prædecessoris prædicti, ac nostris super præmissis in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Legata in favorem Recollectorum relicta.

§. 3. Cùm autem, sicut eadem Expositio subjungebat, Fratres Discalceati prædicti prætendant legata particularia relicta, ac dispositiones quascumque, etiam donationes inter vivos factas, & pro tempore faciendas per quoscumque pro Redemptione Captivorum Ecclesiis, seu Domibus, aut personis ipsorum Discalceatorum cum electione industriæ earum, sub Concordia, literis prædictis minimè comprehendi. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunæ declarationis Ministerio providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ad prædictum Ordinis Generalem Magistrum pertinere declarat Pont.

§. 4. Nos igitur negotio maturè, ac ambabus partibus pluries in facto, & jure informantibus, & auditis per Congregationem Prælatorum à Nobis ad id deputatorum; eorumdem Prælatorum resolutione in favorem Fratrum Calceatorum, eorumq; Procuratoris Generalis facta, Nobis relata, ejusdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum prædictorum votis hujusmodi annuere volentes, ac singulares eorum personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: Concordiam prædictam, ac dicti Gregorii Prædecessoris, & nostras desuper expeditas literas prædictas, comprehendisse, & comprehendere etiam legata particularia, ac dispositiones, ac donationes etiam inter vivos particulares, aliasque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus, pro Captivorum Redemptione, per quoscumque faciendas, etiam in favorem quorumcumque prædictorum Discalceatorum, eorumque Vicarii Generalis, ac Conventuum, & Domorum ipsorum Discalceatorum, & in quibus eorum industria sit, vel erit electa; & præsertim legatum, seu dispositionem, & donationem, quandam Elviræ Manrique factam Conventui Sanctæ Barbaræ Matriti Toletanæ Diœcesis non facta expressione; itaut in Ministerio Redemptionis Captivorum attributo, seu concesso per Concordiam, & literas Apostolicas prædictas Magistro Generali dictorum Fratrum Calceatorum comprehensa, & comprehensæ sint, & comprehendantur, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, eisdemque Fratribus Discalceatis, eorum Conventibus, & Vicario Generali, perpetuum silentium imponimus.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Modus exponendi legata præscribitur.

§. 6. Volumus tamen, quòd idem Magister Generalis Calceatorum debeat integrè relicta, donationes, & dispositiones prædictas in prædictum opus Redemptionis expendere, absque eo quod aliquam illorum partem pro se, Conventibus, aut sua Religione Calceatorum hujusmodi, nec alias unquam retinere possit.

Contraria removet.

§. 7. Non obstantibus quorumvis Testatorum, & Testatricum etiam ultimis voluntatibus, ac donationum dispositionibus, quas in, & quoad præmissa, quatenus foret opus, sufficienter, & expressè commutamus, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Constitutionibus Discalceatorum auctoritate Apost. confirmatis, & præci-

puè earum Capitulis vigesimo, vigesimo primo,& vigesimo secundo primæ distinctionis, ac omnibus illis,quæ in prædictis literis Apostolicis dictus Gregorius Prædecessor, voluit, & nos voluimus non obstare,cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P.A. 17. die 15. Febr. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris,die 15. Februarii 1640. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

CCLXIV. Confirmat Electionem S. Dominici in Patronum Civitatis Neapolitanæ,& totius Regni.

Edita A. D. 1640.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. Domini Nostri Jesu Christi,qui servos suos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris,ex injuncto Nobis Pastoralis Officii debito procurare tenemur, ut eorumdem Servorum Christi debitus honor, & veneratio in terris indies magis promoveatur,& laudetur Dominus in Sanctis suis.

§. 1. Quamobrem Christi fidelium ad eorumdem Sanctorum patrocinium confugientium vota,ut optatum sortiantur effectum ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac desuper ejusdem Officii partes propensis studiis impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 2. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Neapolitanæ, aliarumque Communitatum , & Universitatum, ac Hominum totius Regni Neapolitani , Nobis nuper expositum fuit , quod ipsi ob singularem quem erga Sanctum Dominicum Ordinis Prædicatorum Institutorem gerunt devotionis affectum, eumdem Sanctum Dominicum in Patronum , & Protectorem Civitatis , & Regni hujusmodi elegerunt; Cùm autem sicut eadem Expositio subjungebat Exponentes prædicti plurimum cupiant Electionem hujusmodi, quo firma perpetuò subsistat,Nostro,& Hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ patrocinio communiri.

Confirmat prout in Rubrica. §. 3. Nos eorumdem Exponentium pietatem, & consilium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes,& eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis,& interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure , vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,& absolutas fore censentes , supplicationibus Exponentium eorumdem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio , Electionem prædictam Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus , illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quam facti defectus,si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem , quod præsentium transumptis,etiam impressis,manu alicujus Notarii publici subscriptis,& sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides in judicio,& extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.A 18. die 23. Aug. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris,die 23. Augusti 1640. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

CCLXV. Breve executoriale super literas Apostolicas Clementis VIII. ac Urbani Octavi, ac super statuta pro Indiarum Provinciis Fratrum Minorum de Observantia, quòd mittere possint Commissarios ad Capitulum Generale.

De hujusmodi Fratribus Indianis plura indicavi tibi sup. ad Const. 22. Aliàs fel. Const. 46. Cùm sicut. Const. 253. Circumspecta, &c.

Edita An. D 1640.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Literæ Apostolicæ. Aliàs à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis,videlicet. Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Circumspecta Romani Pontificis Providentia ea quæ in personarum Regularium Capitulis Generalibus interdum sancita , & auctoritate Apostolica comprobata fuerunt , ipsa subindè rerum experientia suadente , præsertim cum felici earumdem personarum statui, & quieti opportunè consulitur, immutat , in hisque suæ sollicitudinis partes favorabiliter interponit , prout conspicit in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum de anno 1625. celebrato, inter alia conditum fuit Statutum tenoris sequentis, videlicet.

Quòd Ministri Provinc Indiarum possint mittere Commissarios ad Cap. Gen. §. 2. Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales,ne ad Capitulum Generale, vel aut ipsi veniant, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultas conceditur. Nosque Statutum hujusmodi illius tenore inserto confirmavimus , & approbavimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis , quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cùm autem sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Joannes Merinero d. Ordinis Minister Generalis,Patres in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in hac Alma Urbe nostra novissimè celebrato congregati,Ministris Provincialibus prædictarum Provinciarum Indiarum antiquum Jus quod habebant,ut ad Capitulum Generale Commissarios eorum nomine suffragium laturos mittere possent justis ex causis restituendum esse censuerint : Nobis propterea dictus Joannes Minister Generalis humiliter supplicari fecit,ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur ejusdem Joannis Ministri Generalis votis annuere volentes,illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,& absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen Lege, ut tàm Commissarii, qui mittentur, quàm etiam Custodes filii earum Provinciarum respectivè sint pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, sivè in Indiis, sivè in aliis Europæ partibus existant , dummodò ad electionis effectum non incorporentur, ac ut tàm Commissarii , quàm Custodes prædicti à suis Provinciis, non aliter quàm juxta Constitutiones gene-

rales

rales Segobienses eligantur, quodque si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant suffragium suum nemini, etiam tanquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint, ac idem in aliis etiam Prælatis ; & Vocalibus juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem servetur Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Quòd Forenses non promoveantur ad Officia.

§. 3. Et insuper pro commodiori præmissorum executione Constitutionem fel. recor. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit. His quæ ad Regularium personarum statum. Die 4. Martii 1600. Pontificatus sui anno nono editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum præsertim in Limensi Provincia ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis Officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quam illi, qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi ex Hispaniis, cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, innovamus, approbamus, & confirmamus. Declarantes sub illis verbis, seu quodlibet aliud dignitatis Officium in dicta Constitutione expressis, Ministri Provincialis, tàm pro regenda Provincia, quàm pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum Officia comprehendi, & comprehensa intelligi, sicque in præmissis, etiam per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat, & mandat puniri transgressores.

§. 4. Quocirca dilectis Filiis nunc, & pro tempore existentibus dicti Ordinis Commissariis generalibus in Indiis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, privationisque suorum Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, ut præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter servent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet servari curent. Alioquin, si eos hac in parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant, injungentes, & districtè præcipientes dicto Joanni, & aliis pro tempore existentibus Ordinis prædicti Ministris generalibus, ut citra conniventiam quamcumque pœnas prædictas contra transgressores debitæ executioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Non obstante statuto, & literis nostris prædictis, aliisque Apostolicis & Universalibus, in Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, Constitutionibus ; & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Ministris Generalibus, ac Provincialibus, & Commissariis prædictis, aliisque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti 1639. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

§. 5. CUM autem sicut accepimus Commissarii Generales Indiarum in prædictis Provinciis circa provisionem Officiorum multa quotidie contra prædictas nostras literas, & statuta illis confirmata in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in Urbe celebrato pro Indianis edita moliantur ; Etenim peracta Provincialis Ministri, Definitorumque electione tabulas Guardianorum arbitratu suo conscriptas proferunt, atque à Provincialibus, & Definitoribus subscribi violenter faciant, necnon captiosas, & dolo plenas Prælatorum postulationes sibi fieri procurent in maximum dicti Ordinis detrimentum, & Sacrorum Canonum, Decretorumque Concilii Tridentini transgressionem ; Idcircò Nos cupientes præinsertas nostras literas, & statuta hujusmodi debitæ, ut par est, executioni demandari, & ne talia deinceps fiant providere. Motu proprio, ac ex certa nostra scientia, & matura deliberatione nostris Venerabili fratri Archiepiscopo Limanens. ac dilectis Filiis Decano, & Archidiacono Ecclesiæ Limanens. nunc, & pro tempore existentibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Superiorum, & aliorum quorumcumque Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Religiosorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra prædictas nostras præinsertas, ipsumque statutum, ac præsentes etiam nostras literas debitæ executioni demandari, & ab omnibus, quos illa concernunt, & in futurum quomodolibet concernent in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari, ipsosque Superiores, & alios prædictos omnium, & singulorum in prædictis statuto, & literis contentorum, aliorumque præmissorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos desuper à quoquam quavis auctoritate fungente quovis prætextu quomodolibet indebitè molestari.

Decretum irritans.

§. 6. Contradictores quoscumque eisque auxilium, consilium, vel favorem, publicè vel occultè, directè, vel indirectè, quomodolibet præstantes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrevando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariorum derogatio.

§. 7. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, necnon omnibus & singulis illis, quæ in dictis præinsertis literis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Vo-

anidm. credi ndat.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

P. A. 18. Septemb.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Septembris 1640. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

CCLXVI.

Quòd Prior Provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Poloniæ sit biennalis dumtaxat, ad instar Romanæ, & Lombardiæ d. Ordinis Provinciarum.

De his Fratribus vide notata ad Constit. 191. Aliàs per Nos, ac ad Constit. 237. In his Apostolici, &c.

ita A. D. 1640.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

œmium.

Domini Nostri JESU Christi, qui Charitas est, & Deus pacis, vices meritis licèt imparibus gerentes in Terris pacem, & concordiam inter Christi fideles quoslibet præsertim Regulares sublata dissidiorum materia confovere studemus, ut ipsi in charitate, & sic in Deo manentes ei sua vota reddant in sanctitate, & justitia coram ipso.

otiva.

§. 1. Cùm itaque sicut dilecti Filii Fratres Ordinis Prædicatorum Provinciæ Poloniæ Nobis nuper exponi fecerunt, gravissimæ in prædicta Provincia dissensiones, & controversiæ super distributione Officiorum vigeant, propterea que ipsi Exponentes perpetuam inter ejusdem Provinciæ Filios, necnon inter Conventuales Conventus Cracoviensis Ordinis hujusmodi pacem stabiliri summopere desiderent.

§. 2. Nos pro nostri Pastoralis Officii debito desuper opportunè providere volentes, ipsosque Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

rior Provincialis eli- atur alter- is vicibus x quinque ationibus.

§. 3. Quòd de cætero futurus ejusdem Provinciæ Prior Provincialis, qui biennalis dumtaxat ad instar Priorum Provincialium Romanæ, & Lombardiæ dicti Ordinis Provinciarum existat, alternis vicibus primò videlicet ex Cracoviensi; secundo ex Vilnensi tertiò ex Lublinensi, quartò ex Posnaniensi, ac demum quinto successivè ex aliis dictæ Provinciæ Conventibus Ordinis hujusmodi eligi, & assumi respectivè debeat, quodque nec Definitor Generalis, seu Provincialis, nec Socius Definitoris, ac Provincialis sit unquam ex eodem Conventu, cujus erit ipse Prior Provincialis Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò statuimus, mandamus, & ordinamus, ita tamen, ut post modernum dictæ Provinciæ Priorem Provincialem, qui, ut asseritur, Filius Conventus Cracoviensis existit, ac cujus Officium Dominica tertia post festum Paschatis Resurrectionis Domini Nostri JESU Christi 1642. exspirabit, eligatur, primo loco Prior Provincialis ex Conventu Vilnensi prædicto, & sic deinceps Ordine per Nos supra constituto.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet, in futurum inviolabiliter & inconcussè observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Novemb. 1640. Pontificatus nostri Anno decimo octavo. Dat. P. A. 18. die 6. Nov.

Confirmatio Declarationis Constitutionis Clementis Papæ VIII. De Largitione munerum Regularibus utriusque Sexus interdicta. CCLXVII.

Hanc Constitutionem Clem. VIII. de Largitione munerum, &c. habes tom. 3. num. 28. incipit, Religiosæ Congregationes.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Edita A. D. 1640.

Nuper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto Filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato majori Pœnitentiario, ac nostro in Alma Urbe Provicario in spiritualibus Generali, & nostro secundum carnem Fratre Germano, à Nobis deputata, emanavit Declaratio tenoris subsequentis, videlicet. Exordium.

§. 1. Cùm circa interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub dat. 13. Kalen. Julii Pontificatus sui Anno 3. de Largitione munerum Regularibus utriusque Sexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ; Congregatio specialiter à S. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrii majori Pœnitentiario, ac Urbis Provicario deputata, auctoritate sibi attributa declaravit, & declarat, munera à Religiosis utriusque Sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodò id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de jure, vel ex constitutionibus, seu consuetudinibus cujusque Religionis respectivè in hujusmodi casibus requiratur. Consensum verò Conventus in §. 3. ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta, aut potulenta seu ad devotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda, &c. requisitum intelligi debere de consensu aliàs de jure requisito, & ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §. 4. ejusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam, declarat. Commessationes autem, compotationes, & convivia in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. ejusdem Constitutionis, censeri tantummodò prohibita, si decentiæ Status Regularis adversentur. Restitutionem verò receptorum Conventibus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum est intelligi debere de

Refertur declaratio nonnullor. Rom. Curiæ Prælatorum circa Const. Clem. VIII. de largitione munerum.

Conventibus, ad quos data, donata, seu missa de jure pertinent, si id commodè fieri potest, aliàs Conventui ejusdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eadem facultate sibi tributa, omnes, qui hucusque adversus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis & incursis, posse, & debere à propriis Confessariis absolvi in foro conscientiæ, etiam non facta prius hujusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit majori Pœnitentiario, ut de præteritis usque ad diem datæ præsentium in foro conscientiæ absolvat, dispenset, & condonet, seu absolvi, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit. Et ne prædictæ Clem. VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventus, Domus, & Collegii Regularis sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso jure incurrendis efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense Januario, non solùm prædicta Constitutio (quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas omninò observari jubet, & quatenus opus sit innovat, quemcumque prætensum non usum, aut prætensum usum, seu prætensam consuetudinem, damnando, & irritando) verum etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegatur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis tàm Regularibus, quàm Laicis cujuscumque sint Ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandavit expediri Breve. Datum Romæ die 15. Septembris 1640.

Præfatam Declarationem confirmat hic Pontifex.

§. 2. Quapropter ut præmissa firmiùs subsistant, & inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Declarationem præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum observari volumus.

Clausula sublata, &c.

§. 3. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quoad ea, quæ Declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diversa, Constitutione fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri prædicti, ac omnibus illis quæ idem Clemens in Constitutione hujusmodi voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 18. die 16. Oct.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Octobris 1640. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Anno à Nativitate Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo, Indictione octava, die verò trigesima mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi anno decimo octavo, retroscriptæ literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis consuetis per nos Hieronymum Mascellam, & Andream Castruccium ejusdem S.D.N. Cursorem. Ita est Hieronymus Mascella Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursor pro D. Mag. Ita est. Andreas Castruccius S. D. N. Papæ Cursor.

Restitutio Viæ antiquæ, & Postarum à Terra Montis Rosarum per Loca, & Territoria immediatè subjecta Sedi Apostolicæ Viterbium usque.

Pro manutentione Viarum in Urbe, & extra vide quamplura notata in Repertorio tom. 5. Magistri Viarum.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

DECET, & æquum est, ut Nos, qui pro Pastorali nostra sollicitudine omnium Christi fidelium commodis assiduè invigilamus, Sedis Apostolicæ, nostrorumque, & illius in temporalibus subditorum utilitati studio peculiari consulamus. Cùm itaque sicut accepimus, licèt Via, quæ Roma Viterbium ducit antiquitus Loca, & Terras Nobis, & dictæ Sedi immediatè in temporalibus subjecta dumtaxat, nimirum priscam Viam Cassiam, ac à Terra Montis Rosarum nuncupatum Sutrium, & indè Capranicæ, ac Capannæ Bruscіatæ vulgò nuncupatum Territorium, necnon Terram, seu Territorium Vetrallæ trajiceret, maxima cum nostrorum, & ejusdem Sedis subditorum in Locis hujusmodi commorantium utilitate, nihilominus à Pontificatu felic. record. Julii Secundi, vel Pauli Tertii Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, seu alio veriori tempore immutata fuerit Via hujusmodi, illaque, & præfatis Locis declinatis, Veredarii, Vectores, Muliones, & alii Viatores per alia Loca, nempè Viterbio trajecto Monte Cymino per Vici, & Roncilionis Terras, ejusque Territorium transire consueverint in gravissimum eorumdem subditorum nostrorum detrimentum.

§. 1. Hinc est, quod Nos ejusdem Sedis, ac prædictorum subditorum nostrorum indemnitati, & commodis hac in re consulere volentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascumque lites, & causas occasione mutationis viæ præfatæ, illiusque Postarum tàm pro parte dilecti Filii Nobilis viri Ducis Parmæ, & Placentiæ, ac Universitatum, & Hominum d. Terræ Roncilionis, quàm pro parte Communitatis, & Hominum Civitatis Sutrinæ prædictæ, & quorumlibet aliorum motas, & pendentes, etiam instructas, ut asseritur in Congregatione viarum in qua prætenditur tempore piæ mem. Pauli Papæ Quinti, etiam Prædecessoris nostri decretum fuisse nihil super præmissis esse innovandum, in Statu, & terminis, in quibus ad præsens reperiuntur à quocumque, seu quibuscumque Judicibus, Tribunalibus, & Congregationibus, coram quibus pendent tenore præsentium ad Nos avocamus, illasque perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac partium, & litium, causarumque hujusmodi Judicibus perpetuum desuper silentium imponimus, necnon vestigiis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & præsertim fel. rec. Clementis Papæ Octavi, qui Postam è Terra Borghetti, ad nostram Civitatem Castellanam, ubi ad præsens existit, transtulit, inhærentes, omnes & singulas Postas à dicta Terra Montis Rosarum per Terram Ronci-

lionis

lionis prædictam, ejusque Territorium, ac inde per alia loca,& Territoria Nobis, & Sedi prædictæ immediatè non subjecta, Viterbium usque quavis authoritate constitutas, & collocatas, nec non Viam ab eadem Terra Montis Rosarum Viterbium per loca,& Territoria hujusmodi tendentem tenore præsentium abolemus, revocamus, prohibemus, & interdicimus, ac viam antiquam, nempè à dicta Terra Montis Rosarum per Civitatem, seu Suburbia Sutrina, & Terram Capranicæ, Terramque, seu Territorium Vetrallæ præfata, Viterbium usque, Postasque, & Diversoria, seu Cauponas in via hujusmodi in pristinum, & eum quo ante Pontificatum ejusdem Pauli Tertii Prædecessoris nostri,& antiquitus quomodolibet erant statum,usumque restituimus,& reintegramus, ac Diversoria,seu Cauponas denuò instituimus.

§. 2. Mandantes propterea omnibus, & singulis Veredariis, Tabellariis, Vectoribus, Aurigis, Quadrigariis, Mulionibus, Agasonibus, Bubulcis,& Viatoribus prædictis Nobis quomodolibet in temporalibus subditis, ut à die publicationis præsentium in futurum relicta & declinata via, quæ à Terra Montis Rosarum per dictam Terram Roncilionis, ejusque Territorium, ac Montem præfatum, aliaque Loca Nobis, & Sedi prædictæ immediatè non subjecta Viterbium ducit, de cætero Viam à Nobis per præsentes restitutam, & respectivè de novo institutam quovis tempore insistant,& frequentent sub excommunicationis, ac equorum, mulorum, asinorum, jumentorum, boum, vehiculorumque, & carrucarum, ac bigarum, & quadrigarum suorum amissionis, necnon centum ducatorum auri de Camera pro una eidem Cameræ, & pro altera partibus Communitati,& Universitatibus Sutrinorum aliorumque locorum, quæ via per Nos, ut præfertur restituta, & respectivè instituta trajicit, seu trajiciet applicandorum,& in manutentionem,& reparationem ejusdem Viæ convertendorum pœnis eo ipso incurrendis.

§. 3. Præsentes quoque literas & omnia, & singula in eis contenta etiam ex eo, quod in temporalibus quomodolibet Domini, ac Universitates, & Homines dictarum Terrarum, & illarum Veredarii Caupones, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes præmissis nullatenus consenserint, & ad hoc vocati, aut auditi non fuerint, minùsque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel præscriptionis etiam quadraginta annorum, & ultra enormis,& enormissimæ, ac totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in Corpore Juris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata etiam tali,quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illa restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi,aut etiam motu, scientia, deliberatione,vel potestatis plenitudine similibus concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus,suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per supranominatos,aliosque omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Decretum irritans,

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quorumvis Locorum Status nostri prædicti Gubernatores, Prætores Magistratus, ac Officiales, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, ac quascumque Congregationes etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac alios quavis authoritate, & potestate fungentes in quavis causa,& instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate judicari, & declarari, ac quicquid desuper à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum,& inane, pariter decernimus.

Card. Camerariu n Executorem constituit.

§. 5. Quocirca dilecto Filio nostro Antonio S. Agathæ Diacono Cardinali Antonio Barberino nuncupato nostro secundum carnem ex Fratre germano Nepoti, nunc, & pro tempore existenti ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario per easdem præsentes injungimus, quatenus illas solemniter publicans,seu publicari faciens ipsas, & in eis contenta quæcumque per se, vel alium,seu alios debitæ executioni demandet, ac demandari curet: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras,& pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione remotis authoritate nostra compescendo,invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii Secularis. Nos enim eidem Cardinali Camerario plenam in præmissis, necnon ad eorum effectum vias novas aperiendi, vel antiquas instaurandi, aliaque necessaria quomodolibet, & opportuna gerendi, faciendi, mandandi, præcipiendi, & exequendi facultatem earumdem tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus quatenus unquam emanaverint,aut extent fel. record. Julii Secundi,& Pauli Tertii prædictorum literis, ac Magistrorum, seu Congregationis Viarum decreto, seu decretis quibuslibet super negotio Viæ, & Postarum hujusmodi,ad Ducis ac Universitatis dictæ Terræ Roncilionis præfatorum, & quorumvis aliorum favorem, & instantiam, ut asseritur, editis, factis,& expeditis,necnon Bonifacii Octavi de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, dummodò quis ultra tres dietas extra suam Civitatem, & Diœcesim ad judicium vigore præsentium non trahatur, & Pii IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de gratiis interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernentibus, infra certum tempus in eadem Camera insinuandis, & registrandis,ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit nostra de non tollendo jure quæsito,aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis,ac Terrarum, & aliorum Locorum prædictorum statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus,

confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, & literis Apostolicis Duci, Universitatibusque, & Hominibus, ac Cauponibus, & Veredariis, Postisque Terrarum, & Locorum prædictorum, & quibusvis aliis etiam speciali nota, & mentione dignis etiam motu, scientia, & potestate paribus etiam consistorialiter de eorumdem Cardinalium consilio, & assensu, & aliàs quomodolibet, ac ex quocumque titulo, ratione, vel causa, etiam speciali mentione, & expressione dignis sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus ac aliis decretis, etiam necessariò exprimendis, etiam in vim contractus jurati, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmati in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, editis, factis, emanatis, & pluries ac iteratis vicibis confirmatis, approbatis, & innovatis.

§. 7. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caveatur expressè, quod nullo unquam tempore sub similium, vel dissimilium facultatum, licentiarum concessionum, privilegiorum, & aliarum gratiarum præfatarum revocationibus, suspensionibus limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis comprehendantur, sed semper ab eis excepta, & quoties illa emanarent, toties in pristinum, & validissimum statum etiam sub posteriori data, per eos, quibus concessa sunt, eligenda, restituta, reposita, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes harum serie attento quod agitur de Regalibus specialiter, & expressè, ac latissimè ad effectum præmissorum derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 8. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus easdem præsentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes & singulos quos concernunt perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

§. 9. Quòdque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 18. die 23. Jan.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Januarii 1641. Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Indictione nona, die verò undecima mensis Martii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Urbani Divinà Providentià Papæ Octavi, anno decimo octavo, præsentes literæ Apostolicæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est publicatæ, & illarum exempla ibidem affixa relicta fuerunt per me F. Angelicum Cursorem Sanctiss.

Ita est Hieronymus Mascella Cursor pro Magistro Cursorum.

Quòd Laici, seu Conversi Ordinis Minimorum suffragentur in admissione Novitiorum ad Professionem.

De istorum Fratrum Religione plenè notatum est ad Const. 17. Ut ea, & ad Const. 20. Injuncti Nobis.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Supplicat.

EXPONI Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, quod licèt ipsi, etiam ab ipso dicti Ordinis primordio, in pacifica semper possessione fuerint, nonnullis functionibus, & actibus Capitularibus interessendi, præsertim verò in Capitulis, quæ pro Novitiorum acceptatione, & ad Professionem Regularem admissione fiunt, votum, sive suffragium ad instar aliorum Ordinis hujusmodi Vocalium, & Sacerdotum ferendi.

Refertur Statut. C... Gener M... fil. 2. num. 34 vide correct. 7. c. ex eo de electon. 6.

§. 2. De Anno tamen 1635. in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Civitate Massiliensi celebrato, Superiores, & alii Vocales Sacerdotes prædicti eosdem Laicos, seu Conversos, suis hujusmodi jure, & possessione privare tentarunt, & desuper inter alia per eos in eodem Capitulo Generali condita Constitutiones, & Statuta sequens Decretum eorumdem Constitutionum, & Statutorum numero 34. ediderunt, videlicet. Novitiorum acceptatio ad Professionem fiat per Secreta suffragia, secus suo priventur Officio Superiores. In paritate autem vocum stetur Informatori, ad quam acceptationem Clerici non habeant votum, nisi sint in Sacris Ordinibus constituti: Laici verò nequaquam sicut neque in aliis rebus spiritualibus.

Hic Pont. alia confirmavit Statut d. Capit. non tamen circa dismenbrationem Conventus Orbitelli, & Laicorum votum in acceptatione Novitiorum.

§. 3. Postmodum verò petita nomine Correctoris Generalis Ordinis hujusmodi à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, negotiis Regularium præpositis, eorumdem Constitutionum, & Statutorum, præsertim quoad eam partem, qua disponitur, quòd Laici, seu Conversi hujusmodi in acceptatione Novitiorum votum non habeant, confirmatione; licèt Nos de eorumdem Cardinalium consilio Constitutiones, & Statuta hujusmodi, exceptis tamen decimo Statuto circa dismembrationem Conventus Orbitelli, ac trigesimo quarto circa Laicorum, seu Conversorum votum in acceptatione Novitiorum, quæ omninò tolli, & aboleri voluimus, ita ut circa Conventum prædictum, ac Laicorum votum in acceptatione Novitiorum nihil omninò in posterum esset, vel esse censeretur innovatum, sed circa hæc, omnia remanere in Statu pristino, Apostolica Auctoritate confirmaverimus, aliaque fecerimus, ut in nostris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus haberi volumus, uberius continetur.

Laici iterum super d. voto turbati recurrerunt ad Sacram Congr. quæ commisit negotium Eminentiss. D. Card. Protectori.

Nihilominus tamen Sacerdotes, & alii Superiores locales Ordinis hujusmodi anno superiori eosdem Laicos, seu Conversos in suis hujusmodi jure, & possessione de novo turbare tentarunt. Unde habito ab ipsis Exponentibus ad eosdem Cardinales recursu, præfati Cardinales inhærendo Decreto aliàs, ut præfertur desuper ab eis edito, audito priùs Procuratore Generali Ordinis hujusmodi, dilecto Filio nostro Antonio tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbytero Cardinali Sanctacrucio nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori commiserunt, ut pro suo arbitrio, & prudentia in præmissis statueret, & decerneret, quòd pro debita eorumdem Exponentium satisfactione, & Profitentium quiete in Domino conspexisset salubrius expedire.

Card. Protector declarat ut in Summ...

§. 5. Qui Antonius Cardinalis in vim commis-

sionis

sionis hujusmodi, re maturè considerata, & audito eodem Correctore Generali, dixit, & declaravit licuisse, & licere dictis Fratribus Laicis, seu Conversis pro acceptatione, & admissione Novitiorum ad Professionem suffragium ferre, ac unà cum Sacerdotibus, & Superioribus Conventuum, ubi dictas acceptationes, & admissiones fieri continget, votum præstare: eosque propterea in eorum quasi possessione fore, & esse manutenendos; & aliàs prout in ejusdem Antonii Cardinalis Decreto desuper emanato pleniùs continetur.

§. 6. Cùm autem sicuti eadem Expositio subjungebat, præfati Laici, seu Conversi, præmissa pro illorum Validitate, & subsistentia firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent; Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Decretum, seu declarationem hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 7. Mandantes propterea omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, in virtutæ Sanctæ Obedientiæ, ac sub vocis activæ, & passivæ, necnon suorum Officiorum Privationis, perpetuaque ad illa, & alia in posterum obtinenda inhabilitatis, aliisque arbitrii nostri pœnis eo ipso per contrafacientes absque ulla declaratione incurrendis, ut Decretum, seu Declarationem hujusmodi inviolabiliter observent, ac eosdem Exponentes omnium & singulorum in eisdem Decreto, seu Declaratione contentorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere sinant, & faciant. Ac decernentes præsentes literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Exponentibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

§. 8. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ac quosvis alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictis, & quibusvis aliis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis ejusdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & Personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresse, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis fides adhibenda.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Martii 1641. Pontificatus Nostri Anno 18. Dat. P. A. 18 die 22. Mart

---

CCLXX.

Constitutio super præservatione Jurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, Personarumque Ecclesiasticarum à quibuscumque præjudicialibus.

Consonat Prohibitio Sixti V. Alienationis Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, & bonorum etiam jurisdictionalium ad eamdem Apost. Sedem spectantium de qua nuper in Rubric. Constit. 242. Urban. VIII. hoc eodem Tomo.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1641.

Exordium.

ROmanus Pontifex in sacra Beati Petri Sede à Domino constitutus non valens curam suæ Pastoralis sollicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet Mundi parte exercere Legatos etiam de Latere, ac Nuncios, aliosque Ministros Apostolicos ad diversas Provincias, & Regna, prout cognoscit in Domino expedire, consuevit destinare, ut vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, & commissis sibi populis justitiæ, & gratiæ incrementa ministrent, juraque Sedis Apostolicæ, jurisdictionem, immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam tueantur, ac de gravioribus Summum Pontificem reddant certiorem, remediaque ac mandata opportuna Apostolica exspectent, & exequantur.

§. 1. Cùm autem, ut accepimus, à nonnullis prætendatur, quosdam ex Legatis sive natis, sive aliis etiam de Latere, etiam S. R. E. Cardinalibus, Nunciisque, ac aliis Ministris Apostolicis quovis nomine nuncupatis, ac etiam ex Rectoribus, seu Gubernatoribus Provinciarum, Civitatum, & Locorum ditionis temporalis S. R. E. per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos missis, cæterisque Officialibus Cameræ Apostolicæ, & Romanæ Curiæ, etiam S. R. E. Cardinalibus, etiam Vicecancellariis, & Camerariis, ac Feudatariis quantumlibet qualificatis, & individua mentione dignis, ac etiam Baronibus, aliisque jurisdictionem quomodolibet exercentibus aliqua eidem Sedi, aut jurisdictioni, vel immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, Ecclesiisque, & Personis Ecclesiasticis præjudicialia præter, aut contra facultates sibi concessas nedum fecisse, declarasse, concessisse, ac decrevisse, seu aliàs quomodolibet disposuisse, sed etiam prædicta, & quæcumque alia eis præjudicialia à quibuscumque aliis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem Apostolicam non habentibus commissa, & facta, oneraque super Ecclesiis, ac earum bonis, & juribus, earumque fructibus absque sufficienti facultate Apostolica imposita, transgressionesque, & excessus contra sacro- Causæ hujus Const.

Sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum Universalium dispositionem contra Sedem Apostolicam, jurisdictionem, immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam, seu Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, earumque ona, & jura quaecumque quomodolibet commissos, & perpetratos tolerasse, & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem praejudicialibus consensisse; imò ex ipsorum Legatorum, Nunciorum, & Ministrorum Apostolicorum, ac etiam respectivè Gubernatorum Provinciarum, Civitatum, & Locorum ditionis temporalis ejusdem Sedis Apostolicae, & quorumcumque aliorum ipsius Officialium, seu cujuslibet eorum afferta scientia, taciturnitate, tolerantia, vel consensu, ipsorumque praejudicialium observantia inferri posse tàm in praedictis, quàm in caeteris quibuscumque praejudicialibus, nedum ad praesumptam scientiam, tolerantiam, consensum, seu approbationem Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, & cujuslibet eorum, ac nostram, sed etiam ad praesumendum super eis, & eorum quolibet fuisse concessum beneplacitum Apostolicum, etiamsi Praedecessores nostri praedicti multoties ea Via, qua licebat se opposuerint, & Nos quoque contradixerimus; Concessiones quoque, & gratias quascumque, ac investituras etiam Civitatum, Terrarum, Castrorum, aliorumque locorum, & bonorum etiam Jurisdictionalium, ad eandem Apostolicam Sedem, seu ad Ecclesias inferiores respectivè spectantium, ab aliquibus ab eisdem Praedecessoribus nostris, vel à Praelatis, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum praedictarum quomodocumque, & quandocumque ad certas Vitas, aut Generationes, seu Lineas jam extinctas, vel ad certum tempus jam elapsum, illorumque, ac illarum pignorationes, seu in pignus dationes, ac alienationes cum pacto redimendi factas ex praedicta afferta scientia, & tolerantia Sedis Apostolicae nedum longius protrahi, sed etiam perpetuari, aliaque indebita, & injusta praetendantur in praedictae Sedis Apostolicae jurisdictionis, immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticae, aliarumque Ecclesiarum, Personarumque Ecclesiasticarum maximum detrimentum, & populorum grave scandalum, animarumque ipsorum praetendentium, transgredientium, vel occupantium, seu usurpantium, ac in censuris eo ipso incursis insordescentium perniciem.

Praeservationi Jurium Sedis Apost. consulit hic Pontif.

§. 2. Propterea Nos, sicut ex onere Pastorali tenemur, indemnitati Sedis Apostolicae, jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis Ecclesiasticae, Ecclesiarumque, & Personarum Ecclesiasticarum quantum Nobis ex alto conceditur, prout iidem Praedecessores nostri omnibus praejudiciis obviam ire exoptarunt, consulere volentes, attendentesque quod praedicti Legati, Nuncii, & Cardinales, etiam Vicecancellarii, & Camerarii, aliique omnes, & singuli praedicti sine speciali Papae mandato nulla eidem Sedi, & Ecclesiis, aliisque praedictis praejudicialia unquam tacitè, vel expressè facere potuerunt, vel possunt, quodque ob locorum distantiam, ac negotiorum molem, quibus Sedes Apostolica premitur hujusmodi praejudicia non fuerunt Summo Pontifici, pro tempore existenti, minusque ejus Successoribus nota saltem cum suis circumstantiis, praejudicium inferentibus, & aggravantibus, quodque confirmationes, approbationes, & beneplacita Papae, praesertim ubi actum fuit, vel agitur de praejudicio perpetuo, semper consueverunt in scriptis expediri, praecipuè per literas Apostolicas sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, prout etiam in Pontificatu nostro expediuntur; Ideò si in Registris Apostolicis, quae fideliter custodiuntur, & asservantur, praedictorum quorumcumque praejudicialium approbationes, confirmationes, vel beneplacita Apostolica non reperiuntur descripta, seu registrata, vel non exhibentur Originalia literarum Apostolicarum, aut transumpta juxta formam Constitutionis nostrae desuper alias editae sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub die 1. Junii 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo, inde deducitur, neque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, nec Nos unquam praejudicialia approbasse, vel confirmasse, beneplacitaque Apostolica super praejudicialibus nunquam concessisse: ac denique quod Romani Pontifices Praedecessores nostri pro damnandis, impugnandis, & evitandis omnibus, & singulis praejudicialibus, illisque, & praetensis tolerantiis, conniventiis, consensibus, possessionibus, intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, observantiis, & praescriptionibus quibuscumque impediendis, interrumpendis, penitusque avertendis, & excludendis hactenus consueverunt quolibet anno in die Coenae Domini facere processus generales, Bullas ejusdem Coenae nuncupatas, & publicare contrà quoscumque, sicut etiam Nos fecimus, & publicavimus, prout in eis; Idcircò etiamsi praedicta omnia, & singula eidem Sedi Apostolicae, jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticae, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve bonis, juribusque, ac fructibus quomodolibet praejudicialia, per praedictos, & alios quoscumque contra, aut praeter facultates eis concessas, facta, eo ipso fuerint, & sint nulla, & invalida.

Omnia praejudicialia Sedi Apost. Romanaeq. Ecclesiae & decreta, statuta indulta &c. irritat & revocat.

§. 3. Nihilominus abundantiori cautela uti volentes, omniumque, & singulorum quomodolibet praejudicialium quandocumque, & à quibusvis, ac ex quacumque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac inde secutorum quorumcumque, caeterorumque hic de necessitate forsan exprimendorum, ac inserendorum tenores, etiam majores, & veriores pro plenè expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes: Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, motique ex praedictis causis, aut illarum altera, seu ex aliis justis, & rationabilibus animum nostrum moventibus, ad quarum omnium, & singularum verificationem Ecclesiam Romanam praefatam, Sedemque Apostolicam, & quemcumque alium nunquam teneri volumus, ultra quascumque revocationes hactenus factas, quas innovamus, hac nostra perpetua constitutione declaramus omnia, & singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias, & pacta, etiam nomine ejusdem Sedis Apostolicae inita, venditionesque, & alienationes Officiorum, aliorumq; ejusdem Sedis, Ecclesiarumve, inferiorum jurium, & quascumq; alias dispositiones quocumque nomine nuncupata, eidem Sedi Apostolicae, Romanaeque Ecclesiae, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, seu locis piis, ac personis Ecclesiasticis, seu jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticae quomodolibet praejudicialia, & praejudiciales à quibuscumque Legatis etiam de Latere, etiam S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus, Nunciis, seu aliis Ministris Apostolicis, Cameraeque Apostolicae, & Romanae Curiae Officialibus, & Ministris etiam Cardinalibus, Vicecancellariis, & Camerariis, & respectivè Rectoribus, & Gubernatoribus, Feudatariis, Baronibus, & caeteris jurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliisque praefatis quantumlibet qualificatis, & individua expressione dignis, quandocumque, qualitercumque, & quomodocumque praeter vel contra facultates eis concessas facta, & gesta, factasque, & gestas, aut aliàs quovis modo ab eis emanata, & emanatas hactenus, etiam per modum edicti, declarationis, constitutionis, pragmaticae, reformationis, ac alias quomodolibet, etiam cum clausula, salvo vel reservato Sedis

Apostolicæ beneplacito, vel fortasse etiam cum intentione data, vel promissione etiam facta illud ab hac Sancta Sede, seu à Romano Pontifice, aut etiam à Nobis impetrandi, etiam cum prætensa illarum executione, & observantia quantumlibet longissima, ac aliis inde quomodolibet secutis quibuscumque, etiam in favorem, seu intuitu, vel contemplatione Imperatoris, Regum, aliorumque Principum, etiam Supremorum, etiam Laicorum, Nationum, Rerumpublicarum, Provinciarum, Regnorum, aliorumque Dominiorum, & Officialium quorumcumque, vel Civitatum, Universitatum, etiam Studiorum Generalium, Collegiorum, Religionumve, seu Militiarum, Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque Ordinum, vel aliorum quorumvis, etiam speciali nota dignorum ex quacumque ratione, occasione, vel causa quantumlibet pia, publica, favorabili, seu privilegiata, etiam transactionis, vel concordiæ, sive belli, treguæ, vel pacis, etiam universalis, & ad majus malum, vel scandalum, ut asseritur, evitandum, seu ex aliis rationibus, & causis, etiam omnibus insimul concurrentibus, ac alias individuam expressionem requirentibus.

Tolerantias taciturnitates, & conniventias, &c

§. 4. Necnon quascumque tolerantias, taciturnitates, conniventias, permissiones, consensus, declarationes, executiones, approbationes, vel confirmationes expressè, vel tacitè dicto, vel facto, ac alias quomodolibet præter, aut contra suas facultates, ab iisdem Legatis, Nunciis, ac Ministris Apostolicis, & respectivè Rectoribus, Gubernatoribus, & Feudatariis, ut asseritur, factas, seu habitas, vel respectivè præstitas in quibuscumque actibus eidem Sedi Apostolicæ, sive jurisdictioni, immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, aut Ecclesiis, vel Personis Ecclesiasticis quomodolibet præjudicialibus, per quoscumque alios, etiam Laicos quantumlibet, ut præmittitur qualificatos, quavis authoritate, & potestate etiam Imperiali, Regali, aut quacumque alia, individuam expressionem requirente fungentes, etiam sub prætextu quòd Bullæ, seu Constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, aut contrario usu etiam decennali, & quantumlibet longissimo, ut prætenditur abrogatæ, vel sub prætextu Constitutionum, literarum, seu dispositionum Apostolicarum, de quarum existentia per Canonica documenta Apostolica non constat, seu revocatæ, aut non sufficientes sunt, ac etiam in permittendo editionem seu impressionem librorum eidem Sedi, aliisque præjudicialium, seu continentium opiniones damnatas, vel in admittendo, seu exequendo minus legitimam earumdem Constitutionum, litterarum, seu dispositionum Apostolicarum interpretationem, vel faciendo, aut approbando ea quibus disciplina Ecclesiastica quomodolibet enervatur, seu læditur, factis, & gestis.

Impedimenta Legatis Apostol. illata &c.

§. 5. Molestias quoque, vexationes, & impedimenta quæcumque Legatis, & Nunciis, vel aliis Ministris, & Officialibus Apostolicis, per quoscumque etiam Laicos cujusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis Ecclesiasticæ, ut præmittitur existentes, quomodolibet factas, & illatas, factaque, & illata, tàm eorum ingressum in Provincias sibi commissas denegando, quàm ne suas facultates liberè in illis exercerent impediendo, ac eos ab illis expellendo.

Contributiones, & Gabel. &c.

§. 6. Necnon quascumque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas, vel alias fructuum partes, aliaque onera, & gravamina quæcumque super Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, præsertim vacantibus, personis Ecclesiasticis, earumque vel eorum bonis, seu fructibus etiam prætextu vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi, ac alias quomodolibet per Laicos præfatos, & quoscumque alios quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate Apostolica impositas, exactasque etiam à sponte dantibus, vel contribuentibus.

Molestationes P rsonarum Ecclesiasticarum.

§. 7. Item molestationes perturbationes, acta, carcerationes, & attentata quæcumque à quibusvis Laicis, etiam Officialibus quomodolibet qualificatis contra personas Ecclesiasticas, vel Ecclesias, seu cujuslibet earum bona, sive jura vel fructus tàm civiliter, quàm criminaliter, & alias quomodolibet quantumcumque hactenus facta, gesta & commissa, etiam de facto executioni, etiam pluribus vicibus, & quocumque temporis cursu, etiam longævo, & longissimo, ac, ut prætenditur, immemorabili, etiam cum fama asserti privilegii quomodolibet demandata.

Transgressiones S. S. Canonum.

§. 8. Necnon quascumque transgressiones, & excessus contra dispositiones Sacrorum Canonum Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum Universalium præsertim Lateranensis sub Alexandro III. Generalis nuncupati sub Innocentio III. Viennensis sub Clemente V. Lateranensis ultimi sub Leone X. fel. rec. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, seu Tridentini à quibuscumq; & ex quibusvis causis quomodolibet, & quandocumque factas in præjudicium Sedis Apostolicæ, sive jurisdictionis, vel immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ, seu Ecclesiarum, vel Personarum Ecclesiasticarum, earumque bonorum, seu fructuum etiam effectum, ut præmittitur, de facto sortitas, & inde secuta quæcumque.

Prorogationes Gratiarum.

§. 9. Item quascumque prorogationes, extensiones, protractiones, seu perpetuationes quarumcumque gratiarum, concessionum, & investiturarum à Sede Apostolica, vel à Prælatis, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum quandocumque hactenus factarum ad certas vitas, aut generationes, seu lineas jam finitas, vel extinctas, sive ad certum tempus jam elapsum, pignorationumque & venditionum cum pacto redimendi, permutationum aliorumque contractuum, ac dispositionum quarumcumque de Civitatibus, Terris, Dominiis, Castris, Locis, & Bonis etiam feudalibus, vel jurisdictionalibus, ac juribus ejusdem Sedis Apostolicæ, vel Ecclesiarum inferiorum à quibuscumque quantumlibet, ut præmittitur qualificatis quandocumque prætensas, etiam executioni demandatas, & quocumque temporis cursu continuatas. Necnon reliqua omnia quotcumque, & qualiacumque eidem Sedi Apostolicæ, vel jurisdictioni, immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve juribus, bonis, & fructibus quomodolibet præjudicialia, per quoscumque sufficienti, & legitima facultate Apostolica non munitos, facta, gesta, & respectivè perpetrata cum omnibus, & singulis quandocumque, & quomodocumque inde secutis, & quocumque tempore longissimo executioni demandatis, ac observatis, fuisse, & esse ipso jure nullas, & invalidas, ac nulla, & invalida, nulliusque roboris, vel momenti, indebitaque, & illicita, ac de facto præsumptas, & præsumpta, nullumque præjudicium eisdem intulisse, nec inferre unquam posse, illasque, & illa ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quacumque prætensa observantia, quantumlibet diuturna, longæva, longissima, seu immemorabili, etiam cum fama prætensi privilegii Apostolici, ac etiam juncta quavis scientia, connivenția, tolerantia, taciturnitate, facultate, & permissione etiam ex actibus positivis non legitimis resultante Prælatorum Ecclesiarum inferiorum, Legatorum, Nunciorum & aliorum quorumcumque Ministrorum Apostolicorum, ac etiam respectivè quorumvis Rectorum, & Gubernatorum, aliorumque prædictorum, etiam Feudatariorum, etiam Sedis Apostolicæ, ac Baronum, cæterorumque jurisdictio-

nem quomodolibet exercentium, ac forsan Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum & nostra, nequaquam fuisse hactenus, nec in posterum fore approbata, convalidata, neque respectivè prorogata, extensa, protracta, vel perpetua, minusque inde aliquam approbationem, vel præsumptionem alicujus beneplaciti Apostolici, neque aliquam bonam fidem, possessionem, vel quasi, aut præscriptionem in aliquo etiam impediente, imponente, exigente, attentante, vel respectivè occupante, usurpante, vel transgrediente, aut quomodolibet continuante, nec in quocumque alio potuisse, nec unquam posse resultare, vel induci respectivè in Sedis Apostolicæ jurisdictionis, immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ, seu Ecclesiarum, vel Personarum Ecclesiasticarum, earumve jurium, ac bonorum, & fructuum præjudicium, talemque præsumi fuisse semper mentem, & intentionem Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum prædictorum, ac respectivè nostram fuisse, & esse quovis modo prædicta, & quæcumque alia præjudicialia nunquam approbandi, seu confirmandi, nisi de prætensa approbatione, vel confirmatione Apostolica constiterit ex prædictis Registris Apostolicis, vel aliàs juxta formam prædictæ alterius Constitutionis nostræ; Quinimo omnia, & singula præjudicialia fuisse à sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Conciliis, etiam Universalibus, præsertimque à prædicta Bulla in Cœna Domini legi solita respectivè reprobata, ac damnata, prout etiam ad abundantiorem cautelam tenore præsentium reprobamus, & damnamus, beneplacitaque Apostolica per Prædecessores nostros, & per Nos hactenus denegata fuisse declaramus, sicut etiam harum vigore denegamus, & quatenus foret opus, omnia & singula præjudicialia prædicta, omniaque alia, si quæ sint, irritamus, & annullamus, ac respectivè revocamus cum inde secutis quibuscumque, præsertim intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, & observantiis, ac usibus, & consuetudinibus quantumvis longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama privilegii Apostolici, quas, & quæ illicita, & irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis, & annullatis perpetuò haberi volumus, decernimusque, & damnamus, ita quòd in posterum illa, & illæ non possint unquam in judicio, nec extra judicium à quoquam quomodolibet allegari, deduci, probari, nec ab aliquo admitti, ad quemcumque effectum, & quatenus opus foret, adversus illos, & illa, ac alia quæcumque quomodolibet præjudicialia harum serie eandem Sedem Apostolicam, Romanamque Ecclesiam, & Ecclesias inferiores, ac personas Ecclesiasticas quascumque plenariè, & plenissimè ex justis causis Nobis benevisis, ac si talia nunquam extitissent in integrum, & pristinum, in quo antea erant statum restituimus, reponimusque, ac reintegramus, præjudicialiaque hujusmodi, ne imposterum perpetuis futuris temporibus fiant etiam interdicimus, & prohibemus.

Damnat quosdam abusus circa provisiones Ecclesiarum Cathedralium ex incuria Officialium Sedis Apost.

§. 10. Insuperque cum etiam Nobis innotuerit quod aliquando in provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, Primatialium, & Patriarchalium, aliisque gratiis, & dispositionibus Apostolicis fuit ob incuriam quorumdam Sedis Apostolicæ, seu Romanæ Curiæ Officialium inadvertenter in præjudicium liberæ provisionis earum narrata, vel etiam forsan de facto admissa præsentatio, nominatio, vel supplicatio alterius quantumlibet, ut præmittitur qualificati, absque eo, quod de ejus jure præsentandi, nominandi, vel supplicandi constitisset, & aliquando prædicta, seu alia eidem Sedi Apostolicæ narrativa præjudicialis fortasse in prætenso Ecclesiarum ultimo statu fundata extitit, etiamsi de contrario statu, aut aliàs de libera provisione, etiam per literas erectionis, aut alio modo appareret, seu constare posset; Aliquando etiam in provisionibus Ecclesiarum pro cultu divino, & ipsarum Ecclesiarum felici gubernio apponuntur diversa decreta, quæ per obitum provisorum, vel alias asseruntur expirasse, cum nihilominus perdurare debeant, donec fuerint adimpleta.

Item circa facultates gratias Reg[...] bus, Princi[...]pibus &c. concessas.

§. 11. Quandoque etiam in concedendis facultatibus, indultis, seu aliis gratiis, per Sedem Apostolicam etiam Regibus, & Principibus, Rebuspublicis, seu Dominiis, ac Feudatariis quomodolibet qualificatis, ac speciali expressione dignis concedi solitis, in quibus juxta antiquum stylum erant priùs habendæ literæ declarationis, & promissionis; per privilegiatos scribendæ Papæ concedenti, quibus ipsi petentes facultates, & privilegia, se è converso obligare debent pro observatione, & conservatione quarumcumque immunitatum, libertatum, & jurium Sedis Apostolicæ Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum, ac bonorum Ecclesiasticorum quorumcumque, & tamen illis literis non receptis fuerunt concessæ facultates, indulta & gratiæ Apostolicæ præfatæ, etiam absque aliquo onere illas intra aliquod tempus scribendi & eidem Sedi præsentandi, imò etiam aliquando Officiales Cameræ Apostolicæ, sive notitiam jurium, & scripturarum Cameræ non habentes, seu memoria non retinentes, vel aliàs expediverunt, sive expediri à Romanis Pontificibus, seu etiam à Nobis fecerunt, vel permiserunt vigore conventionum, concordatorum, transactionum, & compactorum cum Sede Apostolica initorum quasdam gratias, facultates, seu concessiones, & privilegia, uti debitas, ac debita, cum tamen conventiones, concordiæ, & pacta, tunc per obitum personarum, vel alias quomodolibet, etiam ex lapsu temporum saltem in ea parte cessassent, seu exspirassent quæ omnia, eorumque singula, etiam prætenduntur in magnum ipsius sanctæ Sedis redundare detrimentum.

Præfatas na[...]rativas, seu assertiones erroneas d[...]clarat.

§. 12. Idcircò motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus præsentium literarum tenore præfatas narrativas, enunciativas, seu assertiones quomodolibet eidem Sedi præjudiciales factas, seu admissas, ac respectivè easdem facultatum, indultorum, & gratiarum Apostolicarum concessiones, ac literarum expeditiones factas non exspectatis, nec receptis literis ipsorum privilegiatorum, seu privilegiandorum, concessiones quoqua in vim conventionum, & pactorum quomodolibet exspiratorum fuisse, & esse erroneas, erroneè que respectivè expeditas, nullumque propterea, cum non sit æquum, ut error veritati prævaleat, intulisse, nec inferre potuisse, neque in futurum posse præjudicium Sedi Apostolicæ, ac statui Ecclesiarum, statumque ultimum ipsarum Ecclesiarum, & respectivè Civitatum, Terrarum, Dominiorum, Castrorum, & Locorum jurisdictionalium prædictorum, & quarumcumque facultatum, gratiarum, concessionum, aliorumque jurium Sedis Apostolicæ Ecclesiarum inferiorum non fuisse, nec unquam esse attendendum, ubi de antecedenti contrario statu, vel initio constat, modo, & forma præmissis pariter declaramus, ac decernimus, & respectivè omnia præjudicialia tollimus, & irritamus, ac decreta in provisionibus prædictarum Ecclesiarum apposita, non exspirasse, nec exspirare, sed donec adimpleta fuerint vigere, & in sequentibus censeri repetita etiam declaramus, sicque imposterum perpetuò observari volumus. Et quatenus unquam contingeret tàm super præsentium literarum, quàm super quarumcumque concessionum, facultatum, indultorum, gratiarum, ac dispositionum Apostolicarum in favorem Imperatoris, Regum, Principum, Rerumpublicarum, Dominiorum, Natio-

num,

num, Provinciarum, seu Regnorum per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & per Nos concessarum, seu aliàs à Sede Apostolica emanatarum interpretatione, vel declaratione hæsitari, vel dubitari, tunc omnibus, & singulis cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, ac dignitatis etiam Ecclesiasticæ existentibus, etiam quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, ac Societatis, de quibus individua expressio facienda foret, quamlibet interpretationem ac declarationem sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, ac nullitatis omnium gerendorum pœnis, eo ipso, etiam nulla facta declaratione, incurrendis prohibemus, & interdicimus, & quamcumque declarationem quomodolibet necessariam, seu opportunam desuper quandocumq; faciendam dumtaxat Nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus nostris Canonicè intrantibus perpetuò reservamus, & ante factas declarationes hujusmodi volumus præsentes nostras literas, & quascumque literas & concessiones, ac dispositiones Apostolicas prædictas intelligendas esse ad literam, prout jacent.

Clausulas hujus Const. reservat as apponit.

§. 13. Præsentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis nullatenus consenserint, & ad ea vocati, citati, vel auditi non fuerint, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, deductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite à Jure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine resultante, sive præscriptionis etiam quadraginta annorum, & immemorabilis, ac enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, vel prætextu, etiam in Corpore Juris clauso, seu ex quacumque causa, & occasione etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, aut aliud quodcumque Juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio, & alias quomodolibet concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud minimè posse, sed easdem præsentes semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 14. Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, Clericosque Præsidentes, ac Cameram, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Ministros & Officiales, necnon S. R. E. etiam Vicecancellarios, Camerarios, ac etiam de Latere Legatos, ejusdemque Sedis Nuncios, ac quascumque Congregationes, etiam specialem expressionem requirentes, etiam quorumcumque S.R.E. Cardinalium, & Prælatorum, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, semper & ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernim⁹.

Clausula derogatoria.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis tàm generalibus, quàm specialibus, etiam in Conciliis Universalibus editis, & quatenus opus sit, Regula nostra de non tollendo jure quæsito, & felic. record. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus, infra certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes nullo umquam tempore in eadem Camera præsentari, seu registrari necesse sit. Necnon quibusvis conniventiis, tolerantiis, consensibus, taciturnitatibus, permissionibus, usibus, consuetudinibus, etiam longissimis, & immemorabilibus, etiam cum asserta fama privilegii Apostolici, ac statutis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis privilegiis quoque indultis, concessionibus, licentiis, & literis Apostolicis quibuscumque personis etiam, ut præmittitur, qualificatis, ac Provinciis, Regnis, Civitatibus, Universitatibus, Ecclesiis, Ordinibus, etiam Militaribus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationibus, Institutis Societati Jesu, aliisque locis, & personis quibuslibet, etiam speciali nota, & expressione dignis, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis formamque in illis traditam pro servata habentes, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Non intendimus autem per præsentes tollere declarationes, & causarum terminationes, ac alia, quæ etiam respectu Jurisdictionalium tàm allodialium, quàm feudalium præsertim in ditione temporali Sedis Apostolicæ consistentium, factæ, seu facta fuerunt hucusque, vel in futurum fient judicialiter, vel etiam extrajudicialiter, causa tamen cognita in Romana Curia, per Rotam, vel Cameram, aut etiam per specialiter Deputatam, seu Deputatum à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel à Nobis, seu à Successoribus nostris Congregationem, aut Judicem: Nec etiam tollere centenariam præscriptionem concurrentibus de Jure requisitis; Nec immemorabilem, nisi in casibus, in quibus per Sacros Canones, seu Concilia Universalia, vel Constitutiones, Ordinationes, aut Dispositiones Apostolicas illa reprobatur, seu illi derogatur, aùt aliàs de Jure illi non suffragatur, firma tamen & illibata remanente Bulla Cœnæ Domini, tàm per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores nostros publicata, quàm in posterum à Nobis, & Successoribus nostris publicanda, quoad omnia, & singula, quæ in ea continentur.

Publicari mandat.

§. 16. Volumus autem, & Apostolica auctoritate decernimus, ut eædem præsentes ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicentur, & affi-

gantur,

gantur, quæ si publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt arctent, & afficiant, perinde ac si illorum unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Dat. P. A. 18. die 5. Junii. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5. Junii 1641. Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

Publicatio. *Die 13. Augusti, Anno, ut supra, Pontificatus decimonono, supradictæ literæ Apostolicæ, publicatæ, & affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ Urbis per me Dominicum Varesium Sanctiss. D. Nostri Papæ Curs.*

Pro Magistro Cursorum Dominicus Mangil. Curs.

CCLXXI. Quòd Notarii etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti vacabilia Notariatuum Officia non habentes, nulla transumpta literarum Apostolicarum facere possint, habentes verò, nonnisi de Datarii licentia, sub pœnis.

De hujusmodi Notariatus materia, vide notata in Repertor. 5. tom. verb. Notariatus, & in sequent.

Edita An. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus Const. Cum sicut Nobis innotuit nonnulli Notarii publici etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti, Vacabilia tamen Notariatuum Officia non habentes literarum Apostolicarum tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, nec non Supplicationum à Nobis, vel ab Officiali ad id deputato signatarum transumpta in Vidimus, vel alia forma, etiam quandoque ex simplicibus earumdem Literarum, & Supplicationum copiis, Literisque ac Supplicationibus hujusmodi nondum registratis extrahant, faciant, & publicent in maximum illorum, qui Officia Notariatuum vacabilia, & titulo oneroso possident, aliorumque Cancellariæ, & Secretariæ Apostolicarum Officialium præjudicium, & detrimentum. Hinc est, quod Nos abusus hujusmodi è medio tollere, & ne inde occasio falsitatis præbeatur, pro Pastorali nostra sollicitudine, providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine.

Mandat pro ut in Rubr. §. 2. Quòd deinceps perpetuis futuris temporibus quicunque Notarii etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti vacabilia Notariatuum Officia non habentes, nulla omninò quarumcunque Literarum Apostolicarum tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, ac Supplicationum à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris, vel ab Officiali ad id à Nobis, & illis respectivè pro tempore deputato signatarum transumpta; Obtinentes verò vacabilia Notariatuum, & Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ, non autem Capitolii Officia, transumpta Literarum, & Supplicationum hujusmodi nonnisi postquam illæ per Officiales ad hoc constitutos registratæ fuerint, sub quingentorum scutatorum monetæ, ac falsi, privationisque prædictorum Officiorum eo ipso incurrendis pœnis facere possint, nisi de nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii licentia in scriptis obtinenda, tenore præsentium statuimus, mandamus, & ordinamus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quòd Notarii prædicti, vel alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quocumque alio quantumvis magno, & substantiali defectu, aut aliàs ex quocumque alio capite, causa, occasione, prætextu, & colore etiam in Corpore Juris clauso etiam tali, quæ ad effectum validitatis præsentium necessario exprimi deberet, notari, impugnari, invalidari, in Jus, vel controversiam revocari, aut adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam in judicio, vel extra illud se juvare nunquam posse, sed semper easdem præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, cōtigerit attentari.

Executores deputat. §. 4. Quocirca dilecto Filio nunc, & pro tempore existenti causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus statim, atque præsentes nostræ literæ prædictæ præsentatæ illi fuerint, illas solemniter publicet, & publicari faciat, ac in eis contenta quæcumque per se, vel alium, seu alios debitæ executioni demandet, seu demandari procuret: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus foret, nostra de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. §. 6. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de his ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes & singulos, quos concernunt perinde, affi-

ciant,

ciant, & ardent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent. Quodque illorum transumptis, etiam impressis sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 18. die 20. Jul. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1641. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Die, Mense, Anno, & Indictione quibus supra supradictum Breve affixum fuit in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Andream Castruccium Apostolicum Cursorem.

Hieronymus Mascella Magister Cursorum.

CCLXXII. Prohibitio ne Religiosi Præmonstratenses Hispaniæ gestent Habitum noviter assumptum, nec dimittant prænomen Fratris.

Edita An. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. PAstoralis Officii Nobis divinitus injuncti assidua sollicitudo Nos admonet, ut ad ea libenter intendamus, per quæ sacrarum Religionum Status salubriter dirigatur, ac in sua integritate, & puritate conservetur.

Habitum mutarunt. §. 1. Cùm itaque sicut Nobis nuper innotuit, in Hispaniarum Regnis Religiosi Ordinis Præmonstratensis, absque Sedis Apostolicæ, vel alia legitima licentia antiquum ejusdem Ordinis Habitum Regularem immutarint: Idcircò Nos his, aliisque incommodis, quibus ipse Ordo exinde affici posset provisionis nostræ Ministerio obviam ire cupientes.

S. Congregatio hanc causam diligenter vidit, & examinavit. §. 2. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Regularium Præpositorum Consilio, quibus hoc negocium cognoscendum commisimus, & qui scripturas, & processum à bonæ memoriæ Laurentio Episcopo Senogalliensi, tunc in eisdem Regnis nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio transmissa desuper, necnon alia jura, & scripturas oretenus, & in scriptis, tàm pro parte Procuratoris Generalis eorumdem Religiosorum in Romana Curia residentis, mutationem ipsam Habitus sustineri petentis, quam pro parte Philippi Bernal dilectorum Filiorum ejusdem Ordinis Religiosi mutationem prædictam impugnantis adducta viderunt, & diligenter examinarunt: non licuisse Religiosis prædictis antiquum sui Ordinis Habitum hujusmodi immutare Apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus.

Executorem deputat. §. 3. Proindeque Venerabili Fratri Cæsari Archiepiscopo Damiatensi moderno in eisdem Regnis Nostro, & Sanctæ Sedis Nuncio per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque illarum vigore fuerit requisitus Abbati Generali, seu Præsidenti eorumdem Religiosorum Ordinis hujusmodi in præfatis Regnis auctoritate nostra præcipiat, & insuper Edictum in locis solitis suæ Nunciaturæ, & ad valvas Monasteriorum, seu Conventuum d. Ordinis affigendum promulget, ut infra mensem à die intimationis præcepti, & affixionis Edicti hujusmodi computandum tàm ipse Abbas Generalis, seu Præsidens, quàm cæteri omnes, & singuli ejusdem Ordinis dictorum Regnorum Religiosi Professi debeant, & quilibet eorum debeat reassumere antiquum Habitum ipsius Ordinis, idest tunicam albam, cum caputio magno capiti imponendo: Scapularium item Regulare album, & cappam cum multisplicis similiter albam supra caputium juxta formam, quæ eidem Cæsari Nuncio per literas impressa transmittitur.

Terminum assignat ad Habitum deponendum.

Fratris prænomen reassumere debent. §. 4. Fratris insuper prænomen reassumere, & pileo nigro extra Conventum uti prout solebant antequam Habitus prædicti mutationem facerent, atque hanc Habitus formam continuò retinere, quam sine expressa eorumdem Cardinalium, seu Sanctæ Sedis licentia nullatenus immutare valeant sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ pœnis eisdem Cardinalibus reservatis in actu contraventionis ipso facto incurrendis, ad quarum pœnarum declarationem ab eodem Cæsare Nuncio, contra inobservantes, & præmissis non parentes absque alia dilatione omninò deveniri.

Exprimit contravenientium pœnas.

Clausulam sublatam addit. §. 5. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis prædictæ Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, vel interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate, ac tenore prædictis decernimus.

Contraria aufert. §. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quòmodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis eredi imperat. §. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat P. A. 19. die 19. Aug. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Augusti 1641. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

CCLXXIII. Quòd Commissarii Generales Indiarum Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ S. Francisci non possint dispensare in Constitutionibus Generalibus Ordinis.

Ne jam indicata otiosè repetam, te remitto ad ea, quæ nuper notavi ad Constit. 264. Aliàs à nobis.

Edita An. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. CUm sicut dilectus Filius Gaspar Sanchez Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Lector Jubilatus, & in Romana Curia Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, licet in Capitulo Generali d. Ordinis novissimè in Alma Urbe nostra celebrato declaratum fuerit, omnem, & quamlibet potestatem, quæ in Ministro Generali reperitur ad dispensandum in statutis generalibus totam ipsi provenire à Capitulo Generali, unde quoties ab eodem Capitulo Generali decreto irritante prohibetur, ne in aliquo Statuto concedatur absolutè dispensatio, aut conditiones ad dispensandum requisitas non observet ejusdem dispensatio ipso facto irrita evadit, nihilominus præmissis non obstantibus Commissarii Generales Indiarum Ordinis hujusmodi in suis Definitoriis sub prætensa Ministri Generalis potestate, in Constitutionibus Generalibus quandoque absque totius Definitorii consensu dispensent, ex quo maxima Regularis Observantiæ relaxatio oritur, frequentesque abusus in

eodem

eodem Ordine introducuntur. Nobis propterea d. ctus Gaspar Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eumdem Gasparem Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Hujusmodi supplicationibus inclinati:

Probibitio prout in Rubrica. §. 3. Commissariis Generalibus Indiarum hujusmodi, ne de cætero inesse super ejusdem Ordinis Constitutionibus generalibus cujuscumque facultatis, præterquam à Capitulo Generali sibi ad id attributæ, obtentu dispensent, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum Indiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 19. die 23. Aug. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Augusti 1641. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

CCLXXIV. Pro bono regimine Fratrum Reformatorum Strictioris Observantiæ Italiæ, quòd instituant Professoria, lectionem Theologiæ moralis, ac Mysticæ.

De hujusmodi Fratribus Reformatis plenè notatum est ad Const. 240. Injuncti nobis.

Edita An. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Militantis Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidentes ad ea, per quæ cunctorum Christi fidelium, præsertim Religiosorum Deo sub reformatione ad arctiorem Regularis disciplinæ observantiam introducta vacantium, spirituali directioni, necnon felici progressui consulitur, libenter intendimus, eaque statuimus, & ordinamus, quæ rerum, temporum, & personarum qualitatibus debitè pensatis, ipsorum Religiosorum statui conducere in Domino conspicimus. Ad uberes itaque, & suaves fructus, quos dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformati nuncupati Provinciarum Italiæ in prædicta Ecclesia afferunt, mentis nostræ aciem convertentes, quo laudabile eorum institutum majoribus indies proficiat in via Domini incrementis.

§. 1. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, harum tenore perpetuo statuimus, & ordinamus, ut in unaquaque eorumdem Reformatorum Italiæ Provincia unum, vel duo Professoria instituantur, in quibus Fratres Clerici ejusdem Ordinis quam primum Probationis, seu Novitiatus annum compleverint, & Professionem emiserint regularem, collocentur, in Professoriisque hujusmodi unus Magister pro quolibet deputetur, qui prædictos Fratres Clericos in vita spirituali, & orandi modo, ac Religiosæ perfectionis via instruat, qui quidem Clerici anno ut minimum in Professoriis hujusmodi commorari debeant, & interim nullam Scientiam edoceri possint, excepta Grammatica, & Logica, si ejus rudes fuerint.

§. 3. Præterea in duobus, aut tribus cujusque Provinciæ Conventibus Theologiæ moralis Lectio fiat, cui omnes Fratres Sacerdotes, & Clerici bis qualibet hebdomada intersint.

§. 3. In singulis verò Conventibus Theologia Mystica, & Ordinis prædicti Regula semel saltem in quaque hebdomada prælegatur, huicque Prælectioni tàm Fratres Sacerdotes, & Clerici, quàm Laici interesse teneantur.

§. 4. Ad hæc Fratres Reformati hujusmodi nullum omninò legatum perpetuum cum aliquo, aut sine ullo onere: etiam Ecclesiis, vel Sacristiis ipsorum: etiam pro vino ad Missarum celebrationem, aut oleo pro Lampadibus, vel quacumque re pro Altaribus factum recipiant, ipsorumque Procuratores, aut Syndici hæredes legantium ad præstanda ejusmodi legata judicialiter convenire non possint.

§. 5. Insuper Fratres prædicti ad quascumque Processiones, præterquam ad Processionem in die festo Corporis Christi, aut aliquam aliam generalissimam non conveniant; Defunctorumque corpora exceptis iis, quæ in eorum Ecclesiis sepeliuntur, ad sepulturam minimè comitentur. Altarium ornamentis deinceps aurum, vel inauratio non adhibeatur. Imaginumque, seu picturarum eorumdem Altarium coronides è nuce, aut alio ejusdem coloris ligno fiant, nec candelabra ænea recipiantur, aut emantur amplius, sed tantummodo lignea è nuce.

§. 6. Novitii in Provinciis prædictis infra annum cum interventu Ministri, ac duorum Definitorum Provincialium, & duorum Guardianorum recipi possint, juxta Decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri hac super re editum. Demum Fratres prædicti, exceptis in infirmaria illis, qui indiguerint, particulas ex panno lineo etiam in itinere sub quocumque prætextu nequaquam deferant, particulas verò ex panno laneo illi deferre possint, qui eis loco tunicæ uti voluerint.

§. 7. Quocirca dilectis Filiis Ministris Provincialibus, ac Guardianis, aliisque Superioribus quibuscumque dictarum Provinciarum nunc, & pro tempore existentibus in virtute Sanctæ obedientiæ ac sub pœna privationis suorum Officiorum eo ipso absque alia declaratione incurrendis committimus, & mandamus, ut præsentes nostras literas, ac omnia & singula in eis contenta à Fratribus sibi subditis inviolabiliter observari curent, & faciant; Cæteris verò earumdem Provinciarum Fratribus, etiam in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrii nostri pœnis eo ipso, ut præfertur, incurrendis, præcipimus, ut præmissa omnia, & singula, prout ad unumquemque eorum spectaverit, exactè, & inconcussè observent, & adimpleant.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus editis, ac d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privile- Contrariis derogat.

giis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus,& Personis quibuslibet sub quibuscumque tenoribus,& formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque,& aliis decretis in genere,vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiam si pro sufficienti derogatione de illis,eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret,illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 9. Volumus autem,ut præsentium transumptis,etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio,& extra illud adhibeatur,quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 19. die 1. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Octobris 1641. pontificatus Nostri Anno decimonono.

CCLXXV.

Quod Fratres cujuscumque gradus, & dignitatis, commorantes in Conventu Aracælitano, sint sub obedientia, & directione Commissarii Generalis Ordinis.

De istorum Fratrum materia plenè notatum est ad Const. 53. Sacrosanctum.

Edita An. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INter multiplices Pastoralis Officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiariter incumbimus,ut personæ quæ sub suavi Religionis jugo divinis obsequiis se manciparunt prosperè gubernentur, & si quæ earum directioni quoquomodo impedimentum afferre cognoscimus,ea removere studeamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva hujus Const.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus, ex multiplicitate Superiorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum & quia nonnulli prætendunt, se à Superioritate Commissarii Generalis ejusdem Ordinis exemptos esse, vigore cujusdam Statuti in Capitulo Generali d. Ordinis Toleti Anno 1633. celebrato, facti, & a nobis confirmati, Regularis observantia non modicum detrimentum patiatur.

Mandat prout in Rubr.

§. 2. Hinc est, quòd Nos in præmissis opportunè providere volentes, dictique statuti tenorem præsentibus pro expressis habentes,motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Statutum prædictum,tenore præsentium abolemus, revocamus, & annullamus, viribusque, & effectu vacuamus; & quod omnes, & singuli ejusdem Ordinis Fratres cujuscumque gradus, & dignitatis,ac etiam Ultramontanæ Familiæ existentes pro tempore, quo in Cismontana Familia commorabuntur, sint, & esse debeant sub obedientia, & directione Commissarii Generalis Ordinis hujusmodi, pro tempore existentis, prout erant,priusquam statutum prædictum fieret earumdem tenore præsentium, statuimus, & mandamus, volumus,& ordinamus, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari,& definiri debere, ac irritum,& inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Statuto prædicto,& literis illius confirmatoriis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac aliis dicti Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus,Fratribus, & Personis quibuslibet in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 4. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris cæterisque contrariis quibuscumque derogamuse.

Dat. P. A. 19 die 18 Nov.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 18. Novemb. 1641. Pontificatus Nostri Anno decimonono.

CCLXXXI.

Quòd Fratres Congregationis Jesuatorum S. Hieronymi, ab Ordinariis approbati, sacramentales utriusque sexus fidelium Confessiones libere & licitè audire valeant, illisque injunctis injungendis absolutionem salutarem impertire.

De istorum Fratrum Congregatione quoad Confessiones audiendas, notavi supra ad Const. 61. Gregor. XV. Ex injuncto.

Edita A. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CHristi fidelium quorumlibet præsertim Regularem Vitam profitentium votis, quæ eorum instituti decus, & animarum salutem concernunt libenter annuimus,eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§. 1. Aliàs siquidem postquam fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster Fratribus Congregationis Jesuatorum S. Hieronymi sub Regula S. Augustini indulserat, ut ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri possent, voluerat autem,ut Fratres hujusmodi ad Sacerdotium promoti, neque ullius Secularis personæ, neque alterius Ordinis Regularis ullo tempore etiam de cujuscumque Episcopi, vel Superioris Regularis licentia confessiones audire possent, sed tantùm illis Sacerdotibus, qui ad Confessiones audiendas idonei reperti, & ab Ordinariis locorum approbati fuissent, liceret, aliorum ipsius Congregationis Religiosorum de sui Superioris licentia Confessiones audire,postmodum rec. mem. Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster omnibus, & singulis ejusdem Congregationis Fratribus, qui ab Ordinariis locorum approbati forent, ut in Parochialibus Ecclesiis Domorum Regularium ipsius Congregationis dumtaxat Parochianorum earundem Ecclesiarum sacramentales Confessiones audire, ac illis injunctis injungendis, absolutionem impertire salutarem liberè, & licitè valerent, concessit, & alias prout in Pauli, & Gregorii Prædecessorum prædictorum literis in simili forma Brevis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis habere volumus uberius continetur.

§. 2. Cùm autem sicut dilectus Filius Antonius Legnanus Laudens. Procurator Generalis ejusdem Congregationis nobis nuper exponi fecit triginta quinque anni jam elapsi sint, ex quo Fratres prædicti ad suscipiendũ Presbyterat⁹ Ordinem per eundem Paulum Prædecessorem admissi fuerint, & ab inde citra literis, & doctrinis Ecclesiasticis gnaviter dent operam, Nobis propterea d. Procurator

generalis ejusdem Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut concessionem Gregorii Prædecessoris prædicti ad quorumvis Christi fidelium confessiones extendere, & ampliare de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in Rubrica.

§. 3. Nos igitur Fratres, ac Procuratorem Generalem prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; Omnibus, & singulis ejusdem Congregationis Fratribus, ut prævio examine, & approbatione Ordinarii in propriis Ecclesiis dictæ Congregationis etiam non Parochialibus Sacramentales Secularium, etiamsi non sint eorum Parochiani confessiones audire, illisque injunctis injungendis absolutionem impertire salutarem, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 19. die 20. Nov.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Novembris 1641. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

CCLXXVII.

Declaratio, & Moderatio facultatum Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Archipresbyterorum, ac Protectorum, & Titularium Ecclesiarum, & Locorum Piorum Urbis.

Aliam habes Moderationem Indultorum S. R. E. Cardinalium Pii V. in Const. 38. tom. 2. Sanctissimus, Item Pauli V. super collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum Const. 58. tom. 3.

Edita A. D. 1641.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QUamvis Romani Pontifices Prædecessores nostri eorum Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine concesserint S. R. E. Cardinalibus Archipresbyteris Ecclesiarum, seu Basilicarum S. Joannis in Laterano, S. Petri, S. Mariæ Majoris de Urbe facultatem per seipsos, suosque Vicarios, & Judices cognoscendi, & terminandi omnes, & singulas causas, ac lites, tàm activè, quàm passivè motas, ac movendas inter ipsas Basilicas, earumque Capitula, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Capellanos, aliosque eis inservientes, ex una, ne à servitio Basilicarum hujusmodi retrahentur, & quoscumque alios ex altera partibus privativè quoad Vicarium, aliosque Judices Urbis etiamsi ageretur de obligationibus Cameralibus, & aliàs, prout in eorum literis, & motibus propriis uberiùs continetur.

Causæ hujus Const.

§. 1. Nihilominus, ut acceperamus prætextu prædictarum facultatum, ac privilegiorum in eis contentorum, ipsisque Basilicis, ac illis inservientibus concessorum quidam abusus, etiam tempore Prædecessorum nostrorum irrepserant in aliorum Tribunalium, & collitigantium præjudicium, idcirco Congregatio Prælatorum aliàs à Nobis super inhibitionibus, & gravaminibus, cursum justitiæ impedientibus deputatorum, ad tollendos, & evitandos eosdem, aliosque abusus, decrevit, quòd iidem Cardinales prædictarum Basilicarum Archipresbyteri, eorumque Vicarii non concederent inhibitiones generales, sed particulares tantummodo citata parte, & juxta terminos earumdem facultatum, & privilegiorum dumtaxat, & aliàs concessæ non servarentur, liberèque eis non obstantibus fieri posset executio, quodque Emphyteotæ, inquilini, coloni, affictuarii, & conductores non gauderent privilegiis prædictis, nisi quando ageretur de interesse Ecclesiæ, & Ecclesia esset in causa. Cumq; postmodum experientiâ rerum magistrâ compertum fuerit, Nobisque etiam pluries, occasione Signaturæ Gratiæ innotuerit, ex observantia facultatum, & privilegiorum prædictorum alia Urbis Tribunalia impediri, ac collitigantibus detrimentum fieri, quando non agitur de bonis juribus, seu redditibus ipsarum Basilicarum, vel quando Canonici Beneficiati, Clerici, Cappellani, aut alii eisdem Basilicis inservientes sunt Actores.

Declaratio ac moderatio Facultatum, D. D. Cardinalium Archipresbyterorum Protectorum Ecclesiarum Urbis.

§. 2. Propterea volentes justitiam æqua lance omnibus ministrari, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra Constitutione perpetua, nedum decreta prædictæ Congregationis confirmamus, & approbamus supplentes omnes, & singulos defectus etiam substantiales, si qui in eis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici possint, sed etiam statuimus, & ordinamus, quod quando agitur de bonis juribus, seu exigendis redditibus ipsarum Basilicarum, sive Præbendarum, Cappellaniarum, Beneficiorum, Administrationum, Officiorum, seu onerum in prædictis Basilicis existentium, tunc activè agendum sit coram eisdem Cardinalibus Archipresbyteris, sive eorum Vicariis, vel Judicibus per eosdem Cardinales deputatis, & tempore deputandis: quando autem agitur de aliis bonis, rebus, vel juribus quibuscumque, tunc si Canonici Beneficiati, Clerici, Cappellani, aliique ipsis Basilicis inservientes, erunt rei, pariter conveniri debeant coram eisdem Cardinalibus Archipresbyteris, seu eorum Vicariis, vel Judicibus prædictis, etiamsi convenirentur vigore obligationis Cameralis: si verò fuerint Actores, tunc prædictis privilegiis non gaudeant, nec possint reos ad forum Cardinalium Archypresbyterorum quoquomodo trahere. Ac insuper, quia ex facultatibus etiam motu, scientia, deliberatione, & potestate paribus, quacumque de causa quantumlibet favorabili, & pia, ac aliàs quomodolibet concessis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Monasteriorum, Monialium, Ecclesiarum, etiam Collegiatarum, Collegiorum, Hospitalium, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, seu quorumcumq; aliorum piorum locorum de Urbe, illorumque bonorum, rerum, & personarum quarumcumque apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus, sive ipsarum Ecclesiarum Titularibus similia impedimenta, damna, & præjudicia nasci, & emergere nedum accepimus, sed etiam comperimus propterea præfatas Ordinationes, & statuta,

quoad

quoad facultates dictorum Cardinalium Archipresbyterorum, ut præmittitur, factas, & facta, in futurum etiam quoad prædictos Cardinales Protectores, & Monasteria Monialium, Ecclesias, etiam Collegiatas, Collegia, Hospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, aliaque loca pia de Urbe prædicta eorumque bona, res, & personas quaslibet ipsis, Cardinalibus, tàm ratione protectionis, quàm ratione tituli, ac aliàs quovis nomine nunc, & pro tempore per Nos, & Romanos Pontifices, etiam Successores nostros commissas, & commissa perpetuò in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

Clausulas præservativas apponit.

§. 3. Præsentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiamsi Cardinales Archipresbyteri, & Protectores, aliæque personæ prædictæ, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, aut habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, minusque causæ, propter quas præsentes emanarunt, adductæ, aut sufficienter, vel etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quòd in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in Corpore Juris clauso, seu occasione, vel causa etiam, quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, & tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, inviolabiliter servari.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictos, aliosque S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula sublata.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Regula nostra de jure quæsito non tollendo, & quibusvis aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac piæ mem. Pii Papæ IV. etiam prædecessoris nostri de gratiis ad qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus infrà certum tunc expressum tempus in ea præsentandis, insinuandis, & registrandis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam quatenus opus sit, ipsarum Ecclesiarum, seu Basilicarum, Monasteriorum, Collegiorum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, Literis Apostolicis ipsis, Ecclesiis, seu Basilicis, illarumque Cardinalibus Archipresbyteris, sive eorum Vicariis, ac Monasteriis, Collegiis, Confraternitatibus, Archiconfraternitatibus, Hospitalibus, & aliis locis piis præfatis, necnon eisdem Cardinalibus, Monasteriorum, Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum prædictorum Protectoribus, & aliis personis prædictis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium & singulorum tenores, etiam majores & veriores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno decimonono. D. P. An. 19. die 23. Dec.

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini Nostri JESU Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, Indictione decima, die verò 5. mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi Anno ejus decimo nono, suprà dictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Camillum Frisonum S. D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Joseph Masseus.

Prohibitio ne in Ecclesiis sumatur Tabaccum. CCLXXVIII.

Hacce prohibitio fertur sublata a Benedicto XIII anno 1724. Europ. Fama. part. 301. pag. 47.

Quanto Zelo Ecclesiarum reverentiam procurarint Summi Pontifices, apparet ex immunitate jisdem Ecclesiis concessa, quam inviolabiliter observandam jubet Gregor. XIV. Const. 7. Cum aliàs nonnulli. tom. 2. Ad quod habes etiam dispositionem Concilii Trid. sess. 25. Cap. 20.

Edita A. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cùm Ecclesiæ Divino cultui dicatæ Domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, meritò Nos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura à Deo commissa est, advigilare convenit, ut ab eisdem Ecclesiis quicumque actus profani, & indecentes procul arceantur; Itaque cùm, sicuti pro parte dilectorum Filiorum Decani, & Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore, vel náribus Tabaccum, vulgò nuncupatum, usus adeò invaluerit, ut utriusque sexus personæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici, tàm Seculares, quàm Regulares Clericalis honestatis immemores, illud passim in Civitatis, & Diœcesis Hispalensis Ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra fœdis, quæ Tabaccum hujusmodi prolicit excrementis conspurcare, Ecclesiasque prædictas tetro odore inficere, magno cùm proborum scandalo, rerumque sacrarum irreverentia, non reformident.

Usum Tabacci in Ecclesiis prohibet Pontifex sub Excomunicationis latæ sententiæ pœna.

§. 1. Hinc est, quòd Nos, ut abusus tam scandalosus ab Ecclesiis hujusmodi prorsus eliminetur, pastorali nostra sollicitudine providere, ac Decanum, & Capitulum præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum Decani, & Capituli, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus personis, tàm Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, etiam cujusvis Ordinis, Instituti, ac Militiarum, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet privilegiatis, & exemptis etiam speciali nota, & expressione dignis, ne de cætero in quibusvis Civitatis, & Diœcesis prædictarum Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu Tabaccum, sive solidum, sive in frusta concisum, aut in pulverem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & aliàs quomodolibet sumere audeant, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque aliqua Declaratione per contrafacientes incurrendæ pœna, auctoritate Apost. tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Executores deputat.

§. 2. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiscopo Damatiensi moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit solemniter publicare faciat illas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari: contradictores quoslibet, & rebelles, ac prohibitioni hujusmodi non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, necnon Ecclesiarum prædictarum, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, ac Militiarum etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitularibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus vel alicui, conjunctim vel divisim, sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per Literas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. die 30. J[anuarii]

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 30. Januarii 1642. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

CCLXXI[I]

Declaratio circa Exactionem taxæ Collegio Subdiaconorum Sedis Apostolicæ assignatæ ratione provisionum Ecclesiarum Palliis insignitarum.

Sixtus V. paulò ante obitum cedulam Motus proprii confecerat contra abusus, qui irrepserant in exactione hujusmodi taxæ; quæ quidem cedula in Literis Gregorii XIV. desuper confectis pleniùs continetur.

Edita An. 1642.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Sixtus V. volens tol[lere] abus[us] circa taxa[m] de qua in Rubrica.

DUDUM felicis recordationis Sixtus Papa V. Prædecessor noster, ex certis tunc rationabilibus causis adductus, & abusibus, & scandalis, quæ circa exactionem taxæ emolumentorum ratione Ecclesiarum Palliis insignitarum Collegio Subdiaconorum Apostolicorum de numero participantium debitorum irrepserant, cùm interdum emolumenta ipsa iidem Subdiaconi etiam per retentionem Palliorum perciperent, opportunum remedium adhibere volens, sub datum videlicet Nonis Decembris Pontificatus sui Anno secundo Motu suo proprio per eum habita consideratione, quòd Romani Pontifices, taxas, & emolumenta hujusmodi tanquam primitias fructuum inferioris Ecclesiæ vacantis pro stipendiis Officialium Sedis Apostolicæ, & conservatione Universalis Ecclesiæ militantis assignaverant, tunc & pro tempore existentibus Subdiaconis prædictis, quod de quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, & Metropolitanarum, vel aliàs de jure consuetudine, aut privilegio Palliis hujusmodi insignitarum etiam titularium, etiam in partibus infidelium existentium fructibus in Literis super earum provisionibus in posterum conficiendis expressis, & taxatis quinque florenos auri pro quolibet centenario inter ipsos Subdiaconos de numero participantium tantùm, juxta eorum Constitutiones, seu consuetudines dividendos, & distribuendos, cæteraque Jura, & emolumenta percipere, & exigere liberè, & licitè possent, plenam, & liberam licentiam, & facultatem Apostolica auctoritate perpetuò concessit, ac tunc, & pro tempore existentibus plumbi Collectoribus, seu Plumbatoribus Apostolicis sub ducentorum ducatorum ipsis Subdiaconis pro una, & pro altera medietatibus piis locis arbitrio suo applicandorum pœna commisit, & mandavit, ne posthac Literas quascumque super hujusmodi Ecclesiis expeditas, vel expediendas plumbarent, aut plumbatas partibus restituerent, nec restitui permitterent, nisi priùs de summa singulorum quinque florenorum pro quolibet centenario iisdem Subdiaconis foret integrè satisfactum, & de satisfactione constaret per Chirographum Receptoris dictorum Subdiaconorum, sive eorum Decani, vel Prodecani manu signatum, vel per appositionem manus ejusdem in Literis præfatis loco congruo ad instar cæterorum Officialium similes taxas habentium, & exigentium.

Prohibuit ne Subdiaconi cit. in Rubr. ultra dictam taxam quidquam aliud exigerent.

§. 2. Voluit autem dictus Sixtus Prædecessor, & districtius prohibendo mandavit, ne ipsi Subdiaconi ultra dictam taxam pro substentatione, ac dote dictorum Officialium percipi solitam, cæteraque Jura, & emolumenta consueta prædicta, quicquam aliud pro ipso Pallio, neque ratione confectionis, benedictionis, sive traditionis ejusdem exigere, aut accipere sub quingentorum ducatorum ipsis Ecclesiis, à quibus accepissent pro

una,& pro altera medietatibus, locis piis arbitrio pro tempore existentis Romani Pontificis applicandorum pœna auderent, seu præsumerent, & aliàs, prout in cedula motus propii ejusdem Sixti Prædecessoris sub Datum Nonis Decembris Pontificatus sui Anno secundo,& in literis Apostolicis desuper per piæ mem. Gregorium XIV. etiam Prædecessorem nostrum, cum ipse Sixtus, antequam ejus literæ desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, confectis plenius continetur.

Nihilominus novi abusus circa Taxæ præfatæ exactionem sunt orti.

§. 3. Cùm autem sicut Nobis nuper innotuit, etiam post literas hujusmodi antiqui perduraverint, vel novi abusus circa exactionem Taxæ præfatæ Subdiaconorum, & forsan pejores prioribus irrepserint, & propterea Officii nostri partes esse existimemus hujusmodi abusibus, ne ulterius etiam cum non modico fidelium scandalo serpant opportunum remedium adhibere, Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Congregationis quorumdam Prælatorum per Nos desuper ad id in specie deputatorum, easdem cedulam Sixti,& literas Gregorii Prædecessorum prædictorum, hac nostra Constitutione perpetua, ut infra declaram⁹,& ab omnib⁹ deinceps inconcusse observari mandamus, videlicet.

Quibus remedium adhibet Pontifex hac sua Constit.

§. 4. Quòd Subdiaconi præfati nunc,& pro tempore existentes, non solòm sub eisdem pœnis inflictis,& comminatis, sed etiam sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, & privationis Subdiaconatuum, & aliorum per eos obtentorum Officiorum,& Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet ipso facto absque alia declaratione, & citatione incurrendis, & aliis arbitrio Romani Pontificis pro tempore infligendis pœnis taxam ad rationem quinque florenorum pro quolibet centenario eis, ut præfertur, assignatam in tot ducatis auri de Camera, prout alii Officiales Cancellariæ, & Cameræ Apostolicæ participantes earum ratas respectivè recipiunt, & exigunt,& non quidem pro ipso Pallio, seu occasione Pallii, vel ratione confectionis, benedictionis, propositionis, sive traditionis ejusdem Pallii, sed dumtaxat, ut præfertur in actu expeditionis literarum Apostolicarum super provisionibus Ecclesiarum Palliis insignitarum, licet ante, vel post traditionem ipsius Pallii expediantur,& quoad eas, quæ in partibus Infidelium consistunt, & nullos redditus habent, nihil omninò: quò verò ad eas, quæ in dictis Infidelium partibus consistunt, & aliquos redditus habent, ad ratam quantitatis redditum, & quoad eas, quarum taxæ per speciale mandatum Romani Pontificis pro tempore existentis perpetuò, vel ad tempus ad minorem summam reducuntur, juxta reductionem, & quoad numeros, qui ad centum non ascendunt, ad ratam numerorum hujusmodi respectivè dumtaxat, & nihil ulterius etiam à sponte dantibus,& offerentibus exigant & recipiant, aut exigere, & recipere præsumant: & ad hunc effectum pro perpetua, & inconcussa præsentium, & contentorum in eis observatione commissionem, & mandatum Plumbi Collectoribus, sive Plumbatoribus, necnon prohibitionem dictis Subdiaconis per dictas Cedulam Sixti, & literas Gregorii Prædecessorum, ut supra facta, pœnasque in eis contentas, ad quarum exactionem manu regia, & via executiva, nulla prævia citatione procedi posse voluimus per easdem præsentes innovamus.

Clausula præservativa.

§. 5. Decernentes easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut ad viam, & terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris gratiæ, vel facti remedium impetrari nunquam posse.

Clausula sublata.

§. 6. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari,& definiri debere, irritumque, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra Regula de non tollendo jure quæsito, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Collegii Subdiaconorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus etiam antiquissimis, privilegiis quoque indultis,& literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis,& innovatis, necnon aliis, quæ idem Sixtus, & Gregorius Prædecessores præfati voluerunt non obstare. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica,& expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris latissimè, ac plenissimè ad effectum præmissorum specialiter,& expressè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 19. die 7. Febr.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 7. Februarii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

Publicatio in Urbe.

Die, Mense,& anno quibus supra, supradictæ literæ affixæ,& publicatæ fuerunt ad valvas Cameræ Apost. & in acie Campi Floræ,& aliis locis solitis,& consuetis Urbis, per me Dominicum Varesium, S. D. N. Papæ Curs.

Jo. Baptista Spada Mag. Curs.

CCLXXX.

Constitutio circa Formam, & Habitum Sacrarum Imaginum.

De Veneratione Sanctarum Imaginum habes Gregorii XIII. Const. 33. Sanctissimus §. 15. tom. 2. Circa Formam autem,& Habitum Sacrarum Imaginum lege Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decretum.

Edita An. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancta Tridentina Synodus optimè agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut præpostere accommodatum, vel prophanum in Ecclesiis appareat, statuit nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

Hanc Const. edidit Pontifex contra varios abusus circa Formam, & Habitum sacrarum Imaginum.

§. 1. Cùm autem sicut accepimus ex prædicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint. Idcirco Nos abusus hujusmodi tollere pro debito Pastoralis Officii nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis communicata, & maturè considerata, & discussa, inhærendo dictæ Dispositioni Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, Motu proprio, & ex certa scientia, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne quis cujuscumque gradus, qualitatis, Ordinis, Status, vel conditionis, ac dignitatis, & præemi-

nentiæ etiam Ecclesiasticæ, etiam individua, ac speciali expressione dignæ existat, Imagines Domini Nostri JESU CHRISTI, & Deiparæ Virginis MARIÆ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hac sculptas, aut pictas, & aliàs quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis tenore præsentium prohibemus: ac ut Imagines aliter pictæ, vel sculptæ ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad Habitum, & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio, & cultus sic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium subjiciuntur non inordinata, nec insolita appareant, sed devotionem pariant, & pietatem. Et ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum Frontispiciis, & Atriis Imagines prophanæ, vel aliàs indecentiam & inhonestatem præseferentes, cum Domum Dei deceat Sanctitudo, præcipimus. Quocirca quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac nostris, & Apostolicæ Sedis Nunciis, & Legatis etiam de Latere, sub ostentatione divini Judicii mandamus, ut prædicta inviolabiliter, & exactè observent. Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium, & majorum, ac Universitatibus etiam Studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, & quibuscumque etiam Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus cujuscumque Ordinis etiam Cisterciensis Instituti, Congregationis, & Societatis, etiam JESU, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliarumque Militiarum, & cæteris quibuscumque quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione, & speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subjectis, ac etiam Sedi Apostolicæ immediatè suppositis, ut in eorum Ecclesiis, & locis omnia, & singula præmissa observent, & observari faciant.

Executores deputat.

§. 2. Quatenus verò ipsi, præsertim Regulares, ac Moniales præsentibus literis, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint, & debeant Episcopi, & locorum Ordinarii, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncii, & Legati Apostolici de Latere missi, tamquam in hoc à Sede Apostolica specialiter delegati contra omnes, & singulos prædictos, & quoscumque alios quomodolibet inobedientes, & transgressores procedere, & quacumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque juris, & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitùs, & omninò remotis ad omnimodam observantiam illos prævia unica monitione, censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio, & præsertim quoad loci Superiores, etiam privationis Officii, & vocis activæ, & passivæ pœnis compellere.

Clausulas præservativas apponit.

§. 3. Præsentes quoque literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quocumque alio etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contraria removet.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem etiam Personarum, atque Ordinum quorumcumque etiam Cisterciensium, ac tàm Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum etiam JESU, ac cujusvis alterius Instituti etiam necessario, & individuè exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tàm Secularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in Corpore Juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi, & alii Ordinarii, & Superiores prædicti deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantib. decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari mandat.

§. 6. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut præsentes literæ, seu illarum exemplum ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixæ omnes perinde arctent, atque afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis credi jubet.

§. 7. Quòdque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 19. die 15. Mar.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Martii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimo nono.

Die 26. Junii 1642. supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per Dominicum Varesium Sanctiss. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Pro Mag. Cursorum Dominicus Mangilius Cursor.

Pro

CCLXXXI. Pro Capitulo,& Canonicis Majoricensibus, quòd contra ipsos ab Inquisitoribus Majoricensibus procedi non possit,nisi in causis fidei.

Edita A. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. CUm sicut dilecti Filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Majoricensis,Nobis nuper exponi fecerunt Inquisitores Officii InquisitionisMajoricensis jactent se posse contra dictæ Ecclesiæ Canonicos in quavis civili, criminalique causa etiam fidei materiam nullatenus concernente sive ab ea minimè dependente procedere, ac de facto contra unum ex dictis Canonicis ad quædam præcepta, & censuras in causa civili potius quam criminali devenerint, proptereaque ipsi Capitulum,& Canonici determinari cupiant an contra ipsos à præfatis Inquisitoribus ut prætendunt extra causam fidei procedi possit.

§. 2. Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris, & pœnis à jure; vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

§. 3. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum à Sede Apostolica specialiter deputatorum qui negotium hujusmodi vitis citationibus factis, & intimatis quondam Aloysio de la Infantas Agenti Inquisitionis Hispaniarum, sive Majoricensis, necnon repetitis plurium mensium dilationibus illi concessis, ut jura Inquisitionis Hispaniarum, sive Majoricensis deduceret maturè discusserunt.

Mandat prout in Rubrica. §. 4. Nobisque retulerunt ex consilio Inquisitores Majoricenses hujusmodi non posse procedere contra Canonicos dictæ Ecclesiæ, nisi pro causis fidei,vel dependentibus ab eis Apostolica auctoritate tenore præsentium determinamus, & declaramus,sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere,ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executores deputat. §. 4. Quocirca Venerabili Fratri EpiscopoMajoricensi,ac dilectis Filiis Decano, & Thesaurario Ecclesiæ Majoricensis per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit,ac quoties pro parte ipsorum Capituli, & Canonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes,faciant auctoritate nostra præsentes nostras literas debitè executioni demandari, & observari ipsosque Capitulum, & Canonicos contentorum in eisdem nostris literis aliorumque præmissorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere non permittentes eos desuper ab ipsis Inquisitorib⁹ Majoricensib⁹,& quibusvis aliis quavis auctoritate fungentibus quovis prætextu quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoscumque,& præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo,invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus,&Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit Ecclesiæ,& Officii Inquisitionis Majoricensis hujusmodi; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quibuscumque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expresis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris,die ultima Martii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono. Dat.P. A 19 die 31 Mart

CCLXXXII. Quòd Fratres Conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii Januensis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Congregationis Januensis Vicario Generali ejusdem Congregationis remaneant subjecti.

Vide,quæ de his Fratribus indicavi tibi supra adConstitut. 42. Romanus Pontifex, ac ad Const. 68.

Edita A. D 1642.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Supplicatio. EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Ægidius Consonius Mediolanensis Procurator Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini,quod de mense Februarii proximè præteriti à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium præpositis inter Vicarium Generalem, & Fratres dicti Ordinis Congregationis Januensis ex una, & Fratres Conventus Sanctissimi Crucifixi loci Promontorii etiam Januensis, partibus ex altera emanavit Decretum tenoris,qui sequitur videlicet.

Decretum. §. 2. In controversia nuper exorta inter Vicarium Generalem, & Fratres Ordinis S. Augustini Congregationis Januensis ex una,& Fratres Conventus Sanctissimi Crucifixi, loci Promontorii, etiam Januensis,partibus ex altera,super observantia Capitulorum, quæ de anno 1610. à bon. mem. Cardinali Saulio, totius Ordinis Sancti Augustini tunc temporis Protectore, vivæ vocis oraculo desuper habito, confirmata fuerunt, necnon super observantia Concordiæ,quæ de anno 1627. inter Vicarium Generalem dictæ Congregationis,& Fratres ipsius Conventus Sanctiss. Crucifixi pro bono regimine, & gubernio ejusdem Conventus, cum præsentia, & assistentia Patris Generalis totius Ordinis præfati similiter inita fuit, rebusque aliis &c. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita,auditis partibus, & negotio, ad relationem Eminentissimi Cæsarini, semel atque iterum maturè discusso, censuit, præfatum Conventum, & Fratres Sanctissimi Crucifixi, prout cæteri ejusdem Congregationis Conventus, Vicario Generali subjectos remanere, eosdemque in Habitu, disciplina, & observantia Regulari cum aliis Fratribus prædictæ Congregationis, in omnibus,& per omnia se conformari debere,præmissis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.Romæ die 14. Februarii 1642. Fr. Antonius Card. S. Honuphrii Loco ✝ Sigilli.

§. 3. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Ægidius Procurator Generalis hujusmodi Decretum præinsertum quo firmius

subsistat, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri, summoperè desideret; Nos eundem Ægidium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Confirmatio Decreti prout in Rubr. §. 4. Decretum præinsertum, cum omnibus, & singulis in eo contentis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; Decernentes illud, ac præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis, quos illa concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam; quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, ipsis Ordini, & Congregationi, illorumque quibusvis Superioribus, Fratribus, & Personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 19. die 3. Apr. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Aprilis 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

CCLXXXIII. Confirmatio Brevis Gregorii XIII. cum aliis clausulis ad favorem Provinciarum Discalceatorum S. Francisci in Regnis Hispaniarum.

De hujusmodi Fratribus Discalceatis lege, quæ notavi ad Const. 17. Greg. XV. Aliàs fel. & ad Constitut. 240. Injuncti nob.

Edita A. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. ALiàs fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster pro bono regimine, & felici directione Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Regnis Hispaniarum per quasdam suas in simili forma Brevis literas inter alia ordinavit, ut Fratres Discalceati prædicti Jurisdictioni, & correctioni Ministri Generalis Fratrum Minorum ejusdem Ordinis de Observantia nuncupatorum dumtaxat subsint, isque in sua absentia eorumdem Fratrum Discalceatorum gubernium alicui ex iisdem Fratribus Discalceatis committere debeat, & alias prout in dictis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Quòd in absentia Ministri Generalis à solis Discalceatis moderentur. §. 1. Cùm autem sicut accepimus Dilectus Filius Joannes Merinero Modernus Ordinis prædicti Minister Generalis occasione sui è Regnis prædictis in Italiam discessus gubernium Fratrum Discalceatorum d. Ordinis in iisdem Regnis cuidam Fratri ex Observantibus, non autem ex Discalceatis dicti Ordinis commiserit, licet apud eum pro parte eorumdem Discalceatorum institum fuisset, ut alicui ex ipsis Discalceatis eorum regimen demandaret. Hinc est quod Nos perturbationibus, quæ inde nasci possent pro Pastorali nostra sollicitudine obviam ire, dictorumque Fratrum Discalceatorum indemnitati, & prospero regimini in præmissis consulere volentes, Motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictas dicti Gregorii Prædecessoris literas tenore præsentium approbamus, & confirmamus, necnon, ut omnes, & singulæ eorumdem Fratrum Discalceatorum in Regnis Hispaniarum prædictis Provinciæ, durante ejusdem Joannis Ministri Generalis ab iisdem Regnis absentia, ab earumdem Provinciarum Ministris Provincialibus, à quibus ad Definitoria ipsarum Provinciarum appellari possit, regantur, & gubernentur, ille verò ex dictis Fratribus Observantibus, cui dictus Joannes Minister Fratrum Discalceatorum prædictorum gubernium, ut præfertur commisit, nihil planè jurisdictionis, & authoritatis in illos habeat vel exerceat, dictique Fratres Discalceati obedire ei nullatenus teneantur, utque ita, & non aliter in præmissis perpetuò observetur quando, & quoties pro tempore existentem Ministrum Generalem ejusdem Ordinis à Regnis prædictis abesse contigerit, tenore præsentium volumus, statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans. §. 2. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Fratribus Discalceatis plenissimè suffragari, Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Dilecto Filio nunc, & pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis prædictis Nuncio per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Discalceatorum hujusmodi desuper fuerit requisitus, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicans, illisque efficacis defensionis præsidio in præmissis assistens, faciat illa ab omnibus ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque desuper servandis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii Secularis.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus piæ mem. Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque in-

dultis,

dultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, ac singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 19. die 8. Apr. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Aprilis 1642. Pontificatus nostri Anno decimonono.

CCLXXXIV. Confirmatio Constitutionum Pii Papæ V. & Gregorii XIII. prohibentium quasdam Theologorum sententias, & opiniones. Necnon prohibitio Libri, cui titulus Augustinus, Cornelii Jansenii, olim, Iprensis Episcopi.

Circa hanc prohibitionem Jansenii Innocentius X. edidit Constitutionem, qua declarantur, & diffiniuntur quinque Propositiones in materia fidei, quæ incipit. Cùm occasione, quam confirmavit, & declaravit Alex. VII. in sua Constit. Sanctam.

Edita An. D. 1641.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. IN Eminenti Ecclesiæ militantis Sede, meritis licèt imparibus, constituti sedulò meditamur, ut quæ ad fidei Catholicæ conservationem, à Prædecessoribus nostris providè statuta & ordinata sunt, firmiter & perpetuò observentur, & cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur.

Constitutio Pii V. §. 1. Dudùm siquidem à fel. record. Pio Papa V. Prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequentis videlicet. PIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione diffectus, in alios atque alios errores passim & promiscuè deferatur; Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quod plerique spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ viri, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis, prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis, invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes.

Sententiæ suspectæ. §. 2. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita non etiam gratia, debeant nuncupari. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per JEsum Christum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est. Quòd piè, & justè in hac vita mortali, usque in finem, conversati, vitam consequuntur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio, deputandum est; neque in hac retributione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua, lege naturali, constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Pelagii sententia est. Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cælestis meritorium. Opera bona à Filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda Filiorum Dei, sed tantum ex eo, quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia legi. Opera bona justorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorum mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solùm, quod obedit divinæ legi. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut Homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. Opera Cathecumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Opera Justitiæ, & Temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos secundo; Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito suprà conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum reiicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei Filium adoptatus. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet. Pelagianus est error, dicere quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. Non soli fures ii sunt, & latrones,

qui Christum, Viam, & Ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quàm per ipsum in viam Justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent, aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Cathecumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. Omnis amor Creaturæ Rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. Is libertatis modus, qui est à necessitate sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato, Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in Filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum Absolutionis, & in Cathecumenis ante Baptismum est vera justificatio; separata tamen à remissione peccatorum. Operibus plerisque quæ à fidelibus fiunt, solùm, ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum; Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit ut, Sancta societate Deo homo inhæreat. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium; unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate, voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium, & ex habituali voluntate Dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum Authorem, & omnes posteros eo modò inficere possit, quo infecit prima transgressio. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cùm minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cùm majoribus. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. In peccato duo sunt Actus, & Reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi Reatus, sive obligatio ad pœnam; Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè Reatus peccati dumtaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum solùm liberat à Reatu. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solùm Reatus tollitur. Quando per Eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autamant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debiti, liberemur. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, reiicienda est. Sed & illa distinctio duplicis Justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ Divinæ Legis justificatio impleatur, similiter reiicitur. Item & alia distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minimè congruens. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis Liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ità sentit, & docet. Sola violentia repugnat Libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. Homo existens in peccato mortali, sive in Reatu æternæ Damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti. Omnes omninò Justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum, undè, & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Nemo,

præter

Præter Christum,est absque peccato originali;hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictioes in hac vita, sicut, & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis,vel originalis. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur,peccatum est,sicut, & alii habitus pravi. Motus pravi concupiscentiæ,sunt, pro Statu hominis vitiati,prohibiti præcepto,Non concupisces; Undè homo eos sentiens, & non consentiens,transgreditur præceptum,Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non reputetur. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Satisfactiones laboriosæ justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.

Damnat prædictas sententias.

§. 3. Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent,in rigore,& proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè,ac quæcumque super iis verbo,scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus,à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.

Executorem deputat.

§. 4. Cæterùm, ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulque animarum saluti pleniùs consulatur, Dilecto Filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvellano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum; & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendum, facto opus sit, in primis diligenter expendat; deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate,etiam per alium, seu alios; fide, doctrina, & religione præstantes, ocyus exequatur,faciatque quicquid decreverit,inviolate ab omnib⁹ observari.

Contravenientium pœnæ.

§. 5. Contradictores quoslibet per censuras,& pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo; Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis: non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam,& expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; Et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet,vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti,decreti,& mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus,se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo,Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Gregor. XII. confirmavit prædictam Pii Constit.

§. 6. Deindeque piæ mem. Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster, intellecto per eum,non sine animi sui dolore, non defuisse, tunc temporis aliquos Theologos tùm Studiosos, tum Professores, qui articulos in prædicta Constitutione damnatos asserere, & pertinaciter defendere pergerent, pro Officii sui munere eorumdem temeritatem, atque audaciam ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minimè contemnendam, & dissimulandam censuit, sed ad coercenda hujusmodi ingenia,per aliam suam Constitutionem sub datum quarto Kalendas Februarii Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Pontificatus sui Anno octavo, editam, Pii Prædecessoris Constitutionem prædictam sua quoque auctoritate confirmavit, Articulosque ibidem comprehensos iterato damnavit,& ne quis,hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac sententiam ignorare posset, suam hujusmodi confirmationis Constitutionem, altera Pii V. comprehensa,publicavit,& promulgavit.

Paulus V.

§. 7. Postea recol. mem. Paulus Papa V. similiter Prædecessor noster,ad tollenda scandala,& dissensiones, quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ,& Universalis Inquisitionis, sub die 1. Decembris Anni Domini 1611. coram ipso habita, decrevit, ut scriberetur Nuntiis Apostolicis,quòd notificarent, & ordinarent Superioribus Religionum, & Universitatibus Studiorum, & Ordinariis eorum Nuntiaturæ, ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis,etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo, & qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, priùs mitterent Tractatus, & Compositiones ad dictam Sanctam Universalem Inquisitionem; & in executionem mentis dicti Pauli Prædecessoris, ejusdem Decreti tenor omnibus prædictis per Nuntios respectivè fuit legitimè intimatus; Successivèque ne contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, & dissensiones omninò cessarent; Nos in alia Generali Congregatione dictæ Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis,Feriâ quintâ die 22. Maij, Anno Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli Prædecessoris Decretum confirmavimus, & innovavimus, ac omnibus & singulis, cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus personis cujuscumque status,conditionis,gradus, ordinis, & dignitatis tàm Ecclesiasticæ, quàm Secularis, ne imposterum auderent imprimere, vel quoquomodo in lucem edere libros,Tractatus, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi Divum Thomam, vel quemlibet alium Doctorem,aut alia quavis occasione, prætextu, vel modo; de materia Auxiliorum Divinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia à Nobis, in Congregatione Sancti Officii prædicta, obtinenda,donec aliud in hac materia à Sede Apostolica foret ordinatum, districtè præcepimus, & mandavimus, & ut hujusmodi nostrum Decretum

inviola-

inviolabiliter observetur, voluimus, & declaravimus, contravenientes pœnas privationis Dignitatum, & Officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipso facto, absque alia declaratione, incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis nostro, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, subjacere, librosque, quos ex tunc deinceps, contra dicti nostri Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione, tamquam expresse prohibitos haberi, & Impressores, præter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis juxtà criminis gravitatem teneri.

§. 7. Novissimè tandem accepto per Nos in Oppido (Civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam assertos Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis Executores ex Testamento in lucem edi curasse librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis nulla penitùs petita, vel obtenta à dicta Congregatione licentia illum imprimendi, ejusque operis occasione Patres Societatis Jesu, nonnullas in Civitate Antverpiensi de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia ejusdem Congregationis, imprimi curasse; opinionesque Jansenii in prædicto libro contentas oppugnasse, rursusque nonnullas alias, Orationes, Scripturas, Epistolas, Thesesque in calce infrascripti Decreti nostri tunc registratas, tàm pro dicti libri Jansenii, quàm Thesium à Patribus Jesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solùm contra prædictorum Decretorum prohibitionem, sed etiam in grave scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ.

Prohibetur Jansenius.

§. 8. Nos ut malis hujusmodi imminentibus quantò citiùs occurreretur, & ne imposterum ullus auderet dictis Decretis contraire, per aliud Decretum in alia plena, & Generali Congregatione ejusdem Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis coram Nobis die prima Augusti proximè præteriti habita, inhærendo prioribus Decretis à Paulo Prædecessore, & à Nobis, ut supra editis, pro tunc dictum librum Jansenii, cui titulus: Augustinus, Lovanii impressum, necnon Theses à Patribus Societatis Jesu Antverpiæ in lucem editas, aliasque scripturas in calce posterioris nostri Decreti hujusmodi registratas, jam vigore anteriorum supradictorum Decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omninò haberi volumus: Mandavimusque sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, ne quis cujuscumque status, gradus, conditionis, & qualitatis, etiam speciali, & specialissima nota dignus, librum, & Theses prædictas, aliasque Scripturas, ut supra, absque dictæ Sedis licentia in dicta Congregatione Sancti Officii obtinenda, retinere, & legere posset. Mandavimus insuper omnibus & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, & Universitatibus, sub prædictis, ut supra, excommunicationis ipso facto incurrendæ, Interdicti Ecclesiastici respectivè, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in posterum auderent imprimere, nec quoquomodo in lucem edere Libros, Tractatus, Compositiones, ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi Divum Thomam, seu in Philosophicis, agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Jansenii, cui titulus Augustinus, vel Theses Patrum Societatis Jesu, aliasque Scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratas, & prohibitas, aut alia quavis occasione, vel modo de materia Auxiliorum divinorum, seu de Gratia, & libero arbitrio tractantes, sine expressa licentia à Nobis in dicta Congregatione Sancti Officii obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica prædicta foret ordinatum.

§. 9. Absolutionem verò à prædicta excommunicatione, necnon interdicti suspensionem, & relaxationem, Nobis, & dictæ Congregationi reservavimus; Non obstantibus quibuscumque privilegiis, etiam Sanctæ Cruciatæ, Jubilæi (etiam generalis) & facultatibus Missionariorum, ac aliis à dicta Sede emanatis, seu emanandis, quibus omnibus in hac parte derogavimus: Voluimusque ea omnia suum plenarium sortiri effectum, omnesque contrafacientes, ut supra, ligare, nec quemquam excusari posse, etiam sub prætextu, quod anteriora Decreta Pauli Prædecessoris, & nostra, alias, ut præfertur edita, non forent in Provinciis intimata, vel usu recepta. Irritum quoque & inane decrevimus, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia posset ab aliquo prætendi, voluimus ut posterius nostrum Decretum hujusmodi, seu illius exemplum, ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ita arctaret, & afficeret, ac si unicuique personaliter intimatum foret.

Nota Librorum prohibitorum.

§. 10. Nota verò Librorum, & Scripturarum prohibitarum, in calce posterioris Decreti Nostri hujusmodi registratarum, hæc est. Liber cui titulus, Augustinus, impressus Lovanii Typis Jacobi Zegeri Anno 1640. & Parisiis 1641. Theses Theologicæ de Gratia, libero arbitrio, & prædestinatione, Antverpiæ apud Joannem Meursium Anno 1641. Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi &c. Laudatio Funeralis dicta à Rev. Fratre Joanne à Lapide &c. Lovanii, Typis Bernardini Marii &c. Epistola idiomate Hispano, All' Eminentissimo y Reverendissimo Sennor Cardinal de la Cueva de la Congregacion de la Sacra Inquisicion, por el Padre Pedro Bivero de la Compannia de Jesus Predicador del Sennor Cardenal Infante; Data in Bruxellas 26. Henero 1641. Memoriale idiomate Hispano Cardinali Infanti Hispan. incipiendo Serenissimo Sennor, & finiendo, Como es V. Cathol. Real. A. Libellus, cui titulus, Humilis, & supplex querimonia Jacobi Zegers Typograph. Lovan. adversus Libellum R. P. S. I. Regiæ Cappellæ Bruxell. Concionatoris, & Theses PP. Societatis, Lovanii apud Jacobum Zegers Anno 1641. primæ, secundæ, & tertiæ editionis. Memoriale ad Eminentissimum Cardinalem de la Cueva, circa Querimoniam frivolam Jansenianam &c. contra Theses Theologicas, & Libellum supplicem &c. ejusdem de eodem tela ingesta, & regesta. Theses Theologicæ, Apologeticæ, & Miscellaneæ adversùs doctrinam Cornelii &c. sub prætextu querimoniæ Typographi Lovaniensis, editionis secundæ &c. Antverpiæ apud Joannem Meursium Anno 1641. Libellus, cui titulus, Augustini Hipponensis, & Augustini Iprensis, de Deo omnes salvare volente &c. Homologia &c. Lovanii apud Jacobum Zegers Anno 1641. Epistola Liberti Fromundi, & Henrici Caleni Lovanii 16. Junii 1641. R.P. Societ. Jesu Lovan. incipiend. Theses vestras. Epistola Professorum S. Thom. Colleg. Societ. Jesu Lovan. Liberto Fromundo, & Henrico Caleno, incipiend. Gratias agimus &c. Epistola, cui titulus, Petrus Biverus Doctoribus Jansenianis &c. Ad rem, &c. incipiens Ad rem, Amici &c. Somnium Hipponense, sive de Controversiis &c. Relatore Phyletimo S. T. Baccal. Formato, Parisiis Anno 1641. Insuper omnes alii libri, Opuscula, Epistolæ, Orationes, Theses &c. aliaque omnia tàm edita hucusque: quàm imprimenda tàm contra quàm pro Cornelio Jansenio, ac Patribus Jesuitis.

§. 11.

§. 11. Cùm autem ex diligenti, & matura eiusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione, postmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi; Nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes: Constitutionis Gregorii, ac Pauli Prædecessorum prædictorum nostrorum, necnon Decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ac datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura Constitutione ejusdem Pii, & Gregorii Prædecessorum, hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, Articulos, Opiniones, & Sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut à Nobis compertum est, continentem, & renovantem, aliaque omnia opera præsentibus nostris litteris subinserta, quæ aliis sub posteriori Decreto nostro prædicto registratis, per præsenses addimus, atque adjungimus, eadem auctoritate, per præsentes omninò prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus. Jubentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prædicta Constitutione Pii Prædecessoris contentis, (à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absolvere contrafacientes possit) ne quis cujuscumque conditionis, & qualitatis sit, etiam speciali, & specialissima nota, & expressione dignus, de prædictis, ut suprà, damnatis, & in prædicto libro contentis, aliisque (ut infrà) subinsertis Articulis, Opinionibus, Sententiis, Libellis, Orationibus, Scripturis, Epistolis, Thesibus, quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, Librumque & alia prædicta penès se retinere, vel legere præsumat; Remanente nihilominus in reliquis in suo robore posteriori Decreto à Nobis in Sacra Supremæ, & Universalis Inquisitionis Congregatione, ut præfertur, edito; Decernentesque sic, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Interpretes, Doctores, Academias, Universitates, & Studia generalia, aliasque Personas, Judices ordinarios, delegatos, mixtos, etiam Nuncios nostros, & Sedis prædictæ, sublata eis, & eorum cuilibet, qualibet aliter judicandi, & interpretandi, ac glossandi, & decidendi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; Irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus, omnibus, quæ in dicto nostro posteriori Decreto voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Alia Opera prohibita.

§. 12. Opera verò addita aliis, in calce posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratis, & prohibitis, sunt, sequentia, videlicet, Liberti Fromundi Sac. Theologiæ Doctoris &c. Brevis Anatomia hominis, Lovanii apud Jacobum Zegers &c. Anno 1641. Conventus Africanus, sive disceptatio Judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico, A. Rouen, Ches Nicolas de Montaigne Anno 1641. Memorial Au Roy incipiens, Jean Jansenius Chanoine, &c. & finiens, contra illa duo Decreta Summorum Pontificum &c. Item Attestatio Notarialis &c. incipiens. Ego infrascriptus, & finiens, Petrus Mintaert Notarius. Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus tàm Ordinum Monachalium, quàm Mendicantium, necnon Archiepiscopi Philippensis, aliorumve Theologorum Clericorum Sæcularium, Doctrinæ Cornelii Jansenii in dicto libro Augustinus, contentæ, incipiens: Quid censendum sit de doctrina in opere Reverendiss. D. Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis fel. mem. nuncup. Augustinus, contenta, patebit ex subsequentibus attestationibus Doctissimorum virorum in Belgio, & alibi existentium &c. & finiens: Et me publico, & Apostolico, ac dictæ Universitatis Notario, & Scriba jurato. Quod attestor, Petrus Mintart Notarius. Ut autem præsentes nostræ literæ, omniaque & singula in eisdem litteris, ut suprà, contenta ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus easdem præsentes nostras litteras, seù earum transumptum, etiam impressum (cui manu Notarii publici subscripto, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito, plenam ubique locorum & tàm in judicio, quàm extra illud fidem adhiberi decernimus) in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ Valvis, atque in acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus Palatii Apostolici publicari, & affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixæ dimissionem hujusmodi in omnibus, & quoad omnia sufficere, & pro solemni, & legitima haberi, nec aliam publicationem in Regnis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis requiri, aut expectari debere, omnesque & singulos perinde arctare, & afficere, ac si unicuique nominatim, ac personaliter intimatæ, atque præsentatæ fuissent.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, additionis, adjunctionis, prohibitionis, jussionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. P. A. 19. die 6. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Pridie Nonas Martii, Pontificatus Nostri Anno decimonono.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, die verò decima nona Junii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Divinâ Providentiâ Urbani Papæ Octavi Anno ejus vigesimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Joannem Baptistam Riccium ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, ac Sanctæ Inquisitionis Cursorem.

CCLXXXV.

De non recipiendis pecuniis pro Missis celebrandis in Provincia Reformata Fratrum Minorum de Observantia Vallis Mazaræ in Sicilia.

De istorum Reformatorum materia plenè notatum est ad Constit. 12. Romanus Pontifex, ac ad Constit. 16. Aliàs à fel.

URBANUS PAPA VIII.

Edita An. D. 1642.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Motiva.

Cùm sicut accepimus in Provincia Reformata Vallis de Mazzara nuncupatæ Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia semper servatum fuerit, ut nullæ pro celebrandis Missis pecuniæ recipiantur, sed Missæ gratis pro benefactoribus juxtà intentionem Superioris applicentur, nonnulli verò laudabilem

usum, & observantiam hujusmodi immutare, & invertere nitantur.

Prohibitio prout in Rubr. §. 2. Nos omnem turpis quæstus materiam ab illis, qui perfectam paupertatem profitentur, in re præsertim adeò sacra è medio tollere, pro Pastorali nostra sollicitudine volentes, ne de cætero perpetuis futuris temporibus in Provincia prædicta, ullæ omnino pecuniæ pro Missis celebrandis exigantur, ac etiam spontè oblatæ recipiantur, sed Missæ gratis, ut consuevit, celebrentur, sub vocis activæ, & passivæ, ac quoad Superiores etiam suorum officiorum privationis pœna eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate Apostolica præsentium tenore interdicimus, & prohibemus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 5 Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 19. die 28. Maii. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 28. Maii 1642. Pontificatus nostri Anno decimonono.

CCLXXXVI. Quòd Commissarii Provinciales Indiarum, ad Capitula Generalia Ordinis Fratrum Minorum convenientes, suis Custodibus in labore & præmio æquales habeantur.

De hujusmodi Fratribus Indianis, vide ad Constitut. 253. Circumspecta. ubi indicata ad materiam legere poteris.

Edita A. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Causæ hujus Const. Aliàs postquam in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Alma Urbe nostra, de anno 1639. celebrato, inter alia statutum fuit, restituendum esse Ministris Provincialibus Indiarum dicti Ordinis antiquum jus, quod habebant, mittendi Commissarios ad Capitulum Generale, in eo suffragium suo nomine laturos, habito subindè ea propter ad nos desuper recursu, per quasdam nostras in simili forma Brevis literas de eodem anno emanatas, Ministris Provincialibus Provinciarum earumdem tunc, & pro tempore existentibus, quòd ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere possent Commissarios dicti Ordinis Professores, qui suo nomine suffragium ferrent, Apostolica auctoritate indulsimus, ea tamen lege, ut tàm Commissarii, qui mitterentur, quàm etiam Custodes forent earumdem Provinciarum respectivè Filii, vel in eis per sexennium completum antea incorporati.

Mandat prout in Rubrica. §. 2. Cùm autem æquum, & rationi consentaneum esse censeamus, ut quemadmodum præfati Commissarii Provinciarum Indiarum hujusmodi æquales suis Custodibus labores, cum tot, & tantis navigationum, ac viarum periculis subeunt, ita eisdem Commissariis præmium, & remuneratio paria sint. Idcircò Nos Commissariorum hujusmodi decori, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine: Quòd Commissarii Provinciarum Indiarum hujusmodi, qui ad Capitulum Generale dicti Ordinis de eodem anno 1639. celebratum, ut præfertur, venerunt, & in eo suffragium tulerunt, necnon illi Commissarii earumdem Provinciarum, qui deinceps perpetuis futuris temporibus ad futura dicti Ordinis pro tempore Capitula Generalia mittentur, postquam ad suas reversi fuerint Provincias, Definitorum præteritorum honore, & præcedentia gaudeant immediatè post suos Custodes, tenore præsentium statuimus, concedimus & ordinamus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in jus, vel controversiam revocari posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter & inconcussè observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, Fratribus, & Personis, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transumptis credi mandat. §. 9. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 19. die 12. Jul. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Julii 1642. Pontificatus Nostri Anno decimonono.

CCLXXXVII. Prohibitio extrahendi libros è Bibliothecis Conventuum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Discalceat. nuncupat. Congregationis Hispaniæ.

Vide quæ de his Fratribus indicavi tibi suprà ad Constit. 194. Inter cæteras, & ad Const. 203. Aliàs fel.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CONservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ quantum cum Domino possumus consulere, ipsiusque Congregationis Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Prohibet prout in Rubrica.

§. 2. Ne de cætero quivis ejusdem Congregationis Religiosus quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia impressa, sive manuscripta Bibliothecis Domorum Regularium hujusmodi hactenus quomodolibet donata, comparata, sive assignata, seu in posterum donanda, comparanda, vel assignanda è dictis Bibliothecis, ut Secularibus, vel Regularibus aliarum Religionum mutuo dentur, extrahere, vel illa sic extracta quoquomodo personis præfatis commodare, vel mutuare, donare, vel dare sub quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio, audeat, seu præsumat sub excommunicationis majoris pœna, etiam à quovis Seculari, vel alterius Religionis, seu Congregationis Regulari, qui prædicta libros, quinterna, folia impressa, vel manuscripta ex eisdem Bibliothecis, vel illarum aliqua extraxerit, utenda acceperit, vel sibi retinuerit, eo ipso absque alia declaratione incurrenda, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 4. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis Copia in valvis singularum dictæ Congregationis Bibliothecarum, vel illarum aliquo alio perspicuo loco ubi ab omnibus commodè cerni, legique possit, continuò affixa remaneat, quòdque præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 19. die 25. Martii.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 25. Martii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

CCLXXXVIII.

Confirmatio Decreti Clementis Papæ VIII. prohibentis fieri Uniones Beneficiorum dispositioni Sedis Apostolicæ reservatorum, vel affectorum, cum declaratione, quòd Decretum hujusmodi comprehendit etiam S. R. E. Cardinales, & alios indulta conferendi reservata habentes, quòdque illi non potuerunt, nec possunt conferre Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta.

Beneficiorum omnes Uniones effectum non sortitæ, sunt revocatæ hujus Pontificis Constit. 77. Sanctissimus. Beneficiorum, seu Ecclesiarum Unionem petentes debent exprimere verum valorem annuum etiam Beneficii, cui aliud unitur, alioquio Unio non valet, Greg. XV. Const. 11. §. 2.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QUamvis fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster accepto, quòd aliqui Ordinarii Beneficia Ecclesiastica in suis mensibus vacantia, & aliàs dispositioni Apostolicæ non reservata personis sibi benevisis conferebant, illa verò quæ reservata erant Seminariis puerorum sæpe uniebant, ad evitandum hoc Sedis Apostolicæ præjudicium per ejus Decretum prohibuerit, ne Uniones Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositioni Sedis Apostolicæ tempore, quo uniuntur reservatorum, vel affectorum fieri possent etiam vigore Decretorum Sac. Concilii Tridentini in favorem Seminariorum Puerorum ad præscriptum ejusdem Concilii erectorum, sive erigendorum, nihilominus postea prætextu Indultorum Apostolicorum conferendi beneficia reservata, vel affecta per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per nos aliquibus personis, præsertim S. R. E. Cardinalibus concessorum, executio prædicti Decreti Clementis Prædecessoris de facto impedita fuit, & impeditur, quoniam Cardinales indulta conferendi, & disponendi de reservatis, vel affectis habentes asserunt, se non esse in prædicto decreto comprehensos tamquam in eo expresse non nominatos; & ulterius tàm ipsi Cardinales, quàm alii, qui ex prædictis Indultis Apostolicis habent facultatem conferendi reservata, seu affecta, ac de eis disponendi, nedum prætendunt Indulta hujusmodi continere facultatem disponendi de eisdem Beneficiis etiam per modum Unionis & extinctionis in præjudicium perpetuum Sedis Apostolicæ, quæ illorum provisione perpetuò privata remaneret, sed etiam ex ipsis Indultis esse sublatam, & extinctam reservationem, & affectionem quamcumque, ideò etiam auctoritate ordinaria potuisse, & posse per eos fieri eorumdem Beneficiorum uti non reservatorum nec affectorem Unionem, Decretaque Concilii eis concedere facultatem uniendi etiam reservata eisdem Seminariis; Quinimo etiamsi in Pontificatu rec. mem. Pauli V. etiam Prædecessoris nostri hactenus ex voto duorum Rotæ Auditorum fuerit in Dataria observatum, & observetur Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta non comprehendi in prædictis Indultis, tamen etiam prætendunt hanc reservationis duplicitatem non impedire eorum provisionem vigore prædictorum Indultorum faciendam, eisdemque Beneficiorum Unionibus non obstare, & propterea diversimodè etiam executio literarum Apostolicarum provisionis eorumdem Beneficiorum indebitis prætensionibus hujusmodi impedita fuit, & impeditur de facto in diversis Tribunalibus, & Congregationibus, præsertim Rotæ, & Congregationis Concilii Tridentini, in quibus reperiuntur factæ resolutiones etiam inter se discordantes.

Causæ hujus Constit.

Decretum Clem. VIII. prohibentis fieri Uniones confirmat & observari mandat.

§. 1. Volentes igitur prædicta impedimenta tollere, & nostro oraculo prætensas dubitationes dilucidare; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Constitutione prædictum Decretum Clementis Prædecessoris prædicti super executione, seu interpretatione ejusdem Concilii emanatum confirmamus inviolabiliterque de cætero observari mandamus per quoscumque Patriarchas Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos, ac S. R. E. Cardinales, declaramusque prædictum Decretum etiam eosdem Cardinales comprehendisse, & comprehendere, prædictosque Cardinales, & quoscumque alios prædicta Indulta Apostolica conferendi prædicta Beneficia reservata, seu affecta, & de eisdem disponendi habentes, non potuisse hactenus post prædictum Decretum Clementis Prædecessoris,

nec in posterum posse in vim illorum, nec vigore ejusdem Concilii, aut aliàs etiam auctoritate eorum ordinaria, prætextu quòd ex prædictis Indultis extinctæ, & sublatæ sint reservationes, & affectiones eadem Beneficia quomodolibet tempore unionis reservata, vel affecta unire etiam Seminariis prædictis Puerorum, nec de eis per viam cujuscumque unionis, suppressionis, vel applicationis disponere, nec etiam in vim prædictorum Indultorum reservata,& affecta conferendi, ac de eis disponendi potuisse, nec posse conferre Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta.

Clausula præservativa, & sublata.

§. 2. Præsentes quoque literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, nostræque intentionis defectu etiam ex eo quòd Seminaria, & quicumque, cujuscumque status, conditionis, gradus, qualitatis, ac dignitatis etiam Ecclesiasticæ desuper interesse habentes, vel habere prætendentes ad hæc vocati non fuerint, vel præmissis non consenserint notari, impugnari, redargui, aut in jus, vel controversiam revocari non posse, sicque & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Sacri Palatii Apostolici Causarum Auditores, ac S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, & quoscumque alios speciali expressione indigentes judicari, & definiri, & declarari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus præmissis omnibus & singulis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,etiam in Conciliis Generalibus editis,Regulis Cancellariæ, & quatenus opus foret etiam illa de non tollendo jure quæsito, cæterisque contrariis quibuscumque. Quorum omnium, & singulorum tenores earumdemque litium, & causarum etiam hactenus pendentium statum, & merita, ipsorumque Beneficiorum nuncupationes, situationes, & qualitates, partiumque collitigantium, necnon Judicum nomina, & cognomina, Tribunaliumque, & Congregationum præeminentias, & facultates, cæteraque hic forsan exprimenda,& inferenda pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus.

Dat. P. A. 19. die 15. Jul.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi, 1642. Indict. 10. Pontificatus verò Sanctiss. D. N. Papæ Urbani Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus 20. die verò 12. mensis Augusti supradictæ litteræ Apost. affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicæ Principis Apost. de Urbe, ac Cancellariæ Apost. in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jo. Antonium Bertarellum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Joseph Masseus pro D. Mag. Curs.

CCLXXXIX.

Constitutio circa utensilia Sacristiæ Pontificiæ post obitum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium debita.

Clemens VII. prius constituerat, quod omnia ornamenta, quibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Capella Pontificia uterentur, post eorum obitum dictæ Capellæ consignari debeant. Cujus Constitutionis hic fit mentio.

Edita An. D. 1642.

URBANUS PAPA. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ÆQuum est, ut Nos qui omnium Christi fidelium commodis pro paterna nostra charitate jugiter invigilamus, Sacristiæ nostræ Pontificiæ, ac Cameræ Apost. jura non negligamus.

Causæ hujus Constit.

§. 1. Quamvis enim etiam juxta Constitutionem fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri desuper editam observatum fuerit, quòd omnia & singula Mitræ, Pluvialia, Planetæ, & alia Altaris ornamenta, & vestimenta, ac vasa aurea, & argentea, præsertim sacra, & benedicta, cujuscumque qualitatis,& pretii fuerint, quibus S.R.E. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Capella Pontificia in Missarum tàm per Romanos Pontifices, quàm in eorum præsentia, etiam per dd. Cardinales celebratione, ac in Processionibus, & aliis Cæremoniis Pontificialibus usi fuerunt, post illorum obitum fuerint, & sint applicata, & realiter consignari debeant d. Capellæ, & illius Sacristiæ, præfataque applicatio, & consignatio impediri non debeat prætextu quarumcumque facultatum testandi etiam sub quacumque forma, & verborum tenore pro tempore concessorum, & aliàs, prout in eadem Clementis Prædecessoris Constitutione uberiùs continetur. Nihilominus quia tàm Romani Pontifices Prædecessores nostri concesserunt, quàm etiam Nos eorum exempla secuti concessimus S. R. E. Cardinalibus facultatem disponendi de ornamentis, & vestimentis, ac vasis, & aliis rebus prædictis, illaque relinquendi Ecclesiis, seu Capellis, vel locis piis, aut personis, præsertim Ecclesiasticis, sibi benevisis in grave Sacristiæ præfatæ præjudicium, ac etiam Cameræ Apostolicæ detrimentum, cui de suo, & eidem Sacristiæ de ornamentis, cæterisque rebus hujusmodi ea propter provideri oportet.

Innovat, & ampliat Constitutionem Clem. VII. circa utensilia Sacristiæ Pontificiæ post obitum S. R. E. Card. debita.

§. 2. Hinc est, quòd Nos earumdem Sacristiæ, & Cameræ indemnitati in præmissis consulere volentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ipsam Constitutionem Clementis Prædecessoris hujusmodi innovantes, & ampliantes, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus præfata omnia, & singula, Mitræ, Pluvialia, Tunicellæ, aliaque ornamenta, & vestimenta, ac Calices, Patenæ, vasa etiam aurea, & argentea, aliæque res,& utensilia quomodolibet nuncupata, præsertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales, nunc & pro tempore existentes, etiam præfatam,aut quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem Apostolicam de illis disponendi, ac ad hæredes etiam ab intestato transmittendi, ut præmittitur, habentes non solum in Capella Pontificia, seu Processionibus, Cæremoniis, & aliis functionibus Pontificiis præfatis, sed etiam in eorum Capellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, vel quæ detulerint, ad Sacristiam præfatam ipso jure spectent, & pertineant, & ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium, excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, & una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviali pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis Candelabris, ac Malluviis, & Gutturniis, Bacili, & Bocali vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetuò valitura Constitutione nostra statuimus,& ordinamus, & quascumque facultates præfatas testandi, ac ab intestato transmittendi, & disponendi de vestimentis, ornamentis, vasis, & aliis rebus, ac utensilibus præfatis etiam in favorem quarumvis Ecclesiarum, seu Capellarum, & Locorum piorum, ac Personarum etiam speciali nota, & individua expressione dignarum, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac aliàs quomodolibet per præfatos Prædecessores nostros, ac Nos ipsos Cardinalibus præfatis quibuscumque concessas, quæ hactenus effectum sortitæ non fuerunt ad præsentis nostræ Constitutionis tenorem reducimus, & quatenus fuerit opus in iis, quæ præsentibus adversantur revocamus, abolemus, cassamus, annullamus, & irritamus, ac reductas revocatas, abolitas, cassas, annullatas, &

irritas fore, & esse, & in posterum per quamcumque derogationem per Nos vel Successores nostros faciendam non censeri præsenti nostræ Constitutioni in aliquo detractum, nec dictæ Sacristiæ præjudicatum, nisi specialiter, & expresse huic Constitutioni referendo ejus Datam, ac aliàs sufficienter derogatum fuerit.

Clausulas præservativas apponit.

§. 3. Præsentes quoque literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod Cardinales, & alii præfata, ac quicumque desuper interesse habentes, seu habere prætendentes, illis non consenserint, & ad ea vocati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarunt deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam substantiali, aut ex quovis alio capite, etiam in Corpore Juris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata notari, impugnari, invalidari, & retractari posse, sed ipsas præsentes literas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Sacristiæ præfatæ plenissime suffragari.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon dictæ Cameræ Præsidentes, Clericos, & alios Officiales nunc, & pro tempore existentes in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi: seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausula derogatoria.

§. 3. Non obstantibus quibusvis testandi, ac ad Hæredes ab intestato transmittendi, ac aliàs quomodolibet de bonis, & rebus præfatis disponendi per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos ipsos Cardinalibus prædictis etiam motu, scientia deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter concessis facultatibus, ac fel. rec. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernetibus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas numquam in ejusdem Cameræ libris registrari necesse sit, & quibuslibet aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac Decretis etiam Consistorialibus, & quatenus opus sit de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis quibuscumque etiam in favorem præfatorum Cardinalium etiam per Nos editis, necnon Collegii Cardinalium prædictorum, & quarumvis Ecclesiarum, & locorum piorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam antiquissimis privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis Collegio prædicto, Ecclesiis, & Locis piis quibuslibet, & quibuscumque Personis, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis etiam Ecclesiasticæ, etiam individua expressione dignis, aut aliàs quomodolibet qualificatis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Julii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

Dat. P. A. 19. die 19. Jul.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, Indictione decima, Pontificatus verò Sanctiss. D. N. Papæ Urbani Divina Providentia Papæ Octavi, Anno ejus decimo nono, die verò 24. mensis Julii supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Antonium Bertarellum ejusdem S. D. N. Papæ Curs.

Joseph Masseus pro D. Mag. Curs.

CCXC.

Prohibitio ne Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Fratrum Minorum strictioris Observantiæ S. Francisci, præcedant Clericos Professos sub pœna excommunicationis.

De hujusmodi materia præcedendi, vide notata ad Const. 185. Inter gravissimas, & ad Const. 293. Aliàs.

URBANUS PAPA VIII.

Edita An. D. 1642.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Motiva.

Cum sicut dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupat. Nobis nuper exponi fecit, Ex quo Fratres Laici, seu Conversi ejusdem Ordinis indebitè prætenderint semper, & prætendant se in omnibus & singulis functionibus tàm publicis, quàm privatis Fratres Clericos d. Ordinis præcedere debere, gravissimæ perturbationes, lites, & contentiones, aliaque incommoda orta fuerint, & in dies oriantur non sine maximo Personarum Secularium scandalo, & offensione; & propterea idem Procurator Generalis per Nos in præmissis opportunè provideri desideret.

Prohibet prout in Rubrica.

§. 2. Hinc est, quòd Nos eorumdem Fratrum, quos Deo in humilitatis spiritu juxta suam vocationem servire convenit, tranquillitati consulere, & ne ob præmissa mutuus inter eos charitatis ardor intepescat providere pro Pastorali cura nostra volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia nostris ne de cæteræ ulli d. Ordinis Fratres Laici, seu Conversi quovis sub prætextu, quæsito colore, vel ingenio etiam ratione antiquioris suæ ad habitum regularem d. Ordinis receptionis, aut in eo emissæ Professionis, seu cujusvis consuetudinis Fratres Clericos ejusdem Ordinis in quibusvis functionibus tàm publicis, quàm privatis præcedere; & ne quicumque Superiores ejusdem Ordinis id deinceps quoquomodo permittere audeant, vel præsumant sub excommunicationis pœna ipso facto per contrafacientes incurrenda Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, ordinamus, & prohibemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari debere, ac

irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 20. die 17. Nov.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Novemb. 1642. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

Pro Observatione Festorum.

CCXCI.

Festa observari jussit, eorumque diebus mercatus, profanasque negotiationes fieri prohibuit Pius V Constit. 5. Cum primum. tom. 2.

Edita An. D. 1642.

URBANUS EPISCOPUS,
Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

UNiversa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremæ incumbere sollicitudini Dominicum gregem ad æternam dirigere salutem, & Apostolica sic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.

Causæ hujus const.

§. 1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias Regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit Festorum multitudinem per singulas eorum Diœceses, atque Provincias adeo crevisse devotione atque consuetudine nova indies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quæ nam ex præcepto, quæve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente; Quinimo & clamor pauperum frequens ascendit ad Nos eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valdè damnosam conquerentium, & quòd summoperè dolendum est magno cum animi nostri mœrore didicimus tanta sæpè sæpius malignatum inimicum in Sancto, ut ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum Populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, ita ut quæ ad glorificandum Divinum Nomen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam converterit animarum. Quamobrem d. Ven. Fratres Archiepiscopi, & Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari; ut in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

Eos tantùm dies pro Festis ex præcepto colendos esse statuit Pontifex, qui hic recensentur.

§. 2. Nos itaque volentes ex debito Pastoralis Officii providere, & Sanctificationis Festorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque viros, quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione nostris; necnon de prædictæ Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro Festis ex præcepto colendos esse, quos nempe, vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur, Dominicos scilicet dies totius Anni, Nativitatis D. N. JESU Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis S. Crucis, necnon Festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Judæ, & S. Matthiæ Christi Domini Apostolorum. Item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S Laurentii Martyris, S. Silvestri Papæ, & Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris, & S. Annæ Deiparæ respectivè Sponsi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioribus in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.

Ad reliquorum vero observantiam Christi fideles non teneri.

§. 3. Ad reliquorum verò dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut loco quomodocumque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies festos à locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum Festorum studeaet abstinere. Ut verò ea quæ superius expressa sunt, ferventiori qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis; Quæ quidem licentiæ non aliter quàm ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur concedendæ, nonnisi gratis, liberè, & sine ullo prorsus pretio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur, sub pœnis etiam gravioribus nostro, Successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa Judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, & terminis, in quibus erant ante ejusdem promulgationem.

Mandat præsentes publicari, &

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctæ obe-

dientiæ,

ad unguem observari.

dientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, nunc, & pro tempore existenti nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, ac universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis, ac cujuscumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has præsentes literas, omniaque & singula in eis contenta singuli videlicet in eorum respectivè Diœcesibus publicent, & ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam Provincialibus, Synodalibus, & Universalibus Conciliis editis, & edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, longissimo tempore præscriptis, ac observatis, etiam immemorabilibus privilegiis quoque indultis, Decretis, Declarationibus, & Literis Apostolicis, aliisque Gratiis, tàm per ipsos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos etiam motu simili etiam Consistorialiter, quàm per Ordinarios locorum cujuscumque qualitatis etiam Cardinalatus honore, ut præfertur fulgentes, Legatos etiam de Latere, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ipsis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & Locis, aliisque quibuscumque etiam quantumvis privilegiatis personis etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 6. Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis etiam impressis, & manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, Intentionis, Mandati, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. A. 20. Idib. Sept.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1642. Idibus Septembris Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

Die 22. Decembris 1642. Supradictæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Garziam Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Raymundus Brambilla Mag. Curs.

Quod Electiones Prominiſtrorum, Custodum, & Guardianorum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum Cismontanæ Familiæ, extra Capitulum fiant per suffragia secreta, & ballottationes.

Quia in sequenti Constit. nulla fit mentio de Commissario ad Comitia generalia mittendo, Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium die 27 Januarii 1645. edidit Decretum ipsum eligi debere per schedulas, & vota secreta, ac per pluralitatem votorum nemine proponente, & ita semper servari mandavit in omnibus Provinciis Reformatorum, ut in meo Theatro Regularium 2. impress. pag. 129.

Edita An. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini suam fregerunt, sicuti peculiaribus hujus Sanctæ Sedis favoribus, & gratiis dignos existimamus, ita ad circumspectam illius providentiam pertinere dignoscimus, ea sedulò statuere, atque ordinare, quibus Religiosi ipsi, qui in ea, quam singulari divinæ benedictionis præsidio ingressi sunt, via dignè ambulantes amplioribus indies coram oculis Domini proficiant incrementis.

§. 1. Hinc est, quòd Nos, dilectorum Filiorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum pro paterno, quo eos prosequimur charitatis affectu, statui, & felici gubernio consulere, eisque specialem gratiam facere volentes, supplicationibus dilecti Filii Fabii Papazoni Commissarii Generalis Curiæ ejusdem Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cætero omnes, & singulæ Electiones, tàm Prominiſtrorum, & Custodum, quàm Guardianorum dicti Ordinis per suffragia secreta, & ballottationes fiant; & in paritate suffragiorum, Præsidens electionibus hujusmodi votum, sive suffragium decisivum habeat.

Concedit prout in Rubrica.

§. 2. Præterea, ut postquam statuta generalia dicti Ordinis in unum volumen compilata, & typis edita, & revisa, & approbata per Sedem Apostolicam fuerint, nulla alia ab inde in futurum statuta, seu Constitutiones in Familia Cismontana ejusdem Ordinis fieri, seu condi possint, sed prædicta Generalia statuta, postquam, ut præfertur revisa, & approbata per dictam Sedem fuerint imposterum servari debeant.

Fiat compilatio Statutorum.

§. 3. Ad hæc, ut de cætero Fratribus de Familia nuncupatis dicti Ordinis Transitus ad Fratres Reformatos ejusdem Ordinis non concedatur, nisi in Capitulis, seu Congregationibus Provincialibus cum consensu utriusque Ministri Provincialis, vel Ministri Generalis, & quod eos, qui à Fratribus Reformatis hujusmodi ad illos de Familia transire voluerint, fel. record. Clementis VIII. & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac nostrarum in simili forma Brevis hac super re aliàs emanatarum literarum forma omninò servetur Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, mandamus, & ordinamus.

Pro transitu ad aliam Familiam.

§. 4. Demùm, ut Fratres ejusdem Ordinis ad audiendas Christi fidelium Confessiones aliàs approbati, omnibus, & singulis facultatibus, Pœnitentiæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupat. ejusdem Ordinis propè Assisium quotannis die secunda Augusti, qua festum solemne in dicto Ordine celebrari consueverit, dumtaxat uti possint eisdem auctoritate, & tenore concedimus.

Concedit facultates Pœnit. Confessariis Portiunculæ.

§. 5. Decernentes præsentes literas validas, firmas,

Decretum irritans.

& efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Familiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 20. die 10. Nov.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Novemb. 1642. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CCXCIII.

Dat modum præcedendi inter Fratres Minores Strictioris Observantiæ Sancti Francisci Familiæ Cismontanæ.

Statuta, de quibus agitur fuerunt confirmata Anno 1628. prout sub Constit. 53. Sacrosanctum. Reliqua vide ad Constit. 292. Religiosos viros, ac Constit. 240. Injuncti Nobis, &c.

Edita An. D. 1642.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

ALiàs pro Congregatione Generali proximè præterita Provinciis Reformatis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod Electiones in Capitulis, & Congregationibus Capitularibus earumdem Provinciarum per secreta suffragia fiant, & in suffragiorum paritate Præsidens ipsius Capituli, seu Congregationis votum decisivum habeat, ac circa Transitum eorumdem Reformatorum ad Fratres de Familia, seu Observantes ejusdem Ordinis, Constitutiones fel. record. Clementis VIII. nec non Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostræ desuper editæ observentur Apostolica auctoritate statuimus, concessimus, & indulsimus, & aliàs prout in nostris desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur.

§. 1. Cum autem sicut dilectus Filius Commissarius Generalis eorumdem Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi Nobis nuper exponi fecit Statuta Generalia omnium, & singularum Provinciarum Reformatorum Cismontanæ Familiæ dicti Ordinis à Nobis approbata, & confirmata typis mandari debeant, præmissa verò concessiones, & indulta, necnon Ordo in eisdem Statutis circa Præcedentiam stabilitus cum nonnullis Constitutionibus Apostolicis non concordent; Nobis propterea idem Commissarius Generalis supplicari fecit, ut præmissa pro illorum subsistentia firmiori, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eumdem Commissarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati: Præfata concessiones, & indulta Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & insuper quod Definitores secundum Ordinis antianitatem præcedant.

Ordo Præcedentiæ.

§. 3. Quinam autem, & quomodo præcedere debeant, ut sciatur quòd Minister Provincialis, qui aliàs Ministri Generales, seu Commissarii Generales, qui tamen uni soli dumtaxat Superiori actuali suberunt, at qui Procuratores, aut Definitores Generales, qui propriæ, aut alterius Provinciæ Ministri Provinciales, qui Custodes regiminis in sua, aut aliena Custodia Reformata, qui Secretarii Generales per triennium juxta Bullam unionis, aut qui Guardiani Terræ Sanctæ fuerunt, necnon Custos Vocalis, & Definitores actuales durante officio: Provinciales actuales extra Provinciam præcedant eos, qui aliàs Ministri Provinciales fuerunt post eosdem Ministros Provinciales actuales, in Sac. Theologia Lectores actuales, ac Guardiani in ejus Conventibus omnes, & singulos, eorum Superioribus actualibus exceptis; Vicarii omnes alios (præter Ordinis, & Provinciæ Patres) præcedant, sedebunt tamen in Refectorio juxta, & propè Guardianos immediatè, & absentibus ipsis Guardianis in actionibus publicis, etiam omnes supradictos præcedent: post ipsos autem Vicarios, Sacerdotes, deindè Clerici, & post Clericos Laici dicti Ordinis juxta antiquitatem receptionis Habitus pariter præcedent, declaramus.

§. 4. Ac ut cuivis perturbationi, quæ circa modum Præcedentiæ hujusmodi oriri posset obviam eatur, mandamus omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus Reformatis hujusmodi sub suorum Officiorum privationis ipso facto incurrenda pœna, ut prædictum Præcedentiæ modum, & ordinem inter eosdem Fratres Reformatos, ut præfertur stabilitum, ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari curent, & faciant, & ipsimet observent.

§. 5. Decernentes irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Provinciarum, & Custodiarum Reformatarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 20. die 22. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1642. Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

CCXCIV.

Privilegia concessa Universitati, & Personis Mercatorum Fundaci, & Mercantiæ Urbis.

Edita An. D. 1643.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

SInceræ devotionis affectus, quem dilecti Filii, Universitas, & Homines Artis Mercatorum

de

de Fundaco, & Mercantia nuncupat. hujus Almæ Urbis nostræ erga Nos, & Apostolicam Sedem gerere comprobantur, Nos inducit, ut eorum indemnitati libenter consulamus.

§. 1. Volentes igitur Universitatem, & Homines hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati: Eisdem Universitati, & Hominibus, & eorum singulis, ut ipsorum Codicibus, & Libris rationum de mercibus, & rebus ad Artem Mercatorum hujusmodi spectantibus usque ad summam quinquaginta scutatorum monetæ Romanæ, dumtaxat contra quamlibet personam omnibus partitis ejusdem rationis simul computatis, ubique in judicio, & extra judicium plenè credatur, & indubia fides adhibeatur, etiam sine adminiculis, dummodò dicti libri mercantiles, & mercantiliter, Mercatorumque more, & ordine scripti, confecti, & tractati sint, rationabilique suspicione careant, ac ipsi Mercatores scribentes sint bonæ fidei, & à Consulibus dictæ Universitatis approbati.

[margin: ...reditur ...bris Mercatorum sine adminiculis ...sque ad sc. 50. monetæ contra om...es perso...as.]

§. 2. Præterea, quòd dicti Mercatores, ac eorum Hæredes, & Successores pro pretio mercium, & rerum ad eamdem Artem spectantium post Pistores, & Aromatarios ejusdem Urbis omnibus, & singulis aliis cujusvis defuncti, quamvis potioribus, & anterioribus Creditoribus, etiam quasvis obligationes, etiam Camerales, & publica Instrumenta etiam jurata, & quavis hypotheca vallata etiam causa dotis, & quasvis alias clausulas, seu cautelas in se continentes habentibus usque ad similem summam quinquaginta scutatorum hujusmodi tantum præferantur, & præferri debeant, dummodo quoad dotes probetur versio in utilitatem viri, & uxoris, ac filiorum in communione viventium.

[margin: ...æferuntur ...ercatores ...o scut. 50. ...onetæ post ...stores, & ...romatarios ...mnibus ...iis, etiam ...aben. ob... g. Came...lem, & ex ...usa dotis.]

§. 3. Demùm quòd in causis Mercatorum hujusmodi contra quoscumque motis, & movendis de mercibus, & rebus ad Artem prædictam spectantibus non sit locus appellationi suspensivæ pro ea summa pecuniarum dumtaxat, pro qua in causis Aromatariorum, & Pistorum prædictorum vigore Indultorum Apostolicorum, eis concessorum non datur pariter appellatio suspensiva auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

[margin: ...ppellatio ...spensiva ...tur in cau... Mercato...m solum ...o summa, ...o qua per ...ittitur ap...llare in ...usis Pisto...m, & Aro...atariorum ...rbis. ...ecretum ...itans.]

§. 4. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, vel impugnari in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac dictis Mercatoribus plenissimè suffragari, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, ac Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem Auditores, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes judicari, & definiri debere, irritumque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, legibus quoque etiam Imperialibus, ac prædictæ Artis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

[margin: ...ontrariis ...rogat.]

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Januarii 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo. [margin: Dat. P. An. 20 die 12. Jan.]

Die Veneris 16. Januarii 1643. Præsentes Literæ Apostolicæ in Camera Apostolica exhibitæ, & præsentatæ fuerunt per D. Sebastianum Agazzium Bergomen supradictæ Universitatis Deputatum, illæque Illustrissimo, & Reverendissimo D. Jacobo Francisco Ariberto ipsius Cameræ Clerico commissæ, & deinde sub die 19. ejusdem mensis citato desuper Reverendissimo D. Commissario dictæ Cameræ ad relationem ejusdem Illustrissimi D. Ariberti in ipsa Camera admissæ pariter fuerunt, & registratæ libro quinto Signaturarum ejusdem Sanctiss. fol. septimo. [margin: Registratio præsentis Brevis in Cam. Apost. citato D. Commissario illius.]

B. Brunorus.

Indulgentia Perpetua in Ecclesiis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci pro festo Portiunculæ. [margin: CCXCV.]

De hac Indulgentia vide notata ad Const. Gregor. XV. Splendor paternæ, &c.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. [margin: Edita A. D. 1643.]

§. 1.

Cum sicut dilectus Filius Joannes de Solis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci Provinciæ Andalusiæ, & Regni Granatensis in Hispania Procurator Generalis suo, & eorumdem Fratrum nominibus Nobis nuper exponi fecit, aliàs f. r. Pius Papa V. Prædecessor noster per quasdam suas literas incipientes, Ea est Officii nostri ratio, Fratribus Tertii Ordinis ejusdem S. Francisci, eorumque Ecclesiis omnia, & singula privilegia, dispensationes, Indulgentias, & Indulta Apostolica dilectis Filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, & eorum Ecclesiis concessa, & concedenda, multique alii, & præsertim Paulus V. & Gregorius XV. Romani Pontifices etiam Prædecessores nostri omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictas eorumdem Fratrum Minorum Ecclesias die secunda Augusti à primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem perpetuò duraturam misericorditer in Domino respectivè concesserint. Quia verò dicta Plenaria Indulgentia perpetua nominatim, & expressè Fratribus dicti Tertii Ordinis per literas eorumdem Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum concessa non reperitur Christi fideles ad eorumdem Tertiariorum Ecclesias die præfata non confluunt. [margin: Supplicatio.]

§. 2. Nobis propterea per eumdem Joannem Procuratorem Generalem hujusmodi dictis nominibus supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè, ut infra providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Joannem Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

§. 3. Quòd

Concedit, prout in Rubrica.

§. 3. Quòd omnes, & singuli utriusque sexus Christi fideles verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, qui Ecclesias Fratrum Tertiariorum hujusmodi ubilibet existentes dicta secunda die Augusti à primis Vesperis, usque ad occasum Solis ejusdem diei visitaverint, & ibi oraverint, ut petitur, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia eandem plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequantur, perindè ac si præmissa in Ecclesiis prædictorum Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia peragerent Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ dicti Romani Pontifices Prædecessores voluerunt non obstare, ac quatenus opus sit Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 20. die 13. Jan.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 13. Januarii 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CCXCVI.

Prohibitio extrahendi Libros ex Bibliothecis Domorum Regularium totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupat.

De hac prohibitione vide notata in Repertorio.

Edita A. D. 1643.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Motiva.

Conservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecarum Domorum Regularium totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum quantum cum Domino possumus benignè consulere, ac dilectum Filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Probibet, prout in Rubrica.

§. 2. Ne de cætero quisquam quavis auctoritati fungens Libros, quinterna folia, sive impressa, sive manuscripta tàm hactenus dictis Bibliothecis, seu Domibus donata, & assignata, quàm in posterum per quoscumque Christi fideles donanda, & assignanda, sub quovis prætextu, ingenio, causa, colore, ratione, aut occasione è dictis Bibliothecis, & domibus, seu earum aliqua extrahere, seu asportare, aut ut extrahantur, seu asportentur permittere, aut consentire sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis Apostolica Auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 4. Volumus autem, quòd præsentis prohibitionis Copia in valvis cujuslibet dictarum Bibliothecarum, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit continuò affixa remaneat; Quòdque præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides etiam impressis adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. die 6 Fe[b.]

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 6. Februarii 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

CCXCVI[I.]

Declaratio circa facultatem dispensandi cum Regularibus super voto de non procuranda, nec acceptanda Dignitate extra Religionem.

Plures Summi Pontifices Regularibus prohibuerunt Dignitatum ambitum, ut copiosissimè habes in Repertorio. Ambitus.

Edita A. 1643.

URBANUS PAPA. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Honorum, Dignitatumque vana ambitio adeò quorumdam Regularium mentes interdum excæcat ut ab eo, quod abnegantes semetipsos spontè voverunt, postmodum inanes gloriæ cupiditate ducti resilire conentur, cum tamen dicat Propheta; Vovete, & reddite vota vestra Deo.

Nonnullorum Regularium ambitus tax[a]tur.

§. 1. Quamvis igitur, ut accepimus tàm Fratres Discalceati Sancti Augustini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo etiam Discalceati Ordinum, quam Clerici Regulares ministrantes infirmis respectivè nuncupati, & nonnulli aliorum Ordinum, seu Congregationum Regulares, etiam Societatis Jesu, & alii Regulares etiam individuam expressionem requirentes, aut in ipsa professione unà cum tribus essentialibus votis, Paupertatis scilicèt, Castitatis, & Obedientiæ, aut ante, vel post professionem prædictam sive solemne, sive, ut dicunt, simplex votum, in manibus tamen Superioris Regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam Dignitatem, seu Prælationem, vel Prælaturam extra Religionem nisi coacti, vel adstricti fuerint præcepto ejus, qui sibi jure præcipere potest, & aliqui addant etiam illa verba, videlicèt, sub pœna peccati, juxtà formam suarum Constitutionum à Sede Apostolica confirmatarum, nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus, etiam translati ad Ordines Regularium etiam Mendicantium, qui prædictum, aut simile votum non emittunt, retrò aspicientes, emissique à se voti hujusmodi immemores, Prælationes, seu Prælaturas, vel Dignitates ambiunt, imo etiam Episcopatus, majorumque Dignitatum solium conscendere moliuntur, prætendentes, quòd suis Superioribus Regularibus, præsertimque Generalibus liceat eis præcipere, ùt Dignitatem, Prælationem, seu Prælaturam, vel Episcopatum, majoremvè Dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, & cum ipsis desuper dispensare, licèt per præcepta, & dispensationes hujusmodi ipsi ab obedientia præcipienti, seu dispensanti debita eximantur, ac etiamsi vota prædicta, tanquam emissa in manibus Superioris Regularis dicantur solemnia, vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, regulariumque Ordinum, & Congregationum, ac Societatis hujusmodi Constitutiones sint confirmatæ auctoritate Apostolica, & cum decreto irritante, à quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatæ existunt.

Quem retundere vi[t] Pontifex h[ac] sua Constit[u]tione.

§. 2. Quapropter nos ambitum hunc retundere, & prætensionem hujusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super præmissorum interpretatione à nonnullis excitatam Apostolicæ declarationis auctoritate penitus tollere volentes; Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, de-

que

que Apostolicæ potestatis plenitudine hac perpetua nostra Constitutione declaramus super prædicto voto, etiam per translatos ad Ordinem, seu Congregationem Regularem capacem, ante translationem emisso de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis Ordinibus, seu Congregationibus Regularibus, aut Societate prædicta respectivè aliqua Dignitate, seu Prælatione, vel Prælatura, sive aliquo Episcopatu, aut majori Dignitate neminem Superiorem Regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seu Congregationem Generalem, nec etiam Nuncium Apostolicum, aut prædictorum Ordinum, seu Congregationum Protectorem, etiam S. R. E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apostolicæ, etiam de Latere, nec quemlibet alium etiam speciali, & individua mentione dignum, sed tantum modò Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversùs illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aut aliquod præceptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus voventibus facere, cujus vigore prædicti Religiosi illas, & illos procurare vel acceptare possint, aut teneantur, ac alias quomodolibet voventes prædictos à prædicto voto liberare. Prout pariter declaramus, quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel adversùs illa præcipiendi, aut aliàs quomodolibet voventes habilitandi, etiam in foro conscientiæ dumtaxat, sive per dictas Constitutiones à Sede Apostolica confirmatas, sive per Litteras etiam in forma Brevis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, aut nostras, vel Successorum nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationem, seu contemplationem quorumcumque, etiam Imperatoris, Regum, & Principum, seu Rerumpublicarum, ac prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatis, aut vigore cujuscumque Jubilei, etiam universalis, vel Cruciatæ Sanctæ, aut Sanctæ Inquisitionis, seu Missionum, & aliàs quovis modo, & ex quacumque causa quantumlibet pia, favorabili, publica, & privilegiata concessæ, & emanatæ, concedendæque, & emanandæ, nuncque, ac pro tempore competentes ad præmissa omnia, & singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris dumtaxat reservata, prout tenore præsentium decernimus, & reservamus.

§. 3. Decernentes quoque, easdem præsentes litteras, etiam ex eo, quòd prædicti Regulares, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas illæ emanarunt sufficienter, aut etiam nullatenus adductæ, seu probatæ fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quopiam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, prætextu colore, & capite notari, impugnari, rescindi, in jus, vel controversiam revocari nunquam posse, sed easdem præsentes litteras semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, & quatenus foret opus, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, necnon quorumvis Ordinum, & Congregationum Regularium, dictæque Societatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Societati, illorumque Superioribus, Fratribus, Clericis, & personis, ac generaliter quibusvis aliis, etiam individuam mentionem requirentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. — Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 24. Februarii 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo. — D. P. An. 20. die 24. Febr.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione decima, Pontificatus verò Sanctissimi D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ Octavi Anno ejus vigesimo, die verò 11. Mensis Martii supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Masseum ejusdem S. D. N. Papæ Cursorem. — Publicatio in Urbe.

CCXCVIII.

Quòd Fratres Discalceati Ordinis Regularis Observantiæ Sancti Francisci in Regno Hispaniæ, non possint commorari in ædibus sæcularium.

De hujusmodi Fratribus Discalceatis quamplura notavi ad Constit. 129. Regis pacifici.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1643.

Procemium. Pastoralis officii nobis divinitùs injuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ Regularium personarum, quæ relicto sæculo divini Numinis obsequiis sese dedicarunt, quieti consulitur, & quæ Religiosum earum propositum possunt impedire removentur, vt nulla re præpeditæ secundum Regularia suorum Ordinum Instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere valeant famulatum.

Motiva. §. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupat. Provinciarum Hispaniarum à nonnullis annis citrà, & extra claustra suarum Domorum Regularium continuò comorati fuerint, & commorentur, continuantque, & pernoctent in ædibus Secularium, non sine ipsorum Secularium, & Religiosorum earumdem Provinciarum malo exemplo, & offendiculo, disciplinæque & observantiæ Regularium perturbatione, detrimento, & relaxatione; Idcircò nos præmissis, quantum cum Domino possumus, pro-

spectum

ſpectum eſſe cupientes, motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

Præcipit prout in Rubr.

§. 2. Quòd omnes, & ſinguli Fratres Diſcalceati dicti Ordinis Provinciarum Hiſpaniarum hujuſmodi, qui extra ſuas Domos Regulares commorantur, convivunt, & pernoctant in ædibus Secularium, ut præfertur, cujuſque ſtatus, gradus, qualitatis, & conditionis exiſtant, etiamſi deſuper quæcumque particularia licentias, & privilegia ſibi aliàs à Sede Apoſtolica, vel ab ipſius Ordinis Miniſtris Generalibus concedi obtinuerint, & obtineant, infrà octiduum à præſentium noſtrarum literarum notificatione ſibi facienda coram Miniſtris Provincialibus earumdem Provinciarum ſeſe ſiſtere, & comparere debeant, ut ab eiſdem Miniſtris Provincialibus, Conventus, in quibus degant, & habitent ſibi aſſignentur, ſub inobedientiæ, & excommunicationis, necnon privationis antianitatis Habitus, ac ſuffragiorum, & Miſſarum pro Fratribus Diſcalceatis Ordinis hujuſmodi celebrari ſolitarum, pœnis eo ipſo, & abſque ulla alia declaratione incurrendis, earumdem tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§. 3. Mandantes propterea eiſdem Miniſtris Provincialibus Provinciarum hujuſmodi in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub eiſdem pœnis, ut eaſdem præſentes litteras noſtras, debitæ, & omnimodæ executioni demandari, & ab omnibus, & ſingulis, quos ille concernunt, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari curent, & faciant, ac decernentes irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium quomodòlibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P.A. 20. die 27. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 27. Februarii 1643. Pontificatus Noſtri Anno vigeſimo.

CCXCIX.

Pro Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Strictioris Obſervantiæ Diſcalceatorum, Provinciarum, Eccleſiarum, & Conventuum Hiſpaniarum circa Viſitationem, Præcedentiam, & Sepulturam Defunctorum.

De hac materia, vide notata ad Conſtitut. 128. Ex incumbenti, & ad Conſtit. 214. Demum ad Conſtit. 303. Aliàs à Nobis, & ad Conſtitut. 22. Innoc. X. Romanus Pontifex.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. 1642.

Motiva.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Paulus à Matrito Filius Provinciæ Sancti Joſephi Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum, Commiſſarius Terræ Sanctæ, ac nonnullarum Provinciarum Hiſpaniarum eorundem Fratrum Diſcalceatorum Procurator, quòd nuper à Nobis pro Provincia Sancti Gabrielis Fratrum Diſcalceatorum prædictorum etiam Hiſpaniarum emanarunt literæ tenoris ſequentis, videlicet. Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Literæ Apoſtolicæ.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Gundiſaluus de Sanctis Procurator, & Filius Provinciæ Sancti Gabrielis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Diſcalceatorum nuncupatorum Hiſpaniarum, quòd Priores, Vicarii, Proviſores, Parochialium Eccleſiarum Rectores, ac Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum de Lierena, Fuente de Cantos, Serex, Valentiæ de Alcantara, Brojas, Serena, & Merida conſiſtentium intra fines Præceptoriarum, ſeù Commendarum, aliàs, Magiſtragiorum de Alcantata, & Sancti Jacobi de Spatha Militarium, ratione Conventuum dictæ Provinciæ Ordinis hujuſmodi fundatorum in Eccleſiis Heremitoriis nuncupatis, quæ priùs erant juriſdictionis ipſarum Militiarum, ſeù Præceptoriarum, vel Commendarum hujuſmodi Fratres Diſcalceatos eorumdem Conventuum in ſuis Eccleſiis cadavera defunctorum ſibi ſepulturam inibi eligentium ſepeliri minimè poſſe, quodque ipſi Priores, Vicarii, aliique præfati, cùm ad Eccleſias eorumdem Fratrum Diſcalceatorum occaſione funerum accedunt, ſeſe eoſdem Fratres Diſcalceatos præcedere, officiaque Mortuorum ſuper ipſorum cadaveribus obire debere prætendunt, nedum contra formam juris, & literarum Apoſtolicarum in ſimili forma Brevis, variarumque Declarationum, & Decretorum à Congregationibus Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, ac negotiis Epiſcoporum, & Regularium, Sacriſque Ritibus Præpoſitorum, reſpectivè emanatorum, ſed etiam contra caſum legis de jure ſepeliendi, ac Sacros Canones, cùm per Clementinam ſecundam de Sepulturis detur facultas Fratribus dicti Ordinis Sancti Franciſci cadavera defunctorum ſibi in eorum Eccleſiis ſepulturam eligentium ſepeliendi.

§. 3. Quoniam verò, ſicut eadem Expoſitio ſubiungebat, Priores, Vicarii, Proviſores, Curati, & Beneficiati hujuſmodi pro ſuis mero arbitrio, & voluntate declarationes, & decreta hujuſmodi nullatenus obſervant, ſed cum non levi ſæcularium ſcandalo, & offendiculo ipſos Fratres Diſcalceatos qui ob eorum paupertatem, & arctioris Regulæ obſervantiam, litium, & quæſtionum materias, & occaſiones diffugiunt, in præmiſſis gravant, necnon quando etiam viſitatum eunt ſuas Eccleſias, prætendunt, ſe poſſe etiam viſitare Eccleſias ipſorum Fratrum Diſcalceatorum, necnon Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub prætextu, quod ipſæ fundatæ ſint in Eccleſiis Heremitoriis hujuſmodi locorum, Villarum, Oppidorum, & Civitatum prædictorum, quæ prius, ut præfertur juriſdictionis ipſarum de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha Militarium hujuſmodi Ordinum erant, non ſine notabili gravamine, & præjudicio

dicti

dicti Ordinis; & contrà formam privilegiorum illi à tot Summis, & Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessorum, ac demùm quando præmissa peragere ab ipsis Fratribus Discalceatis non permittuntur, eosdem Fratres Discalceatos diversimodè molestant, etiam per verbi Dei prædicationum, administrationis Sacramenti pœnitentiæ, & eleemosynarum privationem.

[C]ontrariis [de]rogat.

§. 4. Nobis propterea idem Gundisalvus dictæ Provinciæ nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui Religiosorum Ordinum quorumcumque fœlicem directionem sinceris desideramus affectibus, eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ indemnitati, ac commodis quantum cum Domino possumus prospicere, illósque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

[T]ransumptis [cr]edi man[da]t.

§. 5. Quòd de cæteris perpetuis futuris temporibus, licèt Conventus eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ Sancti Gabriëlis fundati forent in Ecclesiis, Heremitoriis nuncupatis, quæ priùs erant jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha Militarium Ordinum hujusmodi, ut præfertur, præfata Clementina secunda, ac earumdem Cardinalium declarationes, & decreta præmissorum occasione in dictis Conventibus, & tota Provincia hujusmodi observentur, observarique debeant ipsique Priores, Vicarii, Provisores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Beneficiati, Civitatum, Oppidorum, locorum, & Villarum hujusmodi Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum dictæ Provinciæ, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentorum sub prætextu, quòd Ecclesiæ hujusmodi in dictis heremitoriis fundatæ sint, ut præfertur, visitare, nec easdem Ecclesias ingredi, & inibi aliquem jurisdictionis actum exercere ullatenùs unquàm possint nec debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, statuimus, & ordinamus, eisdémque Prioribus, Vicariis, Provisoribus, Curatis, & Beneficiatis hujusmodi perpetuum desuper silentium imponimus.

[E]xtendit præ[i]nsertas ad [a]lias Provin[c]ias.

§. 6. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos præmissorum omnium, & singulorum commodo & effectu pacificè frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper à quoquàm quavis auctoritate, fungente molestari, perturbari, impediri, vel inquietari ullatenùs permittant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis plenissimè in omnibus, & per omnia suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secùs super his à quoquam auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorem deputat.

§. 7. Quocircà dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio per præsentes committimus, & mandamus quatenùs ipse per se, vel alium seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit; & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerit requisitus solemniter puplicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eædem præsentes concernunt illis pacificè frui, & gaudere non permittentes, eos vel eorum aliquem contrà præsentium earumdem tenorem quomodolibet indebitè molestari contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimísque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat,

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & provinciæ, ipsarúmque Militarium, & Ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis: & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorúmque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpt. credi mandat.

Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus in judicio, & extrà fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 7. Februarii 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

Extendit præ insertas literas ad alias Provincias.

§. 9. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Paulus præinsertas nostris literas hujusmodi cum omnibus in eis contentis ad alias omnes & singulas Provincias eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum hujusmodi, & quasvis alias, quàm in eisdem præinsertis literis expressas Militias extendi, ac alias in præmissis opportunè ut infrà provideri. Nos eundem Paulum aliósque Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatè existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Pauli nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Præinsertas nostras literas pro dicta provincia Sancti Gabriëlis, ut præfertur, emanatas, ad omnes alias, & singulas Provincias eorumdem Fratres Discalceatorum Hispaniarum hujusmodi, ac ad quavis alias, quàm in eisdem præinsertis literis expressas Militias, ipsorúmque Fratrum Discalceatorum hujusmodi Ecclesias, & Conventus, ut præfertur, aut alias quomodolibet fundata in eisdem Provinciis, Apostolica auctoritate tenore præsentium extendimus, & ampliamus. Ac insuper quod omnes, & singulæ Provinciæ crædictæ Hispaniarum Fratrum Discalceatorum hujusmodi comprehendatur, & partici-

pent de quibuscumque privilegiis, literis Apostolicis, & decretis quovis modo cujusvis ipsarum Provinciarum particulariter, & speciatim concessis perindè, ac si illa omnibus, & singulis Provinciis prædictis in genere circà hanc materiam concessa fuissent, indulgemus.

§. 10. Mandantes propterea omnibus & singulis ad quos pariter spectat; & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos omnium, & singularum aliarum Provinciarum Hispaniarum hujusmodi præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere sinant, & faciant, ne eos desuper à quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, inquietari, vel impediri nullatenùs permittant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictísque Fratribus Discalceatis hujusmodi plenissimè in omnibus, & per omnia suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Quocircà dilecto filio eidem moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios præsentes nostras literas hujusmodi, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum omnium, & singularum Provinciarum hujusmodi desuper fuerit requisitus solemniter publicans, illísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos quos eædem præsentes concernunt, illis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem contrà præsentium earumdem tenorem quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habentes servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 12. Non obstantibus omnibus & singulis illis, quæ in dictis præinsertis literis voluimus non obstare, & quibusvis aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quarumvis Provinciarum, & militiarum, & Ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Martii 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo. Dat. P. 4. Martii

---

Pro tollenda controversia inter Fratres Minores Conventuales, & Minores de Observantia Sancti Francisci circà eleemosynas Cappellæ de Portiuncula nuncupat. erogari solitas.

URBANUS VIII. PAPA. Edita A. 1643

Ad perpetuam rei memoriam.

DOmini Nostri JEsu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, vices, meritis, licèt imparibus, agentes in terris, inter multiplices Apostolicæ servitutis curas, quibus assiduè premimur in eam peculiari studio, incumbimus, ut Christi fideles, qui in sortem Domini vocati ejus obsequiis sese voluntaria devotione manciparunt, sublatis quibuscumque perturbationibus, in spiritus veritate reddant abundanter Altissimo fructus suos, & ne aliis quorum est evangelizare pacem illa cum infirmiorum scandalo, exulare cernatur, eáque causa, dissentionibus inter ipsos præbere possent, amoveri studemus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Procemi

§. 1. Cùm itaque sicut, non fine animi nostri molestia, accepimus in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Assisien. Diœcesis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupat. die 1. Augusti quotannis, qua occasione Indulgentiæ visitantibus Ecclesiam hujusmodi à secundis Vesperis ejusdem diei concessa tàm Fratres Minores de Observantia, quàm Conventuales nuncupatos dicti Ordinis ad eandem Ecclesiam convenire moris est, multæ perturbationes, non sine gravi fidelium offendiculo passim accidere consueverint, ratione eleemosinæ, quæ à Christi fidelibus Capellæ de Portiuncula, vulgò nuncupatæ in Ecclesia prædicta sitæ erogari contigerit, & quæ à fœlic. recordat. Nicolao IV. & V. aliísque Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris fuerint Fratribus Conventualibus Conventus Sancti Francisci Civitatis Assisien. prædictis reservatæ. Motiva

§. 2. Hinc est, quòd Nos omnem, inter Fratres prædictos, eam ob rem dissidiorum, quæ ejusdem Regulæ Professores summoperè dedecent, materiam, illo præsertim tempore, quo populus Christianus ad Ecclesiam prædictam, magno undique fluit numero, quantum cum Domino possumus è medio tollere volentes. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie perpetuò statuimus, voluimus, & ordinamus, ut deinceps Fratres Conventuales prædicti, nullum omninò jus, in colligendis, & percipiendis eleemosynis hujusmodi ampliùs habeant, sed tàm illæ quas durante tempore Indulgentiæ prædictæ prima videlicet, & secunda Augusti diebus quotannis, quàm aliæ eleemosynæ, quas reliquo anni tempore, Cappellæ prædictæ, seu in illa fieri, & erogari contigerit in commodum, & utilitatem Fabricæ Ecclesiæ, ac usus Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum hujusmodi integrè cedant, applicentur, & impendantur. Nos enim ex nunc omne jus quod Fratribus Conventualibus, & ad eleemosynas hujusmodi quomodolibet competebat, ab illis penitùs abdicamus, illúdque totum in Fratres Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum prædicti pro Fabrica Ecclesiæ, & usibus ipsius Conventus transferimus, & abdicatum, & translatum respectivè fore, & esse decernimus. Pontifex transfert J… eleemosyn… ad observa… nes.

compensatione obvantes pro a vice tantum dare de nt Conntualibus oo scut. onet.

§. 3. Viceversâ verò in præmissorum compensationem, volumus ut à dictis Fratribus Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum semel & pro una vice tantùm, ex prædictis, seu aliis eleemosynis duo millia scutorum monetæ Romanæ, penès Montem Pietatis Civitatis Assisien. deponenda, & indè non amovenda, nisi ad effectum, illa in tot bonis stabilibus, aut locis Montium Cameræ Apostolicæ non vacabilium, ad commodum, favorem, & utilitatem ejusdem Conventus S. Francisci Civitatis prædictæ investiendis Fratribus Conventualibus hujusmodi solvantur.

rocessio inoanda est Ecclesia Francisci.

§. 4. Insuper, ut inter Fratres utriusque Conventus hujusmodi, mutua charitas confoveatur earumdem tenore præsentium præcipimus, ut quoties, & quando initio Augusti Indulgentia prædicta, in dicta Sanctæ Mariæ Angelorum Ecclesia, ut assolet collocanda, seu publicanda erit, Fratres dicti Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum se ad Ecclesiam Conventus ejusmodi Sancti Francisci Assisien. undè inchoatur. Processio opportuno tempore conferre, & indè processionaliter ad dictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum procedere, Fratresque ejusmodi Conventus Sancti Francisci illos benigne, & amanter excipere, eorum humanitate allecti Fratres Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum hujusmodi eos pari charitatis affectu, in suis Ecclesia, & Conventu excipiant respectivè, teneantur.

ecretum irtans.

§. 5. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquàm tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quovis quantumlibet magno, & substantiali defectu, vel etiam enormis, & enormissimæ læsionis, aut alia quacumque causa, occasione, prætextu, colore, & capite etiam in corpore juris clauso, annotari, impugnari, rescindi, invalidari, in jus vel controversiam revocari, aut adversus illa aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris restitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrandi, aut sic impetrato, vel etiam Motu simili concesso, quemquam in judicio, vel extrà uti seu se juvare nullatenùs posse ad eosdem præsentes cum omnibus & singulis in eis contentis, semper validas, firmas & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & à Fratribus prædictis, nunc & pro tempore existentibus, cæterisque ad quos spectat, & in futurum spectabit perpetuò inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacumque potestate fungentes, & functuros, in quavis instantia sublata eis, & eorum cuilibet à quovis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorem deputat.

§. 6. Quocircà Venerabili Fratri Episcopo Assisien. per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut præsentes, & in eis contenta hujusmodi, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum prædictorum, fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat præmissa hujusmodi ab omnibus ad quos spectat, & in futurum spectabit, exactè, & inviolabiliter observari contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliàque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus fœl. record. Bonifacii VIII. de una, & in Conciliis Generalibus de duabus dietis, ac Nicolai IV. & V. aliorúmque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus & ordinationibus, etiam consiliaribus; necnon quatenùs opus sit, Regula nostra, de non tollendo jure quæsito, ac Ordinis, & Conventuum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate, roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis ejusdem Ordinis Conventibus, Fratribus, & quibuslibet aliis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiam super illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mensio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectuum, dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo piscatoris, die 22. Martii 1643. Pontificatus nostri anno vigesimo. Dat. P. A. 20. 22. Martii.

CCCI.

Constitutio super recitatione, & decantatione Hymnorum Breviarii Romani Suæ Sanctitatis auctoritate recogniti in quibuslibet Ecclesiis.

Circà Breviarii Romani institutionem, ac formam illud recitandi habes Pii V. Const. 64. Tom. 2. ubi etiam Breviariorum antiquorum usus interdicitur. Breviarium Romanum denuò revisum, ac emendatum à Clemente VIII. in Const. 86. Tom. 3.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1643.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CUm aliàs Hymni Breviarii Romani paucis exceptis qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam Rythmo constant, jussu nostro, vel emendatioribus adhibitis Codicibus, vel aliqua facta mutatione ad carminis, & latinitatis leges revocati, nonnulli etiam de integro conditi, dictóque Breviario, auctoritate nostra recognito inserti fuerint, & ut accepimus, Breviarium prædictum cum Hymnis hujusmodi à Majore parte Christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti, privatim ubivis terrarum recitentur.

Causæ hujus Constit.

§. 1. Hinc est, quòd Nos, qui Hymnos prædictos cum notis musicis hac in Alma Urbe nostra elegantiùs typis, & exacta industria excudi jussimus, ne eorum publica recitatio à privata discrepet, sed ea in re uniformitas ubique, prout decet, servetur, pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus, & singulis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, cæterisque tàm sæcularibus, quàm cujusvis Or-

dinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis JEsu, & Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, aliarúmque Militiarum utriusque sexus Regularibus, ac Archiconfraternitatum, & Confraternitatum quarumlibet, etiam quantumlibet exemptis, ac speciali nota, & individua expressione dignis Ecclesiis, Basilicis, Cappellis Oratoriis, earumque & eorum Choris in divinorum officiorum celebratione, prædicti Hymni jussu nostro emendati, ac de integro conditi, & typis editi, ut præfertur, non autem ampliùs antiqui tàm in Urbe prædicta, quàm in reliquis Orbis Christiani partibus recitentur, ac decantentur, recitarique & decantari debeant, tenore præsentium præcipimus, & mandamus. Volentes, ut præceptum nostrum hujusmodi in dicta Urbe, & ejus districtu, infrà duos, in aliis verò locis citrà montes infrà octo, ultrà montes autem infrà duodecim menses respectivè omninò executioni demandetur.

Hymnos suæ sanctitatis auctoritate recognitos deincepsubique recitari mandat.

§. 2. Quocircà dilectis filiis nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus generali, ac locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, ut quoad Urbem, & ejus districtum hujusmodi Vicarius prædictus, quo verò ad reliqua loca Ordinarii in suæ jurisdictioni subjectis quidem, sua Ordinaria, in exemptis autem Apostolica auctoritate tamquàm nostri, & Sedis Apostolicæ delegati easdem præsentes cum omnibus, & singulis contentis in illis solemniter publicantes faciant ad unguem illa inviolabiliter observari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis desuper habentib. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Executores deputat.

§. 3. Non obstantibus fœl. record. Bonifacii VIII. Papæ Prædecessoris nostri, de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque, etiam nostris, & in Universalibus Provincialibúsque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quorumvis locorum, ac Ecclesiarum, Basilicarum, Monasteriorum, Domorum, Regularium, Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, etiam Societatis Jesu, ac Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, aliarúmque Militiarum, ac Archiconfraternitatum, & Confraternitatum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis; & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis prædictis, & aliis quibuslibet locis, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibúsque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur; & insererentur præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium nostrarum literarum exemplaribus, etiam in prædictorum Hymnorum libris, ac Breviariis impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 27. Aprilis 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

Dat. P. A. die 27. A

Anno à Nativitate Domini Nostri JEsu Christi, millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione 11. Pontificatus verò Sanctissimi Domini Nostri Urbani Divina Providentia VIII. Papæ, Anno ejus 20. die verò 16. mensis Maji, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri, necnon in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum de Nave Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joseph Masseus pro D. Mag. Curs.

Publicati

Quòd festum Sancti Norberti celebretur, die 11. mensis Julii, ac Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Ordin. Præmonstraten. eodem die, confessis ac communione refectis.

CCCI

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. 1643.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs fœl. rec. Paulus Papa Prædecessor noster volens universum Ordinem Præmonstraten. illiusque Religiosos, & Ecclesias Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare. Omnibus, & singulis Christifidelibus, qui verè pœniten. & confessi die festo S. Norberti sacrum missæ sacrificium fecissent, ut sacram communionem sumpsissent plenariam, ac postmodùm certis evenientibus casibus dicto festo in alium diem, & Indulgentia in Dominicam illum immediatè sequen. respectivè translatis.

Causa hu constitut.

§. 1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus etiam verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui dicta die aliquam ex Ecclesiis prædictis singulis annis devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit prout in diversis d. Pauli Prædecessoris in simili forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus pleniùs continetur.

§. 2. Subindè verò per Procuratorem Generalem d. Ord. tunc existentem Nobis exposito, quòd d. festivitas in die prædicta debito cum honore ob varia impedimenta celebrari non poterat; Nos piis d. Procuratoris votis annuentes, quo convenientius, & decentius dictum S. Norberti festum celebrari posset. De Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio festum S. Norberti hujusmodi, quod in diem 6. mensis Junii incidit in diem 11. mensis Julii Apostolica auctoritate perpetuò transtulimus prout in nostris similiter in forma Brevis desuper expeditis literis, quarum etiam tenore præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Concedit prout in Ru

§. 3. Cùm autem sicut dilectus filius modernus eosdem Ord. Præmonstraten. Procurator Gene-

Translatio Indulgentiæ plenar.

ralis

ralis nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam per d. Paulum prædecessorem de Ordinis Ecclesiis, ut præfertur concessam, unà cum dicto festo non transtulerimus. Nobis idcircò idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolven. & absolutum fore censentes. Hujusmodi supplicationibus inclinati Indulgentiam per Paulum prædecessorem nostrum prædictum præmissa peragen. die festo S. Norberti tunc in 6. mensis Junii, ac deindè facta per eumdem Paulum occurren. eisdem casibus translatione prædicta in Dominicam illud immediatè sequentem incidente perpetuò concessam, in diem 11. mensis Julii unà cum dicto festo sic ut præfertur per nos postmodùm translato, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò transferimus: Ità ut omnes, & singuli Christifideles verè pœniten. & confessi, ac ut suprà sacra communione refecti, qui aliquam ex Ecclesiis Ordinis prædicti die 11. mensis Julii hujusmodi visitabunt, & ibi ut præfertur, orabunt, eamdem Indulgentiam consequantur, quam in diebus prædictis respectivè consequuti fuissent, concedimus, & indulgemus in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis; eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 20. die 10. Maji.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Maji 1643. Pontificatus Nostri anno 20.

CCCIII.

Approbatio sententiæ executorialis A. C. scilicet quod in controversia super jure præcedendi in Processionibus inter Fratres Ord. Eremitarum S. Augustini Provinciæ Hispalen. & Discalceatorum nuncupat. S. Francisci dignior locus competit præfatis Discalceatis &c.

De hac Præcedentia vide ad Constit. 22. Romanus Pontif. Innoc. X.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1643.

Alias à Nobis pro Provincia Hispalen. Fratrum Ordin. Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum emanarunt literæ tenoris subsequentis videlicet. Urbanus VIII. Papa ad futuram rei memoriam.

Literæ Apostolicæ.

§. 1. Cùm sicut dilectus filius Joannes Merinero Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Minister Generalis nobis nuper exponi fecit aliàs postquàm à Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis super Controversiis inter dilectos filios ejusdem Ord. Fratres Discalceatos nuncupatos Provinciæ Hispalensis ex una, necnon Fratres Ord. Eremit. S. Augustini ejusdem Provinciæ partibus ex altera tunc super jure præcedendi in processionibus, & aliis actibus publicis vigentibus, decretum seu declaratum fuit, præcedentiam in concursu cum aliis Regularibus in processionibus & aliis actibus publicis prædictis semper competere primo d. Fratribus Discalceatis, sive solis de per se, & sub propria Cruce, & cum Familia de Observantia incedant & sint Discalceati Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodò sint verè Reformati d. Ord. S. Francisci, nec non gaudere & frui debere omnibus aliis prærogativis in Bulla fœlicis recordationis Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit. Ex injuncto nobis &c. expressis, & subindè Nos decretum hujusmodi cum omnibus & singulis in eo contentis Apostolica auctoritate confirmavimus, aliàque facimus, quæ in nostris in simili forma brevis desuper de anno 1630. expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus pleniùs continetur.

§. 2. Postmodùm in executionem earumdem nostrarum literarum, ac pro illarum observatione obtentis per eosdem Discalceatos, ac expeditis à dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Auditore generali monitorialibus literis, illarúmque vigore citatis dd. Fratribus S. Augustini, & infrà terminum sibi ad comparendum, juráque sua deducendum, minimè comparentibus, ab eodem Auditore generali lata fuerit diffinitiva sententia per quam juxtà prædictarum nostrarum literarum continentiam, & tenorem d. Fratribus Discalceatis hujusmodi præcedentiam prædictam adjudicavit, cupiatque propterea idem Joannes Minister generalis sententiam ejusdem Auditoris generalis quò firmiùs subsistat, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri.

§. 3. Nos qui Religiosorum Ordinum quorumcumque fœlicem directionem, pacemque ac quietem sinceris desideramus affectibus, eundem exponentem, ipsósque Discalceatos Fratres specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus d. Joannis Ministri generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; sententiam d. Auditoris generalis in executione prædictarum literarum nostrarum, ut præfertur latam, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus ac omnes; & singulos tàm juris quàm facti defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint, supplemus. Confirmat sententiam A. C.

§. 4. Decernentes præsentes literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac prædictis Fratribus Discalceatis ubicumque existentibus, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque ab omnibus censeri, & ità per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos & Sedis Apostolicæ Nuncios, ubique & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Quocircà Ven. Fratribus Archiepiscopis præsertim Hispalen. ac aliis Episcopis in Provinciis, & locis, in quibus Discalceatorum hujusmodi Regulares domus erectæ sunt, sive in posterùm erigentur, constitutis; ac dilectis filiis eorum Officialibus seu Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus Executores deputat.

fuerit,

fuerit, & quoties pro parte Fratrum Discalceatorum hujusmodi requisiti fuerint solemniter publicantes, eisdemque Fratribus Discalceatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra, prædicta, omnia, & singula ab iis ad quos spectat & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, eosdem Discalceatos Fratres præmissorum commodo, & effectu pacificè frui, utique & gaudere non permittentes illos per aliorum quorumvis ordinum, & institutorum Regulares quomodolibet molestari; contradictores quoslibet, & rebelles, aut alias in præmissis non parentes seu sese quomodolibet opponentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo, legitimísque super his habentibus servatis processibus sententias censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus fœl. rec. Bonifacii VIII. Papæ prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliísque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Ordinum, & Congregationum, ac domorum, & locorum Regularium, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Martii 1641. Pontificatus nostri anno decimo octavo.

Extensio hujus Const. ad alios Conventus.

§. 8. Cùm autem sicut per dilectum filium Antonium de Castillo filium, & Procuratorem in Romana Curia Provinciæ S. Joannis Baptistæ Fratrum Ord. Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum etiam Hispaniarum accepimus iidem Fratres Discalceati S. Francisci secundo d. Provinciæ hujusmodi in Oppido, seu Villa de Vineros Derthusen. Diœc. in Regno Valentiæ unum Conventum sui Ordinis fundaverint, in ipso autem Oppido, seu Villa hujusmodi etiam unus Conventus Fratrum Ord. Eremitarum S. Augustini fundatus reperiatur. Idcircò Nos pro Nostri Pastoralis Officii debito litibus, & scandalis, quæ occasione præcedentiæ in processionibus, & aliis actibus publicis inter utriusque Ordinis hujusmodi Fratres præfatos oriri possent, obviam iri, aliásque ut infrà opportunè providere volentes. De Congregationis super negociis d. Ord. deputatæ consilio, Motu proprio, ac ex certa scientia, meráque deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinsertas nostras literas, ac omnia, & singula in eis contenta ad secundo dictam S. Joannis Baptistæ, eorumdem Fratrum Discalceatorum S. Francisci Provinciam, ac quoad præfatum dicti Oppidi, seu Villæ de Vineros, & quosvis alios Conventus ejusdem secundo dictæ Provinciæ S. Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum primo dicti Ord. hujusmodi tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Præceptum de observando.

§. 9. Mandantes propterea omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, aliísque arbitrii nostri pœnis, ut eosdem Fratres Discalceatos secundo dictæ Provinciæ hujusmodi omnium, & singulorum præmissorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant ac decernentes præsentes literas validas firmas, & efficaces existere, ac fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis secundo dictæ Provinciæ hujusmodi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt & concernent in futurum inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios ubique; & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocircà Ven. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in eadem secundo dicta Provincia constitutis, seu dilectis filiis eorum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum secundo dictæ Provinciæ hujusmodi desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra, præmissa omnia, & singula debitæ executioni demandari, & ab omnibus inviolabiliter observari; non permittentes eosdem Fratres Discalceatos S. Francisci secundo dictæ Provinciæ hujusmodi per ejusdem S. Augustini aut aliorum quorumvis Ordinum, & institutorum Regulares quomodolibet molestari.

Contravenientium pœnæ.

§. 10. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut alias præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes per easdem excommunicationis; & quasvis alias censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem præinsertis voluimus non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. die 10. Jun.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Jun. 1643. Pontificatus Nnstri anno vigesimo.

Indultum celebrandi Missam, & recitandi Officium de Beato Martyre Josaphato Archiepiscopo Polocensi Monacho Ordinis Sancti Basilii.

CCCIV.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1643.

Exordium.

IN Sede Principis Apostolorum, nullis licèt nostris suffragantibus meritis, divina providentia

tia constituti, ad ea, per quæ servorum Christi, qui pro ejus Ecclesia sanguinem suum fuderunt, veneratio in Terris promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis suis, Pastoralis muneris nostræ partes propensis studiis impendimus, prout pia Christifidelium, præsertim Catholicorum Regum, & Principum vota exposcunt, Nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 1. Sanè nomine dilectorum filiorum Monachorum Ord. S. Basilii Nobis nuper expositum fuit, quòd commissa dudùm à Nobis Congregationi Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum ad instantiam clar. mem. Sigismundi dùm viveret Poloniæ, & Sueciæ Regis Illustris, & Charissimi in Christo filii nostri Uladislai etiam Poloniæ, & Sueciæ Regis Illustris, necnon ad supplicationem Venerab. Fratrum Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac dilectorum filiorum Nobilium Virorum Palatinorum, Principum, ac universi Cleri, & Populi Catholici Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, ac totius Russiæ, nec non Ord. prædicti, causa Servi Dei Josaphati Archiepiscopi Polocen. ejusdem Ord. S. Basilii pro Christi nomine, & fide Catholica, & pro Sancta potissimùm Unione cum Ecclesia Romana Vitepsci in Russia alba die 12. Novembris 1623. à Schismaticis trucidati; illaque deindè, per plures annos per eamdem Congregationem servatis servandis discussa, & examinata, auditis etiam desuper Theologis, Consultoribus, & Sanctæ Fidei Promotore, post obtentam priùs à Nobis sub die 27. Januarii 1629. derogationem Decreti nostri de non procedendo in causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum, & prævia sub die 2. Martii 1651. nostra licentia ad ulteriora in hujusmodi causa in Congregationibus ordinariis procedendi; referente dilecto filio nostro Jo. Baptista tit. S. Eusebii ejusdem S. R. E. Presbytero Card. Pamphilio nuncupato proposita, eadem Congregatio dicta die 2. Martii 1641. censuit constare de validitate processuum: die verò 13. Septembris 1642. constare de Martyrio, & causa Martyrii: die demùm 22. Novembris ejusdem anni 1642. constare etiam de miraculis; ideoque eidem Congregationi videri, si nobis placeret, posse d. Servum Dei Josaphatum Beatorum Martyrum Catalogo adscribi, & ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri.

Concedit prout in Rubrica. §. 2. Quare pro parte non solùm prædictorum verùm etiam Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negocio Propagandæ Fidei præpositorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim donec ad solemnem Canonizationem d. Servi Dei Josaphati deveniatur, idem Servus Dei Josaphatus Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo, ut infrà celebrari possit. Nos itaque piis Uladislai Regis, Cardinalium, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum, Principum, Cleri, Monachorum, & Populi prædictorum votis hujusmodi quantum cum Domino possumus benignè annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; De eorumdem Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut ipse Dei Servus Josaphatus in posterùm Beatus nuncupari, atque ab omnibus Monachis d. Ord. S. Basilii ubique Terrarum existent. necnon in omnibus Ecclesiis Diœcesis, & Provinciæ Polocen. ac totius Metropolis Russiæ à quibuscumque Sacerdotibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus die Natalis ipsius, Duodecima videlicet Novembris, Officium & Missa de communi unius Martyris Pontificis recitari respectivè, ac celebrari juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, necnon Græci, seu Rutheni ab Apostolica Sede approbati valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 20 die 16. Maji. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Maji 1643. Pontificatus Nostri anno vigesimo.

CCCV.

Quòd Provinciales, Priores, & alii Officiales Ord. Fratrum Prædicatorum realiter & cum effectu, per totum tempus à Constitutionibus præscriptum durare possint & valeant.

De hujusmodi Prioribus lege notata ad Constit. 238. Nuper, & ad Constit. 265. Domini nostri.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita A. D. 1643.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex incumbenti Nobis Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter animum nostrum convertimus, per quæ personarum quarumlibet præsertim verò religiosam vitam ducentium commodis, & indemnitati opportunè consulatur.

Motiva. §. 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Provincialium, Priorum, & alium Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis humiliter porrectis inclinati. Quod tempus quo iidem Provinciales, Priores, & alii Officiales prædicti sine propria eorum culpa prohibentur, & impediuntur, quòminùs sibi demandata officia, & munera in propriis Provinciis, & Conventibus respectivè personaliter exercere possint, non computetur in tempore ab ejusdem Ordinis Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis stabilito, sed quòd ipsi Provinciales, Priores, & alii Officiales hujusmodi realiter, & cum effectu, in eorum muneri- & officiis per totum tempus ab eisdem Constitutionibus concessum, & præscriptum durare liberè, & licitè possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, concedimus, & indulgemus.

Mandantes de observando. §. 2. Mandantes propterea omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut eosdem Provinciales, Priores, & alios Officiales hujusmodi præmissorum omnium, & singulorum commodo; & effectu frui, gaudere sinant, & faciant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & illius quorumcumque Provinciarum, & Conventuum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis ejusdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis in spe-

cie, vel in genere quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum omnium tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A 20. die 7. Julii.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Julii 1643. Pontificatus Nostri anno vigesimo.

CCCVI. Erectio Provinciæ Reformatæ Sancti Vigilii Fratrum Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ.

De erectione Custodiarum Reform. in Provincias vide notata ad Constit. 40. Sacrosanctum, & ad Constit. 240. Injuncti Nobis.

Edita A. D. 1643.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam,

Proœmium.

PAstoralis officii Nobis divinitùs injuncti assidua sollicitudo nos admonet, ut omni cura & vigilantia ad ea semper intendamus, per quæ Regularium personarum, quæ relicto sæculo Dei obsequio se sub arctioris disciplinæ norma dedicarunt statui consulitur, ut secundùm Ordinum suorum Regularia instituta gratum Altissimo impendentes famulatum fœlicioribus in dies in via Domino proficiant incrementis.

Motius separationis.

§. 1. Cùm itaque sicut exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Commissarius Generalis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia: & Reformatorum nuncupatorum è re Ordinis hujusmodi apprimè futurum si, si Sancti Bernardini Tridentin. ac Sancti Antonii de Cles, necnon Sanctæ Mariæ Gratiarum nuncupat. de Arco ac Sancti Rocchi de Rovereto, & S. Francisci de Burgo, necnon ejusdem S. Francisci de Pergine Terrarum, seu Locorum Tridentin. & Feltren. respectivè Diœc. domus Regulares, seu Conventus Fratrum Reformatorum Ordinis hujusmodi à Provincia Veneta aliàs Sancti Antonii, ejusdem Ordinis, sub qua existunt omninò separentur, & dismembrentur, ac ex illis nova Provincia sub titulo Sancti Vigilii erigatur, & instituatur, nedùm quia Fratres domorum Regularium, seu Conventuum hujusmodi sunt nationis diversæ ab aliis Provinciæ Venetæ prædictæ Fratribus, sed etiam ob linguarum varietatem, Commissariorúmque Ordinis hujusmodi in Germania pro tempore mittendorum commoditatem, qui ad munus Commissarii hujusmodi eo aptiores erunt, quo magis idiomate, ac moribus Italis imbuti fuerint, prout sunt Tridentini, tùm etiam; quia major erit numerus illorum, qui habitum Regularem suscipient, quando propriam in illis partibus Provinciam habuerint, magno cum animarum Christifidelium Germaniæ fructu, & consolatione.

Erigit Provinciam, prout in Rubr.

§. 2. Nobis propptereà d. Commissarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis, opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur qui Cultum Divinum, & Regularem disciplinam nostris temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, piis d. Commissarii Generalis votis hujusmodi quantum cum Domino possumus annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati domos Regulares, seu Conventus suprà nominatos, & supradictos à dicta Provincia Feneta, seu Sancti Antonii ejusdem Ordinis, sub qua hactenùs, ut præfertur extiterunt, omninò dismembramus, & separamus, ac domos Regulares, seu Conventus hujusmodi sic dismembratas, seu dismembratos separatasque, seu separatos in novam Provinciam Sancti Vigilii nuncupandam cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, indultis, privilegiis, & gratiis, quibus aliæ Fratrum Reformatorum ejusdem Ordinis Provinciæ frui, & gaudere solent, ac possunt, & debent Apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Fratribus prædictis plenissimè suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, irritúmque, & inane si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ Venetæ, seu Sancti Antonii hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Provinciæ Venetæ, seu Sancti Antonii, ejúsque ministro Provinciali, & quibusvis aliis Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret tenore hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & interessentibus particularibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. [2]... die 8. Janu[arii].

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 8. Jan. 1643. Pontificatus Nostri Anno vigesimo.

CCCV[II]. Facultas imponendi annuos Census extensiva alterius aliàs Congregationi Cassinensi concessæ alienandi, usque ad summam scutorum ducentorum quinquaginta millium.

De hujusmodi materia lege ad Constit. 216. Exponi nobis &c. ac ad Constit. 252. Aliàs in nobis.

Edita A. D. 1643.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Litteræ Apostolicæ.

ALiàs à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet. Urbanus VIII. Papa, ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti prædictæ Congregationis, illiúsque regiminis nomine, quòd ob malas temporum conditiones damna, detrimenta, atque incommoda per eamdem Congregationem accepta ratione bellorum, incursus militum, & destructionis ædificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quæ bona ex parte ejusdem Congregationis prædia inculta red-

diderunt

diderunt, necnon graves solutiones, quæ pro summa quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem fiunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicæ, Monasteria dictæ Congregationis ob defectum suorum redditand ad præsens sunt adeò oppressa ut illorum nonnulla jàm ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita sint, aliis verò eadem ruina impendeat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout aliàs per Romanos Pontifices prædecessores nostros Monasteriis hujusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & præsertim per Pium V. qui similes & forsàn minùs urgentes ob causas per quasdam suas sub die 19. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum, & triginta tria millia dictæ Congregationi Cassinen. pro sua rata obtigerunt, & postmodùm quia summa hujusmodi non sufficiebat per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respectivè expeditas literas eidem Congregationis Cassinen. bona stabilia pro alia summa quinquaginta millium scutorum aureorum vendendi facultatem respectivè concessit, eòque modo damnis, & periculis Monasteriis dictæ Congregationis tunc temporis imminentibus opportunè occursum fuisse: eademque Monasteria notabilem exindè subventionem percepisse, experientia compertum est, Nobis propterea dictus Procurator quo suprà nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & aliàs ut in infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati quantum cum Domino possumus consulere, eàque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum dicti Pii V. prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis, quæ prædictis, & aliis majoribus necessitatibus ad præsens gravata reperiuntur, ut cum approbatione tamen dilecti filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundùm carnem ex fratre germano nepotis, ac prædictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia Regiminis dictæ Congregationis, ea prædictæ Congregationis bona stabilia quæ pro liberanda ab ære alieno Congregatione prædicta, restaurationibusque necessariis, & utilibus in eis bonis faciendis magis opportuna fuerint judicata usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetæ, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatisque modis, & formis in prædictis Pii V. prædecessoris nostri literis contentis, & juxtà illarum tenores, & continentias vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusim dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis super eodem fundo, accipientis, & cum conditionibus in priori Instrumento appositis redimere, Ità tamen ut præsentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minimè suffragentur, quàm iis dumtaxat quæ ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integrè concurrerunt, & concurrunt, liberè, & licitè possint & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus fœl. record. Pauli Papæ Secundi etiam prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, Monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius Quintus prædecessor noster in prædictis suis literis voluit non obstare, ac aliis contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Junii 1637. Pontificatus nostri anno decimo quarto.

§. 3. Cùm autem, sicut idem Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, à quamplurimis præsertim verò à census super bonis ejusdem Congregationis juxtà tenorem præinsertarum literarum imponendos emere volentibus, dubitetur, an pro imponendis censibus hujusmodi dicti Francisci Cardinalis Protectoris hujusmodi approbatio, & Regiminis prædicti licentia sint necessariæ, Nobis proptereà dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunæ declarationis nostræ ministerio providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati per ampliùs consultum esse cupientes, illàque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat, consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

§. 4. Quòd in vim præinsertarum nostrarum literarum Abbatibus Monasteriorum dictæ Congregationis intelligatur, intelligique debeat absque alia licentia, & approbatione, concessa facultas super eorum, & dictæ Congregationis Monasteriorum bonis stabilibus novos annuos, & redimibiles census juxtà formam Constitutionis prædicti Pii prædecessoris imponendi, ad effectum census annuos super illius Congregationis bonis stabilibus aliàs de Sedis Apostolicæ licentia impositos cum pecuniis novorum censuum hujusmodi ad minorem tamen rationem pro quolibet centuario, & anno, sive minori interusurio obnoxiis, super certo fundo, & non aliàs accipiendis, servata in reliquis earumdem literarum forma redimendi, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus. Non obstantibus fœl. rec. Pauli II. Papæ etiam prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, Ordinis, & Monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque omnibus, quæ dictus Pius prædecessor voluit in prædictis suis, & Nos in nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut novorum censuum hujusmodi impositio, & veterum extinctio unico contextu fiant, vel saltem pecuniæ ex nova impositione hujusmodi provenientes penès Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, id non amovendæ, nisi ad effectum extinctionis prædictæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majore sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1683. Pontificatus nostri anno decimo sexto.

§. 5.

Concedit prout in rubric.

§. 5. Cùm autem, ficut dilectus filius Gregorius à Parma Abbas, & Modernus Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, non reperiantur in promptu qui bona dictæ Congregationis emant nisi cum illius detrimento, Nobis, propterea idem exponens dictæ Congregationis, illiusque Regiminis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Congregationis, & illius Monasteriorum præfatorum indemnitati per ampliùs consulere, eáque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatis Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus quod ipsi in vim præinsertarum nostrarum literarum hujusmodi, quas ad effectum infrascriptum valere, & pariter sufficere declaramus, de consensu ejusdem Francisci Cardinalis Protectoris, unum seu plures annuos, & redimibiles census usque ad præfatam ducentorum quinquaginta millium scutorum hujusmodi in eorum sorte principali ascendentes loco bonorum stabilium, quæ juxtà easdem præinsertas literas vendi posse, ut præfertur, concessum fuit, super Monasteriorum eorumdem Abbatum, dictæque Congregationis bonis stabilibus ubilibet existentibus imponere, illúmque, vel illos sic impositos uni, seu pluribus personis meliorem conditionem offerentibus, servata ejusdem Pii prædecessoris Constitutionis & præinsertarum nostrarum literarum forma, vendere, & alienare, ac pecunias indè provenientes in usus, & necessitates suprà expressas, ac aliàs insuper, ut Montistis Cameralibus satisfiat, convertere, & erogare, ac pro emptoris, seu emptorum censuum hujusmodi, necnon fidejussoris, seu fidejussorum per eosdem Abbates forsàn præstandorum securitate, relevatione; & indemnitate, ultrà bona super quibus census hujusmodi impositi fuerint, alia omnia & singula dictorum Monasteriorum, & Congregationis hujusmodi bona mobilia, & immobilia etiam in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligare, & hypothecare, ac super his unum, seu plura instrumenta cum renunciationibus, vinculis, clausulis, & decretis in similibus apponi solitis, celebrare, seu celebrari, aliáque omnia & singula in præmissis, & circà ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, & exequi liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, necnon emptorem, seu emptores censuum hujusmodi ad probandum, seu verificandum in quos usus pretium ipsorum censuum concursum fuerit, minimè teneri, nec obligatos existere, sicque per quoscumque Judices ordinarios; & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritúmque & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præfatis Pauli, & Pii prædecessorum hujusmodi, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd pecuniæ ex impositione, & venditione censuum hujusmodi provenientes unico contextu in usus, & necessitates in eisdem præinsertis, & præsentibus literis expressas convertantur, vel saltem penès Montem Pietatis, aut personam fide, & facultatibus idoneam deponantur, indè non amovendæ nisi ad effectum illas, ut petitur convertendi, quódque census præfati infrà tempus ab eodem Francisco Cardinale Protectore præfigendum sub excommunicationis pœna per eos ad quos spectabit eo ipso incurrenda, extingui, &redimi omninò debeant.

Dat. P. A. die 15. A[prilis]

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Aprilis 1643. Pontificatus nostri anno vigesimo.

CCCVI

Annullatio Capituli Generalis Ord. Fratrum Prædicatorum Januæ celebrati, & convocati Capituli generalissimi ejusdem Ordinis in Urbe de anno 1644.

Istius Ordinis materiam habes signatam ad Constit. 191. *Aliàs per nos. Et ad Constit.* 205. *Exponi nobis.*

Edita A. 1643.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Cum inter Christifideles, præsertim Regulares Dei obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatos, dissidia, & contentiones, nisi citò earum origo, & causæ amputentur ingentia mala gignere soleant.

Motiva h[ujus] constit.

§. 1. Idcircò mensibus præteritis statim atque Nobis innotuit, quòd in Capitulo generali Fratrum Ordinis Prædicatorum in Monasterio S. Dominici Civitatis Januæ pro die 26. Octobris proximè præteriti convocato, & inibi celebrato, fuerat die antecedenti, scilicet die 25. ejusdem mensis Octobris facta amotio, seu depositio dilecti filii Nicolai Rodulphi Magistri Generalis ejusdem Ordinis, diemque sequenti ibidem unus, & successivè die 30. prædicti mensis Octobris in Conventu loci de Cornilia no ejusdem Ordinis per tria circiter milliaria ab eadem Civitate Januen. distante, aliter in Magistrum generalem prædicti Ordinis respectivè electi fuerant, ità quod de facto à diversis prætendebatur in scissuram prædicti Ordinis extare tres magistros generales.

Avocat c[on]trov. Sed[i] Apost.

§. 2. Propterea ad majora detrimenta, & scandala evitanda jussimus ne dùm in Monasterio B. Mariæ super Minervam de Urbe, & alibi nihil innovari, donec à Nobis controversiæ desuper terminatæ essent, sed etiam illas omnes, præsentásque nullitates omnium gestorum, ac cognitionem, & terminationem illarum ad Nos avocavimus, executionemque amotionis, electionum, & aliorum, ut præmittitur gestorum sine alicujus præjudicio, ac sine retardatione processus incepti contrà prædictum Nicolaum Rodulphum suspendimus, Congregationique aliquorum dilectorum filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac etiam aliquorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum per Nos deputatorum cognitionem, & discussionem, etiam extrà judicialiter faciendas omnium & singulorum præmissorum ad Nos referendum, commisimus cum facultatibus necessariis, & opportunis, & aliàs prout in diversis Nostris literis in simili forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditis, sub Datum 9. ac 10. & 29. diebus Novembris ac die 6. Decembris proximè præteritorum mensuum respectivè uberiùs continetur.

Declaratio nullitatis C[a]pituli.

§. 3. Qui quidem omnes præfati Cardinales, & Prælati sæpiùs auditis omnibus informare volentibus, monitisque personaliter hic Romæ eisdem Nicolao, & uno prædictorum duorum electorum, alteri autem electo eisdem Nostris literis personaliter Januæ intimatis, cæteris verò interesse habentibus, vel prætendentibus per proclama generale citatis, servatisque juxtà formam à Nobis præscriptam servandis, visisque omnibus deductis, & allegatis voce, & scripto, illisque ad plenum discussis in quamplurimis sessionibus, cùm opportunam, & necessariam Nobis desuper relationem fecissent, Nos hujusmodi relatione audita juxtà ejus seriem motu proprio, certáque scientia, ac matura deli-

beratione

beratione Nostris. deque Apostolicæ potestatis plenitudine depositionem, amotionem, seu absolutionem prædicti Nicolai à magisterio generali dicti Ordinis factam in prædicto Capitulo generali fuisse, & esse nullam, & invalidam, ac nullius roboris, & momenti, nulliterque, & invalidè factam, proindeque electiones factas de magistro generali ejusdem Ordinis tàm in Civitate Januæ, quàm in prædicto loco de Corneliano fuisse, & esse nullas, & invalidas, nulliterque & invalidè factas, & quæcumque exindè secuta itidem fuisse nulla, & invalida decrevimus, & declaravimus, eisdemque duobus sic utrobique electis, & aliis quibuscumque super omnibus, & singulis præmissis perpetuum silentium imposuimus, ac illis duobus electis, & eorum cuilibet inhibuimus, & interdiximus ne auderent, nec quilibet ipsorum auderet se in gubernio, & administratione magistro generali dicti Ordinis competente, illiúsque exercitio quomodolibet ingerere, nec se magistros generales nominare, nec ullos actus superioritatis, jurisdictionis, antelationis, prærogativæ, facultatis, & præeminentiæ magistri generalis ejusdem Ordinis, tàm quoad spiritualia, quàm quoad temporalia, & aliàs quoquo modo facere, aut exercere sub excommunicationis majoris, privationisque vocis activæ, & passivæ, ac officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, aliísque arbitrio nostro imponendis, & ampliandis, etiam personalibus pœnis, & aliàs, prout in aliis literis Nostris in simili forma Brevis sub Datum die 20. mensis Martii proximè præteriti pleniùs continetur.

Convocatio capituli generalissimi.

§. 4. Ne autem stante annullatione electionum prædictarum, ac suspensione ejusdem Nicolai ab exercitio regiminis, & administratione officii, ordo hujusmodi exercitio regiminis, & administratione magistri generalis diutiùs careat; Nos ut prædicto Ordini, undè tàm uberes in Catholica Ecclesia fructus, totque viri doctrina, & sanctitate insignes prodiere, & quem paterno affectu prosequimur, quantum cum Domino possumus consulamus, etiam de voto eorumdem S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum prædictorum, ne dùm Capitulum generalissimum ejusdem Ordinis in Urbe, ac Monasterio Beatæ Mariæ super Minervam celebrandum convocare, sed etiam causam prætensorum Nicolai prædicti excessuum inceptam à Judicibus, quibus illam commiseramus avocare, illámque in statu, & terminis in quibus reperitur avocatam eidem Capitulo generalissimo, ut præmittitur in Urbe celebrando committere decrevimus. Quocircà motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus harum serie dilectis filiis Prioribus Provincialibus Provinciarum d. Ordinis, omnibúsque aliis, qui juxtà formam Constitutionum ejusdem Ordinis à Sede Apostolica confirmatum ad Capitulum Generalissimum convocandi sunt per Universum Orbem diffusis Capitulum generalissimum in Urbe, & Monasterio Sanctæ Mariæ super Minervam prædictis in Festo Pentecostes futuri anni 1644. ità ut auctoritas Capitularium incipiat in Vigilia ejusdem Festivitatis omninò celebrandum ad quemcumque effectum ordini prædicto magis proficuum, opportunum, & necessarium, etiam individua, & speciali nota dignum indicimus, & annunciamus, eosdemque Provinciales, omnésque alios, & singulos, qui juxtà earumdem Constitutionum formam in prædicto Capitulo intervenire debent, convocamus, ac ut personaliter accedant districtè præcipiendo monemus, ità quod iidem Priores, Provinciales, & alii prædicti locum Capituli Dominica infrà Octavam Ascensionis, vel Sabbato præcedenti intrare teneantur. Injungentes propterea eisdem Prioribus Provincialibus, Diffinitoribus, & quibuscumque aliis prædictis in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut præfixo tempore huc se conferant cum iis, qui ad Capitulum generalissimum ex vi earundem Constitutionum accedere debent, ità ut tres vocales ex unaquaque Provinciarum hujusmodi compareant, & vocem habeant. Præcipientes, ut nullus alius ad prædictum Capitulum sine nostra licentia accedat præter prædictos, & alios, qui ad præscriptum prædictarum Constitutionum occasione celebrationis prædicti Capituli generalissimi accedere possunt, ac debent.

Remittitur controversia capitulo generalissimo terminanda.

§. 5. Interim verò volumus, ut dicti Priores Provinciales in omnibus Conventibus publicas supplicationes ad Deum pro fœlici ejusdem Capituli directione, & incolumitate Fratrum ad illud confluentium fieri curent, moneantque omnes suos subditos, ut ipsis Prioribus Provincialibus, & sociis juxta prædictas Constitutiones electis, aliisque prædictis; ea omnia quæ judicaverint quæ pro bono Ordinis hujusmodi in communi, quàm pro suis Provinciis, & Conventibus in dicto Capitulo proponenda in scriptis exhibeant, dicti verò Priores Provinciales, & reliqui omnes, ad quos spectat exactam relationem status Provinciarum & earum Conventuum juxtà earundem Constitutionum dispositionem afferant; Prætereà, ut quantocitiùs pro ejusdem Ordinis bono, dissidia, & controversiæ Fratrum præcidantur, & ordo ipse optatæ tranquillitati, atque unitati restituatur; causam prætensorum dicti Nicolai Magistri generalis excessuum, ut præfertur inceptam à Judicibus quibus illam commissimus in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperitur, tenore præsentium avocamus, firma in omnibus, & quoad omnia manente suspensione ejusdem Nicolai ab exercitio Regiminis, & administratione officii Magistri Generalis aliàs facta, donec causa hujusmodi per Capitulum generalissimum ut infrà debito fine terminata fuerit, necnon etiam administratione, & gubernio dicti Ordinis à Nobis commisso dilecto filio nostro Antonio Cardinali Antonio Barberino illius Protectori, seu dilecto filio nostro Hieronymo Cardinali Verospio respectivè nuncupatis Comprotectori, quibus suspensioni, & commissioni per præsentes non intendimus in aliquo præjudicare, prout, & in antedictis nostris literis in simili forma Brevis sub datum die 20. prædicti mensis Martii expeditis pleniùs continetur, illámque sic avocatam eidem Capitulo generalissimo per præsentes convocato, & ut præmittitur celebrando cum omnibus, & singulis suis connexis, annexis, dependentibus, & emergentibus, ac toto negocio principali cognoscendam, ac juxtà formam earundem Constitutionum Ordinis prædicti etiam non perfecto processu, jàm incœpto, ac etiam non servata aliqua tela judiciaria, sed summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, ad formam tamen Constitutionum prædictarum sola facti veritate inspecta terminandam omni, & quacumque appellatione recursu, nullitatis etiam ex tribus dictione, in integrum restitutione, aliísque juris, ac prædictarum Constitutionum Ordinis remediis penitùs & omninò remotis committimus cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis, ità ut idem Capitulum generalissimum ad relaxationem suspensionis prædictæ, & ad liberationem prædicti Nicolai Magistri generalis, vel ad correctionem, & emendationem, aut etiam ad amotionem, seu depositionem ejusdem ab officio Magisterii generalis, ipso tamen priùs ad normam dictarum Constitutionum audito, ac monito, & subindè ad electionem alterius Magistri Ordinis etiam absque alia Congregatione Capituli electionis, vel citatione, monitione, vel intimatione, aliorum quorumcumque interesse habentium, seu quomodolibet habere prætendentium possit, &

debeat procedere prout relaxationi, & liberationi, vel correctioni, & emendationi, aut amotioni, seu depositioni, & electioni respectivè locus erit ad earundem Constitutionum præscriptum.

§. 6. Cum declaratione quod illi ex convocatis, qui non comparuerint, sive aliàs non accedent, habebuntur pro contumacibus, & nihilominùs sine illis tempore prædicto celebrabitur Capitulum, & in eo expedientur omnia, & singula præmissa, & alia quæ erunt necessaria, & opportuna. Decernentes prædictas literas etiam ex eo quòd dictus Nicolaus Magister generalis, ac duo electi, prædicti, & alii quicunque in præmissis interesse habente, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, vel auditi fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis, obreptionis: vel nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel de alio quovis quantumlibet substantiali defectu notari, redargui, & impugnari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato quempiam in judicio, vel extrà illud uti posse, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, irritúmque & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus prædictis nostris literis, ac fœl. record. Bonifacii VIII. Papæ prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus editis, necnon Constitutionibus, & ordinationibus prædicti Ordinis, & Provinciarum hujusmodi statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordini, Nicolao Magistro Generali, & duobus electis prædictis, cæterisque Fratribus, & personis hujusmodi sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, vel aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo piscatoris die 8. Aprilis 1643. Pontificatus nostri Anno vigesimo.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, indictione undecima Pontificatus verò Sanctiss. D. N. URBANI Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus vigesimo, die verò 11. mensis Aprilis, supradictæ literæ Apost. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, & in Ecclesia S. Mariæ super Minervam, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Jo. Baptistam Riccium ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Pro Mag. Cursorum Dominicus Varesius Curs.

CCCIX

Confirmatio Privilegiorum, & declaratio statutorum pro gubernio Fratrum Discalceatorum nuncupat. Hispaniarum, ac Indiarum.

Edita A. 1643.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

ALiàs pro fœlici, prosperóque regimine, & gubernio, ac uniformiori Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum perfectione, & puritate à Nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet, Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Aliàs postquàm per recolendæ memoriæ Gregorium Papam XV. prædecessorem nostrum Patribus Provinciarum in Diffinitorio Generali fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum de anno 1639. in Alma Urbe nostra celebrato, de consensu dilecti filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundùm carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, statutum fuisset.

§. 2. Ut duo tantùm Patres Provinciæ in singularum Provinciarum Ultramontanæ familiæ diffinitoria introducerentur, unus scilicet, qui in Provincia reliquis dignior esset, ille nimirùm, qui inter Patres Provinciæ primum locum sibi vindicaret, qui quidem in diffinitorio semper assisteret, alter verò, qui immediatè Ministri Provincialis officium absolvisset, ut sequenti etiam immediatè triennio dumtaxat eam obtineret dignitatem, & in diffinitorio assisteret, ea tamen lege, ut si iste ex qualibet causa deficeret, in ejus locum subrogatus eo ipso esset, qui antè ipsum Minister Provincialis immediatè extitisset, triennio autem hujusmodi transacto, alius qui Ministri Provincialis officio etiam immediatè functus fuisset, subsequeretur, & sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servaretur, ità quòd nunquàm hi duo Patres in dictarum Provinciarum diffinitoriis desiderarentur, quódque sic contingeret, ut qui esset dignior, & perpetuus in Diffinitorio hujusmodi assistens, alio titulo de eodem Diffinitorio existeret, sibique jus in illud ingrediendi competeret, tunc in ejus locum ipso facto subrogatus esset ille Pater Provinciæ, qui eidem dignitate proximus fuisset. Subindè Nos institutionem, seu restitutionem præfatorum duorum Patrum Provinciæ pro diffinitoriis Provinciarum prædictarum in d. generali diffinitorio factam, & postmodùm omnia, & singula statuta in Capitulo generali dicti Ordinis de eodem anno celebrato edita, sine tamen præjudicio observantiæ Regularis, ac statutorum Apostolica auctoritate confirmatorum, ac ordinationum, & Brevium Apostolicorum pro Fratribus Discalceatis d. Ordinis Hispaniarum, & Indiarum factorum, & emanatorum confirmavimus.

Hoc statutum non comprehendit Discalceatos.

§. 3. Ac demùm cùm Nobis innotuisset, quòd institutio, seu restitutio præfatorum duorum Patrum Provinciæ, quoad eosdem Fratres Discalceatos Hispaniarum, & Indiarum d. Ordinis, nedùm eorum statutis ac literis Apostolicis pro ipsis ema-

natis adversabatur, sed etiam causa perturbationum fuisset. Idcircò Nos motu proprio, ac ex certa scientia, meráque deliberatione nostris, præfatos fratres Discalceatos Hispaniarum, & Indiarum ac eorum Provincias, & Custodias præsentes, & futuras quoad introductionem duorum Patrum Provinciæ in singula Provinciarum suarum diffinitoria sub præfato diffinitorio generali hujusmodi edito, ac certis nostris literis incipientibus, Onerosa &c. aut quibusvis aliis dicti Ordinis statutis, aut decretis, literísque Apostolicis circà eamdem materiam emanatis, quæ, & quas quoad hoc revocavimus, cassavimus; & annullavimus, nullatenùs comprehendi, nec esse comprehensos declaravimus.

Quòd non introducantur Patres inter Discalceatos.

§. 4. Et insuper statuimus, & ordinamus, ut in Provinciarum Hispaniarum, & Indiarum eorumdem fratrum Discalceatorum Capitulo; Congregationes, & Diffinitoria, nullus omninò Pater Provinciæ quovis sub prætextu introduceretur, sed in illis dumtaxat Minister Provincialis, aut Vicarius Provincialis, & Diffinitores actuales, Custodes autem juxtà usum, & Provinciarum, & Custodiarum admitterentur. Quódque si in alicujus ex dictis Provinciis diffinitorium præfati duo Provinciæ Patres introducti fuissent, illi ipso facto amoverentur, & electio per eos facta sub privationis suorum officiorum, aliísque arbitrii nostri pœnis omnibus, & singulis Superioribus, qui dictos duos Patres Provinciæ, & Diffinitorium hujusmodi admisissent, nulla, & irrita existeret, ipsíque fratres Discalceati Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, sub eisdem pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, juxtà statuta, & ordinationes Provinciarum hujusmodi viverent, & regerentur, ac aliàs prout in diversis nostris in simili forma brevis literis desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

Quòd Discalceati per sua propria statuta gubernentur.

§. 5. Cùm autem sicut nuper accepimus, dilecti filii Minister, & Procurator generalis dicti Ordinis præmissis sese opposuerint, prætextu quòd aliquæ ex Provinciis eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, quædam generalia, seu particularia ordinationes, & statuta, seu privilegia habeant, juxtà quæ diversimodè, & aliàs quàm in præfatis nostris literis statutum, dispositúmque fuit, gubernantur. Idcircò Nos pro majori, & uniformiori eorumdem fratrum Discalceatorum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi perfectione, & puritate in præmissis opportunè providere volentes, motu, scientia, ac deliberatione similibus, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, Quòd præfatæ nostræ literæ pro eisdem fratribus Discalceatis Hispaniarum & Indiarum emanatæ, ut præfertur, sivè illorum aliquæ Provinciæ habeant aliqua statuta, & ordinationes, seu privilegia generalia, aut particularia sivè non habeant, omninò, & inviolabiliter observentur, observaríque debeant in omnibus eorumdem fratrum Discalceatorum Provinciis, & Custodiis nunc, & pro tempore existentibus in partibus Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi: quódque præfatæ Provinciæ, & Custodiæ dictorum fratrum Discalceatorum nunc, & pro tempore existentes in eisdem Hispaniarum, & Indiarum partibus per sua propria statuta, ordinationes, & leges gubernentur, absque eo, quòd generalibus totius Ordinis statutis, & consuetudinibus subjaceant, ea tamen lege, ut ad receptionem prædictorum duorum Patrum Provinciæ, nullum, generale, sive particulare, & proprium statutum possit ipsis fratrum Discalceatorum Provinciis, & Custodiis, Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi suffragari, sed semper literæ nostræ prædictæ inviolabiliter, & inconcussè, ac generaliter observentur, tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus.

§. 6. Si verò fortè contingat in eisdem Provinciis, & Custodiis fratrum Discalceatorum prædictorum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi aliqua Capitula, Congregationes, seu actiones, in quibus Præfati duo Patres Provinciæ, vel eorum aliquis intersint, & reperiantur, celebrati, eo ipso omnia, & singula, quæ inibi decreta, & constituta fuerint, irrita, & nulla, nulliterque, & invalidè gesta, & facta fuisse, & esse, ac fore declaramus.

Quòd Discalceati possint mittere Procuratorem ad Roman. Cur.

§. 7. Dantes eisdem fratrum Discalceatorum Provinciis, & Custodiis, Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi facultatum mittendi ex eisdem fratribus Discalceatis suos proprios Procuratores ad Romanam Curiam, quotiescunque sese obtulerit occasio pro negotiis earumdem Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi pertractandis. Volumus autem, ut salvis supràdictis, dicti Fratres Discalceati Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi, in reliquis subjecti remaneant jurisdictioni, visitationi, & correctioni, ministri eorumdem fratrum de Observantia Generalis pro tempore existentis, ità quòd ipse Minister Generalis per se ipsum, vel alium, seu alios ex ipsis Discalceatos dicti Ordinis tantùm, possit eosdem fratres Discalceatos corrigere, visitare, & in eos jurisdictionem exercere. Quódque si minister Generalis prædictus absfuerit, non deputatis ab eo hujusmodi fratribus Discalceatis ad supràdictum effectum, tunc omnes, & singulæ Provinciæ, atque Custodiæ prædictæ per Ministros, ac Custodes suos gubernentur, juxtà quasdam alias nostras in simili forma Brevis die 8. Aprilis proximè præteriti expeditas literas, quarum etiam tenores præsentibus pro expressis haberi volumus.

Subjiciuntur Ministro Generali tantùm.

Præceptum de observando.

§. 8. Mandantes propterea omnibus, & singulis d. Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, cæterísque ad quos spectat, & pro tempore spectabit in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, à qua non nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo constituti, absolvi possint, aliísque arbitrii nostri, necnon officiorum suorum privationis, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia in posterùm obtinenda pœnis, ut eosdem fratres Discalceatos Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi præmissorum omnium commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentésque præsentes literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu, etiam quantumvis substantiali, vel formali nullatenùs unquàm notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut in jus, vel controversiam adduci, vel revocari posse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter, judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 10. Quocircà dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ nunc, & pro tempore in Hispaniarum Regno existenti Nuncio, per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi fuerit requisitus solemniter publicans, eísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostra præfatas, & præsentes nostras literas hujusmodi debitæ, & omnimodæ executioni demandari. Non permittentes eos contrà earumdem

prædictarum, & præsentium literarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habentibus servatis processibus, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illásque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, necnon præfatis Ministri, & Procuratoris Generalium dicti Ordinis oppositionibus, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon ipsius Ordinis, ac Provinciarum, & Custodiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinis, ac Provinciarum, & Custodiarum hujusmodi Superioribus Fratribus, & personis, ipsísque Provinciis, & Custodiis, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque. Volumus pariter, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 30. Jul. 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

§. 12. Cùm autem sicut accepimus in præfatis Indiarum partibus ob ingentes distantiam, & quæ inter ipsos Fratres Discalceatos cum Observantibus ejusdem Ordinis intercedit contradictionem, expediat, ut literæ Apostolicæ, quæ eò perveniunt maximè claræ sint, clausulásque contineant efficaces, earumdémque literarum executio Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis illarum partium, in quibus nullus Sedis Apostolicæ Nuncius existit committatur. Idcircò Nos pro nostræ pastorali sollicitudine in præmissis opportunè, ut infrà providere volentes. Præinsertas nostras literas cum omnibus in eis contentis tenore præsentium confirmamus, illísque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Et insuper quòd dicti Ordinis fratres Discalceati hujusmodi, qui absentibus eorum Ministris Generalibus, suprà dictas Provincias, & Custodias Indiarum præsentes, & futuras regere, & visitare debebunt, earumdem Provinciarum, & Custodiarum Indiarum, aut Hispaniarum ex Discalceatis hujusmodi filii esse, & in illis habitum per eosdem Discalceatos gestari solitum suscepisse, & professionem per eos emitti consuetam expresè emisisse debeant, quódque nullus ex dicti Ordinis observantibus, præter illius Ministrum Generalem pro tempore existentem, aut qui aliàs de Observantia fuerit, etiamsi inter eosdem Fratres Discalceatos degat, & vivat, nec eosdem Fratres Discalceatos regere, nec visitare, nec in eos ullum superioritatis actum quoquomodò exercere queat; In eventum verò, in quem Ministri Generales præmissis, aut illorum cuilibet contravenirent, præfatæ Provinciæ, & Custodiæ eorumdem Fratrum Discalceatorum Indiarum hujusmodi, juxtà quasdem alias nostras in simili forma Brevis die 8. Aprilis proximè præteriti, ad hunc effectum pro Provinciis eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum concessas, & emanatas vivere; & gubernare possint.

§. 13. Ac demùm quòd dictæ Provinciæ, & Custodiæ eorumdem Discalceatorum Indiarum præsentes, & futuræ quorumvis literarum, privilegiorum, & gratiarum à Sede Apostolica Provinciis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum, videlicèt, S. Josephi, S. Pauli, & S. Joannis Baptistæ concessorum, & concedendorum participes sint, statuimus, & ordinamus.

§. 14. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcunque de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quoquam defectu nullatenùs unquàm notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam adduci, vel revocari posse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 15. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis in eisdem Indiarum partibus constitutis, sive dilectis filiis eorum in spiritualibus generalibus Vicariis, & Officialibus per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, aut quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum Provinciarum, & Custodiarum Indiarum hujusmodi fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præinsertas, & præsentes nostras literas hujusmodi debitæ, & omnimodæ executioni demandari.

§. 16. Non permittentes eos contrà earumdem præinsertarum, & præsentium literarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposito compescendo, legitimísque super his habendo, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem præinsertis literis voluimus non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 22. Decemb. 1642. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

Pro-

Prohibitio Auditoribus Sacræ Rotæ Romanæ, ac eorum Locatenentibus, & Studii Adjutoribus, &c. ne vota sua, vel suorum Coauditorum, & alia, quæ in Rota tractantur cuiquam patefaciant.

Auditores Rotæ Rom. quæ servent in procedendo, & quòd præstent juramentum in ingressu eorum officii, Joann. XXII. Const. 14. Ratio juris, Iisdem Auditoribus Rotæ Romanæ multa indixit Paulus V. in Constitut. 71. Universi agri.

ita A. D. 1643.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

ordium.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii causarum Palatii Apostolici Auditores, quòd etiam in eorum primò ingressu in Rota præstent juramentum de conservando secretum super omnibus, & singulis, quæ in Rota occasione disputationis causarum dicuntur, tamen eorum vota, sive suffragia in causis, & controversiis, quæ in Rotæ Auditorio discutiuntur, & alia, quæ eorumdem causarum, eorúmque Tribunalis ratione inter se tractant, & disputant partibus litigantibus, seu aliàs patefiunt, indéque grave eidem Tribunali, Auditoribúsque, seu Locatenentibus prædictis oritur, & in dies magis oriri potest præjudicium: Nobis propterea dicti Auditores humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportuno providere remedio de benignitate Apostolica dignaremur.

otæ Auditibus prober, ne vo sua & alia as in Ro tractantur iquam tefaciant.

§. 1. Nos igitur, ne metu evulgationis Auditores præfati, seu eorum Locatenentes à proferendis liberè votis, seu suffragiis suis retrahantur, seu retrahi possint, justitiæque administratio indè quoquomodo impediatur, quantum cum Domino possumus providere volentes, & singulares dictorum Auditorum personas à quibusvis excommunicationis, suspenn. & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quavis occasione, vel causa latis, quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio à Nobis specialiter deputatorum consilio, quascumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hâc super re editas Constitutiones innovantes, iisdem Rotæ Auditoribus, ac eorum Locatenentibus nunc, & pro tempore in perpetuum existentibus, ne propria cujuslibet ipsorum vota, sive suffragia in quibusvis causis, & controversiis, quæ in eorum Auditorio pro tempore discutiuntur, ulli omninò personæ utriusque sexus, ac cujuscumque qualitatis, conditionis, status, dignitatis, & præeminentiæ, etiam Ecclesiasticæ individua mentione dignæ præterquàm suis Coauditoribus, seu Locatenentibus, suorumque studiorum unicis Adjutoribus; ac alteri dumtaxat personæ, cujus opera quemlibet Auditorem, seu Locumtenentem in studendo uti oportebit, directè, vel indirectè, nutu, scripto, vel verbo, vel aliàs quomodolibet sub quovis quantumvis colorato prætextu patefacere, aut ità loqui, ut ex eorum verbis de proprio, vel suorum Coauditorum, seu Locatenentium suffragiis, seu votorum tenoribus cognitio unquàm haberi possit, nec etiam Coauditorum suorum vota, sivè suffragia cuiquam ullo modo patefacere, neque quinam ex ipsis votum, sivè suffragium tulerint necne significare directè, vel indirectè quoquomodo, nec ea quæ tàm in eorum Auditorio, & congressu, quàm extrà, & ubique locorum inter ipsos, sivè collegialiter, sivè non collegialiter dicta, & tractata fuerint, sive causas, aut controversias, in eorum Auditorio discussas, sive eorum Tribunal, & Auditorium, sive personas litigantium, seu informantium quomodolibet concernentia cuiquam, ut præmittitur propalare, seu evulgare audeant, vel præsumant sub perjurii, & majoris excommunicationis latæ sententiæ à quibus à nemine, etiam majori Pœnitentiario, & quocumque alio facultatem absolvendi generalem, etiam vigore Cruciatæ, vel Jubilæi, etiam Anni Sancti, etiam in solo foro conscientiæ habente, sed dumtaxat à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo unquàm absolvi possint eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis Apostolica auctoritate hâc perpetuò valitura Constitutione nostra directa prohibemus, & interdicimus. Cæterùm, iisdem Auditoribus, ut dicere, vel significare valeant difficultates, ob quas resolutio in qualibet Rotali discussione dilata, seu quomodolibet impedita, seu rationes, & motiva, ob quæ illa facta fuerint, quæ in causæ discussione adducta fuerunt partibus contendentibus, sive collitigantibus, tacito tamen illius, seu illorum Auditorum, seu Locatenentum nomine, & cognomine etiam Correspondalium nuncupatorum, à quo, seu quibus difficultates præfatæ excitatæ, vel rationes, ac motiva etiam à partibus contendentibus, seu colligantibus deducta, probata, seu amplexa fuerunt, permittimus.

§. 2. Quia verò valdè inconveniens foret ea quæ per ipsos Auditores, seu Locatenentes secreta teneri debent, ab eorum Studii Adjutoribus publicari, aut aliquo modo patefieri. Idcircò singulis Auditorum, & Locatenentium præfatorum studii, ut vocant Auditoribus, necnon alteri personæ, cujus opera quilibet eorumdem Auditorum, ac Locatenentium pro tempore in studendo, aliósque labores perferendo uti, ut supràdictum est, poterit, ne vota, sive suffragia tàm suorum, quàm aliorum Auditorum, ac Locatenentium, aut si quid ex illis, quæ ut suprà dictum est in Auditorio, seu congressu dictorum Auditorum tractata, & dicta fuerint, aut quæ resolutionem causarum, & negociorum, ut præfertur, impediverint, vel promoverint quomodolibet resciverint, etiam minimum, ulli omninò personæ directè, vel indirectè verbo, vel scripto, aut alio quoquomodo, ut præmittitur patefacere, indicare & significare pariter audeant, vel præsumant sub pœnis præfatis eo ipso incurrendis, modóque, & forma præmissis, ità ut etiam in foro conscientiæ solùm à Nobis, & Romano Pontifice, ut præfertur, absolvi possint similiter nunc prout postquàm præsens nostra Constitutio ad eorum notitiam deducta fuerit, perpetuò prohibemus. Eorum studii adjutoribus idem injungit.

§. 3. Insuper ut omnes, & singuli Auditores hujusmodi, præsentes quidem post hujusce nostræ Constitutionis promulgationem, posteri verò antequàm possessionem officii Auditoris hujusmodi adipiscantur, in manibus pro tempore existentis S. R. E. Cardinalis Vicecancellarii, necnon dicti Adjutores studii, scilicet unus Adjutor pro quolibet Auditore, seu Locumentente, & altera dumtaxat persona, cujus opera dicti Auditores, & Locatenentes in studendo, ut præfertur utentur in manibus suorum respectivè Auditorum, seu Locatenentium sese hanc nostram Constitutionem ad unguem observaturos jurent, & jurare teneantur. Eosdem jurare jubet rè observaturos eandem Constitutionem.

§. 4. Necnon ut quotannis in prima Rota mensis Octobris, quando cæteræ Constitutiones Apostolicæ dictum Tribunal concernentes legi solent, etiam hæc nostra Constitutio cum illis legatur, ac ut ejusdem Constitutionis copia in bibliothecis, seu locis studii ordinarii Auditorum præfatorum, ità aut ab omnibus, quos illa concernit, legi, nec illius ignorantia ab eis allegari queat, palàm, & loco conspicuo affigi, & continuò affixa remanere debeat, volumus, statuimus, & ordinamus. Quam affigi præcipit.

Clausulas præservativas addit.

§. 5. Præsentésque literas & in eis contenta, quæcumque nullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio vel intentionis nostræ, aut alio quopiam defectu notari, impugnari, vel redargui in jus, vel controversiam revocari, vel ad terminos juris reduci posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, fore, & ab omnibus, quos illæ concernunt, perpetuò inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 6. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam præfatos Auditores, & Locatenentes, & S. R. Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quacunque auctoritate fungentes, etiam Pœnitentiarios, nunc, & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. necnon eisdem præsentes literas intelligendas esse prout jacent decernimus, & ut incursus censurarum, & pœnarum præfatarum aliquo modo non excusetur, ne eædem literæ per quemquam nisi per Nosmetipsos, & Romanos Pontifices successores nostros declarentur, seu interpretentur, sub eisdem censuris, & pœnis eo ipso incurrendis prohibemus.

Contraria removet.

§. 5. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Tribunalis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Tribunali, & Auditoribus & alis præfatis, cæterisque quibuslibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 30. die 19. Nov.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Novembr. 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoprimo.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Urbani Divina Providentia Papæ Octavi anno ejus vigesimo primo, die verò 23. Novembris suprà dictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in in valvis Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Camillum Frisonum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Joseph Masseus Curs.

CCCXI.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis, & Paramenta ex Sacristiis Domorum Regularium Provinciæ Granaten. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Recollectorum nuncupat.

Similem prohibitionem obtinuerunt quamplures Regulares ut plenè notatum est in Repert. tom. 5. verb. Bibliotheca, ubi te remitto.

Edita An. D. 1643.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN iis, quæ ad tuenda, conservandáque bona, & jura Religiosorum ordinum quorumcumque pertinere noscuntur, authoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio.

§. 1. Cùm itaque sicut dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupati Provinciæ Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, in Conventionibus eorumdem Fratrum dictæ Provinciæ, Sacristiæ, & Bibliothecæ extent. quarum ornamenta, & libri partim ex eleemosynis personarum sæcularium empta, partim à diversis benefactoribus, & piis particularibus personis donotata fuerunt, ut illis mediantibus iidem Fratres Recollecti commodè literis operam dare, & divino cultui decenter vacare possint, per dilectos autem filios Ministros Generales, Provinciales, & alios Superiores Ordinis, & Provinciæ hujusmodi è dictis Sacristiis, & Bibliothecis nonnulla libri, & ornamenta hujusmodi sub eo, quòd illa non necessaria, aut duplicata sint, aut sub quibusvis aliis coloribus, & prætextibus extrahantur, aut permutanda, vel aliis Conventibus Fratrum Observantium, vel Monialium ejusdem Ordinis danda, seu vendenda, exindéque personis sæcularibus, quæ dictis Conventibus, seu illorum Sacristiis, & Bibliothecis libros, & Ornamenta hujusmodi dederunt, non leve scandalum, ipsis verò Fratribus recollectis, & eorum Conventibus notabile præjudicium inferatur.

§. 2. Idcircò Nos librorum, & ornamentorum Sacristiarum, & Bibliothecarum Conventuum d. Provinciæ conservationi, & manutentioni quantum Nobis ex alto conceditur prospectum esse cupientes, eosdémque Fratres exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ voto.

Prohibet ut in Ru[...]

§. 3. Quòd de cætero nullus, sivè Generalis, sive Provincialis Minister, nullus Visitator, nec alius quivis Superior dicti Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, è Sacristiis, & Bibliothecis Conventuum eorumdem Fratrum Recollectorum dictæ Provinciæ, ulla paramenta, & ornamenta Ecclesiastica, vasa, vascula, patenas, calices, & quamcumque aliam sacram, & prophanam suppellectilem, necnon quævis libros, quinterna, monimenta, & folia, sive impressa, sive manuscripta, tàm hactenùs donata, empta, seu aliàs quomodolibet assignata, quàm de cætero donanda, emenda, & assignanda respectivè amovere, asportare, tollere, distrahere, aut cuiquam commodare, seu amoveri, asportari, tolli, distrahi, aut commodari facere, vel consulere, aut ut illa amoveantur, asportentur, tollantur, distrahantur, aut commodentur permittere, ullatenùs unquàm possit, audeat, seu præsumat in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ ipso facto absque alia declaratione per contravenientem incurrendæ à qua nonnisi à Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo constitutus absolvi possit, necnon privationis vocis activæ & passivæ pœnis, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Executor[...] deputat.

§. 4. Quocircà venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis eorum Officialibus, sivè Vicariis in spiritualibus generalibus, necnon Prioribus, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac Beneficiatis, quibuscumque locorum in quibus Conventus hujusmodi consistunt, & consistent, & in quibus in præmissis contraveniri contigerit, per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Recollectorum hujusmodi dictæ Provinciæ, aut

alicu-

alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta quæcumque per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum perpetuò firmiter, & inviolabiliter observari, illásque debitæ executioni demandari; Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

ontrariis erogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusvis dicti Ordinis, & Provinciæ Superioribus, Fratribus, & personis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscungue.

Transumptis redi man- au

§. 6. Volumus autem, quòd præsentis prohibitionis copia in Valvis Sacristarum, & Bibliothecarum Conventuum dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi respectivè, aut in aliquo alio illarum perspicuo loco, undè ab omnibus cerni possit continuò affixa remaneet, quódque præsentium transumtis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 21. ie 23. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembr. 1643. Pontificatus Nostri Anno Vigesimoprimo.

CCCXII.

Extensio Constitutionis, Aliàs à Nobis; &c. ad Provincias S. Josephi, ac Indiarum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupat. scilicet quòd in Processionibus competit eis dignior locus suprà Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini.

De hac materia lege quæ notavi suprà ad Constitutiones 128. Ex incumbenti. Ad Constit. 303. Aliàs ac ad Constit. 299. Exponi Nobis.

Edita A. D. 1644.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

§. 1. CUM sicut dilectus Filius Paulus à Matrito Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum Professor, & in Romana Curia eorumdem Fratrum Provinciæ Sancti Josephi Procurator, & filius Nobis nuper exponi fecit; licèt aliàs fœl. recor. Clemens Papa Octavus Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas de anno 1602. emanatas declaraverit: Fratres Minores Sancti Francisci strictioris observantiæ, Reformatos nuncupatos, qui non novam, sed eandem Regulam, quam ipse Beatus Franciscus condidit, & similis memoriæ Honorius Papa Tertius, etiam Prædecessor noster confirmavit, quámque pariter Fratres de Famila dicti Ordinis, nuncupati de Observantia observant, licèt ipsi Fratres Reformati Regulam hujusmodi puriùs observent, esse veros, & indubitatos Fratres dicti Ordinis Sancti Francisci, & in Conscientia tutos existere, ac omnibus, & singulis Privilegiis, & gratiis, & indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, quibus ipsi Observantes gaudent, ubilibet frui, & gaudere posse, ac debere modò, & forma tunc expressis, mandaveritque in virtute sanctæ obedientiæ, ut nullus ex tunc deinceps dictos Fratres Reformatos appellare auderet, seu præsumeret novos Religiosos, at novæ Regulæ Professores.

Clem. VIII. prohibuit dicere, Reformatos esse novos Religiosos.

Quod præcedentia competit Reformatis suprà Augustinianis.

§. 2. Subindéque Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris ritibus præpositi super certis controversiis aliàs excitatis inter ipsos Fratres Reformatos, necnon dilectos filios Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in quadam Provincia Hispaniæ super jure præcedendi in processionibus, & aliis actibus publicis determinaverint præcedentiam hujusmodi in concursu cum aliis Regularibus in processionibus, & aliis actibus publicis semper competere dictis Reformatis Discalceatis, sive soli de per se, & sub propria Cruce, sive sub Cruce, & cum familia de Observantia incedant, & sivè Discalceati Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur dummodò sint verè Reformati d. Ordinis S. Francisci, necnon gaudere, & frui debere omnibus aliis prærogativis in præfatis ejusdem Clementis Prædecessoris literis contentis, & expressis, & subsequenter, Nos auditis hinc indè partibus decretum eorumdem Cardinalium desuper emanatum confirmaverimus, deputatis ad illius executionem certis tunc expressis personis, necnon etiam in hac materia secutæ fuerint aliquo nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio ad ipsorum Fratrum Reformatorum favorem, nihilo tamen minùs non desint, aut dubitentur non esse defuturi aliqui alii aliorum Ordinum, Congregationum, Societarum, vel Institutorum Religiosi, qui perturbent, litibúsque fatigent circà præmissa eosdem Reformatos S. Francisci, qui ob eorum paupertatem litium dispendia, & incommoda sustinere minimè valent.

Confirmat literas Clem. VIII.

§. 3. Nobis propterea dictus Paulus Procurator, quo suprà nomine, ac aliàs, ut quævis perturbationes, & incontinentia effugiantur, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè, ut infrà providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur eumdem Paulum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ voto, & sententia, præfatas dicti Clementis Prædecessoris, nostrásque literas, necnon ipsum eorumdem Cardinalium decretum, & sententiam; seu sententias hujusmodi circà respectivè, ut præmissa respectivè, ut præfertur emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, & insuper declaramus, quòd omnes, & singuli Fratres Reformati discalceati primò dicti Ordinis S. Francisci omnium, & singularum illius Provinciarum, & custodiarum nunc, & pro tempore existentium, & futurarum id Regnis Hispaniarum. & partibus Indiarum semper habeantur, & teneantur, haberique, teneri, & reputari debeant pro veris Sancti Francisci filiis, uti sunt toto cum rigore, & puritate, quàm profitentur Regulam observan-

tes, quódque nullo quovis sub prætextu, quæsito colore, causa, vel ingenio aliàs, quàm veri filii, & indubitati Fratres Sancti Francisci nuncupari, teneri, & haberi ullatenùs possint, ac uti tales omnibus, & singulis gratiis favoribus, & privilegiis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus dicto Ordini hactenùs concessis, & de cætero per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem Apostolicam, ac etiam Nos concedendis fruantur, & gaudeant.

Confirmat Decretum super præcedentia.

§. 4. Quódque idem Fratres Reformati Discalceati earumdem Provinciarum, & Custodiarum semper in omnibus actibus publicis, nedùm Processionum, sed etiam quarumvis aliarum functionum, eosdem locum, & præcedentiam, quos habent, & quibus gaudent ipsi Fratres Observantes primodicti Ordinis hujusmodi, cum & sine sua Cruce, & aliàs prout continetur in ipsius Clementis Prædecessoris, & nostris literis, decretóque & sententiis suprà dictis habeant, ac desuper à quibusvis cujuslibet alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti Regularibus, præsertim verò Fratribus Eremitis secundodicti Ordinis ejusdem Sancti Augustini Villæ, seu Oppidi de Arenas Abulen. Diœc. aut quorumvis aliorum Civitatum Terrarum, Oppidorum, Villarum, & Locorum, in quibus ipsi Reformati Discalceati Conventum, seu locum habeant, aut ubi illum non habeant dictis Processionibus, & aliis actibus publicis interveniant, molestari quoquo modo nullatenùs possint.

Præceptum de observando.

§. 5. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis vocis activæ, & passivæ, ac suorum officiorum perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in posterùm obtinenda, aliisque arbitri nostri pœnis, ut eosdem Reformatos Fratres Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi omnium, & singulorum præmissorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant; ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere ipsisque Fratribus Reformatis Discalceatis Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Constituit executores.

§. 6. Quocircà dilecto filio nostro, & Sedis præfatæ in eisdem Regnis Nuncio, nunc & pro tempore existenti, necnon Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis in iisdem Regnis, & Indiarum partibus constitutis, seu dilectis filiis eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Provinciarum: & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula debitæ, & omnimodæ executioni demandari, & ab omnibus inviolabiliter observari. Non permittentes eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi per ejusdem secundodicti Sancti Augustini, aut aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, vel Institutorum Regulares quomodolibet molestari.

Contravenientium pœnæ.

§. 7. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opponentes per eandem excommunicationis, & alias pœnas præfatas, ac quasvis alias censuras Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Clausulas lata Greg. XIII.

§. 8. Non obstantibus quibusdam etiam fœlic. record. Gregorii XIII. de anno 1583. Pontificatus sui anno duodecimo emanatis literis declaratoriis præcedentiæ inter Ordines Mendicantium, & Confraternitates servandæ in processionibus, necnon quatenùs opus sit Bonifacii Octavi etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis aliis decretis, & sententiis latis, & emanatis respectivè circà præmissa contrà ipsos Reformatos Discalceatos primodicti Ordinis hujusmodi per quævis Tribunalia, Curias, Judices, aut Ministros dictæ Sedi Apostolicæ subjecta, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantesmentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præsentium specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 9. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. die 30. Ap.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 20. Aprilis 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

CCCXII

Altare privilegiatum pro omnibus, & singulis Conventibus Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Sancti Francisci in Regno Hiberniæ existentibus.

Edita A. 1644.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

OMnium saluti peterna charitate intenti Sacra interdùm loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut indè fidelium defunctorum animæ Domini Nostri JESU CHRISTI ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam salutem per DEI misericordiam perduci valeant.

§. 1. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Provinciæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ nuncupat. in

in Hibernia existentibus, in quibus nullum aliud Altare privilegiatum reperitur concessum, & in earum qualibet sit. Altare Majus hoc speciali dono illustrant, dummodò in qualibet earum Missa celebretur, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus infrà illius Octavam, ac secunda feria cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ità ut ejusdem Domini Nostri JESU CHristi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorúmque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur concedimus, & indulgemus in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad triginta annos tantum valituris.

§. 2. Volumus autem quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 17. Februarii 1644. Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

CCXIV.

Confirmatio Decreti Capituli Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo primitivæ observantiæ, de Monialibus supernumerariis.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

CUM sicut dilectus filius Præpositus generalis Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum primitivæ Observantiæ Congregationis Hispaniæ, nobis nuper exponi fecit, per Constitutiones Monialium dicti Ordinis Apostolica authoritate confirmatas disponatur, ut numerus Monialium uniuscujusque Monasterii Ordinis hujusmodi viginti, & unius dumtaxat existat. Experientia verò compertum sit, in tàm exiguo número hujusmodi, nonnulla ejusdem Ordinis Monasteria aliquibus Monialibus, vel infirmis, aut senio confectis seu fatuis, & mentecaptis ad Chorum, aliáque dicti Ordinis ministeria inutilibus gravata reperiri: ex quo Observantia Regularis, cæteræque Moniales maxima, plerúmque damna, & incommoda patiuntur.

§. 2. Proindéque in Capitulo generali dictæ Congregationis novissimè in Conventu S. Petri dicti Ordinis Oppidi de Pastrana celebrato inter alia inibi edita, emanaverit decretum infrà positum: quòd videlicet Moniales fatuæ, vel amentes per triennium confirmatæ non computentur in numero viginti unius; sed aliæ earum loco possint recipi, etiam numero viginti unius completo. Decretum verò hujusmodi quo firmiùs subsistat idem Præpositus generalis Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desideret.

§. 3. Idcircò nos eumdem Præpositum generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio: Decretum prædictum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 4. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari: sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis authoritate fungentes judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis, Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes: illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, qui adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Maji 1644. Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

CCCXV.

Constitutio super præstatione alimentorum Hebræis pauperibus ad instantiam Christianorum creditorum carceratis.

De Hebræis, sive Judæis habes Pauli IV. Constitut. 3. Cum nimis. *tom.* 2. *circà Judæorum vivendi modum, quam posteà confirmavit Pius V. Const.* 6. *Romanus, tom.* 2.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

CUM sicut accepimus, licèt aliàs Congregatio Visitationis Carcerum Almæ Urbis nostræ tempore fœlicis recordationis Pauli V. Papæ prædecessoris nostri, visis literis reformationis tàm ab eodem Paulo prædecessore, quàm fœlicis recordationis Pio V. Papa similiter prædecessore nostro emanatis, decreverit alimenta, sive victualia Hebræis pauperibus ad instantiam creditorum Christianorum carceratis, per eosdem creditores Christianos non esse subministranda; decretúmque hujusmodi idem Paulus prædecessor approbaverit, & ab omnibus ejusdem Urbis Tribunalibus servari mandaverit: quoniam tamen in Rotæ auditorio, proponente bonæ memoriæ Alphonso Patriarcha Hierosolymitano ejusdem Rotæ Locumtenente, decisum fuit, & judicatum, Hebræis pauperibus carceratis alimenta, sive victualia, attenta juris communis dispositione, esse à creditoribus etiam Christianis præstanda: Decretum verò visitatorum prædictorum locum dumtaxat habere, quando alimenta prædicta coràm Visitatoribus carcerum hujusmodi petuntur.

Concedit ut in rub. — Transumptis credi mandat. — Dat. P. A. ut die 17. Febr. — Edita An. D. 1644. — Motiva hujus constitut. — Decretum Capituli Generalis. — Confirmat ut in Rub. — Decretum irritans. — Contrariis derogat. — Transumptis credi jubet. — Dat. P. An 21 die 10. Maji. — Edita An. D. 1635. — Causæ hujus Constit.

Hebræis ad inſtantiam Chriſtianorum Carceratis alimenta præſtari mandat.

§. 1. Idcircò ad contentiones inter diverſa ejuſdem Urbis Tribunalia evitandas, utque pauperibus Hebræis hujuſmodi aliquo modo, ne pereant, ſubveniatur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, onus ſolvendi prædicta alimenta pauperibus Hebræis ad Chriſtianorum inſtantiam carceratis, Communitati eorumdem Hebræorum de Urbe, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium imponimus, ipſamque Communitatem ad præſtanda realiter, & cum effectu alimenta, ſive victualia pauperibus Hebræis carceratis hujuſmodi per eoſdem Viſitatores, aliorum quorumcumque ipſius Urbis Tribunalium Judices, via executiva, & manu regia cogi poſſe volumus: reſervato tamen jure eidem Communitati Hebræorum pro alimentorum, ſive victualium prædictorum recuperatione, contrà eorumdem Hebræorum carceratorum bona, res, & jura agendi.

Clauſula ſublata.

§. 2. Decernentes, ſic & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenùs opus ſit, regula noſtra de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

D. P. An. 13. die 18. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Octobris 1635. Pontificatus noſtri Anno tertio decimo.

CCCXVI.

Confirmatio, & innovatio literarum Clementis VIII. in favorem Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sancti Franciſci, nempè quòd non ſunt novi Religioſi, & fruuntur omnibus privilegiis Ordinis, & in concurſu cum aliis Regularibus in proceſſionibus competit eis jus præcedendi.

De hujuſmodi Fratribus lege, quæ notavi ad Conſtit. 214. Ex incumbenti, & ad Conſtit. 303. Aliàs à nobis.

Edita An. D. 1644.

URBANUS VIII. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Cum ſicut dilectus filius Paulus à Matrito Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci Diſcalceatorum nuncupatorum Profeſſor, & in Romana Curia eorumdem Fratrum Provinciæ Sancti Joſephi Procurator, & filius Nobis nuper exponi fecit.

Recenſet litteras Clementis VIII. quòd Fratres Reformati non ſunt novi Religioſi.

§. 1. Licèt aliàs fœlicis recordationis Clemens Octavus Papa Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis litteras de anno 1602. emanatas declaraverit: Fratres Minores S. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ, Reformatos nuncupatos, qui non novam, ſed eamdem Regulam, quam ipſe Beatus Franciſcus condidit, & ſimilis memoriæ Honorius Papa Tertius, etiam Prædeceſſor noſter confirmavit, quámque pariter Fratres de familia dicti Ordinis, nuncupati de obſervantia obſervant, licèt ipſi Fratres Reformati Regulam hujuſmodi puriùs obſervent, eſſe veros, & indubitatos Fratres d. Ordinis S. Franciſci, & in conſcientia tutos exiſtere, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus ipſi Obſervantes gaudent, ubilibet frui, & gaudere poſſe, ac debere modo, & forma tunc expreſſis, mandaveritque in virtute ſanctæ obedientiæ, ut nullus ex tunc deinceps dictos Fratres Reformatos appellare auderet, ſeu præſumeret novos Religioſos, aut novæ Regulæ Profeſſores.

§. 2. Subindéque Venerabiles Fratres Noſtri S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus præpoſiti ſuper certis controverſiis aliàs excitatis inter ipſos Fratres Reformatos, necnon dilectos filios Fratres Eremitarum Sancti Auguſtini in quadam Provincia Hiſpaniæ ſuper jure præcedendi in proceſſionibus, & aliis actibus publicis determinaverint præcedentiam hujuſmodi in concurſu cum aliis Regularibus in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſemper competere dictis Reformatis Diſcalceatis, ſive ſoli de per ſe, & ſub propria Cruce, ſive ſub Cruce, & cum familia de Obſervantia incedant, & ſive Diſcalceati Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodò ſint verè Reformati dicti Ordinis Sancti Franciſci; necnon gaudere, & frui debere omnibus aliis prærogativis in præfatis ejuſdem Clementis Prædeceſſoris literis contentis, & expreſſis, & ſubſequenter.

§. 3. Nos auditis hinc indè partibus, decretum eorumdem Cardinalium deſuper emanatum confirmaverimus, deputatis ad illius executionem certis tunc expreſſis perſonis, necnon etiam in hac materia ſecutæ fuerint aliquæ ſententia, ſeu ſententiæ, etiam coràm aliquo noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuncio ad ipſorum Fratrum Reformatorum favorem, nihilo tamen minùs non deſint, aut dubitentur non eſſe defuturi aliqui alii aliorum Ordinum Congregationum, Societatum, vel Inſtitutorum Religioſi, qui perturbent, litibúſque fatigent circà præmiſſa eoſdem Reformatos Sancti Franciſci, qui ob eorum paupertatem litium diſpendia, & incommoda ſuſtinere minimè valent, Nobis propterea dictus Paulus procuratorio, quo ſuprà nomine, ac aliàs, ut quævis perturbationes, & incontinentia effugiantur, humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè, ut infrà providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur eumdem Paulum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis auctoritate, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſotum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Congregationis ſuper negotiis dicti Ordinis deputatæ voto, & ſententia, præfatas dicti Clementis Prædeceſſoris, noſtráſque litteras, necnon ipſum eorumdem Cardinalium decretum, & ſententiam, ſeu ſententias hujuſmodi circà præmiſſa reſpectivè, ut præfertur emanata Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

§. 5. Et inſuper declaramus, quòd omnes, & ſinguli Fratres Reformati Diſcalceati primò dicti Ordinis Sancti Franciſci omnium, & ſingularum illius Provinciarum, & Cuſtodiarum nunc, & pro tempore exiſtentium, & futurarum in Regnis Hiſpaniarum, & partibus Indiarum ſemper habeantur, & teneantur, haberíque, teneri, & reputari debeant pro veris Sancti Franciſci filiis, uti ſunt toto cum rigore, & puritate, quàm profitentur Regulam obſervantes, quódque nullo quovis ſub prætextu, quæſito colore, cauſa, vel ingenio aliàs, quàm veri filii, & indubitati Fratres Sancti Franciſci nuncupari, teneri, & haberi ullatenùs poſſint, ac uti tales omnibus, & ſinglis gratiis, favoribus, & privilegiis tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus dicto Ordini hactenùs conceſſis, & de cætero per quoſcumque Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, ac etiam Nos concedendis fruantur, & gaudeant.

§. 6. Quód-

§. 6. Quódque ijdem Fratres Reformati Discalceati earumdem Provinciarum, & Custodiarum semper in omnibus actibus publicis, nedùm Processionum, sed etiam quarumvis aliarum functionum, eosdem locorum, & præcedentiam quos habent, & quibus gaudent ipsi Fratres Observantes primodicti Ordinis hujusmodi cum, & sine sua Cruce, & aliàs prout continetur in ipsius Clementis Prædecessoris, & nostris litteris, decretóque, & sententia, seu sententiis supradictis habeant, ac desuper à quibusvis cujuslibet alterius Ordinis, Congregationis, Societatis vel Instituti Regularibus præsertim verò Fratribus Eremitis secundodicti Ordinis ejusdem Sancti Augustini Villæ, seu Oppidi de Arenas Abulensis Diœcesis aut quorumvis aliorum Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Villarum, & locorum, in quibus ipsi Reformati Discalceati Conventum, seu locum habeant, aut ubi illum non habeant dictis Processionibus, & aliis actibus publicis interveniant, molestari quoquomodo nullatenùs possint.

§. 7. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum, spectabit in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, ac suorum officiorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia in posterùm obtinenda, aliisque arbitrii nostri pœnis, ut eosdem Reformatos Fratres Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi omnium, & singulorum præmissorum commodo & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, ac decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque Fratribus Reformatis Discalceatis Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & d. Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique, & in quavis instantia judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Quocircà dilecto filio nostro, & Sedis præfatæ in eisdem Regnis Nuncio, nunc, & pro tempore existenti, necnon venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis in ijsdem Regnis, & Indiarum partibus constitutis, seu dilectis filiis eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula debitæ, & omnimodæ executioni demandari, & ab omnibus inviolabiliter observari. Non permittentes eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciarum, & Custodiarum Hispaniarum, & Indiarum hujusmodi per ejusdem secundodicti Sancti Augustini, aut aliorum quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, vel Institutorum Regulares quomodolibet molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliàs præmissis non parentes, sese quomodolibet opponentes per eandem excommunicationis, & alias pœnas præfatas, ac quasvis alias censuras, Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita; compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 9. Non obstantibus quibusdam etiam fœlicis recordationis Gregorii XIII. de anno 1583. Pontificatus sui anno duodecimo emanatis litteris declaratoriis præcedentiæ inter Ordines Mendicantium, & Confraternitates servandæ in processionibus, necnon quatenùs opus sit Bonifacii Octavi etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis aliis decretis, & sententiis latis, & emanatis respectivè circà præmissa contrà ipsos Reformatos Discalceatos primòdicti Ordinis hujusmodi per quævis Tribunalia, Curias, Judices, aut Ministros dictæ Sedi Apostolicæ subjecta, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogat litteris Gregor. XIII. de præcedentia.

§. 10. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptis credi jubet.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 20. Aprilis 1644. Pontificatus Nostri Anno vigesimo primo.

CCCXVII.

Quòd Provincia Sancti Gabrielis moderetur cum solis statutis municipalibus, & gaudeat omnibus privilegiis aliarum Provinciarum Fratrum Discalceatorum S. Francisci.

Ne jam indicata otiosè repertam, te remitto ea quæ nuper notavi ad Const. 317. Cùm sicut.

URBANUS VIII. PAPA.

Edita An. D. 1643.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs Nos Motu proprio, & ex certa scientia, meráque deliberatione nostris déque Apostolicæ potestatis plenitudine, inter certa alia, quòd Provinciæ, & Custodiæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum pro tempore existentes in Hispaniarum, & Indiarum partibus per sua propria statuta, ordinationes, & leges gubernarentur, absque eo, quod generalibus totius Ordinis Statutis, & consuetudinibus subjacerent, quódque Sancti Gabrielis, & S. Didaci Provinciæ eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum perpetuò omnibus, & singulis privilegiis, & gratiis spiritualibus, & temporalibus pro fœlici, prosperóque illarum regimine, & conservatione concessis, eatenùs, & inposterùm concedendis à Sede Apostolica Provinciis Sancti Josephi, Sancti Joannis Baptistæ, & Sancti Pauli eorumdem Fratrum Discalceatorum Ordinis hujusmodi pariter Recenset. Brevia aliàs expedita pro Discalceatis.

Hispaniarum gauderent, & de illis participarent, decrevimus, statuimus, & ordinavimus, & aliàs prout in diversis nostris in simili forma Brevis, litteris desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 1. Nunc autem Nos eandem Sancti Gabriëlis Provinciam, illiúsque Fratres Discalceatos hujusmodi pro illorum uniformiori perfectione, & puritate, amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, déque particularis Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputatæ consilio.

Concedit prout in rub.

§. 2. Quòd Minister Provincialis dictæ Provinciæ Sancti Gabriëlis Fratrum Discalceatorum hujusmodi in proximè celebrando ejusdem Provinciæ Capitulo provinciali ad Capitularem, seu aliam domum Regularem dictæ Provinciæ Ordinis hujusmodi sibi benè visam, & per eum eligendam, antè vel post ipsius Capituli Provincialis celebrationem, eos dictæ Provinciæ Fratres Discalceatos hujusmodi, qui aliàs ministratus Provincialis munere functi fuerunt, convocet, & convocare debeat, qui si convocati, & congregati cum diffinitorio eorum propria statuta, & ordinationes condant pro fœlici dictæ Provinciæ regimine, majorísque perfectionis, quoad vitam, & bonos mores conservatione, quàm ipsa Provincia profitetur, statutáque & ordinationes hujusmodi exactè, & summo cum rigore observentur, & per ea dicta Provincia, & illius Fratres Discalceati hujusmodi gubernentur absque eo quòd Generalibus ipsius Ordinis, aut aliis statutis, & Consuetudinibus subjacent, sed ijs dumtaxat, quæ ab ipsis congregatis, & diffinitorio edentur, subsint.

§. 3. Ac insuper, quòd eadem Sancti Gabriëlis Provincia, illiúsque Fratres Discalceati hujusmodi omnibus, & singulis litteris Apostolicis privilegiis, & gratiis tàm spiritualibus, quàm temporalibus concessis hactenùs, & in posterùm concedendis à Sede Apostolica primòdictis eorumdem Fratrum Discalceatorum aliis Provinciis Hispaniarum, & Indiarum participent, & gaudeant tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus.

§. 3. Mandantes propthereà in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis eo ipso absque alia declaratione incurrendæ, ac suorum officiorum privationis, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus & singulis Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Superioribus, & Subditis cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, ut præmissa omnia exactè, & accuratè exequantur, & observent, & ab aliis exequi, & observari curent, & faciant.

Decretum irritans.

§. 5. Ac Decernentes præsentes literas, nullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut in jus vel controversiam adduci vel revocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, & Provinciis, illorúmque quibusvis Superioribus Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habentes, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expresse derogamus, cæterísque contraris quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An 21. die 3. Oct

Datum Romæ ad S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1643. Pontificatus nostri anno vigesimo primo.

CCCXVIII.

Erectio Provinciæ S. Antonii Regni Portugalliæ Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum ad instar Provinciæ S. Joann. Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum in Hispania,

De horum Fratrum Discalceatorum materia lege quæ notavi ad Constit. 17. Aliàs &c. Greg. XV. & ad Constit. 245. Cùm ea, hujus Pontificis, circà confirmationem Privilegiorum dictæ Provinciæ S. Joann. Baptistæ.

Edita An. D 1639.

URBANUS VIII. PAPA.
Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

CUM sicut dilecti filii Franciscus Ulixbonensis Minister Provincialis Diffinitores Provinciæ S. Antonii Regni Portugalliæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupat. & illorum nomine Bernardus à Martyribus Commissarius Provincialis & Guardianus Collegii S. Antonii Colimbriensis d. Ordinis nobis nuper exponi fecerunt ipsi negocium Reformationis d. Provinciæ ijsdem ferè modis & mediis quibus Provincia S. Joannis Baptistæ Fratrum Minorum Discalceatorum nuncupat. Regularis Observantiæ ejusdem S. Francisci in Hispania reformata existit promoveri summoperè desiderent.

Absolvit exponentes à censuris &c

§. 1. Nos qui personarum quarumlibet præsertim sub suavi Religionis jugo altissimo famulantium quieti, & statui quantum cum Domino possumus libenter consulimus super præmissis opportunè providere ipsósque exponentes specialibus, favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliísque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequentes harum serie absolventes & absolutas fore censentes.

Quòd possint recipere nova loca.

§. 2. Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati modernis eidem Francisco & pro tempore existentibus ministro Provinciali, Custodi, Diffinitoribus, Guardianis & Fratribus d. Provinciæ S. Antonii, ut quascumque domos sive heremitoria, seu loca si quæ sibi à piis Christifidelibus in Portugalliæ partibus concedantur recipere, & in illis Conventus sui Ordinis erigere, & fundare, servata tamen aliàs Sacrorum Canonum & Decretorum Sac. Concilii Tridentini forma de sola Ordinarii loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cujusvis

Ordinis,

Ordinis, Congregationis aut instituti Regularium desuper requisito consensu, ac domos sui Ordinis, & Provinciæ S. Antonii prædictæ cum Ecclesia, Sacrario, Campana, seu campanis humilibus Cœmiteriis, Claustro, Refectorio, Cellis, Hortis, aliisque officinis & ædificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum domorum Ecclesiis postquàm erectæ & fabricatæ fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis asservare, ac divina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ut in cæteris Fratrum Discalceatorum eorumdem domibus fieri solet, ac ejusdem S. Antonii Provinciæ nunc & pro tempore existentibus Ministris Provincialibus, seu Guardianis sive alio quovis nomine nuncupatis Prælatis ad quos de jure & juxtà Regularia ejusdem Ordinis statuta Apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, ut quoscumque prædictum Discalceatorum Ordinem ingredi & profiteri volentes, dummodò in qualibet dictarum domorum erigendarum tàm Fratres professi, quàm Novitii numerum triginta non excedant, juxtà Regularia ejusdem Ordinis instituta ad habitum & professionem recipere & admittere, ac cum aliis Religiosis professis incorporare liberè & licitè valeant licentiam, & facultatem perpetuò concedimus.

§. 3. Prætereà, quòd Provincia S. Antonii prædicta illiúsque Fratres & Conventus suis arctioribus constitutionibus & statutis quæ in pleno Capitulo Provinciali à majori parte Capituli recepta & stabilita fuerint gubernentur, nec ad observanda statuta generalia à Capitulis vel Congregationibus generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum jam facta vel pro tempore facienda; nec ad specialia ejusdem Ordinis Superiorum mandata quæ ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ judicio fuerint dictorum Fratrum Discalceatorum reformationis, aut commodo dissentanea teneantur.

§. 4. Quòd Ministri, seu Prælati Provinciales, Congregationes particulares quas Diffinitoriales vocant, quando & ubi commodiùs sibi visum fuerit liberè & licitè convocare, & celebrare, ac in eis quaslibet electiones Guardianorum & aliorum officiorum facere, & quascumque causas, sive civiles, sive criminales, & negocia ad eamdem Provinciam spectantia juxtà formam Sacrorum Canonum & Regularium statutorum, & suarum Constitutionum Provincialium tractare, diffinire, & sententiare possint. Quódque Prælati generales ejusdem Ordinis hujusmodi Congregationes particulares, Diffinitoriales, aut earum electiones, seu diffinitiones, vel decreta & sententias nequaquàm impedire, immutare, nec dilatare valeant.

§. 5. Quòd dicta Provincia S. Antonii ejúsque nunc & pro tempore existentes Conventus & Fratres nisi per Fratres Visitatores alicujus Provinciæ Discalceatorum hujusmodi à Prælatis tamen generalibus deputandos nullatenùs visitari aut sindicari possint, quódque hujusmodi visitatores Discalceati in dictam Provinciam ingredi aut in ea aliquam Jurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circà finem triennii Ministri Provincialis, nempè post duos annos & septem menses Provincialatus cujuslibet ministri Provincialis ejusdem Provinciæ transactos, & non anteà tales autem Visitatores omnia statuta Provincialia ejusdem Provinciæ observare, & juxtà illorum tenorem & præscriptum Provinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem status nisi de consensu majoris partis Diffinitorii plenè dispensare valeant, quamvis hoc idem in literis patentibus, & authenticis à Prælatis generalibus aliisve Superioribus specialiter iisdem indultum, & concessum fuerit.

§. 6. Ut autem omnes ambitionis & injustitiæ occasiones quæ sub simulato, ac apparentis correctionis & reformationis zelo obrepere solent è medio penitùs evellantur postquàm prædicti Visitatores, Commissarii suam jurisdictionem & visitationem in Provincia hujusmodi cœperint exercere nulli Guardiani, nullíque Vocales, quibus Concursus ad Capitulum proximè futurum de jure competit, possint antè ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab officio removeri, nec voce activa, aut passiva privari. Si autem in ipsa visitatione aliquibus delictis & culpis quidam prædictorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis Canonicis & Regularibus pœnis præter privationem officii ac vocis activæ, & passivæ arbitrio Superiorum puniri debeant. *Vocales ante Capitulum non possint privari voce activa.*

§. 7. Insuper quòd Fratres ejusdem Provinciæ S. Antonii ab ipsa sua Provincia per quoscumque Superiores abstrahi nequeant, ut ad Indos vel alias partes & Provincias remittantur, nisi de consensu Capituli Provincialis vel Diffinitorii pleni ejusdem Provinciæ, & quòd hujusmodi Superiores, quicumque illi sint, non possint Fratres prædictos licentiare, ut in domibus sæcularium, seu extrà claustra habitent nisi servata ad unguem formam à Clemente VIII. Papa prædecessore nostro præscripta in Bulla seu literis de Reformatione Regularium incipientes. Nullus omninò prætextu cujuscumque privilegii sub anno 1599. nempè quod tales licentiæ nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica approbanda nullatenùs concedantur, quo verò aliter concessæ sint ipso facto irritæ & nullæ censeantur, & Religiosi talibus licentiis utentes statim ad claustra revocentur. *Quòd Fratres non transferantur ad alias Provincias.*

§. 8. Quódque possint ijdem Fratres Discalceati intrà septa domus Regularis suæ libros à Bibliothecis de licentia Prælati abstractos habere, & illis uti dummodò postquàm illis usi fuerint ijsdem Bibliothecis illos restituere procurent. *Possint uti libris Bibliothecæ.*

§. 9. Ac demùm Ministro Provinciali, Custodi necnon Guardianis Conventibus, & Fratribus universis d. Provinciæ, nunc & pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis gratiis, indultis, & privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, & literis Apostolicis tàm S. Josephi & S. Pauli, quàm quibusvis aliis ejusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Provinciis per quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac per Nos & Sedem Apostolicam prædictam hactenùs concessis & in posterùm concedendis æquè, ac si ipsimet Provinciæ S. Antonii nominatim concessa fuissent, frui, potiri, & gaudere perpetuò possint & valeant auctoritate & tenore prædictis pariter perpetuò concedimus, & indulgemus. Volumúsque, statuimus & ordinamus, respectivè & insuper præcipimus Ministro, & Commissario generalibus Ord. Minorum Regularis Observantiæ, & quibusvis Commissariis, Visitatoribus ad d. Provinciam S. Antonii destinatis cæterísque tàm Prælatis, quàm Subditis, sub excommunicationis latè sententiæ, ac privationis quorumcumque officiorum, & dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrentis ne in præmissis Fratres prædictos Discalceatos Provinciæ S. Antonii hujusmodi litibus gravari, aut quovis modo molestari permittant, quinimò prædicta omnia privilegia & indulta illis inviolabiliter observent & observari faciant, ac per suas proprias literas quoties pro parte prædictorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti faveant & assistant. *Communicat eis privilegia aliarum Provinciarum.*

§. 10. Et nihilominùs Venerab. Fratribus Ulixbonensis Bracharensis & Elboaensis Archiepiscopis, ac Conimbriensis Episcopo, eorúmque Officialibus, seu ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut *Executores deputat.*

unus

unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos præmissis omnibus & singulis pacificè, frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Prælatos generales, & Visitatores prædictos quomodolibet molestari, contradictores quoslibet & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliáque opportuna juris & facti remedia appellatione postposita compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus, aggravantes interdictum Ecclesiasticum apponentes & auxilium brachii sæcularis, quatenùs opus sit invocantes. Decernentes præsentes literas nullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, vel Fratres de Observantia, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in jus vel controversiam revocari, sed semper & perpetuò validas, & efficaces existere & fore; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum quoque & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacii VIII. Papæ, pariter Prædecessoris nostri per quam cavetur expresse, ne professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque d. Sedis licentia speciali & de prohibitione hujusmodi expressam mentionem facientes recipiant, & de una ac Concilii generalis de duabus dietis dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac nostris literis, quæ incipiunt in Cathedra Beati Petri Apostolorum Principis de anno 1626. emanatis, ac quibusvis ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia etiam juramenta, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam per Fratres Discalceatos hujusmodi acceptatis præsertim Capitulorum, seu Congregationum generalium quibus cavetur expresse ne Fratres Discalceati hujusmodi domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressa licentia Capituli generalis, aut infrà quinque leucas à domo eorumdem Fratrum Minorum erigere audeant, privilegiis quoque indultis & literis Apostolis eidem Ordinis Fratrum Minorum, illiúsque Superioribus & quibusvis Religiosis particularibus, aliisque personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis eorúmque totis tenoribus, specialibus, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mensio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectuum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si Ministro & Commissario generalibus aut Fratribus d. Ordinis Minorum de Observantia, seu quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel ex communicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis credi jubet. §. 11. Cæterùm, quia difficile forent præsentes literas ad singula quæque loca ubi necesse fuerit deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, quòd transumptis earumdem præsentium impressis manu alicujus Notari publici subscriptis & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 2[illegible] die 1. Dec. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1639. Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

CCCXIX

Quòd Magister Generalis Ordinis Prædicatorum possit supprimere parvos Conventus, eorúmque res, & bona in majores ipsius Ordinis Conventus transferre.

Edita An. 1633.

URBANUS VIII. PAPA.

Dilecto filio Magistro Generali Ordinis Prædicatorum.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. CUM sicut dilectus filius Procurator generalis Ordinis Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit in eodem Ordine nonnulli parvi Conventus reperiantur, ac ejus Fratrum numerus observantiæ regulari sufficiens nequaquàm manuteneri possit, & proptereà illos supprimi eorúmque res & bona, necnon onera eis incumbentes in majores ipsius Ordinis Conventus transferri posse plurimum desideret; Nobis idcircò humiliter supplicari fecit, ut sibi de infrascripta facultate providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit prout in Rub. §. 1. Nos prospero ejusdem Ordinis illiúsque Domorum statui, regularisque disciplinæ incremento consultum esse cupientes, supplicationibus ejusdem Procuratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Tibi parvos Conventus prædictos, illorúmque statum, & essentiam Regulares in ejus auctoritate Nostra Apostolica perpetuò supprimendi, & extinguendi, eorúmque res, & bona, ac onera quæcumque eis incumbentes in majores ejusdem Ordinis Conventus etiam perpetuò transferendi facultatem. Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impartimur.

Decretum irritans. §. 2. Decernentes præsentes literas, & illarum vigore facientes suppressiones, extinctiones, & translationes prædictas, postquàm factæ fuerint, validas, firmas & efficaces existere, & fore, ac majoribus Conventibus hujusmodi plenissimè in omnibus, & per omnia suffragari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & d. Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quòd præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. [illegible] die 21. Jul[illegible] Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Junii 1633. Pontificatus Nostri Anno decimo.

INNO-

INNOCENTIUS X. PONT. CCXL.

ANNO DOMINI MDCXLIV.

INNOCENTIUS X. Romanus, Joannes Baptista anteà dictus Camilli Pamphilii filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Eusebii, Romæ die decima quinta Septembris Summus Pontifex pronunciatus, Anno Domini 1644. & die 4. Octobris ejusdem anni coronatus. Creavit Cardinales 40. Obiit 7. Januarii 1655. Et in Basilica Principis Apostolorum sepultus est. Vacavit Sedes menses tres.

Jubilæum Sanctiss. D. N. Innocentii Divina Providentia Papæ ad implorandum Divinum auxilium pro fœlici regimine, & Statu Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ.

Alias Jubilæi indictiones pro eadem causa reperies initio Pontificatuum Sixti V. Tom. 2. Constit. 1. Virium nostrarum, *& Greg. XV. Constit.* 1. Spiritus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Data An.D. 1644.

Servus Servorum Dei, Universis Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ pervenerint Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

IMMENSÆ Omnipotentis DEI bonitati placuit in maxima Almæ Matris Ecclesiæ rerum perturbatione nullis nostris exigentibus meritis supremum hoc Apostolicæ servitutis munus nostræ imbecillitati imponere: Undè considerantes iniquam temporum conditionem, & gravissima, quæ undique urgent, & impendent, mala, præcipuo quodam sensu angimur, & commovemur, de illius tamen benignitate non desperantes, qui operari dignantur in Nobis, non desinimus summis, atque assiduis precibus ejus auxilium implorare, fideliúmque & Deum timentium, quorum ipse, ut speramus, voluntatem faciet, orationes experimus, quibus Omnipotenti Deo semper benedicendo, gratiisque misericordiæ ejus agendis adjuvemur, viribúsque à Cœlesti Rege subministratis suffulta nostra infirmitas, commissarum Nobis curarum, & salutarium Reipublicæ Christianæ officiorum partes, orantis simul Populi instantia promerente valeat sustinere, opémque agitatæ, & ubique ferè depressæ Catholicæ Religioni suppeditare, ne, cùm in altitudinem maris venerimus, tempestate demergamur, sed potiùs horribiles tot peccatorum status, & excitatas mari procellas discutientes cum credito Nobis grege optatam cursum, & æternæ salutis portum teneamus.

Solemnes processiones inducit Summus Pontifex in Alma Urbe.

§. 1. Quapropter in hac Alma Urbe nostra à Capella nostra publica Palatii Apostolici ad Basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, necnon à Basilica Sanctæ Mariæ Majoris ad Basilicam Sancti Joannis Lateranensis proxima hebdomada quæ erit tertia Adventus, quarta, & sexta feria respectivè solemnes Processiones de more indicimus, ad quas Basilicas Nos unà cum Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, atque Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, aliisque Prælatis, atque Officialibus Romanæ Curiæ, universóque Clero, & Populo comitante, accedere, dictásque Processiones, celebrare statuimus, ut autem Divinam opem efficaciùs imploremus, & simul effusis multorum precibus fructuosiùs exaudiamur, omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles ubique existentes enixè in Domino hortamur, & paterna charitate monemus, ut, qui in hac Urbe sunt, dicta hebdomada, aut saltem altera sequenti; Qui verò extrà Urbem, in quibusvis Orbis Terrarum locis existunt, proxima, aut altera sequenti hebdomada post præsentium notitiam pias ad Deum preces effundant, ut Ecclesiam suam sanctam tueatur, & protegat, hæresé, undique evellere, & extirpare. Fidem sanctam Catholicam adaugere, propagare, pacem, & veram concordiam largiri dignetur. Nobis verò vires tribuat, quibus susceptum onus ad ejus nominis gloriam, fideliumque & animæ nostræ salutem administrare valeamus; ut ii quidem, qui in eadem Urbe hic præsentes sunt, præfatas Sancti Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum, Sanctæ Mariæ Majoris Basilicas, vel unam ex eis, quam maluerint. Qui verò alibi extrà Urbem erunt, Ecclesiam, seu Ecclesias per Locorum Ordinarios, seu eorum Vicarios, aut de eorum mandato, aut iis deficientibus, per eos, qui inibi curam exercent animarum deputandam, seu deputandas, quocumque, sibi beneviso, ejusdem hebdomadæ die, vel diebus, saltem semel devotè visitent, omnes prætereà quarta, & sexta feria, ac Sabbato ejusdem, vel alterius sequentis hebdomadæ jejunent, & quantum pro suo quisque arbitrio judicaverit, eleemosynas erogent, atque intrà hoc ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur, & die Dominico dictum Sabbati diem proximè subsequente, vel alio dictæ sequentis hebdomadæ die arbitrio Confessarii Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum devotè percipiant: Qui autem in navigatione, vel itinere fuerint, eo peracto hæc ipsa etiam faciant, & exequantur; Qui verò Regulares utriusque sexus in Claustris perpetuò degunt, vel in carcere, aut captivitate detinentur, vel propter corporis infirmitatem, aut aliud quodcumque impedimentum superiùs expressa, seu eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen tempus differre valeant.

Et preces fieri pro fœlici regimine S. R. & universalis Ecclesiæ.

§. 2. Quæ omnia, ut eò libentiùs præstare studeant, quò uberiùs spiritualibus muneribus, & gratiis à Nobis se refectos esse cognoverint, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis, licèt indignis, contulit, omnibus, & singulis præfatis, qui præfata adimpleverint, plenissimam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem sicuti in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intrà & extrà Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur, necnon eisdem fidelibus, etiam cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti Regularibus utriusque sexus facultatem impartimur eligendi sibi Presbyterum Confessarium tàm sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, vel Instituti Regularem ex approbatis ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure vel ab homine quovis modo, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam in casibus tàm locorum Ordinariis, quàm Nobis & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Do-

Plenissimam peccatorum Indulgentiam sicut in anno Jubilæi concedit.

mini legi consuetis, atque aliàs etiam per quascumque etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reservatis in foro tantùm conscientiæ hac vice dumtaxat absolvere. Et insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis tantummodò exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis casibus pœnitentia salutari, ac aliis injungendis possint, & valeant; Mandantes insuper Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscumque Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, ut cùm harum litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas Provincias, Ecclesias, & Diœceses publicent, & publicari faciant, Cleróque, & Populo sibi subjecto solemnes Processiones, sicut Nos in præfata Urbe indiximus, indicant, & celebrent: Per præsentes autem super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu incapacitate, aut inhabilitate quomodolibet contracta non intendimus, nec etiam in foro conscientiæ dispensare, neque ullam facultatem tribuere dispensandi, ac declaramus has ipsas præsentes quoad absolutionem in foro conscientiæ, & pœnitentiali tantùm, non autem in foro fori, seu contentioso consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiæ iis, qui ab aliquo Judice excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publici denunciati fuerint, nisi infrà tempus celebrationis hujusmodi Jubilæi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter Hæreticis, aut Schismaticis specialiter declaratis, seu condemnatis ullo modo suffragari.

Clausula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus absolvendi facultas in certis casibus tunc expressis, ità specialiter Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Jubilæi, Indulgentiarum, aut facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat; cuiquam suffragari valeat. Necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, aut expressio habenda, vel quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret illarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac formam in illis traditam penitùs pro servata habentes, hac vice specialiter, & expressè ad effectum præsentium derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 9. Dec.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, quinto nonas Decembris, Pontificatus Nostri Anno Primo.

II.

Constitutio super Titulo, & Insignibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium.

Titulorum suorum Ecclesias, Cardinales si in Curia præsentes fuerint personaliter. Si verò absentes per Vicarium idoneum visere jussit Leo X. Const. 7. Supernæ. *Tom.* 1. *Necnon Titulorum suorum Ecclesias reparare & aliquid eis in morte relinquere Cardinales tenentur, juxtà Sixti V. Constitut.* 55. Religiosa *Tom.* 2.

Edita A. 1644.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus, per abundantiam divinæ gratiæ præpositi, inter gravissimas, multiplicésque Apostolicæ servitutis curas, quibus assiduè premimur in eam peculiari studio incumbimus, ut inter S. R. E. Cardinales, quos tamquàm Reipublicæ Christianæ Cardinales, & clarissima Catholicæ Ecclesiæ lumina omnium virtutum splendore cæteris prælucere decet, fraterna servetur æqualitas, undè sinceræ charitatis affectu sese invicem prosequantur, & dimissa omnium sæcularium rerum cura, nonnisi pro communi ejusdem Ecclesiæ, bono, ac omnipotentis Dei gloria, vigeat inter eos laudabilis æmulatio.

Refertur decretum S. Congreg. cæremoniarum circa ... de qua in rub.

§. 1. Hodiè siquidem in Consistorio nostro secreto dilectus filius noster Aloysius tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Capponius nuncupatus, decretum per venerabiles fratres nostros, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Congregationis Cæremoniarum præpositos emanatum, Nobis retulit tenoris subsequentis, videlicet. Sacra Congregatio Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in qua interfuerunt Reverendissimi Domini Aloysius tit. Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Card. Capponius, Franciscus tit. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Barberinus, Bernardinus tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Spada, Federicus tit. S. Marci Presbyter Cardinalis Cornelius, Joannes Dominicus tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Spinula, Franciscus Maria Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis Brancatius, Franciscus tit. S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Montaltus, Carolus S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Medices, Hieronymus S. Eustachii Diaconus Cardinalis Columna, Raynaldus S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Estensis, censuit enixè Sanctissimo Domino nostro supplicandum, tanquàm pro re maximè congrua, ut directè præcipiat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam quacumque natalium, seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativa insignitis, quòd solo nomine Cardinalis, absque ullo sæcularis dignitatis additamento contenti, non aliis Titulis nuncupantur, nec uti inter eos possint, quàm Eminentissimi, & Reverendissimi, necnon Eminentiæ Reverendissimæ, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Insuper ut Sanctissimus Dominus Noster dignetur mandare, ut omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales suprà recensiti, ad unitatem ordinis conservandam, jubeant è propriis sigillis, & insignibus quibuscumque, vulgò armis nuncupatis, amoveri Coronas, Signa, ac omnes notas singulares, præter eas, quibus intrà Scutum Armorum eorum familiæ, tamquàm de essentia, & integritate eorumdem Armorum utuntur, & ut in posterùm ab illorum usu abstineant, solo pileo de pretioso Christi sanguine rubente insigniti, ac decorati, ac ulteriùs Sanctissimus Dominus Noster inhibeat sub excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis arbitrii sui pœnis Sculptoribus, Pictoribus,

ac

ac aliis quibuscumque, ne prædictas notas sæculares in sigillis, & Armis, aliísque insignibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sculpere, ac pingere, aut sculpi, vel pingi mandare audeant, quod quidem decretum prædictus Aloysius Cardinalis retulit supradictam Congregationem censuisse, etiam nomine totiùs Sacri Collegii in præsenti Consistorio Nostro referri, ut non solùm illud comprobare, verùm etiam pro ipsius usu, & observantia inviolabili litteras Apostolicas sub plumbo expediri jubere dignaretur, quas posteà Cardinales jàm promoti, qui in Urbe sunt, infrà decem dies, qui extrà illam, & in Italia degunt infrà mensem, qui ultrà montes, infrà quatuor menses proximos jurare teneantur. Qui verò in posterùm promovebuntur, si præsentes fuerint, in ipsa pilei rubei receptione, si absentes in ipsa bireti impositione ad Bullæ istius usum, prout de aliis, jàm emanatis fieri solet juramento se adstringant. Qua relatione Nobis facta omnes Venerabiles fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in prædicto Consistorio præsentes, præviis singulorum suffragiis, unanimes, uno ore, & nemine prorsus discrepante, Nobis humiliter supplicarunt, ut Decretum prædictum, & omnia quæcumque superiùs relata, Apostolica auctoritate confirmare vellemus, litterásque sub plumbo desuper expediri mandaremus.

[...]edictum [...]cretu n [...]nfirmat, [...]approbat [...] Pont.

§. 2. Nos igitur eorumdem Venerabilium fratrum nostrorum, quorum ope, prudentia, & consilio in rebus gerendis, gravibusque injunctis Nobis desuper pastoralis officii oneribus indesinenter sublevamur, petitionem hujusmodi æquam, & rationi consentaneam, ac Sacro eorumdem Cardinalium Collegio decoram censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine de unanimi eorumdem fratrum consilio pariter, & assensu decretum præinsertum cum omnibus, & singulis, ut suprà relatis, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis inviolabilis Apostolicæ firmitatis vim & robur adjicimus, omnesque & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint, plenissimè supplemus, ac illa à prædictis Cardinalibus nunc, & pro tempore existentibus, aliísque prædictis, & cæteris ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum sub pœnis in eodem decreto contentis inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus. Propterea decernimus de cætero in quibuscumque litteris Apostolicis, concessionibus, indultis, & gratiis, etiam Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam cum clausula, quorum tenores, ac cum quibuscumque aliis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac etiam per viam legis, aut indulti generalis, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus & formis, per Nos: & Romanos Pontifices successores nostros, concedendis, vel à Nobis, aut illis emanandis nunquàm censeri præsenti constitutioni derogatum, nec illi in aliquo prædicatum, nisi fuerit expressè, & dispositivè illi, toto ejus tenore relato derogatum.

Clausula [p]ræservati-[v]a.

§. 3. Decernentes præsentes litteras nullo umquàm tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quopiam, quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, seu redargui, vel adversus illas aperitionis oris reductionis ad viam, & terminos Juris, aut aliud quodvis Juris, facti, seu gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extrà illud uti posse, sed easdem præsentes semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere,

Clausula sublata.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes, nunc & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritúmque & inane quidquid contrà præmissa, eorúmque singula à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula derogatoria.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, Cancellariæ Apostolicæ regulis, & præsertim, quatenùs opus foret, illa de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque & indultis etiam Apostolicis, cuicumque concessis, & innovatis, ac exequutioni demandandis, statutísque etiam juratis, tàm ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegii, quàm cujuscumque Regni, Provinciæ & Nationis, ac etiam consuetudinibus, usibus & stylis quantumlibet inveteratis, & longævis, etiam immemorabilibus, cæterísque in contrarium quomodolibet facientibus; Quibus omnibus & singulis illorum tenores etiam majores, & veriores hic pro expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, harum serie expressè & plenissimè derogamus.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, adjectionis, supplicationis, præcepti, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 29. Jan.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, quarto decimo Calendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno primo.

Papæ subscriptio.

† Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Card. subscr.

† Ego Marcellus Episc. Ostien. Card. Lantes.
†
† Ego Franciscus Card. S. Marcelli Episc. Sabinen.
†
† Ego Julius Episc. Tuscul. Card. Roma.
† Ego Episc. Prænest. Card. della Cueva.
† Ego Carolus Card. Medices.
† Ego A. Card. Capponus.
†
†
†
† Ego F. Card. Barberinus tit. S. Laurentii in Damaso.
† Fr. Antonius Card. S. Honuphrii tit. S. Mariæ Transtyberim.
†
† Ego B. tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Spada.
† Ego Federicus tit. S. Marci Card. Cornelius.
† Ego Julius tit. S. Susannæ Card. Sacchettus.
† Ego Jo. Dominicus tit. S. Cæciliæ Card. Sanctæ Cæciliæ.
† Ego M. Card. Ginettus tit. S. Mariæ Angelorum.
† Ego Æg. Card. Albornotius titul. S. P. Montis Aurei.
†
† Ego Cyriacus tit. S. Salvatoris in Lauro Card. Roccius.
† Ego Jo. B. Pallottus tit. S. Sylvestri de Capite.
†
†
† Ego Alexander Card. Bichius tit. S. Sabinæ.
† Ego Ildericus tit. S. Anastasiæ Card. Carpineus.

† Ego M. Ant. Card. Franciottus tit. Sanctæ Mariæ de Pace.
†
† Ego Franciscus Maria Card. Machiavellus tit. S. Joannis, & Pauli.
†
†
† Ego P. D. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Cæsius.
†
† Ego Fr. Vincentius Card. S. Clementis.
† Ego Franciscus Perettus tit. S. Hieronymi Illyricorum Card. Montaltus.
† Ego Jo. Jacobus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Card. Panzirolus.
†
†
†
† Ego Gaspar. Card. S. Pancratii Matthæjus.
†
† Ego Hieronymus tit. S. Eusebii Cardin. Grimaldus.
†
†
† Ego M. tit. S. Alexii Card. Theodolus.
† Ego F. tit. S. Mariæ in Via Card. Rapacciolus.
†
† Ego A. tit. SS. Quirici, & Julitæ Card. Giorius.
† Ego Joannes tit. S. Balbinæ Card. de Lugo.
† Ego Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Antonius Barberinus.
† Ego Hieronymus S. Eustachii Diaconus Card. Columna.
† Ego Theodorus S. Angeli Diac. Card. Trivultius.
†
† Ego Virginius S. M. in Cosmedin Diac. Card. Ursinus.
† Ego Raynaldus Diac. S. Nicolai in Carcere Card. Estensis.
† Ego Vincentius Diac. S. Mariæ in Porticu Card. Costagutus.
†
† Ego Paulus Æmilius Diac. S. Mariæ in Aquiro Card. Rondininus.
† Ego Joannes Carolus Card. Medices.
† Ego Camillus Diac. S. Mariæ in Dominica Card. Pamphilius.
†
†
†
†
†

Anno à Nativitate Domini Nostri JEsu Christi, millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione 13. die 24. mensis Aprilis, Pontificatus Prælibati Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Innocentii Divina providentia Papæ X. Anno ejus primo supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicarum Lateran. & Principis Apostolorum Urbis, necnon in acie Campi Floræ, Cancellariæ Apostolicæ ac aliis locis solitis Urbis, per me Dominicum Mangilium Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. A. Castruccius Curs.

III. Confirmatio Const. Pii V. & ejus successorum de non alienandis, & infeudandis Civitatibus, Terris, & locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

De hac materia habes multa suprà in Sanctiss. D. N. Papæ Urbani VIII. Const. 242. Olim fœlicis.

Edita An. D. 1644.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN supremo Apostolicæ dignitatis culmine non nostris meritis, sed inscrutabili Superni Patris providentia constituti nostri muneris esse cernimus ut inter innumerabiles Pastoralis officii curas quibus gravi mole premimur, peculiari studio ad conservandam Sanctæ hujus Sedis temporalem ditionem intendamus, & quæ propterea sedula meditatione à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris salubriter ordinata fuerunt, ea Nos ipsi inviolatè servare nitamur, & ità ab aliis perpetuò statuamus observari. Dudùm siquidem fœlicis recordationis Pius Papa Quintus prædecessor noster per suam perpetuò valituram Constitutionem statuit, decrevit, & ordinavit, ut omnes, & singulæ Civitates Terræ, Oppida, & Loca Sedi Apostolicæ in temporalibus mediatè, vel immediatè subjecta etiam eatenùs in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consueta etiam ad Sedem præfatam quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda in jure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conservarentur, Civitatésque Terræ, Oppida, & Loca hujusmodi nullo umquàm tempore sub quovis prætextu in feudum, Gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus nullo modo concederentur, & deindè piæ memoriæ Gregorius XIII. Sixtus V. Gregorius XIV. Innocentius IX. Clemens VIII. ac Urbanus VIII. Romani Pontifices Prædecessores nostri, pro Pastorali eorum officio providè considerantes, præfatam Pii Prædecessoris Constitutionem optimam, & ad conservandam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Jurisdictionem, ac dignitatem, Sedisque Apostolicæ Dominia, Civitates, Oppida, & Loca, piè, & sanctè emanatam fuisse, illam successivè omnes fœlici æmulatione de fratrum suorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium pro tempore existentium consilio, Apostolica auctoritate laudarunt, approbarunt, confirmarunt, & innovarunt, prout in singulis eorumdem prædecessorum literis Apostolicis desuper confectis pleniùs continetur. Nos omnium Civitatum, & locorum præfatorum singularem fidem, & promptam devotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valdè utilem, & salutarem fuisse, & esse considerantes, ac volentes non solùm alienationes hujusmodi de medio tollere, sed ut omnis alienationum fiendarum occasio penitùs aboleatur, quantum cum Deo possumus perampliùs providere, & Constitutionibus singulorum prædecessorum nostrorum hujusmodi desuper piè, & sanctè emanatis, ubi primum ad Apostolicæ dignitatis gradum Divina favente clementia evecti fuimus, in primis cordi fuit inhærere, illásque innovare.

Confirmationem Pii V. & ejus successorum confirmat.

§. 1. Itaque motu proprio, & certa scientia nostra, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatas Pii prædecessoris literas, ac omnia, & singula in eis contenta etiam juxtà declarationem in literis Innocentii prædecessoris hujusmodi factam, earumdem literarum continentiam, & tenorem, quem præsentibus haberi volumus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innovamus, easque firmiter, & inviolabiliter, ac juxtà declarationem prædictam Nos similiter servaturos esse promittimus, & juramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuò observari præcipimus, & mandamus.

Sanctio poenalis.

§. 2. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ comprobationis, confirmationis, innovationis, promissionis, juramenti, præcepti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei

ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, decimo septimo Calendas Decembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione 13 Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ Decimi, anno ejus primo, die verò quarta mensis Maji, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Camillum Frisonum S. D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. A. Castruccius Curs.

IV.

Confirmatio Constit. Sixti V. & Clementis VIII. circà conservationem pecuniarum in Arce Sancti Angeli repositarum, nullo unquàm tempore, nisi ibi præscriptis casibus, certáque desuper servata forma depromendarum.

Comprobationem Constitutionum à Sixto V. editarum circà conservationem pecuniarii præsidii triginta centena millium nummorum aureorum ab eo in arce S. Angeli repositorum fecit Clemens VIII. sua Const. 2. Quæ salubri. Hæ autem Constitutiones Sixti sunt tres, quæ habentur Tom. 2.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1645.

Exordium

INter varias, & multiplices sollicitudines, quas pro communi utilitate, & conservatione universæ Christianæ Reipublicæ nostræ, cura Divina providenti commissæ, dies, noctésque suscipimus; Id potissimùm Nobis cordi est, ut his, quæ proptereà salubri prædecessorum nostrorum vigilantia statuta, & ordinata comperimus, firma perpetuò, & illibata persistant, libenter Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Tres Sixti V. Const. circà hanc materiam citantur in rubr.

§. 1. Aliàs siquidem fœl. recordationis Sixtus V. Papa Prædecessor noster gravissimis de causis primo sui Pontificatus Anno, decies centena nummorum aureorum millia: Secundo verò Anno alia itidem decies centena millia, ac demùm Tertio Anno tertia similiter decies centena millia aureorum hujusmodi in certum, sancitúmque Ærarium, quod in Pontificia Sancti Angeli Arce constitutum est, summa diligentia, industriáque retulit, ac de illis perpetuò asservandis, nullo umquàm tempore, nisi in certos, tunc expressos necessarios usus exindè depromendis, & erogandis trinas Constitutiones edidit.

Item Clem. VIII. comprobatio.

§. 2. Et deindè Clemens Papa Octavus, aliique nostri prædecessores singulas Constitutiones præfatas, uti maximè utiles, & necessarias, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate approbarunt, comprobarunt, & innovarunt, prout in singulis literis Apostolicis, tàm Sixti, quàm Clementis, ac aliorum prædecessorum nostrorum hujusmodi desuper expeditis, quarum tenores etiam pro expressis, & præsentibus literis de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso insertis haberi volumus pro expressis, pleniùs continetur.

Quas quidem confirmat hic Pont.

§. 3. Nos prædecessorum nostrorum prædictorum vestigiis inhærentes easdem Sixti Constitutiones, ac Clementis, & aliorum prædecessorum hujusmodi litteras, cùm maximè expediat illas in futurum servari, necnon omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, eáque firmiter, & inviolabiliter juxtà illarum dispositionem observare, etiam nunc de novo per præsentes promittimus, vovemus, & juramus, ac per eos, ad quos spectat, & spectabit in futurum observari debere statuimus, & ordinamus.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, innovationis, promissionis, statuti, ordinationis, voti, & juramenti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 1. 17. Cal. Dec.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1644. decimo septimo Calendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. JEsu Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione decimatertia, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ Decimi, Anno ejus primo, die verò 4. mensis Maji supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis publicis solitis, & consuetis Urbis, per me Camillum Frisonum S. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. A. Castruccius Curs.

V.

Deputatio Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardin. Odeschalchi in Protectorem Fratrum Ordinis S. Hieronymi Congregationis Fesulan.

Quis fuerit Promotor hujus Congregationis, & quinam Summi Pontifices eorum regularem vitam approbaverint habes ex Greg. XII. Const. 3. & alibi.

Dilecto filio nostro Benedicto S. R. E. Diacono Card. Odescalco nuncupato.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Edita An. D 1645.

Dilecti filii noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

CUm per obitum bon. mem. Alexandri S. R. E. Card. Cæsarini nuncupati Fratrum Ordinis Sancti Hieronymi Congregationis Fesulan. dùm viveret apud Sedem Apostolicam Protectoris, Congregatio prædicta Protectore destituta remanserit, Nos eidem Congregationi de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumspectionis singulari prudentia, doctrina, integritate, & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, Te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Congregationem hujusmodi plurimùm commodi, & ornamenti suscepturam esse confidimus, prædictæ Congregationis, illiúsque Monasteriorum, & Fratrum quorumcumque apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem cum omnibus honoribus, & oneribus solitis, & consuetis ad tui vitam auctoritate Apostolica tenore præsentium facimus, & deputamus.

Injungit præfato Cardin. protectionem, de qua in rubr.

§. 1. Volumus autem, ut Congregationem prædictam foveas, & protegas, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut Superiorum dictæ Congregationis auctoritatem quantum fieri poterit conservare cures, ac proptereà ipsis Superioribus regimen, & gubernium subditorum penitùs relinquas, nec in negotiis eorumdem Fratrum te immisceas, nisi ab ipsis Superioribus requisitus fueris, ut in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, & tunc si omninò necessarium fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in iisdem negotiis exerceas, tunc id facere possis, sed quoad potueris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum quandò opus fuerit in iisdem negotiis seu causis loco Notarii aliquo ex Fratribus dictæ Congregationis.

Mandat Superioribus prædictæ Congr. Protectorem recipiant.

§. 2. Mandantes propterea dilectis filiis Generali, & aliis Superioribus, necnon universis Fratribus, & personis quibuscumque dictæ Congregationis in virtute sanctæ obedientiæ, ut te in eorum Protectorem juxtà tenorem præsentium recipientes ea, qua debent reverentia prosequantur, contrariis non obstantibus quibuscumque. Cæterùm te in Domino hortamur, ut hujusmodi Protectoris munus ità obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem æternum præmium, à Nobis condignam laudem valeas promereri.

Dat. P. An. 1. die 20. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Septembris 1645. Pontificatus Nostri Anno primo.

VI.

Citrà Mœnia, ac Propugnacula Urbis recens extructa, eorúmque pomeria.

Multi alii Romani Pontifices studuerunt decori Urbis, ut passim videre est in hoc Bullario.

Edita An.D. 1644.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD curam nostram pastoralem spectare censemus inter cæteras sedulò providere, ut constructa pro hujus Almæ Urbis nostræ, & in ea degentium securitate Mœnia, & Propugnacula sarcta tecta conserventur, & ità à privatorum structuris, & ædificiis distent, ut tàm introrsum, quàm extrorsum commodè obiri valeant.

Ædificia prohibet circà propugnacula Urbis.

§. 1. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis personis tàm sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, etiam regularibus quomodolibet nuncupatis, & qualificatis etiam individua expressione dignis, ne quisquam earum quovis prætextu & occasione Hortos, sive vineas, seu alia prædia, vel muros, aut materias, seu alia quæcumque ædificia, aut sæpes Mœnibus, & Propugnaculis Urbis prædictæ à Porta Equitum levis armaturæ nuncupata ad Tyberim usque noviter constructis, ab eorum parte externa propiùs admovere audeat, vel præsumat, sed illud spatium, seu intervallum, quod inter eadem Mœnia, & propugnacula extrorsum, ac sæpes pro separatione privatorum Prædiorum plantatas ad præsens exiistit, & publici juris effectum est omninò vacuum, liberúmque remaneat, neque ullo modo angustiùs reddatur, ejúsque latitudo minuatur: Præterea ne à parte interna eorumdem Mœnium, & Propugnaculorum quisquam prædictorum quovis prætextu, & occasione muros, fontes, materias, arbores, aut quodvis ædificium, seu structuram juxtà eadem Mœnia, & propugnacula, nisi inter hæc, & illa interjecto, libero quatuor Cannarum mensuræ Romanæ spatio, seu intervallo, neque sæpes, ubi nunc extant viæ necessariæ ad utilitatem publicam, seu particularium personarum, ut possint habere transitum ad proprias Vineas exstruere, seu plantare similiter audeat, seu præsumat tenore præsentium sub arbitrii nostri pœnis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis prohibemus. Volentes, & præcipientes sub eisdem pœnis, ut Domini Vinearum, aliorúmque Prædiorum dictis Mœnibus, & Propugnaculis introrsum vicinorum terram ipsis Mœnibus propugnaculis cohærentem suis expensis adæquent, & in planitiem redigant, nullo autem modo ab iisdem Mœnibus, & Propugnaculis separent, vel amoveant, ità ut propè eadem Mœnia, & Propugnacula, cùm opus fuerit liberè incedi, illáque commodè circuiri possint, & ob terræ, qua fulciuntur detractionem, seu defectum debiliora minimè reddantur. Necnon ut porticulæ in Mœnibus, & Propugnaculis prædictis apertæ omninò claudantur, seu obstruantur, & quæ ad præsens clausæ, seu obstructæ sunt, nunquàm sine nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis licentia recludantur, & aperiantur.

Contraria removet.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus quoque tàm Imperialibus, quàm municipalibus, ac quatenùs opus sit nostra regula de non tollendo jure quæsito, & dictæ Urbis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, usibus, & reformationibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Forma Publicationis.

§. 3. Ut autem earumdem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ, aliísque solitis locis Urbis (ut moris est) publicari, ipsásque sic publicatas omnes, & singulos, ità afficere, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 4. Quódque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 4. Natt.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Martii 1645. Pontificatus Nostri anno primo.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1645. Millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Indictione 13. die verò 9. mensis Maji, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ Decimi, anno ejus primo supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me F. Melanum Apost. Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Petrus Paulus Desiderius Cursor.

VII.

Confirmatio Concordiæ super jure, & forma transportandi Cadavera ad Ecclesias Regularium, super solutione Quartæ funeralis, & Sepultura impuberum initiæ inter Clerum Sæcularem, & Regularem Diœces. Majoricen.

Refertur de verbo ad verbum prædicta concordia inter Clerum Sæcularem, & Regularem in hac eadem Constitutione, §. 2. & seq.

Edita An. D. 1645.

INNOCENTIUS X. PAPA

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis Apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ personarum Ecclesiasticarum, tàm Sæcularium, quàm Regul-rium quarumlibet quieti opportunè consulitur, & illis, quæ propterea inter eas concorditer facta sunt, ut firmiùs subsistant, libenter cùm à Nobis petitur Apostolicæ confirmationis robur adjicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causæ huj. const.

§. 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Rectorum Parochialium Ecclesiarum,

necnon

necnon Cleri, & Regularium Majoricen. Civitatis, & Diœcesis Nobis expositum fuit, quod aliàs postquàm exortis variis litibus, & controversiis inter dilectos etiam filios Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Majoricen. Clerum sæcularem, & Rectores Parochialium Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis præfatarum ex una; necnon inter S. Antonii de Sancto Antonio Viennen. & Prædicatorum, ac Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Provinciæ Majoricen. ac Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & Eremitarum S. Augustini, necnon Sanctissimæ Trinitatis, & Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ac Minimorum Sancti Francisci de Paula respectivè Ordinum Fratres, & Religiosos partibus ex altera, super jure, & forma sepeliendi cadavera defunctorum, qui in ipsorum Regularium Ecclesiis sepulturam sibi elegerunt, coràm Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositis; ac super Quarta funerali, & sepultura impuberum coràm Congregatione etiam venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum. Tandem post nonnulla Decreta desuper ab eisdem Cardinalibus emanata partes præfatæ litibus, & controversiis hujusmodi, etiam indecisis pendentibus, opera, & ministerio certorum Procuratorum ad id electorum, & sufficientibus facultatibus suffultorum, prævio diligenti desuper habito tractatu, negocioque hujusmodi sæpè sæpiùs ab ipsis partibus hinc indè diù, & maturè considerato, ut jurgiis, & contentionibus obviam iretur, sumptibusque, & expensis parceretur, ad certam, & amicabilem inter se devenerunt concordiam, & compositionem tenoris qui sequitur videlicet.

Hic refertur concordia, de qua in rubrica.

§. 2. Noverint universi, quòd Nos Doctor Joannes Baptista Caforteza Sacrista, Doctor Marcus Antonius Cotoner Canonici Cathedralis Ecclesiæ Majoricen. electi ab Admodùm Illust. & Reverendiss. Capitulo ejusdem Ecclesiæ, mediante resolutione Capitulari habita die tertia decima Aprilis millesimo sexcentesimo trigesimo nono, Doctor Franciscus Lompard olim Rector Ecclesiæ loci de Porrers, Doctor Michaël Villanova Rector Parochialis Ecclesiæ S. Jacobi præsentis Civitatis, Michaël Joannes Sala Beneficiatus in Sede, & in Parochiali S. Crucis, Marcus Antonius Forteza Beneficiatus in Parochiali Ecclesia S. Michaelis electi, mediante resolutione habita die 12. Septembris 1636. in Congregatione eadem die celebrata de licentia Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Don Fratris Joannis de Santander Episcopi tunc Majoricen. quæ quidem resolutio Congregationis in actis penès Notarium infrascriptum, & in Ecclesiastica Curia reconditis reperitur, ex una, & ex alia nos Frater Antonius Rubi Ordinis Prædicatorum Sac. Theologiæ Magister, & Frater Julianus Ginard. Ordinis Sancti Francisci de Observantia Lector Jubilatus, Pater Provinciæ, ac S. Inquisitionis Qualificator, habentes ad infrascripta commissionem, & specialem potestatem, ille pro omnibus Monasteriis Ordinis S. Dominici, hic pro Conventibus totius Provinciæ, & Hospitalis S. Antonii Viennen. necnon Monasteriorum B. Mariæ Carmelitarum, & omnium Ordinis Sancti Augustini, Sanctissimæ Trinitatis, ac Sanctæ Catharinæ ejusdem Ordinis B. Mariæ de Mercede, & omnium Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, ut constat Instrumentis publicis receptis die 16. Decembris 1643. & die 8. Junii 1644. per discretum Jacobum Pujol Notarium publicum, de quibus ego Notarius infrascriptus fidem facio, scientes, & attendentes inter Curatos, & Clericos Sæculares ex una, & Regulares ex alia partibus motas fuisse varias lites, tàm super forma sepeliendi cadavera defunctorum, quàm etiam super solutione Quartæ funeralis, & ad instandum resolutionem prædictarum litium ab utraque parte fuisse missos Syndicos, & Procuratores, qui Romæ coràm Sacris Congregationibus Cardinalium comparerent, & ad illorum instantiam motas fuisse sequentes controversias.

Contentio Parochorum adversus Regulares.

§. 3. In primis contendebant Parochi inhibendum esse Regularibus, ne procederent ampliùs ad sepulturam in Casibus sibi permissis, per se ipsos tantùm processionaliter Cruce elevata, sed cum interventu Parochi, vel eo priùs convocato; Allegantes Decretum Sacræ Congregationis Regularium de anno 1604.

Allegatio Regularium adversus Parochos.

§. 4. Sed Regulares contrà allegabant pacta, & conventiones de sepeliendo per seipsos tantùm, & ingrediendi Parochias ad levanda cadavera Cruce elevata, & processionaliter, dicentes, se non esse sub regula, sed potiùs sub exceptione Decreti Concilii Lateranensis sub Leone X. pro cujus observatione emanatum fuit dictum Decretum Sacræ Congregationis, sibique etiam suffragari consuetudinem immemorabilem, & quod stabat pro Regularibus relatio Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi Majoricensis ex commissione S. Congregationis Regularium, & allegabatur Breve Papæ Pii V. super confirmat. consuetudinis prædictæ, & pactorum, & conventionum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Februarii 1567. quod incipit. *Eaq; concordia*, juncta præsertim ejusdem Brevis observantia. Dicebatur enim per subsecutam observantiam insurgere ejusdem Brevis indubitatam justificationem, qua justificatione supposita, non posse dubitari de veritate narratorum in eodem Brevi, & illorum probatione. Sed Sacra Congregatio prædicta auditis partibus, & allegatis hinc indè ponderatis die 19. Junii anni 1643. fuit in voto, quòd partes pleniùs jura sua deducant in eadem S. Congregatione, & mandavit interim nihil innovari, & juxtà hujusmodi Decretum Episcopo præfato literas dedit.

Aliæ inter Prælatos controversiæ recensentur.

§. 4. Aliæ controversiæ agebantur in Sacra Congregatione Eminentissimorum Interpretum Sacri Concilii Tridentini. Prima: An dicti Regulares teneantur solvere integram quartam funeralium Parochis. Secunda: De quibus solvi debeat quarta prædicta. Parochi pro se allegabant *Clement. Dudùm, de Sepultur. §. Verùm*, & concordiam quandam de anno 1339. initam, ut ipsi asserebant, inter ipsos Parochos, & Fratres Dominicanos Conventus Sancti Dominici hujus Civitatis, in qua Concordia Dominicani promittebant solvere dictam quartam funeralem juxtà præscriptum Constitutionis Bonifacii Papæ Octavi incipien. *Super Cathedram*, necnon quandam, ut asserebant, Constitutionem ejusdem Bonifacii Octavi de Anno 1293. quæ incipit: *Olim gravibus*. Datum Avinioni, sive meliùs Anagnii, Pontificatus sui anno Octavo, in favorem Parochorum contrà Regulares Sancti Dominici, & Francisci præfatæ Civitatis pro observantia alterius Constitutionis incipien. *Super Cathedram*, in d. Clem. *Dudùm, de Sepultur.* insertæ, quam etiam asserebant confirmasse Clementem Papam VI. per quamdam aliam Constitutionem insertam in alia asserta Constitutione Clementis Papæ Septimi. Datum Avinioni quinto Calendas Augusti, Pontificatus sui anno duodecimo, quæ incipit: *Tenore quorumdam*; Regulares verò allegabant consuetudinem legitimam restringentem d. Clement. *Dudùm*, ad sola funeralia, & etiam patentissima privilegia eximentia à dicta solutione quartæ, cum derogatione expressa dictarum Constitutionum, *Dudùm, de Sepultur.* Viennen. Concilii, & *Super Cathedram* Bonifacii prædicti, necnon concordiarum, etiam aucto-

ritate Apostolica, juramento, vel qualibet alia firmitate roboratarum, tandem se esse in legitima possessione, & consuetudine solvendi tantùm quartam partem ceræ intortitiorum, respectu Monasteriorum, solventium; respectu verò aliorum, scilicet à quadraginta annis citrà confirmationem Concilii Tridentini ædificatorum, nihil omninò solvere.

Sac. Congr. Card. S. Conc. Trid. prædictis controversiis respondent.

§. 6. Super quibus, auditis partibus Sac. Congregatio respondit. Ad primum Regulares præfatos teneri solvere juxtà præscriptum Clem. Dudùm, de Sepult. §. *Verùm.* Ad secundum. Teneri solvere ex his, quæ disponuntur in dicta Clem. nisi concurrat legitima consuetudo ad favorem ipsorum solvendi solùm modò quartam partem ex intortitiis tantùm, seu ex alia particulari re. Quod decretum, instantibus Regularibus prædictis suspensum fuit, quia Regulares petebant à d. Sacra Congregatione, utrum prædictum Decretum loqueretur de omnibus Monasteriis indiscriminatim, scilicet, tàm de his, quæ sunt ædificata à quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, & sunt in consuetudine solvendi tantùm quartam partem ex intortitiis, quàm de aliis ædificatis à quadraginta annis citrà confirmationem Tridentini. Asserebant etiam dicti Regulares pro se habere valida, & patentissima privilegia eximentia dicta Monasteria ædificata à quadraginta annis citrà à dicta confirmatione Concilii à solutione quartæ, & quintæ funeralium. Tertia controversia. An filii impuberes, dùm alibi sepulcra majorum non extant, debeant sepeliri in eorum propria Parochiali Ecclesia. Respondit Sacra Congregatio, filios impuberes, si non extant sepulchra majorum, sepeliendos esse in propria Parochia in Ecclesia. Quarta. An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam. Respondit Sacra Congregatio. Non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine. Quinta. An liceat Regularibus sepelire in suis Ecclesiis Confratres laicos, qui sepulturam non elegerunt, Respondit Sacra Congregatio. Confratres laicos si non præcedat eorum electio sepulturæ, sepeliendos esse in eorum propria parochiali Ecclesia.

Summ Pont. consulit sedandis jurgiis inter clerum sæcularem, & regularem.

§. 7. Attendentes nos prædicti electi tàm Admod. Illustris Capituli, Curatorum, & Clericorum sæcularium, quàm regularium inter præfatos utriusque partis Syndicos, & Procuratores in Romana Curia, ad obviandum jurgiis, sedandum scandala, & excusandum sumptus, qui ex longissimis litium, & dubiorum anfractibus sperabantur, de consilio præstantissimorum Romanæ Curiæ Advocatorum, ac intervenientibus ad id Eminentiss. D. Card. Cæsarino Ponenti, Illustrissimóque D. Francisco Pauluccio Congregationis Concilii Secretario, & Perillustribus DD. Armindo Ricio, & Stephano Fabretto Juris utriusque Doctoribus, ac utriusque causæ Procuratoribus, ille pro parte Parochorum, hic pro parte Regularium, de consensu R. D. Marci Antonii Forteza causam pro dictis Parochis in Romana Curia agentis, & Admodùm R. P. Fratris Benedicti Ferrer S. Theologiæ Magistri, ac S. Inquisitionis Qualificatoris Ord. Prædicatorum Agentis pro Dominicanis, & R. P. Fratris Jo. Baptistæ Mestre Ord. S. Francisci S. Theologiæ Lectoris Agentis pro cæteris Regularibus dictæ Diœcesis, actum fuisse de concordia prædictarum litium. Et nos habitis quampluribus colloquiis, sæpè sæpiùs rebus maturè consideratis, & perpensis in unum convenisse Concordiam, quæ proposita fuit Congregationi habitæ die 28. Aprilis anni currentis, in qua astiterunt Admodùm Illustre Capitulum Ecclesiæ Cathedrales, & omnes Curati, ac Syndici omnium Communitatum Ecclesiarum sæcularium præsentis Insulæ, in qua Congregatione fuit pro majori parte approbata prædicta Concordia, & Commissum nobis prædictis Electis Capituli Curatorum, & Clericorum sæcularium, ut pro parte totius Cleri illam admitteremus, ut de dicta approbatione, & commissione constat in actis celebrationis dictæ Congregationis penès Notarium infrascriptum, & in Ecclesiastica Curia reconditis: Scientes etiam eamdem potestatem nobis attributam fuisse à Præposito, & Communitate Clericorum sæcularium Ciutadella Insulæ Minoricen. Instrumento publico mediante recepto die 4. Maji anni currentis per Joannem Companny Notarium publicum, de quo ego Notarius infrascriptus fidem facio. Et expressè declarantes, quòd in hac concordia comprehenduntur Parochi, & Clerici locorum de Mahò, & Layor Insulæ Majoricen. si infrà quatuor menses, penès Notarium infrascriptum eam ratam habuerint. Nos etiam prædicti Regularium Electi utentes facultatibus nobis attributis, ut suprà, confitemur inter nos partes prædictas, & nominibus suprà expressis deventum fuisse ad concordiam præfatarum litium in modum sequentem.

Forma concordiæ.

§. 8. Respectu causæ convocationis Parochi, quæ agebatur in Sacra Congregatione Regularium, concordatum fuit. Quòd omnes Regulares possint per se ipsos tantùm absque interventu Parochi, atque Clericorum sæcularium processionaliter Cruce elevata incedere, & Parochis non vocatis, nec requisitis eorum parochias ingredi, indeque ad sua Monasteria levare, & efferre corpora defunctorum, qui apud ipsos Regulares elegerint sepeliri, prout hactenùs consuetum fuit: atque adeò in hoc nihil esse innovandum, exceptis Regularibus sex Conventuum, scilicet Ordinum Prædicatorum Sancti Dominici locorum de Manacor, Pollensa, & Inca, ac Minorum Sancti Francisci de Petra, Sancti Augustini de Falanitg, & Minimorum S. Francisci de Paula de Campos, qui juxtà pacta in limine fundationis non possunt absque interventu Parochi, & Cleri exire ad supradicta, & in sex prædictis locis, etsi in aliis extrà hanc Civitatem fuerint vocati Parochus, & Clerus sæcularis ad associanda cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda Regulares adeant Ecclesiam Parochialem, fiatque processo, sicut in Cathedrali in funeribus generalissimis, & quandò Parochus, & Clerici sæculares voluntariè vocabuntur pro associatione funeris, singuli Clerici non possint plusquàm duos solidos, & Ministri, scilicet Hebdomadarius, Diaconus, Subdiaconus, & duo Primicerii quatuor solidos pro suis stipendiis recipere. Respectu primæ, & secundæ controversiæ quartæ funeralium concordatum fuit. Quod ea Regularium prædictorum Monasteria, quæ sunt ædificata à quadraginta annis antè confirmationem Tridentini, & sunt in consuetudine solvendi tantùm quartam partem ex intortitiis, eamdem solvant, & quartam partem de pane, & candelis, quæ dùm missa Conventualis præsente cadavere cantatur, offeruntur, cum quinque solidis pro Rectoris cera, quæ comburitur dùm Missa canitur, ut usque adhuc solitum est. Et nunc de novo additur, ut deinceps de panno, quod vulgò dicitur Drap de cos de friseta negra, de libris, ensibus, & habitibus militaribus quartam partem dare teneantur, & unum de quatuor cereis, quos quatuor Regulares juxtà pheretrum defuncti deferre solent: De reliquis autem obventionibus, nempè de habitu regulari, de sudario, de sindone, de arca, de panno serico, seu de alia particulari re Confraternitatum laicorum, seu Conventuum ipsorum Regularium, de duobus cereis duorum Acolytorum Crucem comitantium, de aliis cereis, seu candelis, quæ dantur ad manus Regularium, de eleemosynis pro Missis, Anniversariis, Responsis, vel aliis divinis officiis, pìisque de-

precationibus

cationibus pro defunctis eisdem celebrandis, delegatis absolutè, vel ad certos usus, vel etiam datis qualitercumque donatis toti Monasterio, seu alicui ex Regularibus, & de quavis alia re particulari, nihil omninò solvere teneantur. Illa verò Monasteria, quæ sunt ædificata post Concilium Tridentinum nihil solvere teneantur, nisi aliter concordatum fuerit cum ipsis à principio fundationis Monasteriorum, aut posteà, quo casu standum erit concordiæ legitimæ. Respectu tertiæ, & quartæ controversiæ concordatum fuit, quòd juxtà Constitutionem Synodi Majoricensis de Anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, possint Patres eligere sepulturam pro filiis impuberibus, non verò matres. Tandem concordatum fuit prædictas conventiones, & concordias ad petitionem ambarum partium approbandas esse à Sacris Congregationibus Regularium, & Concilii, & confirmandas à Sanctiss. Domino Nostro Papa cum clausulis necessariis pro majori robore dictæ concordiæ, & decreti irritantis, si secùs à quocumque contigerit attentari, & quòd committatur Ordinario Majoricen. omnimoda jurisdictio pro observantia dictæ concordiæ. Non obstantibus quibuscumque privilegiis exemptionis Regularium. Hanc itaque concordiam, & transactionem, omniáque in illa contenta inviolabiliter observari. Nos electi prædicti pro utraque parte promittimus, eamque admittimus, & approbamus, & à prima linea usque ad ultimam acceptamus, ac approbari, laudari, & confirmari promittimus, & nos obligamus. Super quibus omnibus, & singulis supradictis sic complendis, tenendis, & inviolabiliter observandis obligamus utraque pars nostrum alteri ad invicem mutuò, & vicissim omnia, & singula bona nostra, scilicet nos Electi prædicti bona dictorum Rectorum, & Cleri, & Nos dicti Regulares bona dictorum Conventuum mobilia, & immobilia præsentia, & ubique futura. Quod fuit actum in præsenti Civitate Majoricen. die, videlicet decima tertia mensis Aug. Anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Si †††††gna nostra, Joannis Baptistæ Caforteza, D. Doctoris Presbyteri, Canonici, & Sacristæ Ecclesiæ Sedis Majoricensis, & cæterorum Electorum. Si ††gna nostra Fratris Antonii Rubi Ordinis Prædicatorum, & Fratris Juliani Ginard Ordinis S. Francisci de Observantia, nomine antedicto transigentium, & concordantium prædictorum, qui hæc laudamus, concedimus, & firmamus. Testes in quorum præsentia firmarunt dicti Doctores Jo. Baptista Caforteza Sacrista, Marcus Antonius Cotener Canonicus, Franciscus Liompard, & Marcus Antonius Forteza Præsbyteri, P Frater Antonius Rubi, & P. Frater Julianus Ginard sunt Gabriël Cantallops studens, & Petrus Ferrer Ecclesiasticæ Curiæ Nuncius, Testes verò firmæ d. Doctoris Michaëlis Villanova Presbyteri Rectoris Sancti Jacobi, qui firmavit die eadem, fuere R. Michaël Sagarra Presbyter, & Sebastianus Carbonell dictæ Curiæ Ecclesiasticæ Nuncius.

Decretum Congr. S. R. E. Card negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ.

§. 8. Subindè per eosdem exponentes supplicato, primò dictis Cardinalibus hujusmodi, ut præmissa confirmarent, ab eisdem Cardinalibus emanavit Decretum infrascriptum, videlicet. Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Eminentissimo Cardinali S. Cæciliæ referente censuit, quoad primum punctum, circà formam transportandi cadavera ad Ecclesias Regularium, concordiam posse confirmari, prout præsenti Decreto confirmat: quoad reliquas verò partes ad Sacram Congregationem Concilii remittit. Romæ 26. Novemb. 1644. M. Cardinalis Ginettus. Postmodùm verò per eosdem primò dictos Cardinales remissis ad secundò dd. Cardinalium præfatam Congregationem certis aliis punctis, & capitibus in dicta præinserta concordia expressis pro illorum confirmatione iidem secundò dd. Cardinales pariter decreverunt, ut infrà, videlicet. Die 4. Februarii 1645. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concili Tridentini Interpretum prævia revisione, ac relatione in eadem Sac. Congregatione per Eminentissimos Cardinales Cornelium, & Ginettum, censuit, confirmationem supradictæ concordiæ, quoad Decreta ejusdem Sacræ Congregationis posse concedi, si Sanctissimus D. Noster annuat. F. Cardinalis Episcopus Sabinensis. Cùm autem firmiora sint ea, quæ Sedis Apostolicæ patrocinio roborantur, idcircò præfati Capitulum, & Canonici, Clerus, & Parochi hujusmodi, dictorúmque Ordinum Superiores Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Prædictam concordiam confirmats, & approbat Sum. Pontifex.

§. 10. Nos igitur eosdem exponentes, & supplicantes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Concordiam præinsertam, & desuper confectum instrumentum, seu scripturas, juxtà præinserta dd. duarum Congregationum decreta, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illísque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse, dici, vel censeri possint, supplemus; salva tamen semper auctoritate utriusque Congregationis Cardinalium hujusmodi.

Clausulas præservativas apponit.

§. 11. Decernentes præsentes literas, nullo unquàm tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, defectu, aut quovis alio ex capite, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis privilegiata notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci ullatenùs posse, sed illas semper; & perpetuò validas, & efficaces fore, & esse, suósque plenarios: & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectabit, ac spectare, & pertinere poterit in futurum perpetuò firmiter, inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri debere.

Clausula sublata.

§. 12. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncius, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Ven. Fratri Episcopo Majoricen. ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditore per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, quoties pro parte exponentium, & supplicantium præfatorum fratrum fuerint requisiti, vel eorum alter fuerit requisitus solemniter publicantes, illísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra, illos præmissorum effectu pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos desuper quo-

modolibet

modolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, præmissisque non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimísque super his habentibus servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si fuerit opus, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ nostræ Apostolicæ regulis, ac quibusvis Apost. necnon in Universalibus, Provincialibúsque, & Synodalibus Conciliis editis, & edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, dictæque Majoricen. ac aliarum Ecclesiarum, ac Domorum, seu locorum Regularium, dictæque Provinciæ, ac Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 14. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 22. Febr.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 22. Februarii millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Pontificatus Nostri Anno primo.

VIII.

Prohibitio, ne Prælati Congregationis Cassinen. in effectum locent possessiones sæcularibus personis, nec in eis Monachos retineant pro cura, & administratione earumdem extra Claustra à Superiorum obedientia immunes.

De istorum Monachorum Congregatione notavi ad Const. 172. Sancta mater. & ad Constitut. 230. Aliàs in Venerab.

Edita An. D. 1644.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Præsidens generalis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinen. quod à Capitularibus Capituli generalis ejusdem Congregationis novissimè celebrati conditum fuit pro fœlici gubernio, & regimine publico ejusdem Congregationis decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

Decreti Capituli Generalis.

§. 1. Cùm ad aures nostras non sine ingenti animi dolore pervenerit in aliquibus Congregationis nostræ monasteriis non deesse Prælatos, qui in affictum ducunt, vel Monachis ipsis cum evidenti animarum jactura, vel sæcularibus suorum Monasteriorum possessiones locent ea conditione, ut Monachus aliquis ab ipsis nominandus dictorum bonorum curæ, & administrationi assistat extrà claustra à Superiorum obedientia immunis degens: Idcircò tàm gravi, ac periculoso excessui opportunum, ac necessarium remedium adhibere volentes inhærendo ordinationi S. P. N. Benedicti cap. 33. & Constit. nostris in decl. dicti cap. & cap. 57. & 2. par Const. cap. 2. Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis in nostris Const. expressis, omnibus Prælatis ne quovis quæsito colore, aut prætextu præsumant in posterùm similes locationes facere, vel accipere, vel Monachis mediatè, vel immediatè conferre: factas verò, & hactenùs collatas irritas, cassas, & nullas esse declarent respectivè, tàm quoad ipsos Prælatos, quàm quoad Monachos, nec permittant in publicis Instrumentis prædictarum locationum, quæ sæcularibus personis committuntur pacta, & conditiones inseri quibus Monachi prædictis bonis, & possessionibus administrandis præsidere, & cogant omnes, qui hac de causa extrà Cœnobiorum septa commorantur relicta administratione ad Monasterium reverti.

§. 2. Ut autem præsentis decreti observationi major vis, & pondus accedat, mandamus Procuratori nostro in Curia Romana degenti quamprimùm satagat Breve aliquod excommunicationis ipsi Summo Pontifici reservatæ contrà præsentis edicti violatores impetrare.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat dictus exponens decretum hujusmodi quo firmiùs subsistat, & exactiùs observetur, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Idcircò nos ejusdem Præsidentis generalis votis hujusmodi annuere illúmque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendùm harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati stante prohibitione Sacrorum Canonum, & Constitutionum d. Ordinis Apostolica auctoritate confirmatarum, Decretum præinsertum, Apostolica auctoritate tenore præsentium ad abundantiorem cautelam confirmamus, & approbamus illique inviolabilis, & perpetuæ firmitatis vim, & robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, vel censeri possint, supplemus mandantes propterea omnibus, & singulis dictæ Congregationis Superioribus Monachis, & personis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna per eos ex dicta Congregatione, qui decreto præinserto hujusmodi contravenerint eo ipso, absque ulla alia declaratione incurrenda, & à qua nonnisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo constituti absolvi queant, quatenùs præinsertim decretum prædictum inviolabiliter, & inconcussè observent, observarique curent, & faciant.

Confirmat decretum prout in Rubr. sub pœna excommunic.

§. 4. Decernentésque præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmita-

Decretum irritans.

te alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis eorumdem Ordinis, & Congregationis religiosis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibúsque & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis eorúmque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium tenore præsentium pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 1. die 1. Octob.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 1. Octobris 1645. Pontificatus Nostri Anno primo.

IX.

Breve in favorem Regii Conventus Sanctissimæ Trinitatis Montis Pincii de Urbe, Fratrum Gallicæ Nationis, Ordinis Minimorum Coronæ Franciæ naturaliter subditorum.

Fratres Minimos Sancti Francisci de Paula approbavit Sixtus IV. Const. 3. Tom. 1. ubi de tota eorum Religione plenè notatum est.

Edita An. D. 1645.

INNOCENTIUS X. PAPA

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

EX incumbenti Nobis pastoralis officii debito, iis quæ pro fœlici regularium personarum quarumlibet statu, & illarum salubri directione providè statuta, & ordinata comperimus, ut firmiùs subsistant, & perpetuis futuris temporibus observentur confirmationis Apostolicæ robur libenter adjicimus, prout ipsorum religiosorum vota exposcunt, & nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva hujus Constit.

§. 1. Aliàs siquidem pro parte tunc in humanis agentis claræ mem. Henrici Francorum, & Navarræ Regis Christianissimi fœlicis recordationis Paulo Papæ V. prædecessori nostro, exposito, quod subortis aliàs certis litibus, & controversiis inter ipsum Henricum Regem, & tunc existentes Fratres Nationis Gallicanæ Coronæ Franciæ naturaliter subjectæ, Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula Domus Regularis, seu Conventus Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio de Urbe ex una; & Fratres aliarum Nationum ejusdem Ordinis partibus ex altera, occasione habitationis, residentiæ, regiminis, & præeminentiæ dictæ domus, seu Conventus recolendæ similiter memoriæ Clemens VIII. necnon Leo XI. Romani Pontifices etiam prædecessores nostri, litibus, & controversiis ejuscemodi finem imponere, ac quieti, & tranquillitati dictæ Domus regularis, seu Conventus hujusmodi perpetuò consulere cupientes bonæ memoriæ Pompejo Sanctæ Balbinæ Arigonio, necnon Hieronymo titulorum Sancti Blasii de Annulo tunc Pamphilio, nostro secundùm carnem patruo nuncupatis, respectivè S. R. E. Presbyteris Cardinalibus differentiarum, & contro-

Deputatio Cardinalium ad litem terminandam.

versiarum hujusmodi causam per specialia rescripta cognoscendam, terminandamque commiserant, ipsique Pompejus, & Hieronymus Cardinales prævia per eos desuper habita matura deliberatione diffinitivam in scriptis tulerant, & pronunciarant sententiam tenoris qui sequitur. Videlicet, die 20. Junii 1605. Christi nomine invocato pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam unanimiter in his scriptis de juris peritorum consilio, & assensu ferimus in causa & causis, quæ coràm nobis virtute specialium Brevium, seu commissionum fœl. record. Clementis VIII. & Leonis XI. vertuntur inter Christianissimum Galliarum Regem, & Fratres Nationis Gallicanæ Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula Conventus Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio ex una, & Fratres aliarum Nationum ejusdem Ordinis partibus ex altera, de & super habitatione, residentia, regimine, & præeminentia dicti Conventus, seu Domus Sanctissimæ Trinitatis, rebúsque aliis in actis causæ, & causarum prædictarum latiùs coràm nobis deductis. Dicimus, sententiamus, decernimus, & declaramus Conventum præfatum Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio de Urbe per Fratres Gallicanæ Nationis regendum, & habitandum, quamdiù inveniantur, qui inibi residere, & cultui Divino insistere voluerint, ità ut de cætero quamdiù Fratres dicti Ordinis prædictæ Nationis Gallicanæ idonei reperientur ut præmissum est, nullus alius, quàm ejusdem Nationis Gallicæ in Correctorem eligi, seu admitti, aut electus confirmari quoquo modo possit, seu præsumatur, necnon Domum, seu Conventum prædictum Sanctissimæ Trinitatis ab omni, & quacumque superioritate, & jurisdictione, visitatione, correctione, subjectione, & obedientia, præterquàm pro tempore existentis R. Patris Correctoris Generalis, vel ejus oculati Visitatoris penitùs esse liberum, immunem, & exemptum, vexationésque, & impedimenta, perturbationes, & molestationes quascumque per dictos Fratres aliarum Nationum de & super præmissis, & illorum occasione quomodolibet factas, & præstitas, factáque, & præstita fuisse, & esse temerarias, illicitas, indebitas, iniquas, & injustas, temerariáque illicita, indebita, iniqua, & injusta, ac de facto præsumptas, & præsumpta, illásque, & illa ipsis Fratribus aliarum Nationum minimè licuisse facere, neque licere, & proptereà illis, à quibuscumque prætensionibus eorumdem Fratrum aliarum Oationum de & per præmissis imponendum perpetuum silentium fore, & esse prout imponimus, mandatúmque quodcumque desuper necessarium, opportunum, & de manutenendo decernendum, & relaxandum fore, & esse prout decernimus, & relaxamus, dictósque Fratres aliarum Nationum ab expensis hactenùs factis absolvimus, & ità dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus, ac diffinitivè sententiamus, non solùm modo, & forma præmissis, sed etiam omni meliori modo. Ità pronunciamus Pompejus Cardinalis Arigonius. Ità pronunciamus Hieronymus Cardinalis Pamphilius.

Sententia Cardinalium deputatorum.

Eximitur Conventus ab omni jurisdictione præter quam Reverendiss. P. Generalis, & oculati Visitatoris:

Vexationes aliarum nationem decernuntur injustæ, & temerariæ.

§. 2. Subindè idem Paulus prædecessor quibusvis litibus, discordiis, & scandalis præmissorum occasions obviam ire, ac ejusdem Henrici Regis voluntati annuere volens supplicationibus illius ea in parte sibi porrectis inclinatus primùm, ac deindè similis mem. Gregorius XV. & novissimè Urbanus VIII. etiam Romani Pontifices nostri pariter prædecessores præinsertam prædictam sententiam, ac omnia, & singula in ea contenta, & expressa quocumque ex suis certis scientiis, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine approbarunt, & confirmarunt, aliásque fecerunt, & disposuerunt prout in singulis eorumdem Pauli, Gregorii, ac Urbani prædecessorum præfatorum in simili Bre-

Confirmatio ex certa scientia, & plenitudine Apostol potestatis Summ. Pontificum:

vis

vis, vel alia forma litteris desuper emanatis, quorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 3. Cùm autem sicut Charissimus in Christo filius noster Ludovicus eorumdem Francorum, & Navarræ Rex Christianissimus suo, & ipsorum Fratrum Nationis Gallicanæ eidem Coronæ Franciæ naturaliter subjectæ nominibus per dilectum filium Nicolaum Brethel Dominum in temporalibus loci de Grimonville, & à Consiliis status ejusdem Ludovici Regis, necnon illius ad dilectos filios nobiles viros Ducem, & Rempublicam Venetam destinatum Oratorem, ac pro ejusdem Ludovici Regis servitio in Alma Urbe nostra præsentem nobis nuper exponi fecit, ipse Ludovicus Rex præmissa, quò meliùs, firmiùs, & inviolabiliùs in posterùm observentur, etiam per Nos confirmari summoperè desideret unà cum mandato de manutenendo Fratres præfatos dictæ Nationis Gallicanæ in quieta, & pacifica possessione, seu quasi omnium, & singulorum in eadem præinserta sententia contentorum de anno 1637. desuper à tunc existente Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditore, seu illius in civilibus Locumtenente emanato, tenoris etiam subsequentis videlicet.

Mandatum de manutenendo.

§. 4. De mandato Illustrissimi, & Reverendissimi D. A. C. sive Reverendissimi D. Caballetti, ejus in Civilibus Locumtenentis, & ad instantiam Christianissimi Francorum Regis, & RR. Fratrum Nationis Gallicanæ Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, & Conventus Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio de Urbe, & aliàs omni meliori modo principalium tenore præsentium. Mandatur Vobis Officialibus, & executoribus & Justitiæ Ministris, ac aliis ad quos spectat quatenùs statim visis præsentibus sub pœnis &c. manuteneatis, defendatis, protegatis, & conservetis dictum Christianissimum Regem, ac dictos RR. Fratres Nationis Gallicanæ, ac manuteneri faciatis, curetis, & mandetis in pacifica, & quieta possessione, seu quasi omnium contentorum in suprà præinserta sententia dictorum bon. memor. Eminentissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium Arigonii, & Pamphilii, ac litteris Apostolicis in forma Brevis ut suprà insertis, ac juxtà illarum formam, & tenorem. Eisdemque Christianissimo Regi, & RR. Fratribus instantibus brachio Curiæ, & auctoritate nostra assistatis, præmissaque, & alia omnia desuper necessaria, & opportuna non solùm præmisso, verùm etiam omni alio meliori modo faciatis, & præsentibus &c. omninò pareatis, & obediatis, quoniam citatis, relatis, & intimatis R. P. Paulo Pulejo, R. P. Petro Vasquez, & R. P. Raphaele Pizzourno, sine DD. Petro Francisco Pavonio, & Mutio Asculano eorum Procuratoribus servatis servandis & aliàs prout in actis Reverendiss. D. Locumtenens ità mandavit hac die 10. Junii 1637. P. Paulus Caballettus Locumtenens Adrianus Gallus Not. Loco † sigilli.

Brevi Beati confirmans sententiam cum laude Conventu regularis observantiæ.

§. 5. Idcircò Nos attendentes prædictos Nationis Gallicanæ dicti Ordinis Fratres hactenùs piè, & religiosè cum odore bonæ famæ, sub suavi Religionis suæ jugo in dicta Domo Regulari, seu Conventu vixisse, & ad præsens vivere, ac ob id Ordinem hujusmodi inibi in suo laudabili statu, ac illius Fratres dictæ Nationis Gallicanæ prædictos in perpetuis tranquillitate, & pace confovere, ipsiusque Ludovici Regis desiderio annuere volentes supplicationibus illius nomine per dictum Nicolaum nobis humiliter hac in parte porrectis inclinati præinsertam prædictam sententiam, necnon illius vigore emanatum mandatum de manutenendo hujusmodi, ut præfertur, ac omnia, & singula in eis contenta, & expressa, ac indè legitimè secuta, & executioni demandata quæcumque ex nostra certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnésque, & singulos quarumcumque solemnitatum in præmissis forsàn quomodolibet requisitarum, ac alios quantumvis tàm juris, quàm facti substantiales defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint supplemus, districtiùs inhibentes pro tempore existentibus Generali Correctori, & Fratribus d. Ordinis eorúmque singulis sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & censuris, necnon privationis dignitatum officiorum, vocisque activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterùm obtinenda per eorum quemlibet si contravenerint, eo ipso incurrendis pœnis, ne de cætero quosvis alios quàm prædictæ Nationis Gallicanæ eidem Coronæ Regni Franciæ naturaliter subjectæ dicti Ordinis Fratres in dictæ Domus Regularis, seu Conventus hujusmodi Correctores, seu alios locales, & conventuales, vel habitatores eligere, vel electos confirmare, inibíque recipere, vel eis locum, & domicilium assignare, seu etiam quoquo modo eos admittere, vel tolerare præsumant. Nolumus tamen, quòd Fratres dictæ Nationis Gallicanæ hujusmodi, qui fugitivi, seu quavis alia juris, aut facti infamia notati fuerint in dicta Domo Regulari, seu Conventu recipiantur, vel admittantur.

Instantis Excellentiss. de Grenomviller.

Quid Gallicæ nationis nomine intelligatur.

§. 6. Decernentes præsentes litteras etiam ex eo quòd aliarum Nationum dicti Ordinis Fratres, seu quicumque alii in præmissis jus, aut interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad hoc vocati, seu desuper auditi non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, argui, infringi, impugnari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu juvare in judicio, vel extrà nullatenùs posse, vel debere, sed easdem præsentes semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurùm inviolabiliter, & inconcussè observari: sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula imponit silentium aliis Nationibus.

Clausula sublata &c.

Decretum irritans

§. 7. Quocircà venerabili Fratri Episcopo Sabinen. ac Dilectis filiis nostro in Urbe Vicario in spiritualibus generali, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori etiam generali per præsentes committimus, & mandamus quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Ludovici Regis, & Correctoris, & Fratrum dictæ Regularis Domus, seu Conventus hujusmodi, aut alicujus eorum desuper requisiti fuerint, seu eorum aliter requisitus fuerit, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præmissorum om-

Executores deputat.

ni um,

nium, & singulorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos desuper à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

[Contrariis derogat.] §. 8. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ idem Paulus, necnon Gregorius, & Urbanus præfati in suis quisque literis voluerunt non obstare, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, ac Regularis Domus, & Conventus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorúmque dotis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad varbum de indulto hujusmodi mentionem.

[Dat. P.An.1. die 10. Apr.] Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Aprilis 1645. Pontificatus Nostri Anno primo.

X.

Confirmat statuta Monasteriorum Congregationis Beatæ Mariæ Virginis sub Regula Sancti Augustini in Tullen. & aliis Diœc. sitorum.

Plures Summi Pontifices confirmarunt statuta Monalium pro bono regimine earumdem, ut copiosè habes in Repertorio, verb. Statuta.

[Edita An.D. 1645.]

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

[Supplicatio:] EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ Matres, seu Priorissæ, & Moniales Monasteriorum Congregationis B. Mariæ Virginis sub Regula Sancti Augustini in Tullen. & aliis Diœc. sitorum; quòd ipsæ statuta fœlici dictæ Congregationis directione, atque gubernio à quon. Petro Fourier illius institutore nuperrimè condita, quò firmiora persistant, & exactiùs ab omnibus observetur, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderant.

[Confirmat prout in Rub. dummodò non contrarientur sacris.] §. 1. Nos igitur easdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum serie absolven. & absolutas fore censend. Supplicationibus illarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Statuta prædicta dummodò tamen in usu, ac licita sint, & honesta, & non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrísque Canonibus, & Conciliis Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibúsque dicti Ordinis Institutis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium sine tamen alicujus præjudicio approbamus, & confirmamus, illísque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 2. Decernentes illa, necnon præsentes literas semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, irritúmque, & inane quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. [Decretum irritans.]

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterísque contrariis quibuscumque. [Contrariis derogat.]

Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. [Transumpt. credi jubet.]

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1645. Pontificatus nostri anno primo. [Dat. P.A. 1. die 28. Aug.]

XI.

Confirmatio, seu innovatio Brevis Urbani VIII. pro locis Terræ Sanctæ, quoad eleemosynas quærendas.

Pro hujusmodi locis Terræ Sanctæ lege Constit. 177. Salvatoris Urb. VIII.

[Edita An.D. 1645.]

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

[Prooemium.] SAlvatoris, & Domini nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem; vices licèt immeriti gerentes in terris, inter multiplices, gravissimásque Apostolicæ servitutis curas, in ea præcipuè pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus; ut tanti, & tàm salubris misterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

§. 1. Cùm itaque fœl. rec. Urbanus VIII. Papa prædecessor noster sibi aliàs exposito, quòd Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia ferè diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Scismaticorum tyrannidem; & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto, admodùm gravata reperiebantur. Idem Urbanus prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, Congregationum, & institutorum Regularium Generalibus commi-

commisit, & mandavit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno Adventus, & Quadragesimæ temporibus, tàm per Verbi Dei Prædicatores in suis sacris Concionibus, quàm in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem sacrorum monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & aliàs prout in ejusdem Urbani prædecessoris literis simili forma Brevis die 3. Februarii anni 1634. desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur,

§. 2. Cùm autem sicut Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratris Andreæ de Arco ejusdem Terræ Sanctæ pro Italia, & aliis locis Europæ Subsuperiore Cismontanæ Familiæ, ac Fratris Bernardi de Castiglio pro Hispanica Commissariorum Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum professorum expositum fuit, ipsi quo præfatæ Urbani prædecessoris literæ exactiùs observentur, illas ad nos confirmari, & innovari desiderent. Nos eorumdem sacrorum monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotio Propagandæ fidei Præpositorum consilio, prædictas Urbani prædecessoris hujusmodi literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illásque innovamus, & observari mandamus, salva semper auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Præceptum de observando.

§. 3. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi prædicti in relatione status suarum Ecclesiarum, quando visitabunt limina Apostolorum facienda, referant se prædictis Urbani prædecessoris, & præsentibus nostris literis paruisse contrariis non obstan. quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

Volumus insuper quòd earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. Ann. 1. die 19. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Septembris 1645. Pontificatus nostri anno primo.

Quòd Commissarii Terræ Sanctæ tenere possint unam clavem Arcæ eleemosynarum, & alia maneat penès Syndicum pro tutiori custodia earumdem.

Quoad eleemosynas quærendas pro locis Terræ Sanctæ, lege Constit. 177. Salvatoris Urb. VIII.

Edita An. D. 1645.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Cum sicut dilecti filii Commissarii locorum Terræ Sanctæ Nobis nuper exponi fecerunt Superioribus annis in aliquibus Italiæ Civitatibus, & novissimè in Oppido Matriti Toletan. Diœc. evenerit, ut certæ eleemosynæ in multorum scutorum millibus per pias personas erogatæ locis Terræ Sanctæ hujusmodi ob decoctionem, aut alias culpa Syndici Apostolici, qui eleemosynis hujusmodi indifferenter in suos peculiares usus, & interesse utebatur; amissæ fuerint, proptereáque cupiant ipsi Exponentes per Nos statui, præcipíque Commissariis, & Syndicis pro tempore locorum d. Terræ Sanctæ, ut unam arcam cum duabus diversis clavibus confici faciant, quarum unam Commissarius, aliam claves præfatas Syndicus penès se respectivè teneant, & in qua arca omnes, & singulæ eleemosynæ locis ejusdem Terræ Sanctæ erogandæ, intactæ conserventur, ipsáque arca nusquàm referetur præterquàm occasione eleemosynarum hujusmodi ad eadem loca Terræ Sanctæ præfatæ transmittendarum.

Contrariis derogat.

§. 1. Idcircò Nos conservationi eleemosynarum hujusmodi quantum cum Domino possumus benignè consulere, eosdémque Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negocio propagandæ Fidei præpositorum consilio, Commissariis Terræ Sanctæ, ut ipsi tuta conscientia unam ex dictis duobus clavibus penès se retinere liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, salva semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 2. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. Ann. 1. die 23. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Septemb, 1645. Pontificatus Nostri Anno primo.

XIII.

Confirmatio nonnullarum Constitutionum Summorum Pontificum pro communi bono editarum cum revocatione quarumdam gratiarum contrà illarum dispositionem concessarum.

Edita An. 1645.

Bullas in hac Constitutione citatas reperies in Indice rubricarum, in Paulo III. Julio III. Pio V. Clement. VIII. Paulo V. & Urbano VIII.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Etsi ea, quæ pluribus Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutionibus pro bono communi providè sancita, & sæpiùs confirmata, & innovata fuerunt novæ approbationis adjectione minimè indigere videantur; quia tamen plerumque accidit, ut rerum vel maximè utilium nisi crebrò excitetur sensim effluat memoria, ac etiam quia post editas, & promulgatas Constitutiones hujusmodi multa per nonnullos ex prædecessoribus præfatis, quorumdam importunis precibus, ut verisimile est, inductos concessa fuisse comperimus, quæ earumdem Constitutionem vim non leviter infringere, & publicis commodis graviter officere, nostræque, & Sedis Apostolicæ auctoritati aliquatenùs detrahere dignoscuntur. Hinc est, quòd Nos, quibus agri

Causæ hujus Constit.

Dominici

Dominici cura divinitùs commissa est, ut juxtà Prophetam, noxia evellamus, & utilia plantemus operæ pretium facturos existimavimus, si iteratæ confirmationis & innovationis ministerio, easdem Constitutiones ab oblivione vindicemus, & prædecessorum nostrorum, sedulique Patrisfamilias exemplo, ea quæ præter, aut contrà salubrem Constitutionem hujusmodi dispositionem, & commune bonum nimia facilitate concessa fuerunt, tanquàm nociva zizania extirpemus, rati neminem ægrè laturum suæ privatæ publicam utilitatem anteponi.

alus V. nstit. Exptionum ocatorias nfirmat.

§. 1. Aliàs siquidem fœl. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine nonnullorum etiam prædecessorum nostrorum tunc suorum, & præsertim piæ mem. Pauli III. Julii III. Pii V. & Clementis VIII. Romanorum Pontificum vestigiis inhærens, quascumque editas Constitutionem exemptionum, & immunitatum, ac concessionum revocatorias confirmans, approbans, & innovans sua perpetuò valitura constitutione, sub Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1605. Pontifices sui anno primo edita, omnes & quascumque exemptiones, & immunitates à solutione subsidii triennalis, quatrini carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, Archivii, Fogliettæ, triremium, utensilium, necnon Dohanarum, gabellarum, datiorum, impositionum, & aliorum onerum Cameralium quorumcumque, & quæ etiam per Communitates, & Universitates pro eorumdem onerum Cameralium solutione, & publicorum numerum supportatione indicta, & imposita existebant, ac exigi solita erant, necnon cæteras gratias & concessiones, ac provisiones, & assignationes super Cameræ Apostolicæ redditibus & juribus pœnarum quoque maleficiorum applicationes, approbationes, ac illarum sive Dohanarum; & Cancellariarum tàm civilium, quàm criminalium, ac Secretariarum & illorum emolumentorum, ac bonorum, & jurium ipsius Cameræ cujusvis qualitatis, & quantitatis in præjudicium ipsius Cameræ per quoscumque prædecessores nostros tunc suos, & ipsummet Paulum V. & Sedem Apostolicam etiam motu proprio, & consistorialiter, ac S. R. E. Camerarium, & Cameram prædictam, seu etiam Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Officiales, & Ministros quibusvis Communitatibus, Universitatibus, necnon familiis nobilibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & quibusvis aliis personis quacumque dignitate fulgentibus etiam ratione guberniorum, & aliorum officiorum, & munerum eis commissorum, & ex quavis causa, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitum, & alias quantumvis urgentissima, & de necessitate exprimenda causa sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, & cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiamsi in Appaltuum, seu locationum Cameralium instrumentis promissum, & cautum esset, eas observari debere, Appaltoresque & conductores ad illarum observationem teneri, ac alias quomodocumque, & qualitercumque eo usque in genere, vel in specie concessas, datas, factas, & emanatas, & indè sequuta quæcumque etiam auctoritate Judicis perpetuò revocavit, cassavit, sustulit, abrogavit, & annullavit, ac viribus, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque in possessorio, neque in petitorio cuiquam suffragari posse, seu debere, ac provisiones, assignationes, pœnas maleficiorum, emolumenta, vectigalia, & alias res, bona, & jura præfata ex hujusmodi revocatione restituta eidem Cameræ, & non aliis, quibus forsan locati, & appaltati reperiebantur redditus, & proventus dictæ Cameræ, licet antequàm exemptiones, concessiones, & assignationes supràdictæ emanassent, aliter dispositum fuisset omninò deberi, ac ad illa omnia, & singula Cameram ipsam, necnon Communitates, & Universitates pro gabellis, & datiis ab eis exigi solitis pro dictorum onerum Cameralium solutione, & publicorum munerum supportatione eo ipso, absque alia adepta seu recuperata possessione restitutam, & reintegratam, restituásque, & reintegratas fore, & esse, & censeri debere decrevit, & declaravit.

Idem Paul. V. innovavit constitutiones prædecessorum quæ ad ubertatem Annonæ in Urbe.

§. 2. Ac subindè idem Paulus V. prædecessor Annonæ, & Grasciæ ubertati in Urbe, & Ecclesiastica ditione consulere cupiens per aliam suam perpetuam Constitutionem sub datum eadem die 23. Decembris editam, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas rec. mem. Pii IV. etiam prædecessoris nostri tunc sui, ac Pii V. & Gregorii XIII. ac Clementis VIII. præfatorum Constitutiones, & literas, in quibusvis earum partibus etiam quoad excommunicationis, & alias Ecclesiasticas censuras quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum, & olei à Statu Ecclesiastico extractionem tantùm; & quoad cæteras pœnas quascumque in eisdem Constitutionibus, & literis contentas, non solùm in quantum ad præmissorum, sed etiam in quantum ad aliarum rerum ad Annonam, & Grasciam pertinentium extractionem attinebat, perpetuò innovavit, confirmavit, & approbavit, illásque adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes, & moderationes in pristinum, & eum, in quo antequàm illæ emanarent, erant statum, restituit, reposuit, & plenariè reintegravit, omniáque & singula privilegia, licentias, & facultates, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia id genus tàm Annonam, quam Grasciam concernentia, etiam in propriis eorum prædiis, possessionibus, agris, & terris pro tempore recollecta ex quibuscumque Status Ecclesiastici temporalis Provinciis, ac Civitatibus, Terris, Castris, & locis, eorúmque Territoriis, & districtibus, sibi ditionique Ecclesiasticæ mediatè, vel immediatè quomodolibet subjectis extrahendi quibusvis eo usque concessa, approbata, confirmata, & innovata perpetuò revocavit, cassavit, & annullavit, ac viribus evacuavit, & revocata, annullata, cassata, invalida, viribus, & effectu vacua esse, & fore, ac nemini ullatenùs suffragari posse, aut debere decrevit.

Idcircò prohibuit extractionem cujusvis generis Annonæ & Grasciæ extra statum Ecclesiasticum & loca ei immediatè.

§. 3. Et deindè idem Paulus V. prædecessor per aliam ejus Constitutionem, etiam loca mediatè Sedi Apost. subjecta, in ultima dicta ejus Constitutione comprehendi declaravit, ac formam, & modum dandi licentias extrahendi statuit.

Vel mediatè subjecta.

§. 4. Postmodùm recol. mem. Urbanus Papa VIII. etiam prædecessor nost. r pro indemnitate Sedis, & Cameræ Apostolicæ, sua perpetua Constitutione, quæ incipit Sanctiss. D. N. &c. omnes, & quascumque facultates, indulta, & privilegia disponendi quovis modo de officiis quibuscumque Romanæ Curiæ ad collationem, seu concessionem d. Sedis quomodolibet pertinentibus, seu eorum pretio, absque speciali suo, & successorum Rom. Pontif. pro tempore existentium assensu, & beneplacito de tempore dispositionis hujusmodi impetrando revocavit.

Urban VIII. revocavit facultates disponendi de officiis.

§. 5. Denique ab eodem Urbano prædecessore emanavit alia Constitutio tenoris sequentis videlicet. URBANUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Superni benignitas conditoris, cujus admirabili providentia cuncta reguntur, cùm nullis nostris suffragantibus meritis Nos ad sublimè evexerit Apostolicæ dignitatis fastigium universam Reipublicè curam ad

Alia constitutio ejusdem VIII. refertur circà officia ad S. Sedem pertinentia.

ipsius Dei laudem amplectentes, ad hoc inter alia nostræ Pastoralis vigilantiæ studium duximus adhibendum, ut officia tàm Romanæ Curiæ, quàm alia ad Sedem Apostolicam pertinentia à probatis viris exerceantur, ac illa personis idoneis, modóque debito conferantur, Camera nostra Apostolica, quam ob varias superiorum temporum causas magno ære alieno conflato, & ejus ærario exhausto, in maximas redituum, & pecuniarum angustias incidisse comperimus, ab ære alieno, ac angustiis hujusmodi, quantum in Nobis est, sublevetur, frumentorum, & aliarum rerum ad communem vitæ usum pertinentium copia in hac Urbe nostra, & reliquo Statu Ecclesiastico conservetur, & vigeat, ejusdem Sedis auctoritas, & Romanæ Curiæ dignitas eluceat, ac per debitæ reformationis, & provisionis occursum, impedimentis quibuscumque sublatis omnia prosperè dirigantur, ac justitia duce quod suum est unicuique tribuatur, fœlicique profectu virtus undique suscipiat incrementum.

Conqueritur prædicta officia viris minùs idoneis fuisse collata.

§. 6. Cùm itaque inter cætera, quæ mentem nostram non modicè perturbarunt, atque perturbant, invenerimus pleráque Sedis, & Cameræ prædictarum officia, seu munera, præsertim administrationem habentia, & quæ amovibilia sunt, & esse debent, tàm in Urbe, quàm extrà eam, contrà eorum naturam, & consuetudinem, per ambitionem, & importunitatem (ut credimus) impetrantium ad vitam, & non solùm unius, verùm plurium etiam personarum concessa fuisse, necnon super illis, & aliis etiam Romanæ Curiæ prædictæ officiis etiam perpetuis coadjutorias cum futura coadjutorum successione factas, & constitutas esse, quo fit ut eadem officia, quæ anteà personis benemeritis, & idoneis, ac doctrina, prudentia, & consilio præditis, experientiáque, & ætate maturis concessa sunt, interdùm ad personas minùs idoneas, coadjutoriarum nomine deveniant in Sedis, & Curiæ hujusmodi dignitatis diminutionem, & ipsorum officiorum detrimentum.

Plures Pont. constitutiones ediderunt circà ubertatem Annonæ in Urbe.

§. 7. Et licet plerique Romani Pontifices prædecessores nostri, & novissimè fœl. rec. Paulus Papa V. ad indemnitati Cameræ prædictæ, necnon Communitatum & Universitatum Status Ecclesiastici opportunè consulendum, ac etiam ad ubertatem Annonæ, & Grasciæ in Urbe, Statúque prædictis conservandum, & augendum, plures Constitutiones ediderint.

Const. Paul. V. circà immunitatem à solutione Gabellarum.

§. 8. Et inter alias idem Paulus prædecessor per binas suas in forma Brevis editas constitutiones in una videlicet, omnes & quascumque immunitates, & exemptiones à solutione gabellarum, datiorum, impositionum, & aliorum onerum Cameralium quorumcumque, & quæ etiam per Communitates, & Universitates pro eorumdem onerum Cameralium solutione, & publicorum munerum supportatione indicta, & imposita, ac exigi solita erant.

Item circà provision super Cameræ redditub.

§. 9. Necnon assignationes, & provisiones super Cameræ prædictæ redditibus, & juribus, pœnarum quoque maleficiorum applicationes, appropriationes, cæterásque tàm illarum, & Cancellariarum, sive bancharum civilium, & criminalium, ac Secretariarum, & illarum emolumentorum, quàm bonorum, jurium ejusdem Cameræ cujusvis qualitatis, & quantitatis gratias, & concessiones in præjudicium ipsius Cameræ eatenùs concessas, & factas.

Alia Const. ejusdem Pontificis adversus licentias contrahendi omnis generis Annonam extra statum Eccles.

§. 10. Et in altera omnia, & singula, ac quæcumque privilegia, licentias, & facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia tàm Annonam, quàm Grasciam concernentia, etiam in propriis eorum prædiis, possessionibus, agris, & terrenis pro tempore collecta ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporali, Provinciis, ac Civitatibus, Terris, Castris, & locis, eorúmque Territoriis, & districtibus Nobis, & S. R. E. mediatè vel immediatè quomodolibet subjectis extrahendi similiter eatenùs concessa, præterquàm quoad aliqua tunc expressa, ac alias modo, & forma in eisdem constitutionibus, & literis desuper expeditis contentis revocaverit, & prædecessorum suorum prædictorum constitutiones, ordinationes, & literas desuper expeditas, & omnia in eis contenta perpetuò approbando, confirmando, & innovando, illas, & illa, ex tunc de cætero observari mandaverit, ac frumenta, blada, legumina, oleum, animalia, & alia prædicta extrà Statum Ecclesiasticum extrahi sub excommunicationis, & aliis gravissimis pœnis de novo expresse prohibuerit.

Item cedit ad tollendam omnem dubitationem.

§. 11. Et postremò idem Paulus prædecessor ad tollendam omnem dubitationem super ultima dicta constitutione excitatam per suam Motus proprii cedulam die 26. Augusti anno Domini 1606. publicatam sub ultima dicta ejus constitutione, quæcumque loca S. R. E. mediatè subjecta comprehendi, & comprehensa fuisse & esse declaraverit, & quatenùs opus sit, illam cum omnibus in ea contentis ad loca prædicta extenderit, & ampliaverit, prout in eisdem constitutionibus & cedula latiùs continetur.

Attamen quidam continuerunt facultates contra prædictas constitutiones.

§. 12. Nihilominùs cum acceperimus nonnullos contrà dictas constitutiones, & literas easdem immunitates, exemptiones, privilegia, extrahendíque facultates, & gratias, quæ anteà eis concessæ fuerant, confirmari & innovari, ac in pristinum restitui, ac respectivè tàm ipsos, quàm alios, etiam Communitates, Universitates, Collegia, & loca diversa, & forsan majora, & etiam quod in quibusdam Provinciis, Civitatibus, & locis spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum fieri, & colligi non possint, ac alia privilegia Sedis, & Cameræ prædictis, Romaníque Pontificis supremæ potestati, ac ejusdem, & Sedis, & Romanæ Curiæ dignitati & auctoritati præjudicialia sibi dari, & concedi impetrasse, & obtinuisse, seu potiùs extorsisse.

Quos abusus & corruptelas nominat hic Pontifex, ideoque revocat.

§. 13. Nos pro debito Pastoralis officii hos, & alios abusus, & corruptelas, necnon damna, & præjudicia, quæ circà præmissa hactenùs irrepserunt, & facta sunt, ac quotidiè augentur, & fiunt, è medio tollere volentes, Motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura constitutione in primis omnes, & quascumque ad quævis officia, & munera etiam collegiata, etiam militaria, ac etiam venalia, tàm perpetua, quàm temporalia Sedis, & Cameræ Apostolicæ, ac Romanæ Curiæ, & tàm in Urbe, quàm extrà eam, & in quibusvis etiam Avenionen. Bononien. Ferrarien. Beneventan. aliísque Civitatibus, Terris, locis, Dominiis, & Regnis, & ad Nos, Sedémque prædictam, nostrámque, & ejusdem Sedis collationem, concessionem, & deputationem quomodolibet pertinentia, coadjutorias, & coadjutorum quorumcumque deputationes, constitutiones, necnon eorumdem officiorum, & munerum ad vitam plurium personarum, seu aliud tempus vitam cujusque illa obtinentium excedens concessiones, confirmationes, & prorogationes etiam in remunerationem laborum, meritorum, ac etiam prætextu expensarum factarum, damnorum passorum, seu illorum intuitu, aut ex quavis alia causa per quosvis prædecessores nostros Romanos Pontifices, Sedémque prædictam, & illius Officiales, etiam motu simili, & cum quibusvis decretis, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, & alias quomodolibet ad favorem quarumcumque personarum factas, concessas,

veluti

veluti quandam imaginem hæreditariæ successionis repræsentantes, ac d. Sedi, bonóque publico, ac ipsis officiis perniciosas, & quascumque literas etiam sub plumbo, & in alia quavis forma expeditas cum omnibus indè sequutis, quæ hactenùs tamen per obitum illa obtinentium, aut aliam quamcumque vocationem effectum sortitæ non sunt, necnon quoad illarum perpetuitatem, quascumque concessiones, confirmationes, extensiones, seu propagationes ad vitam officiorum, & munerum quorumcumque præsertim negociorum, & pecuniarum d. Cameræ administrationem, vel causarum civilium, seu criminalium cognitionem, advocationem, defensionem, seu etiam procurationem, & sollicitationem concernentium, ad collationem, concessionem, & deputationem scilicet pro tempore Romani Pontificis, Sedísque prædictæ spectantium, quæ à primæva eorum erectione, seu ex inveterata consuetudine perpetua, & ad vitam concedi solita, seu Collegialia non sunt, ac etiam ea, quæ extrà Romanam Curiam exercentur, per quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac Nos, Sedémque prædictam ex quavis causa, etiam motu simili, & ex certa scientia, & de similis potestatis plenitudine in favorem quarumvis personarum cum quibusvis decretis, & clausulis etiam insolitis, & derogatoriarum derogatoriis, & alias quomodolibet factas revocamus, ac irritas declaramus, ità ut jus in re, vel ad rem, sive in possessorio, sive in petitorio, etiamsi ad plures actus positivos, & possessorios deventum fuerit, coadjutoribus, & deputatis acquisitum dici, aut censeri non possit, sed officia, & munera prædicta libera sint, & remaneant, ac ut priùs liberè conferri, & concedi possint, æquè ac si coadjutorum deputationes, & constitutiones, ac eorumdem officiorum concessiones, extensiones, & prorogationes minimè factæ fuissent, ac in futurum coadjutorias, & coadjutorum deputationes, constitutiones, & munerum prædictorum ad plurium, vel unius vitam contrà primævam eorum naturam, & antiquam consuetudinem concessiones, extensiones, & prorogationes quascumque hujusmodi tanquàm apprimè præjudiciales, ac Reipublicæ, bonóque gubernio damnosas reprobamus, ac in posterùm fieri prohibemus.

Officiorumque collationem Sedi Apost. dispositioni reservat.

§. 14. Quinimò omnia & singula officia, seu munera tàm in dicta Urbe, quàm extrà eam, & etiam in quibusvis Regnis, & dominiis consistentia, pro quibus salaria de pecuniis Cameræ nostræ prædictæ persolvuntur, seu quæ negotiorum, vel pecuniarum Cameræ prædictæ administrationem, vel causarum tàm civilium, quàm criminalium cognitionem, advocationem, defensionem, seu sollicitationem habent, per quosvis etiam Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ Officiales, & ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos conferri, seu concedi solita (non tamen ea, quæ ab initio venalia, vacabilia, & perpetua legitimè erecta ratione officiorum majorum, quæ obtinent, eis specialiter assignata, seu concessa sunt, in quibus aliquid innovare non intendimus) nostræ Romanorúmque Pontificum successorum nostrorum dispositioni ità reservamus, ut ex nunc in perpetuum, & quandocumque illa à Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus ad nutum quibus libuerit, quibuscumque deputationibus, & concessionibus per Officiales etiam Cardinales, & Legatos prædictos quibusvis personis quomodolibet hactenùs factis, & in posterùm forsan faciendis minimè obstantibus dari, & concedi possint.

Omnes concessiones contrà præsentium formam nullas declarat.

§. 15. Cùm Nos ab omnibus officiorum coadjutoriis, & coadjutorum deputationibus hujusmodi, necnon ab eorumdem officiorum, & munerum ad vitam plurium personarum, sive etiam unius coetrà eorum primævam institutionem, seu antiquam consuetudinem concessionibus, deputationibus, confirmationibus, prorogationibus de cætero abstinere intendamus, & quæ Nobis licere non patiamur, & videntur incongrua, & præjudicialia, successoribus nostris Romanis Pontificibus etiam indicamus, & sic neque eosdem successores nostros Romanos Pontifices similia concessuros esse arbitramur, ob id omnes, & quascumque similes, vel dissimiles concessiones, deputationes, confirmationes, extensiones, & prorogationes, quæ contrà præsentium formam, & tenorem à Nobis, & successoribus nostris prædictis quandocumque (quod non credimus) emanarent, per subreptionem, obreptionem, ac præoccupationem potiùs extortas, quàm obtentas, ac nullas, nulliúsque roboris, & momenti fore, & esse, & censeri, nemínique suffragari posse, vel debere æquè ac si factæ, & concessæ non essent, decernimus & declaramus.

Pontificum prædecessorum circa prædictas constitutiones extendit.

§. 16. Prætereà, pro indemnitate Cameræ nostræ, ac ubertate Annonæ, & Grasciæ tàm in Urbe, quàm toto Statu Ecclesiastico conservanda; prædictorum Pauli V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, illorúmque constitutiones etiam opportunè extendentes motu, scientia, & potestate similibus, omnes, & quascumque immunitates, & exemptiones à solutione subsidii triennalis, quatrini carnis, taxarum æquorum tallearum, censuum, Archivii, fogliettæ, triremium, utensilium, necnon Dohanarum, Gabellarum, Datiorum, taxæ portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, & aliarum impositionum, & onerum Cameralium, & etiam eorum, quæ per Communitates, & Universitates pro eorumdem onerum Cameralium solutione, & publicorum munerum supportatione, ac pro viis & pontibus construendis, & manutenendis, seu aliàs indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, ac etiam recipiendi, & hospitandi Milites, & Sedis Apostolicæ Officiales, barigellos, executores, aliósque justitiæ Ministros, ejúsque utensilia, & alia necessaria subministrandi, ac aliorum quorumcumque tàm realium, quàm personalium, seu mixtorum, ordinariorúmque, & extraordinariorum quorumcumque.

Omnia privilegia localia indemnitati, casi. præjudicialia irritat.

§. 17. Necnon omnia privilegia localia, ne scilicet in quibusdam Civitatibus, locis, & dominiis temporalibus etiam Avenionen. Bononien. Ferrarien. Benevent. seu aliis Provinciis, Civitatibus; & locis etiam privilegiatis, & speciali nota dignis (non tamen in Urbe prædicta, & ejus districtu præter, & contrà formam Constitutionis ejusdem Pauli Prædecessoris in favorem Curialium & incolarum dictæ Urbis editæ, quàm in suo robore permanere, & omninò servari volumus) Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum spolia fiant, & colligantur, & Commissarii, & Collectores spoliorum, & jurium dictæ Cameræ debitorum in eis non retineantur; vel ad ea non transmittantur, seu illicitæ negociationis dispositionum contrà Constitutiones piæ mem. Pii Papæ V. etiam Prædecessoris nostri in illegitimos factarum, apostatarum, & Clericorum extrà residentiam decedentium, seu aliis causis non procedatur. Ac omnes etiam & singulas provisiones, & assignationes super Cameræ prædictæ redditibus, & juribus, pœnarum quoque maleficiorum, & introitum applicationes, appropriationes; necnon Cancellariarum, Notariarum, seu Bancarum Civilium, & Criminalium, Secretariarum; & illarum emolumentorum, aliorúmque jurium; & bonorum stabilium Cameræ, & Communitatum prædictarum cujusvis qualitatis, & quantitatis gratias, concessiones, & alienationes quascumque in præjudicium earumdem Cameræ & Communitatum.

§. 18. Necnon indulta de bonis stabilibus, & juribus

tem induita &c.

juribus ejusdem Cameræ in Civitate nostra, & districtu Ferrarien. seu alibi consistentibus certis personis tantùm infeudandis per piæ memoriæ Gregorium Papam XV. etiam prædecessorem nostrum concessa.

Item licentia extrahendi annonam&c.

§. 19. Ac omnia & singula privilegia, licentias, & facultates, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, olivas, & alia quæcumque tàm Annonam, quàm Grasciam concernentia, etiam in propriis eorum prædiis, possessionibus, agris, & terrenis pro tempore recollecta, tàm ad effectum extrà Statum Ecclesiasticum, quàm etiam ad loca mediatè, vel immediatè Sedi Apostolicæ subjecta, præterquàm ad Urbem prædictam asportandi, etiam tempore Annonæ difficultatis, & pro usu proprio, vel ad effectum in eorum, vel alienis quibusvis molendinis molendi sive terra, sive mari, vel per aquam dulcem ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporalis Provinciis, ac etiam à dicta Urbe, ac Civitatibus, Terris, Castris, & locis, eorúmque Territoriis, & districtibus Nobis, & dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis extrahendi, aut illa ultrà usum, contrà tamen formam Constitutionum, & ordinationum Apostolicarum, & bannimentorum desuper editorum, & edendorum emendi, ac ut dicitur etiam incertandi, per quoscumque Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam etiam motu proprio, & consistorialiter, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & Cameram prædictam, seu etiam Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Officiales, & Ministros quibusvis etiam Avenionen. Beneventan. & aliis etiam speciali nota dignis Civitatibus, & illarum Regiminibus, Communitatibus, & Universitatibus, necnon familiis, Nobilibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Domicellis, & quibusvis aliis personis, quacumque etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & Cardinalatus, aliáque tàm sæculari, quàm Ecclesiastica dignitate fulgentibus etiam ratione gubérniorum, & aliorum officiorum, & munerum eis commissorum, etiam pro se & filiis, eorúmque hæredibus, & descendentibus, necnon familiaribus, & inservientibus, colonis etiam partiariis, laboratoribus, & affictuariis, ac pro eorum Civitatibus, Terris, Castris, Villis, Casibus, Prædiis, Vineis; & aliis bonis stabilibus, fructibus, juribus, & actionibus perpetuò, vel ad tempus, ac in toto, vel pro parte, & etiam causa emporiorum, seu nundinarum, etiam publicarum, aut alias, & ex quavis causa, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & alia quantumvis urgentissima, ac de necessitate exprimenda causa sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, etiamsi in appaltuum, seu locationum instrumentis promissum, & cautum sit, illas observari debere, Appaltatoré sque, & Conductores ad illarum observationem teneri, ac illas quomodocumque & qualitercumque hactenùs in genere, vel in specie tàm ante, quàm post ejusdem Pauli V. & aliorum præfatorum, & quandocumque datas, factas, seu confirmatas, restitutas, reintegratas, aut aliàs concessas & indè etiam auctoritate Judicis secuta quæcumque etiam perpetuò, ac motu, scientia, & potestate similibus revocamus, & abrogamus.

Prædictas constituit exemptionum, concessionum, gratiarum &c. revocatorias approbat, & confirmat.

§. 2. Necnon similis memor. Pauli III. & Julii etiam III. Pii V. Sixti V. prædictorum, ac Clementis VIII. similiter Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & quæ incipit. In maximis rerum difficultatibus per prædictum Paulum V. Prædecessorem sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1605. Pontificatus sui Anno Primo, editas Constitutiones, exemptionum, immunitatum, concessionum, & gratiarum prædictarum revocatorias, ac record. mem. Pii IV. super revocatione similium licentiarum, & facultatum extrahendi frumenta, blada, & legumina ex Provinciis, Terris, & locis dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis, quibusvis concessarum, ac prohibitione, ne à dictis Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis frumenta, blada, & legumina prædicta quicumque extraherent, ac Pii V. per quam revocationem, & prohibitionem ejusdem Pii Papæ IV. ad licentias, & facultates, quodcumque genus Grasciæ, etiam in carnibus, ovibus, agnis, & aliis animalibus, necnon oleo, ac rebus aliis quibuscumque consistentis extendit & ampliavit, & Gregorii XIII. pariter Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, per quam omnibus & singulis Communitatibus, Universitatibus, ac quibuscumque personis inhibuit, ne quovis prætextu directè, vel indirectè cujusvis generis frumenta, blada, legumina, atque animalia quæcumque extrà Statum Ecclesiasticum extrahere, & asportare auderent, seu præsumerent, & ejusdem Gregorii XIII. sub Dat. die 1. Maji 1578. eodem sui Pontificatus anno sexto, per quam quòd nulli sibi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecti, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existerent, etiam si Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini in temporalibus existerent, sub excommunicationis majoris, ac læsæ Majestatis criminis, dominiorum, & bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, & quorumvis privilegiorum suspensionis, ac aliis etiam pecuniariis arbitrio suo imponendis, & applicandis, ac etiam in publicis edictis, & proclamationibus per Annonæ Præfectos pro tempore tàm eatenùs editis, & emissis, quàm in futurum edendis, & emittendis, contentis censuris, & pœnis, triticum, hordeum, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges à Terris, & locis dicti Status Ecclesiastici, absque expressa ipsius Gregorii Prædecessoris, & ab eo obtenta in scriptis, & ejus manu signata licentia extrahere, vel extrahi facere, nullísque ex prædictis eorum Subditos, & Vassallos, aut alias quascumque personas, quominùs triticum, hordeum, legumina, frumenta, & fruges prædicta in quibusvis locis eis subjectis, quovis prætextu etiam moliturae, aut cujusvis alterius oneris solutionis ad Almam Urbem afferrent, prohibere, aut per se, vel alium seu alios directè, vel indirectè impedire auderent, quin potiùs illis sic afferentibus omnem opem, & favorem præstarent, ac nulli, quamlibet tritici, hordei, & leguminum, omnísque generis frumentorum, & frugum quantitatem, nisi pro suo, suarúmque familiarum unius anni dumtaxat usu emere valerent, & contrafacien. pœnas prædictas incurrisse declararentur, & aggravarentur, ipso facto, non obstantibus etiam privilegiis, indultis literis, & gratiis Apostolicis, quibusvis personis, Civitatibus, Terris, & locis in genere, vel in specie, etiam ex causa onerosa concessis statuit, atque decrevit, ac dicti Clementis, per quam prædicta omnia, dempta ex illis excommunicationis pœna, approbavit, & confirmavit, necnon ejusdem Pauli V. per quam omnes, & singulas Pii IV. Pii V. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Prædecessorum suorum constitutiones, & literas in quibuslibet earum partibus etiam quoad excommunicationis, & alias Ecclesiasticas censuras, quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum, & olei extractionem innovavit, ac privilegia, licentias, & facultates extrahendi prædicta revocavit, ac frumenta, hordeam, legumina, & alia Annonam, & Grasciam concernentia, sub excommunicationis, & aliis censuris Ecclesiasticis, & pœnis temporalibus supràdictis extrà Statum Ecclesiasticum extrahi prohibuit, ac aliam,

per

per quam ultimo dictam ipsius constitutionem, innovationem, prohibitionem, & revocationem ad loca mediatè Sedi Apostolicæ subjecta extendit, & ampliavit in quibuslibet earum partibus, demptis tamen ex illis pœna excommunicationis, & aiis censuris Ecclesiasticis (præterquàm in casibus, in quibus extrà Statum nostrum Ecclesiasticum, vel ad loca Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & aliorum, quorum dominia in confinibus dicti Status nostri Ecclesiastici existunt, extractio mercimonii causa fiet) motu, scientia, & potestate partibus similiter perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus, illásque adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes, & moderationes in pristinum, & eum in quo antequàm illa emanarent erant, statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, illásque & earum singulas ab omnibus, & singulis ad quos spectat, sub temporalibus pœnis prædictis in illis contentis inviolabiliter de cætero observari debere.

Emolumenta quæcumque Cameræ restitui mandat.

§. 21. Ac provisiones, assignationes, pœnas maleficiorum, emolumenta, impositiones, gabellas, vectigalia, & alia bona, & jura prædicta ex hujusmodi revocatione, prohibitione, & constitutione restituta eidem Cameræ, & respectivè Communitatibus prædictis, & non aliis quibus forsan illarum redditus, & proventus locati, & appaltati reperiuntur, licet antequàm exemptiones, concessiones, assignationes, & alia prædicta emanassent, aliter dispositum fuerit omninò deberi, ac ad illa omnia & singula Cameram ipsam, necnon Communitates, & Universitates, eo ipso absque alià adepta, seu recuperata possessione restitutas, & integratas fore, & esse præcipimus, statuimus, & ordinamus. Per prædicta autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuscumque personis Ecclesiasticis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus de jure competentes, minúsque immunitates, & exemptiones extrahendi, & aliàs facultates, applicationes, & alia Thesaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introituum, & jurium Cameræ nostræ ab ipsa Camera, seu aliis illius nomine, in appaltuum, & locationum instrumentis, & illorum ratione concessa.

Immunitates quasdam exceptas esse vult.

§. 22. Et insuper à revocationibus omnibus & singulis supradictis excipimus, & exceptas esse volumus, & declaramus immunitates, exemptiones confirmationes, extensiones, prorogationes, facultates, privilegia, concessiones, & alienationes quibusvis Communitatibus, Universitatibus, & aliis quibuscumque data, facta, & respectivè concessa in vim contractus ex causa verè onerosa, videlicet congruæ, & affectualis Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitimè factæ pecuniarum solutionis, vel ex aliis causis rationabilibus per Nos cognoscendis, & approbandis, & etiam declarandis, quas causas omnes onerosas, nonnisi legitimas, ac licitas, & honestas, prout de jure approbare intendimus, & propterea illa obtinentes quicumque in eadem Camera citato dilecto filio ipsius Cameræ Commissario Generali illas verificare, in ipsáque Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamsi gratiæ, concessiones, privilegia, literæ, instrumenta cæteráque prædicta, & alia in eadem Camera admissa, & in ea, suísque libris fuerint, & sint registrata, quatenùs tamen causæ onerosæ prædictæ pro verè onerosis, & legitimis, ut suprà, aliàs in eadem Camera verificatæ, ac approbatæ, & judicatæ non sint; quo casu ad judicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus.

Excipit immunitates S. R. E. Cardin.

§. 23. Excipimus etiam immunitates, & exemptiones dictæ S. R. E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, & Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi solitas, ac exemptiones, quibus ad præsens Prælati, & officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, & Secretarii, ac alii familiares, & continui Commensales nostri, & successorum nostrorum Pontificum in rotulo descripti.

Facultas testandi.

§. 24. Necnon facultates testandi de quibusvis bonis etiam ubicumque sitis, & in illis, eis ab intestato succedendi dictis Cardinalibus, ac nostris, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum familiaribus, & continuis Commensalibus, etiamsi illi familiares postmodùm esse desierint, vel desinant, & aliis quibusvis etiam gratuitò & quomodolibet tàm per eosdem Prædecessores, quàm etiam per Nos concessas, & aliàs in omnibus, & per omnia, juxtà earumdem facultatem, & literarum desuper expeditarum formam, ac tenorem, quem pro latissimè expresso haberi volumus.

Privilegia consanguineorum.

§. 25. Necnon exemptiones, immunitates, & privilegia quæcumque quibus fratres, nepotes, & consanguinei nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis viventis fruuntur, potiuntur, & gaudent.

Item quædam alia.

§. 26. Ac demùm illas ob numerum duodecim filiorum concessas, quas tamen ad terminos ejusdem Pii IV. Papæ & aliarum Apostolicarum Constitutionum super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantùm, & pro tempore, & personis, ac eo modo & forma quibus de jure communi illi competunt, ac aliàs juxtà ipsius juris communis, & supradictarum, & aliarum Apostolicarum constitutionem dispositionem reducimus, neque aliter, quàm ut præfertur, sive in petitorio, sive in possessorio suffragari volumus, & decernimus.

Suam mentem aperit.

§. 27. Nostræ autem mentis fuisse, & esse declaramus Regulæ Cancellariæ super revocatione indultorum supervenientiæ per Nos editæ nullatenùs præjudicare, quinimò eam quoad omnia in illa comprehensa, ac omnes, & quascumque personas quavis dignitate etiam Cardinalitia fulgentes confirmamus, & quatenùs opus sit innovamus & extendimus.

Legatis præcipit citra pœnas maleficiorum.

§. 28. Cæterùm, Legatis & aliis omnibus officialibus prædictis ad quos spectat, seu in futurum quomodolibet spectabit, quatenùs Constitutionem Sixti V. Prædecessoris prædicti circà pœnas maleficiorum editam, quam in omnibus, & quoad omnia cum suis declarationibus posteà factis innovamus, omninò observent.

Et Baronibus.

§. 29. Omnibúsque & singulis Sedis prædictæ feudatariis, sive Baronibus ei mediatè, vel immediatè subjectis, ne reos ad alias quàm ad triremes Sedis Apostolicæ transmittere audeant, seu præsumant præcipimus, & inhibemus.

Prohibet thesaurariis, ne provisiones contra præsen ium formam admittant.

§. 30. Appaltatoribus verò, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, exactoribus, & cæteris Agentibus, & Ministris Cameræ, & Communitatum prædictarum, ne contrà præsentium formam provisiones, concessiones, assignationésque prædictas de cætero solvant, aut exemptiones, gratias, & immunitates, nisi ut præfertur exceptas, & eas quæ in eadem Camera ex causa onerosa prædicta, vel ex aliis rationabilibus causis per nos, ut præfertur, cognoscendis, & approbandis, seu etiam declarandis, illas concessas fuisse, citato commissario prædicto, verificatæ, & pro talibus in eadem Cameræ admissæ fuerint, admittant, expresè prohibemus, etsi secùs solverint, vel admiserint solutiones hujusmodi, ac exemptiones illas nullatenùs in eorum computis admitti volumus, sed eorum damno cessuras esse, quinimò eos ad refectionem damni teneri declaramus.

Prohibet in posterum dari hujusmodi licentias.

§. 31. Ac deinceps perpetuis futuris temporibus nullos licentiarum, facultatum, & privilegiorum quorumcumque etiam ex causa onerosa, ut præfertur, concessnrum, vel concedendorum vigore

gore etiamsi extractionem propria auctoritate fieri posse illis permissum sit, extractiones frumentorum, & aliorum prædictorum extrà Statum nostrum præfatum, vel etiam ad loca mediatè subjecta, & etiam à locis mediatè subjectis extrà dictum Statum aliquo pacto facere, nec etiam similes extrahendi licentias, & facultates in posterùm concedi posse, aut debere, nisi Chirographo manu nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, quoties extractio facienda erit, subsignato præcedente, alioquin licentias, & facultates hujusmodi, alias quàm Chirographo prædicto præcedente pro tempore concedendas, & extractiones faciendas, nullas, nulliúsque roboris, & momenti fore, & esse, ac ipsos extrahentes in pœnas supradictas incidere, & ad illarum executionem contrà illos irremissibiliter procedi posse, & debere volumus pariter, & declaramus.

Abrogat omnia privilegia Ro. Curiæ præjudicialia.

§. 32. Postremò omnia, & quæcumque privilegia, facultates, indulta Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti in statu temporali ratione supremæ potestatis à jure, vel per quasvis Apostolicas Constitutiones, competentia, seu reservata exercendi, aut eidem supremæ potestati, ac superioritati nostræ, & nostrorum Tribunalium, Officialium, & Judicum Romanæ Curiæ jurisdictioni, & auctoritati præjudicialia omnibus & singulis supra nominatis etiam, ut præfertur qualificatis, ac etiam ut suprà, & aliàs quomodolibet concessa quæcumque, exceptis tamen iis, quæ concessa sunt ex causa vera onerosa, scilicet congruæ solutionis pecuniarum dictæ Cameræ factæ, aut ex investitura, vel immemorabili consuetudine inviolabiliter observata, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos, vel Successores nostros cognoscendis, approbandis, seu etiam declarandis competentia, quæ etiam licet tollere non intendamus, tamen nostram, & Romani Pontificis supremam potestatem, superioritatem, nostrámque, & ejusdem Rom. Pont. nostrorúmque Rom. Curiæ Tribunalium, Officialium, & Judicum Jurisdictionem prædictam impedire, aut contrà illam præterquàm in casibus à jure præmissis suffragari posse, vel debere nolumus, nisi priùs causa onerosa, vel investitura, seu immemorabili prædicta in eadem Camera citato Commissario prædicto legitimè probata, verificata, & justificata, aliæ verò causæ rationabiles prædictæ à Nobis, seu successoribus prædictis pro talibus cognitæ, approbatæ, seu declaratæ fuerint, revocamus pariter, & abrogamus, irritum & inane etiam decernentes, quicquid secùs super his à quoquam quavis prætextu, occasione, vel causa scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 33. Non obstantibus præmissis, & quatenùs opus sit, nostra de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, & literis Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis etiam ut præfertur, seu aliàs qualificatis, & speciali nota, & mentione dignis, etiam motu, scientia, & potestate paribus, & etiam Consistorialiter, & de eorumdem Cardinalium consilio, & assensu sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam inexcogitabilibus, & necessariò exprimendis, etiam in vim contractus jurati, Cameralique obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & iteratis vicibus, confirmatis, approbatis, & innovatis.

Non obstantibus quibuscumque.

§. 34. Quibus omnibus & singulis etiamsi in eis caveatur expresè, quòd nullo unquàm tempore sub similium, vel dissimilium exemptionum immunitatum, facultatum, licentiarum, concessionum, deputationum, confirmationum, extensionum, prorogationum, gratiarum, privilegiorum, & alienationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptæ, & quoties illæ emanarent, toties in pristinum, & validissimum statum etiam sub posteriori data per eos, quibus concessa sunt, eligenda, restituta, reposita, & plenariè reintegrata, & de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes specialiter, & expresè, ac latissimè derogamus, & derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari mandat.

§. 35. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, easdem præsentes ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ & affixæ omnes & singulos, quos concernunt perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 36. Quódque earumdem præsentium transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extrà habeatur, quæ ipsis originalibus literis haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio Pœnalis.

§. 37. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, reservationis, approbationis, confirmationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, præcepti, statuti, ordinationibus, exceptionum, prohibitionem, revocationum, abrogationum, reductionis, inhibitionis, innovationum, declarationum, derogationis, voluntatum, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1642. duodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Const. Pontif. qui hic recensentur.

§. 38. Quapropter, ut ea, quæ à Paulo V. & Urbano VIII. Prædecessoribus præfatis, in eorum Constitutionibus hujusmodi, necnon etiam ea quæ à prædicto Clemente VIII. Prædecessore in alia sua Constitutione, etiam in favorem ejusdem Sedis Apostolicæ, ac ejus subditorum, quæ incipit, Roman. decet Pontificem sub Dat. anno 1601. pridiè nonas Julii, Pontificatus sui anno decimo, edita, & à Paulo V. per suas, quæ incipiunt Pastorale munus sub Dat. anno 1617. duodecimo Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno 13. necnon à dicto Urbano VIII. Prædecessoribus per suas sub plumbo expeditas literas, quæ incipiunt. Decens, & æquum esse censemus sub Dat. anno 1627. Kalendas Junii, Pontificatus sui anno quarto confirmata, adeò providè sancita, ac respectivæ approbata, & innovata fuerunt, eo firmiùs, & exactiùs, ut par est observentur, quò sæpiùs iterata hujus Sanctæ Sedis auctoritate comprobata fuerint, pro incumbenti Nobis officii Pastoralis debito providere volentes, necnon omnium, & singularum Constitutionum & literarum superiùs relatarum & insertæ, respectivæ,

ac omnium, & singulorum in illis contentorum tenores, & datas etiam veriores, aliáque etiam necessariò hic exprimendis præsentibus pro expressis, & integrè insertis habentibus.

Approbat. & confirmat.

§. 39. Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione tàm primò dictas Constitutiones, & ordinationes Pauli V. ac Urbani VIII. Prædecessorum prædictorum, quàm etiam prædictam Const. Clementis VIII. ac prædictus eorumdem Pauli V. & Urbani VIII. literas dictæ Constitutionis prædicti Clementis VIII. confirmatorias, ac etiam constitutionem rec. mem. Sixti Papæ V. itidem Prædecessoris nostri de non offendendis birruariis, & aliis justitiæ ministris, & executoribus editam, illius quoque tenorem, & datam etiam veriores præsentibus pro expressis habentes, cum omnibus & singulis in prædictis constitutionibus, & earum qualibet contentis Apostolica auctoritate perpetuò confirmamus, approbamus, & innovamus, eáque omnia, & singula perpetuò, inviolabiliter, & inconcussè observari sub quibuscumque pœnis respectivè expressis in illis, & earum qualibet scilicet etiam confiscationis bonorum, & læsæ Majestatis, rebellionísque in primo capite præcipimus, & mandamus, prædictámque ejusdem Sixti V. Prædecessoris constitutionem etiam ad offendentes Romanæ, ac aliarum dicti Nostri Status Ecclesiastici Curiarum Cursores, & Mandatarios, ac quoscumque alios Officiales, & Ministros in omnibus, & per omnia extendimus, & ampliamus.

Quæcumque contraria eam revocat.

§. 40. Ac omnia, & quæcumque privilegia, facultates, licentias, exemptiones, immunitates, coadjutorias provisiones, assignationes, & gratias quocumque nomine nuncupatas, per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac dictam Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam S. R. E. Camerarios, etiam de latere Legatos, cæterósque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes quibusvis Rebuspublicis, Nationibus, Regnis, Provinciis, Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, & locis, ac personis in prædictis constitutionibus, & literis nominatis, & specificatis, ac etiam, prout in illis exprimitur, qualificatis, & quibuscumque aliis qualitate, statu, gradu, conditione, prærogativa, & dignitate etiam Ecclesiastica, etiam S. R. E. Cardinalatus, ac qualibet alia etiam mundana dignitate etiam Imperiali, Regali, Ducali, & alia quacumque præditis, etiam individuam mentionem, & expressionem necessariò requirendam hactenùs, præter aut contrà tenores, formas, & verba earumdem constitutionum, & cujuslibet earum, seu aliàs illarum, & cujuslibet earum dispositioni quomodolibet repugnantia, aut illis quæ prædicti prædecessores per suas constitutiones hujusmodi revocarunt, neminíque suffragari voluerunt similia, sive ad vitam, sive ad tempus, sive in perpetuum, etiam motu scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac de unanimi Venerandorum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, & voto, etiam cum specifica earumdem Constitutionum, & literarum derogatione, & alias quomodolibet facta concessa, emanata, factásque, concessas, emanatas, & iteratis vicibus, ac pluries confirmata, approbata, & innovata, confirmatásque, approbatas, & innovatas, quibusdam quæ dicti prædecessores exceperunt, exceptis, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus similiter pro plenè expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes perpetuò revocamus, cassamus, irritamus, abolemus, abrogamus, & annullamus, viribúsque, & effectu evacuamus, ac revocata, cassata, irrita, abolita, abrogata, annullata, viribúsque, & effectu vacua esse, & perpetuò fore, perindè ac si numquàm emanassent, eáque in posterum nemini sive in petitorio, sive in possessorio etiam summariissimo, & aliàs quomodolibet suffragari nunquàm posse, aut debere decernimus, & declaramus.

Et facultates factas cuilibet familiæ subditæ:

§. 41. Prætereà, licentias, & facultates cuilibet familiæ subditæ, ac cuicumque subdito etiam, ut præmittuntur, ac alias quomodolibet qualificato etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet concessas in propriis Civitatibus, Terris, Castris, locis, & Territoriis imponendi, & solvendi tales etiam pecuniarias, ac concedend. quascumque impunitates quibusvis delinquentibus, sive etiam reis cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis existentibus.

Item potestates circa bannitos.

§. 42. Necnon facultates, auctoritates, & potestates quoscumque bannitos, & facinorosos, ac delinquentes, & reos quibusvis personis etiam, ut præmittitur qualificatis ratione Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum, ac dominiorum, & Territoriorum quorumcumque ad eas quomodolibet, & quandocumque etiam ratione Ecclesiarum, Abbatiarum, Monasteriorum, & aliorum quorumlibet beneficiorum tàm sæcularium, quàm regularium, quæ in titulum, administrationem, seu Commendam, aut aliàs obtinent spectantium subditos etiam pro excessibus extrà Civitates, Terras, Castra, loca, dominia, & Territoria hujusmodi commissis condemnandes, seu condemnandes, ac etiam non subditos pro criminibus, & delictis, & excessibus quibuscumque, & pro quavis gravissima causa, etiam criminis læsæ Majestatis, & pro aliis magis qualificatis, & atrocioribus, ac etiam non habita pace, in Civitatibus, Terris, Castris, locis, dominiis, & Territoriis hujusmodi dumtaxat commissis, vel committen. aut aliàs quacumque de causa etiam capitaliter bannitos, seu condemnatos, vel in posterùm pro tempore banniendos, seu condemnandos etiam postquàm banniti, & condemnati fuerint per Judices & justitiæ ministros ipsarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, locorum, dominiorum, & Territoriorum hujusmodi ad triremes, vel alias quascumque pœnas corporis afflictivas, ac bonorum & facultatum in toto, vel in parte distractivas, & privativas etiam capitaliter, & in ultimi supplicii pœnam, & ipsa parte aliquo modo non concordata, arbitrio earumdem personarum, & quando illis ità videbitur tàm per viam revisionis causæ, vel compositionis, aut commutationis, & moderationis pœnæ, quàm ex mera gratia in foro fori absolvendi, & ad patriam, famam, gradus, honores, dignitates, & officia, ac bona quæcumque etiam fisco incorporata, prout eisdem personis libuerit, ac in pristinum, & eum, in quo antè patrata delicta, aut sequutam condemnationem reperiebatur statum sine Romani Pontificis pro tempore existentis, aut cujusvis alterius personæ, etiam Apostolici de latere Legati licentia restituendi, reponendi, & plenariè reintegrandi, ac omnem inhabilitatem, & infamiam abolendi, atque nedùm ergà facinorosos, & eos, ac alios hujus generis homines supradictos, bannitos, & condemnatos, ac banniendos, & condemnandos, ut præfertur, sed etiam ergà carceratos, & quacumque de causa in posterùm per Judices, & justitiæ ministros Civitatum, Terrarum, Castrorum, Dominiorum, & Territoriorum prædictorum, ac per Judices etiam totius Status Ecclesiastici necnon Gubernatorem, & alios Judices, & Tribunalia Urbis, quoad subditos prædictarum personarum, ut præmittitur pro quibuscumque etiam ut præfertur, ac etiam magis qualificatis, & atrocioribus etiam læsæ majestatis delictis, & excessibus quibuscumque tàm in Civitatibus, Terris, Castris, locis, dominiis, & Terri-

toriis

toriis præfatis, quàm extrà illa in Statu Ecclesiastico, seu alibi, ac etiam in Urbe per subditos suos, necnon etiam per non subditos pro similibus delictis, & criminibus in eisdem Civitatibus Terris, Castris, locis, dominiis, & Territoriis commissis carceratos, & carcerandos, ac ex quacumque causa detentos, & arrestatos, seu detinendos, & arrestandos, ac per Judices, & Justitiæ ministros Civitatum, Terrarum, Castrorum, locorum, dominiorum, & Territoriorum prædictorum condemnatos, seu condemnandos tàm ante, quàm post sententiam, & condemnationem, sive pœnam etiam capitalem, & ultimi supplicii, ac etiam triremium, seu aliam quamcumque, ut præfertur, corporis afflictivam, ac bonorum, & facultatum in toto, vel in parte distractivam, & privativam, ac etiam post realem transmissionem factam, seu quandocumque faciendam ad triremes, & dùm inibi damnati ad certum tempus, seu ad vitam morantur, facultatibus, auctoritatibus, & potestatibus supradictis pariformiter, & absque ulla prorsus differentia in omnibus, & per omnia semper ubique etiam in ipsis carceribus, & triremibus utendi, eásque exercendi, & exequendi, necnon homines hujusmodi delinquentes, reos, accusatos, carceratos, & sponte constitutos, processatos, ac eos, & quoscumque alios etiam ad triremes condemnatos, & actu remiges, etiam condemnationis, seu relegationis tempore nondùm finito, & accusandos, sive arrestandos, vel de crimine quocumque supradicto suspectos, delatos, & deferendos ab omnibus illis pro tempore imputatis, & contrà eos delatis criminibus hujusmodi absolvendi, gratian. liberan. pœnas remittendi, commutandi, moderandi, cum quibusvis desuper componendi compositiones, taxandi, & sic absolutos, gratiatos, liberatos, & remissos ad patriam, famam, honores, & bona quæcumque, & in pristinum statum restituendi, omnémque infamiam, & inhabilitatem abolendi facultates.

Quascumque exemptiones.

§. 43. Ac ulteriùs quascumque exemptiones, seu comprehensionis exclusiones, aut non comprehendendi declarationes, & exceptiones à Constit. rec. mem. Julii Papæ III. ac dicti Sixti V. aliorum quorumvis Pont. Rom. etiam prædecessorum nostrorum quocumque tempore super bannitorum, seu condemnatorum, & aliorum delinquentium in dictis constitutionibus expressorum receptatione editis, illarum tenores, & datas, etiam veriores, præsentibus similiter pro expressis habentis quantum attinet ad bannitorum, seu condemnatorum, & delinquentium hujusmodi receptationem, seu consilii, victualium, auxilii, favoris, ac pro singulari certamine faciendo loci præstationem, & quamcumque aliam contraventionem, pœnarúmque in hujusmodi Constitutionibus impositarum remissiones, & condonationes.

Alienandi facultates:

§. 44. Neque facultates alienandi quocumque titulo bona immobilia, sive jurisdictionalia, sive non jurisdictionalia, & merè allodialia in Statu nostro Ecclesiastico præfato existentia absque nostra, & Sedis Apostolicæ licentia in forenses, & extraneos.

Licentias ædificandi Castra &c.

§. 45. Licentias quoque, & facultates ædificandi Castra etiam diruta, seu arces, & fortalitia construendi in Statu Ecclesiastico, immediato, vel mediato prædicto, absque nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis præcedente licentia in scriptis obtinenda, quibusvis personis, etiam ut præmittitur qualificatis quacumque auctoritate, ac quoquomodo, & qualitercumque, ac alias, ut supradictum est, concessas, & concessa, ac semel, & pluries confirmata, & innovata, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus etiam revocamus, cassamus, irritamus, abolemus, abrogamus, annullamus, viribúsque, & effectu evacuamus, ac revocata, cassa, irrita, abolita, abrogata, annullata, viribúsque, & effectu vacua esse, & perpetuò fore, ac si numquàm emanassent similiter decernimus, & declaramus, Insuper ad obviandum supplantationibus successorum, tollendámque hæreditariæ successionis imaginem in Ecclesiasticis prohibitam, Nos quascumque mutuas cessiones, ac resignationes ad invicem, cum reservatione fructuum in toto, vel in parte, tàm in eadem supplicatione, seu eodem tempore, quàm separatim, & diversis temporibus etiam per menses, & annos interpolatis, ac etiam si correspectivæ non sint, nec censeri possint, inter quascumque personas quacumque qualitate, statu, gradu, conditione, prærogativa, antelatione, præeminentia, & dignitate, etiam Ecclesiastica, etiam Cardinalatùs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præditas quandocumque factas, & à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & forsan à Nobis, ex quacumque causa etiam sustentationis admissas, de Monasteriis etiam consistorialibus, & electivis, etiam commendari solitis, Ecclesiisque, & beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus cujuscumque Ordinis, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & Sancti Antonii Viennen. quantumlibet qualificatis ubique existentibus, supplicationibusque, ac etiam motus proprii cedulas quibuscumque clausulis, & decretis etiam insolitis, & extraordinariis munitas super illis signatas, ac literas Apostolicas provisionum, seu commendarum desuper etiam sub plumbo etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in favorem cujuscumque personæ, ut suprà qualificatæ expeditas, etiamsi possessione sequuta, vel alias cessiones, seu resignationes hujusmodi fuerint sortitæ plenarium effectum, & nullum jus penès cedentem, seu resignantem remanserit, possessionésque adeptas, & indè secuta, etiamsi ille, seu illi, ad cujus, seu quorum favorem est facta cessio, seu resignatio tituli cum reservatione fructuum ad favorem alterius, eumdem titulum, seu titulos cum reservatione fructuum, seu juris illos percipiendi, vel aliàs quomodolibet etiam liberè cesserit, seu resignaverit, seu fructuum perceptionem, & jus illos percipiendi alteri cesserit, seu cesserint, & cessiones, seu resignationes hujusmodi suum in aliqua parte, seu in totum fuerint sortitæ effectum, illarum omnium, & singularum tenores, etiam hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes similiter revocamus, irritamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocatis, cassatis, & annullatis, ac etiam infectis haberi volumus, ac si non emanassent, Monasteriáque Ecclesias, & alia ut præmittitur cessa, vel resignata, cum reservatione fructuum, non ex persona cessionarii, vel resignatarii seu alterius, sed per obitum, vel aliàs quovis modo ex persona primi cedentis, vel resignantis omninò verè, & non fictè vacare, ità quòd secuta quandocumque præfata vacatione ex persona primo loco cedentis, vel resignantis, tunc Monasteria, Ecclesiæ, seu alia præfata conferri possint, & debeant, ipsique cessionarii, & resignatarii, & alii quicumque prædicti illorum fructus, & quæcumque alia cedentibus, vel resignantibus aliàs reservata non possint, nec valeant unquàm habere, nec percipere, nec in eis aliquo modo se intromittere decernimus, & mandamus. Declarantes, quòd si unus ex illis, inter quos mutua cessio, seu resignatio cum reservatione fructuum in parte, vel in totum, sive eodem, sive diverso tempore, ut suprà facta præcessit, postmodùm ad favorem alterius unam, seu plures cessiones, vel resignationes cum reservatione fructuum, sive motu proprio, sive ad partis supplicationem, & alias quovis modo in totum, vel in parte fecerit, seu in futurum faciat, etiam has omnes cessiones, seu

resigna-

resignationes sub hac nostra revocatione comprehendi

Clausulas præservativas apponit.

§. 46. Decernentes præsentes literas, ac omnia, & singula in illis contenta, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes illis nullatenùs consenserint, & ad hoc citati, aut auditi non fuerint, minúsque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenùs justificatæ fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis nullitatis, ad invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine resultante, vel præscriptionis etiam quadraginta annorum, & ultrà, aut quocumque alio colore, prætextu, & causa etiam in corpore juris clausis, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, se se juvare in judicio, vel extrà posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium constitutionum, & ordinationum revocationibus, suspen. limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 47. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarios, & de latere Legatos, & Nuncios, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritúmque, & inane, quicquid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 48. Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit nostra de non tollendo jure quæsito, ac Apostolicis, necnon in Universalibus, Provincialibúsque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus, chirographis, cedulis, motuum propriorum, & literis Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis etiam, ut præfertur, seu alias quomodolibet qualificatis, ac speciali nota, & mentione dignis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & de ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & unanimi consensu sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam inexcogitabilibus, & necessariò exprimen. etiam in vim contractus jurati, Cameralique obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis editis, seu factis, & emanatis, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis, necnon omnibus illis quæ prædicti prædecessores in eorum Constitutionibus, & literis suprà expressis voluerunt non obstare.

Clausula derogatoria.

§. 49. Quibus omnibus, & singulis etiamsi in eis caveatur expresè, quòd nullò unquam tempore sub similium, vel dissimilium, exemptionum, immunitatum, facultatum, licentiarum, concessionum, deputationum, confirmationum, extensionum, prorogationum, indultorum, privilegiorum, & assignationum, & gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis exceptæ, & quoties illa emanarent; toties in pristinum, & validissimum statum etiam sub posteriori data per eos; quibus concessa sunt eligenda, restituta, reposita, & plenariè reintegrata, & de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expresè, ac latissimè derogamus, & derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis forma.

§. 50. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus easdem præsentes literas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Transumptis credi jubet.

§. 51. Quódque earumdem præsentium transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extrà habeatur, quæ ipsis originalibus literis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An 2 die 27. Nov.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1645. Pontificatus nostri anno secundo.

Die 6. Decembris 1645. retroscripta literæ Apostolici fuerunt affixæ, & publicatæ ad valvas Curiæ in acie Campi Floræ, in Cancellaria Apostolica, ac in Basilica Principis Apostolorum, per me Hieronymum Mascellam Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

XIV.

Quòd nullus Monachus Congregationis Cassinen. in Decanum eligi possit, nisi priùs in Sacra Theologia, vel Sacris Canonibus consuetos cursus sine interruptione peregerit.

De istorum Monachorum Congregatione, lege quæ notavi ad Const. 100. Commissi nobis Urb. VIII. & ad Const. 172. Sancta mater.

Edita An. D. 1645.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

CUM sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Casinensis Ordinis S. Benedicti

Benedicti Nobis nuper exponi fecit, à Capitularibus proximè præteriti Capituli generalis ejusdem Congregationis quò illius Monachi studio ferventiùs incumbant, & ad bonarum literarum cognitionem impensiùs incitentur factum fuerit decretum tenoris sequentis, videlicet. Nullus deinceps in Decanum eligi possit, nisi priùs in Sacra Theologia, vel Sacris Canonibus consuetos cursus sine interruptione peregerit, earúmque facultatum publicas conclusiones laudabiliter sustinuerit habita de his omnibus in scriptis, ac juramento firmata ab iis Lectoribus, & Prælatis apud quos prædictis facultatibus insudaverit, attestatione à Capitulo generali approbanda; Theologiæ verò cursus nonnisi per integrum septennium computato triennali cursu Philosophiæ adimpleri possit, Sacrorum etiam Canonum per quatriennium. Hujus tamen Decreti obligatione non teneantur, nisi qui nondùm sexennium in Congregatione impleverint. Quo verò Religionis ordine provectiores fuerint studio moralis saltem Theologiæ imcumbere debeant, nisi supradictos cursus, & ipsi peregerint aliàs in Decanos eligi nequeant. Datum in Monasterio Sancti Petri de Perusia 15. Maji 1645. D. Gregorius ab Aretio Cancellarius.

Decretum Capituli generalis.

Confirmat prout in Rub.

§. 1. Quò verò decretum præinsertum firmiùs subsistat, & exactiùs observetur, idem Procurator Generalis dictæ Congregationis nomine illud per Nos confirmari summoperè desideret, Nos eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter, inconcussè observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Novembris 1645. Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. P. An. 2. die 7. Nov.

XV.

Super recessu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium à Statu Ecclesiastico sine licentia Summi Pontificis, & reddita eorum, qui sine licentia hujusmodi recesserunt ad Romanam Curiam.

Aliam Constitutionem edidit Urbanus VIII. circà Cardinalium ab Urbe discessum ultrà 40. mil. quæ est ejus Const. 66.

Edita An D. 1646.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum juxtà sacrorum Canonum dispositionem Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in partem sollicitudinis Apostolicæ sint vocati, ut Romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant, & in regimine universalis Ecclesiæ eorum operam præstent, dicantúrque pars corporis, & membra ipsius Pontificis, ac diversis Ecclesiis Almæ Urbis pro eorum Cardinalatus titulo, seu Diaconia præficiantur, & propterea apud eumdem Romanum Pontificem in Romana Curia residere teneantur, meritò jam pridem nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri providè considerantes quàm indecens, & detestabile sit, quòd Cardinales locum, & mansionem adeò sublimem contrà eorum officii debitum deserant, & quod culpabilius est, non obtenta ipsius Pontificis pro tempore existentis licentia à Statu Ecclesiastico discedant, varias Constitutiones, & Decreta recessum hujusmodi prohibentia sub diversis pœnis etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes arbitrandis ediderunt.

Causæ hujus Constit.

Statuitne Cardd. extrà Statum Ecclesiast. sine licentia Summi Pontificis recedant.

§. 1. Quia verò desuper satis provisum non esse experientia docemur, & ne tàm perniciosum malum in dies crescere contingat, opportuniora remedia adhibere decrevimus. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Constitutione statuimus, decernimus, & declaramus, ut omnes, & singuli ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales nunc, & pro tempore existentes, qui non obtenta à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente licentia extrà temporalem Status Ecclesiastici Ditionem in posterùm se transferent, statim, & eo ipso absque aliqua Judicis, vel alterius præcedente declaratione omnibus, & quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & indultis, etiam conferendi beneficia Ecclesiastica, necnon transferendi pensiones, seu fructus Ecclesiasticos, etiam loco pensionum reservatos, ac testandi, & disponendi sibi quomodolibet à Sede Apostolica concessis privati sint, & existant.

Contravenientibus pœnas imponit.

§. 2. Ac insuper etiam pœnam interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso pariter absque aliqua declaratione incurrant. Necnon etiam aliis per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices quovis modo arbitrandis pœnis subjaceant, & ad sequestrum omnium, & singulorum fructuum, redditual, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum universorum, tàm quorumcumque officiorum, & munerum, etiam majorum, etiam consistorialiter concessorum, specialique nota, & expressione dignorum, quæ quomodolibet, etiam ex titulo verè oneroso, quàm Monasteriorum, & aliorum quo-

rumcumque

rumcumque beneficiorum saecularium, & quorumvis Ordinum etiam Sancti Antonii Viennen. & Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani regularium, etiam Jurisdictionem, sive spiritualem, sive temporalem habentium, quae in titulum, commendam, administrationem, & aliàs quovis modo obtinent, & pro tempore obtinebunt, necnon pensionum super quibusvis fructibus Ecclesiasticis ex quavis causa, etiam alimentorum, & sustentationes, ac aliàs quomodolibet eis assignatorum, & fructuum Ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reservatorum deveniri, etiam sine aliqua citatione, intimatione, vel declaratione possit, & debeat. Et si praedicti Cardinales per sex menses, quos pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, & terminis assignamus à die eorum recessus hujusmodi computandos ad Romanam Curiam personaliter, & cum effectu non redierint, ultrà poenas, & alia suprà dicta, ac cumulativè cum illis etiam eo ipso, ut praemittitur, incurrant poenas privationis omnium, & singulorum fructuum, redditium, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum universorum, tàm quorumcumque officiorum, & munerum etiam majorum, etiam consistorialiter concessorum, specialique nota, & expressione dignorum, quae quomodolibet etiam ex titulo verè oneroso; quàm Monasteriorum, & aliorum quorumcumque beneficiorum saecularium, & quorumvis Ordinum, etiam Sancti Antonii Viennen. & Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani regularium, quae in titulum, commendam, administrationem, & alias quovis modo obtinent, & pro tempore obtinebunt, necnon pensionum super quibusvis fructibus Ecclesiasticis ex quavis causa etiam alimentorum, & substentationis, ac aliàs quomodolibet eis assignatorum, & fructuum Ecclesiasticorum etiam loco pensionum ipsis reservatorum nostro, & pro tempore existentibus Romani Pontificis arbitrio liberè, & absque eo quod jus aliquod Titularibus acquiratur, distribuent. Quòd si lapsis praedictis sex mensibus per alios sex menses immediatè sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, & terminis assignamus, & assignatos esse volumus, adhuc absuerint, & in termino horum ultimo dictorum ex mensium ad Romanam Curiam personaliter, & cum effectu non redierint, cumulativè cum omnibus, & singulis supràdictis poenis etiam poenam privationis ipsorum praedictorum omnium, & singulorum officiorum, & munerum etiam majorum, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet etiam titulo oneroso, ut praefertur concessorum, Monasteriorumque, & beneficiorum saecularium, & regularium quantumvis, ut suprà qualificatorum, ac fructuum, & pensionum etiam loco pensionum reservatorum nostro pariter, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio liberè, & absque eo, quod jus aliquod, ut praemittitur, Titularibus acquiratur, distribuendis, & disponendis eo ipso itidem; & absque alia declaratione incurrant.

§. 3. Cardinales autem illi, qui antè emanatam praesentem Constitutionem non obtenta à Nobis praedicta licentia extrà temporem Status Ecclesiastici ditionem jam se transtulerunt (salvis, & firmis remanentibus omnibus per Nos, seu aliàs de mandato nostro desuper quomodolibet hactenùs gestis, & factis, ac in futurum gerendis, & faciendis) si infrà sex menses à die publicationis praesentis Constitutionis hìc in Urbe, ut infrà faciendae decurrendos, quos similiter pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, & terminis assignamus, personaliter, & cum effectu, ad Romanam Curiam non redierint, eo ipso itidem absque alia declaratione incidant in poenas interdicti ingressus Ecclesiae, & privationis facultatis testandi, & disponendi, omniúmque privilegiorum, & indultorum praedictorum, ac fructùm officiorum, & munerum etiam majorum, etiam consistorialiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atque pensionum, Monasteriorum, & aliorum quorumcùmque suprà expressorum. Et si lapsis praedictis sex mensibus iidem Cardinales, qui, ut praefertur, jam extrà dictum Statum Ecclesiasticum sine nostra licentia se transtulerunt, infrà alios sex menses immediatè sequentes, quos etiam pro tribus canonicis monitionibus, & terminis ut suprà, assignamus ad Romanum Curiam personaliter, & cum effectu non redierint, insuper poenam privationis, praedictorum officiorum, & munerum etiam majorum etiam consistorialiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atque Monasteriorum, beneficiorum, & aliorum quorumcumque suprà expressorum pariformiter incurrant.

§. 4. Si autem tàm Cardinales, qui jam sine nostra licentia, ut praemittitur, extrà Statum Ecclesiasticum se transtulerunt, quàm illi, quos in futurum, ut suprà extrà eumdem Statum absque nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis licentia se transferre contigerit; per alios tres menses immediatè sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, & terminis assignamus, & sic totum infrà quindecim menses personaliter, & cum effectu ad Romanam Curiam non redierint; decernimus deveniri posse ad alias poenas, etiam quantumlibet majores, & graviores, ac individua mentione, specialique nota dignas per Nos; & successores nostros Romanos Pontifices declarandas; ac etiam usque ad poenam privationis dignitatis Cardinalatus inclusivè. Ac demùm; ut de caeterò tàm ad praesens, quàm perpetuis futuris temporibus, cùm aliquem ejusdem S. R. E. Cardinalibus nunc, & pro tempore existentibus; absque dicta nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis licentia, ut suprà extrà statum praedictum se transferre contigerit, idem Cardinalis in officiis, muneribus, Legationibus, Praefecturis, Guberniis, Protectionibus Ordinum, seu Congregationum Regularium, Archiconfraternitatum, seu Confraternitatum, Collegiorum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum priorum locorum quorumcumue, necnon administratione tituli, vel Diaconiae, ac etiam Episcopatus sui, Cardinalatus, ac quarumcumque, aliarum Ecclesiarum, etiam Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, quarum respectu aliquam Jurisdictionem exercet, ac quorumcumque Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, ut praemittitur, & aliàs quomodolibet qualificatorum, illorúmque Jurisdictionis tàm spiritualis, quàm temporalis, & generaliter, in omnibus & quibuscumque muneribus, etiam speciali nota, & individua expressione dignis, sibi à praedicta Sede Apostolica injunctis & commissis Cardinalem, vel Praelatum, aut alium quemcumque substituere, & subrogare, non obstantib. quibusvis facultatibus, licentiis, & indultis desuper etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet hactenùs concessis, & deinceps concedendis nullo modo possit, & valeat: perpetuò similiter statuimus, decernimus, & declaramus, facultatésque, ac licentias, ac indulta praedicta, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad hunc effectum à die, quo extrà dictum Statum recesserint non obtenta priùs dicta licentia cassamus, irritamus, viribúsque, & effectu evacuamus, ac pro non concessis, perindè ac si de illis numquàm cogitatum fuisset, haberi volumus.

Alias poenas addit.

§. 5. Ab omnium autem, & singularum poenarum, tàm suprà expressarum, quàm etiam per

Excusationes tollit.

Nos, & successores nostros Romanos Pontifices quomodolibet declarandarum incursu nolumus posse aliquem se excusare prætextu, vel ratione cujuscumque servitii, seu negotii quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, & Regum, aut Rerumpublicarum, Regnorum, Provinciarum, nec ratione cujuslibet jussionis, vel mandati eorum vel earum quandocumque, vel quomodocumque facti, vel faciendi, aut distantiæ locorum, vel ratione cujuscumque alterius causæ, vel occasionis, etiam publicæ, aut aliàs favorabilis etiam in corpore juris, seu Constitutionum Apostolicarum clausæ, nisi hujusmodi causa, seu causæ in corpore juris clausæ coram Nobis, & Roman. Pontificat. pro tempore existent. allegata, seu allegatæ, probatáque, seu probatæ, ac expresè admissa, seu admissæ fuerint. Ac ulteriùs nolumus posse aliquem per quemcumque, etiam per Collegium Cardinalium hujusmodi, etiam Sede Apostolica vacante absolvi, seu etiam per viam gratiæ, seu justitiæ restituti, sed omnimodam cognitionem absolutionem, relaxationem, restitutionem, reintegrationem, rehabilitationem, & quamcumque aliam dispensationem, seu dispositionem super præmissis, & eorum quolibet Nobis & pro tempore existenti Romano Pontifici privativè quoad omnes reservamus. Cæterùm, per easdem præsentes non intendimus in aliquo derogare Constitutioni à fel. record. Urbano Papa VIII. etiam prædecessore nostro super residentia Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, etiam Cardinalum.

Clausula præservativa.

§. 6. Decernentes præsentes literas, omniáque & singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis, & invaliditatis vitio, intentionisque nostræ, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo, quòd in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, & præsertim ejusdem S. R. E. Cardinales præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, solemnitatésque, & quævis alia servanda, & adimplenda nullatenùs servata, & adimpleta; causæque, propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo justificatæ non fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occasione, vel capite etiam in corpore juris clausis, & ex alia quacumque quantumvis rationabili, justa, & privilegiata causa, etiam necessariò exprimenda à quoquam notari, impugnari, invalidari, ac retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili, ac etiam consistorialiter concesso quempiam in judicio, vel extrà illud uti nullo unquàm tempore posse, neque easdem præsentes, & quæcumque contenta in illis sub similium, vel dissimilium, Constitutionum & dispositionum etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Rom. Pontif. prædecessores, successorésque nostros, ac etiam per Nos factarum, & faciendarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuóque valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectabat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, perindè, ac si in Consistorio nostro secreto de eorumdem Venerabilium fratrum nostrorum consilio, & unanimi assensu emanassent.

Clausula sublata.

§. 9. Sicque &non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis prædictæ Nuncios, necnon ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quoscumque alios quavis auctoritate, & potestate fungentes, nunc & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & diffiniendi facultate, ubique judicari, interpretari, declarari, & diffiniri debere, ità ut si unquàm aliquod dubium, seu hæsitatio super præmissis, seu eorum aliquo oriri, vel suscitari contingat, nullus præter Nos, ac Romanos Pontifices successores nostros possit præsentes literas quovis modo interpretari, & declarare, irritumque, & inane quidquid secùs à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus editis, & edendis, ac Cancellariæ Apost. Regulis, etiam quatenùs opus sit, illa de non tollendo jure quæsito, necnon sacri dictorum Cardinalium Collegii, & quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque licentiis, facultatibus, indultibus, & literis Apostolicis eidem Collegio, ac quibusvis Cardinalibus, & aliis quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritant. in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet, & ex quacumque causa etiam hîc forsan necessariò exprimenda in contrarium concessis, emanatis, confirmatis, & pluries innovatis, necnon omnibus, & singulis, quæ prædicti prædecessores in dictis suis Constitutionibus, & decretis voluerunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum tenor. præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, ad effectum præmissorum specialiter, expresè, & plenissimè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis forma.

§. 1. Ut autem eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere possit.

Affigi, & publicari mandat.

§. 10. Volumus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum copiæ ibidem affigantur, & affixæ relinquantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, arctent, & afficiant, non secùs ac si eorum unicuique personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis credi jubet.

§. 11. Quódque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extrà illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. die 19. Feb.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 19. Febr. 1646. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Anno Domini 1646. die 20. mensis Februarii affixæ, publicatæ fuerunt præsentes literæ ad valvas Basilicæ San-

cti Petri, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Petrus Paulus Desiderius Cursor.

Breve Apostolicum de solvendis Decimis per Regulares.

Habes circà hanc materiam Decretum S. R. E. Cardinalium Sacri Conc. Trid. Interpretum, quod refertur in hâc Constitutione §. 1.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

NUper pro parte Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon dilectorum filiorum totius Cleri Regni Poloniæ per dilectum etiam filium Matthæum Joannem Indicki Archidiaconum Pomeranien. nuncupatum in Ecclesia Uladislavien. ejusdem Cleri in Curia Romana Agentem, quòd aliàs, & sub die 17. Junii anni proximè præteriti 1645. in causa Decimarum ejusdem Regni à Venerabilibus etiam Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus emanavit decretum quod Nos subindè sub die 31. mensis Julii ejusdem anni in Consistorio nostro secreto approbavimus tenoris, qui sequitur, videlicèt.

§. 1. In causa Decimarum Regni Poloniæ die decima septima Junii 1645. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, iterùm, atque iterùm auditis Regularibus, & præcipuè PP. Societatis JESU, eorùmque juribus, & privilegiis maturè discussis, censuit, ab eisdem Patribus, & aliis Regularibus, solvendas esse Parochis, & aliis Beneficiatis Regni Poloniæ Decimas, quæ solvebantur à Laicis priusquàm bona in ipsorum Patrum, & aliorum Regularium proprietatem fuerunt translata, firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis, quod decretum emanavit prævia exhibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam dereto posteà consenserunt, prout, & Agens Cleri Regni Poloniæ. Die verò 31. Julii 1645. Sanctissimus Dominus Noster, Eminentissimo Cardinali Præfecto referente, in Consistorio approbavit.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes præfati decretum præinsertum, quo firmius subsistat, & exactius observetur, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio, communiri summoperè desiderent. Idcircò Nos eosdem exponentes, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Supplicationibúsque illorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & omnes, ac singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper authoritate Congregationis, eorumdem Cardinalium.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, inviolabiliter, & concussè observari; sicque, per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocircà dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in eodem Regno pro tempore commorante Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponentium præfatorum, seu alicujus eorum desuper requisiti fuerint, solemniter publicatis, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat authoritate nostra illos præmissorum omnium commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes illos desuper à quoquam quavis authoritate, quomodolibet molestari.

§. 5. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo. Legitimísque super his habendis, servatis processibus sententias, censuris, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

§. 6. Non obstantibus quatenùs opus sit, fœl. record. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis authoritate præsentium in judicium non trahatur; aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon ipsius Societatis, aliorúmque Regularium Ordinarium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis ipsi Societati, aliisque Regularibus Ordinibus, seu institutis præfatis, illorúmque Domibus etiam professis, Collegiis, Monasteriis, & aliis locis Regularibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibúsque, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illorum, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret: illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 21. Decemb. 1646. Pontificatus nostri Anno secundo.

Breve Reductionis in Congregationem, Religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

Scholarum Piarum regimen Congregationi Beatæ Mariæ Clericorum sæcularium commisit Paulus V. Constit. 81. tom. 3. & Const. 101. Hoc autem regimen fuit posteà demandatum Congregationi Paulinæ, & alia desuper concessa privilegia, quæ omnia vide in Indice, verbo. Clerici Matris Dei Scholarum Piarum.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

EA, quæ pro fœlici Personarum Regularium statu à Romanis Pontificibus prædecessoribus

bus nostris constituta fuerunt, cùm incommodum afferre, ac earumdem personarum in via Domini profectui, & tranquillitati obesse noscuntur, nostri muneris est providè moderari, & immutare prout temporum ratio suadet, & conspicimus salubriter in Domino expedire.

Paulus V. Instituit hujusmodi Congr.

§. 1. Dudùm si quidem fœlic. record. Paulus V. Papa, prædecessor noster per suas in simili forma Brevis die 6. Martii 1617. expeditas litteras in Domo Piarum Scholarum Urbis unam Congregationem Scholarum Piarum ab uno Præfecto regendam, & gubernandam, quæ de cætero perpetuis futuris temporibus Paulina Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum nuncupari, nec ultrà viginti ab Urbe milliaria extendi, neque ullum locum, in quo scholæ piæ non essent, dominibus Novitiorum exceptis; habere, & qui eidem Congregationi nomen dare voluissent, finitis duobus probationis annis, omnes tàm ad sacros, & Presbyteratus Ordines promoti, & Clericali charactere dumtaxat insigniti, quàm Fratres Operarii tria simplicia vota paupertatis videlicèt, ac Castitatis, & Obedientiæ, super quibus à nemine præterquàm à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari posset, emittere, ac gratias, & nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario recipien. ad pueros in primis elementis, grammatica, computo, ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis erudiendos, bonis & piis moribus imbuendos, ac demùm Christiano more educandos, operam, laborem, ac studium conferre deberet, erexit, & instituit, ità verò, quòd qui simplex paupertatis votum, ut præfertur, emisissent, quamdiù in prædicta Congregatione permansissent, cujuscumque dominii, juris, & proprietatis incapaces essent, idémque paupertatis votum summam in iis paupertatem induceret, tàm in particulari, quàm in communi, ità ut nihil omninò juris haberent, sed nec habere, aut acquirere quovis titulo possent in bonis, seu ad bona, vocantur immobilia, vel quæ pro immemorabilibus habentur: huic verò paupertati omnia ad eorum usum pertinentia, cibos, vestes, supellectilem tàm sacram quàm prophanam statui, & instituto convenientia, domos verò, hortos contiguos domibus, Ecclesias, Sacristias, Oratoria, ac Scholas, & hujusmodi immobilia, quæ pariter usui eorum destinabantur similiter convenientia, ut præfertur, & præthereà in dominio Romani Pontificis pro tempore existentis, mobilia verò in dominio ipsorum, in communi tamen esse debere decrevit, & declaravit, & deindè cùm tunc existentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositi, quibus piæ mem. Gregorius Papa Decimusquintus etiam prædecessor noster negotium hujusmodi examinandum, & sibi referendum commiserat, decreto per eos desuper facto censuissent Congregationem Scholarum Piarum hujusmodi, ut præfertur, erectam, & institutam, posse in Religionem trium votorum solemnium approbari, dictus Gregorius prædecessor per suas etiam in simili forma Brevis die 18. Novembris 1621. expeditas litteras decretum prædictum approbavit, & confirmavit, & aliàs prout in dictis eorumdem Pauli, & Gregorii prædecessorum litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberiùs continetur.

Causæ hujus Constit.

§. 2. Cùm autem sicut nobis innotuit, graves in Religione hujusmodi perturbationes suscitatæ fuissent, & etiam nunc vigeant, ità ut prout sedandis illis operæ pretium, ac è re ejusdem Religionis summoperè futurum sit, si illa in Congregationem absque ullorum votorum emissione ad instar Instituti Congregationis PresbyterorumSæcularium Oratorii Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe canonicè erectæ Sancti Philippi Merii nuncupatæ redigatur.

Religionem Pauperum Matris Dei &c. de qua in Rubr. reducit Summus Pont. in Congr.

§. 3. Hinc est quòd Nos pro cura nostra pastorali ejusdem Religionis tranquillitati quantum cum Domino possumus consulere volentes de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac quorumdam dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum quibus hoc negocium examinandum commisimus, consilio, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione stris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis Religionis prædictæ Religiosis etiam professis tàm Sacerdotibus, quàm Laicis, sive ut vocant, Operariis facultatem transeundi ad quamcumque aliam Religionem ab hac Sancta Sede Apostolica approbatam etiam laxiorem, in qua benevolos invenerint receptores tenore præsentium concedimus & impartimur. Præthereà, ne de cætero ulli ampliùs in dicta Religione recipiantur, & ne jam recepti in Novitiatibus degentes ad professionis emissionem admittantur sub nullitatis receptionis, & professionis hujusmodi, aliisque nostri & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii pœnis interdicimus, & prohibemus. Ad hæc omnes, & singulos ejusdem Religionis Religiosos cujuscumque qualitatis existant, eorúmque Domos, Scholas, & loca quæcumque omnimodæ Ordinariorum locorum, in quibus reperiuntur, jurisdictioni subjicimus, & supponimus, sublata tàm dilecto filio Josepho Colasantio, sive Matris DEI nuncupato olim Ministro Generali Religionis prædictæ, quàm aliis etiam auctoritate Apostolica Visitatoribus, ac Superioribus deputatis domorum Ministris, cæterisque inferioribus, Superioribus omni, & quacumque facultate, & superioritate, & jurisdictione tàm in spiritualibus, quàm temporalibus ergà prædictos Religiosos, eorúmque, omnémque auctoritatem, superioritatem, & jurisdictionem, quæ penès Ministrum Generalem, Visitatores Apostolicos, aliósque Superiores, ut præmittitur, residebat, totaliter, & omnimodè in Ordinarios locorum hujusmodi transferimus, ità ut Religiosi prædicti nullam deinceps jurisdictionem, auctoritatem, & superioritatem sibi usurpare possint, nisi illam, quæ iis fuerit ab Ordinariis, ut suprà demandata, seu delegata; Religionem verò prædictam in Congregationem similem Instituto prædictæ Congregationis Oratorii in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella, ut præfertur erectæ Sancti Philippi Nerii nuncupatæ absque ullorum votorum emissione regendam, & gubernandam, juxtà tamen Constitutiones primòdicto Instituto proportionabiles desuper jussu nostro edendas redigimus, & reducimus, ità tamen ut prædicti Religiosi nunquam possint denominari Presbyteri, seu Clerici Congregationis Oratorii, vel Sancti Philippi Nerii, nec pro talibus se gerere. Regimen autem, & gubernium Collegii Nazareni de eadem Urbe dilectorum filiorum causarum Palatii Apostolici Auditorum omnimodæ dispositioni relinquimus. Ità tamen, ut quantum fieri possit menti bon. mem. Michaëlis Angeli Cardinalis Nazareni nuncupati prædicti Collegii Institutoris, & Erectoris satisfiat.

Clausula præservativa.

§. 4. Præsentes quoque litteras, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & esse, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos judicari, & his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attendari decernimus, & declaramus.

§. 6. Non obstantibus prædictis eorumdem

præ-

prædecessorum litteris, ac quibusvis aliis Apostolicis, necnon in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quacumque etiam ultima d. Michaëlis Angeli Cardinalis voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, & expressè commutamus. Necnon dictæ Religionis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, exemptionibus, & literis Apostolicis eidem Religioni, illiúsque Præfecto, & Clericis, ac aliis, quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innonatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Martii 1646. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Confirmatione Brevis Sanctissimi D. N. Urbani VIII. circà licentiam alienandi bona immobilia Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, pro summa centum millium Scutorum.

Prædictum Breve refertur verbo tenùs in hâc bulla §. 1.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs emanarunt à fœl. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro litteræ in simili forma Brevis tenoris sequentis, videlicet.

§. 1. Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Ex injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea, per quæ Monasteriorum, & aliorum locorum Regularium quorumlibet indemnitati, commodis, atque utilitati consulitur libenter intendimus, ac desuper Pastoralis officii nostri partes favorabiliter in Domino expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus filius Modernus Abbas Monasterii Beatæ Mariæ de Pace nuncupatæ de Urbe, Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, & totius Congregationis hujusmodi Procurator Generalis, quòd Congregatio prædicta multo ære alieno cum Cameræ nostra Apostolica ratione Montium Cameralium, nonnullorumque censuum pro folvend. Montium suorum fructibus creatorum contracto gravata reperitur, quòd quidem æs alienum varias ob causas hactenùs dissolvere, ac supradictis oneribus Cameralibus satisfacere, aliósque census super dictæ Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicæ impositos oneribus extinguere non potuit, nec cum Ordinariis redditibus debita, quibus diversa dictæ Congregationis Monasteria premuntur persolvere posset. Nobis propereà dictus Moderdernus Abbas, & Procurator humiliter supplicari fecit, ut pro liberanda ab ære alieno, aliísque oneribus hujusmodi Congregatione prædicta sibi licentia, & facultatem bona immobilia ad Monasteria Congregationis hujusmodi spectantia pro summa centum millium scutorum alienandi concedere, aliásque de super opportunè providere de benignitate Apostolica dignamur. Nos igitur dictæ Congregationis necessitatibus quantum cum Domino possumus subvenire, prædictumque Abbatem, & Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Abbatibus Generalibus, & Visitatoribus dictæ Congregationis Lateranens. nunc, & pro tempore existentibus, ut cum approbatione dilecti filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarii nostri secundùm carnem ex Fratre germano nepotis bona stabilia d. Congregationis pro summa centum millium scutorum monetæ Romanæ dumtaxat quibusvis personis meliorem conditionem offereri. vendere, & alienare; ità tamen, ut pecuniæ ex venditione hujusmodi provenien. deductis tamen expensis hâc de causâ faciend. in alios usus quàm extinctionis æris alieni, quo quomodolibet dictæ Congregationis Monasterium gravatum existit, & pro majori illius utilitati nullo modo convertantur, liberè, & licitè possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus, & impertimur. Non obstantibus fœl. record. Pauli Papæ II. Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliísque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, & Monasteriorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterísque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Aprilis 1637. Pontificatus nostri anno decimoquarto.

§. 2. Cùm autem sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Modernus Abbas dicti Monasterii Sanctæ Mariæ de Pace, ac Congregationis prædictæ Procurator Generalis, dilectus etiam filius noster Franciscus tituli Sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Barberinis nuncupatus, cujus approbatio in alienatione bonorum stabilium prædictorum juxtà præinsertarum literarum tenorem requiritur à Romana Curia, & toto Statu nostro Ecclesiastico absit, Nobis propereà idem Abbas, & Procurator Generalis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Abbatem, & Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus inclinati, præinsertas literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illísque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, necnon Dilecto filio nostro Federico SS. Viti, & Modesti Diacono Cardinali Sfortiæ nuncupato dictæ Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Comprotectori facultatem præstandi consensum alienationis hujusmodi quem dictus Franciscus Cardinalis in vim earumdem literarum adhibere deberet, servata alias in omnibus, & per omnia illarum forma eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Decernentes ea, quæ cum approbatione dicti Federici Cardinalis Comprotectoris in executionem dictarum literarum fient, perindè valida firma, & efficacia existere, & fore, ac si cum approbatione dicti Francisci Cardinalis facta fuissent.

Confirmatio, & approbatio prædicti Brevis per hun. Sanctiss. Pontif.

Decretum irritans apponit.

§. 3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos judicari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane, si secùs super his à quoquam auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præinsertis literis hujusmodi concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 31. Julii.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Majorem sub Annulo Piscatoris, die 31. Julii; 1646. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XIX.

Pro Congregatione Cassinen. Confirmatio Decreti Capitularis circà solutionem taxarum.

De hâc materia legè, quæ indicavi tibi ad Constit. 216, Exponi nobis, & ad Constit. 252. Aliàs à Nobis Urb. VIII.

Edita An. D. 1646.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

EA quæ pro religiosorum Ordinum quorumcumque fœlici directione: prosperóque statu ab eorum Superioribus in Capitulis generalibus facta, & ordinata fuisse noscuntur, ut firma, & illibata persistant, libenter cùm à Nobis petitur Apostolicæ confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Motiva.

§. 1. Cùm itaque sicut Dilectus filius Ludovicus Balbus Procurator Generalibus Congregationis Cassinen. Monachorum Ordinis S. Benedicti Nobis nuper exponi fecit, anno superiori Capitulares Capituli generalis ejusdem Congregationis tunc celebrati decreverint, quòd ii dictæ Congregationis Abbatibus, qui onera Cameralia utrumque eorum Monasterium tangentia Procurariæ Romanæ non solvissent, voce activa in Capitulo generali ejusdem Congregationis subsequenti privati remanerent, & subindè experientia docuerit Decretum hujusmodi ad consequendum à singulo quoque dictæ Congregationis Monasterio solitas taxas valdè proficuum extitisse, proindéque Capitulares Capituli generalis ejusdem Congregationis hocce præsenti anno celebrati ediderint Decretum infràscriptum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decernat capitulare:

§. 2. Ut tandem provideatur periculis, & damnis imminentibus ob retardationem, & omissionem solutionum debitarum per Monasteria nostræ Congregationis tàm Procurariæ generali Romæ, quàm Capsæ Venetiarum respectivè committimus Reverendiss. Patri Procuratori Generali ut à Sanctiss. Domino curet per literas in forma Brevis prohiberi accessum ad Capitulum Generale singulis futuris annis illis Prælatis, & Cellerario privationem officii Cellariæ, quorum Monasteria suis debitis temporibus taxas, & annatas debitas, necnon solutiones, vel debita nuncupata Conto à parte, non persolverint tàm ipsi Procurariæ quàm Capsæ Venetiarum, & si contrà præsens Decretum accesserint ad locum Capituli suspendantur Abbates per annum ab administratione Abbatiæ, nec liceat prædictis Reverendiss. Patri Procuratori, & Capsario affirmari in suis computis se recepisse pecunias, quas effectivè non receperint in virtute sanctæ obedientiæ. Datum Perusii die 29. Aprilis 1646.

Confirmat Decretum

§. 3. Idcircò dictus Ludovicus Procurator Generalis, quo præfata onera Cameralia exactè, (ut par est) persolvi possint. Nobis humiliter supplicari fecit; ut præmissa confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes decretum hujusmodi in eadem Congregatione perpetuò observari debere, præsentésque nostras literas validas, firmas, & efficaces esse, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Congregationis etiam juramento, confirmatione Apost. vel alia quavis firmitate roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 28. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Augusti 1646. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XX.

Declaratio, quòd Brevia à nonnullis Religiosis Religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum obtenta ad effectum assumendi habitum Presbyterorum sæcularium, nisi illis utantur infrà quatuor menses, censeantur revocata.

Hic Sanctissimus Pontifex reduxit in Congregationem Religionem Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, ut apparet suprà Constit. 17. Ea quæ pro fœlici. Ubi indicavi tibi pleraque circà regimen hujus Congregationis.

Edita An. D. 1646.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ALiàs postquàm Nos justis ex causis adducti Religiosis Religionis Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum nuncupata, etiam professis tàm Sacerdotibus, quàm Laicis, sive ut vocant Operariis facultatem transeundi ad quacumque aliam Religionem ab hac Sancta Sede approbatam etiam laxiorem, in qua benevolos invenissent receptores concesseramus, dictósque Religiosos, & eorum Domos, Scholas, & loca quæcumque omnimodæ Ordinariorum locorum jurisdictioni subjeceramus, ac eandem Religionem in Congregationem similem Instituto Congregationis Oratorii in Ecclesia Sancti MARIÆ in Vallicella nuncupata de Urbe erectæ absque ulla votorum emissione reduxeramus. Postmodùm per nonnullos ex Religiosis hujusmodi, successivè Nobis exposito, quòd ipsi habeant, undè se extrà Domos regulares prædictæ Religionis alere poterant, proptereáque habitum presbyteri sæcularis assumere, in eóque quoad vixissent extrà prædictam Reli-

gionem

gionem, illiúsque Domos sub Ordinariorum respe-ctivè obedientia permanere posse desiderabant.

§. 1. Nos certis tunc expressis eorumdem Religiosorum exponend. hujusmodi originariis, seu aliis locorum Ordinariis dedimus in mandatis, ut constito sibi priùs, quòd quilibet ex dictis Religiosis haberet, ut præfertur, undè se extrà dictam Religionem, ejúsque Domos regulares vivere posse, eisdem Religiosis, & eorum singulis assumendi habitum Presbyteri sæcularis, in eóque extrà dictam Religionem illiúsque Domos sub Ordinariorum locorum, ubi pro tempore commorarentur; obedientia quoad vixissent permanendi licentiam auctoritate nostra Apostolicà concederent; & aliàs prout in diversis nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro plenè; & sufficienter expressis haberi volumus pleniùs continetur. Cùm autem sicut nomine Religiosorum Domus Regularis Sancti Pantaleonis de eadem Urbe Religionis prædictæ Nobis nuper expositum fuit pro bono ejusdem Religionis expediat, ut illi Religiosi qui licentiam habitum prædictum Presbyteri sæcularis assumendi à Nobis obtinuerunt literas in simili forma Brevis desuper, ut præmittitur, expeditas, quamprimùm debitæ exquutioni demandari faciant, aut illis renuncient; Idcircò nobis iidem Domus prædictæ Religiosi humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eosdem exponend. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volent. & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum serie absolvend. & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati. Quòd omnes, & singuli dictæ Religiosi, qui hactenùs à Nobis licentiam assumendi habitum Presbyteri sæcularis per prædictas nostras in eadem forma Brevis literas obtinuerunt, ut præmittitur, infrà quatuor menses à die faciend. ut infrà dicitur publicationis præsentium numeran. literis nostris prædictis omninò utantur, & illas debitæ exequutioni demandari faciant, alioquin elapsis quatuor mensibus hujusmodi literæ prædictæ nullæ, irritæ, ac revocatæ sint, & esse censeantur eo ipso Apostolica auctoritate tenore præsentium earumdem statuimus, mandamus, & ordinamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. 4. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, irritúmque & inane, quiquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstant. omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis voluimus non obstare, cæterísque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranen. ac Basilicæ Principis Apostolorum, in aciæ Campi Floræ de Urbe publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos quos illæ concernunt tàm in Romana Curia, quàm extrà eam, arctent, & afficiant, ac si eorum unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 7. Quódque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, annulo Piscatoris, die 4. Decembris 1646. Pontificatus nostri anno tertio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die verò duodecima mensis Decembris, supràdictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiarum BB. Principum Apostolorum, de Urbe, & Sancti Joannis Lateranensis, ac in acie Campi Floræ per me Alexandrum de Rocchis Apostolicum Cursorem.

Camillus Fundatus Mag. Curs.

XX.

Inserit Urbani VIII. Literas incipientes: Exponi nobis nuper fecit. Confirmatque Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium super negotiis Regularium præpositorum; in quo Fratribus Discalceatis Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede super Ministerio Redemptionis Captivorum, ac Jure quærendi, eadémque causa eleemosynas colligendi, acceptandíque donationes, & legata quæcumque, ac Superioris Generalis electione independenter à Reverendissimo dicti Ordinis Magistro generali faciendi minimè concedendam esse audientiam, conceditur.

Ne jam dicta otiosè repetam te remitto ad ea, quæ notavi de hâc materia in Constit. 186. Cùm sicut, & ad Constit. 255. Exponi. Urban. VIII. sup.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Aliàs fœl. rec. rec. Urbano Papa VIII. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris sequentis, videlicèt; Urbanus VIII. Papa ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Perez de Munebrega, &c. (Sequitur de verbo ad verbum prout in proximis præcedentibus supràdictis literis.) Cùm autem sicut dilectus Ignatius Vidondo Procurator generalis eorumdem Fratrum Calceatorum nobis nuper exponi fecit, habito ad nos sub ipso Pontificatus nostri principio ab eisdem Fratribus Discalceatis recursu, ut de novo super præmissis audirentur; peritóque insuper sibi concedi facultatem eorum, & d. Congregationis Superiorem Generalem pœnitus, & omninò independenter à dictis Fratribus Calceatis eligendi; Et negotio hujusmodi per nos remisso ad eosdem Vener. Fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositos, & tandem partibus præfatis hinc indè, jussu nostro in Congregatione eorumdem Cardinalium auditis, illarúmque Juribus accuratè discussis iidem Cardinales, ut aliquando omne litis fomentum, vel incentium ex parte eorumdem Fratrum Discalceatorum de & super Ministerio Redemptionis Captivorum, necnon Jure quærendi, colligendíque donationes, & legata quæcumque ab ipsis independenter à pro tempore existente Magistro Generali eorumdem Fratrum Calceatorum faciendi, & respectivè exigendi cessaret, ad relationem dilecti filii nostri Joannis Baptistæ tit. S. Sylvest. de Capite Presbyteri Card. Pallotti nuncupati, Fratribus Discalceatis hujusmodi super præmissis non esse dandam novam audientiam decreverint. Præmissa verò quo firmiùs subsistant, & exactiùs observentur, idem Ignatius Procurator generalis Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desideret.

Brevia obtenta à Religiosis præ-dictis in ibr.

Irritat, & revocat.

Clausulas præservativas adjicit.

Clausula sublata.

Contrariis derogat.

Affigi, & publicari mandat.

Transumptis credi jubet.

D. P. An. 3. die 3. Dec.

Publicatio:

Edita An. D. 1647.

Hic Constit Urb VIII. immed. ate præcedit.

Præcedens decretum confirmat & approbat hic Sanctiss. Pontifex.

§. 2. Idcircò Nos eundem Ignatium Procuratorem generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensions, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præfatum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis vim & robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium; Decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illa concernunt, & quomodolibet in futurum concernent, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Clausula sublata.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, eorumdem Fratrum Discalceatorum hactenùs editis, & edendis, ac circà ministerium Redemptionis hujusmodi quoquomodo disponentibus statutis, constitutionibus, & consuetudinibus; necnon omnibus, & singulis illis, quæ ijdem Gregorius, & Urbanus prædecessores in suis literis prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 3. die 5. Martii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Martii 1647. Pontificatus Nostri Anno 3.

XXI.

Quòd Conventus, seu loca Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini non possint occupari ab aliis Fratribus Discalceatis ejusdem Ordinis, nisi Prioris Generalis eorumdem Eremitarum accedente consensu.

Fratrum S. Augustini variæ Congregationes in unam Eremitarum S. Augustini professionem, & Regularem Observantiam voluit olim Alex. IV. in Const. 6. tom. 1. Posteà autem Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum sive Reformatorum Congregatio à Clemente VIII. instituta fuit, ut legitur in ejus Const. 63. tom. 3.

Edita An. D. 1647.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN his Apostolicæ nostræ solicitudinis partes libenter interponimus, per quæ Religiorum Ordiorum quorumcumque fœlici statui opportunè consuli cognoscimus.

Quærelæ Fratrum Ordin. Eremi-ratum S. Aug. fr. m adversus PP Discalceatos ejusdem Ordinis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis fecit dilectus filius Salvator Severinus Fabrianensis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Procurator generalis, quòd licèt à fœlicis recordationis Sixto IV. Leone X. diversisque aliis per quasdam suas sub plumbo, vel in alia forma, & novissimè à rec. memoriæ Urbano Papa VIII. Rom. Pont. prædecessoribus nostris per suas in simili forma Brevis de anno 1628. emanatas literas respectivè dispositum, mandatúmque fuerit, ne Fratres, seu alii Regulares de Observantia, vel Reformati nuncupati, dicti, seu alterius Ordinis quocumque nomine censerentur, sub quovis titulo, vel prætextu, etiam Reformationis, Monasteria, Conventus, Domos, & alia Regularia loca, quæ ab ipsis primodictis Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini actu possidentur, & inhabitantur, vexare, occupare, retinere, aut etiam spontè oblata acceptare, nisi pro tempore existentis Prioris generalis primodicti Ordinis hujusmodi expressus, & in scriptis desuper accessisset assensus, sub excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatæ, aliisque forsan tunc expressis pœnis ullatenùs unquàm possent, auderent, seu præsumerent, decretúmque fuerit, quicquid in contrarium præmissorum in futurum attentari, aut à Sede præfata concedi, vel impetrari, sine prædicti pro tempore existentis primodicti Ordinis Prioris generalis consensu contigisset, illud irritum, nullum, & inane, nulliúsque roboris, aut momenti, ac pro infecto haberetur, nisi præfatis literis eorumdem Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, non per clausulas generales, sed de verbo ad verbum, ipso Priore generali, seu Ordine præfato desuper consentiente, derogatum fuisset. Nihilominùs dilecti filii Fratres Discalceati Congregationis Franciæ Ordinis S. Augustini hujusmodi in dies eisdem præmissis contravenire non verentur, satagentes non sine magno Christifidelium offendiculo, ac Regularium personarum perturbatione, Monasteria, Conventus, Domos, & alia Regularia loca eorumdem primodictorum Fratrum in toto ferè ejusdem Regno Franciæ occupare, prout inter alia novissimè Conventum Massiliensem occuparunt, suis fortasse Constitutionibus, quas novissimas vocant, & asserunt auctoritate Apostolica confirmatas innixi, in quarum par. 1. cap. 5. de voto paupertatis §. 2. hæc verba habentur. Conventus autem S. P. N. Augustini licebit acceptare, & reformare, ac in eis vices, & ministeria aliorum Religiosorum supplere. Quare per eumdem Salvatorem Procuratorem generalem habito ad Venerab. Fratres nostros S. R. E. Cardinales negotiis, & Consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositos recursu, petitóque præfata verba earumdem Constitutionum novissimarum, cùm in illis generaliter apposita fuerint, nulla habita ratione de præmissis, & per d. Constitutiones, literásque Apostolicas illarum confirmatorias præfatis eorumdem Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum literis nullatenùs de verbo ad verbum derogatum fuerit, minusvè desuper tunc existens primodicti Ordinis Prior generalis consenserit, imò sedulo, & expresse reclamaverit, nulla, cassa, & irrita declarari, ab eisdem Cardinalibus emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet.

Decretum S. R. E. Cardinalium adversus eosdem Discalceatos.

§. 2. Sac. Congregatio S. R. E. Cardinalium negociis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, auditis sæpiùs partibus, & S. D. N. annuente, censuit verba illa, quæ leguntur in Constitutionibus Fratrum Discalceatorum S. Augustini Congregatione Galliæ novissimè impressis par. 1. cap. 5. de voto paupertatis §. 2. videlicet, Conventus autem S. P. N. Augustini licebit acceptare, & reformare, ac in eis vices, & ministeria aliorum Religiosorum supplere, fuisse malè, & per errorem dictis Constitutionibus: etiam in originali apposita, & inserta, ac pro-

indè delenda fore, & esse; prout virtute præsentis decreti tolli, & deleri, ac pro non appositis haberi decernit, & mandat; &c. Datum Romæ 24. Martii 1645. M. Card. Ginettus. Loco † sigilli.

[Q]uod confirmat hic S. Pontifex.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Salvator Procurator generalis Decretum hujusmodi quo firmiùs subsistat, & exactiùs observetur, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desideret, Nos ejusdem Salvatoris Procuratoris generalis desiderio hujusmodi annuere, ipsúmque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtàxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Salva tamen semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

[C]lausulæ [p]ræservativæ.

§. 4. Decernentes præsentes nostras literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt & concernent quomodolibet in futurum inviolabiter, & inconcussè observari.

[C]lausula su[bl]lata.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secùs super his à quoquàm quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[E]xecutorum [d]eputatio.

§. 6. Quocircà Venerab. Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis d. Regni per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte primodictorum Fratrum Eremitarum fuerint requisiti solemniter publicantes, eísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra, illos præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu frui, & gaudere, illáque ab omnibus ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari, & debitæ executioni demandari non permittentes illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari.

[S]anctio pœnalis.

§. 7. Contradictores quomodolibet, & rebelles, præmissísque non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimísque super his habentes servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam adhoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

[C]ontrariorum dero[g]atio.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon primòdicti Ordinis, ipsiúsque Congregationis Galliæ eorumdem Fratrum Discalceatorum, etiam, juramento, confirmatione, Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, & prædictis Constitutionibus novissimis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis d. Congregationi, illiúsque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis hebentes illis aliàs in suo robore permansuris specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 14. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. Ap. 3. die 25. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Aprilis 1647. Pontificatus nostri anno 3.

XXII.

Quòd Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini præcedant in processionibus, & aliis actibus publicis Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris observantiæ loci de Vinares.

Præcedentiam Ordinum Mendicantium inter se decrevit Gregor XII. Constitut. sua 84. Exposcit Pastoralis, tom. 2.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1647.

Exordium.

ROmanus Pontifex universalis Ecclesiæ regimini, divina disponente clementia, præpositus, interdùm ea, quæ rationabilibus ex causis à Sede Apostolica sancita sunt, ipsa subindè rerum experientia suadente, & majoribus ex causis alterat, & immunitat; in hisque pastoralis officiis sui partes sollicitè interponit, prout locum, temporúmque qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Constitut.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Malvenda Assistens Hispaniarum dilecti filii Prioris generalis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, quòd orta aliàs differentia super jure præcedendi in processionibus, aliísque actibus publicis inter dilectos filios Fratres Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ nuncupatos loci de Vinaros ex una, & Fratres primòdicti Ordinis S. Augustini ejusdem loci partibus ex altera, secundòdicti Fratres hujusmodi ad confovendum jus suum, quasdam sub 9. Januarii 1630. ac aliàs sub 10. 1643. necnon reliquas in simili forma Brevis literas sub diebus 20. mensium Aprilis annorum 1644. respectivè, ad eorum favorem à fœlicis recordationis Urbano VIII. Papa prædecessore nostro emanatas, contrà dispositionem Constitutionis similis rec. mem. Gregor. XIII. Papæ etiam prædecessoris nostri, quæ incipit, Pastoralis, &c. coràm dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditore, executioni demandari insteterunt, & obtinuerunt, aliis etiam sententiis, & decretis in partibus desuper subsecutis. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, ijdem primò dicti Fratres se desuper inauditos, & exindè non leviter gravatos fuisse, & esse prætenderent, & eapropter ad Venerabiles

Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Sacris Ritibus præpositos recursum habuerint, cupiantque in præmissis sibi opportunè provideri.

Urb. VIII. constitutionem circà materiam de qua in rubrica reducit ad terminos juris.

§. 2. Idcircò Nos ad uberes fructus, quos idem primòdicti fratres in vinea Domini in dies afferre noscuntur paternæ dirigentes considerationis intuitum, ipsúmque Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequenter harum serie absolventes, & absolutum fore censentes Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio eorumdem Cardinalium, qui negocium hujusmodi maturè discusserunt, pluries auditis partibus in jure, & in facto informantibus ad relationem dilecti filii nostri Marci Antonii Tituli S. Mariæ de Pace nuncupati Presbyteri Cardinalis Franciotti nuncupati, post longam earumdem Urbani prædecessoris literarum hujusmodi discussionem, de mandato nostro factam, præfatas dicti Urbani prædecessoris literas ad terminos juris non solùm in præsenti, sed etiam in quacumque simili causa tàm in dicto loco de Vinaros, quàm in aliis in eisdem literis contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium reducimus, & denique ubique terrarum servandam esse eamdem d. Gregorii prædecessoris constitutionem declaramus, statuimus, & ordinamus, salva tamen semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulas præservativas apponit.

§. 2. Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & in futurum quomodolibet concernent inviolabiliter, & inconcussè observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 4. Quocircà venerabil. Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis in quibus primò dictorum Fratrum hujusmodi domus regulares erectæ sunt, sive in posterùm erigentur, ac dilectis filiis eorum officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem primodictorum Fratrum requisiti fuerint solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula ab eis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter observari, ac eosdem primodictos fratres præmissorum commodo, & effectu quietè, & pacificè ubique frui, & gaudere, non permittentes illos desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Contravenientibus pœnas imponit.

§. 5. Contradictores quoslibet & rebelles, aut aliàs in præmissis non parentes seu sese quomodolibet opponentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstantibus præfatis d. Urbani prædecessoris literis, necnon rec. mem. Bonifacii VIII. Papæ etiam prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, & institutorum, illorúmque domorum, & locorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 7. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 3 die 15. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Aprilis 1647. Pontificatus nostri anno 3.

XXIII.

Pro Congregationis Lateranensis Confirmatio Decreti Diffinitorii circà solutionem Quindenniorum.

Edita A. D. 1645.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Modernus Abbas Monasterii Beatæ Mariæ de Pace de Urbe, & Procurator Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis Sancti Augustini, quod in secunda parte Constitutionum ejusdem Congregationis Apostolica auctoritate confirmatum cap. 24. inter alia statuitur & cavetur, ut omnes, & singuli Prælati dictæ Congregationis, quorum Monasteria Cameræ nostræ Apostolicæ quindennia solvunt sub suspensionis ab eorum Prælaturis ad Annum pœna, quotannis in publica capsa sui Monasterii eam pecuniarum pro harum ratam, & portionem, quam in fine cujuslibet quindennii eidem Cameræ solvere tenentur, deponere debeant.

Decretum Diffinitorii.

§. 1. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat ob præsentes calamitates in Italia vigentes nonnulli ejusdem Congregationis Superiores reperti fuerint, qui ex eorum negligentia, & injuria temporum quo quindennia hujusmodi solvi debebant ratas, & portiones prædictas pecuniarum se tangentes minimè deposuerant, ut priùs, nedùm cum eorum particularium, sed etiam totius ipsius Congregationis hujusmodi Monasteriorum damno, & detrimento, proptereáque dilecti filii Moderni Abbas Generalis, necnon Visitatores, & alii Diffinitores ejusdem Congregationis habitis desuper variis tractatibus, maturáque consideratione adhibita; Tandem unanimiter in proxima præterita ejusdem Congregationis Dieta de mense Maji præsentis anni celebrata pro bono publico ejusdem Congregationis ediderint decretum infrascriptum tenoris sequentis, videlicet.

Absolvitori tores à censuris.

§. 2. In Dieta Arimini celebrata die 25. Maji 1647. sess. ultima uti infrà. Tandem reassumpto

tractatu

tractatu de provisione pro certa solutione quindenniorum conclusum fuit à Reverendissimo Diffinitorio; neminie discrepante debere omnes Prælatos, quorum Monasteria habent onus quindenniorum hinc ad Festum Paschæ Resurrectionis Domini Nostri JESU CHristi proximè futuri anni 1648. mittere per litteras Cambii, vel alio quovis modo certo, & sine periculo Romam in manibus Reverendissimi Patris Procuratoris Generalis totam illam quantitatem pecuniæ, vel usque adhuc deposita fuit annis jam elapsis, & de cætero quolibet anno antè Sabbatum Sanctum similiter eidem Patri Procuratori Generali pro tempore existenti, mittent summam, quæ depositari tenebitur ad ratam totius quindenni ad hoc, ut serventur solvendos suis loco, & tempore, & contrafacientes declarantur privati ipso facto voce activa, & passiva, & inhabiles ad omnes gradus, officia, & dignitates, quemadmodùm etiam declarari idem Pater Procurator Generalis pro tempore existens, sicut & illi privatus voce activa, & passiva ipso facto, & inhabilis ad omnes gradus, officia, & dignitates si partem aliquam quantumvis minimam prædictorum quindenniorum ausus fuerit in alium usum implicare, & nisi in fine suæ administrationis, & gubernii totam summam omnium quindenniorum receptorum consignaverit successori in bona pecunia numerata ejusdem stampæ cum confessione receptionis autentica, & ut magis negotium tàm arduum convalidetur decrevit per Patrem Procuratorem Generalem præsentem impetrandum esse hinc ad supradictum tempus Paschæ Resurrectionis à Sanctiss. D. N. Breve convalidationis. D. Theodorus Fantonus Abbas Visitator & Scriba.

Confirmatio decreti.

§. 3. Nobis propterea idem Abbas, & Procurator Generalis hujusmodi supplicari humiliter fecit, ut decretum præinsertum quò firmiùs subsistat, & exactiùs observetur Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Abbatem, & Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequentes harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati. Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo contentis licitis tamen & honestis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimns, ac omnes & singulos tàm Juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes illud, ac præsentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum sub pœnis prædictis inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes judicari, & deffiniri, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquàm quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, illiúsque Superioribus, & quibusvis personis sub quibuscumque verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illarum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 6. Volumus autem quòd eædem præsentes nostræ literæ in omnibus & singulis ejusdem Congregationis Capitulis generalibus, & Dietis, quæ de cætero celebrari, & haberi contigerit legantur & legi debeant. Quódque illarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 7. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Septembris 1647. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XXIV.

Quòd in Congregatione Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti ad Officium Cellerariatus, Decani tantùm promoveantur.

De istorum Monachorum materia lege, quæ notavi ad Constitut. 14. Cum sicut, & ad Constitut. 226. Aliàs Urban. VIII.

Edita An. D. 1647.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN his Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes libenter interponimus, per quæ Religiosorum Ordinum quorumlibet fœlici statui opportunè consulitur. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Balbus Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti, quòd in Constitutionibus ejusdem Congregationis Apostolica auctoritate confirmatis cautum reperitur, ut in Cellerarios Monasteriorum dictæ Congregationis nulli omninò præter Decanos eligantur.

§. 1. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat per abusum in eadem Congregatione introductum administrationes Officiorum Cellerariatuum hujusmodi simplicibus Sacerdotibus, qui non sunt Decani sub titulo, & nomine Oeconomiæ committi consueverint, quòd directè Constitutionibus præfatis, & solito ejusdem Congregationis repugnant, & ex quo gravia perturbationes, & incommoda in eadem Congregatione provenire possunt. Nobis propterea idem Ludovicus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio prout in Rubrica.

§. 2. Nos igitur eumdem Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequentes harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, ut in posterùm ad officium Cellerariatus, Decani tantùm promoveantur ad præscriptum præfatarum Constitutionum ejusdem Congregationis Cassinensis Apostolica auctoritate tenore præsentium

ſtatuimus, & ordinamus, ſalva tamen ſemper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes quaſcumque electiones quorumcumque aliorum, quàm ipſorum Decanorum ad officia Cellariatum hujuſmodi de cætero quandocumque & quomodocumque aliàs quam juxtà præſentium literarum formam, & tenorem faciendas nullas, irritas, & inanes fore & eſſe, neminíque ſuffragari poſſe, ac ipſas præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ſuósque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. A. 3. die 15. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Martii 1647. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

XXV.

Quòd Fratres Laici Capuccini Ordinis Minorum Sancti Franciſci vocem in electionibus habere poſſint.

De his Fratribus Laicis notavi ad Conſtitut. 147. *Nuper pro &c. Urban. VIII.*

Edita An. D. 1647.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Miniſter Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum. Quòd aliàs peſtquàm fœlicis recordationis Pius Papa V. Prædeceſſor noſter dictis Fratribus vivæ vocis oraculo conceſſerat, ſeu declaraverat, ut Fratres Laici dicti Ordinis vocem in electionibus habere poſſent, non obſtante Concilii Tridentini ſeſſ. 22. de reform. cap. 4. conceſſióque ſeu declaratio hujuſmodi fuerat à Capitulis Generalibus dicti Ordinis limitata, videlicet ut Fratres Laici hujusmodi à voce activa, & paſſiva in electionibus prædictis excluſi forent tamdiù quamdiù integrum quadriennium in eodem Ordine compleviſſent, poſtmodùm etiam rec. mem. Urbano Papa VIII. pariter Prædeceſſore noſtro, quia ex certis cauſis animum ſuum moventibus vivæ vocis oracula hujuſmodi revocaverat, ſupplicato, ut deſuper opportunè provideret, idem Urbanus Predeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus. Quòd Fratres Laici dictum Ordinem eatenùs profeſſi juxtà prædictam dictorum Capitulorum Generalium limitationem; ij verò, qui ex tunc de cætero habitum per Fratres Laicos hujuſmodi geſtari ſolitum ſuſcepiſſent, & profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam emiſiſſent regulas, poſtquàm integro ſeptennio à die ſuſcepti per eos habitus hujuſmodi in dicto Ordine degiſſent, vocem activam, & paſſivam in electionibus prædictis ad triginta dumtaxat annos habere liberè, & licitè poſſent, & valerent, Apoſtolica auctoritate conceſſit, & indulſit, & aliàs prout in ſuis in ſimili forma Brevis literis de Anno 1637. deſuper emanatis, quarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, uberiùs continetur. Limitationem verò hujusmodi ægrè ferens totus Ordo prædictus, & in ea revocanda in terminis expreſſi difficilem reperiens eumdem Urbanum Prædeceſſorem ab eo de novo Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, prout jacent, Apoſtolica auctoritate confirmari procuravit, obtinuitque & ex hujuſmodi confirmatione priſtinum jus eorumdem Fratrum Laicorum quoad electiones prædictas illis reſtitutum fuiſſe, & revixiſſe prætendit.

§. 1. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, multi ex Fratribus hujuſmodi in dubium revocarint, an ex nova earumdem Conſtitutionum confirmatione prædicta reſtitutioni juris eligendi factæ Fratribus Laicis hujuſmodi fuit, & ſit ſufficienter, & abundè cautum, Nobis propterea idem Miniſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè ut infrà providere, & indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmat prout in rubrica.

§. 2. Nos igitur, qui fœlicem dicti Ordinis ſtatum, & directionem ſinceris deſideramus affectibus, eumdem Miniſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliíſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati præfatas dicti Ordinis Conſtitutiones, vocem, & votum in electionibus concedentes Fratribus Laicis Capuccinis hujuſmodi in dicto dicto ordine ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter, & prout in eiſdem Conſtitutionibus continetur, obſervari, & adimpleri debere, ac quoſcumque Ordinis Superiores, Fratres, & perſonas ad earumdem Conſtitutionum obſervationem quod hoc omnibus juris, & facti remediis cogi, & compelli poſſe. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & alios quoſvis Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, irritúmque & inane, quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & mandamus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ idem Urbanus Prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſupſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

D. P. An. 3. die 24. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 24. Septembris 1647. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

XXVI.

Breve pro Religione S. Basilii Magni super convocatione vocalium ad Capitulum Generale, & electione Assistentium.

Edita A. D. 1693.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

CUm sicut pro parte dilectorum filiorum Monachorum Ordinis Sancti Basilii nobis nuper expositum fuit, in Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum aliàs per Nos pro Reformatione Constitutionum ejusdem Ordinis deputata, inter alia Capitula stabilitum fuerit, decretum tenoris sequentis videlicet.

Decretum Capituli Generalis.

§. 1. De cætero jus non habeant, accedendi ad Capitulum Generale Ordinis Sancti Basilii, aut in eo suffragium ferendi, Superiores Prioratuum, nec Magistri, nec illi quos appellant Monasteriorum Vocales, seu Conventuales, sed personaliter accedere possint, & debeant, ac in electione Abbatis generalis, cæterisque actibus Capitularibus, vocem activam habere infràscripti dumtaxat videlicet, Abbas Generalis, Visitator Provincialis, & Diffinitor unus pro qualibet Provincia, Procurator Ordinis, Abbates, seu Priores cujuscumque Monasterii actu administrationem habentes, Consultor, ac Secretarius Abbatis Generalis. Pro Tardonensi verò Provincia tres Diffinitores Laici, præter Visitatorem Provincialem, & Abbates; In Capitulis verò Generalibus deinceps celebrandis post primum proximè futurum habebunt etiam similem vocem duo Assistentes Abbatis Generalis in quolibet Generali Capitulo eligendi, unus scilicet ex Provinciis Italiæ, alter ex Provinciis Hispaniarum, qui in negotiis Religionis votum consultivum habebunt, eisque à suis Provinciis sumptus necessarii suppeditari debebunt. Quòd si aliquis ex Abbatibus legitimo detineatur impedimento quo minùs ad Capitulum per se ipsum accedere valeat, loco sui mittatur Discretus à Conventu eligendus, qui secum deferat literas testimoniales suæ electionis, loco verò Visitatoris Provincialis, aut Diffinitoris itidem legitimè impediti, mittatur alius eligendus à Visitatore Provinciali cum duobus Diffinitoribus ejusdem Provinciæ, qui literas similiter secum deferat, ut suprà.

§. 2. Decretum verò hujusmodi eidem Ordini maximè profuturum esse speretur, proindéque illud iidem Prælati auctoritate nostra Apostolica confirmari posse statuerint; Idcircò Nos, qui fœlicem Religiosorum Ordinum quorumlibet directionem sinceris desideramus affectibus eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmat præfatum Decretum.

§. 3. Decernentes præsentes literas validas firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quo ad ea, quæ ipsis Decreto, & præsentibus adversantur dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, constitutionibúsque prædictis, privilegiis quoque Apostolicis eidem Ordini; illiúsque Superioribus, Monachis, & personis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ; vel ostensæ.

Transumptis credi mandat.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Junii 1647. Pontificatus Nostri anno Tertio.

Dat. P. An 2. die 25. Junii.

XXVII.

Facultates, & Privilegia concessa suis Cappellæ Pontificiæ Cappellanis.

Edita An. D 1647.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Alexander Brunacchius Civitatis Castellanæ, Horatius Bovius Ferentin. Franciscus Antonius Porticella; in Sacra Theologia Magister Baren. Sebastianus Francus Juris utriusque Doctor Anagninus, Joannes Dominicus de Rubeis Juris utriusque Doctor Materanen. & Joannes Antonius Bernabeus Perusin. Civitatum, seu Diœcesum respectivè Presbyteri, moderni Cappellæ nostræ Pontificiæ Cappellani familiares nostri Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenùs impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt. Necnon vitæ, ac morum honestas; aliáque laudabilia probitatis; & virtutum merita; quibus eorum personas tàm familiari experientia; quàm etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus. Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

§. 1. Hinc est quòd Nos volentes illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eósque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis; à jure; vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

A censuris absolvit.

§. 2. Motu proprio, non ad supràdictorum Alexandri, Horatii, Francisci Antonii, Sebastiani, Joannis Dominici, ac Joannis Antonii, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia, Apostolica authoritate tenore præsentium Alexandrum, Horatium, Franciscum Antonium, Sebastianum, Joannem Dominicum, & Joannem Antonium prædictos,

Protonotarii Apost. Comites Sac. Palatii, & Nobiles Romani, ac Cives.

& illorum singulos in nostros, & Apostolicæ Sedis Notarios recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, sine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio: Nec Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniúmque & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum Cives creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ Comitum, ac Nobilium Romanorum, aliorúmque Civium, Civitatum, & Oppidorum prædictorum referimus, & conscribimus, ipsisque etiamsi habitum, & Rocchettum Notariorum d. Sedis juxtà decretum Lateranensis Concilii novissimè celebrati non deferant, aut Civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquàm in eisdem Civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis quibus cæteri omnes Notarii nostri etiam de numero participantium, necnon Comites, & Nobiles, ac Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum Ecclesiasticorum, & Sæcularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium assequutione, & exercitio, tàm in Urbe, quàm Civitatibus prædictis, ac aliis ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solùm ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipsis emanassent (citrà tamen exemptiones à Concilio Tridentino sublatas, ità ut nedùm quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac Notarios, seu Tabelliones creandi, aliáque hujusmodi privilegiata à Notariis Sedis Apostolicæ, & Comitibus Palatinis prætensa, ut illis supranominati Cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum & inane existat, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari) uti potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliísque literis, Instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese Notarios, Comites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente creatos.

Cives aliarum Civitatum.

§. 3. Necnon Roman. & aliarum Civitatum Cives, ut libuerit, inscribere, & se illis subscribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, & per omnia censeatur.

Beneficia sub singulis tribus tectis obtinere.

§. 4. Ad hæc, cum eisdem, & quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia, sub singulis tribus tectis, quarumcumque trium Cathedralium etiam Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, & principalis Canonicatus, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat Animarum, si eis aliàs canonicè conferantur, aut eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & dummodò illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere.

§. 5. Necnon etiam quamdiù Nobis inservierint tantum, in beneficiis Ecclesiasticis, non tamen Parochialibus, vel curam animarum Parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi Dignitates, in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, & in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum ordinarios, seu Ecclesiarum earumdem Capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnésque, & singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, & redditus durante, & servitio prædicto cum ea integritate distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residerent, percipere, exigere, & levare, proviso tamen per eos, ut onera eisdem dignitatibus, & beneficiis quovis modo incumbentia congruè supportentur.

Absentes à residentia in beneficiorum durante servitio Papæ.

§. 6. Necnon etiamsi Presbyteri fuerint, ac dignitates, & officia obtinuerint, leges, & jura civilia etiam publicè in Scholis, & Universitatibus Studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat dummodò iidem trigesimum ætatis annum non excesserint audire, ac si habiles, & sufficientes reperti fuerint etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsáque jura, etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantùm exercere liberè, & licitè possint, & valeant de specialis dono gratiæ dispensamus.

Officium Advocati &c.

§. 7. Liceat quoque ipsis, ac eorum singulis aliquem idoneum, & ab Ordinario loci approbatum Presbyterum sæcularem, vel cujus Ordinis regularem in suum eligere Confessorem, qui vita eis comite eos, & ipsorum singulos à quibusvis excommunicationis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per eos incursis, & quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio ad Nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes specialiter, vel generaliter reservata existat, ac quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidii casualis, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, Jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorúmque divinorum officiorum) ac denique ab omnibus, & quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicet contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantùm in vita, & in mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodolibet reservatis, aliísque quibusvis casibus semel in anno confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicujus præjudicio prædicta auctoritate Apostolica absolvere, ac illis pro commissis pœnitentiam pro modo culpæ injungere salutarem.

Eligere Confessorem approbatum.

§. 8. Necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Castitatísque & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.

Commutare vota.

§. 9. Ac etiam eisdem, eorúmque singulis, ut quicumque Locorum Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ tàm in dicta Curia, quàm extrà eam etiam ad id per eos, aut eorum singulos coràm Notario, & testibus fide dignis eligen. seu eligendæ, quascumque pensiones, annuas eis, & eorum singulis super Mensarum Abbatialium, seu Epi-

scopalium,

copalium, aut Archiepiſcopalium, & quorumcumque aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura ſæcularium, & quorumvis ordinum regularium, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus etiam quotidianis, ſeu illarum loco fructus proventib. jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta ſibi nunc, & pro tempore aſſignata, & reſervata quandocumque ſimul vel ſucceſſivè, in toto, vel in parte uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera de eorumdem Cappellanorum, vel cujuslibet ipſorum conſenſu in toto vel in parte, etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquàm caſſatæ, & extinctæ fuerint alias ſimiles penſiones annuas ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, diſtributionibus, ſeu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujuſmodi, etiam uſque ad ſummam prædictam uni vel pluribus aliis perſonis, etiam per eoſdem Cappellanos, & eorum ſingulos nominandis, etiam quæcumque, quodcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, ſeu Clericali charactere inſigniri volentibus, ſimiliter eis quoad vixerint; vel eorum legitimis Procuratoribus eiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Cappellanis aſſignatæ, aut reſervari, ſeu aſſignari conceſſæ, ſeu conceſſi fuerint, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium, ac penſiones, & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi etiamſi pluries caſſatæ, & de novo aſſignatæ fuerint uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, ac alias cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contentis integrè perſolvend. reſervare conſtituere, & aſſignare.

§. 9. Necnon ut iidem Cappellani, & eorum quilibet de omnibus, & ſingulis domibus, prædiis, poſſeſſionibus, Terris, & locis etiam juriſdictionalibus, cæteriſque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non ſint Altaris, vel Altarium Eccleſiarum ipſi Cappellani noſtri prædictis commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earumdem Eccleſiarum divino cultui, vel uſui deputata, ſeque monentibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſtentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione Eccleſiarum etiam Cathedralium, Metropolitanarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura ſæcularium, & quorumvis Ordinis Regularium, quæ ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, Commendam, adminiſtrationem, ac alias quomodolibet obtinuerint, & obtinent, & obtinebunt ac fructuum, redditum, & proventuum Eccleſiaſticorum loco penſionum annuarum, penſionumque annuarum ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus eis reſervatorum, & aſſignatarum, & reſervandorum, & aſſignandarum, quos, & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, ac aliàs quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, provent. & penſionibus annuis, necnon eorum induſtria, & labore quomodolibet, & undecumque licitè tamen acquiſitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis quæ exercuerint, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occaſione, vel cauſa ſeu contemplatione ad eoſdem perventis, & perventuris, etiamſi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant tàm in dicta Curia, quàm extrà eam ubique locorum, etiam penès beneficia ipſa exiſtentibus, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores etiamſi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, vel ſuppellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabilis, præſentibus ac ſi ſpecificè, & ſigillatim exprimerentur, ac denotarentur pro ſufficienter expreſſis, & declaratis haberi volumus, ac etiam de ipſis proventibus, ac penſionibus debitis, ac debendis, ac nondùm perceptis, & exactis etiamſi eorum ſolutionis, aut perceptionis terminus nondùm advenerit prò illa rata quæ illis debita erit, Conſtitutione declaratoria ſuper fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forſan ad ſucceſſores in ipſis beneficiis ſpectare, & pertinere deberent non obſtante, etiam ac cumulativè cum quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus facultatibus habitis, & habendis, uſque ad ſummam ducentorum ducatorum auri ſimilium dumtaxat, tàm pro decentibus, & honeſtis impenſis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus ſervierint, etiam ultrà ſervitii meritum, ac in ipſorum conſanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & uſum, ac aliàs pro eorum arbitrio, & voluntate abſolutis, teſtari, ac Teſtamento, Codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm cauſa mortis, ac aliis quibuſcumque modis, & titulis, & ſcripturà etiam minùs ſolemni, etiam coràm duobus, vel tribus teſtibus, aut etiam cedula ſola eorum manu ſcripta, vel ſubſcripta, ac aliàs in omnibus, & per omnia prout, & quemadmodùm eis videbitur, etiam in ipſa Curia, non tamen extrà reſidentiam, & in mortis articulo nulla facta mentione præſentis, vel aliarum eis pro tempore conceſſarum ſimilium facultatum, aut quòd in vim illarum teſtari, ſeu diſponere velint, & intendant ſemel, atque iterum, & pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, ità ut quicquid teſtatum, geſtum, ordinatum, ſeu aliàs ab ipſis diſpoſitum fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, & ſervari omninò debeat, ipſáque teſtamenta, Codicillos, diſpoſitiones, ordinationes, donationes, legata, & ſtatuta, etiam pluries, & toties, quoties eis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere etiam liberè, & licitè valeant plenam, & liberam concedimus facultatem. Statuentes nihilominùs & ordinantes, ejúſque pariter indulgentes, quòd ſi contigerit ipſos ab inteſtato, & ſine ulla vel minùs valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum diſpoſitione, in dicta Curia, vel extrà eam, ac etiam ſua beneficia, aut alia loca debitæ ab eis reſidentiæ perſonalis, etiam nulla ſubſiſtente cauſa ab humanis decedere, omnia, & ſingula eorum bona, res, & jura, etiam ut præfertur qualificata, necnon ſpolia pro dicta ſumma etiam ex prædictis, & alias undecumque provenientia, ad Cameram Apoſtolicam, ſeu in dictis beneficiis ſucceſſores non pertineant, ſed ad hæredes ſanguinis eorumdem integrè deveniant, & illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio perſonæ, ſeu perſonarum, quas ad id ipſi ſcripto nominaverint diſtribuantur, niſi de illa diſpoſitione, vel intentione eorumdem ſcriptura etiam minùs ſolemni ſecùs appareret quam tunc velut efficacem ipſæ perſonæ, vel alii Judices ſeu Executores omninò exequi, & adimplere, illiſque ſeſe conformare in omnibus, & per omnia debeant.

Teſtari uſque ad ſummam ducatorum aureorum ducentorum.

§. 11. Et nihilominùs quæcumque hujuſmodi Teſtamenta, donationes, legata, diſpoſitiones, & alia forſan alias ab ipſis etiam nulla, aut minùs ſufficienti

Defectus ſupplet.

ficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supràdictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, ac aliàs quomodolibet facta cum omnibus indè sequutis, ac etiam ea quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc, & è contrà pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, & confirmamus, omnésque, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliósque defectus quoscumque si qui intervenerint, in eisdem etiamsi tales sint, vel fuerint, quòd specialis, & specifica de ipsis mentio habenda esset supplemus.

Contrariis derogat.

§. 12. Non obstantibus præmissis, ac Lateranen. Concilii etiam novissimè celebrati, etiam de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondùm deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet editis, & in posterùm edendis Cancellariæ prædictæ regulis, ac stylo in similibus hactenùs servato, & piæ memoriæ Alexandri Papæ Sixti etiam prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, nec non ejusdem Bonifacii prædecessoris, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in Provincialibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, & aliis etiam municipalibus tàm Urbis, quàm quarumvis aliarum Civitatum, & locorum, etiam in quibus Cives originarii creati sunt ac quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædicti, necnon quorumvis Collegiorum, & officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum ac prædictæ Cameræ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contrà ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo ipsi Capellam per se, vel eorum Procuratores præstiterint forsan hactenùs, vel in posterùm eos præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani, illorúmque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus etiam Antianis, Capitulis, & Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis, & particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, etiam ejusdem S. R. E. Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorúmque Collegiis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibúsque, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam Consistorialiter, & de ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ac per modum statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac Motu, & scientia partibus; deque Apostolicæ potestatis plenitudine ad Imperatoris, ac Regum, & Reginarum, Ducum, Marchionum, & Aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, & in posterùm concedendis, confirmandis, & innovandis, etiam si in iis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresè, vel tacitè, quòd Urbis nonnisi originariis Civibus Romanis ac Civium eorumdem filiis, aliarum verò Partium Beneficia nisi per personas illustres, seu Nobiles. ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresè qualificatos obtineri, aut conferri possint, & nullus in Civem Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum Privilegiis uti possit, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideant quódque Præceptoriæ, & alia Beneficia quæcumque d. Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani tàm ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione non in titulum perpetuorum Beneficiorum conferri, sed in Commendam ad vitam concedendorum revocabiliter concedi debeant, & sic pensionibus Clericis sæcularibus, aut aliis personis Apostolica authoritate reservandis gravari non possint, quódque stabilimentis, & Privilegiis prædictis etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissimè extendendis, etiam per quascumque literas Apostolicas, & quavis etiam derogatoriarum derogatoriis efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio dictorum Cardinalium fiat, & tùm demùm ad id Magistri, & Conventus prædictorum expressus accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac eis, & prædictis Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs nec alio modo, & semper in hujusmodi literis sic fient, etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula quòd illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non aliàs aliter, nec alio modo. Quibus omnibus, & eorum singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresè quòd illis nullatenùs derogari possit, quódque clausula implicitæ derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes hac vice dumtaxat harum serie in genere, & in specie ad effectum præmissorum sufficienter, & expresè motu, & scientia similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus cæterísque contrariis quibuscumque.

Exemplis fides præstanda.

§. 13. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Juramenta præstare debent.

§. 14. Quódque antequàm gratia Notariatus perfrui valeant, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastiça constitutæ professionem fidei juxtà articulos pridem à Sede prædicta propositos emittere, & solitum fidelitatis Juramentum omninò præstare teneantur.

Dat. P. An. 3. die 18. Jan.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1647. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Quòd

XXVIII. Quòd in Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini duo, vel plures in primo, vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenùs simul conveniant, & votare possint in Capitulis, aut Congregationibus capitularibus; & multò minùs Diffinitorium simul ingredi.

Istius Ordinis materiam habes ad Constit. 119. *Aliàs per &c. Urbani VIII.*

Edita A. D. 1647.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INjuncti Nobis à Domino Pastoralis officii ratio postulat, ut his, quæ pro fœlici statu, & regimine Ordinum Regularium in militante Ecclesiæ piè institutorum statuta fuerunt, quo exactiùs serventur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Supplicatio. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus filius Salvator Severinus de Fabrianó Camerinen. Diœc. Procurator Generalis fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, quódque Andreas Fivizanus Ordinis prædicti, dùm viveret Prior Generalis pro fœlici ejusdem Ord. gubernio inter cætera edidit Decretum tenendum sequendum, videlicet.

Statutum. §. 1. Postremò Religiosam eligentium libertatem foventes, simulantes, humanásque relationes dissecantes, Religionis beneficium prosequentes, & ad nostras electiones transferentes, Decernimus, ut deinceps in Capitulis nostris Provincialibus, aut Congregationibus duos, vel plures in primo, vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenùs simul conveniant, & votare possint, & multò minùs Diffinitorium simul ingredi, & concurrere etiam ad tertium gradum eodem biennio vel triennio valeant, nec tales in prædictis gradibus primo, & secundo conjuncti, si fuerint Sacerdotes vocem habentes, in eodem Monasterio conventualiter degere possit, nisi communi Patrum Diffinitorii consensu per vota secreta accedente, scilicet, in evidentibus casibus inevitabilis necessitatis, tùm verò ille, cum quo fuerit dispensandum toto dicto tempore intercedente in eo Conventu voce passiva omninò careat, & activa in illis tantum Electionibus, aut propositionibus habeat, in quibus talis ejus consanguineus non votaverit: quando autem duo, vel plures hujusmodi consanguinei, vel affines casu aliquo votum haberet, ille tantùm, qui ratione officii digniorem locum habuerit, ad Capitulum accedat, cæteri verò non accedant, nec accedere permittantur. Ac si contingat quòd multi non ratione officii, sed legis, & privilegii concurrant, tunc professione antiquior si voluerit, votare poterit. Et infrà, Quare omnes electiones deinceps contrà hasce nostras ordinationes factas nullas, irritas, ac invalidas esse decernimus, & declaramus, quibuscumque in contrarium non obstant.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, licèt Decretum prædictum aliàs à fœlic. record. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro per suas in simili forma Brevis literas confirmatum, exequutioníque demandatum fuit, nihilominùs, quia successu temporis observantia ejusdem Decreti in aliquibus ex Provinciis dicti Ordinis variis sub prætextibus, etiam non usus, omissa, seu neglecta fuit: experientia verò doceat, ex desuetudine Decreti hujusmodi perturbationes præsertim in Electionibus Superiorum, & regimine Domorum Regularium ejusdem Ordinis maximè vigere, Nobis propterea dictus Salvator Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos ejusdem Salvatoris Procuratoris Generalis votis hujusmodi annuere volentes, ipsúmque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus, inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, Præinsertum dicti quond. Andreæ Fivizani Prioris Generalis Decretum Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illíque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, dictúmque Decretum in toto Ordine prædicto, & ubique terrarum servari sub pœnis in eodem Decreto contentis, mandamus; salva semper auctoritate Congregationis dictorqm Cardinalium; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. A censuris absolvit. Confirmat decretum prout in rubric.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac aliis ejusdem Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §. 5. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur; quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exdibitæ, vel ostensæ.

Dat. F. Ar. die 23 Feb. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Februarii 1647. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXIX. Innovatio super prohibitione transitus Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ad Fratres Calceatos ejusdem Ordinis.

Edita A. D. 1647.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Innovationis. CUM sicut nomine dilecti filii Joannis à Regibus Procuratoris Generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper expositum fuit, quòd dilectus pariter filius Joannes Suarez à Sancto Basilio in dicto Ordine aliàs expresse professus ad Fratres Calceatos ejusdem Ordinis transierit absque Sedis Apostolicæ licentia, & contrà formam quarumdam in simili forma Brevis literarum à fœl. rec. Urbano Papa VIII. prædecessore nostro sub die 19. Januarii 1628. emanatarum, quibus inter alia decretum fuit, ut ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus nulli prædictorum Fratrum Reformatorum, seu Discalceatorum hujusmodi absque speciali dictæ Sedis licentia ad eosdem Fratres Calceatos quavis ex causa sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, necnon excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ pœnis transire, minusvè Fratribus Calceatis prædictis, illorúmque Superioribus eosdem Fratres Reformatos, seu Discalceatos de facto transeuntes, etiamsi novam professionem Regularem emi-

fissent sub privationis suorum officiorum, ac excommunicationis similiter pœnis recipere, vel retinere ullo modo liceret, & aliàs prout in eisdem Urbani Prædecessoris literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberiùs continetur; Proindéque dictus Joannes Procurator generalis quemcumque transitum eorumdem Discalceatorum ad dictos Calceatos absque beneplacito Apostolico factum nullum, & irritum per Nos declarari, aliásque ut infrà provideri summoperè desideret.

§. 1. Nos eumdem Procuratorem Generalem hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolven. & absolutum fore censen. hujusmodi supplicationibus inclinati. De venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardd. negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac auditis partibus non licere fratribus Discalceatis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum sub quovis prætextu transire ad Fratres Calceatos ejusdem Ordinis, nec Superioribus Calceatis eosdem Discalceatos recipere, nisi de expressa licentia hujus Sanctæ Sedis, & proindè tàm prædictum Joannem Suarez quàm alios quoscumque, qui non sequuta forma earumdem dicti Urbani Prædecessoris literarum à prædictis Fratribus Discalceatis ad eosdem Calceatos transiverint ad ipsos Reformatos, cùm primum desuper moniti fuerint redire ad Fratres Calceatos, seu illorum Superiores ipsos Reformatos de facto transeuntes Superioribus Reformatorum, seu ab eis deputandis, statim absque Judicis Ministerio tradere, & consignare teneri sub censuris, & pœnis in eisdem dicti Urbani Prædecessoris literis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, salva tamen semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Innovat prout in rub.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

§. 3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat:

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ idem Urbanus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An 3. die 3. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Aprilis 1647. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXX.

Reservatio Pensionis perpetuæ ad favorem Sacrosanctæ Patriarchalis Ecclesiæ Sanctæ Majoris de consensu Majestatis Catholicæ.

Pensiones super Ecclesiarum fructibus quomodo reservari possunt, vide Leonis X. Const. 7. §. 11.

Edita An. 1647.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium Bailæ.

SAcri Apostolatus ministerio meritis licet imparibus Divina dispositione præsidentes, ad ea per quæ nostræ provisionis auspiciis Basilicæ Almæ Urbis nostræ, ac personæ in illis Divinis obsequiis jugiter insistentes congruis facultatibus pro earum debita manutentione, onerúmque eis incumbentium sublevamine communiri valeant libenter intendimus, ac in his Pastoralis officii nostri partes etiam per pensionum perpetuarum reservationis ministerium, maximè dùm id Catholici Reges exoptant favorabiliter interponimus, prout rerum, personarum, & temporum circumstantiis debitè pensatis id in Domino conspicimus salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, Charissimus in Christo filius noster Philippus Quartus Hispaniarum Rex Catholicus ad aliquod insigne, & sua Regia Majestate, ac liberalitate dignum opus pium hic in Urbe fundandum, & instituendum à multo tempore citrà animum propensum habuerint, & ad hunc effectum ab initio anni Domini millesimi sexcentesimi quarti certam pecuniarum quantitatem ex spoliis, & vacantiis Regni Siciliæ ad ipsum Philippum Regem spectantibus conflatam in hujusmodi opus destinaverit, & successivè hodiè in actu, quo Nos ad præsentationem ejusdem Philippi Regis Ecclesiæ Mazzarien. quæ de ejus Jurepatronatus ex fundatione, vel dotatione, seu Privilegio Apostolico, cui non est hactenùs in aliquo derogatum, existit certo tunc expresso modo vacanti de persona Venerabilis fratris nostri Didaci de Requescens Archiepiscopi Carthaginen. Apostolica auctoritate providimus, ipsúmque illi in Episcopum præfecimus, & Pastorem, inter cæteras unam pensionem annuam perpetuam mille octingentorum scutorum monetæ Regni Siciliæ ad mentem dicti Philippi Regis, & juxtà formam Motus proprii per Nos signandi distribuendam super mensæ Episcopalis Mazzarien. fructibus, redditibus, & proventibus dicta auctoritate Motu simili reservari concedi obtinuerit, prout in Cedula Consistoriali desuper manu nostra signata pleniùs continetur. Et novissimè Nobis per dilectum filium Inicum Velez de Guevara Comitem de Onnate suum apud Nos Oratorem significari fecerit, se summoperè exoptare, ut nos ultrà prædictam mille octingentorum scutorum jam, ut præfertur, reservatam aliam Pensionem similiter perpetuam bismille ducentorum scutorum similium super mensæ Episcopalis Ecclesiæ Cathaginen. fructibus, redditibus, & proventibus, quæ itidem de Jurepatronatus prædicti Philippi Regis ex fundatione, vel dotatione, seu Privilegio Apostolico, cui non est hactenùs in aliquo derogatum fore dignoscitur quæque ad præsens Pastoris solatio destituta reperitur, similiter ad mentem ejusdem Philippi Regis, & juxtà formam præsentium literarum distribuendam reservaremus.

Scuta quatuor millia Patriarch. Ecclesiæ S. M. Majoris applicantur

Scilicet bis mille, & quadringenta 12. portiones, quarum sex 160. & reliquæ 150.

§. 1. Cúmque dictus Philippus Rex per eumdem Inicum Oratorem Nobis etiam significari fecerit mentem, & intentionem suam esse, ut tàm hæc, quàm illa mille octingentorum scutorum jam, ut præfertur reservata, pensiones hujusmodi, & sic in totum quatuor millia scuta annua ex dictis duabus Pensionibus proventura in beneficium Patriarchalis Basilicæ Sanctæ MARIÆ Majoris de Urbe, quàm ob peculiarem, quem semper ergà dictam Beatissimam Virginem MARIAM Sua Regia Majestas gessit devotionis, & dictam Basilicam propensioris tutelæ, & protectionis, quas profitetur affectum singulis aliis dictæ Urbis piis, & Religiosis locis ad hunc actum jure optimo prælegit, ejúsque Ministrorum mo-

do,

do, & forma, ac conditionibus, & pœnis infrascriptis, & non aliàs aliter, nec alio modo erogentur, expendantur, bismille, & quadringenta videlicet in duodecim Portiones, quarum sex debeant constare ducentis, & quinquaginta, reliquæ verò sexcentum quinquaginta scutis similibus pro qualibet, eæque semper ad prædicti Philippi Regis, ejúsque successorum Hispaniarum Regum seu eorum apud hanc S. Sedem nunc, & pro tempore existentium Oratorum nominationem, seu electionem inter duodecim personas perpetuò distribuantur, quoad decem videlicet Canonicis dictæ Basilicæ non fixis, sed ad arbitrium Regis, seu Oratoris hujusmodi pro tempore mutabilibus, quò verò ad alias duas Portiones, seu Pensiones hujusmodi Præposito Capellæ ad Præsepe à fœlic. record. Sixto V. ac Priori Capellæ S. Mariæ piæ mem. Paulo etiam V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris in dicta Basilica respectivè fundatarum, seu uni Capellano Primæ, & alteri Capellano secundæ Capellarum hujusmodi similiter ut suprà ad prædicti Philippi Regis, seu ejus Oratoris nominationem eligendis, & non fixis, sed ut suprà mutabilibus, & nullus dictorum duodecim ullo unquàm tempore possit habere nisi unam ex dictis duodecim portionibus, ipsorúmque duodecim ad dictas duodecim portiones admittendorum electio, & deputatio fiat ad vitam cum solis literis patentibus, seu diplomatibus, vel ut vocant cedulis prædicti Philippi Regis, ejúsque successorum Hispaniarum Regum, seu Oratorum prædictorum.

...ecem semper distri... ...uantur Canonicis.

...uæ Capellanis Capellæ ad Præsepe, & S. M.

§. 2. Nec portiones prædictæ censeantur aliquo modo annexæ Canonicatibus, & Præbendis, aut Præposituræ, vel Prioratui, seu Capellaniis Basilicæ, & Capellarum hujusmodi, si contingat aliquando per deputatos, & electos ad portiones hujusmodi eorum Canonicatus, & Præbendas, aut Præposituram, & Prioratuum, vel Capellanias resignari, dimitti, vel permutari, aut aliàs ex eorum personis, illorum, & illarum vacationes quomodolibet induci; sed defunctis illis, qui pro tempore ad dictas portiones per quamcumque dimissionem, vel amissionem eorumdem Canonicatuum, & Præbendarum, ac Præposituræ, seu Prioratus, vel Capellaniarum respectivè, aut aliàs quomodolibet vacantibus, vel amittentibus, & prædictis Canonicatibus, & Præbendis, ac Præpositura, & Prioratu, vel Capellaniis quomodolibet vacantibus electio, & deputatio ad dictas Portiones, seu Pensiones aliorum Canonicorum, ac Præpositi, & Prioris, vel Capellanorum in locum defunctorum, vel dimittentium, aut amittentium spectet liberè ad dictum Regem, seu Oratorem cum solis Patentibus, seu Diplomatibus, vel Cedulis cujuslibet eorum, ut suprà. Possint tamen eligi, & deputari ad Portiones ducentorum, & quinquaginta scutorum omnes illi, tàm Canonici, quàm Præpositus, & Prior, seu Capellani prædicti, qui reperiuntur electi ad minores portiones centum, & quinquaginta si sic dicto Regi, aut Oratori videbitur, sed in tali casu eorum prior portio centum quinquaginta uti per adeptionem portionis pinguioris vacans remaneat liberæ dispositioni Regis, seu Oratoris, ut præfertur ad favorem alterius, ut suprà qualificati, hoc insuper addito, quòd fructus dictarum Portionum, seu Pensionum decurrendi à die vacationis illarum, usque ad diem, quo fiet nova electio, & nominatio personarum ad illas, transeat ad successores sic noviter electos, & nominatos, & prætextu dictarum duodecim portionum, seu pensionum Canonicatus, & Præbenda, ac Præpositura, & Prioratus, vel Capellaniæ illorum, qui ad dictas portiones pro tempore electi, & nominati erunt pensionibus Ecclesiasticis, aut aliis oneribus etiam Cameralibus ex quavis causa, etiam quantumvis pia, etiam motu simili, aut etiam consistorialiter gravari nequeant, etsi graventur de consensu illos, vel illas obtinentium statim ille, qui tali gravamini consenserint sua portione eo ipso, absque ulla alia declaratione privatus remaneat alteri personæ per Regem, seu Oratorem hujusmodi ex hoc solùm capite modo, quo suprà disponenda.

...ominatio ...atur Regi, ...eu illius Oratori.

Nominatus Unam tantum portionem obtinere possit: & de minori ad majorem dari potest ascensus.

Fructus portionis vacantis spectent ad successorem nominandum.

Pensionibus non gravantur portiones hujusmodi.

§. 3. Alia verò mille, & quinquaginta scuta annua monetæ dicti Regni erogentur in usum Distributionum quotidianarum repartiendarum inter omnes Canonicos dictæ Basilicæ, ac duos alios, qui ex Præposito, & Priore, aut Capellanis prædictis pro tempore erunt electi ad duas portiones prædictas, si in dicti Chori stallo horis Canonicis interessentes de aliis distributionibus quotidianis ad Capitulum spectantibus cum eodem Capitulo participaverint, omnis quippè summa prædictorum mille, & quinquaginta scutorum horis totius anni, quibus divina officia, & res sacræ in dicta Basilica capitulariter recitantur, & celebrantur assignanda est, ità ut cuique prædictarum horarum, sive Missarum aliqua portio, seu distributio respondeat, cujus quantitas à Capitulo dictæ Basilicæ declaranda, & determinanda est juxtà communem morem, & consuetudinem Ecclesiarum Cathedralium, & dictæ Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, & ab iis distributionibus præter supradictos cæteri Beneficiati, & alii servientes Choro dictæ Basilicæ prorsus excludantur. Præthereà illi, qui ex Canonicis, & aliis duobus supradictis de mille, & quinquaginta scutis prædictis participare voluerint ultrà servitium, & personalem residentiam, & assistentiam Chori in prædictis Officiis Divinis, & Horis Canonicis, teneantur etiam personaliter interesse solemni celebrationi trium Missarum Canonicalium in dicta Basilica singulis annis solemnissimo ritu in diebus infrà dicendis decantandarum.

Scuta 1050. distributionibus Canonicorum applicantur.

§. 4. Hæ autem distributiones quotidianæ à principio anni proximè sequentis initium habeant, ità ut semper unius anni anticipata dictorum mille, & quinquaginta scutorum exactio sequentis anni distributioni deserviat, ipsorúmque mille, & quinquaginta scutorum solutio fiat in tribus anni diebus, in quibus etiam, ut infrà dicetur, dictæ tres Missæ decantandæ sunt. Primus terminus dictæ solutionis sit in die Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis anni millesimi sexcentesimi quadragesimi noni; Secundus in Octava omnium fidelium Defunctorum; Tertius, & ultimus illius anni in die Sancti Ildefonsi, hoc est vigesima tertia Januarii millesimi sexcentesimi quinquagesimi, & sic successivè sequentibus annis, & qui non interfuerit dictis Missis pro unaquaque Missa, cui personaliter non interfuerit, unam tertiam partem dictarum distributionum, & qui defuerit in interessentia duarum sive omnium Missarum reliquas illius anni distributiones, quæ sibi obvenissent ex dictis mille, & quinquaginta scutis respectivè amittat, licèt in Chori servitio, & officiorum illius anni assistentia non defecisset. Hæque distributiones ita sint affectæ servientibus dumtaxat, & interessentibus officiis Divinis supradictis, & prædictis tribus Missis, ut quilibet tantùm propter assistentiam dictarum trium Missarum, ut præfertur, & pro residentia uniuscujusque horæ ex prædictis, distributionem illi horæ assignatam lucretur juxtà assignamentum, seu appuntamentum, ut ajunt, & computum, à prædictæ Basilicæ, & dd. Ecclesiasticorum Computistis, & Chori appuntatoribus, sivè assignatoribus faciendam; Nulliúsque absens etiam ex causa quantumvis legitima, & privilegiata etiam pro dictæ Basilicæ servitio, aut qualibet alia majori; etiam cum speciali Brevi Sedis Apostolicæ, vel quæ specialem, & expressam mentionem requirat; quas omnes præsentibus pro expressis habemus, de illis, ullo modo participare, possit, excepta tamen causa legitimæ infirmitatis, si tamen

Solutio di...tributio...nam tribus ...ebus fieri debet.

 de ea

de ea constiterit per infirmi juramentum, & portiones absentium à dictis Divinis Officiis, sive dictis tribus Missis non interessentium convertantur in usum Sacristiæ Capituli.

Scuta 200. applicantur distributionibus beneficiatorum Capellanorum, Clericorum, & aliorum Ministrorum Chori, & Capellan. Regius de eisdem participat.

§. 5. Alia autem ducentia scuta similia distribuantur inter Beneficiatos Capellanos, & quoscumque Clericos Beneficiatos nuncupatos tantùm, etsi qui sint, alios Clericos Capellanos, seu Ministros servitio Chori dictæ Basilicæ addictos, ipsique Basilicæ, & illius Choro actu inservientes, ac infrascriptum Capellanum Regium pro tempore existentem, qui dictis tribus Missis personaliter interfuerint, ac etiam inter Capellanos ejusdem Capellæ Pauli V. qui ad prædictarum Missarum interessentiam à Capitulo in dicta Capella admitti solent, non tamen inter Canonicos, & Præpositum, ac Priorem, aut duos Capellanos prædictos, qui ad dictas Portiones, ut suprà nominati, vel dicta distributione mille, & quinquaginta scutorum frui possunt, qui omnes, & eorum singuli ab hac participatione semper exclusi intelligantur, & harum distributionum ducentorum scutorum tres æquales portiones fiant, quarum quælibet in unaquaque dictarum trium festivitatum infrà dicendarum tantùm inter supradictos, qui personaliter dictis tribus Missis interfuerint distribuendarum, servando formam, normam, & quantitatem respectivè, quibus repartiuntur illis aliæ distributiones quotidianæ, quas ipsi nunc in dicta Basilica percipiunt juxtà providam declarationem à Capitulo dictæ Basilicæ faciendam. Eo tamen superaddito, quòd prædictis Capellanis dictæ Capellæ Pauli V. non minor distributio assignetur, quàm Capellanis Choro dictæ Basilicæ inservientibus assignanda est, & quoad dictas distributiones ducentorum scutorum initium, & acquisitionem, solutionem, & amissionem, justificationémque, & pœnas eorum, qui prædictis tribus Missis, vel earum cuilibet non interfuerit observetur idem, quod circà aliam distributionem mille, & quinquaginta scutorum ordinatum, & statutum fuit. Alia item centum, & quinquaginta scuta paria annuatim in subsidium expensarum Ceræ, Musicæ, & Cantorum arbitrio Capituli distribuenda ratione dd. trium Missarum solemnium applicentur.

Scuta 210. applicantur Capell. Regio.

§. 6. Reliqua tandem ducenta scuta similia, quæ desunt ad perficiendam dictam summam quatuor millium scutorum annuatim impendantur uni, qui actu sit Presbyter, & qui hac prima vice excepta, semper sit ex gremio Canonicorum, seu Beneficiatorum, vel Capellanorum, aut Clericorum dictæ Basilicæ, cum quibus ex nunc, prout ex tunc, ut hanc Regiam Capellaniam obtinere, & ejus onus simul cum quocumque alio dictorum Canonicatuum, & Præbendarum, Beneficiorum, aut Capellaniarum dictæ Basilicæ subire possint, & valeant, dispensamus.

Capellanus Regius à Rege est nominandus, & de gremio Canonicorum & aliorumd. Basilicæ esse debere.

Capellanus est amovibilis.

§. 7. Qui Capellanus ab eodem Rege, vel ejus Oratore, cum ejus, vel eorum cujuslibet Patentibus, seu Diplomatibus, vel Cedulis, ut suprà dumtaxat eligendus, & nominandus, ac ad sui libitum etiam absque ulla prorsus causa hac prima nominatione dumtaxat excepta removendus, semperque ad nutum dicti Regis, seu ejus Oratoris amovibilis sit, & Regius Capellanus nuncupetur, & ei tanquàm tali debitus honor ab omnibus dictæ Basilicæ Ministris impendatur, & in diebus, in quibus dictæ tres Missæ solemnes celebrabuntur ipse Cappa, & Rochetto, vel superpelliceo indutus ad instar Beneficiorum dictæ Basilicæ decens stallum in Choro sibi per Capitulum assignandum habeat, & singulis diebus in prædicto Altari, in quo dicta Sacra Imago B. Virginis reposita est, & pro tempore fuerit pro salute prædicti Regis, ac suorum filiorum, ac sui Regni spirituali, & temporali prosperitate, & augmento unam Missam submissa voce recitandam per se ipsum, aut cùm legitimè fuerit impeditus, quòd tamen impedimentum per prædicti Regis pro tempore existentis Oratorem approbari debeat, eóque per modicum tempus, & non ultrà durante, seu interveniente causa legitimæ infirmitatis, quæ ut suprà per fidem juratam ab ipsomet infirmo constet, sive in diebus, in quibus dictus Capellanus ad alterius Missæ celebrationem ratione suorum Canonicatus, & Præbendæ, vel Beneficii, ac Capellaniæ astrictus reperitur per alium Presbyterum ex gremio dictæ Basilicæ, vel ex his, qui Choro dictæ Basilicæ inserviunt necessariò à dicto Capellano eligendum, qui non minùs quàm duorum juliorum, ut ajunt eleemosynam pro unaquaque Missa solvat, Missam, aut Missas, quas ipse ex dictis causis recitare non poterit, recitare teneatur, & debeat.

Canonicus majori Part. Capitul. eligendus.

§. 8. Et ulteriùs etiam dicto Regio Capellano unà cum Canonico à majori parte Capituli & ejus arbitrio eligendo, & deputando onus exigendi dicta quatuor millia scuta, non tamen propriis, sed dictæ fundationis, seu operis pii expensis, & risico, & accepta sua portione, ac etiam rata distributionum quotidianarum juxtà computum per computatores Chori dictæ Basilicæ pro tempore faciendum distribuendarum in se subire, & singulis annis Capitulo, & pro tempore existenti ejusdem Regis Oratori de per eum exactis, solutis, & administratis rationem reddere, & de toto eo, quod infra annum circà id juxtà casuum exigentiam occurret dictum certiorare debeant, & teneantur, ad quem effectum deponantur pecuniæ in Sacro Monte Pietatis, seu una Arca tribus clavibus obserata, quarum una per Canonicum antiquiorem Capituli, & alia penès dictum Capellanum Regium, & reliqua penès alium, quem ipsum Capitulum eliget, in qua pecuniæ prædictæ custodiantur, conficienda, & intùs eam tota summa pro tempore exacta reservanda erit.

Bernardinus Barberius presbyter Vintimillien. deputatur Capellanus Regius ad vitam.

§. 9. In hujusmodi autem Capellanum Regium hac prima vice ad sui vitam electus, & deputatus fuit à prædicti Philippi Regis oratore cum oneribus, & honoribus supradictis, dilectus etiam filius Bernardinus Barberius presbyter Vintimillien. Diœc. licet non sit de gremio dicti Capituli, seu Ministrorum dictæ Basilicæ, & hoc propter servitia per eum hactenùs Regiæ Coronæ præstita, & ob labores, quos sustinuit in disponenda, & perficienda hac præsenti fundatione. Ità tamen, ut ipse possit per se, vel alium Missas celebrare.

Summa redituum ex spoliis ann. 1644. assignata poni debet ad multiplicum donec ad summam non tamen minorem annuus redditus scut. mille arbitrio Regis pervenerit.

§. 10. Summa denique redditυum, quia dicto Philippo Rege ab initio dicti anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti usque ad datam præsentium ad hunc effectum ex spoliis, & ex vacantibus dicti Regni Siciliæ, ut præmittitur, destinata fuit, ponetur in multiplicum, donec ex ea annuus redditus haberi possit, qui ad aliquam summam à dicto Philippo Rege, seu ejus Oratore destinandam, ac illis, seu cuilibet illorum benevisam, non tamen mille scutis monetæ minorem ascendat, qui quidem redditus tunc erit implicandus in augmentum distributionum quotidianarum Ministrorum Chori dictæ Basilicæ, pro præstando uniformi servitio d. Basilicæ, quòd à Canonicis præstatur, & non aliter, seu alios quoscumque pios usus ad utilitatem dictæ Basilicæ arbitrio prædicti Philippi Regis, seu ejus Oratoris.

Hujusmodi m... iplicum app... atur distributionibus quotidianis Ministrorum Cleri, seu i... alios pios usus Basilic... arbitrio R... gis

§. 11. Pro qua tamen fundatione, & memoria perpetua prædicto Capitulo Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, ac omnibus Ecclesiasticis supradictis illud onus à prædicto Philippo Rege respectivè, & perpetuò injungitur, ut scilicet singulis annis incipiendo ab hoc præsenti anno tres Missas Canonicales

in Al-

Reſignantur dies quibus miſſæ ſolemnes per Capitulum decantari debent ſcilicet Nativitatis B.M.V. octavæ omnium Defunctorum, & feſtivitatis I. Ildefonſi 23. Januarii.

in Altari prædictæ Imaginis Beatæ Virginis, quòd nunc eſt altare majus dictæ cappellæ Pauli V. in hoc igitur, vel in eo, in quo pro tempore prædicta Imago Beatæ Virginis repoſita invenietur unam Miſſam videlicet in die nativitatis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, quæ etiam nunc à multo tempore pro dicto Rege celebratur, alteram in octava omnium Fidelium Defunctorum, reliquam die vigeſima tertia menſis Januarii in feſto videlicet Sancti Ildefonſi, quæ ab anno proximè ſequenti incipietur pro dicti Philippi Regis, ejúſque ſucceſſorum Hiſpaniarum Regum, ac ipſorum conjugum, & filiorum ſalute, ac ſucceſſione, ac pro eorumdem, ac ipſorum prædeceſſorum animabus, ac demùm pro prædicti Philippi Regis Regnorum temporali, ac ſpirituali proſperitate, & augmento ſolemniſſimo ritu decantare, & celebrare non minori cultu, & pompa, ſumptu, & celebritate, ac numero Muſicorum, & quantitate, Ceræ, aliiſque ſolemnibus, ſed iiſdem, aut majoribus his, quibus nunc dictam Miſſam in die Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis pro eodem Philippo Rege dictum Capitulum celebrat, & decantat, quarum ſolemnitatum, & Miſſarum expenſæ etiamſi ultrà aſſignationem ad hunc effectum ſuperiùs dictum major ſumma expendenda vel ſi dicta aſſignatio non fuerit exacta ab eodem Capitulo anticipatè ſolvendæ, faciendæ, aut ſupplendæ ſunt uti abſque ulla aſſignatione ſumptus dictæ feſtivitatis, & miſſæ Nativitatis ejuſdem Beatæ Virginis jam à multo tempore uſque nunc à Capitulo fiunt. Inſuper Capitulum, & Canonici prædicti æſtivo tempore ſervitium Chori eadem forma, & eodem numero Canonicorum quo hyemali tempore fieri ſolet, facere teneantur, & ad id adſtricti ſint, alioquin diſtributiones tunc abſentium in uſum prædictæ Sacriſtiæ convertantur; ac Præpoſitus, Prior, ſeu Capellani prædicti ad celebrationem trium Miſſarum per ſe, vel alium, ſeu alios dictis tribus videlicet Beatæ Mariæ Virginis, & Octava Defunctorum, ac Sancti Ildefonſi diebus etiam teneantur.

Capellanus Regius habet uſum paramentorum.

§. 12. Ac Capitulum, & prædictus Prior, ac Capellani dictæ Capellæ Pauli V. tenebuntur, & adſtricti erunt, ut ſuprà dictum eſt in eorum Sacrariis, ſeu Sacriſtiis, ac in earum qualibet, prout ipſi Regio Capellano videbitur, omnia paramenta, ac alia quæcumque neceſſaria ad prædictam Miſſam ſubmiſſa voce quotidiè celebrandam in dicto Altari Beatæ Mariæ Virginis, & ſi dictum Altare impeditum fuerit in alio Altari ſibi beneviſo abſque ullo impedimento cum omni decentia ſufficienti dicto Regio Capellano miniſtrari facere. Et ſi id, vel aliquam ejus partem Capitulum, & omnes alii prædicti ſeu recuſaverint, hancque fundationem, & ſingula per dictum Philippum Regem ut ſuprà diſpoſita non acceptaverint, ſeu illis acceptatis dictas tres miſſas in prædicto Altari Beatæ Virginis ſolemniter non decantaverint, hæcque, & alia omnia, ut ſuprà ſtabilita non adimpleverint, in quolibet ex caſibus prædictis Hiſpaniarum Regi pro tempore exiſtenti liberum ſit totam hanc fundationem, ſeu ejus partem ad ſui libitum à Canonicis, Præpoſito, & Priore, ſeu Capellanis, & aliis prædictis auferre, illámque in alias pias fundationis, applicationes, dotationes, electiones in dicta Baſilica, ſeu Capella Pauli V. ſeu alios pios uſus dictæ Baſilicæ, ſeu cultum dictæ Mariæ Virginis, arbitrio dicti Regis abſque alia licentia ſub eiſdem, aut aliis oneribus dicto Regi etiam beneviſis tranſmutare, & transferre.

Summus Pont. particulari devotione Baſilicam S. Mariæ Majoris proſequitur.

§. 13. Nos igitur Regiam prædicti Philippi Regis liberalitatem, ſuámque piiſſimam intentionem, ut ſuprà diſpoſitam plurimùm in Domino commendantes, & ob ſingularem, quàm erga dictam Beatam Virginem, & prædictam Baſilicam, quæ una ex Patriarchalibus Urbis Eccleſiis exiſtit, illarúmque omnibus, ac aliis plurimis privilegiis, præeminentiis, indultis, favoribus, & gratiis fruitur, potitur, & gaudet, gerimus devotionis affectum, & ut illæ ad debitum finem perducantur, exindéque dictæ Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, ejúſque Miniſtris tam magnus decor tamque evidens utilitas accreſcat, quantum in nobis eſt cooperari, ſimúlque propenſionem animi noſtri ergà dictum Philippum Regem hoc novo teſtimonio patefacere volentes, ac Capitulum, Canonicos, Præpoſitum, Priorem Bernardinum, Beneficiatos Capellanos, & Miniſtros hujuſmodi, eorúmque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon quantumcumque aliarum ſimilium, vel diſſimilium applicationum dicto Capitulo hactenùs factarum, tenores, ac Dat. &c. præſentibus pro expreſſis habentes.

Motu proprio reſervat penſiones.

§. 14. Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſupradictam mille octingentorum jam, ut præfertur, reſervari conceſſam, ſuper qua, ut etiam accepimus, literæ Apoſtolicæ nondùm expeditæ ſunt ſuper d. menſæ Epiſcopalis Mazzarienſ. etiam alteram, penſiones annuas & perpetuas eáſque ab omni decima, quarta, media, quavis alia fructuum parte, ſubſidio etiam charitativo, & excuſato, ac quocumque alio tàm ordinario, quàm extraordinario onere quomodolibet nuncupato quavis authoritate, & ex quavis cauſa urgenti, & urgentiſſima etiam neceſſariò exprimenda, & pro reparatione, ac fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cruciata Sancta, & expeditione contrà Turcas, & alios Fidei Catholicæ hoſtes, ac pro Seminario Puerorum Eccleſiaſtico, ſuſtentatione, & manutentione Claſſis Triremium, nunc quomodolibet impoſitis, & pro tempore ex cauſa etiam quantumvis privilegiata, & de neceſſitate exprimenda imponendis, etiamſi in impoſitionibus hujuſmodi caveatur expreſsè quòd penſionarii quicumque etiam penſiones ſuas ab oneribus hujuſmodi, aut aliàs quantumvis exemptas habentes pro rata earumdem penſionum ſuarum, aut aliàs contribuere teneantur, quàm ratam Mazzarienſ. & Cathanienſ. Eccleſiarum pro tempore exiſtentes Præſules, ſeu Adminiſtratores de earum fructibus, ſeu eorum proprio ſolvere debeant, abſque ſpe aliquid unquàm poſteà repetendi, ſeu defalcandi, onúſque ratæ hujuſmodi in ſe, & ſucceſſores ſuſcipere debeant, & quicquid propterea ſolverint remiſſum, & donatum eſſe debeat, necnon belli, peſtis, famis, ſterilitatis, incendii, grandinis, pruinæ, tempeſtatis, & cujuſvis alterius ſiniſtri, & inexcogitabilis, ac, inſoliti caſus fortuiti eventus, ac aliàs in omnibus, & per omnia liberas, immunes, & exemptas biſmille ducentorum ſcutorum ſimilium, ſuper dictæ menſæ Epiſcopalis Cathanienſ. fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventibus, & emolumentis univerſis tàm certis, quàm incertis, etiamſi ſuper utriuſque menſarum hujuſmodi, ſeu alterius earum fructibus, redditibus, & proventibus prædictis aliæ penſiones annuæ, etiam forſan perpetuæ, aut ad vitam, vel aliàs, quarum quantitates præſentibus haberi volumus pro expreſſis, aliis perſonis, reſervatæ, ſeu reſervari conceſſæ ſint ad ſupradictum effectum dicto Regio Capellano, vel ipſius legitimo Procuratori, & non alteri perſonæ, niſi de ipſius Regii Capellani conſenſu per dictum Didacum Epiſcopum ejúſque ſucceſſores, àc per pro tempore exiſtentes Mazzarienſ. & Cathanienſ.

Exemptas, à quorumque onere impoſito, & imponendo.

Etiamſi Eccleſiæ aliis penſionibus gravatæ exiſtant.

Termini ſolutionis ſunt dies Annun-

Eccle-

ciationis, & Nativitatis B. M.

Ecclesiarum respective Præsules, seu Administratores in perpetuum annis singulis in duabus æqualibus solutionibus pro una videlicet in Annuntiationis à proximè futura incipiendo, & altera medietatibus pensionem per præsentes reservandarum hujusmodi in Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis festivitatibus in Tabula, seu alio Banco Civitatis Panormitani arbitrio Capellani, & Canonici prædictorum sumptibus, & expensis, ac risico dd. Mazzariensis & Cathaniensis Præsulum præsentium, & pro tempore existentium ad creditum Capituli sub dispositione dd. Capellani, & Canonici eligendi. Ità tamen ut solutio hujusmodi in aliis reservationibus in exemplum adduci non possit etiam præsentibus Didaco Episcopo, ac Mazzariens. & Cathaniens. Ecclesiarum hujusmodi pro tempore existentibus Præsulis, seu Administratoribus prædictis nequaquàm intimatis, neque præsentatis integrè persolvendas Apostolica authoritate earumdem tenore præsentium reservamus, constituimus, & assignamus singulis annis in usus suprà narratos, ac alios modo, & forma supradictis juxtà formam, & intentionem prædictis Philippi Regis ut suprà expressam, & declaratam, & quandocumque etiam post mille annos, & ultrà in casu alicujus dubii, seu controversiæ per ipsum Philippum Regem, & per pro tempore existentem Hispaniarum Regem, seu ejus Oratorem apertiùs exprimendam, ac etiam declarandam, & non aliàs aliter, nec alio modo ut suprà in perpetuum expendi, distribui, & erogari volumus, & mandamus.

Est in arbitrio Canonici, & Capellani quod sint depositum in Tabula Panormitana seu alio loco.

Clausula præservativa.

§. 15. Decernentes per solas præsentes literas priorem pensionem mille octingentorum scutorum hujusmodi etiamsi aliæ literæ ampliùs non expediantur probari, & plenariè justificari, & per eas ad utriusque pensionis hujusmodi exactionem suis debitis temporibus contrà quoscumque procedi posse, & debere, nec easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quovis alio defectu notari ex quavis causa etiam quantumvis legitima, & juridica etiam sub prætextu, quòd dicta Ecclesia Cathaniensis ad præsens vacet, & Pastore, & legitimo defensore careat, seu etiam ex defectu totali, aut non sufficientis consensus huic reservationi d. Didaci Episcopi, ac Præsulum, seu Administratorum Mazzariens. & Cathaniens. Ecclesiarum hujusmodi, ac etiamsi dictæ pensiones unà cum antiquis tertiam partem fructuum dd. mensarum respectivè excedant, & dictæ præsentes pensiones in aliis reservationibus pensionum quomodolibet in futurum reservandarum, & in eis clausula forsan apponenda. Dummodò tertiam partem fructuum non excedat, præsentes pensiones minimè comprehendantur, neque de eis aliqua mentio fieri debeat, aut aliàs notari, impugnari, retractari, annullari, in jus, vel controversiam vocari, ad viam, & terminos juris adduci, aut adversus illas quodcumque jus, vel gratiæ, & facti remedium impetrari, aut etiam Motu simili concedi nullatenùs posse, sed eas semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, neque eas uti fundatione Regiam continentes, & ad cultus Divini, & distributionum quotidianarum augmentum, tendentes, & consequenter admodùm privilegiatas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, & limitationibus, etiam derogatoriarum derogatorias clausulas, & decreta irritantia, quarum tenores, etiam præsentibus haberi volumus pro expressis in se continentibus etiam motu pari, ac etiam consistorialiter emanatis, & emanandis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties eas revocari, aut limitari, vel suspendi, seu eis derogari contigerit toties in pristinum; & validissimum statum etiam sub data posteriori per Regem, seu ejus Oratorem pro tempore, & quandocumque eligenda restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo concessas esse, & fore, ac suffragari debere in omnibus, & per omnia, & quoad omnia suprà dicta etiam perindè ac si pensiones prædictæ in Consistorio nostro secreto, & ex justa & rationabili causa reservatæ fuissent.

Etiamsi pensiones tertiam partem fructuum excedant:

Clausula sublata.

§. 16. Sicque, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quàvis aliter judicandi, diffiniendi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decernentes insuper Didacum Episcopum, & pro tempore existentem Mazzarien. & Cathan. Ecclesiarum Præsules, seu Administratores ad integram solutionem pensionum per præsentes reservatarum juxtà reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos.

Pœna interdicti contra non solventes:

§. 17. Ac volentes, & eadem auctoritate statuentes, quòd illis ex Didaco Episcopo, & pro tempore existentibus Mazzarien. & Cathanien. Ecclesiarum Præsulibus, seu Administratoribus, qui in dictis festivitatibus, vel saltem intrà triginta dies illarum singulas immediatè sequentes pensiones per præsentes reservatas per eos tunc debitas non persolverint, cum effectu lapsis diebus eisdem ingressus Ecclesiæ interdicti existant, cujus interdicti relationem, ii donec Capellano Regio, vel ejus Procuratori prædicto de pensionibus per præsentes reservatis tunc debitis integrè satisfactum, aut aliàs secum, vel cum dicto Procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquàm in mortis articulo constituti nequeant obtinere. Si verò per sex menses dictos triginta dies immediatè sequentes sub hujusmodi interdicto animo, quod absit, permanserint indurato, ex tunc effluxis mensibus, eisdem à Regimine, & Administratione ipsarum Ecclesiarum Mazzarien. & Cathanien. perpetuò suspensi existant.

Executores deputat.

§. 18. Quocircà dilectis filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Venerabilium Fratrum nostrorum Panormitan. & Montis Regalis Archiepiscoporum Vicariis in spiritualibus generalibus, Motu similiter per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant authoritate nostra pensiones per præsentes reservatas prædictas Bernardino, & pro tempore existenti Capellano Regio, seu ejus Procuratori prædicto juxtà reservationis, constitutionis, assignationis, & decreti prædictarum continentiam, & tenorem perpetuò integrè persolvi, & nihilominùs quemlibet ex Didaco Episcopo, ac pro tempore existentibus Mazzarien. & Cathanien. Ecclesiarum Præsulibus, seu Administratoribus, quem interdicti, & suspensionis hujusmodi sententias incurrisse eis constiterit, quoties pro parte Bernardini, & pro tempore existentis Capellani Regii hujusmodi fuerint requisiti tamdiù Dominicis, & aliis festivis diebus in Ecclesiis, dùm major inibi Populi multitudo ad Divina convenerit interdictum, & suspensum publicè nuncient, & faciant ab aliis nunciati, donec de pensionibus per præsentes reservatis hujusmodi tunc debitis fuerit integrè satisfactum, ipséque interdictus, & suspensus, interdicti, & suspensionis hujusmodi relaxationem meruerit obtinere.

Contravenientibus pœnis imponit.

§. 19. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus quatenùs opus sit una, per quam dudum inter alia voluimus, & ordinavimus, quòd literæ

reser-

reſervationis, vel aſſignationis, etiam motu pari cujuſvis penſionis annuæ, ſuper alicujus beneficii Eccleſiaſtici fructibus expediri non poſſint, niſi de conſenſu illius, qui dictam penſionem perſolvere, tunc haberet, & alia, per quam decrevimus, & declaravimus noſtræ intentionis fore, quòd deinceps per quamcumque ſignaturam, ſeu conceſſionem, aut gratiam, vel literas Apoſtolicas pro commiſſionibus, ſeu mandatis, aut declarationibus in quibuſvis cauſis etiamſi motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac etiam ante motam litem à nobis emanaverint, vel de mandato noſtro faciendas nullius ſibi quæſitum quomodolibet tollatur, necnon aliis noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis de exprimendo vero valore, ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati penſiones annuas ſuper fructibus menſarum Epiſcopalium, niſi exceſſionis, aut alia probabili cauſa reſervari prohibentis aliiſque Apoſtolicis etiam in Provincialibus, Synodalibus, & univerſalibus Conciliis editis, & edendis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus etiam contrà penſiones perpetuas, & beneficia unius Diœceſis beneficiis, ſeu locis piis alterius Diœc. uniri, & aſſignari nequaquàm poſſe diſponentibus, ac Mazzarienſ. & Cathanienſ. Eccleſiarum, ac etiam Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, & Capellæ Pauli V. prædictæ, hujuſmodi fundatione ſeu inſtitutione, ſi in aliquo obſtet, ac etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis earum Præſulis, Capitulis, & perſonis conceſſis.

[ntrariis rogat.] §. 20. Quibus omnibus etiamſi de illis, eorùmque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio habenda, ſeu quælibet alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo inſerti forent præſentibus etiam pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Didaco Epiſcopo, ac pro temoore exiſtentibus Mazzarienſ. & Cathanienſ. Eccleſiarum Præſulibus, ſeu Adminiſtratoribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd ad præſtationem, vel ſolutionem penſionis alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtoic. non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Et qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, ejùſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis.

[anſumpto- m fides.] §. 21. Volumus autem, & eadem Apoſtolica authoritate decernimus, quòd præſentium literarum tranſumptis manu alicui Notarii publici, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ac etiam impreſſis eadem prorſus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Quódque propter reſervationem, conſtitutionem, & aſſignationem penſionum per præſentes reſervatarum, conſtitutarum, & aſſignatarum hujuſmodi, necnon alia præmiſſa, Capitulum, Canonici, Præpoſitus, Prior, ſeu Capellani, necnon alii Miniſtri dictæ Patriarchalis Baſilicæ prædicti de cætero perpetuis futuris temporibus ad ſolutionem alicujus quindennii minimè teneantur, & ad id per Clericos Cameræ, & alios Miniſtros, & officiales de Annata, & quindennis hujuſmodi participantes vigore, cujuſvis privilegii, ſeu facultatum, & indultorum Apoſtolorum etiam titulo oneroſo, ac aliàs quomodolibet conceſſorum quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo inſerti forent etiam præſentibus pro expreſſis haberi volumus, vel compelli minimè poſſint, neque debeant.

[xempti à lutione uindennii.]

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, reſervationis, conſtitutionis, aſſignationis, ſtatuti, decreti, voluntatis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtololum ejus ſe noverit incurſum. [Sanctio pœnalis.]

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1647. nonis Octobris Pontificatus Noſtri Anno quarto. [Dat. P. An. 4 Non. Octob.]

Gratis de mandato Sanctiſſ.
P. Tarſia.
G. Montmannus.
F. Monuccius pro R.
N. Oregius.
S. Ugolinus.
O. Tomacellus.
I. C. Jacobillius pro mag.
Alphonſus Vidaſun.
V. Bolognettus pro ann. gratis de mandato Sanctiſſ.
P. Favillotus gratis de mandato Sanctiſſ. P. Favillottus Cap.
Curtius Teſta.
Ludovicus Gioiell. Cap.
Jo. Baptiſta Rentius gratis de mandato Sanctiſſ.
Jo. de Azevede gratis pro ann. de mandato Sanctiſſ.
Jo. Beſpinus gratis de mand. Sanctiſſ.
Flaminius Marcellinus.
P. C. Pheus Cap.
Jo. de Sernicolis.
P. Cioffus.
I. A. Ametus Capp. pro annatis gratis de mand. Sanctiſſ.
Gratis de man. Sanctiſſ. H. Odan.
F. Tamantinus.
C. Manuccius.

Loco ✝ plumbi appenſi.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Canonici, quibus de mandato Regiæ Catholicæ Majeſtatis Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus D. Comes de Onate apud Sanctam Sedem Orator Cedulas Regias diſtribuit.

Julius Roſpiglioſius Piſtorien. Archiepiſcopus Tarſen. Hiſpaniarum Nuncius Apoſtolicus pro cedula ſcut. 250.

Laurentius Sonantius Reatinus pro Cedula ſcutorum 250.

Joannes Baptiſta Fidelius Ripanus pro Cedula ſcutorum 250.

Honuphrius Hyppolitus Piſtorien. Sanctiſſ. D. N. intimus familiaris pro cedula ſcut. 280.

Franciſcus Canonici Maſcambrunus de Apiro Picenus utriuſque Signaturæ Referendarius, & Signaturæ Sanctiſſ. Auditor, & Subdatarius pro Cedula ſcut. 250.

Joannes Baptiſta Alferius de Monte Bodio Picenus Sanctiſſ. D. N. familiaris pro Cedula ſcutorum 150.

Octavius Buccapadulius Romanus pro Cedula ſcutorum 150.

Julius Cæſar Marſella Soranus Sanctiſſ. D. N. intimus familiaris, & Phyſicus pro Cedula ſcutorum 150.

Lucius Micinellus Sanctiſſ. D. N. familiaris pro Cedula ſcut. 150.

N. pro cedula ſcutorum 250.

Breve

XXXI. Breve Confirmationis Privilegiorum Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Militum, & Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani privilegia, & indulta confirmavit Sanctiss. D. N. Urbanus Papa VIII. Constitut. 13. Universalis. Item plurima videre potes circà idem Hospitale in Repertorio materiarum, verb. Milites Sancti Joannis Hierosolymitani.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1648.

Exordium.

UNiversalis Ecclesiæ regimini per in effabilem divinæ sapientiæ providentiam, meritis licèt in sufficientibus propositi inter multiplices pastoralis officii curas, illam peculiari sollicitudine libenter amplectimur, qua privilegia gratiæ, & indulta militiis, & hospitalibus quibuslibet ad majorem Dei gloriam, suæque Ecclesiæ sanctæ exaltationem, illius verò hostium profligationem piè, providéque institutis institutis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa, quo majoris validitatis munimine subsistant, Apostolicæ confirmationis patrocinio muniuntur, prout rerum temporúmque qualitatibus debitè pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Privilegia concessa Hospitali S. Jo. Hierosolymit. à Summ. Pontificibus.

§. 1. Cum itáque sicut accepimus aliàs fœl. record. Leo X. Clemens VII. Paulus III. Pius IV. & Pius V. Roman. Pontifices prædecessores nostri inter alia privilegia, & indulta dilectis filiis Magistro, ac Conventui Hospitalis S. Jo. Hierosolymitani à Sede Apost. concessa, eumdem, & pro tempore existentem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, Familiares, aliásque personas Hospitalis hujusmodi, necnon eorum Subditos, Vassallos, Colonos, Servitores, & alios in eorum obsequiis, & d. Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existen. etiam Presbyteros curam animarum exercentes, quamdiù illam exercent, & in illorum obsequiis forent, illorúmque animalia, prædia, domos, molendina, & bona quæcumque quæ obtinebant, ac in posterùm obtinerent, & possiderent, à solutione, & exactione decimarum censuum, Jurium Synod. & canonicarum portionum, seu charititavi subsidii, aut jucundi adventus, seu quartæ, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum sub certis modo, & forma exemerint, & liberaverint, prout in diversis ipsorum prædecessorum desuper confectis literis pleniùs continetur.

Contrà quorum districte personæ hujusmodi hospitalis molestabantur ab Ordinariis.

§. 8. Et licèt ipsi Milites, & aliæ personæ prædictæ non debuissent à quoquam contradictorum privilegiorum tenorem, & formam molestari, perturbari, vel inquietari, cùm ipsi non modo eorum facultatibus, & fortunis, verùm etiam sanguini, & vitæ pro tuitione Fidei Catholicæ non parcant, nihilominùs cum diversi locorum Ordinarii, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores, & multæ capitulares personæ id sibi omninò juxtà Sacri Concilii Tridentini decreta licere asserentes, eosdem Magnum Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, & personas diversis oneribus contrà eorum privilegia prægravarent, illósque ad Decimas, census, subsidia etiam charitativa congruas portiones, jucundum adventum, Pastor bonus, aut aliàs nuncupata onera etiam jura Synodalia solv. cogere præsumant in maximum ipsius Hospitalis detrimentum, & gravamen fœl. record. Gregor. XIII. Sixtus V. & Gregor. XIV. similiter prædecessores nostri ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro, & Conventui quomodolibet concessa, confirmantes, approbantes, & innovantes eos super præmissis quomodolibet molestari, inquietari, ac perturbari districtiùs prohibuerunt.

Dubium ortum circa hæc privilegia sustulit Greg. XI[...]

§. 3. Et prætereà cum inter alia fæl. recor. Pius IV. Papa etiam prædecessor noster eisdem Magno Magistro, & Conventui inter cætera privilegia Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostæ, Commendas, & alia ejusdem Hospitalis beneficia liberè uniendi, & dismembrandi. facultatem concessisset, & nihilominùs à quibusdam quandoque dubitaretur, an ante, vel post mortem possessorum, unio, seu dismembratio ipsa fieri posset, ac deberet, idem Gregorius prædecessor ad tollendum omne dubium, & ambiguitatem, quæ in præmissis in futurum oriri poterant, ut quandocumque eis videretur, sive ante, sive post mortem possessorum Prioratus, Bajulivatus, Castellaniam Empostæ, & alia ejusdem Hospitalis beneficia unire, & dismembrare liberè, & licitè possent, & valerent, necnon omnia, & singula privilegia, & exemptiones prædictas etiam ad Confratres, & Donatos ejusdem Hospitalis extendi deberent, decrevit, ac decretum, & declarationem hujusmodi, aliáque præmissa rec. pariter mem. Clemens VIII. Paulus V. & Gregorius XV. Romani Pontifices approbarunt, & confirmarunt. Novissiméque omnium fœl. etiam record. Urbanus VIII. Papa prædecessor noster omnia, & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro, & Conventui quomodolibet concessa Apostolica itidem auctoritate confirmavit, & approbavit, & aliàs, prout in eorumdem novissimorum Pontificum prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberiùs continetur.

Eadem privilegia confirmat, & approbat hic Pont.

§. 4. Nos igitur attendentes præclara ejusdem Hospitalis erga Fidem Catholicam, & Sedem Apostolicam merita, ac cupientes, ut privilegia, exemptiones, & gratiæ eò firmiùs subsistant, quò sæpiùs ab eadem Sede confirmata extiterint. Magnum Magistrum, Priores, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Præceptores, Milites, & Fratres, & eorum singulos, singularésque d. Hospitalis personas à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon omnium, & singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum, & gratiarum per prædictos, & alios quoscumque Rom. Pont. prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam Hospitali prædicto, illiúsque Magno Magistro, & Conventui, & Fratribus, Militibus, aliisque prædictis personis concessorum, ac literarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes. De Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum consilio, Motu proprio, non ad Magni Magistri, & Conventus hujusmodi, aut alicujus alterius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de mera nostra liberalitate, ac Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & alias gratias eisdem Magno Magistro, & Conventui quomodolibet concessa, exceptis tamen decretis ejusdem Conc. Trident. & Constit. Apost. necnon aliis, in quibus specificè eadem Religio exprimitur, & comprehendi disponitur, quæ in suo robore, & efficacia permaneant tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis

labilis Apost. firmitatis vim, & robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

lausulas reservati... xi appo...

§. 5. Decernentes præsentes literas ullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu etiam ex eo quod locorum Ordinarii ad id vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minimè posse, minúsque sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restitutionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas esse.

§. 6. Sicque ab omnibus censeri, & ità per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

lausula ...olata.

§. 7. Quocircà dilectis filiis in Regnis Hispaniarum, & Neapolitan. nostris, & dictæ Sedis Apostolicæ pro tempore existentibus Nunciis, ac Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, seu cuivis alii ejusdem Sedis Nuncio, seu internuncio, aut Jurium, & Spoliorum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectori in quibusvis Regnis, seu Provinciis Reipublicæ Christianæ pro tempore commorantibus per præsentes Motu simili committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Magni Magistri, & Conventus fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra eosdem Magnum Magistrum, & Conventum confirmatione, approbatione, decreto, aliisque omnibus, & singulis præmissis uti, frui, aut gaudere. Non permittentes eos per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios contrà præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari.

...ontrave... ...entium ...enæ.

§. 8. Contràdictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimísque super his haben. servatis processibus sententias, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachii sæcularis.

...ontrariis ...erogat.

§. 9. Non obstant. piæ memor. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dictis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis etiam præfatis locorum Ordinariis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibúsque & aliis decretis etiam motu, & scientia similibus; etiam consistorialiter, & de Fratrum nostrorum consilio in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis eorúmque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserti forent pro plenè, & sufficienter expressis & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas non facientes plenam, & expressam de Indulto hujusmodi mentionem. Eorumdem autem prædecessorum vestigiis inhærentes volumus quod d. Pii V. 22. Septembris anno 6. ac Gregor. XIII. prædecessorum nostrorum literis sub Annulo Piscatoris 25. Novembris anno 19. Pontificatuum suorum expeditis in suo robore, & efficacia permanentibus præsentes literæ Ecclesias, & personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Conc. Trident. hujusmodi omninò servari debere intendimus, minimè comprehendant.

§. 10. Ac quòd literarum præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. — Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Julii 1648. Pontificatus nostri Anno quarto. — Dat. P. A'n. 4. die 18. Julii

---

XXXII.

In causa Angelopolitana Jurisdictionis in Indiis Occidentalibus Novæ Hispaniæ.

Edita A. D. 1640.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Cum sicut accepimus aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Ven. Fratrem Joannem Episcopum Angelopolitan. sive Populi Sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex una, & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jesu partibus ex altera, de, & super munere prædicationis verbi Dei tàm in propriis eorumdem Clericorum Regularium petita solùm Episcopi benedictione, quàm in alienis Ecclesiis petita, & obtenta ab eodem Episcopo Diœcesano licentia exercendi; necnon super confessionibus laicorum audiendis prævio examine, sive approbatione ejusdem Episcopi Diœcesani quæ d. Clerici Regulares in vim privilegiorum prædictæ Societati Apostolica auctoritate concessorum sibi proprio jure licere prætendebant, & desupèr in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujusmodi ad electionem Conservatorum privilegiorum hujusmodi: Nobísque tàm d. Joannis Episcopi, quàm eorumdem Clericorum Regularium nomine pro sopiendis differentiis hujusmodi quædam dubia decisionem differentiarum præfatarum; necnon jurisdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipsorum Clericorum Regularium exemptionem à jurisdictione Ordinarii concernentia fuerint proposita, ad quæ ambæ partes responderi, & quid desuper observandum sit auctoritate nostra Apostolica statui, & stabiliri desiderabant. — Differentiæ ortæ inter Episcopum Angelopolit. & Religiosos Soc. Jesu.

§. 2. Nos, qui omnium fidelium, & præsertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus differentias prædictas, totúmque negotium particulari Congregationi aliquorum Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinand. commisimus, — Quas examinan. committ. Sum. Pont. S. R. E. Card.

mus, qui auditis sæpiùs procuratoribus prædicti Joannis Episcopi, necnon Procuratore Generali Societatis prædictæ negocio maturè discusso, omnibus dubiis, & petitionibus hinc indè præpositis responderunt prout sequitur, videlicet.

Responsio Sacr. Congr.

§. 3. Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino Nostro deputata super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religiosos Societatis Jesu, sæpiùs auditis Procuratoribus ab eodem Episcopo ad Urbem allegatis; necnon ipsius Societatis Procuratore Generali, negocióque accuratè discusso, censuit prædictos Religiosos nequaquàm posse in Civitate, & Diœcesi Angelopolitana personarum sæcularium Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine ejus licentia, nec in Ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente, & contraveniente, ab Episcopo tanquàm Sedis Apost. Delegato coërceri, & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis sanct. mem. Gregor. XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei providentia. Ac proindè memoratis Religiosis, qui hujusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerunt potuisse Episcopum, seu ejus generalem Vicarium præcipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut à confessionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse d. Religiosis quasi à manifestis injuriis, & violentiis eligere Conservatores, eósque, ut præfertur, electos in Episcopum, ejúsque Vicarium Generalem indebitè, ac nulliter excommunicationem fulminasse. Cæterùm Sacra Congregatio seriò in Domino hortatur, ac monet Episcopum, ut Christianæ mansuetudinis memor ergà Societatem Jesu, quæ laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tàm fructuosè laboravit, ac sine intermissione laborat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem adjutricem agnoscens benignè foveat, ac pristinæ suæ benevolentiæ restituat, quemadmodùm Sac. Congregatio ipsum facturum confidit, sibique certò pollicetur, cùm ejus zelum, pietatem, ac pastoralem sollicitudinem compertam habeat. Dat. Romæ die 16. Aprilis anno 1648.

Diversa dubia proposita pro utraque parte resolvuntur.

§. 4. Et præmissorum occasione pro parte prædicti Joannis Episcopi; necnon Religiosorum Societatis Jesu in eadem Congregatione proposita fuerunt diversa dubia de mandato Sanctiss. resolvenda, quæ quidem Sac. Congreg. sæpiùs auditis, ut in præmissis ab eodem Episcopo ad Urbem missis; necnon Procuratore Generali ipsius Societatis, negocióque maturè perpenso ad singula dubia ab utraque parte proposita respondit ordine quo sequitur.

I. Primò, An in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Conc. Trident. à Regularibus observari, & executioni demandari, Regulares quicumque etiam Societatis Jesu sub prætextu, quòd hujusmodi præcepta infringant sua privilegia possint eligere Conservatores; Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Jesu, ut decreta aliqua Conc. Trident. observent, ac exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, & correctioni Episcopi minimè licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere.

II. Secundò, An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares prædictos in casibus, in quibus per Concil. Trident. vel Constitutiones Apostol. ipsi subjiciuntur possint Conservatores Judices assignare? Respondit, ut ad proximum non posse.

III. Tertiò, An Regularibus etiam Societatis Jesu asserentibus se habere privilegia quominùs obediant Episcopo in executione decretorum juris communis Conc. Trident. & Constitutionum Apostolicarum Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? Respondit Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.

Quartò, An in casu, quo Regulares quicumque etiam Societatis Jesu exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent, ea non suffragari, casui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, & debeant provocari ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem vel potiùs possint hoc casu eligere Judices Conservatores? Respondit, Si verba privilegiorum sint obscura, & ambigua non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed Summum Pontificum pro interpretatione esse adeundum. IV.

Quintò, Utrum Constitutio fœl. rec. Greg. XV. circà Conservatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentissimorum Sacræ Congregationis Conc. Trident. Interpretum desuper editis æquè afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac Reliquos Regulares, ità ut omnia alia prædicta Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos d. Constitutionis, & sic inposterum debeant ab iis eligi Conservatores juxtà formam, & tenorem prædictæ Constitutionis? Respondit, hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut prætenditur, editis æquè afficere Religiosos Societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis. V.

Sextò, An Regulares prædicti gravati ære alieno vel ad ratiocinia, vel Testamentorum Executores possint conveniri coràm Ordinario, si Conservatores non nominaverint intrà tempus habile ab Ordinario præscriptum. Respondit, Regulares in causis præfatis coràm Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis sanctæ mem. Gregor. XV. Conservatores non elegerint, ipsúmque electionis documentum intrà præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint ac dimiserint. VI.

Septimò, An d. Regulares Conservatores sive ad Jura, sive ad privilegia tuenda assumentes teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coràm Ordinario, sive alio Judice competente, de Judicio sisti, & judicatum solvendo, casu quo in lite sive causa succubuerint? Respondit non teneri. VII.

Octavò, An quando Episcopi Jura, vel decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos dote sua spoliantes Ecclesias coràm Judice competente tuentur, libròsque memoralia, & allegationes producunt Jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliáque id generis adnumerantes hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Respondit: si Episcopi pro tuendis Juribus Cathedralium Ecclesiarum coràm Judice competenti hujusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter, & modestè referant non licere Regularibus ob eam causam ad Conservatores recurrere. VIII.

Nonò, Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu possit administrare Sacramentum pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi IX.

Diœcesani

Diœcesani, etiamsi in alieana Diœcesi approbatus sit? Respondit, Regulares etiam Societatis Jesu in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas nequaquàm posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani.

X. Decimò, An Episcopus contrà dictos Regulares audientes in sua Diœcesi confessiones Sæcularium absque sua approbatione, vel Concionatores absque licentia Episcopi intrà & extrà proprias Ecclesias possit procedere, eos à talibus ministeriis removendo, sive præceptis, & aliis Juris remediis coërcendo? Respondit, eisdem Regularibus, qui confessiones personarum Sæcularium audiant sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente posse Episcopum in vim Constitut. fœl. record. Gregor. XV. quæ incipit Inscrutabili Dei providentia, tanquàm Sedis Apostol. Delegatum administrationem Sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eósque Juris remediis coërcere, & punire.

XI. Undecimò, An quando Episcopo constat dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit præcipere, ut donec licentiam intrà præscriptum tempus exhibeant à tali ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Diœcesi, vel longissimè existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum Superiores ejusdem Diœcesis, in qua prædicta exercent? Respondit, posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes.

XII. Duodecimò, An si contingat ut aliquis prædictorum Regularium insurgat contrà Episcopum in propria Diœcesi maledictis cum scripto, vel dicto Populo scandalizando, possit ab Episcopo puniri, & qua animadversione, & quid si hujusmodi delinquens transierit ad aliam Diœcesim hoc casu servandum sit, & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in una Diœcesi spargat famosos libellos contrà ordinarium alterius Diœcesis? Respondit, Si Regularis intrà claustra degens extrà ea in casibus in dubio expressis ità notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem Regularem infrà tempus ab Episcopo præfigendum severè illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concil. Trident. cap. 14. sess. 25. de Regular. quòd si delinquens ad aliam Diœcesim migraverit servandum esse, quod præcipitur in Constitut. sanctæ mem. Clementis VIII. Incipien. Suscepti muneris ratio.

XIII. Decimo tertiò, An Conservatores nominati, & electi à Regularibus prædictis ante exercitium suæ Jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coràm Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit, utique teneri.

XIV. Decimo quartò, an privilegia, quæ sunt contrà Jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares prædicti debeant Episcopis notificari, sive insinuari? Respondit, Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint.

XV. Decimo quintò, An prædia rustica, metallorum fodinæ, facchari opificinæ, à Regularibus Societati, vel aliis possessa, vel aliæ Domus Sæculares, in quibus videlicet unus vel duo Regulares tantùm commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit, non gaudere.

Decimo sextò, Utrùm Regulares prædicti Apothecas quarumcumque mercium, macella, & similia præsertim propè Collegia, sive Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit, non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis, sed si in præmissis ità notoriè delinquant extrà claustra, ut Populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supià in responsione ad duodecimum. XVI.

Decimo septimò, Utrum Regulares, etiam Patres Jesuitæ in suis prædiis, opificinis, aliisque suis Domibus Sæcularibus sitis intrà limites parochialium ad se non spectantium possint administrare Sacramentum Baptismatis, solemnis matrimonii, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ in Festo Paschatis famulis, Mercenariis, Rusticis, sive aliis id genus hominibus Sæcularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia? Respondit, non posse. XVII.

Decimo octavò, Utrum Patres Societatis in Civitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria, & similia, in quibus unctio requiritur? Respondit, itidem non posse. XVIII.

Pro parte verò Religiosorum Societatis JEsu proposita fuerunt infràscripta dubia. Dubia pro parte Religiosorum Soc. Jesu.

Primò, An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum Monasterium, vel Collegium ab audiendis confessionibus suspendere? Respondit, Episcopus Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii Confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum Sæcularium etiam inconsulta Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, cùm decretum ab ea editum sub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad Regiones illas, tàm longè ab Urbe dissitas. Verùm ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo, & animarum pernicie contingere potest abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo Sacra Congregatio illorum conscientias graviter voluit esse oneratas. I.

Secundò, An Episcopus Regularem pro confessionibus semel approbatum sine nova causâ suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? Respondit, Regulares alias liberè ab Episcopo prævio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum Sæcularium ab eodem Episcopo suspendi non posse, sine nova causa, eáque ad confessiones ipsas pertinente. II.

Tertiò, An Bulla Pii V. 34. in ordine tom. 2. Bullarii concessa instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico non ad petitionem Regularium sit revocata in Bullis Summorum Pontificum in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Respondit, agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illa tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum. III.

Quartò, An Episcopus possit cum censuris procedere contrà Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, & hoc an vigore Concil. Tridentin. vel per quem canonem? Respondit, posse procedere, non quidem in vim Concil. Trident. sed in vim Constit. Greg. XV. quæ incipit: Inscrutabili Dei providentia. IV.

Quintò, An licentia audiendi confessiones, & prædicandi ab Episcopo per literas patentes Cancellariæ concedi possit? Respondit, posse concedi etiam per literas missivas, vel oretenùs, si ità Episcopo videbitur. V.

Sextò, An talis licentia oretenùs sine scriptis concedi possit? Respondit, ut ad proximum. VI.

Septimò, An facultas eligendi Conservatores concessa Societati à Gregor. XIII. suffragetur illis VII.

in locis in quibus non adsunt Judices Synodales? Respondit, ubi non adsunt Judices Synodales privilegium Gregorii XIII. non suffragari, quoad hoc ut Societas non teneatur ex illis eligere Conservatores dummodò tamen in reliquis servetur forma Constitutionis Gregorii XV. hac de re editæ.

VIII. Octavò, An Conservatores Societatis Vicarios generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras, pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ Greg. XIII. Incipient. Aequum reputamus. Datum ultima Februarii 1573. Respondit, posse à manifestis injuriis, & violentiis eos compescere, etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Dat. Romæ die 16. Aprilis 1648. Quapropter, ut præmissa firmiùs subsistant, & inviolabiliter observentur Nobis pro parte Joannis Episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa auctoritate Apostolica confirmare de benignitate Apost. dignaremur.

IX. Nos igitur d. Joannis Episcopi votis hac in re annuere, illúmque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eundem Joannem Episcopum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequend. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati præinserta responsa, seu resolutiones auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, & inviolabiliter observari mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate d. Congregationis.

Decretum irritans apponit. §. 5. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignorant contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac universalibus, provincialibúsque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus; necnon Ecclesiæ Angelopolitanæ, ac Societatis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiæ, & Societati sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam Motu proprio, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret: illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 4. die 14. Maji. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Maji 1647. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Quòd reservatio Pensionis perpetuæ super Mazarien. in Sicilia ad favorem Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe solvatur non in scutis, sed in ducatis ad rationem tresdecim Tarenorum pro quólibet ducato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Edita An. 1647.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ROmanum decet Pontificem gratias à se, præsertim Catholicorum Regum intuitu factas, juxtà eorumdem Regum intentionem declarare, talique medio insignium Ecclesiarum, earúmque Ministrorum, præcipuè Almæ Urbis utilitati, & quieti etiam consulere.

Satisfacit menti Philippi IV. Hisp. Re. §. 1. Hodiè siquidem Nos, menti, & intentioni, Charissimi in Christo Filii nostri Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici Nobis per dilectum filium Nobilem virum Inicum Velez de Guevara, Comitem de Onare suum apud Nos Oratorem patefactæ, satisfacere cupientes in beneficium Patriarchalis Basilicæ S. Mariæ Majoris nuncupatæ de Urbe, unam mille, & octingentorum super Mazzarien. & alteram Pensiones annuas, & perpetuas, easque à quocumque tàm ordinario, quàm extraordinario onere quomodolibet nuncupato, ac aliàs certis aliis modo, & forma tunc expressis, liberas, immunes, & exemptas bis mille ducentorum scutorum monetæ Regni Siciliæ super Cathanien. respectivè mensarum Episcopalium, quarum Ecclesiæ de Jurepatronatus dicti Philippi Regis ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenùs in aliquo derogatum, esse dignoscuntur, respectivè fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis tàm certis, quàm incertis, singulis annis, in certos tunc narratos usus, ac aliàs modo, & forma tunc expressis juxtà intentionem dicti Philippi Regis, & non aliàs, aliter, nec alio modo, in perpetuum expendendas per alias nostras literas, motu proprio reservavimus, constituimus, & assignavimus, prout in dictis literis pleniùs continetur.

§. 2. Cùm autem sicut Nobis meliùs innotuit, mens, & intentio dicti Philippi Regis fuerit, & sit ut Pensiones præfatæ, non in scutis, sed in ducatis ad rationem tresdecim Tarenorum pro quolibet ducato hujusmodi monetæ dicti Regni Siciliæ, per Nos reservarentur, constituerentur, & assignarentur, illæque non tantùm ab oneribus, & gravaminibus in dictis literis tunc expressis, sub quibus ob eorum generalitatem virtualiter comprehensa dici posse videntur etiam donativa ordinaria, & extràordinaria tandæ, & divinus cultus nuncupata; sed etiam ad quodcumque dubium removendum, à dictis donativis ordinariis, & extraordinariis tandis, & divino cultu nuncupatis specificè, & expressè liberæ, immunes, & exemptæ esse deberent.

Declaratio prout in rub. §. 3. Nos propensionem animi nostri ergà dictum Philippum Regem, etiam in hoc patefactam iri, simúlque utilitati dictæ Basilicæ, ejúsque Ministrorum, per ampliùs consulere cupientes, ac dictarum literarum totos, & integros tenores præsentibus pro expressis, ac totaliter insertis habentes: motu simili, non ad ipsius Philippi Regis, aut Ministrorum præfatorum, vel alterius pro eis Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra mera liberalitate; Quòd Pensiones præfatæ non in scutis, sed in ducatis ad rationem tresdecim Tarenorum pro quolibet ducato hujusmodi monetæ dicti Regni Siciliæ perpetuò reservatæ constitutæ, & assignatæ, ac etiam à dictis donativis ordinariis, & extraordinariis, tandis, & divino

cultu

cultu nuncupatis, specificè, & expresè, liberæ immunes, & exemptæ sint, & esse intelligantur, & non in scutis, prout in dictis literis expressum fuit, sed in ducatis monetæ dicti Regni, ad rationem supradictam, perindè ac si in illis, & non in scutis prædictis, per nos reservatæ, constitutæ, & assignatæ fuissent omninò persolvi debeant juxtà mentem, & intentionem dicti Philippi Regis, quibus quoad hoc nos conformare intendimus, salva tamen, & illæsa remanente in reliquis omnibus, & singulis dictarum literarum dispositione, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, etiam perpetuò decernimus, & declaramus.

...trariis ...gat.

§. 4. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

...nsumpto. ...fides.

§. 5. Volumus autem, & eadem Apostolica auctoritate decernimus, quòd præsentium literarum transumptis, manu alicujus Notarii publici, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ac etiam impressis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

...ctio pœ...s.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostri decreti, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

...t. P. An. Non. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1648. Nonis Octobris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

XXIV.

Pro Religione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis circà observantiam Motus proprii editi ab Urbano VIII. & revocationem Consultoratus.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

...ita An. D. ...1647.

...plicatio.

ALiàs pro parte dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Ministrantium Infirmis, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositis exposito, quòd aliàs postquàm à fœl. record. Gregorio XIV. Prædecessore nostro in suis litteris sub plumbo super approbatione regulæ ejusdem Congregationis emanatis, forma regiminis illius stabilita, & inter alia dispositum fuerat: videlicet.

...rma regiminis istius ...ongreg.

§. 1. Quòd ejusdem Congregationis Præfectus Generalis duplex, quatuor verò Consultores, singuli simplex votum, seu suffragium decisivum respectivè haberent, necnon unius ejusdem Congregationis Professor constitueretur arbiter, qui in votorum paritate decideret; & subindè etiam rec. mem. Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor, per quasdam suas in simili forma Brevis litteras Motu suo proprio expeditas præscripserat, ut in eadem Congregatione, quæ in quinque Provincias, videlicet, Romanam, & Hetruriæ insimul, Siculam, Neapolitanam, Bononiens. & Mediolanens. divisa existit, ex illarum una Præfectus generalis, & ex qualibet ex aliis quatuor Provinciis hujusmodi unus Consultor eligerentur, & sic successivè per turnum in futuris electionibus Præfatorum Generalium: & Consultorum hujusmodi procederetur.

§. 2. Postmodùm & transactis aliquot ab indè annis idem Urbanus Prædecessor dilectis filiis Fridiano Pierio primùm, & deindè Matthæo Morruello ejusdem Congregationis successivè Præfectis generalibus per quasdam alias binas suas in eadem forma Brevis litteras diversis temporibus emanatas, finito eorum Præfecti Generalis respectivè officio indulsit, ut licèt ex statutis Regularibus ejusdem Congregationis Apostolica auctoritate confirmatis cautum foret, quòd nullus illius Professor, nisi alicujus officii ratione id sibi Juris competeret, in Consulta Generali, ac in Capitulis tàm Generalibus, quàm Provincialibus, intermediis, necnon examinibus Novitiorum semestribus votum haberet, seu illis interesse posset, nisi ad id à Capitulis Generalibus, Provincialibus, vel localibus respectivè electus esset, nihilominùs iidem Fridianus, & Matthæus exacto eorum Præfecti Generalis hujusmodi officio, etiamsi, ut præfertur, electi non fuissent, quoad vixissent tamquàm Consultores in Capitulis, ac Congregationibus, & Consultis, necnon examinibus prædictis votum decisivum habere, ac illis interesse liberè, & licitè possent, & valerent, perindè ac si ad id à Capitulo Generali electi fuissent, ex præfata verò eorumdem Fridiani, & Matthæi in Consultores hujusmodi adjunctione tolluntur ea quæ priùs intuitu justitiæ distributivæ statuta, & ordinata fuerant, quandoquidem in ejusdem Congregationis Romana, & Hetruriæ insimul duo, videlicet idem Fridianus, & unus alius à Capitulo Generali, necnon similiter in Sicula Provinciis hujusmodi alii duo nempè dictus Matthæus, necnon alius Consultores à Capitulo Generali electi respectivè sunt; & insuper quando in præfatis Romana, & Hetruriæ insimul, necnon Sicula Provinciis hujusmodi, Præfectus Generalis dictæ Congregationis eligi debebit inibi Præfectus Generalis, & unus Consultor futuri sunt, quod expresè primodictis ejusdem Urbani Prædecessoris litteris repugnat, de quibus cùm nulla facta fuerit mentio specialis; prout erat necessarium, quandò binæ ultimò dictæ ejusdem Urbani Prædecessoris litteræ Consultoratuum perpetuorum ad eorumdem Fridiani, & Matthæi favorem impetratæ fuerunt, illæ semper in eadem Congregatione prò subreptitiè impetratis habitæ fuerunt.

§. 3. Præterea, nec etiam idem Fridianus dicto Urbano Prædecessori ullatenùs exposuit læsionem, quæ exindè officio Arbitri proveniebat, qui per adjunctionem, & augmentum dicti Consultoris cum voto decisivo, constituto septem votorum, seu suffragiorum numero, ac aliàs quia consequenter casus paritatis votorum evenire nullatenùs poterat, jure sibi competenti decidendi cum voto suo in eventum paritatis privatus remanebat.

§. 4. Et quoad eumdem Matthæum ultrà supradicta, nec etiam ille eidem Urbano Prædecessori mentionem fecit, cùm ab eo se in Consultorem perpetuum deputari obtinuit, quod eadem Congregatio indulserat præteritis, & futuris pro tempore illius Præfectis Generalibus expleto eorum officio, quod ipsi pro sua spirituali quiete, & consolatione, ac toties quoties sibi placuerit quamlibet dictæ Congregationis domum regularem, dummodò exindè ratione itineris Congregatio, seu Domus regularis hujusmodi sumptibus, & expensis non gravetur, erigere, & mutare possint, quódque immediatè Consultæ Generali ejusdem Congregationis subsint, & è domo exire, sibique socium sibi benè visum assumere possint, Præfectisque localibus præcedant, quódque Capitula localia, Provincialia, intermedia, scrutinia Novitiorum, & Capitula generalia perindè ac si ad id electi forent ingredi possint, ipsisque titulus paternitatis admodùm Reverendæ remaneat, & licèt idem Matthæus ex oppositionibus sibi factis à Præfecto Generali præterito eidem voto decisivo renunciaverit, progressu tamen temporis, experientia docuit præmissa ad quietem, & pacem, communéque bonum ejusdem Congregationis satis non fuisse necesse, ac demùm cum Consultoribus perpetuis hujusmodi cultus, & observantia major

habeatur, quàm ipsi Præfecto Generali, cujus officium ad sexennium dumtaxat durare consuevit, illius exindè auctoritas non leviter atteritur, & disciplinæ regularis observationem efficaciter procurare nequit.

§. 5. Quare per eosdem Exponentes, cupientes fœlici ejusdem Congregationis statui prospectum esse, & binas ultimo dictas Consultoratuum perpetuorum eorumdem Fridiani, & Matthæi litteras revocari, eisdem Cardinalibus supplicato, ut in præmissis opportunè, ac aliàs, ut infrà providerent, ab eisdem emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet; Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita auditis partibus, censuit servandam fore, & esse Constitutionem Motus proprii sanctæ memoriæ Urbani VIII. editam 29. Aprilis 1628. quæ incipit Romanus Pontifex &c. & revocanda Brevia Consultoratus perpetui ad favorem PP. Fridiani, & Matthæi contrà formam præfati Motus proprii subreptitiè emanata, si ità Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Romæ 26. Septembris 1647. M. Gardinalis Cinettus.

§. 6. Cùm autem sicut iidem exponentes Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi quò firmiùs subsistat, & exactiùs observetur, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent, Idcircò Nos qui Religiosorum Ordinum quorumcumque fœlicem directionem sinceris desideramus affectibus eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Salva tamen in præmissis dumtaxat Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate.

Confirmat prout in rub.

§. 6. Decernentes præsentes literas validas, firmas, efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis ad quos spectat: & pro tempore spectabit in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Congregationi, ac quibusvis illius Superioribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut aliquas quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 14. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extrà, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Octobris 1647. Pontificatus nostri anno quarto.

Dat. P. A. 4. die 26 Octobris.

XXXV

Quòd Fratres Laici, seu Conversi Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ post quartum annum ab emissa professione, habeant votum in electionibus.

De hujusmodi Tertiariis lege, quæ notavi ad Const. 254. Nobis pro parte Urbani VIII. & ad Const. 295. Cùm sicut quoad Indulgentiam plenariam perpetuam in in eorumdem Ecclesiis in Festo Portiunculæ.

INNOCENTIUS X. PAPA

Edita A. 1648.

Ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, dissensiouum, & controversiarum materias inter Ecclesiasticos, præsertim verò personas Regulares, è medio tollere, ac præcidere, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Exordium

§. 1. Cùm itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Renati Parisiensis, & Justini Aurelianensis Fratrum Laicorum, seu Conversorum antiquorum Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Galliæ, Procuratorum cæterorum Fratrum Laicorum tàm antiquorum, quàm novorum Provinciarum Franciæ, sive S. Francisci, & Lugdunen. sine SS. Ludovici, & Elzearii Ordinis, & Congregationis hujusmodi, Nobis nuper expositum fuit, ipsi jus sibi competens vigore generalium Constitutionum dictæ Congregationis auctoritate Apostolica confirmatarum, dandi Votum, seu Suffragium in Contractibus, & quibusdam aliis Actibus Capitularibus suorum Conventuum declarari desiderent.

Supplicatio

§. 2. Idcircò Nos, fœlici eorumdem Fratrum Laicorum statui, quantum Nobis ex alto conceditur, consultum esse cupientes, ipsósque exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi vos lentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, consilio, qui sæpiùs eosdem exponentes nomine prædicto, & illis contradicentes Sacerdotes, aliósque Clericos earumdem Provinciarum eorumque Procuratores in Urbe audierunt, necnon Constitutiones generales præfatas, ac literas Apostolicas in simili forma Brevis à san. mem. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro de annis 1641. & 1644. pro Fratribus Oblatis, ac novis Laicis dictæ Congregationis desuper emanatas, viderunt; Præfatis Fratribus Laicis tantum antiquis, vigore earumdem Constitutionum, & earum subsecutæ observantiæ præfatum Jus dandi Votum in Contractibus, &

Absolvit à censuris.

quibusdam

quibusdam aliis Actibus Capitularibus suorum Conventuum hactenùs potuisse, ac posse competere, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus.

declarat etiam in rub.

§. 3. Verùm pro bono pacis, & ad æqualitatem servandam inter Fratres Laicos antiquos, & novos hujusmodi, & ad tollendam causam ulterioris dissidii, Statuimus in posterùm, ut omnes & singuli prædicti Fratres Laici dictarum Provinciarum, post quartum annum ab emissa professione, habeant Votum Decisivum in omnibus Contractibus, & aliis Negotiis temporalibus gravioris momenti tàm intrà, quàm extrà Conventum ineundis, in quibus omnes Sacerdotes, & alii in Sacris constituti ex Statutis ordinariis, seu ex laudabili consuetudine intervenire solent, aut debent: Item vocem activam in electione Vicarii, quando illum à Conventu eligi contigerit: Necnon in electione Discretorum localium ad Capitula mittendorum: Ac in receptione quorumcumque Novitiorum ad professionem: Demùm vocem passivam in electione Provisoris, seu Procuratoris Conventus tantùm, non autem Discretorum, in omnibus & per omnia juxtà formam prædictarum Constitutionum generalium dictæ Congregationis à præfato Urbano Prædecessore de anno 1626. confirmatarum, supranominatis literis Apostolicis non obstantibus, firmis tamen in reliquis permanentibus. Et ità per eos, ad quos spectat, observandum esse pariter statuimus, & ordinamus: Partibùsque hinc indè perpetuum desuper silentium imponimus. Salva tamen semper in præmissis tantùm auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Quod habeant vocem activam in electione Vicarii.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque Fratribus Laicis plenissimè in omnibus, & per omnia suffragari.

§. 6. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, Ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis dictæ Congregationis Sacerdotibus, Clericis, & aliis personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis ac irritantibus clausulis, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expresà derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 7. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 4. die 6. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Minorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Aprilis 1648. Pontificatus Nostri anno quarto.

Indictio Universalis Jubilæi Anni Sancti millesimi sexcentesimi quinquagesimi.

XXXVI.

Annum Jubilæi instituit pro quolibet sæculo, ac Indulgentiam plenariam concessit visitantibus Urbis Ecclesias, Bonifacius VIII. sua Const. 7. tom. 1. qui quidem Jubilæi Annus ultrà alias reductiones reductus fuit ad annum vigesimum quintum à Paulo II. in Const. 7. §. 7. Tom. 1.

Edita A. D. 1649.

INNOCENUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Procemium.

Appropinquat dilectissimi filii, continuis expetitus bonorum votis, annus sanctificationis, atque Indulgentiæ annus à partu Virginis quinquagesimus suprà millesimum sexcentesimúmque. Ad quem in hac Urbe sanctitatis regia celebrandum ex veteri Ecclesiæ ritu, quem Bonifacius VIII. Papa Prædecessor noster, intrà sæculi spatium, sive institutor, sive instaurator inclusit, ac alii deindè Pontifices Prædecessores quoque nostri in breviores annorum circulos, quo plures fruerentur Jubilæi solemnia, redegerunt. Nos eadem fulti auctoritate, quæ in Nobis per Dei misericordiam perseverat, vos acceptabili hoc tempore, non, ut olim, Tubis clangentibus, & Hebræorum Populum excitantibus ad recolendum annum ab egressu filiorum Israël ex Ægypto quinquagesimum, annum Jubilæi, ac remissionis, libertatisque Captivorum, hæreditatum, ac possessionum, sed ipsius altissimi filii voce compellamus, qui primus per sanguinem suum evangelizavit Mundo Jubilæi annum, clamans per ora Prophetarum, ad annunciandum mansuetis missum se, ut medeatur contritis corde, ut prædicet captivis Indulgentiam, & clausis libertatem, & annum placabilem Domino. Audite hæc omnes Christi sanguine redempti; Intrate exultantibus animis portas ejus. Haurite cum Jubilo de fontibus Salvatoris aquas Salientes in vitam æternam. Invitat nos sanctarum aperitione Portarum Civitas hæc Sacerdotalis, & Regia hæc Petri Sedes, & fidei petra, hæc Magistra Religionis, vineæ Domini Turris, communis omnium Patria, & commune perfugium. Hic aperto spirituali ærario divitiæ meritorum Christi, sanctorúmque in Ecclesiam congestæ, in hac plenitudine temporis, pleniore in omnes manu dispensantur, & reseratis Cœli favoribus cœlestium benedictionum manna in Christifideles abundantiùs pluit. Invitant vos Trophæa Apostolorum, tanto apud omnes gentes ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio venerationi semper habita, ut ex longinquis Mundi partibus ad ea venientes quamvis viderent, vigentibus Imperatorum persecutionibus, detegi se per eum cultum, & tamquàm Christianos observari, atque adeò mortis discrimen adire, non tamen à sacris peregrinationibus absisterent, ac plures ob eam causam martyrii palma decoraret. Hæc sunt illa Apostolorum sepulchra Imperatoris manibus ædificata, quorum, vel externos Basilicæ gradus, ac limina genibus flexis Imperatores aliquando subiisse legimus, ac Reges magnam gratiam putasse, si non propè Apostolorum monumenta; sed vel extrà Basilicæ vestibula eorum corpora sepelirentur, ac Reges fierent Piscatorum Ostiarii. Verùm hæc ipsa, fœlicium temporum recordatio magno doloris sensu angit cor nostrum, dùm animo subindè revolvimus quàm longè à majorum pietate distent hæc tempora, quàm multas Provincias ac Nationes à Consortio Catholicæ Religionis hæ-

retica labes absciderit, atque ab hac Jubilæi lætitia, & cœlestium bonorum communione sejunxerit. At vos Principes, ac Reges, qui vexillum Crucis in fronte gestatis, Vos filii promissionis, gens sancta, populus acquisitionis, vos, qui timetis Deum, pusilli, ac magni, uno omnes ore offerre in templum ejus sacrificium laudis, & condonatis invicem offensionibus in anno remissionis, ac pacis, abjectisque tandem armis, quæ cum funesta Christiani sanguinis effusione nimis jamdiu exercentur, ad communem hanc credentium matrem, ex qua lac fidei omnes pariter suxistis fraternis, ac jubilantibus animis convenire. Qui vos vocatione sua sancta dignatur, mittet è sede magnitudinis suæ Angelos salutis, qui vos ad hæc sacra Apostolorum limina peregrinantes doceant vias ejus, & dirigant in semitas æternitatis. Erit hæc vestra è variis Mundi partibus in Domum Domini convenientium frequentia populorum jucundum Cœlo, cœlitibusque spectaculum. Erit & vobis acceleratio Divinæ Propitiationis, & cumulus gratiarum. Si enim oratio Justi plurimùm valet, quid preces tot millium communi charitatis spiritu in unum psallentium non impetrabunt? Erit quoque Religionis hostibus rubor, & confusio (utinàm, & resipiscendi occasio) dùm tapescentes videbunt omnia Christi membra suo capiti cohærere, intelligentique se Patris loco non habere Deum, qui Romanam Ecclesiam matrem non agnoscunt.

Indicit Jubilæum Anni Sancti 1650.

§. 1. Nos interim, quos Deus, nullo quidem meritorum suffragio, voluit suorum mysteriorum dispensatores præsidere Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo, de ejus Misericordia confisi, sanctissimis Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eorúmque sanctum institutum tenentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium assensu, universale, maximúmque Jubilæum in hac sacra Urbe à primis vesperis Vigiliæ Nativitatis Sanctissimi Salvatoris nostri JEsu Christi proximè futuræ incipiendum, & per totum ejusdem prænarrati anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi, Deo dante, prosequendum auctoritate Dei Omnipotentis, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, maxima, & inenarrabili nostri cordis jubilatione, ad ipsius Omnipotentis Dei gloriam, sanctæ Ecclesiæ exaltationem, & tranquillitatem, hæresum extirpationem, Catholicorum Principum concordiam, Christianorúmque omnium populorum solatium, & sanctificationem indicimus; promulgamus, & statuimus.

Plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam impartitur.

§. 2. Qua Sanctissimi Jubilæi celebratione durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus: & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Basilica, Lateranen. quoque ac Sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Ecclesias semel saltem in die per triginta continuos, aut intermissos dies, si Romani, vel Incolæ Urbis fuerint, seu per quindecim dies si fuerint Peregrini, aut aliàs externi devotè visitaverint, & pro ipso fidelium, ac totius Christiani Populi salute, pace, & concordia, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impartimur. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morti præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas, & Ecclesias visitare nequeant. Nos piè, prompteque illorum voluntati quantùm in Domino possumus benignè favere cupientes, eosdem verè pœnitentes, & confessos prædictæ Indulgentiæ, ac remissionis participes perindè fieri volumus, ac si dictas Basilicas, & Ecclesias, ut præfertur à Nobis præscriptas, re ipsa visitassent.

Episcopis Anni Sancti publicationem mandat.

§. 3. Vos autem Venerabiles Fratres nostri Patriarchi, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in partes sollicitudinis nostræ vocati Duces, & Pastores Populorum, lux Mundi, & sal Terræ, capite tubas argenteas, quarum usus est in Jubilæo, id est, adhibere prædicationem verbi Dei, & annunciate Populis hoc gaudium, ut sanctificetur, & Dei juvante gratia, parati sint ad ea cœlestia dona capienda, quæ bonorum omnium largitor Dei filius dilectionis suæ per Ministerium humilitatis nostræ præparavit, adducite fratres verbo, & exemplo parvulos ad hujus charissimæ matris ubera, quæ eos per Evangelium in Christo genuit, adducite filios ad Patrem, oves ad Pastorem summum, membra ad caput, fideles ad fidei petram, in qua omnis ædificatio Catholicæ Ecclesiæ constructa consurgit, adducite Populum ad Sanctam Romanam Ecclesiam, & ad gloriosos Principes Terræ Petrum, & Paulum, qui Universum Mundum legem Domini docuerunt, & quorum fides, dignitas, & auctoritas indigno etiam in hærede non deficit. Ad sacras igitur Indulgentias, earúmque salutares fructus ipso Jubilæi anno Romæ percipiendos vocare cœtum, congregate Populum, sanctificate Ecclesiam, docete Oves, fidei vestræ creditas, quia Advenæ, & Peregrini sumus in hac vita, & Civitatem hic permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Ideò quia breves dies sunt hujus nostræ ærumnosæ peregrinationis, & nescimus qua hora Paterfamilias, & Sponsus Christi venturus sit, idcircò vigilent, & lampades ardentes, & plenas oleo charitatis, & misericordiæ gestent in manibus, & festinent ingredi in illam requiem.

Sanctimonium Christifidelibus commendat.

§. 4. Nam si unquàm aliàs, nunc potissimùm iræ, rixæ, & contentiones, & inveterata odia dimittenda propter Christum, nunc maximè servos decet misereri conservorum suorum, ut Dominus clementissimus jàm debitum dimittat eis: Nunc præcipuè omnes carnis impuritates abluendæ, ut templum Dei mundum sit, & unusquisque vas suum possideat in honore, & sanctificatione, & portet Deum in corpore suo. Postremò furta, rapinæ, homicidia, & adulteria, & omnia peccata exterminanda, ut placetur ira Dei, & eos qui Christiano nomine gloriantur, agnoscant verè Christianos, & imitatores Christi, & sectatores bonorum operum. Docete autem eos quemadmodùm ad salutares Indulgentias consequendas in animo contrito, & in spiritu humilitatis assiduis Orationibus, & Jejuniis, cæterisque pietatis operibus se ipsos præparare, atque exercere debeant, & qui substantias hujus Mundi habent, aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, præcipuè verò ergà Peregrinos Romam venientes misericordes sint, & sanctam Hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani etiam inter persecutionem fluctus diligentissimè coluerunt, ipsi quoque multacum charitate spiritus renovent, atque observent.

Qua devotione sancta peregrinatio suscipienda præscribit.

§. 5. Admonete etiam eos, ut orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, ac pax, & concordia perpetuò conservetur. Postremò docete eos, cùm sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua devotione, qua fraternæ pacis observantia lucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Præbete autem vos ipsi Fratres venerabiles, & omnis Clerus exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, ut vestræ virtutis, & Religionis, veluti sale cæteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, ac denique omnes unanimes in uno spiritu Chri-

ſtianæ charitatis, atque in omni ſanctitate, & Juſtitia Deo ſerviamus.

§. 6. Hortamur quoque, & rogamus in Domino chariſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, ut quò plura, & magis illuſtria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentiùs, ut par eſt, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur, præcipuè verò Venerabilium Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & ſuperiorum Antiſtitum paſtoralem ſedulitatem, ac vigilantiam adjuvent, & à ſuis Magiſtratibus, & Miniſtris adjuvari mandent, ut improborum licentia coërceatur, & bonorum ſtudia eorum Regia ope, & gratia foveantur, maximè autem ergà Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, ſed Hoſpitalibus Domibus, & publicis Hoſpitiis amanter excepti, & commeatu, & rebus ad vitam neceſſariis recreati, ſine ulla concuſſione, & injuria inſtitutum iter læti peragant, & cum gaudio in Patriam revertantur. His enim hoſtiis Reges potiſſimùm, & Principes Deum ſibi placabilem reddent, ut diù in terris fœlices vivant, & demùm in æterna Tabernacula recipiantur ab illis ipſis pauperibus, ergà quos miſericordiam exercuerint, in quibus Chriſtus paſcitur, & nutritur.

Hortatur Principes, ut aſſiſtant Prælatibus.

§. 7. Ut verò præſentes literæ ad omnium fidelium quibuſcumque locis exiſtentium notitiam faciliùs perveniant, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eandem prorſus fidem adhiberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi exhibitæ forent, & oſtenſæ.

Tranſumptorum exemplis fidem haberi jubet.

§. 8. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, promulgationis, conceſſionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, quarto nonas Maji, Pontificatus Noſtri anno quinto.

Dat. p. An. 1. 4. Non. Maji.

Anno à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Indictione ſecunda, die verò decima tertia menſis Maji, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Innocentii Divina providentia Papæ Decimi anno quinto, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ in Atrio Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe lectæ, & publicatæ fuerunt per me infraſcriptum Abbreviatorem de Curia.

Publicatio.

Petrus Jennel Abrreviator de Curia.

Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono. Indictione ſecunda, die verò decima tertia Maji, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ X. Anno quinto, ſupraſcriptæ litteræ Apoſtol. in Atrio Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ut ſuprà, publicatæ, ad valvas ejuſdem Baſilicæ affixæ fuerunt, ac eædem poſteà publicatæ in Baſilica S. Pauli, & in Eccleſia Lateranenſi, & S. Mariæ Majoris de Urbe ad earumdem valvas affixæ fuerunt, & acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem copiis, ut moris eſt per me Petrum Paulum Deſiderium, & Joannem Jacobum Pelliccium prælibati Sanctiſs. D. N. Papæ Curſores.

Publicatio.

Franciſcus Joannonus Mag. Curſ.

Suſpenſio quarumcumque Indulgentiarum durante Anno univerſalis Jubilæi. 1650.

Suſpenderunt, & alii Sanctiſſimi Pontifices, quaſcumque Indulgentias durante anno univerſalis Jubilæi. Cur autem id fiat, habes in præſenti Conſt. §. 11.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Edita An. D. 1649.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

CUM Nos nuper Sancti Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis Domini Noſtri JESU Chriſti anni proximè venturi inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, univerſo populo Chriſtiano, de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium aſſenſu, indixerimus, ac omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas Lateranenſem quoque, & Sanctæ Mariæ Majoris Almæ Urbis Eccleſias viſitarent, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, remiſſionem, & veniam conceſſerimus, prout in noſtris nuper deſuper confectis literis pleniùs continetur.

Exordium.

§. 1. Cupientes ut Chriſtianæ Nationes omnibus terrarum Orbis locis in Alma Urbe noſtra, in fidei, ac Religionis unitate, congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis ſpiritu Baſilicas, & Eccleſias prædictas, quo maximo fieri poterit concurſu, durante eodem Jubilæo, viſitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplo adducti,

Cauſæ hujus Conſtit.

§. 2. Omnes, & ſingulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & indulta abſolvendi etiam à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Univerſitatibus, & Piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magiſtris, Superioribus, & tàm ſæcularibus, quàm quorumvis etiam mendicantium Ordinum Regularibus perſonis, Coroniſque, Granis, Imaginibus, & Numiſmatibus ex metallo, ſeu quacumque alia materia confectis, tàm ſingulariter, quàm univerſaliter, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum aut ipſis etiam Imperatori, Regibus, Reginis, Ducibus, & Principibus; vel aliis quacumque alia mundana, vel Eccleſiaſtica Dignitate, etiam ſpeciali nota digna fulgentibus, etiam ad inſtar Jubilæi, aut aliàs quomodocumque, & ex quibuſvis cauſis, & occaſionibus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet conceſſas, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis haberi volumus Apoſtolica auctoritate, de eorumdem fratrum conſilio, & aſſenſu, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus, eaſque, & ea, eodem anno durante, nullo prodeſſe, aut ſuffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari;

Suſpendit indulgent. in an. Jubilæo.

§. 3. Quocircà per præſentes auctoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ quàm indicti à Nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ, ſive publicè, ſive privatim, quovis præ-

Obſtantibus derogat.

textum, ubivis locorum, & gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum, infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & locorum, aliorúmque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque exemptionibus, & Indultis Apostolicis illis eorúmque Superioribus, & personis, aliisque quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem ejúsque Legatos, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quòd sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquàm comprehendantur, nisi de illis specialis, individua mentio fiat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Et quia difficile nimis esset præsentes quocumque ubi illis opus fuerit perferri, Volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extrà, ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. P. An. 5. prid. Non. Maji.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1649. pridiè nonas Maji Pontificatus nostri anno quinto.

Publicatio.

Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo nono. Indictione secunda, die verò decimatertia Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ X. anno quinto, suprascriptæ literæ Apostolicæ in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe publicatæ, & ad valvas ejusdem Basilicæ affixæ fuerunt, ac eædem posteà publicatæ in Basilica Sancti Pauli, in Ecclesiis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris de Urbe ad earumdem pariter affixæ fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Acie Campi Floræ dimissis ibidem copiis, ut moris est, per nos Petrum Paulum Desiderium, & Joannem Jacobum Pellicciam prælibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Franciscus Joannonus Mag. Curs.

XXXVIII. Declaratio nullitatis articulorum nuperæ Pacis Germaniæ Religioni Catholicæ, Sedi Apostolicæ, Ecclesiis, aliisque locis piis, ac personis, & Juribus Ecclesiasticis quomodolibet præjudicialium.

Quoscumque contractus, & pacta Sedi Apostolicæ, & Juribus Ecclesiasticis præjudicialia sustulit hic Sanctissimus Pontifex, paulò suprà Const. 13.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1648.

Exordium.

Zelo Domuus Dei animum nostrum assiduè commovente in eam præcipuè curam sedulò incumbimus, ut Orthodoxæ Fidei integritas, ac Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & authoritas ubique sarta tecta conservetur, nevè eorum, qui quærunt sua potiùs, quàm quæ Dei sunt, facto jura Ecclesiastica, quorum Assertores à Domino constituti sumus aliquod detrimentum accipiant, Nósque Supremo Judici rationem villicatioois nostræ redditur, negligentiæ in credita Nobis administratione arguamur.

Articuli in præjudicium Relig. Catholicæ.

§. 1. Sanè cùm intimo doloris sensu accepimus, quòd per complures unius Osnaburgis die 6. Augusti præsentis anni 1648. inter Charissimum in Christo filium nostrorum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem Electum cum suis fœderatis, & adhærentibus ex altera, necnon alterius pacis Monasterii Westphaliæ die 25. Octobris ejusdem anni 1648. inter eundem Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum cum suis pariter fœderatis, & adhærentibus ex una, atque Charissimum etiam in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum cum suis similiter fœderatis ex altera partibus respectivè initarum articulos gravissimè Religioni Catholicæ, divino cultui, Sedi Apostolicæ, & Romanæ, ac inferioribus Ecclesiis, Ordinique Ecclesiastico, ac jurisdictionibus, authoritatis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac juribus illorum illata fuerunt præjudicia. Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis hujusmodi inter alia bona Ecclesiastica aliàs ab hæreticis occupata illis, eorúmque successoribus in perpetuum adducuntur. Hæreticis Augustanæ, ut vocant, confessionis liberum suæ hæreseos exercitium in plerisque locis permittitur, & locorum pro ædificandis ad hunc effectum templis assignatio promittitur, ipsisque cum Catholicis ad publica munia, & officia, ac ad nonnullos Archiepiscopatus, Episcopatus, aliásque dignitates, & beneficia Ecclesiastica, precumque primariarum eidem Ferdinando Regi in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur. Annatæ, jura Palatii, confirmationes, menses Papales, & jusmodi jura, ac reservationes in bonis Ecclesiasticis dictæ confessionis Augustanæ excluduntur. Confirmationes electionum, seu postulationum prætensorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aut Prælatorum ejusdem confessionis potestati sæculari attribuuntur. Plures Archiepiscopatus, Episcopatus, Monasteria, Præpositura, Balliviæ, Commendæ, Canonicatus, & alia beneficia, & bona Ecclesiastica Principibus hæreticis, eorúmque hæredibus, etiam sublata denominatione Ecclesiastica, in feudum perpetuum sub dignitatis sæcularis titulo conceduntur. Contrà pacem hujusmodi, ullumvè ejus articulum nulla jura canonica, vel civilia, communia, vel specialia, Conciliorum Decreta, Religiosorum Ordinum regulas, juramenta, aut concordata cum Romanis Pontificibus, ullavè alia statuta sive politica, sive Ecclesiastica, decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones allegari, audiri, vel admitti debere disponitur. Numerus septem Electorum Imperii olim Apostolica authoritate præfinitus sine nostro, & Sedis præfatæ beneplacito augetur, & octavus Electoratus in favorem Caroli Ludovici Comitis Palatini Rheni hæretici instituitur, aliáque multa quæ pudet referre Orthodoxæ Religioni, Sedique præfatæ, ac Romanæ, & inferioribus Ecclesiis, cæterisque præmissis summoperè præjudicialia, & damnosa decernuntur.

Nuncius Sedis Apostol. protestatur ejusmodi articulos esse irritos.

§. 2. Et quamvis Venerabilis Frater Fabius Episcopus Neritonen. noster, & Sedis præfatæ ad tractum Rheni, & inferiores Germaniæ partes Nuncius extraordinarius in executionem manda-

torum

torum nostrorum fuerit palàm nostro, & ejusdem Sedis nomine protestatus ejusmodi articulos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temerè contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notissimi juris sit quemcumque transactionem, seu pactionem in rebus, Ecclesiasticis sine præfatæ Sedis authoritate factam, nullam, nulliúsque roboris, & momenti existere.

dictos ar- ... los irri- ... damnat, ... Pont.

§. 3. Attamen quò efficacius præmissorum indemnitati consultum sit, pro commissi Nobis ex alto Pastoralis officii debito providere volentes, ac instrumentorum utriusque pacis hujusmodi, omniúmque in illis contentorum, cæterorúmque hic etiam necessariò exprimendorum, & inserendorum tenores etiam veriores, & datas ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictos alterius, seu utriusque pacis hujusmodi articulos, cæteráque in dictis instrumentis contenta, quæ Catholicæ Religioni, divino cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolicæ Romanæ, & inferioribus Ecclesiis, ac Ordini, & Statui Ecclesiastico, illorúmque personis, membris, rebus, bonis, jurisdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuscumque quomodolibet officium, seu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, & aliàs nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, intelligi, prætendi, vel censeri possent cum omnibus indè secutis, & quandocumque sequendis ipso jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribúsque, & effectu vacua omninò fuisse & esse, & perpetuò fore, neminémque ad illorum, & cujuslibet eorum etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum coloratum; vel causam præscribendi etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, seu quasi possessio etiam citrà ullam interpellationem, seu ininterruptionem subsequatur, acquisitum fuisse nec esse, minúsque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque ulla ullum statum facere, vel fecisse, atque perindè ac si nequaquàm emanassent pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore earumdem præsentium decernimus, & declaramus. Et nihilominùs ad abundatiorem cautelam, & quatenùs opus sit, articulos præfatos, aliáque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribúsque, & effectu evacuamus, & contrà illa, déque eorum nullitate coràm Deo protestamur. Et quatenùs itidem opus sit, easdem Sedem Apostolicam, Romanámque, & inferiores Ecclesias, ac quælibet loca pia; & quascumque personas Ecclesiasticas adversus illa in integrum, ac pristinum, & eum in quo ante prædictam, & quascumque alias assertas, seu prætensas anteriores transactiones, pactiones, seu conventiones circà præmissa ubicumque, & quomodocumque factas, erant, statum, restituimus, reponimus, ac plenariè reintegramus.

usulæ ... serva- ... e.

§. 4. Præsentes quoque literas cum omnibus, & singulis in eis contentis etiam ex eo quòd præfati, & quicumque alii etiam speciali mentione, & expressione digni, & in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis nullatenùs consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, minúsque causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt deductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullo modo justificatæ fuerint, nullo unquàm tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocumque alio colore, prætextu, causa, & occasione notari, impugnari, invaliditari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci ullatenùs posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos spectat, & spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Palatii Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac ejusdem Sedis Nuncios, & quosvis alios quacumque authoritate fungentes nunc, & pro tempore existentis sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate semper, & ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Clausula sublata.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, tàm generalibus, quàm specialibus etiam in Conciliis universalibus editis, & quatenùs opus sit; nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & Constitutione fœl. rec. Pii IV. Papæ prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus infrà certum tunc expressum tempus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, ità ut præsentes nullo umquàm tempore in eadem Camera præsentari, seu registrari necesse sit, Legibus quoque imperialibus, & municipalibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, concessionibus, & literis Apostolicis quibuscumque locis; & personis etiam Imperiali, Regali, & alia quavis sive Ecclesiastica mundana dignitate fulgentibus; & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus; & insolitis clausulis; & decretis etiam irritantibus; & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda; aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, formámque in illis traditam pro servata habentes ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in judicio, & extrà illud adhibeatur, quæ ipsis Transumptorum fides.

præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 5. die 20. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 20. Novemb. 1648. Pontificatus Nostri anno quinto.

XXXIX. Decreta, & Constitutiones Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni, promulgata à Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita, & à Sanctissimo D. N. Innocentio X. Papa approbata, & confirmata.

Sancti Basilii Monachos in meliorem, ac arctiorem disciplinam redegit Gregorius XIII. Const. 46. Cogit muneris tom. 2. Eorumdem statuta à Protectore revisa, auctoritate Apostolica confirmavit Clemens VIII. Constitut. 14. §. 3. tom. 3.

Edita An. D. 1649.

INNOCENTIUS X. PAPA.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

NUper pro parte dilectorum filiorum Monachorum Ordinis Sancti Basilii Nobis exposito, quòd ipsi aliàs in vim quarumdam nostrarum in simili forma Brevis literarum sub die 25. mensis Julii anni 1647. emanatarum, in novissimè celebrato ejusdem Ordinis Capitulo Generali, duos Assistentes Abbatis Generalis Ordinis hujusmodi unum videlicet natione Italium, alium verò Hispanum Monachos elegerunt, cum quorum voto consultivo, ipse Abbas Generalis Ordinem prædictum moderari, & regere debeat.

Causa hujus Constit.

§. 1. Et quia dicti Ordinis Constitutiones Apostolica auctoritate confirmatæ cap. 6. de potest. Abbatis Generalis, Visitatorum, & Definitorum disponunt, quòd res, & materiæ dicti Ordinis graviores tractentur, & stabiliantur in Definitorio quotannis convocando cum interventu pro tempore existentium dicti Ordinis Abbatis Generalis trium Visitatorum, & sex Definitorum, qui omnes votum decisivum habent, petito ab eisdem exponentibus per Nos declarari; An assistentes hujusmodi Definitorio intervenire debeant, necnon insimul mandari, & ordinari, ut electiones Capitulares tàm ipsorum Definitorum, quàm cujusvis alterius dicti Ordinis Prælati per schedulas, votàque, & suffragia secreta, servata forma à Sacro Concilio Tridentino præscripta, fiant, & insuper in eadem expositione subjuncto quod à fœl. record. Paulo Papa Quinto Prædecessore nostro per suas in eadem forma Brevis literas sub die 12. Decembris 1603. expeditas, indultum fuit, ut in Monasteriis dicti Ordinis, in quibus sex Monachi degunt ex eis unus, & ubi major numerum Monachorum hujusmodi foret, duo ex illis Sacrosanctum Missæ Sacrificium ritu latino pro spirituali Christifidelium qui dicti Ordinis Ecclesias frequentant consolatione celebrare possent. Próque novo Monasterio Neapolitano dicti Ordinis majorem numerum. Idem Paulus Prædecessor vivæ vocis oraculo sub die 2. Septembris anni 1615. emanato, prout etiam recolend. memor. Urbanus Papa VIII. pariter prædecessor noster omnibus, & singulis Monachis Monasterii Sanctæ Mariæ Matris Domini prædicti Ordinis Salernitan. Diœcesis concessit, conditione tamen ab ipsis Paulo, & Urbano Prædecessoribus apposita, quòd ii Monachi, qui semel ad celebrandum Missam ritu Latino deputati fuissent, ritu Græco ampliùs celebrare minimè possent, absque expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quia tamen Monachi dicti Ordinis suum antiquum regulare institutum ritu Græco celebrandi, quod in dies ob multiplicatam celebrationem Missarum Latinarum deficit retinere, conservaréque desiderant.

Indultum concessit Monachis S. Basilii-

§. 2. Propterea Nobis per eosdem Exponentes supplicato, quatenùs statuere dignaremur; quòd de cætero indultum supràdictum locale, non autem personale observetur, quódque ii Monachi qui in Capitulis, aut Dietis dicti Ordinis prævio rigoroso examine deputati fuerit per Definitorium ad celebrandum Missam ritu Latino in uno aliquo particulari dicti Ordinis Monasterio numerum præfixum excedere, & è loco ad locum transferri nullatenùs possint, nisi cum auctoritate ejusdem Definitorii, eóque casu nisi contigerit eos in locum aliorum Monachorum ritu Latino celebrantium subrogari, præfato ejusdem Ordinis Instituto regulari sese conformare, Missámque ritu Græco celebrare, non obstant. supràn ominata in contrarium prohibitione teneantur. Subindè à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis, quibus præmissa examinanda commisimus, emanavit desuper Decretum tenoris sequentis; videlicet.

Supplicant Summ Po idem Mo nachi, u statuat qu prædictum indultum locale, n autem per sonale ob servetur.

§. 3. Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita visis Constitutionibus Monachorum S. Basilii, necnon auditis Abbate Generali, & Procuratore Generali eorumdem, ac etiam Eminentissimo Cardinale Justiniano dictæ Religionis apud hanc Sedem Protectore, censuit (Sanctissimo Domino nostro annuente statuendum, & præcipiendum, prout præsenti Decreto statuit, ac præcipit Abbati Generali, ac Visitatoribus Provincialibus, & Definitoribus dicti Ordinis sub pœna suspensionis ab eorum officiis, vel etiam privationis, & inhabilitatis perpetuæ arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis, ut in tribus provinciis, Italiæ singulis annis in futurum (exceptis iis, in quibus Capitula celebrantur) Dietam, seu Definitorium instituere debeant, & teneantur per turnum singulis annis in qualibet Provincia post visitationem in ea ab eodem Abbate Generali peractam tempore, & forma à Constitutionibus præscriptis, & in loco à præcedenti Definitorio, seu Dieta designando, ibíque interesse, ac suffragium dare possint, & debeant præter Abbatem Generalem tres Visitatores Provinciales, sex Definitores, & duo supràn ominati Assistentes cum voto decisivo, locúmque in omnibus Congregationibus teneant post Visitatores, quos Assistentes cum eodem voto in Visitationibus Provinciarum peragendis ad præscriptum Constitutionum Ordinis cap. 11. tit. de ratione visitandi Monasteria, loco Definitorum Abbas Generalis secum assumat.

Decretum S. R. E Car negotiis, consult. Ep scoporum, & Regular præposito- rum circà materiam dequa in ru Constitutio nes Mona- chorum S. Basilii Ma- gni recen- sentur.

Reliqui Definitores duo ex quacumque Provincia suum Visitatorem Provincialem associabunt; unde præfati Assistentes veluti primi Definitores habeantur.

Ad supràdictas Dietas nullus, sive Prælatorum sive Monachorum accedat, nisi de licentia eorumdem Patrum Dietæ in scriptis concedenda, sed per literas sua negocia proponant.

In defectum verò alicujus ex supràdictis, vel per mortem, vel ob aliam causam liceat cæteris Patribus Definitorii in loco Dietæ suo tempore deputato, secretis suffragiis alium de numero Prælatorum, quem magis idoneum judicaverint subrogare.

Definitorii potestas, & auctoritas plena erit judicandi, audiendi, cognoscendi; atque determinandi, prout eisdem Patribus optimum visum fuerit, quicquid ad utilitatem, & commune bonum Congregationis, tàm quoad temporalia, quàm quoad spiritualia contigerit proponendum & statuendum.

Ad illos etiam pertinebunt electiones Abba-

tum,

tum, Priorum, Vicariorum, Magistrorum Novitiorum, Procuratorum, seu Cellerariorum, in casu tamen vacationis ob mortem, vel privationem eorumdem, & quæcumque aliæ promotiones tam ad gradus, & dignitates dari solitas, quam ad Ordines suscipiendos.

Ad hos pariter spectabit receptio Novitiorum, approbatio Studentium tam pro Collegio Græcorum Urbis, quam pro Seminariis deputatis, vel in futurum deputandis.

Item mutationes Abbatum, Priorum, Vicariorum, Magistrorum Novitiorum, Cellerariorum, & Monachorum quorumcumque de Monasterio ad Monasterium singulis trienniis faciendæ juxtà Constitutiones ejusdem Ordinis.

Demum in eadem Dieta diligens habeatur tractatus de reformatione Congregationis ad observantiam Regularem, corrigendo, & reformando ea omnia, quæ correctionis, & reformationis officio videbuntur indigere. Ita quòd si Abbatem, vel alium ex prædictis cognoverint à suo Monasterio amovendum, suspendendum privandum amoveant, suspendant, ac privent etiam non expleto sui officii tempore: Et si quid aliud gravioris momenti emerserit, quod per Dietam nequeat expediri, ad Capituli Generalis proximè futuri judicium referatur.

Neque Abbas Generalis, seu Visitatores extra Dietam, quodcumque ex prædictis terminare poterunt, aut super eo aliquid statuere, nisi per modum provisionis in casibus tantum, qui dilationem non patiuntur (ut informationes capere, processus fabricare, delegatos destinare. & alias commissiones facere contra Prælatos, aut delinquentes Monachos) & tunc non aliter, quam ipsemet Abbas Generalis, cum consilio, & voto in scriptis præfatorum Assistentium, & usque ad tempus celebrationis Dietæ, in qua ipsemet Abbas Generalis sub pœna privationis officii teneatur prædictas provisiones, & similia negotia exactè in Definitorio proponere, & Patrum sententias exquirere, quorum arbitrio erit provisiones hujusmodi per vota secreta approbare, vel aliter statuere, disponere, & providere prout in Domino judicaverint expedire.

Porrò, ut duo Assistentes (quos pios, & circumspectos Religiosos præsumendum est) liberiùs quidquid pro majori Congregationis bono expedire senserint proferre non timeant, prohibitum erit Abbati Generali quovis prætextu contra eosdem procedere ad privationem officii, vel suspensionem extra Dietam, in qua super prætensis reatibus denunciandi erunt, & Patrum Definitorum suffragio causa cognita judicandi.

De cætero in Electionibus Capitularibus Abbatis Generalis, Visitatorum, Assistentium, Definitorum, & Procuratoris Generalis Romanæ Curiæ faciendis se conformabunt Patres Vocales Decretis Sacri Concilii Tridentini sess. 25. cap. 6. de Regul. procedendo secretis suffragiis per schedulas impressas, sive una, eademque manu conscriptas, & in commune vas coram Scrutatoribus plicatas palam conjiciendas, ita ut ab omnibus interessentibus videri possint, neque nomina eligentium publicentur: Quod in omnibus Electionibus, quas fieri contiget tam in Capitulis Generalibus quam in Provincialibus exactè erit observandum.

...tuit in... tum de ... in §. deinceps fieri tan... locale.

Privilegia fel. record. Pauli Quinti, & Urbani Octavi, quibus Sacrosanctum Missæ Sacrificium (quod juxta primævum Ordinis Sancti Basilii Institutum, & antiquam consuetudinem Græcè celebratur) etiam Latinè à præfixo Sacerdotum numero pro speciali confluentium devotione fieri permittitur, ita in posterum servanda erunt, ut tantum localia censeantur, nec iis uti possint Monachi, nisi à Dieta (prævio rigoroso examine) approbati, & constituti fuerint inter Sacerdotes Latinè celebrantes, quorum numerum ultra præscriptum in præfatis Brevibus nullatenus augere liceat, sed in eventum, in quem de Monasterio ad Monasterium (quod non aliter quam urgentibus ex causis jussu Definitorii fiet) mutarentur; Aut subrogetur alter alteri Latinè celebranti; aut sublata dispensatione, & prohibitione prædictis Grecè tantum ad instituti sui formam celebrare possint, & teneantur, contrariis quibuscumque non obstantibus, Romæ 18. Septembris 1648.

Prædictas Constitutiones approbat. & confirmat hic S. Pontifex.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat Exponentes prædicti Decretum præinsertum, quo firmius subsistat, & exactius observetur Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent; Idcircò Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentiū dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulas hujus Cõfirmationis præservativas apponit.

§. 4. Decernentes præsentes literas validas firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Contrariis derogat.

§. 6. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 7. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Monasteriis, ac Superioribus quibuslibet, & Monachis, aliisque sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum omnium, & singulorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 5. die 2. Jan.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Januarii 1649. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Constitutio circa statum Regularium in Italia, & Insulis adiacentibus.

Regularium numerum (de quo agitur in hac Constitutione) in qualibet Domo præfigendum, secundùm illius bona statuit Sanctiss. D. N. Urbanus VIII. Constit. 45. Hoc fecerunt, & alii ejusdem Urbani Prædecessores; qui quidem numerus nonpotest augeri, etiam prætextu augmenti redditùum, sine licentia, ut declaratur in eadem Constitutione §. 13.

Edita An. D. 1649.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Trid. Synodus decrevit numerum in Domib. Regularib. præfigendum.

INter cætera, quæ ad Regularem disciplinam instaurandam, conservandamque Sacrosancta Tridentina Synodus salubriter decrevit, illud semper præcipuum, & maximi momenti habitum est, quo injungitur, ut in singulis Monasteriis & Domibus Regularibus tantùm is numerus constituatur, & in posterum conservetur, qui vel redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

Clem. VIII. Paul. V. & Urb. VIII varia decreta.

§. 2. Quapropter ad ejus usum inducendum fel. rec. Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. Romani Pontifices Prædecessores nostri varia Decreta ediderunt; Sed quia nihilominus, sive ob injuriam temporum, sive ob Superiorum incuriam, sive alias ob causas, illius executio hucusque protracta est non sine gravi Monasteriorum in spiritualibus, & temporalibus detrimento, ac Religionum jactura; Idcircò Nos nequaquam ignorantes quantum ex Monasteriis piè institutis, & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati, & commodo Ecclesiastici Ordinis detrahat multitudo Religiosorum, quæ sine delectu supra vires Monasteriorum in Religiones invehitur; Ac proinde arbitrati valdè acceptum, sacrisque Religionibus proficuum fore ut Decretum tam salubre debitæ executioni demandetur.

Mandat Superioribus Regularium, ut bona sui Ordinis recognoscant, & in scripturam redigant.

§. 3. De consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium: ac Dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis dilectis Filiis Generalibus, Commissariis, Præsidentibus, Provincialibus, Ministris, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum quorumcumque Monachorum, & Regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessariò, & in individuo exprimendi existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus sui Ordinis probatioribus, ac rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, ac proventus omnes Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum Regularium hujusmodi (etiamsi sint Hospitalia, vel ab alio Monasterio dependeant, sintve illius Granciæ, seu membra) sex annorum immediatè præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo quod grandines, sterilitates raparationes, & alii casus hujusmodi absorbere solent: Consuetas item eleemosynas, & obventiones. Item victus, vestitus, ac medicinalium, & alias quascumque, tam ordinarias, quam extraordinarias expensas, æris quoque alieni, necnon Missarum celebrandarum, Fabricæ, Sacristiæ, annuarum præstationum, contributionum, ac procurationum, aliave cujusvis generis onera diligenter, ac maturè recognoscant, eaque omnia in scripturam redigant, exprimentes ipsius Monasterii titulum, seu denominationem, item capacitatem, ac situationem, videlicet, in qua Diœcesi, an intra mœnia Civitatis, vel Oppidi, anve in Pagis, seu Villis, vel in Silvis, aut Nemoribus, & quantum distet à locis frequentibus, & populosis. Item à quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, & cujus sumptibus; Anve, & à quo numerus Religiosorum in eo fuerit aliàs præfixus, & quot ibi Religiosi, & Servientes in præsentia degant specificatis uniuscujusque nomine, cognomine, & Patria, scripturamque sic confectam propria manu subscribant, mediante juramento attestantes vera esse omnia, quæ in ea continentur, consuetoque sigillo obsignatam infra quatuor menses à publicatione præsentium in hac Alma Urbe nostra, ut infra, facienda computandos transmittant, seu consignent Procuratori generali sui Ordinis in Urbe commoranti, qui unà cum aliquibus gravioribus Religiosis à Congregatione prædictorum Cardinalium, & Prælatorum ad hoc specialiter deputandis, & negotio maturè perpenso, ac computandis hujusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, atque oneribus, ut supra detractis, sedulò examinent quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis Servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, Collegio, & Domo Regulari (quamvis ut præmittitur, sit Hospitium, seu alterius Monasterii membrum) juxta proprii Instituti morem, victum, & vestitum ac medicinalia in communi habentes commodè valeant sustentari, omnibusque diligenter discussis, familiæ cujusque Monasterii, Conventus, Collegii, ac Domus regularis hujusmodi in qualibet Provincia, vel Congregatione, certum earum tantùm personarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut supra, competenter ali possint, easque numeri præfixiones una cum originalibus scripturis super statu cujusque Monasterii, ac Domus Regularis à Superioribus, ut præfertur, confectis, infra alios quatuor menses eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum exhibeat, ut ab ea recognoscantur, & approbentur.

Negligentium pœ[nae]

§. 4. Quòd si memorati Superiores, ac Procurator Ordinis intra præfixum terminum prædicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ, & passivæ, necnon Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda perpetuam pœnam eo ipso, absque alia declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis, & Sedi Apostolicæ reservata.

Prohibet Habitum recipi, do[nec] prædi[ctæ] scriptu[ræ] fuerint e[x]positæ.

§. 5. Interea verò prohibemus, & interdicimus omnibus, & singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus, necnon Superioribus tàm Generalibus, quàm Provincialibus, & Localibus antedictis nè deinceps quemquam ad habitum suæ Religionis recipiant nec jam receptos, aut in posterum contra hujusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad Professionem admittant, donec scripturæ prædictæ, & præfixiones numeri Familiæ cujusque Monasterii, ac Domus Regularis hujusmodi, eidem Congregationi Cardinalium, & Prælatorum realiter, & cum effectu fuerint exhibitæ, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad Habitum, & Professionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tàm ad Habitum, quàm ad Professionem aliter factæ sint ipso jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad Religionem in specie, vel in genere, aut ad alios quoscumque effectus.

Contravenientibus pœnas im[p]onit.

§. 6. Et nihilominus contravenientes senten-

tiam

tiam excommunicationis incurrant, à qua per alium, quam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti absolvi non possint.

§. 7. Non obstantibus quòd præmissa omnia, & singula Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis JESU, & Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac Locorum Regularium quorumcumque, necnon aliorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis etiam ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, seu aliorum Principum instantiam, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem quòd præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur; Quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

§. 9. Quòdque earum præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus adhibeatur fides in judicio, & extra illud ubique, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Decembris 1649. Pontificatus nostri Anno sexto.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi Millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ Decimi, Anno sexto, die verò 22. mensis Decembris supradictæ literæ affixæ, & publicæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, per Nos Joannem Garziam, & Jacobum Cornelium prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Pro D. Magistro Cursorum Joannes Jacobus Pelliccia Cursor.

Confirmatio, Declaratio, & Extensio Constitutionum Apostolicarum de non contrahendo in favorem Forensium super bonis stabilibus in Statu Ecclesiastico consistentium.

Alienare, vendere, permutare ultra triennium locare, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedere, in non Vassallos, nemo potest bona stabilia in Statu Ecclesiast. ex Sixt. V. Const. 3. to. 2. Alienationem prædictam ampliavit Clem. VIII. in sua Constit. 78. tom. 3. & Paulus V. Const. 108. Item & Urbanus VIII. Const. 150.

INNOCENTIUS PAPA X.

Edita A. D. 1650.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Dudum fel. record. Sixtus Papa V. Prædecessor noster, ut tunc suorum, & Sedis Apostolicæ Subditorum conservationi prospiceret, Civitates, Castra, Oppida, Jurisdictiones, feuda, & bona quæcumque stabilia, seu immobilia in Statu Ecclesiastico consistentia per quemcumque cujusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existeret, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate, ac dignitate etiam Ecclesiastica, quæ specialem, & individuam mentionem requireret, præditus esset, nullatenus vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi sine sua, & Sedis Apostolicæ licentia in aliquam Communitatem, Universitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensem etiam, ut præmittitur quomodolibet qualificatam, quæ dictæ Sedi in temporalibus subdita, & supposita non esset, vel quæ in dicto Statu domicilium legitimè non contraxisset, prædictas verò Civitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & alia quæcumque Jurisdictionalia, præsertim feudalia tàm in forenses, quàm in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari, ac donari, nisi præcedente prædicta licentia Apostolica prohibuit, sub pœna nullitatis contractuum, aliorumque gestorum. In præfata tamen prohibitione, neque census, neque officia, neque portiones, seu loca Montium, nec mulierum dotes, nec Almam Urbem cum ejus circuitu ad decem millia passuum voluit comprehendi, filios tamen, & hæredes præfatarum mulierum soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona præfata in alium, seu alios habitatores, ac subditos transferre statuit, Civilitatibusque derogavit.

Constit. Sixti V. de qua in Rub.

§. 2. Deinde rec. mem. Clem. Papa VIII. etiam Prædecessor noster volens hominum malitiis, & fraudibus, quæ nedum directè, sed etiam indirectè circa præmissa committi possent, occurrere, & dubia quæ super illis emergebant declarare, per suas Dat. pridie Nonas Julii Pont. sui anno decimo confectas literas Constitutionem ejusdem Sixti Prædecessoris innovavit, & quascumque Communitates, Universitates, & Collegia, non tamen Ecclesiastica extra Statum Ecclesiasticum existentia, necnon etiam quosvis Principes extraneos bona aliqua stabilia non solum in finibus ejusdem Status Ecclesiastici, & juxta terminos, ac limites Ditionum eorumdem Principum, sed etiam in quacumque alia ejusdem Status Ecclesiastici parte, & in ipsa Urbe existentia, necnon census, aliaque bona, & jura, quæ pro stabilibus habentur (non tamen officia Romanæ Curiæ, nec portiones, & loca Montium) nullo contractus, præterquam ex causa dotis inter vivos titulo acquirere, & habere potuisse, neque deinceps posse declaravit, dictamque Sixti Prædecessoris Constitutionem ad quæcumque etiam genera Contractuum præterquam, ut præfertur, ex causa dotis, & ad dispo-

Const. Clem. VIII. 78.

sitionem inter vivos, ac etiam ad testamenta, codicillos, legata, fideicommissa, donationes causa mortis, & alias ultimas voluntates factas, & faciendas extendit, & ampliavit, pœnasque amissionis bonorum, & aliorum prædictorum contrafacientibus, ita quòd Sedes, & Cam. Apost. eo ipso possit illa propria auctoritate capere, & penes se retinere viventibus ita disponentibus, ac privationis officiorum Tabellionibus, & Notariis, qui de contractibus, ut præfertur prohibitis se rogarent, imposuit, aliaque etiam jussit, & decrevit.

Pauli V. Constit. 108. de qua in Rubr.

§. 3. Et insuper piæ mem. Paulus etiam V. Romanus Pontifex Prædecessor noster, ne disposita per Sixtum, & Clementem Prædecessores præfatos variis, & alienis ab eorum mente interpretationibus subverti, ac palliatis conventionibus eludi possent, etiam per suas sub Dat. 12. Kal. Decembris Pontificatus sui anno 13. confectas literas præfatas Sixti, & Clementis Prædecessorum Constitutiones declaravit, & extendit, ac licentiam prædictam in scriptis prius obtineri, & in actu celebrationis Contractus apud Notarium exhiberi mandavit, & contrafacientes nullitatis Contractuum, & privationis rei alienatæ, seu translatæ, vel gravatæ, ac Tabelliones, seu Notarios pœnas falsi, & privationis Officiorum omnium, quæ obtinerent, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum exercenda incurrere voluit, aliaque similiter disposuit.

Urb. VIII. Constit. 150. circa materiam.

§. 4. Ac postmodum fel. recor. Urbanus Papa VIII. itidem Prædecessor noster, quia hominum versutia, & artificium adversus prædictarum literarum tenorem, vel dictorum Prædecessorum verisimilem mentem, & intentionem cautelas, & modos absque præfata Rom. Pontificis licentia alienandi, & contrahendi adinvenerat, per quasdam sub Dat. Kal. Junii Anno Incarn. Dominicæ 1627. præfatas Constitutiones confirmavit, & in eis bona in confinibus Territorii Baronalis existentia, ac Castra diruta, & Tenutas sive prædia etiam non jurisdictionalia, censusque super bonis hujusmodi impositos, & illorum vigore jus prælationis comprehendi declaravit.

§. 5. Et successivè per alias sub Dat. 5. Kalen. Octobris ejusdem anni 1627. terminum illis, qui præmissis contravenerant, ut Contractus, & gesta quæcumque ut præfertur prohibita retractarent præfixit, Notarios quoque etiam Sedis Apostolicæ nuncupatos etiam de numero participantium intra eumdem trium mensium terminum tàm in exhibendo instrumenta, quàm etiam ulterius in adnotando in margine ipsorum Instrumentorum cassationem, retractationem, restitutionem, & repositionem in pristinum omnium contra Constitutionum, & literarum præfatarum tenorem actorum paruisse debere, aliàs privationis suorum Officiorum, & alias omnes pœnas in eisdem Constitutionibus, & literis inflictas incurrisse decrevit, & declaravit.

Const. Urbani VIII. prohibentis alienationem bonorum stabilium Status Ecclesiast. in extraneos habes in Indice Rubr.

§. 6. Ac demum comperto, quòd etiam ex dotibus, seu contractibus causa dotium poterat Sedi Apostolicæ sibi, ejusque subditis non modicum fieri præjudicium, idem Urbanus Prædecessor per alias sub Dat. die 3. Novembris 1637. respectivè expeditas literas, nedum easdem Sixti, Clementis, & Pauli Prædecessorum prædictorum Constitutiones, ac anteriores suas literas, omniaque, & singula in eis, & earum qualibet expressa, & prohibita, pœnasque tam nullitatis Contractuum, ac dispositionum, quàm alias quascumque ab eis, & singulis earum etiam contra Notarios, & alios quoscumque inflictas approbavit, confirmavit, & innovavit, verum etiam illas ampliando, & declarando, easdem Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta ad quoscumque Contractus causa, vel prætextu dotium quomodolibet in posterum ineundos, ac ad quascumque dotes etiam ratione educationis infantium, pupillorum, & aliarum personarum quarumcumque, & aliàs quomodolibet per quoscumque sive subditos, sive forenses, de quibuscumque bonis, & juribus, sive jurisdictionalibus, sive non jurisdictionalibus, stabilibus tamen, seu immobilibus, aliisve bonis, & juribus, quæ pro stabilibus habentur ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, præsertim in confinibus ejusdem Status pro aliqua ejus parte contigui sitis absqua sua, & Romani Pontificis pro tempore existentis expressa licentia præfata, etiam absque aliqua palliatione assignandas cuicumque puellæ, seu mulieri in favorem cujuslibet forensis etiam Principis majoris potentiæ, vel ejus patris, matris, avi, aviæ, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis etiam ex ejus fratre, vel sorore tunc nati, & quandocumque nascituri extendit, & ampliavit, addiditque pœnam privationis, & confiscationis ipsorum bonorum, ac jurium quorumcumque in favorem Cameræ Apostolicæ, sive Ecclesiarum inferiorum, à quibus contrahentes, vel disponentes illa recognoverant, & recognoscebant, ac insuper omnia & singula indulta & licentias acquirendi, & non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico, & bona quæcumque in non subditos transferendi, & aliàs contra prædictas Constitutiones quomodolibet concessa, & concessas eo usque revocavit, & aliàs prout in singulis prædictis Sixti, Clementis, Pauli, & Urbani Prædecessorum hujusmodi Constitutionibus uberius continetur.

§. 7. Licèt autem satis plana, & aperta sit prædictarum Constitutionum dispositio, & ex illis enixa voluntas, & intentio eorumdem Prædecessorum prohibendi quascumque conventiones de, & super bonis stabilibus, & juribus, quæ pro stabilibus habentur in d. Statu Ecclesiast. existentibus, seu illorum occasione in favorem forensium directè, vel indirectè, sive per viam pignoris, sive simplicis hypothecæ, sive cujuslibet actionis, etiam personalis, aut promissionis de vendendo, seu alteri non vendendo, seu de præferendo, si quando vendi contingeret, sive alterius cujuscumque promissionis, aut conventionis, & aliorum cujusvis generis contractuum, non præcedente tamen dicta Sedis Apostolicæ licentia, liquido eliciatur, itaut alii declarationi, seu interpretationi locus neutiquam esse videatur; Nihilominus quia Nobis innotuit nonnullos excogitatis quibusdam modis, & cautelis genuinum earumdem Constitutionum sensum invertere, & veram earumdem Prædecessorum intentionem declinare, ac pœnas in Constitutionibus hujusmodi comminatas evitare conatos fuisse, contrahendo sive per instrumenta publica, sive per apochas privatas, & quascumque alias scripturas cum forensibus super bonis immobilibus in dicto Statu Ecclesiastico existentibus non præcedente quidem expressa nostra licentia, at cum speciosa palliatione reservationis beneplaciti Apostolici, seu cum clausulis quatenus non obstent Constitutiones Apostolicæ, ac ex nunc pro tunc quando cessaverint eorum obstacula, & non alias, aliter, nec alio modo, aut per viam promissionis de vendendo, vel alteri non vendendo, seu aliis præferendo, & subrogando in juribus, & locum alterius, jus seu hypothecam in bonis hujusmodi habentis, aliisque similibus, vel dissimilibus clausulis conditionem, & consensum conditionalem; ac subrogationem in juribus, & privilegiis dotium inducentibus, necnon etiam cum relatione ad minutas, & scripturas penes contrahentes, vel alios retentas, vel contrahendo per Procuratorem, aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis, aut aliter concepti, vel per alium cujuscumque etiam quantumvis privilegiatæ, & expressam, ac individuam mentionem requirentis personæ, seu ejus bono-

rum

rum Administratorem cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam cum decreto Judicis, & aliis tàm de jure, quàm ex statutis, & quavis alia dispositione requisitis solemnitatibus prætendentes insuper sat esse, si forenses Civilitatem ex privilegio acquisiverint, vel apud acta publica contestentur eligere se, vel habere velle domicilium in Urbe, aut Statu prædicto, etiamsi re vera non concurrant cætera ad contrahendum legitimè domicilium juxta easdem Constitutiones requisita.

onstit. ædictas pprobat hic ont.

§. 8. Idcircò Nos, ut ea, quæ pro communi Status nostri Ecclesiastici bono, nostrorumque, & dictæ Sedis subditorum utilitate per dictos Prædecessores adeò providè, & salubriter constituta fuerunt, recisa omni obliquæ interpretationis ansa, adamussim, & inconcussè serventur pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes, rationesque quibus prædicti Prædecessores moti fuerunt etiam in contractibus cum prædictis clausulis, & conditionibus initis, immo majores propter adeo studiosam sententiæ dictarum Constitutionum circumventionem urgere attendentes, necnon prædictarum Constitutionum, ac quorumcumque contractuum contra illorum formam, & mentem initorum, licentiarumque si quæ sint, contrahendi cum forensibus super bonis, & juribus prædictis per Prædecessores nostros, aut etiam Nos ipsos, vel nostra, & illorum authoritate quomodolibet forsan concessarum, aliorumque hic etiam de necessitate exprimendorum, & inserendorum tenores, ac datas etiam veriores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes: Motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione præfatas Sixti, Clementis, Pauli,& Urbani Prædecessorum hujusmodi Constitutiones, ac omnia, & singula in illis, & earum qualibet contenta, confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis confirmationis, & approbationis vim, & robur adjicimus, & quatenus opus sit, illas & illa innovamus.

ontractus im reserva- one bene- acitt post. &c. ic Constit. omprehen-

§. 9. Ac insuper Contractus hujusmodi cum reservatione beneplaciti Apostolici, seu cum clausulis quatenus non obstent Constitutiones Apostolicæ, ac ex nunc pro quando cessaverint earum obstacula, vel personarum incapacitas seu inhabilitas, & non aliàs aliter, nec alio modo, aut per viam promissionis de vendendo, & alteri non vendendo, seu aliis præferendo, & subrogando in juribus, & locum alterius jus, seu hypothecam in bonis hujusmodi habentis, etiam in juribus, & privilegiis dotium, aliisque similibus, vel dissimilibus clausulis, etiam conditionem & consensum conditionalem inducentibus, necnon etiam cum relatione ad minutas, & scripturas penes contrahentes, vel alios retentas, ac etiam per Procuratorem, aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis, aut sub quocumque alio verborum tenore, & conditione concepti, vel per alium cujuscumque etiam quantumvis privilegiatæ, & expressam, ac individuam mentionem requirentis personæ seu ejus bonorum Administratorem cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis existentibus etiam cum decreto Judicis, & aliis tàm de jure, quàm ex statutis, & quavis alia dispositione requisitis solemnitatibus initos, & deinceps ineundos sub præfatis Constitutionibus, & prohibitionibus comprehensos fuisse, ac esse, & de cætero fore, omnesque, & singulos sic contrahentes pœnis in eisdem Constitutionibus inflictis subjacuisse, & subjacere.

t licentiam) scriptis otinendam eclarat.

§. 10. Præterea nostram, & pro tempore existentis Romani Pontificis licentiam in scriptis obtinendam quemcumque contractum cum quibusvis pactis, & conditionibus in favorem forensis super bonis, juribusque prædictis initum, & ineundum realiter præcedere ad effectum ut contrahentes essent, & sint habiles ad contrahendum tempore contractus, eamdemque licentiam in ipso contractu, scripturisque desuper confectis, & conficiendis de verbo ad verbum, ut de ejus tenore certius constet, inseri debuisse, & debere: Civilitatemque cujuscumque Civitatis, & Loci, etiam Urbis ex privilegio etiam Apostolico, & ex quacumque causa, & titulo etiam oneroso, ac sub quavis verborum amplitudine acquisitam, aut domicilii in Urbe, vel Statu prædictis etiam apud acta publica electionem nequaquam suffragari potuisse, & posse; ad effectum, ut aliquis quoad præmissa forensis non censeatur, sed oportuisse, & oportere ut forensis verè, realiter, & personaliter, ac cum effectu domicilium scilicet larem, rerumque, & fortunarum suarum summam in Urbe, vel Statu prædictis in perpetuum ante contractum hujusmodi legitimè constituerit, cum animo & intentione non recedendi, neque ad prædictum effectum habitationem quantivis temporis, sive ratione officii, muneris, servitii, aut etiam studii, sive ex alia quacumque causa suffecisse, nec sufficere declaramus.

§. 11. Ad hæc cum æquè præjudiciale Sedi prædictæ, suisque subditis esse comprobetur super Casalibus, & Tenutis, ac Pedicis propè Urbem prædictam existentibus in favorem forensium quomodolibet contrahi, propterea Constitutiones prædictas, ut præmittitur, declaratas, ac omnia in eis contenta, etiam ad quæcumque Casalia, seu Tenutas, & Pedicas, sive Jurisdictionalia, sive non Jurisdictionalia ultra quatuor ab eadem Urbe milliaria consistentes extendimus, & ampliamus. Etsi quod Casale, vel Tenuta, aut Pedica partim ultra, & partim intra quatuor milliaria hujusmodi existat, illam partem, quæ est ultra quatuor milliaria cujuscumque quantitatis sive sit principalis, sive accessoria alterius partis infra quatuor milliaria existentis, sub prædictis Constitutionibus per Nos, ut præfertur, declaratis & extensis in futurum comprehendi volumus.

Alia præjudicialia Sedi Apostol. prohibet.

§. 12. Ac ut eo major sit prædictarum, & hujus nostræ Constitutionis observantia, quo gravioribus pœnis munitæ fuerint, ultra pœnas in dictis Prædecessorum prædictorum Constitutionibus appositas, aliasque à jure communi contra similia perpetrantes inflictas (salvis tamen semper quibuscumque Cameræ nostræ prædictæ juribus, quoad pœnas vigore Constitutionum prædictarum Prædecessorum nostrorum hujusmodi, ac de jure communi, & aliàs quomodolibet etiam quoad pretium, & contra quascumque personas etiam quantumvis privilegiatas etiam ratione cujuscumque minoris ætatis incursas, etiam quoad Tutores, Curatores, Actores, Administratores, Procuratores, & negociorum gestores, & alios quoscumque cujusvis gradus, conditionis, & dignitatis, hactenus, tàm super bonis, quàm super pretio quomodolibet acquisitis, & competentibus) etiam pœnas confiscationis bonorum, & jurium prædictorum si sine præcedente licentia prædicta, & ut præmittitur, inserta super illis in favorem forensis quoquomodo etiam cum prædictis, & quibusvis aliis conditionibus, & cautelis contrahens illorum Dominus absolutus fuerit, ex tunc in perpetuum; alioquin si fideicommisso, aut primogenituræ, aliàsve restitutioni obnoxia fuerint durante vita contrahentis dumtaxat ad favorem Cameræ Apostolicæ, vel aliorum locorum piorum, à quibus bona prædicta recognoscuntur, etiamsi contractus initus fuerit per Tutorem, Curatorem, Actorem, Administratorem, Procuratorem, negotiorum Gestorem, & quemcumque alium cujusvis gradus, & conditionis, dignitatis, necnon quatenus in dictis Constitutio-

Ultra pœnas in d d. Constitutionibus appositas superaddit.

nibus explicite, vel implicite non contineretur, etiam pœnam confiscationis pretii, vel ejus, quod erit loco pretii bonorum hujusmodi, sive solutum, sive promissum, sive destinatum, & interim ad cambium, aut sub alio interusurio, seu alio quocumque nomine, & titulo penes contrahentes, vel alios relictum fuerit ad favorem Cameræ prædictæ eo ipso absque alia declaratione; Illis verò, qui alieno nomine contraxerint, vel consensum desuper quomodolibet præstiterint cujuscumque gradus, vel conditionis, aut dignitatis existant, pœnas Nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio eo ipso pariter incurrendas addimus, & adjungimus.

Omnes contrahendi licentias revocat.

§. 13. Demum alteri simili per Nos aliàs factæ revocationi inhærendo omnes, & quascumque licentias, & facultates contrahendi sine prævia nostra, & pro tempore existentis Rom. Pontificis licentia super bonis, juribusque prædictis in favorem Forensium à Prædecessoribus nostris, seu eorum auctoritate, vel etiam à Nobis ipsis cuicumque etiam speciali mentione digno etiam motu simili, & aliter quomodolibet concessas denuo revocamus, annullamus, & abolemus, neminique in futurum suffragari volumus.

Quibusdam casibus, qui jam evenerunt, providet.

§. 14. Cæterùm quoad casus, qui jam evenerunt uberius providere volentes, (salvis tamen semper juribus Cameræ prædictæ quoad pœnas vigore Constitutionum prædictarum Prædecessorum nostrorum hujusmodi, ac de jure communi, & aliàs quomodolibet etiam quoad pretium, & aliàs, ut supra dictum est, incursas) omnibus, & singulis etiam minoribus cujuscumque ætatis, qui contra præfatarum dictorum prædecessorum Constitutionum per Nos, ut præmittitur, declaratarum, & hujus nostræ dispositionem per se, vel per alium, & aliàs quomodolibet etiam cum decreto Judicis, & aliis solemnitatibus, ut præmittitur, contraxerunt, etiamsi minores cujuscumque ætatis, & alii quicumque prætenderent, se in pœnas per præfatas, & hanc nostram Constitutiones inflictas minimè incidisse, necnon prædictis omnibus, & singulis, qui alieno nomine contraxerunt, vel desuper consensum quomodolibet præstiterunt, cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis existentibus terminum trium mensium à die publicationis præsentium computandum intra quem omnes, & singuli prædicti omnia, & singula contra tenorem Constitutionum hujusmodi gesta, & inde secuta quæcumque retractasse, & revocasse, actuque retrosimili re ipsa, & cum effectu in pristinum, & eum, in quo ante contraventionem quomodolibet erant, statum restituisse, ac reposuisse prorsus, & omnino debeant, earumdem tenore præsentium præfigimus, quo termino elapso, præmissisque non parito, statim, & eo ipso absque alia declaratione intrare omnes, & singulas pœnas etiam per Nos, ut præfertur, additas, ac dilectum filium Cameræ prædictæ Commissarium Generalem posse, & debere ejusdem Cameræ nomine, absque alia declaratione, & nemine citato, manuque regiaque, & executivè, ac etiam de facto circa vitium spolii, nullitatis, & attentatorum possessionem bonorum, & jurium, super quibus initi fuerint contractus capere ad effectum illa ex tunc in perpetuum, vel durante vita perperam, ut præfertur, contrahentium respectivè juxta dictas Prædecessorum prædictorum, & hanc nostram Constitutiones retinendi, fructusque illorum ad utilitatem ejusdem Cameræ percipiendi, ac insuper etiam pretia bonorum, & jurium hujusmodi, quæ loco pretii erunt pro eadem Camera, etiamsi quoad contrahentes, & eorum quemlibet pretia restituta, aut alia in recompensam soluta, vel ab eis, quomodolibet promissa, ac inter partes conventa adimpleta non fuerint percipere, & exigere, neminemque etiam minorem cujuscumque ætatis, ex quacumque causa quantumvis legitima, & favorabili, & ex quocumque capite, & prætextu quominus præmissa omnia, & singula infra dictum terminum omninò adimpleat, illoque elapso, & præmissis integrè non adimpletis pœnas prædictas incurrat excusari posse, aut debere, reservata tamen minoribus prædictis contra illos, qui eorum nomine contraxerunt actione: illos verò, ut præmittitur, qui alieno nomine contraxerunt, vel consensum desuper quomodolibet præstiterunt, cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis existant, si præmissa non adimpleverint nostri, & pro tempore existentis Rom. Pontificis arbitrii pœnas eo ipso incurrisse, & incurrere.

Notariis injungit hujusmodi revocationem margine annotare.

§. 15. Tabelliones quoque, & Notarios quoscumque etiam Sedis Apostolicæ nuncupatos, etiam de numero participantium intra eumdem trium mensium terminum tam in exhibendo instrumenta super præmissis per eos confecta, quàm etiam in adnotando in margine ipsorum instrumentorum cassationem, revocationem, retractationem, restitutionem, & repositionem in pristinum omnium contra earumdem Constitutionum tenorem gestorum paruisse debere, alioquin privationis Officiorum suorum, omnesque alias pœnas in hujusmodi Constitutionibus inflictas incurrisse, decernimus, & declaramus.

Loca montium, neque officia Romanæ Curiæ comprehenduntur.

§. 16. Inhærentes autem etiam hac in parte præfatarum Constitutionum eorumdem Prædecessorum dispositioni, volumus, & expressè declaramus, bonorum & jurium præfatorum appellatione, neque portiones, seu loca Montium, neque Officia Romanæ Curiæ comprehendi.

Clausulæ præservativæ.

§. 17. Decernentes etiam præsentes litteras, omniaque, & singula in eis contenta etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea minimè vocati & auditi, causæque propter quas eædem præsentes emanarunt, justificatæ non fuerint nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque, Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Clericos præsidentes, aliosque Ministros, & Officiales Cameræ Prædictæ, necnon S. R. E. Camerarium, sive Procamerarium, & quoscumque alios Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Nuncios, ac alios quavis potestate fungentes, nunc & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definire debere, ac irritum, & inane si secus à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 18. Injungentes, & mandantes in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub pœna indignationis nostræ iisdem Camerario, seu Procamererio, Legatis, Vicelegatis, ac Thesaurario nostro Generali, necnon Gubernatoribus Urbis, & quibusvis aliis Judicibus nnnc, & pro tempore in eadem Urbe, & toto Statu nostro Ecclesiastico existentibus, & cuilibet eorum, ut præsentes nostras, & in eis contenta quæcumque in Urbe, ac Statu prædictis ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & in futurum spectabit perpetuò observari mandent, & faciant, & pro omnium & singulorum præmissorum inviolabili observatione contra inobedientes, & præmissis in aliquo contravenientes, & alios, quos opus erit omnibus juris, & facti remediis opportunis proce-

dant

dant omni, & quacumque appellatione remota.

ntiariis ogatio.

§. 19. Non obstantibus præmissis, necnon præfatis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam Cancellariæ nostræ Regulis etiam illa de non tollendo jure quæsito, ac quibusvis primogenituris, juribus succedendi, fideicommissis purificatis, & purificandis, ac ultimis voluntatibus, donationibusque, & pactis quibuslibet, necnon statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis locis & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam insolitis clausulis ac decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter, etiam ad Imperatoris, Regum, aliorumque Principum, & Rerumpublicarum instantiam, seu illorum intuitu, & contemplatione, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis, omnibusque illis, quæ dicti Prædecessores in suis respectivè Constitutionibus prædictis voluerunt non obstare. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda, seu quævis alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

rma pu icationis.

§. 20. Ut autem nemo præmissorum ignorantiam allegare possit, volumus quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris in valvis Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ de Urbe affigantur, & publicentur, quæ sic affixæ & publicatæ omnes & singulos arctent & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

ansum- orum fi- s.

§. 21. Quòdque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

ar. P. An. 6. e 1. Febr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Februarii 1650. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

ablicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo, Indictione tertia, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Innocentii Divinâ Providentia Papæ Decimi anno sexto, die verò quarta mensis Februarii supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe per me Joannem Antonium Bertarellum S. D. N. Papæ Cursorem.

Hieronymus Mascella Mag. Curs.

XLII.

Constitutio super approbatione, & usu Cæremonialis Episcoporum, & aliorum Ecclesiarum Prælatorum novissimè reformati.

Pontificalis pro Ritibus Ecclesiæ observandis editionem, & approbationem habes in Clem. VIII. Const. 38.

INNOCENTIUS PAPA. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1650.

Exordium.

ETsi aliàs Fel. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster Cæremoniale Episcoporum, omnibus Ecclesiis, præcipuè autem Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis perutile, ac necessarium, in quo Ritus, & Cæremoniæ celebrandi divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus, & actionibus ab iisdem Episcopis, aliisque Prælatis inferioribus observandæ, ac modus etiam præcedendi tàm inter personas ipsas Ecclesiasticas, quàm etiam inter eas & Laicos similiter servandus continentur, multis antea mendis refertum corrigi, & restitui curaverit, attamen successu temporis compertum est, plurimos errores & menda in idem Cæremoniale, sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum incuria, aliave de causa irrepsisse, illudque proinde iterata emendatione indigere.

Ceremoniale de quo in Rubr. corrigi, & emendari mandat Summus Pont.

§. 1. Ea propter Nos pro pastorali nostra sollicitudine id ipsum Cæremoniale Episcoporum à nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque piis & eruditis, Sacrorumque Rituum, Cæremoniarum apprimè peritis Viris corrigi & emendari mandavimus, quod cum ab illis accuratissimè præstitum fuisse acceperimus, idcircò ne tàm utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re Cardinalium, & aliorum prædictorum labor optato frustretur effectu.

Sicque recognitum, & emendatum confirmat & approbat.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu Nostro, ut præmittitur, recognitum & emendatum perpetuò confirmamus approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus, & singulis personis, ad quas spectat, & in futurum spectabit, perpetuò observandum esse præcipimus, & mandamus, ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omninò detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque ipso Cæremoniali contenta facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præstanda juxta hujus Cæremonialis formam & præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse perpetuò statuimus & ordinamus. Per præsentes autem antiqua Cæremonialia in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minimè aboleri, aut abrogata censeri volumus; sed illorum etiam usum (salva emendatione prædicta) permittimus.

Contraria tollit.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Ecclesiis, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Prædicti ceremonialis usum injungit.

§. 4. Volumus autem, & pari Motu, & auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus, qui verò intra montes octo, & qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integrè excursis, vel aliàs, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam, & facultatem habuerint, Sacras Cæremonias, & Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos juxtà il-

lius modum, & normam in quibuscumque actibus exercere, & observare teneantur.

§. 5. Quòdque earumdem præsentium litterarum exemplis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiæ munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressis, eadem ubique locorum, & gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 6. die 30. Jul.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Julii 1650. Pontificatus Nostri Anno 6.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, Indictione quarta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ Decimi, anno ejus septimo, die verò 11. mensis Januarii, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit in Cancellaria Apostolica, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Camillum Frisonum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Pro Mag. Curs. Joannes Garzias Curs.

XLIII.

Concessio Indulgentiarum præsentis Anni Jubilæi pro Monialibus, Anachoretis, Eremitis, Carceratis, & Infirmis.

Consimilem gratiam fecit Urban. VIII. in Anno Jubilæi 1625. Monialibus, & Anachoretis in Constit. 14. Pontificia solicitudo.

Edita An. D. 1650.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pontificia solicitudo quamvis omnium Christi fidelium saluti prospiciat, præcipuè tamen spiritualibus sanctimonialium profectibus paternæ charitatis affectu studet providere, ipsæ enim sunt filiæ quæ oblitæ populum suum, & domum Patris sui animi splendore cælestem Regem oblectant, ipsæ sunt prudentes virgines, quæ lampades suas charitatis flamma succensas providè aptantes meliorem partem elegerunt, & dum vitam cœlitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad cælum viam sternunt, sed jejuniis, vigiliis, & orationibus, cæteris quoque Christi fidelibus eam aperire student.

§. 1. Quare summoperè optandum est, ut vitæ rationem, quæ eas Angelis quodammodo æquat, & constantissimè retineant, ac dent operam, ut sicuti præclaros hic agunt de carne in carne triumphos, ita post hujus vitæ certamina in cælesti patria feliciter coronentur. Quoniam autem consimile vitæ genus quamplurimi Anachoretæ, atque Eremitæ, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt, spiritualibus quoque ipsorum incrementis paternis visceribus maximè ducimus consulendum.

§. 2. Cùm igitur tàm ipsi, quàm prædictæ sanctimoniales perpetua vivant clausura mancipatæ; Necnon multi, ut accepimus, utriusque sexus Christi fideles partim carceribus detenti, partim vero diuturna infirmitate præpediti non solum in Alma Urbe nostra, & Italia, sed aliis etiam Regionibus, Provinciis, & locis reperiantur, qui & quæ respectivè impedimentis hujusmodi remotis pro percipiendis præsentis Anni Jubilæi fructibus ad Almam Urbem nostram omninò venirent, & Basilicas Ecclesiasque ad id deputatas benedicente Domino indubitanter visitarent, ob prædicta impedimenta ad Urbem hujusmodi minimè venire, neque respectivè Basilicas, & Ecclesias ipsas visitare valeant.

§. 3. Nos pro Pastoralis officii nostri debito, paternaque charitate illorum omnium animarum saluti quantum cum Domino possumus, prospicere volentes; Omnibus & singulis Sanctimonialibus, necnon Anachoretis, atque Eremitis hujusmodi, necnon utriusque sexus Christi fidelibus, tàm carceratis, quàm infirmis prædictis tantum, & qui aliàs impedimentis longæ carcerationis, ac diuturnæ infirmitatis cessantibus ad hanc Almam Urbem pro thesauris spiritualibus hujusmodi consequendis venturi fuissent verè pœnitentibus, & confessis, quòd in locis ubi eos esse contigerit, pia Christianæ pietatis, & charitatis opera juxta formam ab Ordinariis locorum, seu Sanctimonialium, & Anachoretarum, Eremitarumque hujusmodi Superioribus, vel de eorum mandato à prudente Confessario: In Alma verò Urbe à dilecto filio nostro Vicario, seu ejus Vicesgerente tantum præscribendam pro cujuslibet statu, & conditione, ac loci, & temporis ratione habita exercendo, & alia nostris in litteris Indictionis Anni Jubilæi contenta adimplendo, omnes & singulas Indulgentias & peccatorum remissiones etiam plenissimam consequantur, & eorum quilibet consequatur, quas consequerentur, & consequi possent, si in hoc præsenti Anno Jubilæi diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas Basilicas, & Ecclesias Almæ Urbis etiam extra illius muros, pro quibus visitandis Jubilæum, & Indulgentiæ prædictæ concessæ sunt personaliter visitarent, & eorum quilibet visitaret; Eisdemque Sanctimonialibus, & Christi fidelibus impeditis hujusmodi, ut ad effectum præsentium, Confessarios Presbyteros Seculares, vel cujusvis ordinis Regulares ab eisdem Ordinariis locorum ad id probatos, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos, & eorum quemlibet à quibusvis peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enorminibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, injuncta eis pœnitentia salutari, absolvere possint, eligere valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concedit prout in Rubrica.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 6. die 12. Febr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Febr. 1650. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

XLIV.

Declaratio quòd Indulgentia Portiunculæ in Anno Sancto non revocatur.

Similem declarationem peregit Urban. VIII. Constit. 15. Cum nuper &c. in anno Sancto 1625.

Edita An. D. 1650.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Cum ob Sacri Jubilæi celebrationem à vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi præsentis Anni inchoatam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis locis piis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessas, deque Apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus, ac suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desu-

per

per expeditis literis quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. 1. Nos cupientes, ut Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia propè & extra muros Civitatis Assisiensis congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christi fideles eo lubentius accedant quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint.

Declarat prout in rubr.

§. 2. Tenore præsentium declaramus, mentis & intentionis nostræ minimè fuisse, nec esse sub prædicta Indulgentiarum suspensione Indulgentiam utriusque sexus Christi fidelibus prædictam Ecclesiam de secunda mensis Augusti à primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi visitantibus; & requisita pro eadem Indulgentia consequenda peragentibus concessam comprehendere, prout minimè comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis attestamur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Contrariis derogat.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Julii 1650. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

P. An. 6. 5. Julii.

XLV.

Suppressio Ordinis Sancti Basilii de Armenis.

Quidam alii Ordines suppressi, & extincti à Summis Pontificibus propter eorum scelera, ut Templariorum, & Humiliatorum. De ultimis videri potest Pii V. Constit. 120.

Edita An. D. 1650.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Commissa Nobis à supremo Patre familias Agri Dominici cura postulat, ut satos in eo utiliter Religiosorum virorum Ordines veluti plantas virtutum feraces, ubi deficiente primigenio disciplinæ regularis vigore, pro fructibus bonorum operum, spinas scandalorum producere noscuntur, tanquam arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas extirpemus, prout re maturè pensata conspicimus in Domino salubriter expedire.

Scandala ex Ordine S. Basilii de Armenis exorta.

§. 1. Cùm itaque sicut accepimus, dilecti Filii Religiosi Ordinis Sancti Basilii de Armenis, qui numerum quadraginta in totum non excedunt, Ecclesias, & Conventus Sancti Bartholomæi Januensis ac Sanctorum Cosmæ, & Damiani Mediolanensis Civitatum, una cum Ecclesiis, & parvis Conventibus Sanctorum Caroli, & Justinæ Papiensis, & Sancti Petri ad Pontem Coronæ Terdonensis Diœcesis diù obtinuerint, ac de præsenti obtineant, sintque animis adeò discordes ut simul religiosè convivere, & sese invicem sufferre minimè queant, ac propterea quamplurimæ rixæ, dissensiones, scandala, delationes armorum, vulnera, propinationes veneni, & homicidiorum tractatus, immò ipsa quoque homicidia secuta fuerint, & odiis regnantibus indies pejora timeri possint præcipuè cum ob hoc relaxata disciplina regulari, neglectisque literarum studiis Juventus pravè educata, ac ut plurimum extra claustra pernoctans nullam spem faciat melioris frugis, & reformationis.

Eum supprimit Summus Pont.

§. 2. Idcircò Nos de Consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præmissa visitatione Apostolica per religiosos viros, zelo & pietate præstantes, & ad hoc specialiter delegatos, visisque & examinatis actis, & processibus visitationis hujusmodi, negotioque sæpius proposito illud maturè discusserunt: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Ordinem Sancti Basilii de Armenis prædictum, tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac Religiosos Ordinis suppressi hujusmodi quoad vixerint, omnimodæ jurisdictioni, & obedientiæ Ordinariorum locorum subjicimus in Habitu Clericorum Secularium, assignata iisdem congrua sustentatione ex redditibus earumdem Ecclesiarum, & Conventuum ad ratam scutatorum quadraginta annuorum monetæ Romanæ pro quolibet Clerico cum obligatione tamen satisfaciendi oneribus Missarum & inserviendi Ecclesiæ arbitrio Ordinarii pro Laicis vero, seu Conversis ejusdem Ordinis, unicuique eorum ex prædictis redditibus quotannis scutata viginti ejusdem monetæ, ut unà cum propriis laboribus se alere possint, assignamus.

§. 3. Præterea utrisque, tàm Clericis quàm Laicis facultatem transeundi ad quamcumque aliam Religionem ab hac Sancta Sede approbatam, in quàm benevolos invenerint receptores, & in ea Professionem emittendi præmisso probationis anno, ac servatis de jure servandis concedimus Demum Ecclesias, Conventus, pretiosam suppellectilem, ac omnia mobilia tàm sacra, quàm profana, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque ad dictum Ordinem suppressum quovis modo spectantes, seu spectantia, & in quovis loco existentes, vel existentia satisfactis oneribus, & deductis portionibus, ut præfertur, assignatis applicanda fore, & esse in alios pios usus ad arbitrium nostrum.

Ejusque Religiosis facultatem transeundi ad aliam Religionem concedit

§. 4. Præsentes quoque literas etiam ex eò, quòd Superiores, & alii Religiosi dicti suppressi Ordinis & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel consuetudine aliqua resultante etiam in Corpore Juris clauso, seu etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud posse, sed easdem præsentes semper perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes & singulos ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula præservativa.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ác S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausula sublata.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, &

Clausula derogatoria.

Ordi-

Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus sit Regula nostra de non tollendo jure quæsito, necnon dicti suppressi Ordinis, illiusque Conventuum, ac Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Religiosis, & personis quibuslibet sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis etiam irritantibus, etiam Motu simili etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 7. die 29. Octobris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 29. Octobr. 1650. Pontificatus Nostri Anno 7.

XLVI.

Prohibitio extrahendi Libros ex Bibliothecis Domorum Fratrum Reformatorum Strictioris Observantiæ Provinciæ Romanæ.

Edita An. D. 1651.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Conservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecarum Domorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatæ Provinciæ Romanæ, scilicet, Sancti Francisci Transtyberim, ac Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe, & Sancti Antonii de Monte nuncupatæ Reatinæ, ac Sanctæ Mariæ Gratiarum etiam nuncupatæ Setinensis Civitatum, nec non Sancti Petri Terræ, seu loci de Carpineto Anagniensis Diœcesis &c. quantum cum Domino possumus, benignè consulere, ac dilectum Filium Felicem à Setia modernum Ministrum Provincialem Provinciæ, & Ordinis hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus dicti Felicis Provincialis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet, prout in Rubrica. §. 1. Ne de cætero quisquam quavis auctoritate & superioritate fungens libros quinterna, folia, aut scripturas tàm impressa, quàm manuscripta, tàm hactenus per quoscumque Christi fideles dictis Bibliothecis donata, & assignata, quàm imposterum forsan donanda, & assignanda quibusvis personis commodare, aut sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, vel occasione è dictis Bibliothecis, seu earum aliqua extrahere, & asportare, seu ut commodentur, vel extrahantur, & asportentur, permittere, aut consentire audeat, seu præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ à qua nemo nisi à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium præterquam in mortis articulo constitutus obtinere queat, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

§. 2. Permittimus tamen dictarum Domorum Fratribus verbum Dei prædicantibus, & studiis operam navantibus libros, quinterna, & folia hujusmodi è dictis Bibliothecis extrahere, & illis in eorum cellulis tantum uti, sed ut finito usu hujusmodi illos, seu illa ad dictas Bibliothecas respectivè sub eisdem pœnis referre teneantur.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Domorum, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 4. Volumus autem quòd præsentis prohibitionis copia in valvis singularum Bibliothecarum Domorum hujusmodi, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat. Quòdque transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 7. die 27. Julii. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Julii 1651. Pontificatus nostri Anno Septimo.

XLVII.

Translatio Indulgentiæ plenariæ perpetuæ concessæ à fel. record. Greg. XV. Ecclesiis Societatis Jesu, in Festo Sancti Francisci Xaverii, in feriam secundam Adventus, quando Festum Sancti Francisci Xaverii venerit in prima Dominica Adventus.

De hac Indulgentia lege, quæ notavi ad Constit. 234. Urban. VIII. Aliàs &c.

Edita A. D. 1651.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Concessio Greg. XV. Aliàs fel. record. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster volens omnes, & singulas Ecclesias Presbyterorum Societatis Jesu, vel eorum aliquam ubique existentes aliquo Spirituali munere illustrare auctoritate sibi à Domino tradita: Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dictæ Societatis ubique existentibus die Festo S. Francisci Xaverii secunda die Decembris celebrari solito, à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi singulis annis devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuò concessit, prout in ipsius Gregorii Prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis confectis pleniùs dicitur contineri.

Motiva Translationis Indulgentiæ. §. 1. Cùm autem sicut dilectus Filius Pyrrus Gherardus dictæ Societatis Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit Festum Sancti Francisci Xaverii prædicti quandocumque in primam Dominicam Adventus incidat, impediatque propte-

rea

rea celebrationem Festi hujusmodi Nobis idcircò humiliter supplicari fecit quotiescumque de cætero festum prædictum S. Francisci Xaverii in Dominicam primam Adventus inciderit, tunc eo casu illud in feriam secundam prædictam primam Dominicam Adventus immediatè sequentem transferre de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos dicti Pyrri Procuratoris Generalis supplicationibus hac in parte annuere volentes, quotiescumque de cætero Festum Sancti Francisci Xaverii prædicti in primam Dominicam Adventus inciderit, tunc eo casu illud in feriam secundam primam Dominicam Adventus immediatè sequentem, itaut Christi fideles præmissa dictâ feriâ secundâ adimplentes, eandem prorsus Indulgentiam consequantur, quàm consequerentur, si eadem præmissa die Festo S. Francisci Xaverii adimplerent servatâ aliàs in omnibus, & per omnia litterarum prædictarum formâ eadem Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuis futuris temporibus etiam transferimus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Octobris 1651. Pontificatus nostri anno Octavo.

Pro Congregatione Cassinensi Prorogatio ad extinguendum Census.

De hac materia lege, quæ notavi ad Constitutiones 215. Exponi. & ad Constit. 252. Aliàs. Urbani Octavi.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Angeli Mariæ à Parma Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis Ord. S. Benedicti Nobis expositum fuit, quòd aliàs diversis vicibus à suis Prædecessoribus Procuratoribus, & à majori parte Monasteriorũ ejusdem Congregationis super eorum bonis stabilibus diversi annui, & redimibiles census impositi fuerunt cum debitis licentiis, & cum hoc onere ut census hujusmodi intra certum tunc expressum tempus extingui, & redimi, & ad hunc effectum certæ pecuniarum ratæ sub certis tunc expressis censuris, & pœnis, ipso facto incurrendis deponi deberent; Cum autem sicut eadem Expositio subjungebat etiamnum malus eorumdem Monasteriorum status perduret, itaut illa penitùs, & omninò reddantur imparia ad dictos census extinguendum, ratasque hujusmodi consequenter deponendum, & tempus, seu tempora aliàs ad eorumdem censuum extinctionem, & ratarum depositionem prædictas assignata majori parti eorumdem Monasteriorum propediem expiratura, & pro aliquibus ex eisdem Monasteriis occasione mutationis Officialium, sine tamen eorum scitu quorum erat præmissis providere forsan etiam expirata sint.

§. 1. Nobis propterea idem Angelus Maria humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur eumdem Angelum Mariam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore-censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Angelo Mariæ Procuratori, & seu omnibus, & singulis Monasteriis ejusdem Congregationis, quæ censibus hujusmodi gravata sunt, ut præfertur tempus, seu tempora quinque annorum à Data præsentium computandum, intra quæ census hujusmodi per eos ad quos spectabit sub pœnis in concessione licentiarum eosdem census imponendi expressis extingui, & redimi omninò debeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & assignamus.

§. 2. Et insuper dictum Angelum Mariam Procuratorem, & seu Monasteria hujusmodi ab onere deponendi ratas hujusmodi interim liberamus, ac quoscumque eorundem Monasteriorum Abbates, & Cancellarios tàm præteritos, quàm præsentes ob non factam dictorum censuum infra tempora sibi aliàs ad id assignata extinctionem à quibusvis censuris, & pœnis Ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis dicta auctoritate tenore præsentium absolvimus, & totaliter liberamus, dictasque pœnas illis gratiosè remittimus, & condonamus, ac eosdem in pristinum, & eum in quo antea quomodolibet erant statum restituimus, reponimus, reintegramus, & rehabilitamus.

§. 3. Non obstantibus literis Apostolicis super concessione literarum hujusmodi expeditis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Febr. 1652. Pontificatus Nostri Anno Octavo. Dat. P. A. 8. die 1. Febr.

XLIX.

Constitutio circa Transumpta Litterarum, & Supplicationum Apostolicarum.

De hac materia lege, quæ notavi ad Const. 270. Cùm sicut. Urb. VIII.

INNOCENTIUS PAPA. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1652.

DUdum fel. rec. Paulus Papa Tertius Prædecessor noster accepto quòd nonnulli Judices Romanæ Curiæ transumpta supplicationum super provisionibus Beneficiorum Ecclesiastorum, & aliis gratiis signatarum, & registratarum ac ipsarum supplicationum prætextu literas, & mandata de adipiscenda possessione Beneficiorum hujusmodi in illis expressorum antequam literæ Apostolicæ super hujusmodi supplicationibus expeditæ essent, concedebant, per suam Constitutionem desuper editam, & in Cancellaria Apostolica publicatam quibusvis dictæ Curiæ Judicibus quavis authoritate fungentibus cum appositione decreti irritantis inhibuit ne transumpta supplicationum Apostolicarum, neve literas, seu mandata ipsarum supplicationum vigore possessionem Beneficiorum Ecclesiasticorum apprehendendi dare, & concedere quomodolibet præsumerent. Et subinde idem Paulus Prædecessor Constitutionem hujusmodi innovans, & perpetuis futuris temporibus pro lege observari debere decernens, quodam perpetuo edicto omnibus, & singulis tàm Archivii dictæ Curiæ Scriptoribus, quàm Cameræ Apostolicæ, Gubernatoris, ac Vicarii Urbis in spiritualibus generalis, cæterisque d. Curiæ Officialibus, & Tabellionibus publicis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna in contrafacientes interdixit, ne ex tunc de cætero de transumptis Supplicationum, præterquam habentium clausulam, quòd earum sola Signatura sufficeret, ac de decreto, & concessione literarum, & mandatorum se rogare deberent, nevè illa scribere, seu subscribere, aut quoquomodo authenticare, vel partibus tradere ullatenus præsumerent voluitque & statuit quòd Notarii, Officiales, & Tabelliones prædicti qui dictam excommunicationis sententiam incurrissent, ab illa nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem absolvi non possent, præterquam in mortis articulo constituti, quòdque ultra eandem excommunicationis sententiam pro prima vice viginti quinque ducatorum, & suspensionis à perceptione

Constitut. Pauli III.

emo-

emolumentorum Officiorum suorum ad tres menses per Datarium, vel Cancellariæ Apostolicæ Regentem pro tempore existentes irremissibiliter exigendorum, & Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe applicandorum, & si secundario deliquissent ipsorum Officiorum privationis pœnas incurrerent eo ipso, necnon ipsæ partes transumptis, seu literis, aut mandatis hujusmodi deinceps utentes, ac illorum prætextu possessionem Beneficiorum Ecclesiasticorum apprehendentes fructus quos ex illis pro tempore percepissent suos non facerent, quinimò ad Beneficia in eisdem transumptis, ac literis, & mandatis expressa perpetuò efficerentur ipso facto inhabiles, & ad restitutionem fructuum ex illis perceptorum in utroque foro tenerentur.

Constit. Urbani VIII.

§. 1. Et postmodum rec. mem. Urbanus Papa Octavus etiam Prædecessor noster cum sibi innotuisset quod nonnulli Notarii publici etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti, vacabilia tamen Notariorum Officia non habentes, literarum Apostolicarum tam sub plumbo, quàm in forma Brevis, necnon Supplicationum à se, vel ab Officiali ad id deputato signatarum transumpta in Vidimus, & alia forma, etiam quandoque ex simplicibus earumdem literarum, & supplicationum copiis, literisque, ac supplicationibus hujusmodi nondum registratis extrahebant, faciebant, & publicabant in maximum illorum qui Officia Notariorum vacabilia, & titulo oneroso possident, aliorumque Cancellariæ, & Secretariæ Apostolicarum Officialium detrimentum, per suas in simili forma Brevis die 20. Julii 1641. emanatas literas, quòd ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus quicumque Notarii etiam in Archivio Romanæ Curiæ descripti vacabilia Notariorum officia non habentes, nulla omninò quarumcumque literarum Apostolicarum tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, ac Supplicationum à se, & Romanis Pontificibus Successoribus suis, vel ab Officiali ad id à se, & illis respectivè pro tempore deputato signatarum transumpta; Obtinentes verò vacabilia Notariorum, etiam Curiæ Cameræ Apostolicæ, non autem Capitolii Officia transumpta literarum, & supplicationum hujusmodi nonnisi postquam illæ per Officiales ad hoc constitutos registratæ fuissent sub quingentorum scutatorum monetæ, ac falsi, privationisque prædictorum Officiorum eo ipso incurrendis pœnis facere possent, nisi de pro tempore existentis Romani Pontificis Datarii licentia in scriptis obtinenda statuit, mandavit, & ordinavit, & aliàs prout in Constitutione, & Edicto dicti Pauli, necnon in prædicti Urbani Prædecessorum literis hujusmodi, quorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Nunc autem Nos animadvertentes per providè in præmissis tàm à Paulo, quàm Urbano Prædecessoribus prædictis statuta, fraudes, quæ in transumptis hujusmodi committebantur è medio nullatenus tolli, quodque transumpta extra Romanam Curiam transmissa demandantur executioni, licet supplicationes, & literæ Apostolicæ tàm sub plumbo, quàm in dicta forma Brevis, ex quibus ipsa transumpta extrahuntur, totaliter expeditæ, & registratæ non sint, & ut plurimum Copiæ simplices existant, proptereaque pro Pastorali nostra sollicitudine fraudibus hujusmodi, necnon damno Officialium Cancellariæ, & Secretariæ prædictarum quantum cum Domino possumus obviam ire volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine.

§. 3. In primis prædictum edictum, seu Regulam dicti Pauli, ac literas dicti Urbani Prædecessorum prædictas tenore præsentium innovantes, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nulli omninò Notarii ex iis quibus juxtà prædictas dicti Urbani Prædecessoris literas transumpta hujusmodi conficere permissum, & licitum est, possint ullo modo supplicationum, & motuum propriorum quævis transumpta facere, illave in quibusvis citationibus, inhibitionibus, monitoriis, processibus fulminatis, & aliis expeditionibus, & supplicationibus inserere, præterquam tamen quando in supplicationibus, & motibus propriis hujusmodi apposita sit clausula, quòd illorum sola Signatura sufficiat, nec etiam facere possit transumpta, citationes, inhibitiones, monitoria, processus fulminatos, & alias expeditiones cum insertione literarum Apostolicarum tàm sub plumbo, quàm in dicta forma Brevis, ac Supplicationum in casibus supra permissis, nisi illæ integraliter expeditæ, & registratæ, & ab uno Officiali ad id pro tempore deputato, qui sua subscriptione fidem facere debebit, quòd illa cum Originali concordent, revisæ, & insuper à nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis Datario subscriptæ, & sigillo obsignatæ fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo nisi à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, aliisque etiam pecuniariis, & corporis afflictivis nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio irrogandis pœnis, & quoad Dominos Officiorum in quibus erunt Notarii contrafacientes, ultra prædictas etiam amissionis Officii pœna eo ipso absque alia declaratione per contravenientes incurrendis, quas pecuniarias, & alias arbitrarias pœnas etiam ii qui transumpta, & alias expeditiones hujusmodi absque prædictis subscriptionibus, & sigillo, sineque prædictorum observatione procuraverint expedire, incurrent, earumdem tenore præsentium statuimus, mandamus, præcipimus, & ordinamus. Et nihilominus quòd transumpta & expeditiones hujusmodi quæ, & quas sine prædictis revisionibus, & subscriptionibus fieri contigerit nullæ, nulliusque roboris, & momenti existant, fidemque in Judicio, & extra illud non faciant, nec à quoquam executioni demandari valeant.

§. 4. Quodque partes quæ transumptis, & expeditionibus absque revisionibus, & subscriptionibus hujusmodi factis utentur in adipiscenda possessione Beneficiorum, & aliarum Dignitatum Ecclesiasticarum, aut pro obtinenda alicujus indulti, seu gratiæ executione ultra prædictam excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam, quocumque jure sibi ad dicta Beneficia, Dignitates, & alias gratias competenti ipso facto cadant, & ad eadem beneficia, dignitatesque, quæ tanquam ipso jure vacantia possint à Sede Apostolica dumtaxat impetrari, perpetuò inhabiles existant, & ad restitutionem fructuum ex illis perceptorum teneantur; Præsentes quoque literas etiam ex eo quod Notarii prædicti, vel alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quocumque alio quantumvis magno, & substantiali defectu, aut aliàs ex quocumque alio capite, causa, occasione, prætextu & colore etiam in Corpore Juris clauso etiam tali quæ ad effectum validitatis præsentium necessariò exprimi deberet, notari, impugnari, invalidari in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nunquam posse, sed semper easdem præsentes literas validas, firmas,

& efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus Sortiti, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis quos illæ concernunt inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 5. Quocirca dilectis Filiis nunc, & pro tempore exiſtentibus Almæ Urbis noſtræ Gubernatori, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & eorum cuilibet per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſtatim atque præſentes noſtræ literæ illis præſentatæ fuerint, illas ſolemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcumque per ſe, vel alium, ſeu alios debitæ executioni demandent, ſeu demandari procurent, & contra inobedientes, præmiſſiſque contravenientes opportunis Juris, & facti remediis appellatione poſtpoſita procedant, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 6. Non obſtantibus quoad ea quæ præſentibus ſunt contraria prædictis dicti Urbani Prædeceſſoris literis, ac piæ memor. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam conciliaribus, ac quatenus opus foret, noſtra de non tollendo jure quæſito, ac quibusvis aliis noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon privilegio fori eorundem Notariorum, aliiſque privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, prædictis, & quibuſvis aliis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.

§. 7. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ insererentur, & exprimerentur, præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 8. Ut autem præſentes, & in eis contenta quæcumque omnibus innoteſcant, & ne aliquis eorum ignorationem prætendere poſſit, volumus pariter & mandamus, quòd eædem præſentes per aliquem ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, quæ ſic publicatæ, & affixæ omnes, & ſingulos quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

§. 9. Quodque illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 3. Februarii 1652. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1652. Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ X. Anno ejus octavo, die verò 7. menſis Februarii ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſiæ Lateranen. ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ Valvis, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Hieronymum Maſcellam Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.

Pro Mag. Curſ. Laurentius Barbigionus Curſ.

L.

Super extinctione, & ſuppreſſione parvorum Conventuum, eorumque reductione ad ſtatum ſæcularem, & bonorum applicatione, ac prohibitione erigendi nova loca Regularia in Italia, & Inſulis adiacentibus.

Nuper Conſtitutionem edidit Sanctiſſimus hic Pontifex, quâ ſtatuit numerum Regularium in qualibet domo præfigendum ſecundùm illius bona. Vide paulò ſuprà.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, *Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

Edita An. D. 1652.

Exordium.

INſtaurandæ regularis diſciplinæ opus multis laboribus, ac vigiliis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris jampridem aſſumptum Nobis indies magis, magiſque cogitantibus, cur ad optatum finem hucuſque perduci non potuerit, totque ſaluberrima decreta, & ordinationes ferè in irritum ceciderint: illa tandem præcipua ſeſe obtulit originis cauſa, quòd Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac domibus magna ex parte conflantur, in quibus ſive ob aeris intemperiem, ſive aliam ob cauſam non aluntur, nec ali poſſunt tot Religioſi, quot ad peragendum ritè divinum cultum, & regularia munia ex cujuſque Ordinis præſcripto ſunt neceſſarii.

Diſciplina collapſa ex multiplicatione Conventuum parvorum.

§. 1. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes, nec divinum officium nocturnum pariter, & diurnum in Choro celebrare, nec oratione mentali, ac ſpiritualibus collationibus, & exercitiis, ac ſtudiis in communi vacare, nec ſilentium, clauſuram, vitam communem, cæteraſque inſtitutiones ſervare poſſunt, quæ ad tria principalia vota ordinantur, & ſine quibus conſiſtere vix poſſunt regularis vitæ baſes, & fundamenta. Quamobrem otio immerſi nullum Religioſæ vitæ ſpecimen præſe ferunt: Soli incedunt per Urbes, & loca, cum Secularibus vagantur, ac mundanis negotiis ſe involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant Religioſi probatæ vitæ, ac diſciplinæ, & Superiores cogantur illic familiam conſtituere ex Fratribus vitæ laxioris, qui loci licentiâ pejores fiunt; & ſi quando ad Cœnobia, ſeu Monaſteria regularis obſervantiæ revocantur, à clauſtro, quaſi à ſquallore carceris abhorrentes vix adduci poſſunt, ut communem ſervent in moribus diſciplinam, atque aliorum Inſtitutionibus ſe conforment, quin potius cæteros avertunt, vel certè reddunt ſuo exemplo ſegniores. Unde relaxationes derivantur in Ordines, & ſenſim invaleſcunt in ipſarum Religionum dedecus, & ruinam. Præterea (quod dolentes referimus) ad hujuſmodi Conventus, præſertim in locis infrequentibus, & ſolitariis tanquam ad Aſylum facinoroſi homines, & Curiæ contumaces, vel proſcripti indies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac diſſolutè

dissolutè viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo Populi scandalo. Cumque Conventus, sive loca parva hujusmodi in effrenatam quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere, quæcumque reformationis remedia cassa fore, & irrita, quandiù non fuerint à Religionibus abscissa. Quæ potest enim spes esse corpus languidum, & infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit, atque contaminat; Hæc quippe sunt zizania, quæ cum jam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alliganda, & à Religionum tritico separanda. Hæc sunt vulpes parvulæ quæ demoliuntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit.

Pontifex omnes parvos Conventus supprimit.

§. 2. Quæ omnia, atque alia plura pro Pastorali nostra sollicitudine diù, multumque animo revolventes, ut sacræ Religiones in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis per universam Ecclesiam diffusæ à vepribus, & spinis emundatæ uberes germinent fructus: Nos etiam ab ipsismet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, & frequentibus Populorum querimoniis permoti salutare remedium adhibere consulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregationis aliquorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super statu Regularium à Nobis deputatæ, cui hoc negotium sedulò ac maturè examinandum commisimus, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos Conventus quorumcumque Monachorum ac Regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis JESU, etiamsi illis Animarum cura personarum sæcularium incumbat, sintve Hospitia, vel Grangiæ, seu alterius Monasterii membra, existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium in literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina juxta peculiaria cujusque Ordinis Instituta servari non potest, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus unà cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac ministeriis, illosque ab omni proprietate, dominio, superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus, & totaliter liberamus, omnemque Conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad Statum sæcularem reducimus. Reservata tamen ipsi Congregationi facultate conservandi Religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis literis, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire judicaverit: salvis etiam juribus, quæ Fundatoribus Conventuum sic suppressorum, vel aliis ex Sacrorum Canonum præscripto, vel ex privilegio Apostolico quomodolibet competunt.

Superioribus Ord. leg. injungit executionem.

§. 3. Quocirca dilectis Filiis quorumcumque Regularium Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, & Localibus, quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, ut singuli, ad quos pertinet, infrà terminum sex mensium inchoandum à die præsentationis literarum à prædicta Congregatione, ut præmittitur, expediendarum faciendæ in Romana Curia Procuratori Generali cujusque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis dimittant realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico eidem Congregationi per eosdem Superiores Regulares exhibendo possessionem corporalem Conventuum in eisdem literis expressorum, & reservata eis facultate secum asportandi prophanam tantùm, non autem sacram suppellectilem, Religiosos inde amoveant, atque in aliis Monasteriis ejusdem Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis collocent; alioquin pœnas privationis vocis activæ, & passivæ, necnon dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrant.

Prohibet [in] Ecclesiis [di]ctorum C[on]ventuum Missas ce[le]brari.

§. 4. Eoque termino elapso non liceat Regularibus in Ecclesiis dictorum Conventuum Missas, & divina Officia celebrare, confessiones Sacramentales audite, vel alia Sacramenta administrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos sepelire. Quod si secus egerint, eo ipso Ecclesiæ remaneant suppositæ Ecclesiastico interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per literas ipsius Congregationis fuerint requisiti, Religiosos rebelles, & refractarios à prædictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio: & exinde Ecclesiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus sic suppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam, & administrationem suscipiant, curentque, ut ex eorum reditibus, & proventibus universis in primis, & ante omnia impleantur onera Missarum tàm hucusque non celebratarum, quàm in posterum celebrandarum, & alia quæcumque ex lege fundationis aut largitione fidelium, vel aliàs quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, & cura animarum, si qua illis immineat, per Presbyteros Seculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Ecclesiæque debito non fraudentur servitio. Cæterùm intendentes de prædictis bonis, quotquot superfuerint, oneribus, ut supra detractis, salubriter providere, earumdem tenore præsentium bona hujusmodi applicamus, & applicata esse decernimus, & declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem Diœcesis juxta designationem, & partitionem, quam eadem Congregatio singulorum Episcoporum cum suis Capitulis sententiâ prius auditâ, & plenâ totius negotii relatione habitâ; de mandato nostro faciet in suis literis ad eosdem Episcopos scribendis, & in Cancellaria Episcopali registrandis ad perpetuam rei memoriam.

Innovat C[on]stitutiones illorum Pont.

§. 5. Verùm quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa, & radix evellatur, Constitutiones fel. rec. Bonifacii VIII. quæ incipit, Cùm ex eo, necnon Clem. VIII. incipientes. Quoniam ad Institutam, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super erectione novorum Conventuum editas earumdem tenore innovantes, illisque addentes, hoc perpetuò prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis JESU in aliqua Civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum Domos, vel loca quæcumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam, & expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis Episcoporum, ac Regularium præpositæ, si secus egerint, eo ipso incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis, ut supra inflictas, & nihilominus, receptiones, fundationes, & erectiones sint ipso jure nullæ, & invalidæ,

lidæ, & Domos, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes omnimodæ Juriſdictioni, viſitationi, correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjaceant. Intendimus autem in præmiſſis etiam ultra Italiam, & Inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere.

§. 6. Decernentes, præſentes literas etiam ex eo quòd Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quòd in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates; & quævis alia ſervanda, & adimplenda ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperiùs expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis authoritate, & poteſtate fungentes, nunc & pro tempore exiſtentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignorenter contigerit attentari.

§. 8. Non obſtantibus quatenus opus ſit, Regula noſtra de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, cæteriſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque Indultis, & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quacumque Eccleſiaſtica, vel Seculari dignitate fulgentium, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 9. Volumus autem, quòd præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur, quæ poſtquam affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Publicari mandat.

§. 10. Quòdque earum præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Tranſumptorum fides.

§. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, extinctionis, ſuppreſſionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis, præcepti, mandati, intentionis, reſervationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Sanctio pœnalis.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1652. Idibus Octobris Pontificatus Noſtri Anno nono. Dat. P. An. 9. Idib. Octob.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti 1652. Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, D. N. D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ Decimi anno ejus nono, Die verò 22. menſis Octobris, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in Acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Hieronymum Maſcellam Sanctiſſ. D. Noſtri Papæ Curſ. Publicatio.

Pro Mag. Curſ. Laurentius Barbigionus.

Conſtitutio innovans Sanctiones Canonicas contra Falſarios literarum Apoſtolicarum cum illarum declaratione, extenſione, & novarum pœnarum adjectione.

Falſarii literarum Apoſtolicarum etiam in forma Brevis, ac ſupplicationum gratiam, vel juſtitiam concernentium, excommunicantur à Greg. XIII. Conſtitut. 81. tom. 2.

Edita An. D. 1654.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN supremo Justitiæ throno, & universalis Ecclesiæ specula divina dispositione constituti, dum attentè consideramus gravissimarum etiam ultimi supplicii, & quoad personas Ecclesiasticas degradationis, traditionisque Curiæ sæculari, ac privationis omnium officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, ac quoad omnes Anathematis pœnarum, tàm per leges civiles, quàm per sanctiones canonicas, ipsamque forensium judiciorum consuetudinem, in litterarum Apostolicarum Falsarios statutarum, & inductarum severitatem, non suffecisse cohibendæ improborum turpi lucro inhiantium audaciæ, nec eos à patrando detestabili falsi crimine deterruisse, imò crescente indies hominum malitia, eò progressas esse nostri temporis iniquitates, ut nedum aliquos ex illis, qui sollicitandæ supplicationum, ac litterarum Apostolicarum expeditioni navant operam, sed etiam nonnullos Officiales, seligendis, quæ expeditione digna sunt, negotiis, præpositos, curamque revisionis, dispunctionis, & correctionis supplicationum desuper porrectarum, ut cum omni nitore, & fide in publicum prodeant, habentes, mortifera hæc labes infecerit, operæ pretium Nos facturos arbitramur, si novis, iisque, ut speramus, efficacioribus remediis, prædictarum scilicet sanctionum innovatione, & extensione, ac aliarum adjectione pœnarum, cum opportuna tollendis quibusdam hac in re dubiis declaratione, malum Reipublicæ Christianæ adeò perniciosum, quodque ex immani cumulandæ per fas, & nefas pecuniæ cupiditate, omnium malorum, secundùm Apostolum, radice, ut plurimum oritur pro viribus extirpare satagimus.

Sanctiones Canonicas innovat.

§. 1. Itaque Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, in primis Crimen Falsi prædictum pro verè, ac propriè atrocissimo crimine habendum, & censendum esse, & fore, adeò ut super eo possit inquiri, & procedi iisdem planè modis, & formis, quibus procedi potest in quovis alio crimine suaptè natura atrocissimo decernimus, & declaramus. Præterea Constitutionem fel. rec. Innocentii Papæ Tertii Prædecessoris nostri, quæ incipit; *Ad Falsariorum*, & quascumque alias sanctiones canonicas, Constitutionesque Apostolicas, sive in Corpore juris insertas, sive non insertas, & extravagantes contra Falsarios hujusmodi quandocumque editas, pœnasque contra eosdem Falsarios in eis statutas, forensique Judiciorum usu inductas, & receptas innovamus, illisque etiam confiscationis omnium, & quorumcumque bonorum etiam jurisdictionalium, ac devolutionis feudalium, & emphyteuticorum, necnon privationis tàm quoad proprietatem, quàm quoad exercitium omnium, & quorumcumque Officiorum, etiam merè sæcularium, tam vacabilium, quam non vacabilium, Romanæ Curiæ, vel quorumvis aliorum locorum, etiamsi emptionis, ac justitiæ compensationis, & remunerationis meritorum, vel quovis alio etiam verè oneroso titulo concessa, collata, & acquisita fuerint, pœnas ipso facto una cum antiquis, ut præmittitur, innovatis, à die commissi criminis falsi hujusmodi incurrendas addimus, adjungimus, & adjicimus. Ad hæc omnes, & singulas personas, etiam Ecclesiasticas, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, ac Militiarum quarumlibet, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Regulares, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis munitas, & suffultas, etiam speciali nota dignas, ac etiamsi nominatim, & in individuo exprimi debeant, neque aliter quàm sub præscripto certæ formæ in generalibus, aut specialibus Constitutionibus includi, & comprehendi possint, & soleant, nullâ prorsus exceptâ, quas pro tempore atrocissimi hujus criminis falsi reas esse constiterit, omnibus, & singulis pœnis prædictis, tàm antiquis, ut præmittitur, innovatis, quàm per præsentes additis, & adjectis obnoxias omninò, & irremissibiliter fore. Ac insuper easdem pœnas locum habere, & executioni demandari debere contra quoscumque Falsarios, non solum litterarum Apostolicarum, quæ sub plumbo, sed etiam illarum, quæ in forma Brevis sub annulo Piscatoris expediri consueverunt, tam gratiam, quam justitiam separatim, aut utramque mixtim continentium: necnon contrà Falsarios, quarumcumque supplicationum, cedularum, Motus proprii, ac mandatorum de expediendo gratis manu nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel per *Concessum* ab Officialibus ad id pro tempore deputatis respectivè signatarum, & signatorum, etiamsi super illis literæ Apostolicæ sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris non expediantur, neque consueverint expediri: necnon contra quoscumque Falsarios cujuscumque generis aliarum similium, vel dissimilium concessionum, in quibus adsit subscriptio nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, aut quorumvis Officialium, super quibus literæ Apostolicæ sub plumbo, vel in prædicta forma Brevis expediuntur, & expediri consueverunt: ac etiam contra quoscumque Falsarios Datarum in præmissis ab Officialibus ad hoc deputatis apponi solitarum: necnon contrà quoscumque falsificantes Originalium supradictorum registra Apostolica, seu registrorum Apostolicorum libros, æquè prorsus, ac si falsificassent ipsa Originalia.

Comprehen[duntur] qui per alios falsum committent.

§. 2. Præterea quòd sub præsenti nostra Constitutione sint, & esse censeantur comprehensi, ac omnes, & singulas pœnas tàm antiquas, ut præfertur, innovatas, quàm de novo additas superiùs expressas, ut præmittitur, ipso facto incurrant non solùm illi, qui per se ipsos, sed etiam ii, qui per alium, seu alios quomodolibet in præmissis, seu eorum aliquo falsum committent, aut committi mandabunt, vel mandatum sibi ad id datum exequentur, seu directè, aut indirectè fieri curabunt, vel quoquomodo, ac tempore falsificationis participes fuerint, eorumque complices, mediatores, auxiliatores, seu fautores quicumque. Ac demum quòd sub eadem præsenti nostra Constitutione includantur, & inclusi censeantur, omnibusque, & singulis pœnis prædictis subjaceant, & obnoxii sint etiam illi, qui unica tantum vice in præmissis deliquerint, ac per se, vel alium, seu alios unicum falsitatis actum dumtaxat in iisdem præmissis, seu eorum aliquo commiserint, in eoque participes, complices, mediatores, auxiliatores, seu fautores quoquomodo fuerint, etiam decernimus, & declaramus, atque ita sanctiones, & constitutiones prædictas innovando, extendendo, illisque addendo, respectivè in perpetuum statuimus, & ordinamus.

Clausula sublata.

§. 3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, & Palatii Apostolici Auditores, necnon Urbis, & quarumvis aliarum Civitatum, Provinciarum, & locorum Gubernatores, Rectores, Prætores, & Magistratus, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari,

&

& definiri debere, itaut quæcumque sententiæ in aliis causis similium, vel dissimilium falsitatum ante hac quomodolibet latæ nullo unquam tempore pro irrogandis mitioribus pœnis in exemplum adduci possint, perindè ac si nullatenus emanassent: irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari similiter decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, & quatenus opus sit, Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam illa de non tollendo jure quæsito, & recolend. memor. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis, qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in ea præsentandis, & registrandis, legibus quoque generalibus, & municipalibus, & quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac reformationibus, stylis, usibus, stabilimentis, naturis, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & literis Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis personis, ac locis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, in genere, vel in specie etiam Motu simili, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum, inserta essent habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Ut autem præsentes literæ omnibus innotescant, & nemo illarum ignorantiam allegare possit, volumus ut illæ, seu earum exemplar ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datariæ nostræ sub Monte Quirinali, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris de more publicentur, & affigantur; Quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§. 9. Quodque illarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud, ac ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Aprilis 1653. Pontificatus nostri Anno nono.

Anno à Nativitate Domini JEsu Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, die verò 12. mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ Decimi, Anno nono, præsentes literæ Apostolicæ fuerunt publicatæ, & affixæ, prout in illis præscribitur, ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datariæ Apostolicæ sub Monte Quirinali, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Mascellam ejusdem S. D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Jacobus Cornelius Cursor.

Confirmatio Privilegiorum Ordinis Monachorum Congregationis Cistercien. LII.

De istorum Monachorum Congregatione notavi ad Constitut. 150. In sede &c. & ad Constit. 181. Alias à nob. Urbani VIII.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1653.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator generalis Ordinis Cisterciensis, quòd ipse privilegia, gratias, & indulta à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris dicto Ordini concessa, & successivè ab illis præsertim verò Greg. Papa XIII. similiter Prædecessore nostro fel. rec. confirmata, quò firmiora subsistant, & ab omnibus arctiùs observentur Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent.

Absolvit à censuris.

§. 1. Nos igitur eundem modernum Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula privilegia, gratias, & indulta per quoscumque Rom. Pontifices Prædecessores nostros eidem Ordini quomodolibet concessa, dummodo in usu, ac licita sint, & honesta, & non sint revocata neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus.

Confirmat prout in Rubrica.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes illa, necnon præsentes litteras semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter, & inconcussè perpetuò observari, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§. 4. Volumus item, ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 9. die 16. Junii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Junii 1653. Pontificatus Nostri Anno nono.

Declaratio Nullitatis Litterarum Senatus Mediolanensis, & Edicti Gubernatoris Status Mediolanen. super observatione Festivitatis Sancti Dominici in dicto Statu. LIII.

Quinam dies pro Festis ex præcepto colendi sint, statuit,

tuit Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII. festorumque multitudinem revocavit sua Constitut. 104. Universa.

Edita An. D. 1653.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CUM nuper ad notitiam nostram non sine gravi animi nostri molestia pervenerit, quòd Dilecti Filii Senatus Mediolani per litteras circulares datas die 20. Junii proximè præteriti, & Dilectus Filius nobilis vir modernus Gubernator Status Mediolani per Edictum publicatum die 30. ejusdem mensis Augusti cujuslibet anni in toto illo Statu, præcipientes ut Populi, & subditi illius Status abstineant ab operibus servilibus, & artifices tabernas, & apothecas clausas teneant, prout servatur cæteris diebus festis ex præcepto, & ulterius in Edicto prædicto exprimatur festivitatem esse celebrandam cum omni devotione, ac pietate Christiana.

Causæ hujus Const.

§. 1. Nos, quibus universalis Ecclesiæ regimen à Domino commissum est, considerantes, quam perniciosum authoritati Ecclesiasticæ id esse possit, cum Principes Laici, quos in rebus Ecclesiæ obsequendi potius manet necessitas, quam authoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies festos in honorem Sanctorum; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio, prædictas litteras, ac Edictum emanata authoritate laicali super observatione prædictæ festivitatis Sancti Dominici fuisse, & esse omninò nulla, nulliusque roboris, & momenti, nec aliquo modo servanda Apostolica authoritate tenore præsentium declaramus.

Declarat esse nullas litteras.

§. 2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque authoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§. 3. In contrarium facientibus non obstan. quibuscumque.

Dat. P. A. 10. lie 6. Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Octobris 1653. Pontificatus nostri anno decimo,

---

LIV.

Declarantur, & definiuntur quinque Propositiones in materia fidei.

Quanta cura Summi Pontifices sectis, & opinionibus recenter exortis obviam ierint, vide in Indice Verb. Error, & Hæresis.

Edita A. D. 1653.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUM occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor verò præfatarum Propositionum est prout sequitur.

§. 1. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. I. Tenor quæ Propositionum

Secunda. Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur. II.

Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. III.

Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. IV.

Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò Hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. V.

§. 2. Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex Alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam Navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit. Opiniones errores p... gat.

§. 3. Pro rei gravitate, coram aliquibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris easdem quinque Propositiones, ut supra Nobis oblatas, fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum quaslibet differentes audivimus. Propositiones exam... nantur à M... gistris in Theologi...

§. 4. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia tandem Divino numine favente, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem. Ad earum declaratio... nem proce... dit.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta Hominibus Justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit: Impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

§. 5. Man-

§. 5. Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis.

§. 6. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis Episcopis, aliisque locorum ordinariis, necnon Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores,& rebelles quoscumque per censuras,& pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coerceant,& compescant.

§. 7. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones,quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridiè Kal. Junii Pontificatus Nostri Anno nono.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio. Indictione sexta Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ X. anno ejus nono, die verò nono mensis Junii supradicta Constitutio affixa,& publicata fuit in Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ valvis, ac in Acie Campi Floræ per me Gieronymum Mascellam Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Paulus Desiderius Curs.

LV.

Super subjectione nonnullorum Conventuum Jurisdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicæ Delegati.

Idem Sanctissimus Pontifex suppressit parvos Conventus, ut apparet in Constitutione supra relata, quæ incipit. Instaurandæ, quæ etiam in præsenti Constitutione citatur.

INNOCENTIUS PAPA X.
Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Ut in parvis Regularium Virorum Conventibus à S. D. N. Innocentio Papa Decimo in Constitutione, quæ incipit, Instaurandæ; primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum regularem restitutis, & ipsis Religionibus denuo concessis, piè, & religiosè vivatur, ac regularia instituta, quo exactius fieri potest, observentur: Sanctitas Sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium, omnes, & singulos Conventus hujusmodi sic, ut præfertur restitutos, & concessos in literis ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam Regulares, quam Sæculares in eis degentes visitationi, correctioni, & omnimodæ Jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica Delegati, præsentis Decreti tenore plenè in omnibus subjecit, ac subjectos esse declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint, ut in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Sacræ Congregationi legitimè constiterit, & ejus decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, non aliter. Interea verò voluit Sanctitas Sua, ut in eorum singulis ali debeant, & reipsa alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ,ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia restitutionis, & concessionis hujusmodi nulla sit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi possint,ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem suppressis per eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia prædictæ restitutionis, & concessionis non emanasset.

§. 2. Insuper quia multi sunt Conventus, in quibus, etsi præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinæ, & idcircò in suppressione antedicta non fuerint comprehensi: nihilominus sive ob redditum diminutionem,sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento regularis observantiæ; Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos ejusmodi Conventus, ut præfertur, non suppressos,cujuscumque sint Ordinis tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis JESU, aut Granciæ, seu membra alterius Monasterii, existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut supra sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodæ Jurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicæ Delegati plenè in omnibus præsentis pariter Decreti vigore subjectos esse statuit,decrevit,& declaravit. Cæterum quoad Conventus cum pauciori numero, quam duodecim Religiosorum, erectos post diem 21. Junii 1625. & illorum subjectionem loci Ordinario Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere Decretum san. mem. Urbani Octavi jussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogare non intendit. Aliorum Conventuũ, subjectio Jurisdictioni Ordinarii ob rationabiles causas.

§. 3. Et prædicta omnia, & singula in præsenti Decreto statuta,& ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari, non obstantibus omnibus,& singulis, quæ in antedicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Dat. Romæ die 10. Febr. 1654. D. 10. Febr.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1654. Indictione septima. Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ X. anno ejus decimo, die verò 21. mensis Februariis supradictum Decretum affixum,& publicatum fuit in Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ,& in aliis locis solitis,& consuetis Urbis per me Petrum Paulum Desiderium Apostolicum Cursorem. Publicatio.

Pro D. Magistro Cursorum Joseph Marcheratus Cursor.

LVI.

Super subjectione Cappellanorum Massæ Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Januens. in iis, quæ spectant ad servitium Ecclesiæ.

Edita A. D. 1654.

INNOCENTIUS PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.

Alias à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpositis emanavit Decretum tenoris sequentis, videlicet. Cùm referente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Sacchetto fuerint denuò propositæ controversiæ exortæ inter Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Eccle- Motiva.

siæ ex una,& Cappellanos de Massa ejusdem Ecclesiæ partibus ex altera super obedientia præstanda in Choro, Capitulo, & Canonicis in iis, quæ concernunt servitium Ecclesiæ super usu nominis Collegii, & super aliis prærogativis per eosdem Cappellanos prætensis S. R. Congregatio censuit, & declaravit, servandum esse Decretum alias editum sub die 23. Martii 1652. Cappellanos scilicet de Massa esse subjectos Capitulo in iis, quæ spectant ad servitium Ecclesiæ, prout subsunt Capitulares,& alii ejusdem Ecclesiæ. Die 24. Augusti 1652.

Confirmat prout in rub.

§. 1. Cùm autem firmiora sint ea quibus Sedis Apostolicæ accedit auctoritas; Idcircò Nos supplicationibus dilectorum Filiorum eorumdem Capituli,& Canonicorum dictæ Ecclesiæ Januensis Nobis desuper humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere,& ab omnibus,& singulis quos illæ concernunt, & in futurum quomodolibet concernent inviolabiliter,& inconcussè observari.

Decretum irritans.

§. 2. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos,ac causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate,scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,necnon dictæ Ecclesiæ Januensis, etiam juramento, confirmatione Apostolica,vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 10. die 27. Janu.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris,die 27. Januarii 1654. Pontificatus Nostri Anno decimo.

LVII.

Confirmatio literarum Urbani VIII. pro Congregatione Lateranensi Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini alienandi bona stabilia pro summa centum millium scutatorum pro solutione Montium Cameralium.

Consimilem facultatem alienandi bona stabilia tribuit Urban. VIII. Congregationi Cassinens. ut in Constit. 215. Exponi Nobis &c. & in Constit. 252. Aliàs à Nobis.

Edita An. D. 1654.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili noster Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplicatio.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Abbatis Generalis, & Visitatorum Collegarum Congregationis Lateranensis Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini Nobis expositum fuit,quod cum Congregatio prædicta ob vigentia in Lombardia, & Pedemontio bella ingenti ære alieno cum Camera nostra Apostolica ratione Montium Cameralium,nonnullorumque censuum pro solvendis Montium suorum fructibus, & aliorum de licentia Sedis Apostolicæ creatorum contracto adhuc gravata reperiatur, ipsi habitis cum participatione,& consensu Venerabilis Fratris nostri Francisci Episcopi Portuens. S. R. E. Cardinalis Barberini nuncup. ejusdem S. R. E. Vicecancellarii dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam prædictam tunc temporis Protectoris,pluribus inter se congressibus, quo eadem Congregatio ab ære alieno hujusmodi liberari valeat, expensas quascumque per eandem Congregationem, illiusque Monasteria fieri solitas, quæ præcisè necessariæ non sunt, licèt illæ à Constitutionibus ipsius Congregationis hactenus approbatæ reperiantur,in posterum resecandas fore, ac præterea singula dictæ Congregationis Monasteria in propria Diœcesi, & Provincia respectivè portiones æris alieni prædicti,ipsa Monasteria contingentes, pecuniis ex creationibus, & impositionibus annuorum censuum super eorumdem Monasteriorum bonis respectivè, aut eorumdem bonorum ad longum tempus locationibus, seu etiam ipsorum bonorum minus utilium venditionibus, aut quocumque alio dictis Monasteriis minus dispendioso modo colligendis extinguere debere, reservato nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito decreverunt,& ordinaverunt.

Motiva alienandi.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat concessa Abbatibus Generalibus, & Visitatoribus dictæ Congregationis ad effectum æs alienum hujusmodi extinguendi per fel. record. Urbanum Papam VIII. Prædecessorem nostrum per suas in simili forma Brevis die 20. April. 1637. expeditas literas,bona stabilia dictæ Congregationis pro summa centum millium scutorum monetæ Romanæ dumtaxat, cum approbatione dicti Francisci Cardinalis alienandi licentia, quàm nos subinde per nostras in eadem forma Brevis, die 31. Julii 1646. expeditas literas confirmavimus, & approbavimus,nondum totaliter executioni demandata sit, ipsique Exponentes, quia idem Franciscus Cardinalis Congregationis hujusmodi Protector esse desiit, facultatem approbandi alienationem bonorum stabilium hujusmodi pro ea parte, pro qua licentia prædicta nondum consumpta est, Tibi qui ejusdem Congregationis apud Nos; & Sedem prædictam Protector existis tribui summoperè desiderent, cumque iidem exponentes plurimum vereantur ne super executione decretorum,& ordinationum per eos, ut præfertur factorum particulares Monasteriorum prædictorum Superiores controversias, & difficultates suscitent, quibus optata per eos dictæ Congregationis ab ære alieno prædictó liberatio in grave ejusdem Congregationis dispendium impediatur. Idcircò iidem Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Committit novo Protectori facultatem approbandi d. alienationem bonorum stabilium.

§. 2. Nos igitur eorumdem Exponentium votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis,suspensionis, & interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris,& pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, necnon prædictarum Urbani Prædecessoris, & nostrarum literarum tenores præsentibus pro plenè,& sufficienter expressis habentes, ac de tua prudentia & rerum agendarum peritia plurimum in Domino confisi, circumspectioni tuæ si & in quantum prædicta licentia alienandi bona stabilia dictæ Congregationis pro summa centum millium scutatorũ monetæ Romanæ dumtaxat nondum consumpta sit, ut præfertur alienationes bonorum stabilium Congregationis hujusmodi in omnibus & per omnia quemadmodum dicto Francisco Cardinali in vim prædictarum Urbani Prædecessoris literarum concessum reperitur servata omninò earumdem literarum forma, & dispositione auctoritate nostra Apostolica arbitrio tuo approbandi facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus,& impartimur.

§. 3. Decernentes, ea quæ cum approbatione

tua

tua in executionem dictarum litterarum Urbani Prædecessoris fient, perinde valida, firma, & efficacia existere & fore, ac si cum approbatione dicti Francisci Cardinalis facta fuissent. Ac insuper eidem circumspectioni tuæ per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Exponentium prædictorum requisitus fueris quoscumque particulares Congregationis prædictæ Superiores, ac Canonicos Regulares ad decreta per ipsos Exponentes facta pro bono dictæ Congregationis regimine circa refectionem expensarum præcisè non necessariarum per ipsam Congregationem, ejusque Monasteria fieri solitarum licèt à Constitutionibus hactenus, ut præmittitur approbatæ reperiantur, necnon super extinctione portionum æris alieni prædicti singula Monasteria hujusmodi contingentium per ipsa Monasteria in propria Diœcesi, & Provincia respectivè modis præmissis facienda, omni & quacumque appellatione, recursu, & reclamatione postpositis, recipiendum, ac debitæ executioni demandandum opportunis juris, & facti remediis auctoritate nostra prædicta arbitrio pariter tuo cogas, & compellas.

§. 4. Non obstantibus recolend. me. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienan. necnon piæ me. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, necnon Congregationis, & Monasteriorum hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Congregationi, illiusque Monasteriis, ac Superioribus, & Canonicis Regularibus in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Martii 1654. Pontificatus Nostri Anno decimo.

Confirmatio Ministri Generalis Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum hac tamen lege adjecta, ut singulis sexenniis convocari debeat Capitulum Generale.

Istius Ordinis materiam, & confirmationem Privilegiorum habes ad Const. 25. Gregor. XV. & quod Ministerium Redemptionis Captivorum in omnibus spectet ad Fratres Calceatos dumtaxat, habes ad Constit. 255. Exponi Nobis. Urban. VIII.

INNOCENTIUS PAPA. X.

Ad futuram rei memoriam.

IN eminenti Sedis Apostolicæ specula, meritis licet imparibus per abundantiam divinæ misericordiæ universalis Ecclesiæ regimini præsidentes Religiosorum virorum sub suavi Religionis jugo Altissimi obsequiis addictorum tranquillitati, & felici directioni quantum Nobis ex alto conceditur libenter intendimus, ac desuper Officii nobis divinitùs commissi partes interponimus, prout matura consideratione adhibita conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sanè pro parte dilecti filii Claudii Rallæ Fratris expresse professi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Nobis nuper expositum fuit, quod cum post obitum quondã Ludovici Petit totius Ordinis prædicti, dum vixit Ministri Generalis intimata quatuor Provinciis ejusdem Ordinis Franciæ, scilicet Piccardiæ, Champaniæ, & Normandiæ, quibus jus eligendi Ministrum Generalem Ordinis hujusmodi, dum pro tempore idem Ordo Ministro Generali destitutus est ex immemorabili tercentorum, & amplius annorum consuetudine privativè ad alias dicti Ordinis Provincias, ut asseritur, competit futuri Ministri Generalis in locum ejusdem Ludovici defuncti immediatè facienda electione de anno 1652. in Conventu Sancti Martini Parisiensis Ordinis hujusmodi prædictus Claudius tunc ejusdem Conventus Minister, in Ministrum Generalem dicti Ordinis Canonicè cum omnibus modis formis, & solemnitatibus in similibus hactenus servari solitis electus fuisset, ipseque Claudius Electionis hujusmodi confirmationem de more antecessorum suorum in prædicti Ordinis Ministros Generales similiter electorum à Nobis, & Sede Apostolica humiliter petiisset, Nos Electionis prædictæ examen, totiusque rei discussionem Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis commisimus.

Reclamatio Provincialium Hispaniæ, & Italiæ.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat dilecti pariter Filii Provinciarum Hispaniæ, & Italiæ dicti Ordinis Provinciales contra eamdem Electionem insurrexerint, illamque mota desuper lite, & controversia ex diversis capitibus, videlicet ex eo, quod ipsis non vocatis, nec intimatis contra Regulas, seu statuta ejusdem Ordinis, necnon juris communis, & quarumdam Constitutionum fel: record. Innocentii III. & Clementis IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Ordinis prædicti confirmatoriarum dispositionem factam fuisse, quodque alias tunc existentes Provinciales Provinciarum Hispaniæ, & Italiæ hujusmodi similibus electionibus, & signanter de annis 1473. 1502. 1509. respectivè, licet cum protestatione intervenissent, nullam, & invalidam esse prætenderint: Nobis propterea idem Claudius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in Rubr.

§. 3. Nos igitur dictum Claudium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de eorumdem Cardinalium, quibus prædictas supplicationes examinandas commisimus consilio ad evitanda incommoda, quæ facilè oriri possunt, si diutiùs Ordo prædictus sine capite permaneret, prænarratam Electionem de persona dicti Claudii super idoneitate, ac zelo multipliciter commendati Apostolica authoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & quoscumque defectus, qui quomodolibet desuper intervenerint supplemus, salvis tamen juribus in futurum utriusque partis tàm in petitorio, quàm in possessorio, hac tamen lege adjecta, ut singulis sexenniis convocari debeat Capitulum Generale dicti Ordinis loco, & tempore à Capitularibus in immediatè, præcedentibus Capitulis Generalibus ipsius Ordinis designandis cum interventu ipsiusmet Ministri Generalis, omniumque Provincialium totius Ordinis hujusmodi cum uno socio pro quolibet à singulis Provinciis ejusdem Ordinis in antecedenti earum Capitulo Provinciali eligendo, & in eo sine acceptione secundum Deum sacrosque Canones, & Ordinis hujus-

modi

modi instituta delinquentium tàm Superiorum, quàm subditorum quorumcumque corrigantur excessus, ac de salute animarum, & de conservatione ipsius Ordinis, ejusque Domorum indemnitate tractetur, & statuatur, quod fuerit regulariter statuendum.

Quòd primum Capitulum generale fiat in Urbe.

§. 4. Et quoniam non sine magna admiratione compertum est, Religionem prædictam in præcipuis Europæ Regnis diffusam, cujus quamplurimi Conventus viri cum doctrina, tum pietate efflorescunt Constitutiones Generales non agnoscere, quibus communiter gubernetur: Ideò Venerabili Fratri Nostro Martio Episcopo Albanens. S. R. E. Card. Ginetto nuncupato Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori per easdem præsentes injungimus, ut pro hac prima vice Capitulum Generale dicti Ordinis, quàm primum fieri poterit in hac Alma Urbe convocari faciat, in quo ipse Minister Generalis, & alii prædicti sub pœnis arbitrio nostro in casum contraventionis incurrendis interesse, ibique statuta, Constitutiones, ordinationes, ac omnia, & singula, quæ in spiritualibus, ac temporalibus ipsius Religionis, ac Regularis disciplinæ statum, gubernium, observantiam, & indemnitatem quoquomodo concernere poterunt per totum Ordinem prædictum servanda proponi, & definiri debeant, quæ tamen antequam publicentur Congregationi eorumdem Cardinalium examinanda, corrigenda, & approbanda exhibeantur.

§. 5. Decernentes, præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel spiritualibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, ejusque Superioribus, ac Provinciis, & Fratribus quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 10. die 12. Aug.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 12. Augusti 1654. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

LIX.

Quòd Commendatarii, Monasteria Ordinis Cisterciensis in Commendam obtinentes, non possint Priores, & Officiales ejusdem Ordinis instituere, ac destituere, nec visitare Monachos, eosdemque corrigere.

Edita An. D. 1654.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii Nobis divinitùs commissi partes esse cognoscimus, ut Religiosorum virorum in humilitatis spiritu sub suavi Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum commodis, & felici directioni intendentes illos à dispendiis quibuslibet quantum Nobis ex alto conceditur afferamus.

Supplicatio contra Commendatarios.

§. 1. Sanè pro parte dilecti filii Claudii Abbatis Generalis Ordinis Cisterciensis per ejus Procuratorem Nobis nuper expositum fuit, quod licet peculiaria Ordinis prædicti privilegia à quampluri mis Romanis Pontificibus, & signanter à fel. rec. Pio II. Sixto V. Innocentio VIII. Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. Prædecessoribus nostris concessa, & confirmata respectivè disponant, ac declarent, quòd Commendatarii Monasteria dicti Ordinis in Commendam obtinentes nullam in Monasterio sibi commendato quoad eorum Monachos Jurisdictionem exerceant, sed visitatio ad Abbatem Cistercii, & quatuor Primores quemlibet in sua generatione juxta formam antiquorum privilegiorum pertineat, ac Monachi ipsorum Monasteriorum Commendatorum dictum Abbatem Cistercii, & primos quatuor, ac eorundem Commissarios ad eamdem visitationem recipere, & in eorum manibus professionem emittere debeant. Commendatarii verò ne quempiam propter delictum ejiciant, sed quotiescumque Monachi quid admiserint, quod quidem animadversione dignum sit, id quam primum Priori Claustrali, vel Commissario significent, qui correctionem juxta Ordinis prædicti Statuta faciat, ac demum Prior, & Subprior in iisdem commendatis, seu commendandis Monasteriis Officiales spirituales, & temporales dicti Ordinis professi, & non sæculares per Commendatarios, etiamsi S. R. E. Cardinales fuerint, instituantur: Et præterea Concil. Trident. decreto Sess. 25. cap. 20. statutum reperiatur, ut Priores Claustrales, aut in Prioratibus Conventum habentibus Superiores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent à Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur: Ac insuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita resolutiones præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis innixæ emanaverint, die secunda Augusti 1647. quibus tunc existenti Nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Poloniæ Nuncio injunctum fuit, ut seriò invigilaret ne Commendatarii hujusmodi, & signanter dilectus pariter filius Alexander Denhoff Commendatarius Monasterii Andreoviensis Ordinis prædicti Cracoviensis Diœcesis circa Officialium electiones, vel circa Monachorum vitam, & mores, cæteraque institutum regulare spectantia se ingererent: Nihilominus iidem Commendatarii passim, & in primis prædictus Alexander Denhoff in vim literarum Apostolicarum super eorumdem Monasteriorum Commendis expeditarum, in quibus hujusmodi Monasteriorum cura, regimen, & administratio tàm in spiritualibus, quàm temporalibus plenariè committitur, prætendunt jus instituendi, ac destituendi Priores, & Officiales Claustrales visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi, & exercendi ea, quæ institutum regulare contingunt, eorumdemque Commendatariorum nonnulli non contenti redditibus, ac fructibus, quorum majorem partem ex opulentioribus dicti Ordinis Monasteriis colligunt, in alienam insuper messem veluti in electiones, ac depositiones Priorum, ac Subpriorum, aliorumque Officialium, ac etiam in Visitationes, & Monachorum correctiones falcem mittere præsumentes prædicta privilegia, & Constitutiones Apostolicas contemptui habent in grave ejusdem Claudii Abbatis, imò universi Ordinis prædicti jurium præjudicium.

Confirmat prout in rub.

§. 2. Quare idem Claudius Abbas Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Claudium Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet in-

nodatus

nodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de prædictorum Cardinalium conſilio inhærentes præallegatorum Summorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum privilegiis Ordini Ciſtercienſi hujuſmodi conceſſis, ac decreto ejuſdem S. Concilii Tridentini, ac reſolutionibus aliàs deſuper factis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus, decernimus, ac ſtatuimus non licere Commendatariis, Priores, Subpriores, aut Officiales Clauſtrales inſtituere, ac deſtituere, viſitare Monachos, eoſdemque corrigere, nec facultates eiſdem in literis Apoſtolicis conceſſas, & expreſſas prout ſupra ad ea, quæ inſtitutum regulare concernunt, ac tenore prælibatorum privilegiorum, & S. Concilii diſpoſitione Monaſtico regimini relinquuntur, trahi poſſe, ac debere.

ecutores putat. §. 3. Ideoque dilectis Filiis noſtris, & Sedis prædictæ Nunciis, ſive etiam locorum Ordinariis, vel dicti Ordinis Conſervatoribus per eaſdem præſentes injungimus, ut quotieſcumque requiſiti fuerint ab hujuſmodi vexationibus, ac violentiis manifeſtis Commendatarios per cenſuras, & alia juris remedia, implorato etiamſi opus fuerit brachii Secularis auxilio cohibeant, & compeſcant. Salva ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

cretum itans. §. 4. Decernentes præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in iiſdem præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

ntrariis rogat. §. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon prædicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

P. A. 10. 25. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 25. Septemb. 1654. Pontificatus Noſtri Anno decimo.

Decretum ſuper Adminiſtratione Cellerariorum Congregationis Caſſinenſis.

Diuturna experientia compertum eſt, Monaſteria Congregationis Caſſinenſium, tunc maximo bonorum temporalium incremento floruiſſe, cum Cellerarii demandatam ſibi Oeconomicam curam non pro ſuo arbitrio, & auctoritate, ſed conſulto in omnibus proprio Abbate, eoque dirigente fideliter adminiſtrarunt, inutiles reſecando ſumptus, à profuſis munerum largitionibus abſtinendo, necnon Animalium, & Agriculturæ induſtriam non in ſui, ſed Monaſteriorum commodum, & utilitatem convertendo; exactaſque pecunias Depoſitario integrè tradendo in communi arca aſſervandas: Ad quod etiam multum ſemper contulit eorum Prælatorum vigilantia, qui rationes introitus, & exitus ſedulo, ac frequenter ſubducentes, præmiſſo diligenti examine ne quid fraudis vel præjudicii intervenerit, omnia ad fidelem calculum revocarunt, prout Conſtitutiones Apoſtolicæ, ac ejuſdem Ordinis Statuta providè diſponunt. Verum quia in quibuſdam Monaſteriis tàm ſalubres ordinationes, Cellerariorum incuria, & quandoque etiam malitia, nimiaque Superiorum Indulgentia negliguntur, & timendum eſt, nè, ſi hujuſmodi malum ſubrepat, tractu temporis eorumdem Monaſteriorum ruina ſubſequatur, ideò,

Sanctiſſimus D. N. audito voto Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ innovando imprimis Conſtitutionem ſan. mem. Clementis VIII. ſub die 6. Martii 1593. eidemque pro firmiori contentorum obſervantia graviores pœnas addendo prohibet omnibus, & ſingulis Cellerariis aliiſque eorum Miniſtris, ſive Monachis, ſive Commiſſis, quibus bonorum adminiſtratio quocumque modo incumbit, quo minùs audeant redditus, ac proventus ſupprimere, vel minuere, rerum quarumcumque pretium alterare; negotiationibus ſeſe immiſcere, animalium, ſeu agriculturæ induſtrias ſibi appropriare, aut munera contra formam præfatæ Conſtitutionis elargiri, ſub pœna privationis Officiorum, vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis eo ipſo incurrenda, à qua, præterquam à Sede Apoſtolica, diſpenſari non valeant: obſtringendo Abbates, quatenus, cum primum ipſis de hujuſmodi transgreſſionibus innotuerit, ad executionem præfatarum pœnarum nulla interpoſita mora procedant, aliàs eiſdem ipſi pœnis ſubjaceant, ac dignitate Abbatiali priventur.

§. 2. Inſuper ut omnes pecuniæ quacumque ex cauſa ad Monaſterium pertinentes, à Cellerariis dietim, prout exiguntur, Depoſitario conſignentur, & in arcam deponantur duabus clavibus diverſis obſeratam, quarum altera penès Cellerarium altera verò penes eumdem Depoſitarium aſſervari debeat: arca verò ipſa una cum rationum Codice in Abbatia, tamquam in loco tutiori, & ſub oculis ejuſdem Abbatis cuſtodiatur, à qua nec obulus quidem extrahi poſſit, niſi præcedente mandato in ſcriptis Cellerarii non quidem ſibi, ſed iis directo, quibus pecuniæ perſolvendæ fuerint, expreſſa cauſa, & ſumm, necnon manu etiam Abbatis firmato, cujus tenor de verbo ad verbum in deſtinato libro regiſtretur. Quod ſi Abbatem fortè abeſſe contigerit tàm Codex, quàm Arca, Superioris Monaſterii cuſtodiæ committatur.

§. 3. Computa jura introitus, & exitus, tàm quoad pecunias, quàm victualia quæcumque, aliaque omnia in ipſius Monaſterii quotidianas neceſſitates expenſa, conſumpta, aut diſtributa, ſingulo quoque menſe, quæ verò in agrorum culturam, aut fructuum recollectionem, quolibet trimeſtri, Abbati, Priori, ac Decanis fideliter exhibeantur, quibus præfati non modo ſe ſubſcribant, ſed etiam juramento confirment, ſingula diligenter examinaſſe, nihilque in iis fraudis contra formam præſentis Decreti inveniſſe. Quod ſi qui defraudaſſe, & veritatem proventuum, & expenſarum non expreſſiſſe inventi fuerint, nedum incurrant pœnas ſuperius expreſſas abſque ulla ſpe impetran-

dæ di-

dæ diſpenſationis, verùm etiam de furto, ac perjurio puniantur.

§. 4. Quæ omnia ut exactiùs obſerventur, Sanctitas Sua PP. Viſitatoribus feriò injungit, quatenus in eorum viſitatione ſuper præmiſſis diligenter inquirant, et ſi quid in contrarium commiſſum aut omiſſum repererint, contrafacientes in prænarratas pœnas incidiſſe, & à ſuis Officiis ſuſpenſos reſpectivè declarent, donec in primo futuro Congreſſu Dietæ, vel Capituli ad executionem pœnarum, ut ſupra, inflictarum procedatur: ſub pœna pariter privationis dignitatis Abbatialis, necnon vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, ſeu alia conſequenda, rehabilitatione Sedi dumtaxat Apoſtolicæ reſervata, ab ipſis quoque Viſitatoribus incurrenda.

§. 5. Et quia fidele ſervitium, & accurata in executione præmiſſorum diligentia tunc ſperari poterit, ſi Cellerarii cum gravitate morum, tum vitæ probitate conſpicui fuerint: Ea propter Sanctitas Sua mandat Abbatibus, ut in hujusmodi deputationibus faciendis audito priùs conſilio Seniorum nonniſi Religioſum gravem, probatum, ac inter Decanos adſcriptum Definitoribus, aut Regimini admovendum proponant, quemque aptiorem eſſe ſecundùm Deum judicaverint, ac talem proprio juramento in ſcriptis atteſtentur; Secus dicta deputatio nulla ſit eo ipſo, & Prælati in proxima Dieta, vel Capitulo debitè puniantur. Romæ die nona Januarii 1654.



MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

A BEATO LEONE MAGNO
USQUE AD
S. D. N. BENEDICTUM XIII.

OPUS ABSOLUTISSIMUM,

LAERTII CHERUBINI, Præstantissimi Jurisconsulti Romani, à D. ANGELO MARIA CHERUBINO Monacho Cassinensi, deinde à R. R. P. P. ANGELO A LANTUSCA & JOANNE PAULO A ROMA, Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ, ac tandem eorum cura & studio qui recentiorum Pontificum Constitutiones hactenus promulgatas collegerunt, illustratum & auctum.

EDITIO NOVISSIMA,

OCTO VOLUMINIBUS COMPREHENSA.

Accedunt, prout in Editione Romana, Vitæ omnium Pontificum, Appendices insuper suis Locis restituti.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

TOMUS SEXTUS.

AB ALEXANDRO VII. AD CLEMENTEM X.



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ. MDCLXXII.

LUXEMBURGI,

Sumptibus ANDREÆ CHEVALIER, Bibliopolæ & Typographi.

MDCCXXVII.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

INDEX
TRIUM ROMANORUM PONTIFICUM,

Quorum Constitutiones in Sexto Tomo ordinatim emanatæ extenduntur.

Imprimatur, Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.
I. de Angelis Archiep. Urbin. Vicesg.

Imprimatur, Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatii Apost. Magister.

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS SEXTUS.

ALEXANDER SEPTIMUS
PONTIFEX CCXLI.
ANNO DOMINI MDCLV.

Anno 1655. ALEXANDER SEPTIMUS Senensis, Fabius anteà dictus Flavii Chisii Filius S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. S.M. de Populo. Romæ die septima Aprilis Summus Pontifex pronuntiatus. Anno Domini MDCLV. & die 18. ejusdem mensis, & Anni coronatus. Creavit Cardinales 38. Obiit 22. Maji 1667. & in Basilica Principis Apostolorum sepultus est. Vacavit Sedes dies 29. Anno 1655.

I. Jubileum universale ad implorandum Divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine, & pro pace inter Principes Christianos.

Jubilea hujusmodi indixere Six. V. Constit. Virium nostrarum *Greg. XV. Const.* 2. Spiritus *Urb. VIII. Constit.* Aeternus, *Innocens X. Const.* 1. Immensæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1655. *Universis Christifidelibus, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Exordium. 

Unigenitus Dei Filius D. N. JESUS Christus, cujus inscrutabili providentia stant universa, immensam suam erga Nos bonitatem clarissimo testimonio manifestavit, cùm humilitatem nostram ad regimen universalis Ecclesiæ pretiosissimo suo sanguine acquisitæ nullo meritorium nostrorum suffragio vocavit, Nobisque Vicariam ejus in terris potestatem demandavit. Qua in re sicuti divinæ voluntati obsequentes imposito jugo collum humiliter supposuimus, ita dum suscepti oneris gravitatem, & luctuosum Reipublicæ Christianæ assiduis bellorum motibus tot per annos agitatæ statum attentè comtemplamur, anticipaverunt vigilias oculi nostri meritòque veremur, ne impendenti Nobis curarum moli succumbat virium nostrarum imbecillitas. Et quamvis in bonorum omnium largitore Deo, qui sperantes in se infirmari non patitur, spem nostram collocantes omnem pro salute commissi Nobis è Cœlo Gregis laborem alacriter subire parati simus, nihilque quod ad Pastoralis officii partes spectat, prætermittamus, ut sedatis inter Principes Orthodoxos dissensionibus, amissa pax Orbi Christiano restituatur; attamen quia vani sunt humani conatus, nisi gratiæ cœlestis ope adjuventur, ad vestrum omnium, quibus nostra impendenda est sollicitudo, orationes ex more Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum confugere decrevimus, ut exoratus communibus precibus Dominus, qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat, confortet Nos in potentia virtutis suæ, & optatæ cumulet lætitia tranquillitatis.

Fideles ad orandum hortatur. §. 1. Hoc autem ut fructuosius fiat, & majori cum spiritus ardore peragatur, ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores à Domino constituti sumus proferre, & erogare decrevimus. Itaque ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles, tàm in alma Urbe nostra, quàm extra eam ubilibet locorum constitutos Apostolica auctoritate paternè requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrascripta devotè peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem Catholicam protegere, ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare dignetur; Nobis verò copiosum suæ gratiæ spiritum largiatur, quo instructi cuncta consilia, & actiones nostras ad Nominis ejus gloriam, fideliumque, & animæ nostræ salutem dirigere valeamus.

Preces, & opera pietatis præscribit. §. 2. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indi-

gnis contulit, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in alma Urbe præfata degentibus, qui Sancti Joannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris ejuſdem Urbis Eccleſias, ſeu Baſilicas, vel Eccleſiarum hujuſmodi alteram ſpatio duarum proximarum hebdomadarum ſemel ſaltem viſitaverint, ibique per aliquod temporis ſpatium devotè, ut ſupra Deum oraverint, ac quarta, & ſexta feria, ac Sabbatho alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata ſua confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Dominica die immediatè ſequenti, vel alia die infra eandem hebdomadam reverenter ſumpſerint, ac pauperibus aliquam eleemoſynam, prout unicuique ſuggeret devotio, erogaverint.

Extra Urbem facienda decernit.

§. 3. Cæteris verò extra Urbem præfatam ubicumque degentibus, qui Eccleſias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, ſeu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipſis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ pervenerint deſignandas, vel Eccleſiarum hujuſmodi alteram ſpatio duarum ſimiliter hebdomadarum à publicatione deſignationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios ſeu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum ſaltem ſemel viſitaverint, ibique ut ſupra oraverint, ac quarta, & ſexta feria, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujuſmodi jejunaverint, pariterque peccata ſua confeſſi, ac in die Dominica immediatè ſequenti, vel alia die infra eandem hebdomadam Sanctiſſima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemoſynam, ut præmittitur, erogaverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilei viſitantibus certas Eccleſias intra, & extra Urbem præfatam concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus, & elargimur.

Ad quid tenantur Navigantes, & iter agentes.

§. 4. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad ſua ſeſe domicilia receperint, ſuprascriptis peractis, & viſitata Eccleſia Cathedrali, vel Majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam conſequi poſſint, & valeant.

Regularibus, aliiſque impeditis concedit.

§. 5. Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus etiam in clauſtris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuſcumque tàm laicis, quàm Eccleſiaſticis ſecularibus, vel regularibus etiam in carcere, aut captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa Confeſſarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præſentium publicationem, ſeu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere quæ ipſi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Confeſſoris electionem permittit.

§. 6. Inſuper omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, tàm laicis, quàm Eccleſiaſticis ſecularibus, & Regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti tàm in Urbe præfata, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tàm ſecularem, quàm cujuſvis Ordinis vel Inſtituti, regularem ex approbatis, ut præmittitur à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris, à jure, vel ab homine quavis cauſa latis, ſeu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quamtumvis gravibus, & enormibus etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ etiam in Literis die Cœnæ Domini legis ſolitis contentis, & alias per quaſcumque Noſtras, aut Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodocumque reſervatis in foro conſcientiæ, & hac vice tantùm abſolvere, & liberare valeant.

§. 7. Et inſuper vota quæcumque (religionis, & caſtitatis exceptis) in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis.

§. 8. Quapropter tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus atque mandamus omnibus, & quibuſcumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque Ordinariis locorum ubicumque exiſtentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præſentium Literarum tranſſumpta, aut exempla etiam impreſſa acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Eccleſiamque, ſeu Eccleſias viſitandas deſignent.

§. 9. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquomodo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi etiam in foro conſcientiæ, neque etiam eaſdem præſentes iis, qui à Nobis, & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu aliàs in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.

§. 10. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolvendi in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles indulgentiarum, & facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, nec non regula Noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, ſive Inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, & Inſtitutis, illorumque perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac formam in eis traditam pro ſervata habentes hac vice ſpecialiter, nominatim, & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcũque.

§. 11. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præſentium tranſſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum

Dat. P. A. die 14. Maji

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 14. Maji 1655, Pontificatus Nostri Anno primo.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, indictione octava, die verò decimâ quintâ mensis Maji, Pontif. autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divinâ Providentiâ Papæ VII. anno ejus primo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Narcheratum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Joannes Antonius Bertarellus Curs. pro Mag.

II.

Confirmatio Statutorum Universitatis Artis Aurificum de Urbe.

Artium Consules eorum Statuta observare debent. Pius IV. Constit. 58. §. 29. non possunt reassumere causas mercedum, & miserabilium personarum à Majoribus Magistratibus, ibidem §. 73.

Edita A.D. 1655.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi nuper fecerunt Dilecti Filii Paulus Cangianus Consul, & Camerarius, ac Nicolaus de Martino, Marchionus Albinus, & Hieronymus Saxus Consules, ac alii Officiales, & Deputati Universitatis Artis Aurificum de Urbe, quod ipsi omnia, & singula Statuta aliàs pro facili dictæ Universitatis regimine condita, & aucta, ac à fel. rec. Julio II. Gregorio XIII. Paulo V. & Innocentio X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris confirmata, quo firmiora persistant, & ab omnibus Artibus observentur, Apostolicæ Nostræ confirmationis præsidio communiri summoperè desiderant.

Absolvit à Censuris.

§. 1. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta prædicta ad declarationis desuper in plena dictæ Universitatis Congregatione postmodùm factas dummodò tamen in usu, ac licita sint, & honesta, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis non adversentur, Cameræque Nostræ Apostolicæ juribus non præjudicent, & monopolis ansam non præbeant Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Confirmat Statuta prout in Rub.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes illa, nec non præsentes Literas semper, & perpetuò firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodòlibet in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiàm Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. P. An. 6. die 20. Junii.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Junii 1655. Pontificatus Nostri Anno Primo.

III.

Contra Superiores Congregationis Cœlestinorum Ordinis Sancti Benedicti, qui favores extra suum Ordinem attendentes Officia, Dignitates, ac gratias concedunt, & contra eosdem Monachos dictos favores conquirentes.

Cœlestini Monachi sic appellantur, quia à Cœlestino V. instituti sunt, Clem. V. in Const. 4. §. 10. tom. 1. Recepti fuerunt sub protectione Sedis Apostolicæ à Benedicto XI. in ejus Constit. 2. tom. 1. Cœlestini ambitum interdixit Paul. V. Const. 94. tom. 3.

Edita An. D. 1655.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Recenset Liter. Paul. V.

ALiàs emanarunt a felic. recor. Paulo Papa V. Prædecessore Nostro Litteræ in simili forma Brevis tenoris sequentis, videlicet. Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam nemo debet assumere sibi honorem nisi vocatus à Deo tanquam Aaron, & à regularis vitæ instituto valdè alienum est, ut Religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus, sanctitate vitæ, ac aliis Religionis virtutibus potiùs promereri, quàm appetere, eosque gradus cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet mendicatis secularium præsertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, undè magna in Ecclesiâ Dei scandala, & damna exoriri solent.

Interdicit prout in rubrica.

§. 1. Nos qui pro muneris Nostri debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut Ecclesiastica, regularisque disciplina pristinæ observantiæ restituatur, hoc malum è Congregatione Cœlestinorum Ordinis Sancti Benedicti, cujus prosperum regimen, & incrementum ad Ecclesiæ Sanctæ utilitatem sinceris desideramus affectibus, propellere cupientes, motu proprio, & ex certâ Nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulos Monachos dictæ Congregationis cujuscumque gradus, status, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dictæ Congregationis assequendum intenti, ad Principum & Prælatorum, & aliarum quarumcumque personarum, tàm Secularium, quàm Ecclesiasticarum de gremio dictæ Congregationis non existentium etiàm Cardinalatus honore, ac quacumque seculari dignitate, & excellentia etiàm Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiàm pactis, pollicitationibus, aliisque viis illicitis directè, vel indirectè palam, vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia Officia prædicta obtinendum aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiverint, aut etiàm sponte oblatis, & minimè conquisitis usi fuerint, illorumque complices, & fautores vinculo excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, præterquàm in mortis articulo constituti absoluti queant innodamus, ipsosque, & eorum quemlibet ad quascumque Prælaturas, dignitates, Officia, gradus, honores, administrationes, & munera in ipsâ Congregatione obtinendum perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, ho-

noribus, & dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis hujusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tàm passiva, quàm activa carere decernimus, & declaramus.

§. 2. Atque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis etiàm latæ sententiæ pœna omnibus dictæ Congregationis Monachis, Superioribusque, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis etiàm Abbati generali præsentibus, & futuris præcipimus, districtèque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, seu Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tàm Sæcularium, quàm Ecclesiasticorum extrà dictum gremium existentium præfatorum ad cujus generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia dictæ Congregationis contra præsentium dispositionem (quod absit) quandòcumque facient, & pro tempore obtinentur nullas prorsùs invalidasque fore, & esse, ac omnes, & singulos in præmissis delinquentes sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quâvis auctoritate fungentes, etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores, etiàm S. R. E. Cardinales judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inanè si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiàm juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si prædictis Monachis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ut autem harum Literarum notitia ad omnes Congregationis hujusmodi Monachos facilius deveniat. Volumus illas pro hâc primâ vice in singulis dictæ Congregationis domibus Regularibus, & deindè in singulo quoque Capitulo Generali, seu Dieta dictæ Congregationis publicè legi, illasque ut præfertur, lectas sic omnes arctare, ac si unicuique intimatæ fuissent, illarumque exemplis etiàm impressis manu Scribæ dictæ Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Abbatis Generalis ipsius Congregationis, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ obsignatis eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur si eædem exhiberentur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Augusti 1616. Pontific. Nostri anno duodecimo. S. Cobellutius.

§. 4. Cum autem sicut Dilecti Filii Abbas Generalis, & Procurator Generalis ejusdem Congregationis Cælestinorum Nobis nuper exponi fecerunt ipsi fælici dictæ Congregationis directioni, conservandæque in ea regulari observantiæ intenti præ insertas Pauli Prædecessoris Literas quo firmius in posterum observentur, per Nos innovari, ac excommunicationis, & alias pœnas prædictas ad eos Monachos ejusdem Congregationis, qui ut ab aliqua illius domo regulari, in qua fuerint Superiorum Suorum auctoritate collocati recedant, vel non recedant, ad extranearum personarum favores similiter confugerint, & alias in præmissis opportunè, ut infra provideri plurimum desiderent.

Innovat præfatas L[...] teras Pauli

§. 5. Nos eosdem Abbatem, & Procuratorem Generales specialibus favoribus, & gratiis prosequi volens & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentiúm dumtaxat consequen. harum serie absolventur, & absolutas fore censentur supplicationibus illorum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Pauli Prædecessoris Literas cum omnibus, & singulis censuris, pœnis, & aliis quibuslibet contentis in illis Apostolica auctoritate tenore præsentium innovamus, ac omnes, & singulos Monachos Congregationis prædictæ cujuscunque gradus, status, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero, ut ab aliqua domo regulari ejusdem Congregationis, in qua fuerint Superiorum Suorum auctoritate collocati recedant, vel non recedant ad Principum, vel Prælatorum, aut aliarum quarumcunque personarum tàm Sæcularium, quàm Ecclesiasticarum de gremio dictæ Congregationis non existentium etiam Cardinalatus honore, ac quacumque Sæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vinculo excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi per Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices, præterquam in mortis articulo constituti absolvi possint pariter innodamus, ipsosque, & eorum quemlibet ad quascunque Prælaturas dignitates, Officia, gradus honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinandum perpetuò inhabiles similiter declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis hujusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tàm activa, quàm passiva carere decernimus.

Præceptu[m] legendi has Literas quo[-]libet mense.

§. 6. Mandantes Dilectis pariter Filiis omnium, & singulorum domorum Regularium dictæ Congregationis Superioribus localibus, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum per eos obtentorum, nec non perpetuæ inhabilitatis ad illa, & similia in posterum obtinenda pœnis eo ipso in casum contraventionis per eos incurrendis, quatenus ipsi in eisdem domibus Regularibus, quibus præsunt, seu pro tempore præfuerint, respectivè singulis primis cujuslibet mensis Dominicis diebus præsentes Literas, seu earum transumptum in mensa publicè legi faciant, ac illarum exemplum intra claustra cujuslibet domus regularis hujusmodi respectivè in loco conspicuo, in quo legi ab omnibus possit, affixum semper remanere procurent. Ac decernentes ipsas præsentes illisque insertas Pauli Prædecessoris Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Volumus autem ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu Scribæ Dictæ Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Abbatis Generalis ipsius Congregationis, vel al-

terius

terius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud, ac ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P.A. 1. die 5. Julii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Julii 1655. Pontificatus Nostri Anno Primo.

IV. Declarationes Decreti san. mem. Innocentii Papæ Decimi, super subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci à Sacra Congregatione super statu Regularium editæ, atque à Sanctiss. D. N. approbatæ.

POsito Decreto fel. rec. Innocentii Papæ Decimi super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis Apostolicæ Delegati: contingit dubitari de infrascriptis.

1. An Episcopus in Conventibus suæ jurisdictioni subjectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere.

2. An possit Episcopus à prædictis Conventibus Religiosos amovere.

3. An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis.

4. An Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ regularem disciplinam concernunt.

5. An Ecclesiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint.

6. An ipsæ Granciæ, & Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi.

7. Quid in Ecclesiis, seu Capellis Granciarum in quibus nullus degit Conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi.

8. An liceat Episcopo visitare Conventus tam suppressos, & posteà restitutos, quàm non suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis reipsa alantur sex Religiosi.

9. An Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes possit à visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

10. An jurisdictio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicariis Generalibus Episcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis proprium Territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

11. An Provinciales, & alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus jurisdictioni Ordinarii subjectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere sicut poterant ante dictum Decretum.

12. Si Superior Regularis in causa prævenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conventibus Ordinario subjectis fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit hujusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere.

13. Si è converso Episcopus prævenerit in causa contra Religiosum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amovere & in alio Conventu collocare, & si de facto collocaverit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum revocare ad primum Conventum.

14. Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conventu removere, an Episcopus prohibere possit.

15. Si à Conventu primùm suppresso, ac deinde Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa, & ad breve tempus unus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conventus remaneat suppressus ut prius.

16. Quid si à Conventu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia, Conventus subjaceat jurisdictioni Ordinarii.

17. An Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperet pristinam exemptionem.

18. Si gratia restitutionis Conventus suppress. reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formam, Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & posteà contingat, ut ejusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conventus reviviscat.

19. Ad hoc, ut gratia restitutionis sit nulla, & Conventus denuò remaneat suppressus propterea quod in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat præcedere declaratoria Episcopi super facto prævia causæ cognitione.

20. An ab hujusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tàm devolutivum, quàm suspensivum.

21. Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet.

AD 1. Non posse.

Ad 2. Posse ex rationabili causa, commonito tamen prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eosdem Religiosos assignet in aliis Conventibus.

Ad 3. Posse compelli.

Ad 4. Posse.

Ad 5. Posse.

Ad 6. Subesse.

Ad 7. Itidem subesse.

Ad 8. Minimè licere antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto.

Ad 9. Expedire, ut S. D. N. decernat, & declaret non licere Episcopo tales Conventus visitandi quicquam accipere procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Posse sicut prius, non tamen privativè ad Episcopum.

Ad 12. Non posse, nisi ex justa causa, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius, aut remissius constituere, quàm causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amovere & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscunque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio Seculari, si opus fuerit, cujuscunque loci, in quo Religiosus ille reperiatur.

Ad 14. Non posse.

Ad 15. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum remanere suppressum.

Ad 16. Subjacere durante absentia.
Ad 17. Recuperare.
Ad 18. Non reviviscere.
Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conventus possessionem apprehendere, aut Religiosos inde expellere.
Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum.
Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo.

Declarationes suprascriptas S. D. N. ad se relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, observari præcepit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ die 27. Julii 1655.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, Indictione 8. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini N. D. Alexandri Divinâ Provid. Papæ VII. Anno ejus primo die vero 6. mensis Augusti, supradictam Declarationem affixam, & publicatam fuisse in Ecclesiæ Later. Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe nec non Cancellariæ Apostol. Valvis, ac in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Laurentium Lazzonium Apost. Cursorem.
Pro D. Mag. Curs. A. Castruccius.

V.

Confirmatio Privilegiorum omnium concessorum, tam Guardiano Sacri Montis Sion quàm Fratribus nec non locis Terræ Sanctæ.

De locis Terræ Sanctæ lege, quæ notavi ad Constit. 117. Salvatoris. *Urbani VIII.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A.D. 1655.

Exordium. Piis Christifidelium votis ex quibus Sanctorum locorum venerationem, & animarum salutem provenire conspicimus libenter annuimus, & illa quantum nobis ex alto conceditur favoribus Apostolicis confovemus.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Franciscus Ripol. Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observ. nuncupatus Professor, Sacræ Theologiæ Lector, ac Prædicator Generalis Provinciæ Cathaloniæ, nec non Commissarius, & Procurator Generalis totius Familiæ Terræ Sanctæ, Nobis nuper exponi fecit, ipse ad ejusdem Terræ Sanctæ subsidium, eorumdemque Fratrum nibi vineam Domini assiduè excolentium, Sacraque loca venerantium subventionem, nec non ad spiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum, omnia & singula gratias, privilegia, & Indulgentias huc usque Sacris ejusdem Terræ Sanctæ locis Apostolica auctoritate concessa, & confirmata per Nos eadem auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret.

Absolvit à censuris. §. 2. Nos desiderio hujusmodi annuere, ipsumque Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, Indulgentias, cæterasque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, nec non d. Ord. Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & Sedem Apostolicam in genere, vel in specie aut aliàs quomodòlibet concessa quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, Sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Conc. Trident. Decretis non adversentur Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos tam juris quam facti defectus si qui desuper in eis quomodòlibet intervenerint supplemus, nec non insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, vel quantumvis id facere nequiverint saltem contriti nomen JESU ore si potuerint, sin autem corde devotè invocaverint plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

Confirm. ut in Rubrica.

Concedit Fratribus in art. mortis Indulg. ple.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Augusti 1655. Pontific. nostri anno primo.

Dat. P. A. r. die 3. Aug.

VI.

Innovatio Litterarum Innoc. X. Quod Commendatarii, Monasteria Ordin. Cistercien. in Commendam obtinentes, nullam in Monasteria sibi commendata, quoad eorum Monachos, jurisdictionem exerceant.

Cistercienium Ordo fuit institutus à Divo Ruberto, & à Divo Bernardo illustratus, & temporis intervallo valdè propagatus. Six. V. Const. 34. tom. 2. Cisterciensium Monasteria Mulieres ingredi prohibuit Greg. IX. Constitut. 7. §. 2. tom. 1.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1655.

Supplicatio. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Nicolaus Dunin Ord. Cistercien. in Regno Poloniæ Vicarius, & Visitator Generalis, cæterique Coabbates dictorum Ordinis & Regni per suum in Romanâ Curiâ Procuratorem, quod à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore Nostro, ad instantiam dilecti filii Claudii Abbatis Generalis ejusdem Ordinis de mense Septembris anni proximè præteriti 1654. emanarunt in simili forma Brevis Litteræ tenoris sequentis, videlicet.

Recenset Literas Innoc. X. Const. 59. §. 1. Innocentius Papa X. Ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii nobis divinitus commissi partes esse cognoscimus ut Religiosorum virorum in humilitatis spiritu sub suavi Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum commodis, & felici directioni intendentes illos à dispendiis quibuslibet quantum Nobis ex alto conceditur afferamus. Sane pro parte dilecti filii Claudii Abbatis Generalis Ord. Cisterciensis per ejus Procuratorem Nobis nuper expositum fuit, quod licet peculiaria Ordin. prædicti privilegia à quam plurimis Romanis Pontificibus, & signanter à fel. rec. Pio II. Sixto V. Innocentio VIII. Pio IV. Pio V. & Greg. XIII. Prædecessoribus Nostris concessa, & confirmata respectivè disponant & de-

clarent, quod Commendatarii Monasteria d. Ordinis in Commendam obtinentes nullam in Monasteria sibi commendata, quoad eorum Monachos jurisdictionem exerceant, sed visitatio ad Abbatem Cistercii, & primos quatuor, ac eorumdem Commissarios ad eandem visitationem recipere, & in eorum manibus professionem emittere debeant, Commendatarii verò ne quempiam propter delictum ejiciant, sed quotiescumque Monachi quid admiserint, quod quidem animadversione dignum sit, id quamprimum Priori claustrali, vel Commissario significent qui correctionem juxta Ordinis prædicti Statuta faciat, ac demum Prior, & Subprior in iisdem commendatis, seu commendandis Monasteriis Officiales spirituales, & temporales d. Ordinis Professi, & non seculares per Commendatarios, etiàmsi S. R. E. Cardinales fuerint instituantur; & præterea Concilii Trident. decreto sess. 25. cap. 20. statutum reperiatur ut Priores Claustrales, aut in Prioratibus Conventum habentibus Superiores qui correctiones, & spirituale regimen exercent à Capitulis Generalibus, vel ipsorum Ordinum visitationibus instituantur; ac insuper à Congregatione venerab. Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita resolutiones præmissis, ac Constitutionibus Apostolicæ innixæ emanaverint die 2. Augusti 1647. quibus tunc existenti Nostro & Sedis Apostolicæ in Regno Poloniæ Nuncio injunctum fuit ut serio invigilaret ne Commendatarii hujusmodi, & signanter dilectus pariter Filius Alexander Donhoff Commendatarius Monasterii Andreovien. Ordinis prædicti Cracovien. Diœces. circa Officialium electiones, vel circa Monachorum vitam & mores, cæteraque Institutum Regulare spectantia se ingererent, nihilominùs iidem Commendatarii passim & in primis prædictus Alexander Donhoff in vim Litterarum Apostolicarum super eorumdem Monasteriorum Commendis expeditarum in quibus hujusmodi Monasteriorum cura, regimen, & administratio tàm in spiritualibus, quàm temporalibus plenariè committitur, prætendunt jus instituendi, ac destituendi Priores, & Officiales claustrales visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi, & exercendi ea quæ Institutum regulare contingunt, eorumdemque Commendatariorum nonnulli non contenti reditibus, ac fructibus quorum majorem partem ex opulentioribus d. Ordinis Monasteriis colligunt in alienam insuper messem veluti in electiones, & depositiones Priorum, & Subpriorum, aliorumque Officialium, ac etiàm in visitationes, & Monachorum correctiones falcem mittere præsumentes prædicta privilegia, & Constitutiones Apostolicas contemptui habent in grave ejusdem Claudii Abbatis immò universi Ordinis prædicti jurium præjudicium, quare idem Claudius Abbas Nobis humiliter supplicari fecit ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictum Claudium Abbatem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quàvis occasione vel causâ latis si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de prædictorum Cardinalium consilio inhærentes præallegatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum privilegiis Ordinis Cistercien. hujusmodi concessis, ac decreto ejusdem Sacri Concilii Tridentini, & resolutionibus aliàs desuper factis Apostolicâ auctoritate tenore præsentium declaramus, decernimus, ac statuimus non licere Commendatariis, Priores, Subpriores, aut Officiales claustrales instituere, ac destituere, visitare Monachos, eosdemque corrigere, nec facultates eisdem in Litteris Apostolicis concessas, & expressas, prout suprà ad ea quæ Institutum Regulare concernunt, ac tenore prædictorum privilegiorum, & Sacri Concilii dispositione Monastico Regimini relinquuntur trahi posse, ac debere.

§. 3. Ideòque dilectis Filiis Nostris, & Sedis prædictæ Nunciis, sivè etiàm locorum Ordinariis, vel d. Ordinis Conservatoribus per easdem præsentes injungimus, ut quotiescumque requisiti fuerint ab hujusmodi vexationibus, ac violentiis manifestis Commendatarios per censuras, & alia juris remedia, invocato etiàm si opus fuerit brachii secularis auxilio cohibeant, & compescant salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Executores deputat.

§. 4. Decernentes præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque in iisdem præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secus super his à quoquam quàvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. de una, & in Concilio edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus nec non prædicti Ordinis etiàm juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quàvis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Decretum irritans.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 25. Septembris 1654. Pontificatus Nostri anno 10.

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat antè completam præinsertarum Litterarum hujusmodi executionem obitus ejusdem Innocentii Prædecessoris supervenerit, proindèque cupiant iidem Exponentes pro firmiori earumdem præinsertarum litterarum subsistentia illas auctoritate Nostrâ Apostolicâ confirmari. Idcircò Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quàvis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Innovat præinsertas literas.

Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, præinsertas d. Innocentii Prædecessoris Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ idem Innocentius Prædecessor in dictis suis Literis præinsertis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. P. An. 1. die 26. Aug. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Augusti 1655. Pontific. Nostri Anno Primo.

VII.

Moderatio facultatum Rev. Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe circa Legata, Pauperibus in genere facta.

De hac materia Jul. II. Constit. 23. Liquet omnibus, *Leo X. Clem. VII. Constit.* 3. Admonet, *Constit.* 9. Dudum, *Paulus III. qui refert Const. Jul. II. & Leo X. Const.* 31. Dum Universos, *Jul. III. Constit.* 15. Accepimus, *Pius IV. Constit.* 62. De Commisso, *Pius V. Const.* 96. Decet. *Const.* 97. Exigit. *Sixtus V. Const.* 95. *Clemens VIII. Const.* 115. Quæcumque.

Edita An D. 1655.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Superni dispositione consilii vices illius gerentes in terris, qui pauperum curam fidelibus suis præcipiens, quod vni ex illis fieret sibi factum asseruit, in his pastoralis Officii Nostri partes affectu paterno libenter interponimus, per quæ eorumdem pauperum, & præsertim per vicos, & plateas mendicantium necessitatibus opportunè consuli arbitramur.

Constit. causa. §. 1. Cum itaque retroactis temporibus fel. record. Julius II. Leo X. Clemens VII. Paulus III. & alii forsan Romani Pontifices Prædecessores Nostri, ut in honorem Principis Apostolorum Basilica opere supra cæteras magnifico, & eleganti in hac Alma Urbe Nostra construeretur, perpendentes suas, & Apostolicæ Sedis facultates ad id minimè suffecturas, Fabricæ d. Basilicæ, seu ejus Collegio inter alias plures gratias, facultates, & privilegia, applicaverint legata pauperibus in genere sive speciali determinatione, & propriis nominibus personarum non expressis relicta; cumque, hujus applicationis ratione pauperes, & potissimum mendicantes legatis sibi relictis privati remaneant, multique pii fideles retrahi, vel saltem tepidiores reddi possint ad relinquendum legata, pia, quæ aliàs in eorumdem pauperum commodum relicturi essent, dubitantes irritas, & inanes evasuras similes eorum dispositiones, & in prædictæ Fabricæ utilitatem ob privilegia præfata cessuras: Nos licet ad absolutam Fabricæ d. Basilicæ terminationem, illiusque ornatum à die nostræ ad Summum Apostolatum assumptionis mentem direxerimus, considerantes nihilominus ejus admirabilem structuram ad optatum ferè finem esse perductam, ac proinde longè minorem pecuniarum quantitatem nunc pro ejus perfectione, & conservatione, quàm de tempore concessionis antedicti, & aliorum ejus privilegiorum esse necessariam; æquum, & rationi consentaneum esse censemus, ut sublato privilegii hujusmodi impedimento Christiani pauperes in posterum legata sibi relicta, & pro tempore relinquenda plenè, & liberè capiant, & consequantur.

Legata in genere pauperibus relicta eisdem distribui decernit. §. 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione statuimus, decernimus, & declaramus, legata pauperibus in genere ubicumque locorum relicta, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque relinquenda non amplius sub legatorum incertorum nomine in Beneficium d. Fabricæ, juxtà prædicta ejus privilegia converti, neque sub ejus facultatibus comprehendi, sed illa omnia veluti alia certa pia legata in commodum, & beneficium pauperum, qui sub tali nomine secundum juris interpretationem comprehenduntur, plenè, & integrè, juxtà pias legantium dispositiones cedere, ac iisdem pauperibus ab hæredibus, aliisque obligatis, seu à testamentariis, Exequutoribus, vel aliis quibus legatorum prædictorum solutio, seu executio commissa fuit, & erit pro tempore, eadem legata sivè in pecunia, sive in frumento, pane, vino, aliisque ad humanum usum necessariis consistant, modis, temporibus, ac diebus à Testatoribus, seu Legantibus præscriptis solvi & consignari debere.

Ob moram vel negligentiam hæredum Ordinarios & Ministros Fabricæ in subsidium Executores designat. §. 3. Quod si ob moram, seu negligentiam hæredum, aut Executorum, seu aliorum obligatorum, vel etiàm ob mortem eorum, quibus pauperum nominatio, & electio, seu aliàs legatorum executio commissa fuerit, eorumdem legatorum solutionem, seu consignationem ultra debitum tempus differri, vel impediri contingat, volumus, & mandamus, ut locorum Ordinarii, & illis deficientibus Commissarii, & Ministri prædictæ Fabricæ in casibus, in quibus aliàs præmissorum executio de jure, & secundum facultates ejusdem Fabricæ ad eos devolvitur, voluntatem Testatorum, & relinquentium legata hujusmodi ad commodum & Beneficium eorumdem pauperum dumtaxat, prout servatur in aliis legatis certis, exequantur.

In reliquis legatis jura Fabricæ intacta conservat. §. 4. Porro quoad legata pro piis operibus in genere etiàm ad arbitrium, nominationem, electionem, seu declarationem certorum Executorum, seu aliorum specificandis, declarandis relicta, nullum præsenti Nostra Constitutione eidem Fabricæ præjudicium inferre, nihilque super iis de novo statuere intendimus, quinimò omnia, & singula ejus jura, & privilegia per Summos Pontifices Prædecessores Nostros hactenus in præmissis concessa præservamus, in casibus tamen in quibus Executores, seu alii præfati, quibus competit facultas (quam per hujusmodi privilegia Fabricæ nullatenus impediri volumus) illam exercere, & ad nominationem, electionem, seu declarationem devenire nolint, vel nulla facta declaratione decesserint.

In quibus casibus Constit. locum habet. §. 5. Hanc verò Constitutionem, tàm in casibus futuris, & deinceps contingentibus, quàm in præsentibus, & præteritis, præterquàm in eis legatis, & relictis, quæ hactenus à præfata Fabrica, seu ejus Ministris agnita, acceptata, & incorporata fuerint, etiàmsi super illis in quacumque instantia lis pendeat indecisa, servari, locum habere volumus, & declaramus. Cæteris autem ejusdem Fabricæ, seu illius Collegii privilegiis, gratiis, & facultatibus in iis, quæ præsentibus non adversantur, nullum ne minimum quidem præjudicium per præsentes illarum, aut illis derogatum esse,

seu

ſeu intelligi, dici, vel cenſeri poſſe, ſed illas, & illa in ſuo robore, & firmitate remanere debere decernimus itidem declaramus.

Clauſulæ præſervativæ.

§. 6. Decernentes etiam præſentes Litteras, & in illis contenta nullo unquam tempore etiam ex eo quod Oeconomus, & alii Officiales præfatæ Fabricæ, cæterique in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodòlibet prætendentes ad ea vocati, vel auditi, cauſæque, propter quas eædem præſentes emanarunt, adductæ, vel ſufficienter, aut etiam ullatenus juſtificatæ non fuerint, de ſubreptionis, obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio quantumvis ſubſtantiali defectu notari, vel ex quocumque alio capite etiam in corpore juris clauſo impugnari, reſcindi, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controverſiam vocari, ſeù adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti poſſe, ſed eaſdem præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, neque ſub ſimilium, vel diſſimilium conſtitutionum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas eſſe, & cenſeri.

Clauſula ſublata.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos ac etiam quoſlibet Sanctæ Rom. Eccleſiæ Collegii Fabricæ præfatæ Cardinales, nec non cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſvis alios quacumque authoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Collegii præfati etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, gratiis, facultatibus, & Litteris Apoſtolicis per prædictos, & quoſvis alios Romanos Pontifices etiam Prædeceſſores Noſtros in favorem ejuſdem Fabricæ, ac illius Collegii, etiam per viam contractus jurati, & ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine etiam conſiſtorialiter & cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis etiam irritantibus in genere vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet emanatis, conceſſis, ac etiam pluries approbatis, & confirmatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeù quævis alia expreſſio facienda, aut quævis alia exquiſita, & inſolita forma ad hoc ſervanda eſſet, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis, formamque in illis traditam pro ſervata habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice ad effectum præmiſſorum dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè, motu, ſcientia deliberatione, & poteſtatis plenitudine partibus derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſſumptorum fides.

§. 9. Volumus autem, ut præſentium tranſſumptis etiam impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. A. 1. die 30. Auguſti.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1655. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Die, menſe, & Anno quibus ſupra, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Jo. Baptiſtam Garavinum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

Pro D. Mag. Curſ. Jo. Garzias Curſ.

VIII.

Declaratio, quod in præfata Conſtitutione non comprehenduntur legata pro piis operibus incertis relicta.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A.D. 1660.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem æqui bonique ſupremum aſſertorem in terris à Domino conſtitutum illa, quæ ex circumſpecta ejus providentia piè ſapienterque proceſſerunt, cum aliorſum, quam æquitatis ratio poſtulet detorqueri intelligit, opportunæ declarationis miniſterio, ita dilucidare, ut ſequioris, & ab ejus intentione deflectentis interpretationis occaſio cuilibet præcidatur.

§. 1. Aliàs ſiquidem emanarunt à Nobis Litteræ in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet ALEXANDER PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. Superni diſpoſitione conſilii vices illius gerentes in terris, qui pauperum curam fidelibus ſuis præcipiens, quod uni ex illis fieret ſibi factum aſſeruit, in his paſtoralis officii noſtri partes affectu paterno libenter interponimus per quæ eorundem pauperum, & præſertim per vicos & plateas mendicantium neceſſitatibus opportunè conſuli arbitramur. Cùm itaque retroactis temporibus fel. record. Julius II. Leo X. Clem. VII. Paulus III. & alii forſan Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, ut in honorem Principis Apoſtolorum Baſilica opere ſupra cæteras magnifico, & eleganti in hac Alma Urbe noſtra conſtrueretur perpendentes ſuas, & Apoſtolicæ Sedis facultates ad id minimè ſuffecturas, fabricæ dictæ Baſilicæ, ſeu ejus Collegio inter alias plures gratias facultates, & privilegia, applicaverint legata pauperibus in genere ſine ſpeciali determinatione, & propriis nominibus perſonarum non expreſſis relicta, cumque hujus applicationis ratione pauperes, & potiſſimum mendicantes legatis ſibi relictis privati remaneant multique pii fideles retrahi vel ſaltem tepidiores reddi poſſint ad relinquendum legata pia, quæ aliàs eorundem pauperum commodum relictum eſſent, dubitantes irritas, & inanes evaſuras ſimiles eorum diſpoſitiones, & in prædictæ fabricæ utilitatem ob privilegia prædicta ceſſuras nos licet ad abſolutam fabricæ dictæ Baſilicæ terminationem illiuſque ornâtum à die noſtræ ad ſummum Apoſtolatum aſſumptionis mentem direxerimus; conſiderantes nihilominus ejus admirabilem ſtructuram ad optatum ferè finem eſſe perductam, ac proindè longè minorem pecuniarum quantitatem nunc pro ejus perfectione, & conſervatione, quam de tempore conceſſionis antedictæ, & aliorum ejus privilegiorum eſſe neceſſariam æquum, & ratione conſentaneum eſſe cenſemus ſublato privilegii hujuſmodi impedimento Chriſti Pauperes in poſterum Legata ſibi relicta, & pro tempore relinquenda plenè, & liberè capiant, & conſequantur. Motu itaque proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,

tudine, hac Nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, decernimus, & declaramus Legata pauperibus in genere ubicumque locorum relicta, & pro tempore quandocunque, & quomodòcunque relinquenda non amplius sub legatorum incertorum nomine in beneficium dictæ fabricæ juxta prædicta ejus privilegia converti, neque sub ejus facultatibus comprehendi, sed de illa omnia veluti alia certa pia Legata in commodum, & beneficium pauperum, qui sub tali nomine secundum Juris interpretationem comprehenduntur plenè, & integrè juxtà pias legantium dispositiones cedere, ac iisdem pauperibus ab hæredibus aliisque obligatis, & seu à testamentariis Executoribus, vel aliis quibus Legatorum prædictorum solutio, seu executio commissa fuit, & erit pro tempore eadem Legata sive in pecunia, sive in frumento, pane, vino, aliisque ad humanum usum necessariis consistant modis, temporibus, ac diebus à testatoribus, seu legantibus præscriptis solvi, & consignari debere. Quod si ob moram, seù negligentiam hæredum, aut exequutorum, seù aliorum obligatorum, vel etiam ob mortem eorum quibus pauperum nominatio, & electio, seu aliàs legatorum executio commissa fuerit eorumdem legatorum solutionem, seu consignationem ultrà debitum tempus differri, vel impediri contingat, volumus, & mandamus, ut locorum Ordinarii, & illis deficientibus Commissarii, & Ministri prædictæ fabricæ in casibus in quibus alias præmissorum executio de jure, & secundum facultates ejusdem Fabricæ ad eos devolvitur voluntatem testatorum, & relinquentium legata hujusmodi ad commodum, & beneficium eorumdem Pauperum dumtaxat, prout servatur in aliis legatis certis, exequantur. Porro quoad legata pro piis operibus in genere etiam ad arbitrium, nominationem, electionem, seù declarationem certorum Exequutorum, seù aliorum specificandis, & declarandis relicta, nullum præsenti nostra constitutione eidem Fabricæ præjudicium inferre, nihilque super iis de novo statuere intendimus, quinimò omnia, & singula ejus jura, & privilegia per Summos Pontifices Prædecessores Nostros hactenus in præmissis concessa præservamus, in casibus tamen in quibus Executores, seù alii prædicti quibus competit facultas (quam per hujusmodi privilegia Fabricæ nullatenus impediri volumus) illam exercere, & ad nominationem, electionem, seu declarationem devenire nolint, vel nulla facta declaratione decesserint. Hanc verò constitutionem tàm in casibus futuris & deinceps contingentibus quàm in præsentibus, & præteritis præterquam in eis legatis, & relictis quæ hactenus à prædicta Fabrica, seù ejus Ministris agnita, acceptata, & incorporata fuerunt, etiamsi super illis in quacumque instantia lis pendeat indecisa servari, & locum habere volumus, & declaramus: Cæteris autem ejusdem Fabricæ, seù illius Collegii privilegiis, gratiis, & facultatibus in eis quæ præsentibus non adversantur, nullum ne minimum quidem præjudicium per præsentes illatum, aut illis derogatum esse, seù intelligi, dici, vel censeri posse, sed illas, & illa in suo robore, & firmitate, remanere debere decernimus itidem declaramus. Decernentes etiam præsentes Litteras, & in illis contenta nullo unquam tempore etiam ex eo quod Oeconomus, & alii Officiales prædictæ Fabricæ cæterique in præmissis interesse habentes, seu habere quomodòlibet prætendentes ad ea vocati, vel auditi, causæque propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, vel sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint, de subreptionis, obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quovis alio quantumvis substantiali defectu notari, vel ex quocunque alio capite etiam in corpore juris clauso impugnari, rescindi, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controversiam vocari, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seù etiam motu simili concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed easdem præsentes semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, neque sub similium, vel dissimilium constitutionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse, & censeri, sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Judices, ordinarios, & delegatos, ac etiam quoslibet S.R.E. Collegii prædictæ Fabricæ Cardinales, nec non causarum Palatii Apostolici Auditores, & quosvis alios quacunque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Collegii prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, gratiis, facultatibus, & Literis Apostolicis per prædictos, & quosvis alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros in favorem ejusdem Fabricæ, ac illius Collegii, etiam per viam contractus jurati, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine etiam consistorialiter, & cùm quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & insolitis clausulis, & Decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, & alias quomodòlibet emanatis concessis, ac etiam pluries approbatis, & confirmatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio facienda, aut quævis alia exquisita, & insolita forma ad hoc servanda esset illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat ad effectum præmissorum specialiter, & expressè, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transsumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Aug. 1655. Pontificatus Nostri anno Primo.

§. 2. Cum autem (sicut accepimus) nonnulli Exequutores testamentarii ad exequenda diversa legata pro piis operibus incertis relicta deputati, præinsertæ Constitutionis Nostræ prætextu illa in commodum Fabricæ prædictæ juxta illius privilegia minimè converti debere, nec ad illam quovis modo spectare, neque sub ejus facultatibus comprehendi prætendant in maximum ipsius Fabricæ damnum, & præjudicium. Hinc est, quod Nos omnem quæ præmissorum occasione enata est, & post hac nasci posset controversiam, & ambigui-

tatem

tatem tollere ejusdemque Fabricæ indemnitati consulere cupientes.

Declarat ut in Rubr.

§. 3. Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus constitutionem præinsertam in illis dumtaxat legatis, quæ pauperibus in genere expressè & explicitè relicta sunt hactenùs, & in futurum relinquentur, sive per hæredes, sive per Exequutores, vel alios quoscunque veniant distribuenda, locum obtinere, non autem ad alia quæcunque legata pro piis operibus incertis hactenus relicta, & in posterum quandocunque relinquenda ullatenus porrigi, seu extendi posse, vel debere, tenore præsentium declaramus, ac perpetuò statuimus, & decernimus.

§. 4. Ac quæcumque privilegia, indulta, gratias, & facultates prædictæ Fabricæ, ejusque Congregationi, & Officialibus, quibusvis circa applicationes legatorum pro piis operibus incertis (non tamen pauperibus in genere, sicut supradictum est) relictorum in commodum, & utilitatem ipsius Fabricæ à prædictis, & aliis quibusvis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quovis modo concessa, & concessas, illorum tenores, & datas præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, adversùs Constitutionem præinsertam, indeque sequuta quæcunque in integrum, ac pristinum, eumque in quo antequam eadem Constitutio emanaret, quomodòlibet erant statum, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, illaque quatenùs opus sit, revalidamus, ac itidem perpetuò confirmamus & approbamus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quilibet etiam speciali, & individua mentione digni in præmissis interesse habentes, seù habere quovis modo prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt sufficienter, aut ullatenus adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, seù ex alia quacunque quantumvis pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, formali, & substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, infringi, impugnari, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversùs illas aperitionis oris, Restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque Juris, facti, seù gratiæ remedium impetrari, seù etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac supradictæ Fabricæ plenissimè suffragari, sicque in præmissis censeri, atque ita, & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocunque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac præinsertis Nostris Literis, nec non omnibus, & singulis illis quæ in eisdem volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur in Judicio, & extra illud quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Novembris 1660. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dat. P. An. 6. die 16. Nov.

IX.

Confirmatio Decreti Innocentii Papæ X. super administratione Cellerariorum Congregationis Cassinensis.

Circa electionem Cellerariorum hujus Congregationis, lege ad Constit. 14. Cum sicut. *&* 24. In his. *Innocentii X.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1655.

ALiàs emanavit à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore Nostro Decretum, cui subindè jussu ipsius Innocentii Prædecessoris à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, inserta fuit additio tenoris, qui sequitur videlicèt.

Decretum Congr.

§. 1. Diuturna experientia compertum est Monasteria Congregationis Cassinensium tunc maximo bonorum temporalium incremento floruisse, cum Cellerarii demandatam sibi œconomicam curam non pro suo arbitrio, & auctoritate, sed consulto in omnibus proprio Abbate, eoque dirigente fideliter administrarunt, inutiles resecando sumptus, à profusis munerum largitionibus abstinendo, nec non animalium, & agriculturæ industriam non in sui, sed Monasteriorum commodum, & utilitatem convertendo; exactasque pecunias Depositario integrè tradendo in communi arca asservandas: Ad quod etiam multum semper contulit eorum Prælatorum vigilantia, qui rationes introitus, & exitus sedulò ac frequenter subducentes præmisso diligenti examine, ne quid fraudis, vel præjudicii interveniret, omnia ad fidelem calculum revocarunt, prout Constitutiones Apostolicæ, ac ejusdem Congregationis statuta providè disponunt.

Pœnæ in contrafacientes.

§. 2. Verùm quia in quibusdam Monasteriis tàm salubres ordinationes Cellerariorum incuria, & quandoque etiam malitia, nimiaque Superiorum indulgentia negliguntur, & timendum est, ne si hujusmodi malum subrepat, tractu temporis eorumdem Monasteriorum ruina subsequatur, ideò Sanctissimus D. N. audito voto Congregationis S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ innovando in primis Constitutionem san. mem. Clementis VIII. sub die 6. Martii 1643. eidemque pro firmiori contentorum observantia graviores pœnas addendo prohibet omnibus, & singulis Cellerariis, aliisque eorum Ministris, sive Monachis, sive Commissis, quibus bonorum administratio quocumque modo incumbit, quominus audeant reditus, ac proventus supprimere, vel minuere, rerum quarumcumque pretium alterare, negociationibus sese immiscere: animalium, seù agriculturæ industrias sibi appropriare, aut munera contra formam prædictæ Constitutionis elargiri sub pœna privationis officiorum, vocis activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis eo ipso incurrenda, à qua præterquam à Sede Apostolica dispensari non valeant. Obstringendo Abbates, quatenus cum primùm ipsis de hujusmodi

transgressoribus innotuerit, ad executionem prædictarum pœnarum, nulla interposita mora procedant, aliàs eisdem ipsi pœnis subjaceant, ac dignitate Abbatiali priventur.

§. 3. Insuper mandat, ut omnes pecuniæ quacumque ex causa ad Monasterium pertinentes à Cellerariis dietim, prout exiguntur, Depositario consignentur, & in arcam deponantur duabus clavibus diversis obseratam, quarum altera penes Cellerarium, altera verò penes eumdem Depositarium asservari debeant: arca verò ipsa unà cum rationum codice in Camera, seù Cella Monachi Superioris, & probatæ fidei ab Abbate electi, & deputati, majori, qua possit, diligentia servetur, & custodiatur, à qua ne obulus quidem extrahi possit, nisi præcedente mandato in scriptis Cellerarii, seù eo absente ejus Ministri ad id deputati, non quidem directo sibi, seù Ministro (absente Cellerario) deputato, ut supra, sed vel iis, quibus pecuniæ persolvendæ sunt, si præsentes fuerint, vel si absentes, & impediti, Factoribus, & Agentibus Monasterii, vel aliis personis, quæ, quotiescumque opus fuerit, requisitæ, hujusmodi solutionem verè & realiter factam fuisse, attestari possint, & valeant, expressa in mandato causa, & summa, nec non manu etiam Abbatis, seù Superioris Monasterii firmato, cujus tenor de verbo ad verbum in destinato libro registretur. Computa jurata, introitus, & exitus, tàm quoad pecunias, quam victualia quæcumque, aliaque omnia in ipsius Monasterii quotidianas necessitates expensa, consumpta, aut distributa singulo quoque mense; quæ verò in agrorum culturam, aut fructuum recollectionem, quolibet Trimestri Abbati, Priori, ac Decanis fideliter exhibeantur, quibus prædicti non modo se subscribant, sed etiam juramento confirment, ea omnia morali diligentia examinasse, nihilque in iis fraudis contra formam præsentis Decreti invenisse. Quod si qui defraudasse, & veritatem proventuum, & expensarum non expressisse inventi fuerint, ne dum incurrant pœnas superius expressas absque ulla spe impetrandæ dispensationis, verum etiam de furto, ac perjurio puniantur.

§. 4. Quæ omnia, ut exactius observentur, Sanctitas Sua PP. Visitatoribus seriò injungit, quatenus in eorum visitatione super præmissis diligenter inquirant, & si quid in contrarium commissum, aut omissum repererint, contrafacientes in prænarratas pœnas incidisse, & à suis officiis suspensos respectivè declarent, donec in primo futuro congressu Dietæ, vel Capituli ad executionem pœnarum, ut supra inflictarum procedatur: sub pœna pariter privationis dignitatis Abbatialis, nec non vocis activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis, ad illa seu alia consequenda, rehabilitatione Sedi dumtaxat Apostolicæ reservata, ab ipsis quoque Visitatoribus incurrenda.

§. 5. Et quia fidele servitium, & accurata in executione præmissorum diligentia tunc sperari poterit, si Cellerarii cum gravitate morum, tum vitæ probitate, & rerum experientia conspicui fuerint; Ea propter Sanctitas Sua mandat Abbatibus, ut in hujusmodi deputationibus faciendis, audito prius consilio seniorum, nonnisi Religiosum, gravem, probatum, ac inter Decanos adscriptum Definitoribus, aut Regimini promovendum proponant, quemque aptiorem esse secundum Deum judicaverint, ac talem proprio juramento in scriptis attestentur; Secus dicta deputatio nulla sit eo ipso, & Prælati in proxima Dieta, vel Capitulo debitè puniantur; Et ne ullo unquam tempore à Monasteriorum Superioribus allegari possit ignorantia hujusce Decreti, Sanctitas Sua mandat, ut hujusmodi Decretum legatur in publica mensa bis in anno, id est mense Februarii, & Octava Nativitatis Beatiss. Virginis Mariæ sub iisdem pœnis in præsenti Decreto adversus contrafacientes expressis. Romæ die 13. Julii 1654. M. Card. Ginnettus. Hi. Archiepiscopus Patracen. Secr.

§. 6. Cum autem firmius observentur illa, quibus sæpius autoritatis Apostolicæ munimen accedit: Nobis propterea Venerabilis F. Noster Franciscus Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Barberinus nuncupatus prædictæ Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti apud Nos & Sedem Apostolicam Protector humiliter supplicavit, ut Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio roborare de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur eumdem Franciscum Cardinalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Decretum præinsertum una cum additione prædicta, aliisque omnibus, & singulis in eo quomodolibet, ut præmittitur, contentis, Apostolica autoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter imposterum observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Confirmat prout in rubr.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Congregationis Cassinensis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum, insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, quod præsentium transsumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transsumptis credi jubet.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Septembris 1655. Pontificatus Nostri Anno Primo. D. Ann. P. 1. die 7. Sept. 1655.

X.

Super dominio Conventus S. Mariæ de Victoria Fr. Carmelitarum Discalceatorum Provinciæ Romanæ, & Gubernatione Seminarii S. Pauli in eodem Conventu existentis, nec non super administratione bonorum dicti Seminarii.

Horum Fratrum Congregationem approbavit Greg. XIII. in Constit. 64. tom. 2. & Seminarium, de quo agitur, ad Fidei Christianæ propagationem in Urbe erexit Paulus Quintus Constit. 78. tom. 3.

ALEXANDER PAPA VII. Edita A. D. 1655.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. DEcet Romanum Pontificem Dominici Gregis utilitatibus ex impositæ sibi divinitùs Apostolicæ servitutis officio jugiter invigilantem circa ea, quæ ad fidei Catholicæ augumentum, & Religiosorum virorum sub suavi Religionis ju-

go

go Altissimi obsequiis mancipatorum tranquillitatem & felicem directionem conferunt, sollicitis studiis intendere, ac desuper curæ suæ pastoralis partes interponere prout rationi judicat esse consentaneum.

Motiva hujus Const.

§. 1. Cum itaque licet alias diversis temporibus super gubernio, & regimine Conventus, seu Seminarii Sancti Pauli, sive Sanctæ Mariæ de Victoria nuncupatæ de Urbe Ordinis Fratrum Discalceatorum ejusdem Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo diversæ ordinationes emanaverint, nec tamen hactenus tàm super præmissis, quàm super juribus, & prætensionibus Dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Romanæ ejusdem Ordinis ea in re plenè provisum fuerit.

Quod Conventus subjiciatur Provinciæ Romanæ.

§. 2. Hinc est quod Nos dictæ Religionis unioni, & paci, nec non eorumdem Fratrum Provinciæ Romanæ indemnitati, prædictique Conventus seu Seminarii prosperæ directioni ad Omnipotentis Dei gloriam opportunè providere volentes, ac quarumvis Litterarum Apostolicarum præsertim fel. rec. Paul. V. Urbani VIII. ac Innocentii X. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum etiàm in simili forma Brevis expeditarum, nec non Decretorum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negocio propagandæ Fidei præpositorum, ac Capituli Generalis Ordinis hujusmodi concordiarum, testamentorum, codicillorum, legatorum & aliarum dispositionum quarumcumque tenores etiam unionis, & datas, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, supplicationibus Dilecti etiam Filii Provincialis, & eorumdem Fratrum Provinciæ Romanæ Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto nonnullorum ex Cardinalibus prædictis qui in executionem Commissionis, & Mandati Nostri jura, rationes, titulos, & fundamenta, tàm ex parte Dilectorum pariter Filiorum Præpositi Generalis, & Procuratoris, ac Definitorii Generalium, quam ex parte dictorum Provincialis, & Fratrum prædictæ Provinciæ Romanæ Ordinis supradicti data, exhibita, & producta viderunt, examinarunt, & consideraruut, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus dictum Conventum, seu Seminarium Sancti Pauli, seu Sanctæ Mariæ de Victoria de Urbe esse debere Provinciæ Romanæ supradictæ, Provinciali Romano subjectum in omnibus, & per omnia etiam quoad Conventualitatem Fratrum non Seminaristarum ad instar aliorum dictæ Provinciæ Conventuum, ac Officiales à Capitulo Generali, seu Definitorio Generali electos, & ibidem constitutos dimittendos, videlicet, Priorem, Subpriorem, seu Vicarium, & ad Capitulum, seu Definitorium Provinciale ejusdem Provinciæ Romanæ in futurum spectare electionem Prioris (cum participatione tamen, & approbatione, quoad hunc dictæ Congregationis Cardinalium negotio propagandæ fidei præpositorum) nec non etiàm Subprioris, seu Vicarii, aliorumque Officialium Conventus, seu Seminarii hujusmodi ad formam Constitutionum prædictæ Religionis, remanentibus tamen ibidem Seminario, & Seminaristis, eorumque controversiarum, & linguarum Orientalium Lectoribus, & Magistris ad præsens existentibus, & pro tempore futuris, quorum electio, & amotio cum participatione Præpositi Generalis dicti Ordinis ad Congregationem Cardinalium prædictorum in futurum spectet, & pertineat.

§. 3. Insuper administrationem omnium, & singulorum bonorum, redituum, & proventuum, tàm à quondam Francisco Ciminio Barone de Cacurri, quàm ab aliis relictorum, datorum, seu donatorum, & in posterum relinquendorum, dandorum, seu donandorum, videlicet, promissionibus faciendis curæ, & diligentiæ dictæ Congregationis Cardinalium, amotis Syndicis, & Procuratoribus quibuscumque prædicti Ordinis auctoritate, & tenore prædictis committimus.

§. 4. Præterea quamvis Conventus prædictus sit, & esse debeat, ut supra Provinciæ Romanæ volumus nihilominùs, ut in illo, ut ànte dictum est, Seminaristæ, eorumque Lectores, & Magistri una cum Fratribus ejusdem Provinciæ liberè cohabitare, & convivere valeant; pro alimentis verò, substentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessariis Seminaristarum, eorumque Lectorum solvantur prædicto Conventui, seu ejus Priori aut Procuratori per Congregationis supradictorum Cardinalium Ministros ex reditibus dicti Seminarii, vel promissionibus ut supra relictis, seu imposterum relinquendis annua scuta quadraginta pro quolibet Seminarista, vel Lectore pro tempore, & rata temporis quo quilibet Lector, & Seminarista ibi resederit, ac cohabitaverit, & convixerit, remanentibus ad Conventus commodum eleemosynis seu emolumentis pro Missis à prædictis Seminaristis, Lectoribus, & Magistris celebrandis quomodòlibet resultantibus; At si Lector pro studio linguarum fuerit secularis, vel Religiosus alterius Ordinis competens ei stipendium ex dicti Seminarii reditibus ejusdem Congregationis Cardinalium arbitrio assignetur.

Seminaristæ eliguntur ex qualibet Provincia.

§. 5. Denique statuimus ut pro Seminaristis hujusmodi eligantur ejusdem Ordinis Sacerdotes ex qualibet Provinciâ bonis moribus, pietate, zelo, prudentiâ, doctrinâ, aliisque virtutibus, nec non corporis sanitate præditi, qui studium Sacræ Theologiæ compleverint, & post ingressum infra sex menses juramentum in manibus Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinalis Præfecti Congregationis dictorum Cardinalium, & coram illo omnino emittant quod finitis studiis ut supra controversiarum, & linguarum ad omne Congregationis eorumdem Cardinalium mandatum ad missiones promptè ibunt, & indè non discedent absque ejusdem Congregationis expressa licentia.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque etiam speciali expressione digni in præmissis quomodòlibet interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, & justificatæ ullatenus fuerint, aut ex quâcumque aliâ causâ, colore, prætextu, & occasione, & capite etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aut alio quocumque quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodcumque aliud juris, & facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam Motu proprio concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nunquam posse, sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoscumque quàvis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quàvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quàvis aucto-

auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus quoad ea quæ præsentibus quoquo modo adversantur prædictorum, & aliorum quorumcumque Rom. Pontificum Prædecessorum nostrorum Literis etiàm in simili forma Brevis, expeditis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiàm Conciliaribus generalibus, vel specialibus, nec non Congregationis prædictorum Cardinalium, ac Capituli generalis prædicti Ordinis Decretis, ac concordiis, & legatis, testamentis, codicillis, & dispositionibus ex quâcumque causâ, titulo, occasione, & tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, executis, & observatis respectivè, & aliis quibusvis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expressè commutamus, ac erectione, & fundatione Conventus, & Seminarii prædictorum illorumque, ac Ordinis hujusmodi etiàm juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis iisdem Ordini, Conventui, & Seminario, illorumque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiàm derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiàm irritantibus in genere, vel in specie etiam Motu proprio, & consistorialiter, ac alias quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & servatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, & plenè omnimodè, & absolutè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 24. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Septemb. 1655. Pontific Nostri Anno Primo.

XI.

Edita An D. 1655.

Concessio Privilegiorum pro suis Cappellanis communibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

GRata familiaritatis obsequia, quæ Dilecti Filii Josephus Tolone, Franciscus Sardolus, Michaelangelus Lualdus, Hieronymus Morellus, Joannes Laurentius della Ratta, & Andreas Basile Presbyteri moderni Capellæ Nostræ Pontificiæ Capellani familiares Nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, nec non vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientiâ, quàm etiàm fide dignorum testimonio juvari percipimus, Nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Capell. Fam. absolvit à censuris.

§. 1. Hinc est quod nos volentes illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eosque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Not. Apost. Comites Nobiles creat.

§. 2. Motu proprio non ad supradictorum Josephi, Francisci, Michaelisangeli, Hieronymi, Joannis Laurentii, & Andreæ, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia Apostolica auctoritate tenore præsentium, Josephum, Franciscum, Michaelem angelum, Hieronymum, Joannem Laurentium, & Andream prædictos, & illorum singulos in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios recipimus, ac sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites (sine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio) nec non Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniumque & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum cives creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ Comitum, ac Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Oppidorum præfatorum referimus, & conscribimus, ipsisque etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis, juxta decretum Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferant, aut Civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii Nostri etiam de numero participantium, nec non Comites, & nobiles, ac Cives originarii etiam in dignitatum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, & secularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium assecutione, & exercitio tam in Urbe, quam Civitatibus prædictis, ac aliàs ubique locorum, & gentium, nec non sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodòlibet in futurum non solum ad illorum instar, sed pariformiter, & æqué principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones à Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac Notarios, seù Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis Sedis Apostolicæ, & Comitibus Palatinis prætensa, itaut illis supranominati Capellani familiares Nostri nullibi uti valeant, ac irritum, & inane existat si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari) uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque Litteris, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese Notarios, Comites & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanæ, & aliarum Civitatum Cives ut libuerit inscribere, & se illis subscribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, & per omnia censeatur.

§. 3. Et insuper illos, eorumque beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, quorumcumque & qualiacumque, illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, Regionum, & Provinciarum, nec non in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, & se moventia, nec non actiones & jura præsentia, & futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujusvis etiam annui valoris, fructus, reditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcunque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque suarum Privilegiis gaudere decernit.

usibus

usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus tam urbanis, quàm rusticis ordinariis, & extraordinariis realibus, & personalibus, & mixtis etiam ratione munitionum, mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis transitus, seù passus, & vecturæ etiam in aliud territorium, seù provinciam terra, mari, & flumine; necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis, ita quod illi, & quilibet eorum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneantur, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seu vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos aliàs, quam ut præfertur valeant coarctari quamdiù servitiis nostris insteterint dumtaxat eximimus, & liberamus.

Eosdem à solutione onerum eximit.

§. 4. Ad hæc cum eisdem ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcunque trium Cathedralium etiam Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, & principalis, canonicatus, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si eis alias canonicè conferantur, aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & dummodo illa omnia uno excepto personalem residentiam non requirant insimul quoad vixerint retinere, necnon etiam quamdiù Nobis inservierint tantum, in Beneficiis Ecclesiasticis non tamen parochialibus, vel curam animarum Parochianorum habentibus per eos pro tempore obtentis etiam de jure statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus etiamsi dignitates in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, & in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per Locorum Ordinarios, seù Ecclesiarum earumdem Capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque, & singulos illorum Beneficiorum obtentorum fructus, & reditus durante servitio prædicto cùm ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residerent percipere, exigere, & levare, proviso tamen per eos ut onera eisdem dignitatibus, & beneficiis quovis modo incumbentia congruè supportentur, necnon etiamsi Presbyteri fuerint, ac dignitates, & officia obtinuerint, leges, & jura civilia etiam publicè in Scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum ætatis annum non excesserint audire; ac si habiles, & sufficientes reperti fuerint, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantum exercere liberè, & licitè possint, & valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Ad quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia obtinenda dispensat.

Beneficiorum fructus percipiant.

§. 5. Liceat quoque ipsis, & eorum singulis aliquem idoneum, & ab Ordinario loci approbatum Presbyterum secularem, vel cujusvis Ordinis regularem in suum eligere confessorem, qui vita eis comite eos, & ipsorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, & per eos incursis, & quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, ac quorumcunque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas non tamen Episcopos, vel alios superiores Prælatos de præterito injectionibus, seù consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus, necnon recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum, ac denique ab omnibus, & quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus etiam talibus propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicet à contentis in Litteris die Cœnæ Domini publicari consuetis semel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicujus præjudicio prædicta auctoritate Apostolica absolvere, & illis pro commissis pœnitentiam pro modo culpæ injungere salutarem, necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis Liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, castitatisque, & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.

Confessarium eligere possint.

§. 6. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seù aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ tam in dictâ Curiâ, quam extrà eam etiam ad id per eos, aut eorum singulos coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seù eligendæ quascumque pensiones annuas eis, & eorum singulis super mensarum Abbatialium, seù Episcopalium, aut Archiepiscopalium, & quorumcunque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumcunque Ordinum regularium, etiam Hospitalis S. Jo. Hierosolymitani quomodòcumque, & qualitercumque qualificatorum, fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus etiam quotidianis, seu illorum loco fructus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta sibi nunc, & pro tempore assignata, & reservata quandocunque simul, vel successivè in toto, vel in parte usque ad summam centum ducatorum auri de Camera de eorumdem Cappellanorum, vel cujuslibet ipsorum consensu in toto, vel in parte etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, distributionibus, seù illorum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujusmodi, etiam usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per eosdem Cappellanos, & eorum singulos nominandis etiam quæcumque, quodcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, seù clericali charactere insigniri volentibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus eisdem modo, & forma quibus eisdem Capellanis assignatæ, aut reservari, seù assignari concessæ, seù concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones, & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, ac distributio-

Pensiones usque ad summam centum aureorum de Camera reservare possint.

nes, & emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatæ, & de novo assignatæ fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, ac alias cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis integrè persolvendam reservare, constituere, & assignare.

Testandi, & quomodocumque disponendi per privatam scripturam usque ad summam ducentorum ducatorum potestas.

§. 7. Nec non ut iidem Cappellani, & eorum quilibet de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis etiam jurisdictionalibus, cæterisque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non sint altaris, vel altarium Ecclesiarum ipsis Cappellanis nostris prædictis commissarum ministerio, seù alicui speciali earumdem Ecclesiarum divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione Ecclesiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum regularium sive ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodòlibet obtinuerint, & obtinent, ac obtinebunt, ac fructuum, redituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, reditibus, & proventibus eis reservatarum, & assignatorum, ac reservan. & assignandarum quos, & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque; Romanæ Curiæ officiorum, ac alias quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, reditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, nec non eorum industria, & labore quomodolibet, & undecumque licitè tamen acquisitis, acquirendum, ac alias etiam de muneribus & officiis quæ exercuerint, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seù contemplatione ad eosdem perventis, & perventuris etiamsi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant tam in dicta Curia, quam extra eam ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores etiamsi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, vel supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocalibus, præsentibus ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denotarentur pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis, ac debendis, ac nondum perceptis, & exactis, & etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit pro illa rata quæ illis debita erit constitutione declaratoria super fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forsan ad successores in ipsis Beneficiis spectare, & pertinere debeant non obstante, etiam accumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultrà servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum, et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, & alias pro eorum arbitrio, et voluntate absolutis testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus; tam inter vivos, quam causa mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis scriptura etiam minus solemni etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula sola eorum manu scripta, vel subscripta, ac alias in omnibus, & per omnia prout, & quemadmodum eis videbitur etiam in ipsa Curia (non tamen extra residentiam) & in mortis articulo, non facta mentione præsentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seù disponere velint, & intendant, semel, atque iterum, & pluries disponere, statuere, & ordinare, itaut quidquid testatum, gestum, ordinatum, seu alias ab ipsis dispositum fuerit etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta etiam pluries, & toties quoties eis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere etiam liberè, & licitè valeant plenam, & liberam concedimus facultatem.

Defectus quoscumque in prædictis supplet.

§. 8. Statuentes nihilominus, et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod, si contigerit ipsos ab intestato, & sine ulla, vel minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, redituum, & proventuum prædictorum dispositione in d. Curia, vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia, aut alia loca debitæ ab eis residentiæ personalis etiam nulla subsistente causa ab humanis decedere, omnia, & singula eorum bona, res, & jura etiam ut præfertur qualificata, necnon spolia pro dicta summa etiam ex prædictis, & alias undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seù in dictis Beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes sanguinis eorumdem integrè deveniant, & illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio personæ, seù personarum quas ad id ipsi scripto nominaverint, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione eorumdem scriptura etiam minus solemnis secus appareret quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices seu executores omninò exequi, & adimplere, illique sese conformare in omnibus, & per omnia debeant: & nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, & alia forsan alias ab ipsis etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis de hujusmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, alisque rebus supradictis etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & alias quomodòlibet facta cum omnibus inde secutis, ac etiam ea quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, & è contrà pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque si qui intervenerint in eisdem etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, & specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Clausula sublata.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Lateranen. Concilii etiam novissimè celebrati de certo Notariorum numero etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in positionibus, & quibusvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet editis, & in posterum edendis, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & stylo in similibus hactenus servato, & piæ memoriæ Alexandri Papæ VI. etiam prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem memoriæ Bonifacii prædecessoris, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sinè præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis

licis, ac in Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, & aliis etiam municipalibus tàm Urbis, quàm quarumvis aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati sunt, ac quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædicti, nec non quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum, & Urbis, & aliarum Civitatum, & locorum, ac prædictæ Cameræ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis Literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodòlibet concessis utendo ipsi Cappellani per se, vel eorum Procuratorem præstiterint forsan hactenus, vel in posterum eos præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus etiam antianis, Capitulis, & Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis, & particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis etiam ejusdem S. R. E. Cardinalibus, ac dictæ Cameræ Officialibus, illorumque Collegiis sub quibuscunque tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam etiam consistorialiter, & de ejusdem S. R. E. Cardinalium consilio, ac per modum statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia paribus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ad Imperatoris, ac Regum, & Reginarum, Ducum, & Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, aut aliàs quomodòlibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, & in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis, etiamsi in iis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresse, vel tacitè, quod Urbis nonnisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis, aliarum verò partium Beneficia, nisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiàm originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri, aut conferri possint, & nullus in Civem Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, & locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque Præceptoriæ, & alia Beneficia quæcunque dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, tam ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione, non in titulum perpetuorum Beneficiorum conferri, sed in Commendam ad vitam Commendatariorum revocabiliter concedi debeant, & sic pensionibus Ecclesiasticis, secularibus, aut aliis personis Apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis præfatis etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissimè extendendæ etiam per quascunque Literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur nisi derogatio hujusmodi de consilio dictorum Cardinalium fiat, & tum demum, ad id Magistri, & Conventus præfatorum expressus accedat assensus, sintque Literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magnum Magistrum subscriptæ, ac ei, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias Literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo; & semper in hujusmodi Literis, quæ sic fient etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus præfatorum, & non aliàs, aliter, nec alio modo.

§. 10. Quibus omnibus, & eorum singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitæ derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in Literis exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore, & firmitate permansuris hac vice dumtaxat harum serie in genere, & in specie ad effectum præmissorum specialiter, & expressè, motu, & scientia similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscunque. Contrariis derogat.

§. 11. Volumus autem, quod præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ; quodque antequam gratia Notariatus perfrui possint, & valeant, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede Apostolica præfata propositos emittere, & solitum fidelitatis juramentum omninò præstare teneantur, & quilibet ipsorum teneatur.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Octobris 1655. Pontific. Nostro Anno primo. Dat. P. An. 1. die 18. Oct.

XII.

Divisio, & Reductio Provinciarum Religionis C. R. Ministrantium Infirmi.

Edita A. D. 1655.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN eminenti Sedis Apostolicæ specula Dominici Gregis curæ Nostræ divinitus commissi commodis jugiter invigilantes illis, quæ prospero Congregationum personarum regularium, nedum ad corporalem Christifidelium utilitatem, sed etiam quod satius est, ad salutem animarum præsertim in extrema cum hoste humani generis lucta procurandam providè institutarum statui, & felici directioni conducere arbitramur, propensis studiis intendimus, ac desuper pastoralis Officii Nostri partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, Congregatio Dilectorum Filiorum Clericorum Regularium ministrantium infirmis dudum per Literas Apostolicas in quinque Provincias, videlicet Romanam, & Etruriæ simul, nec non Mediolanensem, Bononiensem, Neapolitanam, & Siculam divisa fuerit; Et subinde eandem Congregationem particularis Congregatio à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore Nostro deputata in duas Provin- Motiv. hujus instit.

cias, nempè Neapolitanam, quæ etiam Siculam comprehenderet, ac Romanam, quæ reliquas Provincias prædictas pariter contineret redegerit, cumque præmissorum occasione variæ perturbationes sub ortæ fuerint. Nos, ut Clerici prædicti semota omni perturbationum materia in suo laudabili Instituto pro communi Christifidelium bono perseverare valeant, quantum cum Domino possumus, providere volentes.

Divisio prout in rubr.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, totam Congregationem Clericorum Regularium hujusmodi in quatuor Provincias, videlicet Romanam, quæ Etruscam, eique propinquiorem Bononien. Provinciæ partem comprehendat, nec non Mediolanensem, quæ reliquam Provinciæ Bononiensis hujusmodi partem juxta divisionem ipsius Provinciæ Bononien. in Capitulo generali dictæ Congregationis proximè celebrando faciendam etiam comprehendat, ac Neapolitanam, & Siculam, quæ quatuor Provinciæ singulæ suos Provinciales, & Officiales distinctos, & separatos habere debeant, tenore præsentium dividimus, & reducimus.

Alternativa Præfecti Generalis.

§. 3. Declarantes tamen, quod quantum attinet ad electionem personæ idoneæ ex Provinciarum dictæ Congregationis professoribus ad munus Præfecti Generalis ipsius Congregationis pro tempore vacans alternatim assumendæ, eadem Congregatio in duas solummodo Provincias, nempè Romanam, quæ Mediolanensem, quoad hunc articulum contineat, ac Neapolitanam, quæ Siculam pariter comprehendat, divisa censeatur, itaut prædictum munus Præfecti Generalis professoribus Romanæ, seu Mediolanensis, & Neapolitanæ, seu Siculæ Provinciarum hujusmodi alternatim in perpetuum deferri debeat, & Præfectus Generalis, quando Romanæ, & Mediolanensis insimul Provinciæ turnus obtigerit, tàm ex particulari Romanæ, quàm ex Mediolanen. Provinciis supradictis, servatis tamen aliàs servandis assumi possit; quando verò Neapolitanæ, & Siculæ Provinciæ itidem insimul turnus obvenerit, tàm ex particulari Neapolitana, quàm ex Sicula Provinciis, hujusmodi eligi similiter valeat.

Consultores ex quali-bet Provincia assumuntur.

§. 4. Præterea prohibitionem, ne ex Provincia dictæ Congregationis, ex qua Præfectus Generalis electus esset Consultor ullus ejusdem Congregationis assumeretur, in prædictis Litteris Apostolicis contentam Motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore præsentis tollentes, & abolentes, singulos Consultores prædictæ Congregationis ex singulis quatuor Provinciis memoratis, Romana videlicet, Mediolanen. Neapolitana, & Sicula assumi debere decernimus.

Arbiter Consultæ non eligatur ex Provincia Præfecti Generalis.

§. 5. Statuentes ut Arbiter Consultæ generalis prædictæ Congregationis nequaquam ex illa Provincia, ex qua Præfectus Generalis pro tempore fuerit, sed ex alia assumatur, ac decernentes præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit perpetuò inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Congregationis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis eidem Congregationi, illius Superioribus & personis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè ac sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra, ac ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 22. Nov.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Novembris 1655. Pontificatus Nostri Anno primo.

XIII.

Confirmatio Privilegiorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & ejusdem Confraternitatum, ac Beatissimæ Virginis Mariæ de Remedio.

Edita An. D. 1655.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Petrus Mercier Minister Generalis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod ipse pro felici dicti Ordinis regimine, atque gubernio omnia, & singula Privilegia, gratias, & Indulta eidem Ordini, nec non Confraternitatibus sub Invocatione Sanctissimæ Trinitatis, & Beatissimæ Virginis de Remedio nuncupat. Redemptionis Captivorum vigore Literarum in simili forma Brevis fel. record. Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri erectis aliàs à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessa, quo firmiora persistant, & ab omnibus exactius observentur Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summoperè desiderent.

Oratorem absolvit à censuris.

§. 1. Nos igitur eundem Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum seriè absolventes, & absolutum fore censentes.

Confirmat ut in rubr.

§. 2. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Privilegia, gratias, & indulta prædicta, dummodo tamen in usu, ac licita sint, & honesta, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibusque dicti Ordinis Institutis non adversentur, & quoad Confraternitates prædictas monopoliis ansam non præbeant Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodòlibet intervenerint in eisdem supplemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes illa, nec non præsentes Literas semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia, existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab ominbus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit quomodòlibet in futurum inviolabiliter, & inconcussè observari, Sicque per quoscumque Judices ordinarios,

& dele-

& delegatos, ac causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam; quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 9. Decembris 1655. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. P. An. 1. die 9. Decembris.

XIV.

Sacram, & Apostolicam Visitationem Ecclesiarum omnium Urbis, locorumque piorum quadraginta horarum celebrationem, cum indulgentiarum elargitione indicit.

De Visitatione Apostolica extant Constitutiones Clement. VIII. Constit. 8. Speculatus to. 3. Urb. VIII. Constit. 15. Militantem to. 4. impress. Lugd. quas Constitutiones Urbani data opera reliqui in nova impressione ne otiosè repetam quæ non sunt necessaria, maximè quia concordant cum his S. D. N.

Edita A. D. 1655.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus servorum Dei. Dilectis Filiis Universo Clero, & Populo Romano salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

COmmissam Nobis Ecclesiam vigili cura, ac studio dies, noctesque obeuntes calamitatum, ac tribulationum, quæ invenerunt Nos nimis objectu non deterremur, aut frangimur, quinimò ad illum, qui eam sibi præelegit in sponsam fidentes respicimus, & quam ipsi immensam sollicitudinem, & charitatem debemus omni opera, diligentiaque repræsentare conamur. Illam Filii Sui sanguine acquisitam, tamque excellenti pignore sibi obligatam tradidit Nobis custodiendam Altissimus crebro urgens, contendensque, ne quid unquam de summo in eam amore, ac dilectione remitteremus. Quod trepidè, solliciteque cum animo Nostro reputantes; in hoc labores omnes, cogitationesque defigimus, ne qua labes, aut macula pulcherrimo corpori adhærescat, eam verò decoram exhibeamus, tanquam sponsam ornatam monilibus, paratam in occursum Domini, ac viri sui. Quamvis autem Universis, ac singulis debitores simus; & in Christo devincti, hæc tamen Alma Civitas, quam in tantum extulit divina dignatio, propiores habet amoris, & sollicitudinis causas. Crediti enim gregis cum forma esse jubeamur; à Principe gentium Urbe exigendum id esse potissimum videtur, ut fidei, ac Religionis Magistra, castissima etiam sit morum custos, & disciplinæ. Hic est fides Petri, fides, quæ annunciatur in universo Mundo, quæ Apostolos coronavit, & Martyres. Hæc est Civitas ædificata super fundamentum Apostolorum quam fusus pro Christo sanguis mundat, illustrantque Sanctorum pretiosa deposita.

Causa Visitationis Sacræ.

§. 1. Hinc quidquid oculis Domini displicere possit extirpare cupientes nullam in populo; aut, plebe turpitudinem, nihil inquinatum apparere, Cleri verò mores eos vellemus, quales esse de Altari viventium decet, quorum pars est Christus, atque in Cœlis conversatio; Cum enim Deus impium Regem, quòd vasa Templi ministerio addicta in profanum usum vertisset, gravi, subitaque vindicta percussit, satis ostendit, quàm procul ab immunda omni consuetudine remoti esse debeant ii, qui sibi inserviunt, cum etiam inanimæ, & sine sensu rei tantam voluerit adhiberi reverentiam. Optamusque ut illi in præcipuis Basilicis, quas Deo obtulit pia Imperatorum, ac Principum largitas, diligenter obeant opus suum, utque apta sit, & decora psalmorum modulatio, psallantque Regi Regum sapienter. Quibus perficiendis opportunè, ut cætera, id quoque suis decretis sancivit sacro sancta Tridentina Synodus, ut Episcopi subinde gregem suum, ovesque perlustrarent, & recognoscerent, cujus sanctissimum institutum, & Nos sequentes, ut Patrum regulas, ac terminos custodiamus, visitemusque; Fratres Nostros Filios Israël, ne veniat super Nos, quod olim comminatus est Deus malis Pastoribus, qui pascentes semetipsos, gregem Domini non pascunt, neque quod infirmum est consolidant, quod ægrotum non sanant, quod confractum non alligant, quod abjectum non reducunt, & quod periit non requirunt.

Visitationem indicit.

§. 2. Statuimus Deo annuente, Urbis Romæ omnes tàm Patriarchales, quàm Collegiatas, & Parochiales Ecclesias, earumque Capitula, & personas, item Monasteria, Conventus, & Ecclesias quorumvis Ordinis tàm virorum quàm Mulierum, Hospitalia, Collegia, Confraternitates Laicorum, Montem pietatis, omnia quocumque censentur nomine loca Pia visitare.

Card. assumit.

§. 3. In cujus operis consortium nonnullos advocavimus ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & Episcopos aliquot administros, quorum consilio, atque opere in tam salubri, atque ardua uteremur.

Fideles ad orandum hortatur.

§. 4. Ad Omnipotentis itaque Dei laudem, & gloriam S. R. Ecclesiæ exaltationem, vobis visitationem invigesimam tertiam mensis hujus Dominicam diem indicimus, quam à Sacrosancta primaria Lateranensi Basilica inchoabimus, & statutis diebus, Deo adjutore prosequemur, singulos, atque universos in Christi visceribus per misericordiam Dei, & Salvatoris Nostri obtestantes, ut abjectis secularibus desideriis non secundum carnem ambulent, sed justè, & piè vivant, quotanquam in bene præparato agro sementem dominicam cum fructu accipiant, ac ne in vacuum curramus, & frustra sint nostri labores, Deum, qui est multæ misericordiæ omnibus invocantibus se, sine intermissione obsecrent, ne viribus deficiamus, sed assistat Nobis, confortetque Nos in gratia, quæ est in Christo JESU.

Orationem 40 horarum præcipit.

§. 5. Qua de causa jubemus sexta feria ante constitutam Dominicam in nonnullis Ecclesiis Urbis Patriarchalibus Collegiatis, & aliis præcipuis Sacrosf. Eucharist. solemni ritu in Altari proponi, & quadraginta horarum orationem de more celebrari.

Plenariam elargitur indulgentiam.

§. 6. Ut autem orationes vestræ exeant de corde puro, & conscientia bona, thesauros ejus, qui propitiator Noster est apud Patrem suum reseramus, atque omnibus, & singulis utriusque sexus Romæ degentibus, qui eadem Dominica die expiatis exacta confessione conscientiis Sacram sumpserint Eucharistiam, devotèque in quavis Ecclesia oraverint, ut hæc nostra visitatio utilis sit Ecclesiæ, & animarum saluti, plenariam peccatorum suorum Indulgentiam concedimus, & elargimur.

Pastoralis ad hortatio.

§. 7. Agite ergo Dilecti Filii, cum tremore, & sollicitudine cooperamini saluti vestræ quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, justa, sancta, amabilia, bonæ famæ si qua virtus, si qua disciplina, hæc cogitate, ut cito anticipent. Nos misericordiæ Domini, obliviscatur verò iniquitatum Nostrarum, convertaturque, & videat, & visitet vineam istam, quam plantavit dextera ipsius, & ponat visitatione ejus pacem.

Dat. p. An. 1. 4. Idus Jan.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1655. quarto Id. Januarii Pontificatus Nostri Anno Primo.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, Indictione nona, Pontif. autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Pontif.

tif. sui anno primo, die verò decima quarta mensis Januarii, Præsentes Litteræ in formâ Brevis affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Basilicæ Lateranensis, ac Basilicæ Liberianæ, ad valvas Castri S. Angeli, Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Paulum de Grassis Apost. Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Andr. Castruccius Apost. Curs.

XV. Facultates S. R. E. Cardinalium pro visitatione Ecclesiarum, & locorum Piorum Urbis assumptorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Nomina S. R. E. Card. assumptorum

Venerabili Fratri Nostro Martio Episcopo Albanen. Ginetto, nec non Dilectis Filiis Nostris Ulderico S. Anastasio Carpineo, Marco Antonio S. Mariæ de Pace Franciotto, Francisco Angelo S. Cæciliæ Rapacciolo, Nicolao S. Mariæ Angelorum Ludovisio, Jacobo S. Mariæ Traspontinæ Corrado, Laurentio S. Chrisogoni Imperiali, & Giberto SS. Jo. & Pauli titulorum Presbyt. S. R. E. Cadinalibus Borromæo respectivè nuncupatis. Venerabilis Frater Noster, ac Dilecti Filii Nostri salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

CUm in pastorali visitatione, quam prope diem inchoare, & Deo adjuvante prosequi intendimus Cleri nimirum Romani, & omnium almæ hujus Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum, & operum, vos potissimum ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum Collegio delegerimus, & Nobis in eo munere adjutores assumpserimus, adeòque vestra opera in nonnullis rebus, quas per Nosmetipsos præstare non valemus, diligenter inquirendis, examinandis, & exequendis uti cupiamus.

Facultas procedendi contra quoscumque.

§. 1 Idcircò, ut vestrum ea in re ministerium plus habeat auctoritatis, & firmitatis, uberioremque ad cultus divini propagationem, & animarum salutem, Deique gloriam pariat fructum, providere volentes Vobis, & Vestrum cuilibet in solidum circa visitationem ipsam, eaque durante mandataquæcumque etiàm vivæ vocis oraculo per Vos àNobis accepta illis, ad quos ea res pertinet referendi, & oretenus per Nos ordinata mandandi, quibus relationi, ac mandatis vestris & cujuslibet vestrum de ordine Nostro factis hujusmodi plenam, & indubiam fidem ab omnibus adhiberi, atque firmiter obtemperari tanquam Mandatis Nostris Apostolicis volumus, & jubemus, mandata quoque, & præcepta quæcumque necessaria, & opportuna illis in rebus, quæ visitationis hujusmodi præparationem, statum, progressum, & executionem concernunt, decernendi, faciendi, atque exequi jubendi, Personas quascumque tàm Ecclesiasticas seculares, & cujusvis ordinis etiàm Cistercien. ac S. Antonii Viennen., nec non Congregationis, Societatis etiàm JESU, ac instituti, nec non Militiarum etiàm Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Regulares, quàm etiàm Laïcas pro rebus, & negotiis ad visitationem hujusmodi pertinentibus ad Vos vocandi, & ad personaliter coram vobis comparendum citandi, opportunisque juris, & facti remediis compellendi, similes item personas quascumque, & tanquam principales, & tanquàm testes, seu tanquàm principales, quoad se, & tamquam testes quoad alios examinandi, & ut veritati testimonium perhibeant admonendi, ac etiàm cogendi juramenta eis deferendi, & ab eis exigendi, & recipiendi ad Sacrorum Canonum præscriptum ac recusantes per censuras Ecclesiasticas, aliàsque pœnas etiàm corporales Vobis benevisas compescendi;

Memorialia etiàm Pont. inscripta expediant.

§. 2. Memorialia etiàm Nobis inscripta, & directa, atque instructiones, relationes, delationes, quærelas etiàm secretas contra quascumque personas accipiendi, & Nobis referendi, seu aliàs pro ut rerum, & personarum qualitas requiret juxta ordinationes Nostras, & ex auctoritate Vobis tradita providendi.

Et Congreg. pro consilio adhiberepossint.

§. 3. Congregationes aliquarum personarum, quæ Vobis in consilium super præmissis adhibendæ videbuntur faciendi, & illas easdem personas auctoritate Nostrâ vocandi, & cum eis de negotiis Visitationis hujusmodi tractandi, consultandi, & deliberandi.

Omnes quascumque Ecclesias & loca pia visitationi bus subjecit.

§. 4. Quotiescumque etiàm Vobis videbitur, ac etiàm seorsum à Nobis, & iteratis vicibus quarumvis dictæ Urbis, seu extrà illam intra tamen illius districtum consistentium Patriarchalium, Collegiatarum, Parochialium, seu aliarum Ecclesiarum etiàm S. R. E. Cardinalibus ratione tituli, aut denominationis sui Cardinalatus, & aliàs quomodòlibet, vel ex quàvis causâ subjectorum, seu cujusvis Cappellæ, vel Oratorii, nec non Monasteriorum tam virorum, quàm mulierum, Prioratuum, domorum, & locorum secularium, seu cujuslibet Ordinis etiàm Mendicantium, ac etiàm Cistercien. & Sancti Antonii Viennen. nec non Congregationis, Societatis etiàm Jesu, ac Instituti, & Militiæ etiàm Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, etiàmsi illorum capita existant, regularium, & Hospitalium etiàm Nationalium, & S. Spiritus in Saxia, ac etiàm exemptorum Nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectorum, generaliter quorumcumque locorum, & operum piorum quomodòlibet nuncupatorum, & quocumque privilegio, exemptione, & immunitate suffultorum, eorumque Capitulorum, Conventuum, Universitatum, Collegiorum, Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, etiàm Laïcorum etiàm nullo alio speciali nostro expectato ordine, vel mandato, aut etiàm requisito consensu, vel licentia visitationem faciendi, ac illa, & quælibet illorum visitandi, & in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, Statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam, & idoneitatem singularum personarum conjunctim, vel divisim, & tàm in capite, quàm in membris, nec non circa divinum cultum, religiosam functionem, Ecclesiarum decorem, fructuum, & introitum dispositionem, regularem, religiosorum tàm virorum, quàm mulierum observantiam, aliaque omnia & singula ad actum hujusmodi visitationis quomodòcumque spectantia diligenter inquirendi, & ad hunc effectum quæcumque illorum Archivia, Bibliothecas, & quæcumque in illis continentur documenta, & instrumenta, authentica, scripturas, libros rationum dati, & accepti, computa, & ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi, præsertim verò Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Sacras reliquias, & quibus ipsum Augustissimum Sacramentum, ac Sacræ Reliquiæ, & res ad alia Ecclesiastica Sacramenta pertinentes continentur, Sacra Vasa, pixides, thecas, tabernacula, nec non indumenta, ornamenta, & Instrumenta utensilia, & supellectilem Ecclesiasticam etiam pretiosam diligenter; & accuratè inspiciendi, & ad prædicta exhibenda quascumque personas cogendi, & compellendi ac in præmissis omnibus & singulis quæcumque correctione, emendatione, & reformatione indigere cognoveritis, corrigendi, emendandi, & reformandi, processusque necessarios desuper faciendi, & nobis referendi, seu juxtà ordinationes Nostras in his oportunè providendi, Mandata, Decreta, Statuta, & Ordinationes executioni, demandandi, ac custodiri & observari præcipiendi, demumque omnia alia, & singula, quæ hujusmodi Visitationis negotium, ulteriorem progressum executionem & in ea facta, & facienda Mandata, Decreta, Statuta, & Ordinationes concernunt, & concernent, seu ad ea quomodòlibet spectant, & spectabunt faciendi, gerendi, exequendi, mandandi & ordinandi.

§. 5. Con-

Contradictores cōpescant

§. 5. Contradictoresque; & vobis in præmissis inobedientes, & rebelles, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quomodòlibet præstantes per suspensionis, ac etiàm privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & temporales, etiàm mancipationis carceri, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi plenam, liberam, amplam, & in universum tribuimus potestatem. Mandantes propterea omnibus & singulis, ad quos spectat, & spectabit quacumque dignitate, auctoritate, potestate, & præeminentia fulgentibus, ut vobis, & cuilibet vestrum in præmissis omnibus, & singulis promptè pareant, & obediant, alioquin sententias, sivè pœnas, quas ritè tuleritis, seu statueritis in rebelles ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§. 6. Cæterum in visitatione hujusmodi præcedentiæ inter Ecclesias, Monasteria, & loca quæcumque per vos visitanda, quantum commodè fieri poterit servari volumus, nulli tamen Ecclesiæ, Monasterio, vel loco, nec ulli Capitulo, Collegio, Conventui, Confraternitati, Archiconfraternitati, aut personæ, tàm conjunctim, quàm divisim, seu aliàs quomodòlibet ejusdem visitationis, sive ordinis hujusmodi in illa servati, vel non servati occasione in aliquo etiàm minimo quoad præcedentiam, aliasque prærogativas quascumque præjudicari, aut quicquam novi juris acquiri decernimus, & declaramus.

Infirmos ad patientiam hortentur.

§. 7. Præterea cupientes in prædictâ Nostrâ Pastorali visitatione animarum saluti, quantum in Nobis est prodesse, ac etiam corporales Christi pauperum præsertim infirmorum indigentias paternâ charitate sublevare circumspectioni vestræ, & vestrum cuilibet præsentium serie mandamus, ut conjunctim, vel divisim Parochias Ecclesiarum diligenter perlustrare, ac perquirere studeatis, atque earum pauperes infirmos graviter decumbentes singulos nostro nomine visitetis, Apostolicam & Nostram eis Benedictionem, ut moris est, semel impartiamini, eosque paternis monitis, & salutaribus consolationibus recreetis, hortantes ipsos, ut in humilitate, & patientiâ propter Deum corporis infirmitatem, & dolores sustineant, & parendum divinæ voluntati quandocumque ei placuerit ipsos ex hoc seculo revocare, se piè, & Christianè præparent, sinceroque corde ad Deum conversi humiliter ab eo suorum peccatorum veniam petant, atque omnia Ecclesiastica Sacramenta, quibus Christifideles ex hac vitâ migraturi se præmunire solent, & debent devotè, & reverenter suscipiant.

Confessis, & communione refectis plenariam Indulgentiam concedit.

§. 8. Nos enim eorum singulis ante, vel post vestram visitationem, ut præfertur pœnitentibus confessis, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem elargimur.

Egenis per Apost. Eleemosynarium succurrant.

§. 9. Volumus autem, ut eo interim vobiscum adducatis Dilectum Filium Nostrum, & Palatii Apostolici Eleemosynarium, qui prout cujusque eorumdem pauperum egestas, & personarum conditio postulaverit, etiàm ablatis Nostra impensa charitatis subsidiis, pecuniis, cibis, potu, pharmacis, vestibus, Medicorum ope, cæterisque ad victum, seu ad recuperandam valetudinem necessariis temporalibus, quibus nunc urgentur; eorum necessitatibus succurrat.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiàm Conciliaribus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Ordinum, Congregationum, Societatis, Militiarum etiam dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Archiconfraternitatum, Confraternitatum, & aliorum locorum, & operum piorum hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac stylo Curiæ, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, & Litteris Apostolicis præmissis, & cuivis illorum, ac Superioribus, & personis eorum quomodòlibet nuncupatis, & qualificatis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodocumque concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac plenissimè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P.An. 1.die 22.Jun.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Deputatio Secretarii ejusdem S. Visitationis Apostolicæ.

Venerabili Fratri Hieronymo Archiepiscopo Patracen.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Rerum, quæ Nobis cordi sunt, & quibus universæ, quam meditamur reformationis pars non ultima continetur curam fidis, & diligentibus viris libenter committimus.

Secretarium cum privilegiis deputat.

§. 1. De tua itaque singulari, & Nobis jam pridem perspecta fide, & diligentia plurimum in Domino confidentes Visitationis nostræ Apostolicæ, quam omnibus Almæ Urbis, ejusque districtus Ecclesiis, Monasteriis, locisque Sacris, & piis, secularibus, & regularibus, universoque Clero, & Populo Romano indiximus, ac per Nosmetipsos, seu nonnullos Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales ad id coadjutores à Nobis assumptos Deo dante obire intendimus. Te Secretarium duximus eligendum, prout etiam per præsentes munus Secretarii hujusmodi cum omnibus & singulis facultatibus, auctoritatibus, prærogativis, privilegiis, & juribus, quæ tale officium obtinenti, & exercenti quomodòlibet competere possunt, & debent Motu proprio Tibi committimus, & demandamus, Teque Secretarium Visitationis prædictæ creamus, constituimus, & deputamus.

Facultas Secretarii.

§. 2. Dantes Tibi plenam, & liberam facultatem ejusdem Visitationis decreta, Statuta, ordinationes, mandata, præcepta, inhibitiones, informationes, relationes, ordinem, & seriem adnotandi, describendi, & in libellos, seu commentarios, sive etiam in publica, & authentica documenta, & instrumen-

ta redigendi, cæteraque omnia, singula, & quæcumque ad idem munus spectantia gerendi, & exercendi, etiamsi notam, & expressionem requirerent magis specialem, & sub generali commissione hujusmodi non venirent. Nos enim volumus iis, quæ à Te de rebus in Visitatione gestis, & ordinatis fient, & emanabunt documentis, & scripturis tua manu, & signo munitis plenam, atque indubitatam fidem nunc, & perpetuis futuris temporibus tàm in judicio, quàm extra illud omninò haberi, neque ad id probationis alterius adminiculum requiri. Tu igitur in delato tibi munere ita te gere, ut fidem, & diligentiam numquam à Te desiderasse lætemur.

Dat. P. A. 1. die 22. Jan. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Deputatio Cancellarii, seu Actuarii causarum Sacræ Visitationis Apostolicæ.

Dilecto filio Josepho Palamollæ Presbytero Politcastren.

Edita A.D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cancellarium creat. De singulari tua fide, & diligentia plurimum in Domino confidentes Te omnium, & quarumcunque litium, & causarum tam civilium, quàm criminalium occasione Visitationis nostræ Apostolicæ, quàm in omnibus Almæ Urbis, & ejus districtus Ecclesiis, & Monasteriis, locisque sacris, & piis regularibus, & secularibus, universoque Clero, & Populo Romano indiximus, motarum, & in futurum movendarum, nec non ejusdem Visitationis actorum, ac decretorum quorumcunque Cancellarium, & Actuarium cum omnibus & singulis facultatibus, & auctoritatibus quæ tale officium exercenti quomodolibet competere possunt, & debent, Apostolica auctoritate tenore præsentium creamus, constituimus, & deputamus.

Facultates concedit. §. 2. Dantes tibi plenam, & liberam facultatem omnes & singulos actus, & terminos coram Judicibus, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus super eadem Visitatione per Nos assumptis, & deputatis servandi, ac decreta, & sententias per eos pro tempore facienda, & respectivè promulgandas annotandi, ac describendi, & in publica, & authentica Instrumenta, si opus fuerit, redigendi, cæteraque omnia, & quæcumque ad idem munus spectantia faciendi, gerendi, & exercendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiam absque aliquo conscientiæ scrupulo, aut censurarum, vel pœnarum Ecclesiasticarum, vel etiam irregularitatis incursu. Volumus insuper, ut scripturis, & Instrumentis publicis manu tua, ac signo munitis plena, & indubitata fides in judicio, & extra nunc, & perpetuis futuris temporibus omninò adhibeatur.

Dat. P. A. 1. die 22. Jan. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pro Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus assumptis pro Sacra Visitatione Apostolica.

Facultas exercendi Pontificalia.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabili Fratri Nostro Martio Episcopo Albanen. Ginetto, nec non dilectis filiis nostris Ulderico S. Anastasiæ Carpineo, Marco Antonio S. Mariæ de Pace Franciotto Francisco Angelo S. Cæciliæ Rapacciolo, Nicolao Sanctæ Mariæ Angelorum Ludovisio, Jacobo Sanctæ Mariæ Transpontinæ Corrado, Laurentio S. Chrysogoni Imperiali, & Giberto Sanctorum Joannis, & Pauli Titulorum Presbyteris S. R. E. Card. Borromeo respectivè nuncupatis. Venerabilis frater noster, ac dilecti filii nostri salutem, & Apostolicā benedictionem.

Exordium. Officii nostri est pastoralia munera, quæ divina favente clementia administranda suscepimus, ea prompto, hilarique animo prosequi, eos verò, quos in eisdem Pastoralibus muneribus prosequendis assumpsimus, & deputavimus, nostræ item mentis est opportunis facultatibus, ad hoc munire, ut illis suffulti incumbentia onera meliùs subire, & inceptum opus perficere quam primum valeant.

Causæ hujus Constit. §. 1. Cum itaque occasione visitationis Nostræ Apostolicæ, quam in universæ Almæ Urbis, ejusque districtus Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, & piis proximis diebus indiximus, experientia comprobante cognoverimus aliquando necesse esse in compluribus ejusdem Urbis, ac illius districtus Ecclesiis altaria consecrari, campanas, ornamenta, indumentaque Ecclesiastica benedici, Sacramenta ministrari, & alia Pontificalia munia exerceri.

Facultas exercendi Pontificalia. §. 2. Illis ex vobis in eadem Visitatione adjutoribus per Nos assumptis, qui consecrationis Episcopalis munus susceperunt, & eorum cuilibet plenam per præsentes concedimus facultatem, ut in quibuscumque tàm intra eandem Urbem, ac propè, & extra illius muros, quàm etiam intra ejusdem Urbis districtum sitis Ecclesiis etiam Patriarchalibus, nec non Monasteriis, Prioratibus, & domibus secularibus, seu cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Militiæ, Congregationis, aut Instituti regularibus tam virorum, quàm mulierum, atque Hospitalibus, Oratoriis, Sacellis, Cœmeteriis, locisque piis, ac religiosis, tàm exemptis, Nobisque & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis, quàm etiam non exemptis & quibusvis etiam S. R. E. Cardinalibus ratione tituli, aut denominationis sui Cardinalatus, aut aliàs quomodòlibet, etiam ex quavis causa subjectis, altaria, ac ipsasmet Ecclesias consecrare, aut illa, vel easdem Ecclesias, aut illis annexas reconciliare, seu etiam cœmeteria, campanas, calices, patenas, cruces, indumenta, & ornamenta Ecclesiastica quæcumque & aquam, ut moris est, benedicere, Sacramentum Confirmationis, quod ex ritu in visitatione ministrari consuevit, quibus, ubi, quando, & quoties illis, seu cuilibet eorum expedire videbitur, ministrare, sacrosanctum quoque Missæ sacrificium, nec non vesperas, & quæcumque alia divina officia solemni, ac Pontificali ritu in Ecclesiis, & locis, in quibus illi id ad majorem animarum consolationem spiritualemque profectum, & ad ipsam etiam, quam intendimus, reformationem inducendam pertinere judicaverint, celebrare, & decantare, verbi Dei prædicationes, & conciones ad Dei amorem, & timorem in cordibus fidelium excitandum, & accendendum publicè ad Clerum, & populum, seu aliàs privatim, prout occasio, & necessitas postulabit, habere, aliaque omnia, & quæcumque munia Pontificalia, etiam quæ notam, aut expressionem requirerent magis specialem, & sub generali hujusmodi concessione non comprehenduntur, etiam erga personas alioquin habiles, & idoneas exercere, etiam nullo alio à Nobis expectato, aut requisito mandato, liberè, & licitè valeant.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, dictarumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Militiarum, Hospitalium, aut domorum etiam juramento, confirma-

tione

tione Apostolica, vel alià quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat.P.An.1. die 26. Jan.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 26. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pro Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus assumptis pro Sacra Visitatione Apostolica.

Facultas avocandi causas occasione Visitationis, pendentes &c.

Edita A.D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabili Fratri Nostro Martio Episcopo Albanen. Ginetto, nec non Dilectis Filiis Nostris Ulderico S. Anastasiæ Carpineo, Marco Antonio S. Mariæ de Pace Franciotto, Francisco Angelo S. Cæciliæ Rapacciolo, Nicolao S. Mariæ Angelorum Ludovisio, Jacobo Sanctæ Mariæ Transpontinæ Corrado, Laurentio S. Chrysogoni Imperiali, & Giberto Sanctorum Joannis, & Pauli Titulorum Presbyteris S. R. E. Card. Borromeo respectivè nuncupatis. Venerabilis Frater Noster, ac Dilecti Filii Nostri salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

UT in prosequendo Visitationis Ecclesiarum, & piorum locorum hujus Almæ Urbis nostræ munere, ad quod vos nominatim ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum Collegio delegimus, causæ occurentes omni, qua fieri potest celeritate, justitia mediante, terminentur, quantum cum Domino possumus providere volentes.

Causas visitat. manu regia terminare possunt.

§. 1. Motu proprio, ac ex certa scientia Nostra vobis ultra aliàs facultates per diversas Nostras in simili forma Brevis expeditas Litteras vobis attributas, ut omnes, & singulas causas occasione Visitationis hujusmodi coram quibuscunque Judicibus tàm Ordinariis, quàm Delegatis pendentes, & etiam instructas in statu, & terminis, in quibus reperiuntur cum omnibus, & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali ad vos auctoritate Nostra avocare, illasque summariè, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, & manu regia audire, cognoscere, & sine debito, prout Juris fuerit, terminare.

Missas pro defunctis ex causa de uno ad aliud altare valeant transferre.

§. 2. Præterea ubi contigerit alicui altari etiam pro defunctis privilegiato, seu Capellæ tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus præscriptis nequeat illis satisfieri, quidquid magis ad Dei honorem, Ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis Missarum hujusmodi ad aliud altare, seu altaria, etiam non privilegiata videritis expedire, re tamen diligenter perspecta statuere, & ordinare, ut in eisdem altaribus commodiùs, ac pleniùs piæ defunctorum voluntati satisfiat, ita quod Missæ ad alia altaria hujusmodi, ad quæ illarum celebrationem transtuleritis, celebratæ, illis, pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur, ac si ad altaria privilegiata, seù aliàs juxtà eorumdem defunctorum voluntates celebratæ fuissent, cæteraque omnia, & singula in præmissis, & circa eà necessaria, seu quomodòlibet opportuna, etiamsi talia sint, vel fuerint quæ magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere, & exequi liberè, & licitè possitis, & valeatis Apostolica auctoritate tenore præsentium plenam, & amplam facultatem concedimus & impartimur.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum defunctorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, nec non Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque contrariis quibuscunque.

D.P. An. 1. die 26. Jan.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 26. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno primo.

Pro Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus assumptis pro Sac. Visitatione Apostolica.

Facultas immiscendi se in criminalibus.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabili Fratri Nostro Martio Episcopo Albanen. Ginetto, nec non Dilectis Filiis Nostris Ulderico S. Anastasiæ Carpineo, Marco Antonio S. Mariæ de Pace Franciotto, Francisco Angelo S. Cæciliæ Rapacciolo, Nicolao S. Mariæ Angelorum Ludovisio, Jacobo Sanctæ Mariæ Transpontinæ Corrado, Laurentio Sancti Chrysogoni Imperiali, & Giberto SS. Joannis, & Pauli titulorum Presbyt. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Borromæo respectivè nuncupatis, Venerabilis Frater Noster, ac Dilecti Filii Nostri salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

QUoniam in prosequendo munere Visitationis Ecclesiarum, & piorum locorum hujus Almæ Urbis Nostræ, ad quod Vos nominatim ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum, Collegio delegimus, facilè contingere poterit, ut aliqua negocia criminalia pertractanda sint.

Constit. hujus causæ.

Indultum cognoscendi quascunque causas criminales absque irregularitatis incursu.

§. 1. Nos conscientiarum, ac status vestrorum securitati opportunè providere volentes Vobis, & cuilibet vestrum, ut tàm conjunctim, quàm divisim durante hujusmodi visitatione, & illius occasione dumtaxat quascunque querelas, accusationes, denuntiationes contra quascumque personas tàm Ecclesiasticas seculares, vel regulares, quàm laicas cujuscunque status, gradus, dignitatis, & præeminentiæ existentes recipere, & audire, causasque exinde, aut alias quomodòlibet ex dicta Visitatione, vel illius causa emergentes tàm Ecclesiasticas, quàm profanas, ac tam civiles, quàm criminales, & mixtas, sive ad Procuratoris Fisci, sive ad aliorum quorumcunque instantiam, aut ex officio audire, cognoscere, quandoque Nobis referre, & Nobiscum communicare, ac juxta mandata Nostra, seù aliàs prout justitia suaserit, & ordo dictaverit rationis, illas decidere, & terminare, aliàsque in illis vos immiscere sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut censurarum Ecclesiasticarum, vel etiam irregularitatis incursu, etiamsi inde sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam ultimi supplicii pœna infligenda venerit, dummodo vos ipsi à sententia sanguinis per vos ipsos ferenda abstineatis, liberè, & licitè valeatis, licentiam concedimus, & indulgemus.

Indultum ad denunciantes, consulentes, auxilium & favorem præstantes extendit.

§. 2. Utque liberiùs ab omnibus denunciationes, querelæ, & accusationes, ac causæ quæcunque ad dictam Visitationem pertinentes deferri possint, omnibus similiter, & singulis personis tàm Laicis, quàm Clericis etiam in sacris, & presbyteratus Ordinibus constitutis secularibus, & quorumvis Ordinum, Congregationum, & Instituti regularibus quavis etiam Episcopali, vel majori Ecclesiastica, vel mundana dignitate, vel præeminentia fulgentibus, qui in actu ejusdem

Visitationis, seù aliàs illius occasione aliquid, quod ad prædictas causas pertineat per viam denunciationis, querelæ vel accusationis palam, vel occultè, spontè vel ad aliorum etiam Procuratoris Fisci instantiam in judicio, vel extra judicium revelaverint, aut in præmissis testimonium dixerint, vel aliquid propterea scripserint, subscripserint, indicaverint, dictaverint, detulerint, interrogaverint, vel interrogati responderint, vel ad reos detegendos, convincendos, capiendos, custodiendos, puniendos indicia, votum, consilium, auxilium, vel favorem per se, vel alium directè, vel indirectè præstiterint, sive tamquam Judices Ordinarii, vel delegati, custodes, scribæ, testes, tabelliones, consultores, Procuratores, Advocati, seu aliàs in præmissis quomodòlibet ingesserint, ut nullam propterea pœnam, vel censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus generalis Concilii, atque aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cujuscunque Ordinis, & Monasterii atque Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum quorumcunque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno primo.

Deputatio Judicis Sacræ Visitationis Apostolicæ.

Dilecto Filio Magistro Marco Antonio de Oddis in utraque Signatura Nostra Referendario, & majoris Præsidentiæ Abbreviatori.

Edita An. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Constit. causa.

Ut ea, quæ in Visitatione Ecclesiarum Almæ Urbis à Nobis, seu S. R. E. Cardinalibus in adjutores Visitationis hujusmodi per Nos specialiter assumptis salubriter decreta erunt, debitæ executioni quamprimum demandentur, & controversiæ illius occasione præsertim inter personas Ecclesiasticas, quas litium dispendiis à Dei servitio avocari minimè decet, ad Nostram audientiam deducendæ quanto citius terminentur.

Facultas procedendi in quibuscunque causis etiam criminalibus.

§. 1. Te, de cujus probitate, & doctrina plurimum in Domino confidimus, Judicem causarum, & Executorem Decretorum hujusmodi Visitationis auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & deputamus. Dantes tibi plenam, & liberam facultatem, quæ à Nobis, & Cardinalibus prædictis in eadem Visitatione decreta, statuta, & ordinata erunt, exequi, & observari faciendi, contra inobedientes, aut negligentes, nec non cujuscunque criminis occasione dictæ Visitationis detectos reos, & delinquentes, eorumque complices, & fautores cujuscunque status, dignitatis, ordinis, & conditionis fuerint, per viam accusationis, querelæ, vel denunciationis etiam summariè, simpliciter, & de pleno sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, inquirendi, & procedendi, eosque prout canonicæ requirent sanctiones, & aliàs Nostro, seu eorumdem Cardinalium abitrio puniendi, ac tam super præmissis, quàm etiam aliàs quascunque in eadem Visitatione, aut etiam antea pes Nos tamen tibi etiam absque speciali commissione committendas causas Ecclesiasticas, vel profanas, civiles, criminales, aut mixtas inter Capitula, Conventus, Collegia, Universitates, Confraternitates, eorumque Superiores, ac singulares personas Ecclesiasticas, seculares, vel cujusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares, etiam exemptas, & quovis privilegio, vel immunitate suffultas, etiam Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectas, seu etiam inter laicos motas, & movendas cum eorum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis etiam summariè, simpliciter & de plano, & aliàs ut præfertur, terminis substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis, sed illorum loco, præfixo termino arbitrio tuo, & de ejusdem Visitationis mandato procedendo audiendi, ac sine debito terminandi, & ad hunc, cæterorumque contingentium effectum quoscunque etiam per edictum publicum, constituto summariè, & extrajudicialiter de non tuto accessu citandi, & monendi, eisque, ac quibusvis Judicibus, & cæteris personis, quibus, & quoties opus fuerit etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, nec non pecuniariis, tuo arbitrio moderandis, & applicandis inhibendi, contra inobedientes quoscunque censuras, pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones, & monitoria etiam sub censuris, & aliis pœnis prædictis, cæterisque tibi benevisis remediis omni, & quàcunque appellatione postposita decernendi, omniaque in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodòlibet opportuna faciendi, mandandi, & exequendi, etiam quæ expressionem requirerent magis specialem, & sub generali concessione non venirent.

Judex non procedat nisi de voto præfatorum S.R.E. Card.

§. 2. Dummodo inconsultis Nobis, aut Cardinalibus prædictis, & nisi de eorum voto in aliquo præmissorum non procedas, nec sententiam feras, aut quicquam exequaris, nec te in aliquo immisceas.

Contraria removet.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quarumcunque etiam Patriarcharum Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, Ordinum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Congregationum, & Hospitalium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum illis, eorumque Superioribus, & personis quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 27. Januarii 1656. Pontificatus Nostri Anno primo.

Deputatio Commissarii, & Fiscalis Sac. Visitationis Apostolicæ.

Dilecto Filio Tranquillo Nuntio J. U. Doctori.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

De tua singulari fide, & diligentia plurimum in Domino confisi Te Visitationis Nostræ Pastoralis Universi Cleri Romani, ac omnium

Commissarium cum privilegiis, & facultatibus designat.

Almæ Urbis Nostræ, ejusque districtus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac locorum, & operum piorum, quam indiximus, & jam per Nosmetipsos obire cœpimus, ac ad quam nonnullos ex Venerab. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus adjutores Nobis assumpsimus, Commissarium, & Fiscalem cum omnibus, & singulis facultatibus, auctoritatibus, prærogativis, privilegiis, & juribus, quæ tale officium exercenti competere possunt, & debent auctoritate Apostolica tenore præsentium creamus, constituimus, & deputamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Tu igitur in demandato tibi munere hujusmodi ita Te gerere studeas, ut fidem, & diligentiam numquam à Te desiderasse lætemur.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 27. Januarii 1656. Pontificatus nostri anno primo.

Facultas Congregationi, & Judici Sacræ Visitationis Apostolicæ standi simplici indicationi scripturarum &c. & Judici procedendi absque voto Congregationis usque ad sententiam &c. Exclusivè.

Edita An. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ALias Nos nonnullos ex Venerab. Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Collegio adjutores in munere Pastoralis Visitationis nostræ Ecclesiarum, & locorum, ac operum piorum hujus Almæ Urbis assumpsimus, ac illis inter alia facultatem faciendi in præmissis processus necessarios, aliaque omnia, & singula, quæ hujusmodi Visitationis negocium, ulteriorem progressum, executionem, & in ea facta, & facienda mandata, decreta, statuta, & ordinationes concernunt, & concernent, seu ad ea quomodòlibet spectant, & spectabunt, gerendi, exequendi, mandandi, & ordinandi: nec non omnes, & singulas causas occasione dictæ Visitationis coram quibuscumque Judicibus tàm Ordinariis, quàm delegatis pendentes, & etiam instructas ad se auctoritate nostra avocandi, illasque summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura judicii, sola facti veritate inspecta, & manu regia audiendi, cognoscendi, & fine debito, prout juris foret, terminandi concessimus. Ac Venerab. fratrem Marcum Antonium de Oddis nunc Episcopum Hieropolitanum Judicem causarum, & Executorem decretorum Visitationis hujusmodi cum diversis facultatibus deputavimus ea lege, ut inconsultis Nobis, aut Cardinalibus prædictis, & nisi de eorum voto in aliquo non procederet, nec sententiam ferret, aut quidquam exequendo, nec in aliquo immisceret, & aliàs prout in diversis nostris in simili forma Brevis desuper expeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Constit. causa.

§. 1. Nunc autem celeriori causarum prædictarum expeditioni, & partium dispendiis quantum cum Domino possumus opportunè providere cupientes.

Facultas procedendi.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia nostra, ut tàm Congregatio dictorum Cardinalium per Nos assumptorum, quàm idem Marcus Antonius Episcopus Judex, & Executor, ut præfertur, deputatus in omnibus litibus, & causis, quæ coram ipsis respectivè in vim facultatum eis respectivè per Literas prædictas attributarum forsan moræ sunt, & in futurum movebuntur inter quascumque personas tàm Ecclesiasticas, quàm laicas, seu Ecclesiarum, piorum locorum, & operum hujusmodi Oeconomos, Ministros, & Officiales, Executores, seu Procuratores quocumque nomine censeantur, pro, & contra, simplici, & nudæ scripturarum, ac jurium in Tribunalibus, seu Archiviis, aut Notariorum officiis ejusdem Urbis existentium indicationi, eorumque notis, ac privatis copiis stare, & illis ad probationem eandem fidem in judicio adhibere possint, quàm adhiberent, si illa in forma publica, & authentica forent transsumpta, aut aliàs originaliter exhibita, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, statuimus, & ordinamus. Nec non eidem Marco Antonio Episcopo Judici, & Executori, ut etiam inconsultis Nobis, seu Cardinalibus prædictis, & absque eorum voto in causis supradictis usque ad sententiam definitivam, aut decretum vim definitivæ habens exclusivè, servata in cæteris forma, & dispositione dictarum Litterarum super ejus deputatione hujusmodi emanatarum procedere liberè, & licitè valeat facultatem tribuimus & impartimur.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus quomodòlibet adversantur prædictis nostris literis, ac omnibus, & singulis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pont. An. 1. 13. Martii.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Martii 1656. Pontificatus Nostri anno primo.

XVI.

Litteræ Processus S. D. N. Alexandri Papæ VII. lectæ die Cœnæ Domini. Anno 1656.

Bullam Cœnæ Domini habes tom. 1. *Bullarii sub Urbano Quinto Constit.* 1. Apostolatus officium, *sub Julio II. Constit.* 25. Fide digna *tom.* 1. *sub Paulo III. Constitut.* 10. Consueverunt *tom.* 2. *sub Greg. XIII. Const.* 81. Consueverunt *tom.* 2. *sub Paulo V. Const.* 63. Pastoralis *tom.* 3. *sub Urb. VIII. Constit.* 72. Pastoralis, *noviter impresso, cum reservatione in art. mortis, certo modo, & quilibet Confessarius debet illam habere, & studere prout in §.* 26.

Edita A. D 1656.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Excommunicantur.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda, maximè elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum; neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant; aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Rom. Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pontifices Prædecessores Nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemorationi solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabi-

lius eſt, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

Hæretici cujuſcumque, ſectæ, & eorum fautores libros legentes tenen. & imprimen. & Schiſmatici.

§.1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, quoſcumque Huſſitas, Wichelephiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cujuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoſlibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate Noſtra & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeù quomodòlibet defendentes ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à Noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Appellantes à Pont. ad futurum Conc.

§.2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerint, Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeù mandatis Noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

Piratæ, & eorum receptatores, &c.

§.3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare Noſtrum, præcipuè à monte Argentario uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

Surripientes Chriſtianor. bona naufragium paſſa, vel in littore inventa.

§.4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque navibus, tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in cæteris cujuſcumque maris Regionibus, & littoribus, ſurripuerint; ita ut nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeù alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

Gabellas imponentes, & augentes.

§.5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi à jure, ſeù ex ſpecialis Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Falſarii Litt. Apoſt. ab habente auctorit. ſignatas.

§.6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios Litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Rom. Pontificis ſignatarum, nec non falſò publicantes Litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeù Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Tranſmittentes arma ad Chriſtianorum hoſtes, ac illi qui eos de Chriſtian. Reip. ſtatu certiores faciunt.

§.7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſive hujus ſanctæ Sedis ſententias expreſsè & nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipſo canabe, quàm alia quacunque materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium vel favorem quomodòlibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de hujuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

Perturbantes eos, qui victualia Romam adducunt.

§.8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeù invadentes eos, qui victualia, ſeù alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeù perturbant, ſeù hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeù Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Lædentes eos, qui veniunt ad Sedem Apoſt. vel ab ea recedunt, & Judices ſive juriſd. vexantes in Curia commorantes.

§.9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel Noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

Peregrinos etiam in Urbe morantes vel ab ea recedentes lædentes.

§.10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeù deprædantes Romipetas, ſeù Peregrinos ad Urbem cauſa devotionis, ſeù peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

Offendentes S. R. E. Cardinales.

§.11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeù Dominiis ejicientes; Necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeù præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

Offendentes ad Rom. Curiam venientes pro ſuis negotiis expediendis, negotiorumque geſtores.

§.12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſeculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, advocatos, procuratores, & agentes, ſeù etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeù quoquomodo percutiunt; bonis ſpoliant, ſeù qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur cujuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Appellantes à gravamine ſeu futura executione Liter. Apoſt. etiam in forma Brevis ad Cur. ſecul.

§.13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares cujuſcumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione Liter. Apoſt. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm juſtitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum Decretorum à Nobis, & a Sede prædicta, ſeù Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatii Noſtri, & Cam. Apoſt. Auditoribus,

Com-

Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi literarum & processuum exequutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seù eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & subsequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seù alios, publicè, vel occultè, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seù gratiis, vel litteris impetrandis ad Rom. Cur. accedant aut recursum habeant, seù gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seù impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, statuere, seù mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seù tabelliones, vel alias quomodòlibet retinere præsumunt.

Impedientes executionem lit. Apost. vel aliarum expeditionem, & alias causas à Judicibus Ecclesiast. avocantes, seu cursum earum impedientes aut se in illis ut Judices interponentes.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Litterarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spirituali bus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis Nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt; Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias Litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compellunt, vel exequutionem Literarum Apostolicarum, seù exequutorialium processuum, ac decretorum prædictorum, quomodòlibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apost. legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii, Ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seù Vicarii fuerint.

Judices seculares trahentes personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia, vel alios Ecclesiasticam libertatem quomodòlibet lædentes.

§. 15. Quivè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seù quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodòlibet fecerint, & ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, undè libertas Ecclesiastica tollitur, seù in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seù Nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodòlibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè præjudicatur.

Impedientes quoscumque Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, ac fori Ecclesiastici judicia eludentes, ad Curiam secularem recurrentes contra illos exequi procurant nec non qui ea decernunt sine auctoritate Apost.

§. 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodòlibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos, & affines, aut alias impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seù dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Auxilium præstan usurpantes edis Apost vel Ecclesiarum jurisdictiones.

§. 17. Quivè jurisdictiones, seù fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

Imponentes Decimas personis Eccles ac earum Ecclesiarum fructibus.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seù Principes, Duces, Comites, Barones, & alii potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Officiales seculares, se interponentes in causis capitalibus contra Ecclesiasticas personas.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, exequutores, subsequutores quomodòlibet se interponentes in causis capitalibus, seù criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seù sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia,

centia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes & invadentes S. R. E. Terras & alias Jurisdictionem supremam usurpantes.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè subjecta: nec non supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes. Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.

Hæc Const. quosque liget.

Absolutio ab hujusmodi casibus præter mortis articulum Papæ reservatur.

§. 21. Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium quam per Rom. Pont. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Aliorum absolvere præsumentium pœnæ statuuntur.

§. 22. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus processuri.

Papa absolutionem non comprehendere eos, qui à præmissis, desistere non promiserint, declarat.

§. 23. Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum verò proposito ulterius similia non committendi destiterint; Ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, Constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seu capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedis Apost. ac S. R. E. undecumque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Contrariis quibuscumque derogat.

§. 24. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscumque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi ut præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate: vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, & nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

§. 25. Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis in Urbe effectus.

§. 26. Ut verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quòd ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Præceptum etiam alibi publicandi hanc Const.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, ut præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, vel alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Auditores confessionum habeant apud se has literas.

§. 28. Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis auctoritate deputati, transsumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

§. 29. Vo-

Transumptorum fides.

§. 29. Volentes earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eamdem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ

Decretum pœnale.

§. 30. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. An. I. die 15. Apr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Idib. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi anno secundo, die verò mensis Aprilis, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Paulum de Grassis Apost. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Jacobus Cornelius Curs.

XVII.

Suppressio Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Spiritus Venetiarum.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus constit.

CUM sicut compertum, Congregationem Canonicorum Regularium Sancti Spiritus Venetiarum, quæ unum tantum habet Monasterium redactum ad paucos Canonicos Regulares cum aliquibus hospitiis, seù membris, à primævo instituto penitus deviasse, ac in Ecclesia esse prorsus inutilem, nec spem ullam esse, ut ad bonam frugem redigatur. Hinc est quod Nos, quibus ex commissa Nobis divinitus agri Dominici cura plantas inutiles ex illo extirpare providi patrisfamilias more incumbit.

Supprimit prout in Rubrica.

§. 1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eandem Congregationem Canonicorum Regularium Sancti Spiritus Venetiarum, unà cum omnibus ejus dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omnique conventualitate, titulo, essentia, ac denominatione, tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus.

Reservat Sedi Apostolicæ bona ejusdem Congr.

§. 2. Ac universa ejusdem Congregationis suppressæ bona mobilia, & immobilia, tàm sacra, quàm profana, Monasterium, ac hospitia, seù membra hujusmodi, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existant, Nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id à Nobis, & Sede prædicta commissum fuerit, convertenda reservamus.

Concedit facultatem Canonicis transeundi ad Religionem.

§. 3. Præterea personis dictæ Congregationis suppressæ, quæ nunc vivunt, & in eadem Congregatione professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi eas pro tempore morari contigerit, cum provisione eorum singulis pro victu, & aliis necessariis in summa ducatorum centum monetæ Venetæ currentis annis singulis donec vixerint, seù aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationis suppressæ hujusmodi per dictos locorum Ordinarios assignanda, tribuimus, & impartimur.

Ordinarii provideant Ecclesiis de Capellanis.

§. 4. Postremò ne Ecclesiæ Congregationis suppressæ prædictæ debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur; iisdem Ordinariis locorum per præsentes committimus, & mandamus, ut Capellanos deputent cum competenti mercede etiam super certa re de bonis prædictis assignanda, per quos missarum, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur; utque ipsi Ordinarii inventarium tàm sacræ, quàm profanæ suppellectilis ad dictam Congregationem suppressam spectantis accuratè conficiant, ac provideant, ne à quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi, & donec à Nobis, seù Sede prædicta aliter provideatur.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes præsentes Literas etiam ex eo quod Superiores, & alii Religiosi dictæ Congregationis suppressæ, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerunt, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac substantiali, sive etiam ex eo quod in iisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore Juris clauso, seù etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seù quomòdolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodòlibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari, sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, ac alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus sit, de jure

quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, nec non Congregationis suppressæ hujusmodi, ejusque Monasterii, ac Hospitiorum, seù membrorum, & Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eidem Congregationi, illiusque Superioribus, Religiosis, & personis quibuslibet sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & servatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis credi mandat.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 28. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 28. Aprilis 1656. Pontificatus nostri anno Secundo.

XVIII.

Suppressio Ordinis Fratrum Cruciferorum.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Vineam Domini, quæ est ejus Ecclesia, curæ nostræ divinitùs demandatam omni studio, & industria colere jugiter satagentes muneris nostri esse arbitramur, ut vites Ordinum Religiosorum in ea providè plantatas, quæ primigenio regularis observantiæ vigore destitutæ in steriles labruscas degenerarunt, ex illa more seduli patris fami ias evellamus, prout matura deliberatione prævià conspicimus in eodem Domino salubriter expedire.

Motiva suppressionis.

§. 1. Cum itaque jam pridem compertum sit, Ordinem Fratrum Cruciferorum nuncupatorum in quo non nisi quatuor Monasteria supersunt, quia ex viginti quinque Monasteriis, quibus d. Ordo in universum constabat, viginti & unum in vim Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Instaurandæ*, suppressa fuerunt, & cujus fratres ad paucos sunt redacti, à primævo ejus instituto penitus deviasse, & in Ecclesia Dei penitùs esse inutilem, nec spem ullam esse ut ad bonam frugem redigatur.

Supprimit hunc Ord.

§. 2. Idcirco Motu proprio, & ex certa scientia & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictum Ordinem Fratrum Cruciferorum nuncupatorum unà cum omnibus ejus dignitatibus, officiis, ac ministeriis omnique conventualitate, titulo, essentia, ac denominatione, tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus.

Bona ejusdem Ord. reservat Sedi Apost.

§. 3. Ac universa ejusdem Ordinis suppressi bona mobilia, & immobilia, tàm sacra, quàm profana, Conventus, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existant, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id à Nobis, & Sede præfata commissum fuerit, convertenda reservamus.

Facultas transeundi ad aliam Relig.

§. 4. Præterea Fratribus dicti Ordinis suppressi, qui nunc vivunt, & in eodem Ordine professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis in summa quadraginta scutorum monetæ Romanæ annis singulis donec vixerint, seù aliundè sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut reditibus Ordinis suppressi hujusmodi per eosdem Ordinarios respectivè assignanda, tribuimus, & impartimur.

Ordinarii provideant Ecclesias de Capellanis.

§. 5. Postremò ne Ecclesiæ ejusdem Ordinis suppressi debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur: prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, per præsentes committimus, & mandamus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede etiam super re certa de bonis præd ctis assignanda, per quos missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur; utque dicti Ordinarii inventarium tàm sacræ, quàm profanæ suppellectilis ad Ordinem suppressum hujusmodi spectantis accuratè conficiant, ac provideant ne à quoquam occultari, occupari, aut indè amoveri ullatenus possit, nisi & donec à Nobis, seù Sede prædicta aliter provideatur.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes præsentes literas etiam ex eo quòd Superiores, & alii Religiosi dicti suppressi Ordinis, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis nostræ, aut alio quovis defectus, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sivè etiam ex eo quòd in eisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, seù etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa etiam quamtumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seù quomodòlibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seù se juvare posse; sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodòlibet spectabit in futurum inviolabiliter observari,

sicque,

sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, nec non dicti suppressi Ordinis ejusque Conventuum, & Ecclesiarum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini illiusque Superioribus, Religiosis, & personis quibuslibet sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis credi jubet.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P Ann. 2. die 28. Apr.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Aprilis 1656. Pontificatus nostri Anno Secundo.

XIX.

Confirmatio, innovatio, declaratio, & extensio Constitutionum Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. de datis, & promissis pro justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INter gravissimas, multiplicesque curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commisii Nobis assiduè incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut justitiæ, & gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, ea qua par est, rectitudine peragantur, nec pernicioso cujusquam circa illas excessu Romanæ Curiæ existimatio ullatenus lædatur, sed ipsa Curia in omnibus præclara semper splendeat laude integritatis, & abusus quicumque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris simili consilio providè sancita sunt, ut in posterum firmiùs observentur, innovemus, illaque declaremus, & extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

Omnes dantes promittentes, vel recipientes excommunicantur.

§. 1. Dudum siquidem emanaruntà fel.record. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris Literæ tenoris qui sequitur videlicet; Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Nostra omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive sint familiares Curiæ, sive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta tacita sub generalibus, & plenariè non expressis, sive sit sub specialibus, & expressis apertè verbis quicquam dederint, aut receperint magnum, vel parvum, vel promissionem de quacumque re, aut utilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua justitia, sive gratia pro se, aut pro alio in causis, vel judiciis, seù alias per literas Apostolicas, & quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Sanctiones pœnales.

§. 2. Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis,& Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subjacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere: nisi forsan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus: Nec etiàm ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit, vel recepit integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam verò, sive gratiam sic obtentam nullius prorsus sit momenti volumus, omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis.

Sed & scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis adstringimus,& reservantes Nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus.

Constitutiones Greg & Bonifacii refert.

§. 3. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio quàm maximè possumus, enitimur, atque contendimus, ut domus, & Curia nostra à sordibus expurgentur.

Cui salubri consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus sive familiares Curiæ, sive undecumque alios, qu aliquod pactum facerent, seu quid parvum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, & plenè non expressis, sive specialibus, & apertè expressis facta quicquam darent, aut reciperent pro justitia, sive gratia, sive pro se, sive pro alio in causis, vel judiciis, seù aliàs per literas Apostolicas, & quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque, & recipientes duxit extendendam. Illos etiam qui sibi

intra triduum non renunciarent, cum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere; Ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus, sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam nisi prius erogatum esset pauperibus quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Justitiæ verò, sivè gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris, vel momenti, & scienter illis utentes simili sententia innodavit, ac reservavit sibi absolutionem eorum cum prædictis ad pœnas similes in omnibus obligavit.

Eandem confirmat, & ad fautores extendit.

§. 4. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpissimè nundinentur. Alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant. Quidam etiam se talium operam, atque industriam pretio, & muneribus quæsisse affingant. Quæ cum pessima sint, & Curiæ prædictæ existimationem gravissimè offendant, in eos, qui talia agunt animadvertendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis censuris, & pœnis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis supradictus auxilium, consilium, vel favorem.

Pœnas auget.

§. 5. Quin etiam eos omnes omni beneficio, & officio Ecclesiastico, & seculari sive temporali, sive perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, & præterea infamiæ subjectos perpetuò, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo.

Revelantibus impunitatem concedit.

§. 6. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque, fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, septuagesimo quarto nonis Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

Constitutionis causa.

§. 7. Cum autem subindè variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonifacii, & Gregorii prædecessorum Constitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipsarum Constitutionum rigorem non sine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem Prædecessorum mentem nimium relaxant. Hinc est, quod Nos omnem, quæ circa præmissa in posterum enasci posset, dubitationem tollere, & quamcumque speciem, suspicionem, & occasionem damnatæ per Constitutiones hujusmodi labis à Curia prædicta quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem præinsertas Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones cum omnibus, & singulis censuris, & pœnis, ac aliis quomodòlibet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore præsentium perpetuò confirmamus, innovamus, & adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquo modo prætendi posset, restituimus, & plenariè reintegramus.

Constitutiones extendit.

§. 8. Ac in iisdem Constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel deponitur pro justitia, vel gratia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, & mixtis apud Sedem prædictam, & non solùm ab ipso Romano Pontifice, verùm etiam à quibuscumque ejus Ministris, Judicibus, & Officialibus, etiam Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alia qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & auctoritate præditis, & fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis, seu affinitatis gradu quocumque conjunctis, seu attinentibus, etiam laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocumque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit comprehendi decernimus, & declaramus.

Præterea Constitutiones hujusmodi non tantum in actionibus jure naturali, & divino prohibitis, quia malæ sunt, sed etiam in aliis, quæ ideò malæ sunt, quia jure humano, & prædictis Apostolicis Constitutionibus, ac præsenti Nostra interdicuntur, locum habere.

Nec non mediatores sivè immediatos, sivè mediatos quotquot, & quicumque sint, & quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut præmissum est, polleant, & præfulgeant.

Ac etiam promissiones, seù verba promissoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem, ac pœnas evitari posse in casibus, in quibus cesset suspicio mali.

Deindè illos etiam comprehendere, qui pro aliorum justitia, vel gratia quomodòlibet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel deponunt, promittunt, seu pollicentur, undè aliis damnum, vexatio, vel molestia quomodòcumque inferri, & resultare posset, & mediatores quoscumque immediatos, sive mediatos.

Insuper quæcumque verba, seu signa etiam æquivoca quovis modo apta inducere quamcumque obligationem justitiæ, aut fidelitatis in principali seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis, vel gratitudinis à Constitutionibus supradictis prohiberi.

Quinimò non licere quicquam promittere, dare, vel accipere quibuscumque Judicibus, Ministris, Officialibus, & aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscumque mediatoribus pro defensione juris quæsiti, sive assecutioni quærendi etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter & declaramus.

Ad hæc dationes, promissiones, & acceptiones pro guberniis, vel aliis quibuscumque officiis, & muneribus etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocumque à Constitutionibus prædictis interdici; neque Judicibus, Ministris, ac Officialibus pro gratia, vel justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, & ad quæ oblatione justitiæ non tenentur quicquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

Neque etiam permissum esse Officialibus, vel Ministris dictæ Sedis in provisionibus, seu earum occasione quorumcumque officiorum etiam jurisdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere pensionem ullam, responsionem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui, vel alicujus alterius cujuscumque favorem reservare absque expressa, & speciali in singulis casibus Nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia in scriptis in singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

Insuper exigentes à partibus, vel aliis interesse habentibus, seù agentibus, ac mediatoribus quibuscumque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertione, quod Judicum, Ministrorum, Officialium, aut Ma-

gnatum, seù aliorum quorumcumque operam, auctoritatem, vel officia pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seù quæsiverint.

Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio, & oblatio non fuerint acceptatæ, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum.

Ac etiam illos, qui ex eo quod gratias, & favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis Dominis, vel aliis præstita debitos, seu ab ipsis separatos in aliorum cum propria ejusmodi juris, vel spei jactura commodum, & beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, pro gratia, seu justitia pro eis obtinenda aliquid recipiunt, sub memoratis Constitutionibus contineri, illarumque pœnis, & censuris subjectos esse.

Pro actuali verò labore circa expeditionem impetratorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuscumque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci, nisi mercedem labori convenientem.

Judicibus autem, Officialibus, & Ministris quibuscumque, quibus incumbit expeditio gratiæ, vel justitiæ minimè permitti quidquam recipere, neque illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci ultra taxas præscriptas etiam ratione celerioris, aut facilioris expeditionis.

Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum Judicibus, ac Ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci, seu polliceri, dare, vel ipsis recipere mediatè, vel immediatè, etiam quod eorum animum movere non possit, pro gratia, vel justitia obtinenda.

Per scientiam seu patientiam Pontificis his Const. non derogatur.

§. 9. Demum supradictarum Constitutionum dispositionem, censuras, & pœnas non censeri abolitas, vel sublatas ob scientiam, patientiam, seu tolerantiam Romani Pontificis per quemcumque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel indulto in unoquoque casu à singulis partibus inscriptis particulariter obtinendo fuerint expressè remissæ, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, statuimus, & declaramus.

Præfatasque Constitutiones, ac censuras, & pœnas in eis contentas ad omnes, & singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus.

Declarat Constitutiones Bonif. Greg. & Clem.

§. 10. Præterea easdem Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones per alteram piæ mem. Clementis Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri, quæ incipit, *Pro commissa*, anno Incarnationis Dominicæ 1592. decimo octavo kalend. Septembris editam ad cæteras Ditionis temporalis S. R. E. Civitates, & loca immediatè subjecta (præterquam quoad bona Communitatum) minimè extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi; sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem Status Ecclesiastici, & cujusvis alterius partis mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per literas, vel mediatores, vel aliter quomodocumque, & qui ab eis recipiunt contra dictarum Constitutionum dispositionem quidquam magnum, vel parvum pro justitia, vel gratia apud Sedem prædictam obtinenda, declaramus pariter, & statuimus.

Omnes hæc Const. comprehendit.

§. 11. Postremò tametsi credamus, & speremus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerab. Fratribus nostris Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis, aut in quacumque alia etiam superiori Ecclesiastica quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate in præmissis quoquomodo delinquat; quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem Curia abusibus quibuslibet abundare potius, quàm in aliquo deficere volumus, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, ac Patriarchas, cæterosque in quacumque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutos dignitate, etiamsi per nostras, & Cancellariæ nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quod illi in Constitutionibus per Nos editis, & edendis non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem Constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis Constitutionibus, ut præmittitur, declaratis, & extensis ac in præsenti nostra quoad censuras comprehendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore similibus statuimus.

Esculenta, & poculenta non includuntur.

§. 12. Porrò xenia solita, esculenta, & poculenta, quæ Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanæ Curiæ exhiberi consueverunt, præfatis prædecessorum nostrorum literis, ac præsentibus nostris minimè prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

Const. Pii V. & alias in suo robore conservat.

§. 13. Declarantes per præsentem nostram Constitutionem non censeri abrogatam Constitutionem similis recordat. Pii Papæ V. etiam prædecessoris nostri contra ambientes dignitates, & officia jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes, quæ incipit: *Etsi Romani*, &c. nonis Decembris anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac cæteras ipsius Pii prædecessoris, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum quorumcumque Constitutiones, Ordinationes, Canones, & decreta in hac materia, vel circa eam hactenus edita, ac nostram, & Cancellariæ Apost. regulam 67 qua statuimus, ut Officiales Romanæ Curiæ prædictæ nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

Clausulæ præservativæ.

§. 14. Ac decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet etiam speciali nota, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, auditi, seu causæ, propter quas eædē præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ nullatenus fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite etiam in corpore juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ seu interesse habentium, & aliorum quorumcumque consensus defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam, seu terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac declarationum, & extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariè reintegratas esse, & censeri, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis prædictis, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, cujuscumque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus, & conditionis fuerint, perpetuò, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Clausula sublata.

§. 15. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices

Ordinarios,

Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, nec non Curiæ, & Urbis præfatarum Judices, Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 16. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, & quod Cardinales non comprehendantur sub regulis, & Constitutionibus editis, & edendis, nisi in eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac cæteris nostris, & Cancellariæ præfatè regulis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, nec non earumdem Urbis, & Curiæ, ac illarum Tribunalium quorumvis, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, indultis, Motuum propriorum cedulis, Chirographis quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum manu subscriptis, ac literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari, & transsumptis fidem præstari mandat. §. 17. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus innotescant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datariæ nostræ, & Cancellariæ prædictæ, nec non in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos perindè afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§. 18. Quodque illarum transsumptis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 2. Maji. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Maji 1656. Pontificatus nostri Anno secundo.

Publicatio. *Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi, anno secundo, die verò 17. mensis Maji præsentes Literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ per me Petrum Paulum de Grassis Apost. Cursorem.*

Pro D. Mag. Curs. A. Castruccius Cursor.

XX.

Quod Episcopi Italiæ, Insularumque adjacentium ad Synodos peragendas conveniant.

Concilium Provinciale à singulis Archiepiscopis, & Episcopis quolibet triennio celebrari jussit Leo X. Const. 10. §. 12. to. 1. Synodum in Romano Clero pro correctione morum, & aliis de causis congregare potest Vicarius Papæ. Paul. III. Const. 36. §. 10.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium. Inter cætera, quæ præclarè, ac planè divinitus Sacrosancti Tridentini Concilii Patres lege sanxerunt, illud profectò cum primis fuit, ut singulos in anno Episcopi Synodos indicerent, haberentque, suarum Ecclesiarum loca diligenter obirent, ac sollicitè partes omnes explorarent. Idque non sapienter minus constitutum, quam re, atque usu frugiferum compertum est, ac salutare. Cum enim eadem ferè sit agrorum, animorumque colendorum ratio, nisi hi Episcoporum velut solertium agricolarum opera, industriaque subindè renoventur, exerceanturque malis moribus, & vitiis tanquam infelicibus herbis, sentibusque squallere necesse est, atque absolescere.

§. 1. Neque verò aliud quidquam est, quod iis quæ rectè atque utiliter statuuntur magnam æquè autoritatem afferre possit, & pondus, quam si ea communi simul omnium animo, consilioque decernantur. Sivè quod gravius firmiusque videri debet quod multorum judicio, consensuque receptum fuit, sivè quod caput est, non sine divina quadam approbatione fieri censendum est, quidquid à pluribus ritè in Christo convenientibus, ad animarum salutem, disciplinamque in posterum sanciendam constituitur. Quod cum optimè, ac perdiù olim intellectum in Ecclesia fuisset, illud jàm usque à primis ferè temporibus obtinuit, ac frequentibus deinceps Conciliorum decretis celebratum fuit, ut semel, atque iterum quotannis Episcopi ad Synodos peragendas convenirent. Ut enim erant in animarum custodia seduli, ac minimè conniventes, nihil esse in re tanta nimium, nihil dictum, aut inculcatum satis existimabant.

§. 2. Quod si quantum veteres illi in Sanctissimis legibus, institutisque condendis studii, atque operæ adhibuerunt, tantum deindè posteri in his retinendis diligentiæ posuissent, pulcherrimis profecto moribus Christiana res staret, eaque fortasse feliciore, ac lætiore longè uteremur. Verum his dissolutis, & ad nimiam licentiam incumbentibus divino prorsus consilio factum esse existimandum est, ut his coërcendis, adstringendisque antiquissimum Concilia celebrandi, & Episcopalis visitationis institutum Sacrosancta Tridentina Synodus revocaret, quod illud cum per se utilissimum, tum verò Christi ipsius, & Apostolorum exemplis in omni penè vetustate usurpatum esse intelligeret.

§. 3. Et sanè si pro lege habendum est, ac totis viribus, & imitatione, quod quidem eniti possumus, contendendum eò est, quò Christus Dominus suis factis præivit; ipsemet in Apostolorum Principe Ecclesiam collocaturus, summ.mque ei potestatem collaturus, nonnul

lam

lam hujus consuetudinis significationem dedit, ac veluti formam quandam, & modum adumbravit. Cum etenim primum suos sigillatim Discipulos sententiam, quæque esset de se hominum opinio rogasset, tum Petro hanc Sedem, & celsissimam hanc, quam immeriti tenemus dignitatem, par sanè tantæ voci, & confessioni præmium, detulit. Ab illo eruditi deinde Apostoli maximis sæpè de rebus, negocijsque nonnisi secundum plurium sententiam, consiliumque decreverunt.

§. 4. Iidem verò ut successores sui muneris, ac præcipuè visitationis admonerent, frequentes legationes, peregrinationesque susceperunt, quæ proculdubio, & eò pertinent, ut hoc Episcopis antiquissimum debere esse demonstrarent, quod unum præ cæteris eorum nomini, officioque conveniret. Gentium autem Magister, ac Doctor non satis habuit, quà per Epistolas, quà suos per Discipulos, quos Christo lucrifecerat, identidem adhortari, verum ut aliquando inanes inter ipsos coortas discordias, dissensionesque componeret, & gravissimum scelus admissum corriperet, mox atque iterum ad eos se venturum esse affirmavit.

§. 5. Ne quid verò remisse, aut aliqua cum cupiditate ab ipsis quandoque fieret qualem se in tot laboribus, atque itineribus præbuerit, suo palam exemplo docuit, nam & se ab omnium sanguine mundum testatus est, non enim subterfugisse, quò minus annunciaret omne consilium Dei, non aurum, non argentum, non ullius vestem concupiisse, suas verò sibi manus quæ tolerendæ vitæ opus erant, suppeditasse.

§. 6. His itaque auctoribus, ac præceptis admoniti, quod quidem à Vobis Venerabiles Fratres, egregiè, atque accuratè fieri certum est, Ecclesiarum, creditarumque ovium curam totis viribus omnique animorum contentione suscipite, eas diligenter perlustrate, tum singuli, tum una cum aliis simul earum saluti, atque incolumitati prospicite, sollicitè hanc unam quærite, hanc unam spectate, pro qua supremus ille Paterfamilias filio suo non pepercit, & cujus à nobis omnibus severissimè rationes exposcet.

§. 7. Quod si tempus aliquando fuit quo omnia intentioribus curis vigiliisque ab iis agi debeant qui speculatores constituti sunt Domus Israel, hoc profectò est, cum tot malis concussa Christiana Respublica nonnisi à placato, reconciliatoque Dei numine tantarum calamitatum finem aliquem sperare, ac medelam potest. Nos sanè, qui ex earum cogitatione conspectuque majorem in dies animo dolorem capimus, ad eas sollicitudines, quibus assiduè detinemur, hujus quoque Urbis Visitationem adjecimus, ut quoniam hanc unam Christus Dominus tot amoris significationibus dilexisse visus est ex omnibus plurimum aliis etiam, quod quidem in Nobis esset, morum sanctitate, cæteroque Dei cultu anteiret.

§. 8. Sed, quæ est pietas, ac virtus vestra, neque exemplis, neque hortationibus nostris locum relinquetis, hoc enim persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione, Synodorumque celebratione, populorum saluti, ac veteri disciplinæ constituendæ, nihil Catholicorum Principum paci à Deo impetrandæ accommodatius esse, quo intermisso magna in moribus continuò ad omnem improbitatem, ac peccandi licentiam facta est immutatio. Hoc quod à vobis munere ipso, officioque in primis exigitur, quod miseræ, afflictæque Christianæ Reipublicæ rationes, & discrimina quotidie magis efflagitant, per Christi, Nos misericordiam, in cujus ille visceribus plebem suam visitavit, àrdenter petimus, & Apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Maji 1656. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXI.

Prohibitio extrahendi Libros, Quinterna, & folia tàm impressa, quam manuscripta è Bibliothecis Conventuum Fratrum Capuccinorum exceptis Prædicatoribus, tempore Quadragesimæ.

Consimilem Constit. edidit pro his Fratribus Urb. VIII. Constit. 225. cum facultate superioribus commutandi libros intiles per eorum Syndicos.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A. D. 1656.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

CONservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecarum omnium, & singulorum Conventuum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupat. in quacumque mundi parte existentium, quantum cum Domino possumus, benignè consulere, ac dilectum filium modernum dicti Ord. Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Ministri Generalis nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet, prout in Rubrica.

§. 1. Ne de cætero quisquam, quavis auctoritate, superioritate, seu officio fungens, libros, quinterna, folia, aut scripturas, tàm impressa, quàm manuscripta, tàm hactenùs per quoscumque Christifideles dictis Bibliothecis respectivè donata, & assignata, quam in posterùm forsan donanda, & assignanda, quibusvis personis (præterquam Fratribus d. Ordinis, qui quidem libros à Bibliothecis hujusmodi respectivè de Superioris, seu Bibliothecarii pro tempore existentis licentia extrahere, & eis pro communi conventuum hujusmodi, & particulari Fratrum dicti Ordinis usu in suis cellulis, Fratribus quoque ejusdem Ordinis Verbum Dei prædicantibus, qui etiàm extra suos Conventus, uti possint, sed finito usu hujusmodi, subitò ad dictas Bibliothecas respectivè sub infrascriptis pœnis reportare omninò debeant) commodare, aut sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione à dd. Bibliothecis extrahere, & asportare, seu ut commendentur, aut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Conventuum prædictorum, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quàvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod præsentis prohibitionis copia in valvis omnium, & singularum Bibliothecarum Conventuum d. Ordinis, seu alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat, quodque præsentium transsumptis, etiàm impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate

Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 3. Julii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Julii 1656. Pont. Nostri anno secundo.

XXII.

Pro concordia Fratrum Regularis Observantiæ S. Francisci Provinciæ S. Joannis Evangelistæ Insularum de Assorres.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. IN sublimi Sedis Apostolicæ specula universi gregis Dominici curæ nostræ divinitùs commissi commodis jugiter invigilantes illis quæ pro tollendis dissidiis inter religiosos viros sub suavi religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatos non sine Regularis Observantiæ detrimento, & piorum offensione exortis providè concordata, ac decreta, & ordinata sunt nonnunquam Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinium ad jungimus, prout rerum, personarum, locorum, & temporum qualitate maturè pensata conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque sicut accepimus, ad componendas controversias in Provincia S. Joannis Evangelistæ in Insulis de Assorres nuncupatis consistente Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum à quinque annis, vel circiter suscitatas concordia inter partes interesse habentes inita fuerit, ac eandem concordiam Venerab. Frater Noster Franciscus Episcopus Portuen. Cardinalis Barberinus nuncupatus S. R. E. Vicecancellarius, nec non d. Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, tam officii Protectoris hujusmodi, quàm delegata sibi per Congregationem Venerabilium pariter Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam auctoritate confirmaverit, & approbaverit, variaque pro illius observatione decreta, & ordinationes ediderit, prout plenius continetur in Literis ipsius Francisci Cardinalis desuper confectis tenoris qui sequitur videlicet.

§. 2. Franciscus miseratione divina Episcopus Portuensis Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius, ac Ord. S. Francisci Protector, Corrector, & Gubernator &c. Omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus tam subditis, quàm Prælatis cujuscumque qualitatis, & conditionis, omnibusque aliis quibus præsentes nostræ Literæ ostensæ fuerint Provinciæ S. Joannis Evangelistæ Insularum de Assores Regni Portugalliæ prædicti nostr Ord. de Observantia salutem in Domino sempiternam. Noveritis pro parte, & ad instantiam dilecti in Christo Patris Fr. Antonii à Gratia Prædicatoris, & Ministri Provincialis electi ipsiusmet Provinciæ præsentatum fuisse memoriale quoddam Sanctiss. D. N. Alexandro VII. tenoris sequentis videlicet.

Memoriale. §. 3. Beatiss. Pater, Frater Antonius à Gratia Prædicator, & electus Provincialis Provinciæ Sancti Joannis Evangelistæ Insularum de Assores Regularis Observantiæ S. Francisci deosculando pedes S. V. exponit quod Frater Simon à Sancta Catharina antecessor suus, tempore opportuno petierit Visitatorem, & ipsum obtinuit à Patre Generali Fr. Petro Monero qui Visitator ex variis impedimentis non accessit ad dictam Provinciam antequam triennium ejusdem Provincialis excurreret. Hanc moram cum notaret dictus Provincialis ante sex mensium decursum (ultra tres annos) Definitorium convocavit, ut in futurum provideret, cum hic casus esset exspirationis, & non vacaturæ: unanimiter resolutum fuit à Definitorio prædictum Provincialem continuari debere usque ad accessum Visitatoris, & de omnibus rebus gestis informare Curiam Romanam: qui ita fecit per suum Procuratorem exquirendo remedia opportuna continuando interea in regimine Provinciæ pacificè per septem menses. His elapsis aliqui Religiosi opponentes se regimini prædicto, atque provocantes quemdam Patrem Didacum à Plagis qui olim fuerat Vicarius Provincialis sub titulo Patris dignioris coegerunt illum, ut convocaret Definitorium (tanquam in casu vacaturæ, ad eligendum Vicarium Provincialem, in quo tamen ipsi Definitores non obedierunt præter unum postmodum in Vicarium Provincialem electum, & hoc à Definitoribus ab ipso convocante illegitimè subrogatis, reclamante legitimo Provinciali, ac Definitoribus actualibus tunc propter violentiam in Conventu S. Augustini commorantibus; ipse Vicarius Provincialis intrusus vi armorum, ac metu omnia sibi subigendum, Provincia in sua potestate continuit, atque extracto è carcere Fr. Ferdinando à Conceptione misit ut Procuratorem ad istam Curiam sub sigillo Provinciæ noviter à se aperto: non obstantibus appellationibus, & censuris Provincialis legitimi, & Definitorum actualium. Provisum interea fuit de Provinciali legitimo à Sac. Congregatione die 3. Octobris 1653. ab Eminentissimo Protectore die 14. Novembris à Sanctissimo D. Innocentio X. die 16. ejusdem Novemb. ipsius anni pro continuatione sui officii, & aliorum Prælatorum respectivè per integrum annum, confirmando etiàm d. Visitatorem ad visitandam Provinciam, & celebrandum Capitulum, his decretis nolentes obedire intrusi, neque audire illa malè tractarunt Notarios, atque alios Ministros intimantes, & non obstante clausula Brevis expressa [postposita appellatione] ab illa appellarunt, suspectionemque ipsi Visitatori fecerunt intimare, qui respondit se non posse recusari tanquam suspectum quoad Visitationem generalem, sed solum quoad particularem [si coram arbitris probassent] & contra ipsos fulminavit censuras usque ad declarationem per sententiam, & cum jam visitare cœpisset Provinciam in Conventibus obedientibus decretis supradictis, ac legitimo Prælato, accidit quod die 14. Julii anni 1654. ei fuit intimatum decretum Sac. Congreg. dat. die 19. Martii ejusdem anni derogans Breve, & Decreta prorogationis, d. Provincialis legitimi affecuti à d. Ferdinando Procurat. intrusi, qui in supplica allegavit Procurat. Provincialis legitimi non fecisse mentionem electionis d. Vicarii Provincialis intrusi [cum tamen hoc ei fuisset impossibile, nam à Curia Olysiponense profectus est Romam die 10. Junii anni 1653. & in die 13. ejusdem Junii facta fuit talis electio in Insula tertia quæ distat ab ipsa Olysipone per trecentas leucas maris] narravitque verum in supplica virtute cujus expedita fuere decreta, & Breve prorogationis Provincialis, etiàm confirmationis ipsius Visitatoris qui respondit tale Decretum nihil locutum fuisse circa Visitatorem removendum, & ad tutius respondendum petiit videre ipsum Decretum, quod tamen à Judicibus exequutoribus ei fuit denegatum, idque contigit Provinciali prorogato intimato die 15. Julii qui simul cum Visitatore appellavit ante omnia, & post omnia ad Sanctam Sedem Apostolicam, tunc Visitator fecit citare omnes vocales Capituli [modo quo potuit] & brevi temporis spatio fama pervolavit per totam Provinciam celebrationis Capituli, & cum jam ipse Visitator exerceret officium Præsidentis Capituli

in

in mensa definitionis illud primum Decretum, & aliud de novo adveniens derogans Visitatorem fuerunt simul intimata illi die 12. Augusti, narrabatque Judex Executor Oduardus in Litteris suis tale Decretum fuisse datum à Sac. Congregatione sub die 14. Novembris anni 1653. dies quidem in qua ipsa Sac. Congregatio per suum Decretum confirmavit ipsum Visitatorem, & in qua dictus Ferdinandus Procurator intrusi erat captivus in Argel. cui intimationi respondit ipse Visitator quod Notarius cum testibus adhiberet fidem intimationis Decretorum factæ in mensa Capitulari ubi ut Præsidens, & non uti Visitator exercebat suum munus, & quod nullum duorum Decretorum habebat clausulam derogatoriam officii Præsidentis Capituli quod est valdè distinctum ab officio Visitatoris: præterquam quod utrumque Decretum esse obreptitium multis de causis quapropter ab ipsis appellavit ad Sanctam Sedem: postea die assignata quæ erat 15. Augusti anni 1654. celebravit Capitulum cum decem suffragiis quæ solum congregare potuit, elegitque ipsum Oratorem Fr. Antonium à Gratia in Ministrum Provincialem, fecitque omnes Guardianos, & omnia acta capitularia destititque à Visitatione propter redimendam vexationem, appellavitque contra omnes nominationes Provincialis, & Definitorum si fortè Romæ fierent ab aliquo Superiore quod etiàm fecit dictus Orator Provincialis noviter electus, qui misit Procuratorem in istam Curiam ad confirmandum Capitulum, qui cum pervenisset ad Olysiponem invenit ibi nominationes factas Provincialis, & Definitorum per Eminentissimum Protectorem virtute cujusdam Decreti Sac. Congregat. dati die 26. Augusti 1654. nescientis accessum Visitatoris ad illam Provinciam, & celebrationem Capituli die 15. ejusdem Augusti invenit etiàm Literas patentes dicti Eminentiss. Protectoris confirmantes electionem Vicarii Provincialis intrusi omnia assequuta à D. Ferdinando, & etiàm confirmationem ipsius nominationis in forma speciali à Sanctiss. D. Innocentio factam, & cum non potuisset venire Romam oppressus vi Decreti Regii obedivit ipso Provinciali nominato, fecitque cessionem obedientiæ & similiter fecit coactus ipse Orator, tradiditque sigilla, & libros Provinciæ Secretario ipsius nominati Romæ, non tamen destitit ab appellationibus. Interim Provincialis nominatus repente decessit, & statim dictus Didacus à Plagis usurpando sibi dignitatem dignioris Patris Provinciæ (excludendo ipsum Simonem à S. Catharina digniorem Patrem Provinciæ tanquàm excommunicatum) convocavit Definitores nominatos Romæ, elegitque Vicarium Provincialem Fr. Simonem à Plagis, fecitque solemne Capitulum absque Præsidente, absque digniore Patre Provinciæ, & absque autoritate, deditque omnia officia suis sequacibus non admittendo ad illa aliquem ex tabula Capituli dicti Oratoris, imo incarcerando, vapulando, & exulando omnes, ipse Vicarius Provincialis intrusus causat maximum scandalum in tota Provincia, Insulis, & Regno. Cum verò ad aures ipsius Oratoris Fr. Antonii à Gratia pervenisset notitia illius intrusi Vicarii Provincialis, & sui nulli Capituli ratificavit appellationes suas coram probo viro, & venit in hanc Curiam. Supplicat proinde S. V. quatenùs dignetur committere hoc negotium Eminentissimo Protectori, vel alteri, cui magis placuerit, ut (auctoritate Apostolica) attentis narratis, & auditis partibus confirmet suum Capitulum Canonicè factum, declarando nullam primam electionem d. Vicarii Provincialis intrusi Fr. Christophori à Conceptione, & etiàm secundam dicti Simonis à Plagis, & ipsius nulli Capituli, vel provideat ex aliquo alio remedio opportuno illam Provinciam in miserrimo statu positam ad stabiliendam pacem, & fraternitatem inter Religiosos illius, ut dignè, & laudabiliter Deo serviant, & pro S. V. continuenter orent. Quam Deus &c. Fr. Antonius à Gratia Minister Provincialis.

§. 4. Quod quidem memoriale fuit remissum ad Sac. Congregationem, ipsaque Sac. Congregatio, per Decretum suum datum die 28. Aprilis anni 1656. jussit exhiberi acta Capitulorum cui cum satisfactum fuisset per aliud Decretum expeditum die 5. Maji Nobis commisit negotium ut videremus, & referremus. Nos igitur convocatis partibus scilicet P. Francisco ab Assisio Procuratore, Patris Simonis à Plagis Definitorii sui, & omnium Fratrum suæ partis cum plenitudine potestatis prout alias latiùs continetur in publico mandato procuræ per nos viso ad quam &c. dictoque Procuratore ut supra constituto una cum D. P. Antonio à Gratia pluries super omnibus, & singulis in dicto memoriali contentis convenientibus d. Procuratores, & respectivè d. P. Antonius à Gratia nominibus prædictis pro bono pacis dictæ Provinciæ unitate, & tranquillitate illius, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum magis utilem, & proficuum fecerunt concordiam coram dicto P. Procuratore Generali ab ipso; & ipsis subscriptam die 20. Maji tenoris seq. videlicet.

Remittitur ad S. Congr.

§. 5. Concordia inter P. Fr. Antonium à Gratia Prædicatorem, & Ministrum Provincialem electum Provinciæ S Joannis Evangelistæ Insularum de Assores Regni Portugalliæ, & P. Fr. Franciscum de Assisio Prædicatorem, & Procuratorem cum plenitudine potestatis P. Christophori à Conceptione, P. Simonis à Plagis, & omnium Definitorum, & Fratrum suæ partis in præsentia Adm. R. P. Procuratoris Generalis die 20. Maji ad stabiliendam pacem perpetuam, & compositionem illius Provinciæ. In primis quia Provincia est divisa in duas partes, & unaquæque illarum habet pro se Literas patentes Eminentiss. D Protectoris, Decreta S. Congregationis, & Brevia confirmationis illorum ad compositionem, & pacem perpetuam illius Provinciæ unusquisque renunciat Jus, quod habet, & habere potest, & quod habent, & habere possunt sui constituentes ad talia Brevia, Decreta, & Literas patentes, & ex communi consensu, petunt quod ponatur in dictis Brevibus, Decretis, & patentibus Literis perpetuum silentium: incipiendo à die completionis triennii P. Simonis à S. Catharina usque ad præsentem diem, sive Brevia, Decreta, & Literæ patentes pertineant ad electiones, nominationes, prorogationes, & confirmationes Prælatorum illius Provinciæ, sive ad quascumque privationes, sententias, suspensiones, & exemptiones omnium Fratrum illius tàm in communi, quam in particulari: Et quia virtute supradictorum Decretorum factæ fuerunt ex utraque parte aliquæ electiones, & nominationes Prælatorum ad evitanda scandala, & stabiliendam pacem. Petunt quod annullentur omnes illæ tres electiones factæ in illa Provincia à die primæ convocationis P. Didaci à Plagis usque adhuc; Et etiam annullentur nominationes factæ Provincialis defuncti Fratris Hieronymi de Sardoal Custodis, & Definitorum, revalidando tamen omnia acta spiritualia facta ab ipsis electis, & ab ipso nominato, nempe ab ipso Christophoro à Conceptione, & ab ipso Antonio à Gratia, ab ipso Simone à Plagis, & ab ipso Hieronymo de Sardoal nominato, & defuncto: annullando tamen omnes sententias, & processus ab ipsis, vel à quolibet ipsorum

Concordia inita.

datas, seù fulminatas vel processatas, dandas, seù fulminandas, vel processandas contra quoscumque Fratres & Moniales illius Provinciæ qualiscumque qualitatis, & conditionis à die completionis triennii P. Simonis à S. Catharina usque ad accessum istius concordiæ ad dictam Provinciam. Et ponendo perpetuum silentium in excessibus transactis circà obedientiam dictorum Prælatorum, & Patris Visitatoris Fr. Antonii à Trinitate. Petunt ex consequenti novam nominationem Provincialis, & Definitorum dimidiando Mensam capitularem, nominando in Provincialem ipsum P. Antonium à Gratia Prædicatorem cum duobus Definitoribus ex sua parte, nempe Fr. Antonium à Salvatore, & P. Antonium de Padua Prædicatores; Et ex alia parte in custodem P. Ferdinandum à Conceptione Lectorem Theologiæ cum duobus Definitoribus, scilicet P. Franciscum à Plagis Prædicatorem, & P. Petrum ab Annunciatione Confessorem pro Recollectis: supplendo in omnibus quoscumque defectus tàm juris, quàm facti, seu personæ, & absolvendo illos à quacumque sententia, censura, vel pœna, & habilitando ad talia officia obtinenda; Et eodem modo debent esse dispensati, absoluti, & habilitati ad omnia officia omnes fratres illius Provinciæ tanquam si noviter fuisset erecta. Et mortuo, seu deficiente aliquo Definitore ex parte Provincialis nominati, nominetur in ejus locum P. Fr. Joannes de Sousa Confessor, & mortuo, seu deficiente aliquo Definitore ex alia parte, nominetur P. Didacus à Conceptione Prædicator. Mortuo Custode, seu deficiente, nominetur in ejus locum P. Thomas à Divo Bonaventura Prædicator; mortuo tandem Provinciali nominato; Pater dignior [juxta Ordinis statuta] convocet Definitorium, eligatque Vicarium Provincialem ex parte d. Provincialis, & illi concedatur tota autoritas, quæ per istam resolutionem conceditur Provinciali; Et quia in illa Provincia non extat alius Pater, qui fuisset Provincialis, nisi solummodo Pater Simon à S. Catharina, qui quidem est sententiatus, & ab alia parte exulatus, petunt quod dictus Simon à S. Catharina declaretur Pater dignior, & perpetuus illius Provinciæ [juxta statuta generalia Ordinis] Et quia hæc concordia habet pro ultimo fine pacem, & fraternitatem perpetuam inter Religiosos illius Provinciæ; & in illa fuit [tempore controversiæ] Vicarius Provincialis per duos annos P. Christophorus à Conceptione, & nunc est in illa alter Vicarius Provincialis scilicet P. Simon à Plagis. Petunt quod pro bono pacis concedatur illis privilegium Patrum Provinciæ; Et quod d. Simon à Plagis, quamvis non habeat duos annos completos dicti officii declaretur Pater immediatus. Petunt etiàm quod Provincialis nominatus cum eisdem Patribus, & Definitoribus ab ipso convocatis celebret Capitulum, juxta Ordinis statuta, in quo ipse Provincialis præsideat dimidiando omnia officia Provinciæ tàm Guardianorum, quàm Vicariorum in capite, & Lectorum; reponatque Præsidentes in Conventibus, quibus primo accesserit. Petunt etiàm quod concedatur Provinciali nominato facultas celebrandi Congregationem intermediam, & præsidendi in illa, & quod triennium numeretur, & computetur à die celebrationis Capituli; quamvis Provincialis habeat plenissimam autoritatem super omnes Fratres, & Moniales illius Provinciæ à die suæ nominationis. Et ne Provincia veniat ad statum, in quo jam fuit, & nunc est, ad evitanda scandala, controversias, & rebelliones supplicant, quod si ex aliquo infortunio, & urgentissima causa Maris, Mortis, seu Turcarum &c. completo triennio, & sex mensibus Commissarius Visitator (à Ministro Generali, vel ab Eminentissimo Protectore deputandus) ad illam Provinciam non accesserit, Minister Provincialis, & omnes alii Prælati durent in suis officiis usque ad adventum ipsius Visitatoris, vel alterius suo nomine ad celebrandum Capitulum, & suffragandum in illo; declarando non dari casus vacaturæ Provincialis ad convocationem dignioris Patris Provinciæ, nisi limites triennii, & sex mensium, & quod hoc servetur in illa in perpetuum, petuntque quod pro bono pacis illius Provinciæ, nunc non accedat ad illam Visitator; & quia aliquæ Abbatissæ fuerunt electæ à d. Superioribus suppositis. Petunt quod mandetur d. Provinciali, ut illas in suis officiis confirmet, quas viderit esse idoneas.

§. 6. Hæc superscripta concordia, ut jacet, coram me Protectore Generali totius Ord. facta est à RR. Patribus prædictis Fr. Antonio à Gratia, & Fr. Francisco ab Assisio insimul mecum in unum convenientibus, qui illam, & omnes ejus articulos tàm seorsim, quàm collectivè tenere, & servare, ut sonant, absque interpretatione, & facere teneri, & servari ab utriusque partis, & totius Provinciæ Patribus promiserunt, atque affirmarunt tamquam veram, & communem concordiam, & amicam in omnibus pacem consonam Statutis Regularibus, bono Regimini, & Regulari disciplinæ, in quorum fidem mecum proprio pugno, hanc subscripserunt in hoc Conventu Aracæli die 20. Maji 1656. Fr. Bartholomæus de Villalva Procurator Generalis Ordinis, Fr. Antonius à Gratia Minister Provincialis electus, Frater Franciscus ab Assisio Procurator partium. Cujus tenorem cum retulissemus Sac. Congregationi, fuit Nobis remissa ex alio Decreto dato 23. Junii, ut provideremus arbitrio Nostro; Nos ergo cognoscentes quod per dictam concordiam conservatur quies illius Provinciæ, & compositio jurgiorum per tot annos non sine scandalo Regularium, & Secularium, doloreque cordis Nostri, inhærendo facultatibus nobis competentibus tàm uti Protectori, Correctori, & Gubernatori d. Religionis, & Provinciæ, quam vigore rescripti d. Sac. Congregationis; discussa priùs dicta Concordia, pensatisque omnibus, & singulis illius partibus, & alias omni alio meliori modo, quibus meliùs, & validiùs possumus, & valemus tenore præsentium supplendo omnes, & singulos defectus, si qui &c. & addicendo ei omnem firmitatis vim, & robur necessarium, & opportunum, dictamque concordiam tamquam talem ab omnibus, & singulis su prædictis Fratribus, Patribus, Monialibus &c. omnino servari volumus, & mandamus generaliter quoad omnes sui partes, & specialiter, itaut specialitas generalitati non deroget, nec è contra; in omnibus, & per omnia nihilo penitùs excluso prout jacent tanquam bonam, justam, & perutilem approbamus, & confirmamus & respectu renunciationis quam ibi fecerunt dd. Patres de Decretis Sac. Congregationis Nostris, & in confirmationibus illorum à bo. mem. Sanctiss. D. Innocentio X. datis pro utraque parte à die completionis triennii Patris Simonis à S. Catharina usque ad præsentem diem; Et quatenùs opus sit illa, & illas annullando, & invalidando, & cassando tanquam si non fuissent concessa, jubemus quæ in illis perpetuum silentum imponere; sive Brevia confirmationis, Decreta, & Literæ patentes pertineant ad electiones, nominationes, prorogationes, & confirmationes Prælatorum ipsius Provinciæ, sive ad quascumque privationes, sententias, suspensiones, & exemptiones omnium Fratrum illius tàm in communi, quàm in particulari: Et ex consequenti annullamus omnes tres electiones factas in illa à die primæ convocationis Patris Didaci à

Protector confirmat præfatam concordiam.

Plagis

Plagis usque adhuc, & omnes alias, si postea factæ fuissent; & etiam invalidamus nominationes à Nobis factas Provincialis defuncti Fr. Hieronymi de Sardoal Custodis, & Definitorum, & confirmationem illorum; Revalidamus tamen omnia acta spiritualia facta ab ipsis electis, & ab ipso nominato, & defuncto; Annullamusque omnes sententias, & processus ab ipsis, vel à quolibet illorum datas, seù fulminatas, vel processatas, dandas, vel fulminandas, seu processandas (usque ad publicationem harum Literarum in d. Provincia,) contra quoscumque Fratres, & Moniales illius qualiscumque qualitatis, & conditionis; & mandamus ponere perpetuum silentium in excessibus transactis circa obedientiam dictorum Prælatorum, & P. Visitatoris Fr. Antonii à Trinitate, & eisdem, quibus supra autoritatibus Nobis commissis (dimidiando mensam capitularem ad compositionem Provinciæ) nominamus, eligimus, instituimus, & declaramus in Ministrum Provincialem ipsiusmet Provinciæ ipsum Oratorem P. Fr. Antonium à Gratia Prædicatorem cum omnibus, & singulis potestatibus, autoritatibus, & privilegiis, quibus gaudent, & gaudere solent veri, & legitimi Provinciales d. Nostræ Religionis. Et ex sua parte in Definitores P. Fr. Antonium à Salvatore, & P. Fr. Antonium de Padua Prædicatores, & ex alia parte in custodem P. Fr. Ferdinandum à Conceptione Lectorem Jubilatum, & in Definitores P. Fr. Franciscum à Plagis Prædicatorem, & P. Fr. Petrum ab Annunciatione Confessorem pro Recollectis; supplemusque in omnibus, & singulis præmissis quoscumque defectus tàm juris, quàm facti, seù personæ si qui sunt &c. illosque absolvimus à quacumque sententia, censura, vel pœna, quavis occasione, & causa lata, seù fulminata contra ipsos, illosque habilitamus ad talia officia obtinenda; & eodem modo dispensamus, absolvimus, & habilitamus ad omnia officia omnes Fratres ipsius Provinciæ, tanquam si noviter fuisset erecta: & mortuo, seu deficiente aliquo Definitore ex parte d. Provincialis nominati, in ejus locum nominamus, & eligimus P. Fr. Joannem de Sousa Confessorem; & mortuo, seù deficiente aliquo Definitore ex alia parte; nominamus, & eligimus P. Fr. Didacum à Conceptione Prædicatorem; mortuo Custode, seù deficiente nominamus, & eligimus in ejus locum, & officium P. Fr. Thomam à Divo Bonaventura Prædicatorem. Mortuo tandem Provinciali nominato, Pater dignior (juxta Ordinis statuta convocet Definitorium eligatque Vicarium Provincialem ex parte d. Provincialis, cui concedimus totam autoritatem, quam per istas Literas patentes Provinciali nominato damus. Declaramusque Patrem digniorem, & perpetuum ipsius Provinciæ esse P. Fr. Simonem a S. Catharina Sac. Theologiæ Lectorem (juxta Ordinis statuta) quia in illa fuit Minister Provincialis, cui subsequuntur illi, qui antea, vel postea fuerunt, seù fuerint Vicarii Provinciales, & pro bono pacis, & tranquillitate ipsiusmet Provinciæ concedimus privilegia P Provinciæ P. Fr. Christophoro à Conceptione, & P. Fr. Simoni à Plagis tanquam si verè, & realiter fuissent Vicarii Provinciales legitimi; declaramusque ipsum Simonem à Plagis Patrem immediatum pro celebratione istius proximi Capituli, quamvis non habeat duos annos completos d. officii Ministerque Provincialis jam à Nobis nominatus convocabit eosdem Patres, & Definitores, in Cœnobio ubi voluerit, ad celebrandum Capitulum Provinciale, & electiones minores, præsidebitque in illo dimidiando omnia officia Provinciæ tàm Guardianorum, quàm Vicariorum in capite, & Lectorum; cui etiàm concedimus in omnibus, & singulis electionibus, determinationibus, consultationibus votum decisivum in æqualitate suffragiorum; & ut pro interim reponat Præsidentes in Conventibus, quos primo accesserit antequam celebret Capitulum. Concedimus insuper dicto Ministro Provinciali facultatem celebrandi Congregationem intermediam, & præsidendi in illa; & licet habeat, sicut habet plenissimam autoritatem super omnes Fratres, & Moniales ipsius Provinciæ à die istius Nostræ nominationis, & electionis, tamen volumus, quod tempus sui triennii, & aliorum Prælatorum computetur, & numeretur à die celebrationis Capituli usque ad tres annos continuos, & sex menses; Et ne Provincia ipsa patiatur similes controversias, & rebelliones, ordinamus, & declaramus, quod si ex aliquo infortunio, & urgentissima causa Maris, Mortis, Turcarum, vel ex aliqua alia hic non expressa, & fortasse exprimenda causa &c. cogitata, & incogitata &c. à majoritate, & paritate rationis &c. completo triennio, & sex mensibus Commissarius Visitator (à Ministro Generali, vel à Nobis deputandus) ad istam Provinciam non accesserit, Minister Provincialis, & omnes alii Prælati durent in suis officiis usque ad adventum ipsius Visitatoris, vel alterius suo nomine ad celebrandum Capitulum, & suffragandum in illo, & quatenùs ista declaratio, & determinatio sit contra aliquas Bullas Apostolicas ad compositionem, & remedium perpetuum ipsius Provinciæ ultramarinæ, in illas, autoritate ejusdem Sac. Congregationis (pro hac vice) dispensamus; Declaramusque non dari casus vacaturæ Ministri Provincialis ad convocationem dignioris Patris Provinciæ, nisi vacatio contigerit inter limites triennii, & sex mensium, volumusque quod hæc resolutio circa continuationem Provincialis, & convocationem dignioris Patris Provinciæ observetur in ipsa in perpetuum; ad quam pro nunc (compositionis causa) nolumus, ut accedat Visitator: Et quia in d. Provincia aliquæ Abbatissæ fuerunt electæ a dictis Superioribus suppositis, jubemus Ministro Provinciali, ut solemni ritu illas confirmet, quas viderit esse idoneas; dispensando cum illis in nullitate suarum electionum: ipsosque d. Ministro Provinciali P. Fr. Antonio à Gratia à Nobis electo, & nominato, ordinamus, & mandamus in virtute Spiritus Sancti per sanctam obedientiam, ut acceptet suum officium, & ad dictam Provinciam S. Joannis Evangelistæ quam primo se conferat, dictumque suum officium adimpleat, & omnia faciat, & discernat prout in istis Nostris Literis patentibus illi concedimus, & impartimur, procedendo autoritate propria, & Nostra Sacræque Congregationis contra rebelles, & inobedientes (si qui fuerint) usque ad interdictum, carcerem, & exilium perpetuum à d. Provincia; invocando ad hoc (si opus fuerit) auxilium brachii secularis, in virtute ejusdem S. obedientiæ, & sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda (Nobis reservata) & omnium officiorum, & inhabilitationis ad alia per decem annos, carceris, exilii que à d. Provincia in perpetuum. Præcipientes vobis omnibus, & singulis d. Provinciæ Religiosis, & Monialibus tàm a Superioribus, quam Subditis ipsiusmet Provinciæ, ut dictum Ministrum Provincialem pro vero, ut legitimo Superiore recognoscatis, & obediatis in omnibus, & per omnia Decretis Nostris, ac ordinibus, & determinationibus Sac. Congregationis obtemperetis; & specialiter sub eisdem pœnis, & privatione actorum legitimorum per decem annos, & omnium privilegiorum præcipimus, & mandamus d. P. Simon à Plagis, qui nunc est in actuali gubernio ipsius Provinciæ, ut ubi primum d. Provincialis ad illam accesserit, illi statim conferat sigilla, & libros Provinciæ absque ulla mora illi obediendo tanquam vero, & legitimo Superiori in omnibus, & per omnia, observando, & observari faciendo istas Literas Nostras patentes compositionis, concordiæ,

electionis, nominationis, & ultimæ determinationis, non obstantibus quibuscumque Decretis, resolutionibus, statutis, dictæ Religionis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in eis appositis, etiam derogatoriis, & derogatoriarum derogatoriis, & aliis amplissimis, & quibuscumque aliis, cujusvis generis, & speciei in contrarium facientibus etiamsi specialem, & specialissimam expressionem, & mentionem requirerent, quorum tenores &c. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Cancellaria Apost. die 5. Julii 1656. F. Cardinalis Barberinus Protector.

Confirmat. Apost.

§. 7. Hinc est quod Nos præmissorum robori, & inviolabili observationi opportunè providere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia Nostra prædictam Concordiam eisdem Literis dicti Francisci Cardinalis insertam, ac illius confirmationem, & approbationem, necnon Decreta, & ordinationes, aliaque pro ejusdem Concordiæ observatione, seù alias quomodòlibet à memorato Francisco Cardinali, ut præmittitur, facta, ac desuper emanatas Literas præinsertas cum omnibus & singulis quomodòlibet contentis in illis Apost. auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apost. firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui in illis quomodòlibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apost. Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitut. & ordinat. Apost. necnon Ord. ac Provinciæ hujusmodi, ipsiusque Provinciæ Conventuum, quorumcumque quatenùs opus sit etiàm juramento, confirmatione Apost. vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & Literis Apost. eisdem Ord. Provinciæ, & Conventibus eorumque Superioribus, & Fratribus ac personis quibusvis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 17. Julii

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Julii 1656. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XXIII. Jubileum universale ad implorandam opem divinam in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

Pro tunc Ecclesiæ necessitatibus imminentibus Jubileum indixere Paul. *V. Const.* 106. Ecce, *& Const.* 115. *Urban. VIII. & Const.* 41. Divinæ misericordiæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Universis Christi fidelibus præsentes Literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

E Suprema militantis Ecclesiæ specula mentis Nostræ aciem quaquaversum intendentes, & assiduas Gregis Nobis ex alto crediti calamitates attentè contemplantes, crebra ex imo corde suspiria, & uberes ex oculis lacrymas fundere cogimur. Cujus enim vel ferreum pectus non commoveant hodiernæ Orbis Christiani miseriæ? Urget ut cum maximè pertinax inter Principes Catholicos bellum, cui componendo frustra hactenùs visa sunt esse humanæ prudentiæ consilia. Ad Orientem piissimæ Reipublicæ ditiones decennali bello à Turcarum Tyranno infestantur. Exutus ad Septentrionem Regni sui parte hæreticorum armis Rex Orthodoxus, neque tuti ab eorum odio & potentia aliorum fines. Sævit ad Meridiem dira epidemiæ lues, quæ & vicinos depopulatur, & huic Urbi veræ religionis capiti imminere videtur. Ubique terror, ubique malorum impendentium formido, itaut si unquam, certè nunc gravem Domini manum sentiamus, flagitiis hominum ejus iram jugiter provocantibus. Cui placandæ licet privata Nostra, & aliorum sacrificia, & preces sine intermissione adhibere nondesistamus, promptiùs tamen id à divina misericordia Nos consequuturos arbitramur, si Nostris omnium Christifidelium orationes, purgatis per salutarem veræ pœnitentiæ Medicinam à colluvie peccatorum animis, jungantur: Clemens est enim, & misericors Deus Noster, & propitiatur cunctis invocantibus eum in veritate. Hoc autem ut fructuosius fiat, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium Matris, & Magistræ more ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum Dispensatores à Domino constituti sumus, proferre, & erogare decrevimus.

§. 1. Itaque ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles tàm in eadem Alma Urbe Nostra, quàm extra ubilibet locorum constitutos Apostolica auctoritate paternè requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrascripta devotè peragendum, & adimplendum & ad Deum Salvatorem Nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem Catholicam protegere, ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram tranquillitatem donare, populos Epidemiæ lue infectos liberare, & cæteros ab ea præservare, aliisque præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur.

Ad orandum pro necessitatibus præsentibus hortatur.

§. 7. Nos enin de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, meritis minimè suffragantibus, contulit, universis Christi fidelibus in Alma Urbe prædicta degentibus, qui spatio unius mensis à die datæ præsentium computandi feria sexta unius hebdomadæ intra dictum mensem decurrendæ jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum reverenter sumpserint, &, ne ex congressu populi, si aliquæ Ecclesiæ, ut moris est, ea de causa visitarentur contagionis augeatur periculum, domi privatim Rosarium Beatæ Mariæ Virginis, vel septem Psalmos Pœnitentiales cùm Litaniis, & Orationibus adjunctis devotè semel recitaverint, ac ut suprà oraverint, & pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret charitas, erogaverint.

Preces & opera Romæ degentibus injungit.

§. 3. Cæteris verò extra Urbem prædictam ubique degentibus, qui in locis ubi nulla omninò epidemiæ luis suspicio adest (quod prudentiæ Ordinariorum locorum dijudicandum relinquimus) Ecclesias ab iisdem Ordinariis, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ Nostræ Litteræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio similiter unius mensis à

Regularibus, & impeditis Confessarius opera commutet.

publi-

publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seù Officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae computandi saltem semel visitaverint, aut ubi lues grassatur, vel ejus adest suspicio, seù contagionis periculum, Rosarium, aut Psalmos praefatos cum Litaniis, & orationibus, ut supra recitaverint, &, ut praemittitur, oraverint, & eleemosynam ut supra erogaverint, ac feria sexta unius hebdomadae intra eumdem mensem decurrendae similiter jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus, & elargimur. Navigantes verò, & iter agentes ut cum primum ad sua sese domicilia receperint suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, si inibi Ecclesiae visitandae priùs designatae fuerint, alioquin recitatis Rosario, vel Psalmis cum Litaniis, & Orationibus praefatis, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant.

Regularibus, & impeditis Confessarius opera commutet.

§. 4. Regularibus autem personis utriusque sexus etiàm in claustris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque tàm Laicis, quam Ecclesiasticis, secularibus, vel regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate seù alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis ab Ordinariis ante praesentium publicationem, seù approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Confessarium eligendi facultas.

§. 5. Insuper omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus tàm Laicis, quam Ecclesiasticis secularibus, & regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tàm in Urbe praedicta, quàm extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tàm secularem, quàm cujusvis Ordinis regularem ex approbatis, ut praemittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris, à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicae, etiam in Literis die Coenae Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, & hac vice tantum (non tamen à crimine haeresis) absolvere, & liberare valeant; Et insuper vota quaecumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, alisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Ubique publicari praecipit.

§. 6. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districtè praecipimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Literarum transsumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas ubi ut praemittitur, id faciendum judicaverint designent.

In quibus casibus const. locum non habeat.

§. 7. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seù habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiàm in foro conscientiae: Neque etiàm easdem praesentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seù Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dicti mensis satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat cuiquam suffragari queant, nec non Regula Nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoques indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & institutis, illorumque personis quomodòlibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiàmsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum praesentium derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 9. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant. Volumus ut earumdem praesentium transsumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

D. P. Ann. 2. die 21. Julii.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Julii 1656. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXIV.

Confirmatio emphyteusis honoris Prioratus, & Ecclesiae S. Sollicitii Terrae Matelicae Camerinen. Dioecesis.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A.D. 1656.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus constit.

CUm sicut accepimus annis superioribus in vim Decreti Commissorialis Venerab. Fratri Aemilio Episcopo Camerinen. directi, & à Venerabilibus etiàm Fratribus Nostris S. R.E. Cardinalibus Sac. Concil. Tridentini Interpretibus emanati per dilectos filios fratres suppressi nunc auctoritate Apostolica Ordinis Cruciferorum Conventus, & Prioratus Sanctae Mariae ad Fontem Tituli nuncupat. de Urbe mediante dicti Ordinis Procurato-

re Generali omnia, & singula bona Prioratus, & Ecclesiæ S. Sollicitii Terræ Nostræ Matelicæ Camerinen. Diœcesis primo dictis Conventui, & Prioratui etiam Apostolica auctoritate perpetuò unitorum dilectis filiis Succurso, & Antonio Fratribus de Camerellis è dicta terra in emphyteusim ad eorum tertiam generationem masculinam, & fœmininam sub annua responsione scutorum quadraginta monetæ Romanæ, ac cum onere celebrari faciendi in dicta Ecclesia S. Sollicitii tres Missas hebdomadatim, aliisque tunc expressis pactis, & conditionibus concessa fuerint, subsecuta etiàm concessionis hujusmodi ratificatione, & aliàs prout in diversis publicis superindè confectis Instrumentis pleniùs dicitur contineri, firmiora verò sint ea, quæ Sedis Apostolicæ munimine roborantur.

§. 1. Hinc est, quod nos inviolabili præmissorum observationi quantum cum Domino possumus consultum esse cupientes, ipsosque Succursum, & Antonium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio non ad ipsorum Succursi, & Antonii, aut alterius eorum desuper nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra concessionem bonorum hujusmodi Prioratus, & Ecclesiæ Sancti Sollicitii dictis Succurso, & Antonio in emphyteusim ad eorum tertiam generationem, ut præfertur, factam ac prout illam concernunt confecta desuper Instrumenta prædicta, cum omnibus, & singulis in eis contentis licitis, & honestis, eisdem Prioratui, & Ecclesiæ utilibus eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodòlibet intervenerint supplemus, & sanamus.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque Succurso, & Antonio, & aliis in præfacta concessione comprehensis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiàm de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod finita, vel deficiente tertia generatione hujusmodi omnia, & singula bona prædicta cum omnibus, & singulis & juribus, & pertinentiis suis universis, necnon melioramentis desuper pro tempore quomodòlibet factis ad eosdem Prioratum, & Ecclesiam S. Sollicitii pleno jure, & omninò liberè revertantur, illique cedant, absque eo, quod revocatio concessionis hujusmodi à quoquam quovis prætextu, vel causa peti, vel prætendi possit.

Dat. p. A. 2. die 5. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Augusti 1656. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXV.

Revocatio exemptionum à vectigalibus, & aliis publicis oneribus.

Constitutiones in hac Bulla allegatas invenies in Rubr. Const. 7. Innocentii X. Et si ea.

Edit. A.D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN sublimi Sedis Apostolicæ fastigio æqui, bonique supremi Assertores in terris à Domino constituti Officii nostri debitum reputamus, ut illa, quæ publicæ utilitati obesse, ac in nostrorum, & Romanæ Ecclesiæ in temporalibus subditorum præsertim minùs opulentorum grave dispendium cedere compertum est opportunæ provisionis ministerio, ad justitiæ, & æquitatis fines, quantum Nobis ex alto conceditur, revocare studeamus.

Constitutionis causa.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, diversarum immunitatum, & exemptionum à dohanarum, gabellarum, impositionum, & vectigalium Cameræ nostræ Apostolicæ debitorum solutione, aliorumque publicorum onerum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & forsitan ejus de Latere Legatos, & alios earumdem Sedis, & Cameræ Officiales, & Ministros, seù aliàs quomodòlibet concessarum occasione dicta Camera in gravissimis, quibus ad præsens premitur, rerum, & pecuniarum angustiis maximam redituum, & proventuum suorum diminutionem patiatur, & plurimi subditi nostri, ac præcipuè pauperiores, in quos ejus quod cæteris, iisque ut plurimum locupletioribus per immunitates, & exemptiones hujusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno propterea afficiantur.

Omnes, & quascumque exemptiones concessas irritat.

§. 2. Hinc est quod Nos Cameram, & Subditos nostros prædictos, quantum cum Domino possumus, sublevare, eorumque indemnitati consulere, ac unicuique justitiam æquo libramine tribui volentes, ac fel. rec. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. ac Innocentii X. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, Litterarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum motus proprii, & chirographorum cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris Nostri manu subscriptorum, ac aliarum Litterarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum tenores etiàm veriores, & datas, ac occasiones, & alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes, Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione omnes & quascumque exemptiones, & immunitates à solutione subsidii triennalis, nec non quarti illi adjuncti, quatrini carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, Fogliettæ, triremium, utensilium, Donaharum, gabellarum, taxæ Portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, collectarum, exactionum, & quorumlibet onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum ordinariorum, & extraordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorumcumque, ac etiàm eorum, quæ per Communitates, & Universitates directè, vel indirectè pro eorumdem one-

rum

rum Cameralium solutione, & publicorum munerum supportatione, ac pro viis, & Pontibus construendis, muniendis, & manutenendis, seù aliàs indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, necnon ab obligatione recipiendi, & hospitandi Milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Executores, aliosque justitiæ Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac eamdem Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales; & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Camerarios, cæterosque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis, nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujusvis gradus, & conditionis, & quavis dignitate, & auctoritate etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui Castra, & jurisdictiones intra limites dictæ ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione Castrorum, & Jurisdictionum hujusmodi Sedi prædictæ annuatim, seu alias persolvunt, & tàm incolis, quàm extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus, & tenentibus, seù possidentibus, omniumque supradictorum colonis, & laboratoribus etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & contemplatione, ac ex alia quacumque quamtumvis urgentissima, & de necessitate specialiter exprimenda causa sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiamsi in appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus etiam consistoraliter, & aliàs quomodocumque & qualitercumque in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas, & datas, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, & innovatas; & inde etiam Judicis auctoritate secuta quæcumque, necnon quasvis Litteras etiam Apostolicas sub plumbo, vel in simili forma Brevis, Motus proprii cedulas, chirographa, & scripturas hujusmodi ex nunc perpetuò revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irritata, abolita, & annullata, viribusque & effectu penitùs vacua esse, nec ulli in petitorio, aut possessorio etiam summariissimo contra præsentium Litterarum tenorem, & dispositionem suffragari posse, sed prædictos omnes, & singulos exemptos ad omnium onerum prædictorum solutionem, & supportationem pro rata eos tangente in posterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus, & per omnia perinde ac si dictæ exemptiones, & immunitates, eis concessæ non fuissent, nec Litteræ, ac cedulæ motus proprii, chirographa, & scripturæ hujusmodi emanassent, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine prædictis decernimus, statuimus, & declaramus.

Privilegia Ecclesiasticorum ad Juris formam reducit.

§. 3. Præterea omnia, & quæcumque privilegia, & indulta personis Ecclesiasticis tàm secularibus, quàm cujusvis Ordinis, & Congregationis, & instituti, ac Societatis etiam Jesu regularibus super similibus immunitatibus, & exemptionibus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessa ad limites Juris communis motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis reducimus. Illa verò, quæ nonnullis Collegiis in alma Urbe Nostra existen. per dilectos filios Clericos regulares dictæ Societatis Jesu, sive alios quoscumque administrari consuetis similiter à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum & vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgò dicitur, à Fondaco, & Magazzeno, prout hactenus observatum fuit suffragari volumus, & decernimus.

Indulta consanguineorum Pontificum revocat.

§. 4. Ac demùm similia privilegia, & indulta Nepotibus, & aliis consanguineis, vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respectivè concessa itidem revocamus, ac revocata esse, & censeri debere volumus. Declarantes illa nemini eorumdem nepotum, sive consanguineorum, vel affinium à die nostræ ad Summi Apostolatus apicem assumptionis suffragari debere, seu debuisse.

Exemptiones de Jure excipit.

§. 5. Per præmissa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuscumque personis Ecclesiasticis tàm secularibus, quàm regularibus de jure competentes, neque Thesaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introituum, & jurium dictæ Cameræ Nostræ ab ipsa Camera, seu aliis illius nomine in appaltuum & locationum instrumentis, & illorum ratione concessas.

Ac insuper à revocationibus, & aliis supradictis excipimus, ac exceptas esse volumus, & declaramus immunitates, & exemptiones quibusvis Communitatibus, Universitatibus, & personis datas, & concessas in vim contractus ex causa verè onerosa, videlicet congruæ, & effectualis pecuniarum solutionis eidem Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitimè factæ, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos cognoscendis, & approbandis, ac etiam declarandis, quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas, ac licitas, & honestas, prout de jure approbare intendimus, & propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camera citato dilecto filio ipsius Cameræ Commissario Generali verificare, & in ipsa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earumdem immunitatum, & exemptionum, ac literæ, cedulæ motus proprii, chirographa, & aliæ scripturæ desuper emanatæ, & emanata aliàs in Camera prædicta admissæ, & admissa, ac in illa, ejusque libris registratæ, & registrata fuerint, & sint: quatenus tamen causæ onerosæ hujusmodi pro verè onerosis, & legitimis ut supra aliàs in eadem Camera verificatæ, & approbatæ, ac indicatæ non sint, quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus; interim verò, & donec non fuerint verificatæ, minimè suffragari, & præsentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Præterea nostræ intentionis non est sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere immunitates, & exemptiones ejusdem S.R.E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, necnon Cameræ prædictæ Clericis Præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi, seù admitti solitas, nec illas quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui commensales nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti gaudeat, & gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum à Prædecessoribus Nostris, & aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos constitutionis recol. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri, & aliarum Constitutionum Apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro eo tempore, & personis, ac eo modo, & forma, quibus de Jure communi illis competunt, ac aliàs juxtà ipsius

Juris communis, ac supradictarum, & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionibus reducimus, neque aliter, quàm ut præfertur, sive in possessorio, sive in petitorio suffragari volumus & decernimus.

Hujus const. observantiam præcipit.

§. 6. Cæterùm Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Exactoribus, & cæteris Agentibus, & Ministris dictæ Cameræ earundem serie præsentium districtiùs inhibemus, ne contra ipsarum præsentium dispositionem immunitates, & exemptiones nisi ut suprà exceptas, ac eas, quas ex causa onerosa concessas in Camera prædicta, ut præmittitur, admitti contigerit, ullatenùs admittant, & si secùs fecerint, id nemini eorum in suis computis, seù rationibus per eandem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Lites super exemptione pendentes extinguit.

§. 7. Postremò lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, nec non immunitatum, & exemptionum hujusmodi quomodòlibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes, illarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & collitigantium quorumvis etiàm speciali mentione dignorum, & alia etiàm de necessitate specialiter exprimenda præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, à quibuscumque Tribunalibus hujusmodi ad Nos earundem seriè præsentium avocamus, illasque penitùs, & omninò perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

§. 8. Decernentes præsentes Literas, ac omnia, & singula in illis contenta, etiàm ex eo quod quicumque in præmissis, sive eorum aliquo interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, seù aliàs sufficienter, aut etiam ullatenùs justificatæ non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite etiàm in corpore Juris clauso, etiàm enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis Nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seù etiàm motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium constitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodòlibet factis comprehendi, aut comprehensas, censeri, sed semper ab illis exceptas, perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & quandocumque spectabit inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, & Commissarios etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiàm de Latere Legatos, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, nunc & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores designat.

§. 10. Quocirca dilectis filiis Nostris, ac S R. E. prædictæ Camerario, seù Procamerario, nec non Vicecamerario, Thesaurario, ac Clericis Præsidentibus, Commissario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut præsentem Nostram Constitutionem, & in ea contenta quæcumque firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus supradictarum litium pendentia, aliisque omnibus, & singulis præmissis, nec non Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, ac quatenùs opus sit, prædicti Pii Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes in ea præsentari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiàm immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis scripturis, & Literis etiàm Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis etiàm, ut præfertur, qualificatis, ac speciali Nota, & mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendi, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiàm derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis etiàm inexcogitabilibus, & necessariò exprimendis, etiam contractus jurati cum Camera Nostra Apostolica initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, seù factis, ac aliàs quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiàmsi in eis caveatur expressè, quod nullo unquam tempore sub similium, vel dissimilium exemptionum & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus, & constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiàm sub posteriori data per quascumque personas eligenda de novo concessa sint, & esse censeantur: nec non pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & de verbo ad verbum expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari, & transumptis credi mandat.

§. 12. Ut autem eædem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent, utque earundem præsentium transsumptis, etiàm impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus

personæ

personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ muniti, eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. Ann. 2. die 22. Aug. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Augusti 1656. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Publicatio. *Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1656. Indictione nona, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D.N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno secundo, Die verò 27. Mensis Augusti, præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ ac in Acie Campi Floræ per me Petrum Paulum de Grassis Apost. Curs.*

Pro D. Mag. Curs. Andreas Castruccius.

XXVI.

De transferendis pensionibus Ecclesiasticis, & condendis testamentis, aliisque ultimis dispositionibus in Urbe, ac ejus districtu tempore suspicionis pestis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

IN supremo justitiæ throno per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti rationi consentaneum reputamus, ut Juris Communis, Statutorumque rigorem moderemur, & particularium indultorum solemnitates relaxemus, prout rerum, & temporum conditione perpensa in Domino censemus expedire.

Constitutionis causa. §. 1. Cùm itaque in præsenti pestis suspicione, nonnullis in hac Alma Urbe Nostra, ejusque districtu degentibus personis formam in indultis transferendi pensiones annuas, quas super fructibus, reditibus, & proventibus Ecclesiasticis etiàm distributionibus quotidianis reservatas obtinent, eis à Sede Apostolica, seù aliàs Canonicè concessis pro translatione hujusmodi præscriptam, nec non ordinatam de Jure civili, ac per Statuta ejusdem Urbis, aliorumque locorum ejusdem districtus, eorumque reformationes, novas additiones pro testamentis condendis solemnitatem servare difficilè sit, seù in posterùm forsan difficilè sit futurum.

Formam in transferendis pensionibus præscribit. §. 2. Nos illorum commodis pro paterno Nostro in eos affectu consulere cupientes, ac omnium, & singulorum indultorum, necnon Statutorum, & reformationum, novarumque additionum hujusmodi tenores etiàm veriores, & datas, ac alia etiàm speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & verbatim insertis habentes, Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut quicumque in Urbe, ejusque districtu prædictis degentes indulta transferendi pensiones supradictas, ut præmittitur, obtinentes easdem pensiones coram Sacerdote etiàm regulari, ac etiàm familiari loco Notarii publici, & duobus testibus, etiàm in favorem ipsius Sacerdotis, dummodò eo casu tertius testis adhibeatur, vel scriptura translationis à transferente subscribatur; servata in cæteris eorumdem indultorum eis respectivè concessorum forma, & dispositione transferre liberè, licitè, & validè possint, & valeant, ea lege tamen ut duplicatum scripturæ translationis hujusmodi intra octo dies ab indè proximos ad Archivium Urbanum deferatur, alioquin translatio nulla sit eo ipso, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

In testamentis quid servandum. §. 3. Præterea ut in testamentis, & quibuscumque aliis ultimis voluntatibus, & dispositionibus, quæ deinceps in eisdem Urbe, ejusque districtu etiàm à cœcis fient, formam Constitutionis fel. rec. Alexandri Papæ III. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Cum esses*, servari sufficiat, ita quod loco Parochi, seù proprii Presbyteri adhiberi testamentis, aliarumque dispositionum ultimarum fictioni possit ipsius testantis, seù disponentis Confessarius etiàm regularis, etiàm quem testans, seù disponens nunquam nisi in infirmitate, qua tunc laboret, confessionis causa accersiverit, vel adierit; aut loco Parochi, seù Presbyteri, vel Confessarii duo alii testes: Utque ipsa testamenta, aliæque ultimæ voluntates, & dispositiones prædictæ cum omnibus, & singulis in illis quomodòlibet contentis sic in posterùm facta, firma, valida, & efficacia existant, suosque plenarios, & integros effectus perpetuò habere debeant in omnibus, & per omnia perindè ac si in illis requisita, seù præscripta à Jure civili, & memoratis statutis eorumque reformationibus, & novis additionibus forma, & solemnitas plenè, & integrè, nihil penitùs omisso, servata fuisset, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis statuimus, decernimus, & ordinamus.

Apertis Tribunalibus post de em dies forma assignata exspirat. §. 4. Cæterùm præsentes Literas quoad translationes pensionum, & testamenta, aliasque ultimas voluntates, & dispositiones, quæ donec Urbis prædictæ Tribunalia, quæ nunc jussu Nostro clausa reperiuntur, simili jussu plenè, & in totum aperta fuerint, ac per decem dies immediatè sequentes respectivè fient dumtaxat effectum obtinere volumus, ac statuimus itidem, & declaramus.

Clausulæ præservativæ. §. 5. Decernentes pariter easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque etiàm ex eo quod quicumque etiàm speciali nota, & expressione digni etiàm Episcopali, Archiepiscopali, Cardinalitia, aut alia qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate prædíti, & fulgentes in præmissis interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ verificatæ, aut justificatæ nullatenùs fuerint, aut ex alia quacumque quamtumvisjuridica pia, legitima, & privilegiata causa, prætextu, colore, & capite etiàm in corpore Juris clauso etiàm enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, seù alio quolibet quantumvis magno, substantiali, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, ad viam, seù terminos Juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiàm motu, scientia, deliberatione & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari.

Clausula sublata. §. 6 Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, necnon quoscumque dictæ Urbis, ejusque districtus, ac Cameræ Nostræ Apostolicæ Judices, & Officiales, ac Ministros, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quàvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit, de non tollendo jure quæsito, & quod Cardinales non comprehendantur in Constitutio-

nibus

nibus faciendis, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac rec. mem. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris Nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in ea præsentandis, & registrandis, itaut præsentes inibi præsentari, & registrari, nunquam necesse sit, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiàm Conciliaribus generalibus, vel specialibus, necnon legibus etiàm Imperialibus, & municipalibus, ac Urbis prædictæ, & aliis quibusvis etiàm juramento, Confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus etiàm immemorabilibus: privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis etiàm derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis etiàm irritantibus in genere, vel in specie, etiàm motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiàm consistorialiter, & aliàs quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides. §. 8. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 18. Sept. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annu o Piscatoris die 18. Sept. 1656. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Publicatio: *Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi anno secundo, die verò vigesima secunda Septembris prædicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, per me Petrum Paulum de Grassis Apost. Curs.*

Pro Domino Magistro Cursorum Andreas Castruccius.

XXVII. Confirmatio Privilegiorum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Horum Fratrum privilegia confirmavit Urb. VIII. Constitut. 62. In supremo, ac iterum innovavit Const. 111. Ex Clementi.

Edita A. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. INjuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut Sacrarum Religionum gratos Altissimo fructus assiduè præstantium, paternam curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Apostolica Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant Nostræ confirmationis robore muniamus.

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael de Alcantara Vicarius Generalis Italiæ, & Siciliæ, ac Procurator Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum, tàm suo, quàm etiàm dilectorum filiorum Ildephonsi de Sotomayor Magistri Generalis, & universorum totius prædicti Ordinis professorum nominibus, quod eidem Ordini, ejusque domibus, locis, & personis, Confratribus, & benefactoribus, nunc, & pro tempore existentibus per eamdem Sedem Apostolicam concessa fuerunt varia gratiæ, & indulta.

Oratores à censuris absolvit. §. 2. Cum autem majorem obtineant roboris firmitatem, ea quæ Apostolica auctoritate sæpiùs muniuntur, & propterea idem Michael præmissa per Nos nominibus prædictis etiàm confirmari, & approbari plurimùm desideret. Idcircò nos eumdem Ildephonsum, & Michaelem, aliosque prædictos, specialis gratiæ favore prosequi volentes, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum Nobis nomine super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat ut in rubr. §. 3. Omnia, & singula indulta privilegia, gratias, indulgentias, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes eidem Ordini, ejusque domibus, locis, & personis, ac Confratribus per eandem Sedem, & diversos Romanos Pontifices Prædecessores Nostros hucusque concessa, & confirmata, dummodo tamen privilegia, indulta, & alia prædicta omnia in usu, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis regularibus institutis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, omnesque, & singulos tàm juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet in eis intervenerint supplemus, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Contrariis derogat. §. 4. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 11. Octob. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octobris 1656. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXVIII. Confirmatio, & declaratio Constitutionis Innocentii Papæ X. quà damnatæ sunt quinque Propositiones excerptæ à libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui Titulus, Augustinus.

Edita A. D. 1657.

ALEXANDER EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. AD Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ

providentiæ

providentiæ dispositione, nullis Nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris Nostri debito esse duximus, quam ut Sanctæ Fidei Nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tradita Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus, ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerint definita novæ Decisionis, sive declarationis accessione, nequaquam indigeant, qua tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ autoritatis remedium censuimus non esse differendum.

Innocentii X. const. refert.

§. 1. Emanavit siquidem alias à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore Nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet. Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum præpositionum est prout sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. Secunda. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Grætiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiàm ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Sollicitudo Pont. in purgandis erroribus.

§. 2. Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum Nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Eccesia Dei Nobis ex alto commissa purgatis pravarum opinionum erroribus tuto militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit. Pro rei gravitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus, ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christifidelium preces, tum privatim, tum publicè indiximus; Postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos solicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Propositionum definitio.

§. 3. Primam prædictarum propositionum. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur, Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiàm ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit: Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti Nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiàm ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis, omninò coërceant & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridiè Kal. Junii Pontificatus Nostri Anno nono.

Causa præservativa.

§. 5. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident.

Innocentii const. confirmat.

§. 6. Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt sufficienter, & attentè perspeximus, utpotè qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolica autoritate, eadem causa discussa est, ea profectò diligentia, qua major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis inposterùm auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito Nostri Pastoralis officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris Nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, injusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum sæpè dicti Cornelii Jansenii, cui titulos, Augustinus, omneique alios tàm manuscriptos, quam Typis editos, & si quos forsan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii Doctrina, ut suprà damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur & astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christifidelibus, ne prædi-

ctam

ctam Doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis.

Executores designat. §. 7. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem juxta præsentem Nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiàm, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omninò coërceant.

Dat. P. An. 2. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Decimo septimo Kalend. Novembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

In nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem D. N. JesuChristi 1656. Indictione nona, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Alexandri divina Providentia Papæ VII. anno secundo, die verò septima mensis Novembris retroscriptæ Litteræ sub plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Jacobus Cornelius Cursor.

XXIX. Convalidatio omnium novarum electionum Prælatorum in vim confirmationum factarum Ordinis Fratrum Discalceatorum nuncupat. S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & quod officium Superiorum non possit prætendi, nisi ad aliud triennium.

Ne jam indicata otiosè repetam, me remitto ad ea, quæ notavi ad Urban. VIII. Const. 121. Sacri Apostolatus.

Edita An. D. 1656.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. IN sublimi Sedis Apostolicæ fastigio meritis licet imparibus ineffabili divinæ providentiæ consilio collocati religiosorum virorum sub suavi arctioris religionis jugo vota sua Altissimo reddere laudabiliter satagentium commoditatibus libenter intendimus, illisque paternæ benignitatis Nostræ favores impartimur, prout matura consideratione adhibita conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius à Christo Procurator Generalis Congregationis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod aliàs postquam felic. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 20. Augusti 1622. expeditas Litteras inter alia statuerat, & ordinaverat, ut in omnibus, & singulis officiis æqualibus, vel inferioribus dictæ Congregationis alternativa trium annorum observari deberet rec. mem. Urbanus Papa VIII. etiàm Prædecessor Noster per suas pariter in forma Brevis die 12. Julii 1627. expeditas Litteras ejusdem Congregationis Definitorio, quod ipsius Congregationis, illiusque Domorum Prælatos ordinarios, ac alios quocumque nomine nuncupatos Superiores (non tamen Provinciales) in eorum officiis prout è re dictæ Congregationis, illiusque Domorum magis expedire in Domino judicasset, ad aliud triennium confirmare, sive ad eadem officia de novo etiàm alternativa trium annorum hujusmodi minimè observata eligere valeret, facultatem concessit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Definitorium prædictum subindè, attento quod in eisdem Urbani Prædecessoris Litteris expressè declaratum non reperiebatur Prælatos ordinarios & alios Superiores hujusmodi ad unum triennium dumtaxat confirmari, sive ad eadem officia de novo dicta alternativa non observata eligi posse, triginta ferè annorum spatio prout interea expedire visum est, Prælatos ordinarios, & alios Superiores prædictos in eorum officiis non solum ad unum, sed etiàm ad plura immediatè sequentia triennia confirmaverit, sive ad illa de novo eadem alternativa minimè observata elegerit: nunc verò de confirmatione, & novarum electionum hujusmodi, & indè secutorum validitate, & subsistentia plurimùm dubitetur, & proptereà idem Antonius Procurator Generalis opportunè à Nobis in præmissis provideri summoperè desideret.

§. 2. Nos ipsum Antonium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, necnon eorumdem Antonii; & Prælatorum ordinariorum, aliorumque Superiorum, ac Definitorii prædicti singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis præterquam præmissorum occasione, vel causa latis si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus dicti Antonii Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, confirmationes, & novas electiones memoratorum Prælatorum ordinariorum, & aliorum quocumque nomine nuncupatorum Superiorum tamen Provincialium, dictæ Congregationis, illiusque domorum ultra unum aliud triennium respectivè à Definitorio prædicto sicut præmittitur, alias tamen Canonicè factas cum indè secutis quibuscumque & per ipsos Prælatos ordinarios, & alios Superiores in vim confirmationum, & novarum electionum hujusmodi factis Apostolica auctoritate tenore præsentium convalidamus in omnibus, & per omnia perindè, ac si eædem confirmationes, & novæ electiones nonnisi ad unum triennium respectivè factæ fuissent, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, qui desuper propter præmissa quomodolibet intervenerunt, sanamus, & abolemus. Convalidat prout in rub.

Absolvit Prælatos Ordinarios. §. 3. Præterea omnes & singulos Prælatos ordinarios & Superiores prædictos, necnon personas ejusdem Definitorii à quibuscumque censuris, & pœnis Ecclesiasticis per eos, & illas respectivè præmissorum occasione quoquo modo incursis auctoritate, & tenore prædictis in utroque foro absolvimus & plenariè liberamus. Declarantes in futurum Prælatos ordinarios, & alios quocumque nomine nuncupatos Superiores universæ Congregationis prædictæ, illiusque Domorum, quos ad aliud triennium in eorum officiis confirmandi, seù de novo ad illa eligendi facultas eidem Definitorio, ut præmittitur, à dicto Urbano Prædecessore concessa fuit, non ultra unum dumtaxat triennium immediatè proximum in eorum officiis à memorato Definitorio respectivè confirmari, sive ad illa de novo alternativa trium annorum hujusmodi minimè observata eligi posse. Ac decernentes ipsas præsentes Litteras desuper firmas, & validas, & efficaces existere, & fore,

&

& ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, illiſque reſpectivè pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiàm cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obſtantibus, præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; necnon quatenùs opus ſit dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum, & Domorum quarumlibet etiàm juramento, confirmatione Apoſt. vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodòlibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem, ut prædicti Prælati ordinarii, & Superiores, necnon perſonæ dicti Definitorii pœnitentiam quam ipſis reſpectivè Sacerdos idoneus propter præmiſſa impoſuerit, adimpleant, alioquin eædem præſentes quoad abſolutionem eis in foro conſcientiæ nullatenùs ſuffragentur, utque ipſarum præſentium tranſſumptis etiàm impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem omninò fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. An. 2. die 24. Jan. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 24. Januarii 1657. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

XXX.

Ne Commendatarii Monaſteriorum Camuldulenſium deinceps ſe ingerant in electione eorumdem Superiorum, aliorumque Officialium.

Conſimilem prohibitionem fecit Innoc. X. Conſtitut. 59. Paſtoralis pro Commendatariis Ciſtercien. quam innovavit h.c Pont. Conſt. 6. ſup. Exponi Nobis.

Edita An D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. SAcroſancti Apoſtolatus officium humilitati Noſtræ per abundantiam divinæ bonitatis commiſſum expoſcit ut Religioſorum virorum ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimi obſequiis mancipatorum paternam curam gerentes, illos à gravaminibus indebitis tueamur, ac eorum commodis, & felici directioni quantum Nobis ex alto conceditur, conſulamus.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque ſicut dilectus filius Odoardus Bernardus Congregationis Camaldulen. Ordinis Sancti Benedicti Procurator Generalis nomine totius Congregationis hujuſmodi Nobis nuper exponi fecit, licet Sacri Concilii Tridentini Decretis cautum reperiatur, ut Priores Clauſtrales, aut in Prioratibus Conventum habentibus Subpriores, qui correctiones, & ſpirituale regimen exercent à Capitulis generalibus, vel ipſorum Ordinum Viſitatoribus inſtituantur, nonnulli nihilominùs Commendatarii quædam Monaſteria Congregationis prædictæ in Commendam obtinentes, forſan in vim Litterarum Apoſtolicarum ſuper eorumdem Monaſteriorum commendis expeditarum, in quibus ipſorum Monaſteriorum cura, regimen & adminiſtratio, tàm in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenariè committitur, jus inſtituendi, ac deſtituendi Priores, & Officiales clauſtrales, necnon viſitandi, corrigendi, ſtatuendi, & ordinandi, & exercendi ea quæ inſtitutum regulare concernunt, ad ſe ſpectare, electionibus, & depoſitionibus Priorum, & Subpriorum, aliorumque Officialium, ac etiàm Viſitationibus, & Monachorum correctionibus ſeſe ingerere, quinimò Superiores dictæ Congregationis Monaſteria prædicta viſitare, & reformare juxta ejuſdem Congregationis Regularia inſtituta cupientes repellere, & impedire prætendant, & præſumant, non ſine graviſſimo ipſius Congregationis ejuſque Monaſteriorum, ac Superiorum, & Monachorum præjudicio, & obſervantiæ Regularis detrimento.

Abſolvit à cenſuris. §. 2. Hinc eſt quod Nos inconvenientibus hujuſmodi remedium adferre, dictumque Odoardum Oratorem Procuratorem Gen. ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodòlibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, necnon Concilii prædicti Decretis, & reſolutionibus Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ in ſimilibus caſibus ante hac emanatis inhærentes, Commendatariis prædictis non licere Priores, & Subpriores, aut Officiales clauſtrales inſtituere, ac deſtituere, viſitare Monachos, eoſdemque corrigere, nec facultates ipſis Commendatariis in Litteris Apoſtolicis conceſſas, & expreſſas prout ſuprà ad ea, quæ inſtitutum regulare concernunt, & ejuſdem Concilii Tridentini diſpoſitione Monaſtico regimini relinquuntur, trahi poſſe, aut debere, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus, ac decernimus, & ſtatuimus.

Declarat prout in rub. §. 3. Quo circa dilectis filiis Noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ſive etiam locorum Ordinariis, vel dictæ Congregationis Camaldulen. Conſervatoribus per eaſdem præſentes injungimus, ut quotieſcumque requiſiti fuerint, ab hujuſmodi vexationibus, ac violentiis manifeſtis Commendatarios per cenſuras, & alia juris remedia, invocato etiam ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio cohibeant, & compeſcant, ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Executores deputat. §. 4. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices oradinarios, & delegatos, etiàm cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans. §. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò tamen ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quatenùs opus ſit Congregationis, & Ordinationis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia qualis firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodòlibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis credi mandat.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiàm impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 20. Martii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 20. Martii 1657. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXI.

Injungitur Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus trium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis Archipresbyteris, eorumque Vicariis, ut divinis Officiis in eisdem Ecclesiis intersint.

De auctoritate Card. Archipr. Ecclesiæ Lateranen. Paul. Quintus Constit. 49. Ecclesiæ Sancti Petri Paul. III. Constitut. 35. Sixtus V. Constitut. 102. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris Paul. III. Constit. 19. Pius IV. Const. 15.

Edita An. D. 1658.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officii Nobis à Domino commissi ratio postulat, ut in his, quæ ad promovendum in quibuscumque Ecclesiis, & præsertim hujus Almæ Urbis Nostræ primariis, divinum cultum pertinent, auctoritatis Nostræ partes peculiari sollicitudine interponamus. Quoniam igitur natura comparatum est, ut minores majorum exempla sequantur, ac proindè speremus, in Domino fore, ut Chori servitio in Patriarchalibus Sancti Joannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatæ ejusdem Urbis Ecclesiis, sive Basilicis adstricti ferventiùs divinis intersint, si primas dignitates in Ecclesiis, seu Basilicis hujusmodi obtinentes cæteris præsentia sua præluxerint: Idcircò de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis super negotiis Visitationis Apostolicæ a Nobis institutæ consilio, dilectis filiis Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus, trium Ecclesiarum, sive Basilicarum prædictarum Archipresbyteris nunc, & pro tempore existentibus Apostolica auctoritate tenore præsentium seriò injungimus, ut ipsi in Ecclesiis, sive Basilicis hujusmodi, in quibus Archipresbyteri dignitatem respectivè obtinent, & pro tempore obtinebunt, divinis officiis interesse studeant, & Vicarios deputent Prælatos graves, & probos, qui non sint Canonici ejusdem, aut alterius Ecclesiæ, nec ad aliquam residentiam obligati, ac tali doctrina, & pietate præditos, ut Ecclesiæ jura tueri, & causas, ac judicia per se ipsos cognoscere, & terminare valeant, singulisque Capitulis, & Congregationibus Capitularibus intersint, congruo per Archipresbyteros prædictos ejusdem constituto salario, quod non sit minùs dimidia portione Archipresbyterali per Camerarios, & Depositarium Capituli singulis mensibus, statutisque temporibus, prædictis Vicariis integrè, & sine diminutione, solvendo: onere tamen injuncto, ut divinis officiis, diebus Festis de præcepto, & aliis earumdem Basilicarum respectivè solemnioribus interesse, ac munus Præfecti choro exercere omninò teneantur. Quod si prædictis diebus officio divino non interfuerint, punctetur portio ejusdem Vicariis, ut suprà, assignata in duplum ejus, quo mulctaretur quilibet Canonicus, & mulcta interessentibus eo ipso accrescat.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiàm ex eo, quod prædicti Cardinales Archipresbyteri, & alii quilibet etiàm speciali nota, & expressione digni in præmissis forsan interesse habentes, seu habere quoquomodo prætendentes illis nonconsenserint aut ad ea vocati, & auditi, seù causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiàm in corpore Juris clauso, etiàm enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis Nostræ, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, seù interesse habentium consensus aut alio quocumque quantumlibet substantiali, & individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, restringi, invalidari, ad viam, & terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seù etiàm Motu proprio concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare posse, sed easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiàm Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiàm de latere Legatos, aliosque quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate; & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3 Non obstantibus quatenùs opus sit, de non tollendo jure quæsito, cæterisque Nostris, & Cancellariæ Nostræ Apostolicæ regulis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiàm Conciliaribus, necnon earumdem Ecclesiarum, seu Basilicarum etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiàm immemorabilibus: privilegiis quoque, & indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiàm derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis etiàm irritantibus, in genere, vel in specie, etiàm Motu proprio, & consistorialiter, aut aliàs quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quævis expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & inserti respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 4. Volumus, ut præsentium transsumptis etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur,

quæ

quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 9. Apr. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 9. Aprilis 1657. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXII.

Quod in Regno Navarræ quotannis recolant Festa Sanctorum Firmini, Francisci Xaverii tanquam de Patronis atque Principalibus dicti Regni, ex præcepto Ecclesiæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1657.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacro sancti Apostolatus Officii Nobis per abundantiam divinæ bonitatis, nullo licet Nostrorum suffragio meritorum impositi debitum exposcit, ut venerationi Sanctorum Domini in terris augendæ, necnon Christifidelium tranquillitati, & animorum concordiæ conciliandæ, quantum Nobis ex alto conceditur, studeamus.

§. 1. Itaque ad sedandas graves, & scandalosas contentiones, magno cum publicæ quietis, & animarum salutis discrimine in Regno Navarræ jam diù super patronatibus Sanctorum Firmini Martyris, & Francisci Xaverii Confessoris excitatas, paterna charitate sedulò intenti, ac præterea considerantes, quod Congregatio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, necnon dilecti filii Capellani Nostri, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, re pluries maturè perpensa, acriterque discussa, probationes hinc inde allatas neutri partium latus suffragari, imò in pluribus eas deficere dignoscentes, rem ipsam etiam cum ingenti partium earumdem dispendio, gravique incommodo, numquam, vel sero difficillimè terminandam, indecisam dimiserint.

Præcipit, ut in rubr. §. 2. Motu proprio, non ad alicujus personæ Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ex speciali gratia, tum prædictis, tum aliis ex causis Nobis tantùm notis animum nostrum moventibus, Clero seculari, & regulari, necnon Universitatibus, & Populo Pampilonensi, totiusque Regni Navarræ hujusmodi harum serie injungimus, ut quotannis, tamquam de Patronis æquè principalibus dicti Regni ex præcepto Ecclesiæ recolant festa præfatorum Sanctorum Firmini Martyris, & Francisci Xaverii Confessoris, eorumdemque Officia, & Missas cum Octavis æquè in posterùm recitent, & respectivè celebrent.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: ac quatenùs opus sit dicti Regni, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 14. Apr. §. 4. Volumus autem, ut præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 14. Aprilis 1657. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXIII.

Pro electione Consultorum, & Arbitri Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

Horum Clericorum Capitulum quolibet sexennio celebrari mandavit Clem. VIII. Constit. 75. tom. 3.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1658.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii humilitati Nostræ per abundantiam divinæ bonitatis nullo licet meritorum Nostrorum suffragio impositi sollicitudo Nos admonet, ut Congregationibus Religiosorum virorum ad Omnipotentis Dei gloriam, exhibendaque Christifidelibus charitatis officia piè institutis de idoneis ministris, qui earum utilitatibus sedulò invigilent, nonnunquam prout res, & tempora poscunt, provideamus.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Sanctius Cacciamanus Congregationis Clericorum regularium Ministrantium infirmis nuncupatorum Præpositus Generalis Nobis nuper exponi fecit Capitulum generale ejusdem Congregationis, quod die 4. Maji proximè venturi pro electione quatuor Consultorum, & Arbitri ipsius Congregationis juxta Constitutiones illius auctoritate Apostolica confirmatas, ac ejusdem Congregationis Provinciarum divisionem à Nobis per quamdam in simili forma Brevis die 22. Novembris 1655. expeditas Literas factas in locum modernorum Consultorum, & Arbitri, qui vigore aliarum Nostrarum pariter in forma Brevis Literarum die 3. Februarii 1657. expeditarum officia sua respectivè usque ad diem 4. Maji hujusmodi, & non ultra continuare debent, celebrari deberet, ob impedimenta adhuc interdicti inter nonnullas Italiæ regiones nuperi contagii occasione commercii celebrari non possit.

Eligit Consultores prout in rubr. §. 2 Hinc est, quod Nos Congregationi hujusmodi opportunè hac in re providere volentes, ac de infra nominatorum ejusdem Congregationis Religiosorum expressè professorum prudentia, rerum agendarum peritia, dexteritate, charitate, & religionis zelo plurimùm in Domino confisi, auditaque super illorum qualitatibus, & requisitis Venerabilis fratris Nostri Julii Episcopi Sabinen. S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis Sacchetti nuncupati Congregationis prædictæ apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris relatione, necnon eorundem Sancti Præpositi Generalis, & Religiosorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus dicti Sanctii Præpositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati dilectos filios Cosmum Lenza Presbyterum pro Siciliæ, Joannem Baptistam Barberis etiam Presbyterum pro Neapolitan. Vincentium Colli laicum pro Mediolanen ac Joannem Mariam Poli etiam laicum pro Romana Provinciis Congregationis prædictæ Consultores necnon Joannem Stephanum Garibaldi Presbyterum dictæ Congregationis Religiosos expressè professos in Arbitrum ejusdem Congregationis pro Provincia Mediolanen. respectivè ad tempus, quo existentes pro tempore Congregationis hu-

jusmodi Consultores, & Arbiter officia sua juxta regularia ipsius Congregationis Instituta auctoritate Apostolica confirmata gerere consueverunt, statum atque supradicti moderni Consultores, & Arbiter tempus suum respectivè compleverint, ut præmittitur, inchoandum Apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus, & deputamus.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrii Nostri pœnis dicto Sanctio Præposito Generali, ac omnibus, & singulis memoratarum Provinciarum Religiosis, cæterisque, ad quos quoquomodo spectat, & spectabit in futurum, ut supra nominatos Religiosos ad officia eis per præsentes demandata exercenda respectivè recipiant, illisque faveant, & assistant. Ac decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac prænominatis Religiosis plenissimè suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, & Provinciarum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsum. ptis credi jubet.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transsumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 1. Ap.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 1. Aprilis 1658. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXXIV.

Pro recta administratione bonorum ad Basilicas, & Collegiatas seculares Ecclesias Urbis pertinentium.

Edita P. An. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PRO commissa Nobis divinitùs dispensatione, Basilicarum, aliarumque Ecclesiarum Collegiatarum, & secularium Almæ Urbis Nostræ utilitatibus sedulò invigilantes, ac probè perspectum habentes, exactam regendarum Ecclesiarum rationem summoperè à Ministrorum electione dependere, nihilque magis conservationi, & augmento redituum ex bonis temporalibus provenientium conducere, quàm si frequentiùs Capitula habeantur, quorum occasione omnes, & singuli Canonici præsentes instruantur circa rei communis commoda, & momenta, idoneique fiant ad prospiciendum emergentibus necessitatibus, tum opere, tum consilio.

Tempus, & formam præscribit.

§. 1. De Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & aliorum locorum piorum dictæ Urbis à Nobis institutæ deputatorum consilio Apostolica auctoritate tenore præsentium mandamus, & præcipimus, ut in singulis Basilicis, ac aliis Ecclesiis Collegiatis, & secularibus ejusdem Urbis, tempore quidem æstivo, bimense, extra tempus æstivum verò, singulis hebdomadis, statuta die, & hora post celebratam Missam conventualem, si ante meridiem, seu post expletum officium, si post meridiem, omnes Canonici respectivè intersint Capitulo, sub pœna unius puncti pro quolibet absente, quod accrescat interessentibus, ultra id, quod quandoque dari solet pro ejusmodi præsentia; ibique tàm Camerarii, Fabricerii, & Exactores, quàm alii Administratores bonorum Capituli communicent cæteris negotia, quæ sint alicujus momenti ad ipsam œconomiam spectantia. Referant Villici super eorum ministerio, illisque absentibus, legantur eorum Litteræ, & ipsi, si opus fuerit, vocentur ad Urbem. Audiantur Procuratores super statu litium, & causarum, Ratiocinator exhibeat folium dati, & accepti, ac credita, & debita cum Depositario, necnon notulam pecuniarum exigendarum, ærisque alieni persolvendi: quæ omnia Canonicis audientibus à Secretario legantur, ut omnes fint informati, ac invigilent bonorum administrationi, creditorum celeri exactioni, ac debitorum suis temporibus solutioni. Negotia majoris momenti nonnisi à Capitulo, & per secreta suffragia semper deliberentur, sub pœna nullitatis, aliisque gravioribus Nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis. Acta singulorum Capitulorum diligenter per Secretarium describantur in libro ad hoc designato; & in archivium singulis annis reponantur.

Pro electionibus faciendis.

§. 2. Electiones Officialium quorumcumque fiant semper per secretum scrutinium in aula Capitulari, & nonnisi ad annum; nec prorogari possint, nisi ob legitimam causam, & per vota secreta: Administratores verò bonorum, redituum, seu pecuniarum Ecclesiæ, quovis nomine appellentur, post annum confirmari non possint, nisi priùs exhibita ratione dati, & accepti, & non ultra triennium. Porrò nemini Canonicorum, aut Beneficiatorum liceat officium, ad quod capitulariter electi fuerint recusare, aut illius exercitium differre, præterquam ob legitimum impedimentum ab eodem Capitulo per vota secreta approbandum, sub pœna privationis omnium fructuum, distributionum, & emolumentorum quorumcumque eorum Canonicatus, & præbendæ, ac Beneficii respectivè per sex menses, quibus eo ipso privati censeantur, illaque accrescant iis, qui in eorum locum, & officium subrogati fuerint, quocunque recursu, & appellatione postpositis.

Administratorum negligentium pœnæ.

§. 3. Camerarii, Fabricerii, aliique Administratores debeant frequenter facere computa eorum œconomiæ, & in fine cujuslibet anni rationem reddere generalem Syndicis ad id deputatis, totique Capitulo: quam si non reddiderint per totum mensem Januarii anni sequentis, tam Camerarii, Fabricerii, & Administratores supradicti, quàm Syndici, si non institerint, & negligentes fuerint in revisione computorum, amittant distributiones trium mensium, & ulterius donec adimpleverint, ac distributiones prædictæ cedant eo ipso in utilitatem Sacristiæ, teneanturque Sacristani sub pœna solvendi de proprio, agere coram suis Judicibus pro solutione pœnæ prædictæ. Quod si novi Camerarii mensatas non retinuerint, ad præscriptum præsentium Literarum, teneantur insolidum refundere eidem Sacristiæ tantumdem de proprio, atque hæc obligatio omnium duret quousque rationes integre reddantur, nec intelligantur redditæ, nisi fuerint producti libri dati, & accepti, ac residuorum, nominumque

debitorum,

debitorum, & exhibita computa generalia, eaque jurata, ac solidata, persolutusque reliquatus cum liberatione à pleno Capitulo obtinenda. Administratores quoque præteritorum annorum, qui hactenus liberationem hujusmodi consecuti non fuerint, teneantur sub eisdem pœnis, modo, & forma prædictis producere intra terminum duorum mensium proximorum omnia sua computa, eaque à Syndicis solidata, & à Capitulo approbata reportare.

Clausulæ præservativæ.

§. 4. Cæterum easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci, vel adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse, sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apost. regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon Basilicarum, & Ecclesiarum hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari, & Transsumptis credi jubet.

§. 6. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus innotescant, & nemo earum ignorantiam prætendere possit. Volumus ut illæ, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis ac Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Urbe prædicta, sicut moris est, publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos quos concernunt, perindè afficiant, ac si eorum unicuique personaliter intimatæ fuissent. Utque ipsarum præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 3 Apr.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Aprilis 1658. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Iesu Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, Indictione undecima, Pontificatus autẽ Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Alexandri divina providentia Papæ Septimo, Anno tertio die verò 10. *mensis Aprilis, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, per me Petrum Paulum de Grassis Apostol. Cursorem.*

Hieronymus Mascella Mag. Curs.

XXXV.

Prohibet ne bona Ecclesiarum, & aliorum locorum piorum Urbis locentur consanguineis, vel affinibus Rectorum aut Administratorum, &c. Ecclesiarum, & locorum hujusmodi.

De bonorum Ecclesiasticorum locatione Paulus II. Const. 2. Ambitiosæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1657.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In suprema Sedis Apostolicæ specula omnium Orbis Ecclesiarum utilitatibus ex commissa Nobis divinitùs dispensationis officio jugiter invigilantes, Ecclesiarum, & locorum, ac operum piorum Almæ Urbis nostræ dispendiis occurrere peculiari studio satagimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Bona Ecclesiarum non locentur consanguineis.

§. 1. Itaque de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis super negotiis Visitationis Apostolicæ à Nobis institutæ consilio, quibusvis Capitulis, & Canonicis, Ecclesiarumve Prælatis, seu Superioribus tàm secularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti Regularibus, nec non Rectoribus, Capellanis, Beneficiatis, Prioribus, Præceptoribus, Commendatariis, seu fructuum reservatariis cum administratione, Guardianis, Custodibus, Protectoribus, Defensoribus, Procuratoribus, & Administratoribus etiam laicis quarumcumque Ecclesiarum, seu Basilicarum, Collegiorum, Conventuum, Monasteriorum, tàm virorum, quam mulierum, Congregationum, Hospitalium, Archihospitalium, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, domorum, & locorum, seu operum piorum Urbis prædictæ quocumque nomine, jure, vel titulo censeantur, ne Casalia, terras, vineas, prata, agros, sylvas, nemora, vel prædia quæcumque ad eorum Ecclesias, seu Basilicas, ac Collegia, Beneficia, Monasteria, alia loca, & opera pia, ut supra, respectivè spectantia locent per se, vel per alios, aut locari permittant directè, vel indirectè eorum consanguineis, affinibus, sive cognatis, juxta computationem juris Canonici usque ad tertium gradum inclusivè, sub pœna nullitatis contractus, & amissionis fructuum, responsionum, & emolumentorum quorumlibet indè provenientium, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso absque alia declaratione, tàm per locantem, quàm per conducentem incurrendæ, à qua nemo nisi à Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, Apostolica autoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Domorum locatio quomodo eis permissa.

§. 2. In locationibus verò domorum, si illas ejusmodi consanguineis, vel affinibus pro ejusdem Ecclesiæ, vel loci, aut operis pii utilitate locari expediat, id nonnisi de voto Capituli, vel Congregationis respectivè, per secreta suffragia, cum duabus ex tribus partibus, & quoad Rectores, Cappellanos, Beneficiatos, Commendatarios, & fructuum reservatarios de licentia dilecti filii Nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus generalis fiat, & quidem cum solita saltem pensione, & clausulis consuetis. Cæterum sub earumdem præsentium dispositione quoscumque contractus alienationum, etiam latissimè sumpto alienationis vocabulo, comprehendi, ac in illis formam Constitutionis fel. rec. Pauli Papæ Secundi Prædecessoris Nostri, quæ incipit, Ambitiosæ, quoad reliqua servari volumus, & intendimus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas etiam ex eo, quod quicumque etiam speciali nota, & expressione digni in præmissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut sufficienter, vel ullo modo justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aut alio quolibet quantumlibet substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, ad viam, seu terminos juris reduci in jus, vel controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu proprio concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, perpetuò inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit de non tollendo jure quæsito, cæterisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, nec non Ecclesiarum, seu Basilicarum, Collegiorum, Conventuum, Monasteriorum, Congregationum, Hospitalium, Archihospitalium, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, domorum, locorum, & operum piorum hujusmodi, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie etiam motu proprio, & consistorialiter, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut præsentes literæ per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, ac Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe publicentur, ac earum exempla ibidem affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent. Quodque earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 23. Apr.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Aprilis 1657. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi Millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi, annò tertio, die verò 5. mensis Maji præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ S. Joannis Lateranensis ac Basilicæ Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ per me Andream Castruccium Apost. Cursorem.

Pro Mag. Curs. Joseph Marcheratus Curs.

XXXVI.

Prohibentur Musicæ indecentes in Ecclesiis, & Oratoriis Urbis.

De Musica, & Cantorum lascivia in Divinis Officiis reprobata, notabilis est Constitutio Joannis XXII. Docta Sanctorum *C.Unico Extra de vit. & honest. Cleric. lib. 3.*

Edita A. D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PIAE sollicitudinis studio ducimur, ut Ecclesiarum divinis laudibus, & orationi destinatarum, ac Oratoriorum almæ Urbis nostræ, ex qua in omnes Orbis partes bonorum operum exempla promanant, decori, & reverentiæ consulere satagentes quæcumque vana, & præsertim musicos concentus, & symphonias, quibus quid indecorum, sivè à Ritu Ecclesiastico alienum, non sine Divinæ Majestatis offensa, & Christifidelium scandalo, ac devotionis, & cordium ad superna elevationis impedimento admisceatur, ab illis procul arceamus.

Quid canendum sit præscribit.

§. 1. Itaque de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis super negotiis Visitationis Apostolicæ a Nobis institutæ consilio omnibus, & singulis Archipresbyteris eorumque Vicariis, ac Capitulis, & Canonicis, choroque præfectis quarumvis Ecclesiarum, & Basilicarum etiam Patriarchalium, nec non Prælatis, Superioribus, Rectoribus, Admi-

nistra-

nistratoribus, Custodibus, Guardianis, aliisque Officialibus quocumque nomine nuncupentur, quorumvis Monasteriorum utriusque sexus, Domorum, Conventuum, & Collegiorum, tàm secularium, quàm regularium, ac Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Hospitalium, Archihospitalium, & locorum piorum etiam laicorum dictæ Urbis Apostolica auctoritate tenore præsentium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec non privationis fructuum unius mensis, ac suspensionis ab officio respectivè prohibemus, ne in eorum Ecclesiis & Oratoriis, dum Officia Divina celebrantur, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum manet expositum, quidquam cantari permittant præter ea verba, quæ à Breviario, vel Missali Romano in Officiis de proprio, vel de communi pro currenti cujusque diei festo, vel Sancti solemnitate præscribuntur, vel quæ saltem à Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus desumpta sint, quæ tamen prius à Congregatione venerabilium etiam Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum specialiter approbentur, exclusis modulis iis, qui choreas, & profanam potius, quàm Ecclesiasticam melodiam imitantur.

Musicæ præfecti hujus Const. sub jurejurando observantiam promittant.

§. 2. Quod ut exactius servetur Superioribus, & Officialibus, aliisque prædictis, ad quos spectat sub eisdem pœnis injungimus, ne Musicæ Præfectos ad hujusmodi munus recipiant, vel receptos in posterum admittant, nisi prius præstito ab eisdem juramento de observandis præsentibus literis, cui juramento si contravenerint, à dilecto filio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis Vicario in Urbe prædicta in spiritualibus Generali tanquam perjuri etiam corporaliter puniantur, ac exercitio officii hujusmodi perpetuò privati remaneant, absque spe reintegrationis, quæ à nemine quacumque auctoritate prædito, etiam specialem expressionem requirente, præterquam à Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris concedi possit.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu ex quovis capite, vel causa etiam speciali mentione digna notari, aut impugnari unquam posse, sed ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis existant inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit de non tollendo jure quæsito, cæterisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac Ecclesiarum, Basilicarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Hospitalium, Archihospitalium, & piorum locorum hujusmodi, nec non Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter insertis, & expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut præsentes literæ per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, ac Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum exempla, etiam impressa ibidem affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt perinde arctent, & afficiant, ac si illorum unicuique personaliter intimatæ fuissent. Quodque præsentium earundem transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 3. die 23. Apr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Aprilis 1657. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1657. Indictione 10. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno tertio, Die verò quinta Maji prædicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ S. Joannis Lateranensis, ac ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ per me Andream Castruccium Apost. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Joseph Marcheratus Curs.

XXXVII.

Confirmatio Statuti pro Universitate Barbitonsorum Almæ Urbis.

Facultates Consulum hujus Artis, circa causas ad eos spectantes reintegravit, & confirmavit, Gregor. XIII. Constit. 61. tom. 2.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A. D. 1657.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Consules, & Universitas Barbitonsorum Almæ Urbis nostræ, quod quodam eorum artis statuto per felic. rec. Paulum II. Clementem VIII. & Paulum V. Romanos Pontifices Prædecessores nostros confirmato cavetur, ne quicumque tonstrinæ operarius, seu ut vulgò dicitur Garzone, qui novam tonstrinam instituere voluerit, eam aperire possit, nisi tabernam quinquaginta cannis mensuræ Romanæ ab alia quacumque simili taberna tonsoria distante acceperit, sub pœna decem scutorum auri applicandorum sicut in capitulo de pœnis inter statuta artis disponitur.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, per quoddam Statutum Urbis prædictæ, capite 43. lib. 3. Statutorum ipsius Urbis descriptum omnia statuta, quæ prohibent novam apothecam aperire propè aliam nisi distet ab ea certo cannarum numero, vel spatio cassentur, & improbentur, cumque supra expressorum statutorum contrarietatis occasione, licet in confirmatione primo dicti statuti a prædicto Paulo V. Prædecessore nostro emanata memoratæ Urbis statutis derogatum fuerit, lites, & discordiæ nihilominus in dies oriantur. Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolvit à censuris.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, nec non statutorum prædictorum, & litterarum Apostolicarum super illorum confirmatione respectivè emanatarum tenores, & datas etiam tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnes, & singulas lites coram quibusvis Judicibus in quacumque instantia super tonstrinis jam erectis, vel erigendis infra spatium cannarum quinquaginta nunc pendentes, quorum omnium statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & collitigantium, & alia etiam speciali expressione digna præsentibus itidem pro plenè & sufficienter expressis habemus, Apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium extinguimus. Mandantes in præteritum usque ad ipsarum datam præsentium nihil innovari.

Revocat statutum Urbis.

Confirmat primodictum statutum.

§. 3. De cætero autem primo dictum memoratæ artis statutum eadem auctoritate denuo confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodòlibet intervenerint, supplemus. Illudque perpetuis futuris temporibus inviolatè observari jubemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus litium hujusmodi pendentia aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non prædicto quod capite 43. libri 3. descriptum est, & aliis quibusvis Urbis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, ac consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. Ann. 3. die 16. Junii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1657. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Die Veneris 22. Junii 1657. Supradictæ litteræ Apostolicæ in forma Brevis in plena Camera Apostolica præsentatæ fuerunt, & die Lunæ 25. ejusdem mensis Camera ipsa referente Illustriss. & Reverendiss. D. Palutio de Albertonibus ejusdem Cameræ Clerico Præsidente citato prius R. P. D. Lazaro Botto dictæ Cameræ Generali Commissario illas admisit, & in ejusdem Cameræ libris registrari mandavit prout registratæ fuerunt lib. Diversorum Sanctiss. fol. 162. Bartholomæus Rubinus.

Supradictum Breve fuit obtentum supplicantibus pro Universitate.

D. Hieronymo Sarro,)
D. Jo. Antonio Anselmi, &) Consulibus.
D. Josepho Musacchi, &c.)
D. Paulo Humilitate Camerario.

XXXVIII.

Prohibitio extrahendi paramenta &c. Pro omnibus Ecclesiis Monachorum Congregationis Cœlestinorum.

Cœlestinis multa privilegia elargitus est Benedictus XI. Constit. 2. tom. 1. Ac statuta emendata confirmavit pro eisdem Urb. VIII. Const. 59. Sacrosanctum.

Edita An. D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Conservationi, & manutentioni ornamentorum, & paramentorum Ecclesiarum omnium & singulorum Monasteriorum totius Congregationis Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti ubique existentium quantum cum Domino possumus benignè consulere, ac dilectum filium Modernum dictæ Congregationis Abbatem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus prædicti Abbatis Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet prout in rub.

§. 1. Ne de cætero quisquam quavis auctoritate, superioritate, & officio fungens Vasa, Calices, Candelabra, lampades, & alia Paramenta, & Ornamenta Ecclesiastica, nec non quamcumque supellectilem Sacram nunc, & in futurum quandocumque ad Ecclesias prædictas spectantem, & spectantia aliis Ecclesiis, Monasteriis, locis Piis, seù quibusvis personis commodare, aut sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione ex quacumque dictarum Congregationis hujusmodi Ecclesiis, seù illarum Sacristiis extrahere, & asportare, seù ut commodentur, aut extrahantur, & asportentur, permittere, aut consentire audeat, seù præsumat sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo, nisi à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere possit, ac privationis vocis activæ & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valvis singularum cujusvis Ecclesiæ, Monasteriorum hujusmodi Sacristiarum, vel alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat. Quodque præsentium transsumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 20. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1657. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXXIX.

Pro Archiconfraternitate B. Mariæ de Suffragio Urbis, circa facultatem aggregandi Confraternitates ejuſdem nominis, & Inſtituti.

Huic Archiconfraternitati quamplures Indulgentias conceſſit Clem. VIII. Conſtit. 29. §. 7. tom. 3.

Edita A.D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres Archiconfraternitatis Beatæ Mariæ de Suffragio pro animabus Purgatorii Canonicè inſtitutæ de Urbe, quod dudum poſtquam eidem Archiconfraternitati à felic. rec. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore Noſtro indultum aggregandi ſibi alias Confraternitates conceſſum fuerat, rec. mem. Paulus Papa V. etiàm Prædeceſſor Noſter ſupplicationibus tunc exiſtentium Officialium, & Confratrum Archiconfraternitatis hujuſmodi nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, per ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Martii 1615. expeditas Litteras ipſis Officialibus, & Confratribus facultatem quidem aggregandi dictæ Archiconfraternitati qualcumque Confraternitates ejuſdem denominationis, & inſtituti etiàm conceſſit, ſed voluit quòd Confraternitates aggregandæ hujuſmodi eleemoſynas pro Miſſis pro defunctis accipere ullo modo nequirent; quodque de ejus voluntate hujuſmodi in Literis aggregationum pro tempore conficiendis ſpecifica mentio fieri omninò deberet alioquin aggregationes ipſæ nullæ eſſent.

§. 1. Cum autem ſicùt eadem expoſitiò ſubjungebat, dicti Exponentes earumdem Pauli Prædeceſſoris Literarum ignari centum & quinquaginta, vel circiter Confraternitates memoratæ Confraternitati nulla facta mentione prædictæ voluntatis ejuſdem Pauli Prædeceſſoris bona fide, ac ſervatis aliàs ſervandis aggregaverint, & poſt habitam earumdem literarum notitiam Confraternitates, ut præmittitur, aggregatas voluntatis hujuſmodi certiores reddiderint, & propterea in præmiſſis opportunè à Nobis provideri ſummoperè deſiderent.

Convalidat aggregationes factas.

§. 2. Nos ſpecialem eiſdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodòlibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, centum quadraginta, vel circiter Confraternitatum, hujuſmodi aggregationes, a prædictis Exponentibus, ſicut præmittitur, factas, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium convalidamus, ea tamen lege, ut de cætero obſerventur adamuſſim, prædicti Pauli Prædeceſſoris Literæ, & exemplar præſentium Literarum in forma authentica exhibeatur in ſingulis Curiis Ordinariorum in quorum Diœceſibus ſunt Confraternitates aggregatæ.

§. 3. Præterea Confratribus Confraternitatum aggregatarum hujuſmodi, eleemoſynas ſi quæ ab iis perceptæ fuerint pro Miſſis celebrandis pro defunctis, dummodò revera eleemoſynæ prædictæ erogatæ fuerint pro celebratione Miſſarum hujuſmodi, auctoritate, & tenore prædictis gratioſè condonamus.

Contrariis derogat.

§. 4. Decernentes ipſas præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiàm cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædictis Pauli Prædeceſſoris Literis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. P.An. 3. die 18. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Septembris 1657. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

XL.

Pro reſecandis ſumptibus ſuperfluis in Eccleſiis, & Monaſteriis Nonialium Urbis.

Edita An D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRo commiſſo Nobis cœlitùs Paſtorali munere dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſteriorum Almæ Urbis Noſtræ, quæ obitæ domum Patris ſui totas ſe Jeſu Chriſti Domini Noſtri earum ſponſi obſequiis devoverunt, quieti, & utilitatibus peculiari ſtudio jugiter invigilantes, ipſaſque Moniales ſuperfluis ſumptibus dierum feſtorum cauſa, vel quando puellæ, ſeù mulieres habitum regularem in iiſdem Monaſteriis ſuſcipiunt, profeſſionemve emittunt, fieri ſolitis eximere, & populi ad eadem Monaſteria, ſeu illorum Eccleſias ejuſmodi occaſione confluentis turbam evitari cupientes.

Quæ feſta celebranda.

§. 1. De Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis ſuper negotiis Viſitationis Apoſtolicæ a Nobis inſtitutæ conſilio, in quibuſcumque earumdem Monialium Eccleſiis alias feſtivitates, quam pro Sanctis titularibus ipſarum Eccleſiarum, ſive Monaſteriorum hujuſmodi patronis, & Ordinum, quorum illa reſpectivè ſunt fundatoribus inſtitui, ſive ſolemniter celebrari auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo prohibemus.

Cantus Gregorianus permittitur.

§. 2. Volentes ut feſtivitates hujuſmodi abſque muſica exteriori omninò celebrentur, admiſſo tantum in choro interiori cantu Gregoriano nuncupato, ſivè etiam figurato, quoad Antiphonas Veſperarum pro currenti feſto, aut Canticum Magnificat, pleno tamen choro, & nullis ſumptibus ſub pœnis Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, privationis officii; Monialibus autem canentibus, vocis activæ, & paſſivæ eo ipſo reſpectivè incurrendis.

De ornatù Eccleſiæ.

§. 3. Ac eiſdem Abbatiſſis, ſeù Prioriſſis, nec non Sacriſtanis, & Camerariis, aliiſque Miniſtris, & Officialibus dictorum Monaſteriorum ſub eiſdem pœnis reſpectivè pariter interdicimus, ne ornandis Eccleſiis, atque Altaribus apparatus, aut argenteam aliamque tam pretioſam quam non pretioſam ſuppellectilem cujuſvis qualitatis, & ſpeciei a quocumque commodato accipiant, neve in prænarratam cauſam pecunias, aut quævis alia bona cujuſvis generis, qualitatis, & ſpeciei à quibuſcumque perſonis certis, vel incertis, etiam ſponte dantibus ſub quocumque prætextu gratitudinis, donationis, ſolutionis debiti, aut reſtitutionis, etiàm pro exoneranda conſcientia; aut ex alio contractu, vel quovis quæſito colore, etiam pro eleemoſyna ne quidem a conſan-

guineis,

guineis, vel affinibus, etiàm in primo gradu, aut benefactoribus Monialium, & aliorum prædictorum, etiàm occulto nomine, petant, vel accipiant, neque in hunc finem vendant industriæ ipsarum Monialium opera, eorumque pretium in sumptus hujusmodi impendant, aut quidquam tàm durante officio quàm eo exacto Ecclesiæ, Sacristiæ, aut quibusvis aliis dono dent, sed expensæ necessariæ ab Abbatissa, seù Priorissa ea qua majori poterunt cum parsimonia fiant ex ordinariis, & certis reditibus tantùm vel Monasteriorum, vel Sacristiæ illorum propriis, si adsint, nullum verò prorsùs æs alienum propthereà contrahatur. Præthereà eadem auctoritate sub pœnis prædictis præcipimus idem servari, cum puellæ, seù mulieres ad habitum regularem, & votorum solemnium emissionem, seù professionem admittuntur, ut scilicet omnia sine pompa, sine sumptu, & absque cerarum, aliorumque munusculorum quorumcumque distributione fiant, comprehensis etiàm esculentis, & poculentis, neque occasione festivitatum Sanctorum, aut susceptionis habitus, & professionis hujusmodi, vel quovis alio anni tempore dispensari, vel dono mitti possint flores, fructusque sive veri sint & naturales, sive fictitii, & artificiales, aut pharmaca, placentæ, liba, scribilitæ, crustula, spirulæ, & alia id genus edulia, cupediæ, &bellaria quibuscumque personis, Secularibus, sive Ecclesiasticis etiàm regularibus utriusque sexus tàm intrà, quam extra septa Monasteriorum degentibus, ac etiàm Superioribus, & Prælatis quovis gradu, & dignitate, etiam Cardinalatus fulgentibus, Protectoribus, Viceprotectoribus, Deputatis, Præfectis, Visitatoribus, Confessariis, Factoribus, & Officialibus Monasteriorum hujusmodi quocumque nomine nuncupentur, aliisque ab illis quoquomodo dependentibus. Denique mandamus Missas solemnes in Ecclesiis Monasteriorum hujusmodi ab illorum Confessariis, vel aliis privatis Sacerdotibus decantari, tubarum verò clangores, & tympanorum strepitus, ac tuborum pulvere Pyrio oppletorum explosiones, missilesque, & festos ignes nulla ratione, nullaque occasione ante, vel propè aut circa Ecclesias, ac Monasteria prædicta permitti, neque tentoria, sive vela ante januas earundem Ecclesiarum expandi, sed & omnes alias non necessarias expensas omninò resecari.

Contravenientium pœna.

§. 4. Declarantes Abbatissas, seu Priorissas, Sacristanas, Camerarias, aliasque Officiales, & Moniales Monasteriorum præfatorum, quæ in toto, vel in parte præsentibus Literis, & contentis in illis quoquomodo respectivè contravenerint, pœnas prænarratas, aliasque etiam graviores Nostri, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrii durante earum contumacia, ipso facto incursuras: absolutione, condonatione, reintegratione, & dispensatione desuper Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus Nostris dumtaxat reservata. Cæterum si quandoque Abbatissæ, seù Priorissæ, & Moniales prædictæ rigorem præsentis constitutionis in aliquo casu particulari remitti, & aliquid ex vetitis in illa permitti desideraverint, non prohibemus quin id postulent à Nobis, & Successoribus prædictis, concessuris in scriptis, quod in Domino censuerimus, seù illi respectivè censuerint expedire. Demum ut eædem præsentes Literæ debitæ executioni demandentur, illarumque ignorantia à nemine ullo unquam tempore prætendi possit; Venerabilibus Fratribus Nostro Martio Episcopo Albanen. S. R. E. Cardinali Ginetto nuncupato, Nostro in Urbe prædicta Vicario in spiritualibus Generali, vel Marco Antonio Episcopo Hierapolitan. ipsius Martii Cardinalis Vicarii Vicesgerenti harum serie committimus, mandamus, ut præsentes Literas, seu illarum tenorem in idioma vulgare fideliter transferri, ac translatas imprimi, illarumque exemplaria in formam authenticam redacta in singulis Monasteriorum prædictorum sacristiis, ac choris, & locutoriis in loco conspicuo, ubi ab omnibus legi possint, constitui, & collocari, ibique perpetuò remanere, & à nemine amoveri curent sub pœnis supradictis eo ipso per contrafacientes incurrendis.

Clausulæ præservativæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostræ, seu alio quocumque defectu ex quovis capite, vel causa etiàm speciali mentione digna notari, aut impugnari unquam posse, sed ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis existant inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiàm de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus quatenùs opus sit de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & cæteris Constitutiònibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiàm Conciliaribus, necnon Monasteriorum, & Ordinum hujusmodi, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illòrum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut præsentes Literæ per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, ac Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe præfata publicentur, & earum exempla, etiàm impressa ibidem affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos quos concernunt perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter intimatæ fuissent. Utque earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3. die 24. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24 Septemb. 1657. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi 1657. Indictione 10. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno tertio, Die verò 26. Septembris prædicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ S. Joannis Lateranensis, ac ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Curs.

Andreas Castruccius Mag. Curs.

Pro-

XLI. Prohibitio extrahendi libros, & quæcumque alia ex Bibliotheca Conventus S. Martini Eremitarum S. Augustini Civitatis Senen.

Consimiles prohibitiones aliorum Summorum Pontificum pro Conservatione Bibliothecarum invenies in Repertorio verb. Bibliotheca.

Edita A. D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. CUm sicut Ven. Fr. Ambrosius Episcopus Porphirien. Sacrarii Nostri Apostolici Præfectus Nobis nuper exponi fecit, ipse, qui habitum per Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini gestari solitum aliàs suscepit, & professionem per eosdem emitti consuetam expressè emisit regulares tempore, quo in Conventu S. Martini Civitatis Senen. ejusdem Ordinis degebat, nedum ad usum, & commodum dicti Ordinis professorum, sed etiàm concivium suorum Senensium unam insignem Bibliothecam copiosa multitudine librorum, picturarum, numismatum, seù monetarum ex auro, argento, & metallo, & aliarum antiquitatum refertam congesserit, vereatur autem ne tractu temporis ex Bibliotheca hujusmodi aliqua subtrahantur.

Absolvit Oratorem à censuris. §. 1. Idcircò Nos conservationi, & manutentioni librorum, aliarumque rerum dictæ Bibliothecæ opportunè prospicere, ipsumque Ambrosium Episcopum specialis gratiæ favore prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§. 2. Universis & singulis personis Ecclesiasticis tàm secularibus, quàm Regularibus, ac etiàm Laicis cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus ne perpetuis futuris temporibus sub quovis prætextu, causa, vel ingenio per se, vel alium, seù alios è prædicta Bibliotheca Libros, sive typis editos, sive manuscriptos, necnon picturas, & antiquitates hujusmodi in eadem Bibliotheca nunc, & pro tempore existentes extrahere, asportare, & tollere, seu extrahi, asportari, & tolli facere, aut ut extrahantur permittere quoquomodo audeant, seù præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ à qua nemo nisi à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, & insuper quoad Regulares etiàm privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso absque alia declaratione incurren. pœnis Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Necnon prædicto Ambrosio Episcopo quoad vixerit aliquem ex Fratribus dicti Conventus in Præfectum, & Custodem dictæ Bibliothecæ pro suo arbitrio deputan. & constituen. illumque toties quoties ei placuerit, amovendi, & variandi facultatem eidem auctoritate, & tenore concedimus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Conventus prædictorum, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod præsentis prohibitionis copia in valvis dictæ Bibliothecæ, vel aliquo alio conspicuo loco, undè ab omnibus legi possit, continuo affixa remaneat.

D. P. An. 3. die 2. Oct. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Octob. 1657. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XLII. Concedit Indulgentiam plenariam omnibus personis tàm Regularibus, quàm Secularibus quæ per octiduum vacabunt exercitiis spiritualibus in Domibus Societatis Jesu.

Consimilem Indulgentiam concessit pro Fratribus Regularis observantiæ S. Francisci, ac Reformat. Const. 65. Cum sicut &c. infrà.

Edita A. D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. CUm sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus Goswinus Nickel Præpositus Societat. Jesu personæ ejusdem Societatis quotannis, & plerumque plurimæ aliæ sive Ecclesiasticæ, & aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium, sive laicæ exercitiis spiritualibus à S. Ignatio dictæ Societatis Fundatore institutis in domibus ejusdem Societatis per octiduum vacare consueverint.

§. 1. Nos, qui probè scimus quantoperè conducant exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christifidelium mentibus devotionem eorum, qui operi adeò pio, & salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis incitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus tàm prædictæ Societatis, aut cujuscumque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, quàm aliis quibuslibet Ecclesiasticis, & laicis qui in domibus memoratæ Societatis exercitia prædicta juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem per octidui spatium quandocumque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes, & confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Transsumptis credi jubet. §. 2 Præsentibus in perpetuum valituris. Volumus autem quod si pro impetratione, præsentatione, & admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut spontè oblatum recipiatur eædem præsentes nullæ sint eo ipso: quodque earumdem præsentium transsumptis etiàm impressis, manu Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Præpositi Generalis Societatis prædictæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 3. die 4. Octob. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœc sub Annulo Piscatoris die 12. Octobris 1657. Pont. Nostri Anno tertio.

XLIII. Declaratio quod Cistercienses absque scrupulo conscientiæ possint vesci carnibus intra, & extra septa Monasterii, cum non sit de substantia Regulæ.

Edita A. D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. IN supremi Apostolatus fastigio meritis licet imparibus Divina dispositione constituti, ad

ea

ea qu bus Christifidelium sub suavi Religionis jugo vota sua Deo reddere satagentium quieti, & conscientiæ securitati consulitur propensis studiis intendimus, ac desuper creditæ Nobis cœlitùs dispensationis partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Procurator Generalis Ord. Cistercien. Nobis nuper exponi fecit, licet dudum fel. rec. Sixtus Papa IV. Prædecessor Noster per suas anno Incarnationis Dominicæ 1475. Idibus Decembris sub plumbo expeditas Literas abstinentiam à Carnibus de substantialibus Regulæ, quam Monachi Ord. hujusmodi profitentur, non esse declaraverit, & Capitulo Generali, illoque cessante Abbati pro tempore existenti Monasterii Cistercii ejusdem Ord. cum quibuscumque Abbatibus, Monachis, & Monialibus, ac aliis personis ipsius Ordinis tunc præsentibus, & futuris, secundum discretionis eorum arbitrium, & conscientiæ judicium (super quo eorum conscientias oneravit) quandocumque, & quotiescumque necesse eis, seù alteri ipsorum videretur, per se, vel alios dispensandi, ac eis licentiam concedendi, quod carnibus etiam extra Monasteriorum septa in quibuscumque locis, absque alicujus pœnæ incursu, aut conscientiæ scrupulo vesci, & uti possent, plenam, & liberam facultatem, licentiam, potestatem, & auctoritatem concesserit; & indulserit, Capitulumque generale d. Ord. de Anno 1481. celebratum in vim, & executionem Indulti hujusmodi in omnibus Monasteriis ejusdem Ordinis generaliter esum carnium permiserit, ac certis diebus ad servandam uniformitatem cum omnibus Religiosis ipsius Ordinis dispensaverit: recol. quoque mem. Alexander PP. VI. etiam Prædecessor Noster per suas pariter sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1498. octavo Idus Novembris expeditas Literas Cisterciensibus Reformatis Hispaniæ, ut carnibus juxtà ordinationem per Abbatem Cistercii, & Capitulum generale Ordinis hujusmodi factam liberè, & licitè, & absque aliquo conscientiæ scrupulo vesci valerent, similiter concesserit, totusque Ordo prædictus ubique diffusus in tali usu, & consuetudine à centum septuaginta sex, vel circiter annis citra existat: quidam nihilominùs Monachi memorati Ordinis in Gallia abstinentes nuncupati super hoc puncto Regulæ sufficienter per præmissa dispensatum non esse, nec generalem usum hujusmodi modo supradicto introductum licitum esse contendentes, multorum, qui Strictiorem Observantiam, excepta sola à carnibus abstinentia, sicut præmittitur relaxata juxta definitionem ultimi Capituli generalis Cistercii de anno 1651 celebrari profitentur, conscientias turbent, indeque dissentiones, contentiones, & lites non sine maximo Religionis dispendio oriantur, & orituræ timeantur. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apost. dignaremur.

Absolvit Oratorem à censuris.

§. 2. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & à pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolven. & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui rem sæpiùs considerantur, matureque discusserunt, consilio, Monachis Cisterciensibus prædictis tuta conscientia licuisse, & licere uti dispensatione prænarrata super esu carnium per Capitulum generale Ordinis hujusmodi Apostolica auctoritate concessa, ac diuturna consuetudine comprobata auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, eamdemque ad tranquillandas conscientias, scrupulosque sedandos benignè approbamus, & quatenùs opus sit denuò concedimus, & indulgemus.

Declarat prout in rub[ro].

§. 3. Non obstantibus in contrarium deductis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon d. Ordinis, ejusque Monasteriorum, & aliis quibusvis etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrari[is] derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Novemb. 1657. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Dat. P. An[no] 3. die 10. Nov[emb.]

XLIV.

Ad Archiepiscopos, & Episcopos Poloniæ, & Lituaniæ ut congregent Synodos pro reparatione Divini cultus.

Synodus semel liberè acta, nusquam retractatur, & ab ea deviantes damnati censentur, Gelasius I. Constit. 1. §. 17. tom. 1.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edita A.D. 1657.

Exordium.

GRavibus, & luctuosis temporibus clarissimarum gentium vestrarum, quæ Catholicæ Religionis studio, & generoso pectorum objectu Reipublicæ Christianæ adversus immanes infensissimorum hostium vires jamdiù præsidio, ac propugnaculo sunt, ex animo prorsùs indoluimus; & quà precibus ad Deum, quà paternis curis omnibus auxilium, & opem ferre, quantum fieri potuit, profectò curavimus.

§. 1. Nunc sævum illum turbinem, licet perculsis, & labefactatis, stantibus tamen rebus concedisse plurimùm sanè gravisi sumus; tamque insignis beneficii auctori misericordiarum Patri Deo laudes, & grates etiàm publicè egimus. Sed ingenti gaudio, quo mens Nostra completur, magnus lætitiæ cumulus accedit ex concordi zelo, & constanti virtute Fraternitatum Vestrarum, quæ, uti Nobis Venerab. Frater Episcopus Laudensis Nuntius Apostolicus non semel retulit, in tantis procellarum fluctibus vel sustinendis, vel etiàm sedandis, insigniter enituit.

§. 2. Quare agite, Venerab. Fratres, pergite laboranti adhuc Patriæ tàm necessario tempore subvenire; etenim quò tantæ clades majorem calamitatem rebus omnibus intulerunt, eò magis vobis enitendum est, ut Catholicæ Religionis rationes, Ecclesiarum jura, & morum disciplinam pro virili sustenteris, ac restituatis; quod equidem, benedicente Domino, & piissimo Rege, cui sanè instamus, favente, futurum credimus, si in eam rem toto ex corde, & omnibus Pastoralis sollicitudinis officiis seriò incubueritis.

§. 3. Cum autem Episcopi munus omne duobus illis Visitationum, & Synodorum capitibus vel præcipuè contineatur, ad hæc potissimum studiosè, & accuratè peragenda Fraternitates Vestras summoperè hortamur. Quam amantibus,

quam etiam minacibus cum præceptis, tum exemplis ipse Christus ad explendas veri Pastoris partes Nobis nedum stimulos admoverit, verum etiam præiverit, quæ Apostoli, ac deinceps eorum Successores Viri Sanctissimi profuso quoque cum vita sanguine præstiterint, quæ tàm privatis scriptis, quàm Conciliis per tot ætates usque ad sacrosanctam Synodum Tridentinam publicè celebratis docuerint, ac præceperint vos certè non latet, Venerabiles Fratres; quos ideò imitatores Christi, & æmulatores Sanctorum formam fieri gregis ex animo, obsecrantes cupimus, & quoniam cupimus, etiàm, ut speramus, currentibus calcar addimus. Porrò Nobis ab ipso Nostri Pontificatus initio nihil antiquiùs fuit, quam Vrbem nostram in primis, & locum sanctum, quem elegit Dominus, ab omni prorsùs labe, ac vitiorum sordibus, quantum in Nobis esse posset, purum, & repurgatum custodire, quò promptius, ac feliciùs ab universis Christi fidelibus hinc salutis nedum præcepta, sed exempla quoque peti possent. Idque primò præterea instituta, & usque prosequuta per Nos ipsos (licet circumstent, & aliò sæpè avocent difficilium temporum tot graves curæ) Ecclesiarum, locorumque piorum diligenti visitatione urgere non desistimus, verentes nimirum ne fortè increpationes adeò pavendas illas Domini per Ezechielem ad Pastores Israel non requirentes, nec pascentes gregem in Nos converti mereamur; aut etiam ex ore Hieremiæ illud: *Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos, ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.*

§. 4. Quam sanè visitationem suam cum à vobis nunc Deus clementer averterit, ut ea procul in posterum longè sit, etiam atque etiam providete; curate ut greges vestros (quod in tanta rerum perturbatione necesse fuit) dispersos, & debilitatos per quam diligenter visitetis; quod in eis infirmum est consolidetis, ægrotum sanetis, confractum alligetis, abjectum reducatis, quod perierat requiratis; ut qui, vel hodiè vobis multus est ad ignoscendum Deus quantum vos Charitatis, & sollicitudinis erga sanguine suo redemptas oves impenderitis, tantum salutis, & prosperitatis vobis, Ecclesiis, ac toti Reipublicæ vestræ (quos in sinu cordis plane gerimus) reducere, & cumulare velit.

§. 5. Cæterum quo cunctis Religionis, divini cultus, ac disciplinæ Ecclesiasticæ rationibus in Provinciis istis meliùs, ac faciliùs pro re, ac tempore consuli possit, eundem Nuncium Nostrum non solum monitis, & mandatis, sed etiam peculiaribus facultatibus speciali Diplomate communicatis instruximus. Eum proindè audire omnino debebunt Fraternitates Vestræ; quibus Apostolicam benedictionem paternè largimur.

D. A.P. 3. die 10. Nov. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Novembris 1657. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XLV.

Constitutio qua innovantur ordinata jussu fel. record. Urbani VIII. & Innocentii X. pro subventione pauperum ægrotorum Urbis.

Edita An. D. 1657.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. UT in hac Alma Urbe Nostra pauperibus ægrotis opportuna charitatis auxilia sedulò exhibeantur, operæ pretium facturi Nobis videmur si illa, quæ dudum fel. rec. Urbani VIII. & Innocentii X. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum jussu ea super re providè statuta fuerunt, innovemus, & quò serventur in posterum exactius, graviorum pœnarum adjectione muniamus.

Comminatio pœnarum. §. 1. Itaque de Congregationis Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ à Nobis institutæ deputatorum consilio, omnibus, & singulis Præceptoribus, Gubernatoribus, Guardianis, Officialibus, Rectoribus, & Administratoribus quibuscumque infra expressorum dictæ Urbis Hospitalium sub vigintiquinque scutorum auri à contraventorum singulis de propriis eorum bonis exigenda, nec non privationis officiorum, & incapacitatis ad alia similia obtinenda eo ipso incurrendis, aliisque Nostri, & pro tempore existentis Romani Pont. arbitrii pœnis harum serie auctoritate Apostolica districtè præcipimus ut infrà scriptas ordinationes diligenter observent.

Statuta pro subventione pauperum. §. 2. Videlicet: In quolibet eorumdem Hospitalium seorsim constituatur locus, seu mansio certo lectorum numero instructa, in quibus recipiantur qui scabie ultra alias infirmitates in ipso Hospitali curari solitas laboraverint. Parochi, quando ægrotum in viis, & plateis publicis, stabulis, aliisve locis intra terminos parochiarum suarum repererint, lectum gestatorium ex loco in quo dilecti filii Eleemosynarii Nostri jussu collocatus fuerit, adferri, ægrotumque, si ex natione fuerit, quæ Hospitale in eadem Urbe habeat, ad Hospitale nationis hujusmodi, sin minus ad Hospitale commune quod magis ægroto placuerit, dummodo tamen morbus ex illis sit, qui in eodem Hospitali communi curantur, deferri curent. Pro mercedis bajulorum qui ægrotum ad Hospitale, ut præmittitur, detulerint, solutione, Eleemosynarius Noster prædictus adhibetur, cui mercedem promptè solvendi mandatum dedimus. Licebit cuilibet, qui ægrotos in viis, & plateis publicis, aliisque locis viderit, ejus rei certiorem facere Parochum, ut ille lectum gestatorium adferri, ipsosque ægrotos ad Hospitale deferri curet: Nobis autem pergratum erit ejusmodi obsequium. Ægroti ex Hospitalibus non dimittantur priusquam bene sanati, ac extra periculum recidivæ in morbos prolapsionis constituti sint. Porrò Hospitalia certas artes mechanicas exercentibus destinata sunt infrascripta, videlicet: Hospitale Sancti Rochi pro aurigis eorumque famulis, rem pecuariam, vaccarum rubrarum exercentibus, sutoribus veteramentariis, lignorum ad mensuram aptatoribus, exoneratoribus, vinitoribus, nautis, aquæ bajulis, & fidicinibus.

§. 3. Hospitale S. Mariæ de Horto nuncupatum pro aviariis, molitoribus, rei pecuariæ vaccarum albarum præpositis, navicularis Regni Neapolitani, olitoribus eorumque famulis, colonis partiariis vinearum, sutoribus veteramentariis, salsamentariis, & vermicellariis.

Nec non Hospitale S. Mariæ de Laureto pro pistoribus eorumque famulis, crustulariis, seu, ut vulgò dicuntur, ciambellariis, & frumenti mensoribus.

§. 4. Hospitalia verò seu Archihospitalia Sancti Spiritus in Saxia, S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, S. Mariæ Consolationis, S. Joannis Calabitæ in Insula Tyberina, S. Jacobi incurabilium, & S. Lazari omnibus nationibus communia sunt.

§. 5. In Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia tot sint lecti tam pro nobilibus, quam pro non nobilibus quot capiunt illius infirmariæ; inibi autem recipiantur febribus, aliique dejectione, vel dysenteria laborantes, nec non vulnerati ex omni natione, quamvis etiam scabiosi sint, dummodò tamen non habeant Hospitale eorum nationis, nisi in hoc casu numerus præfixus ægrotorum in Hospitali

tali nationis hujusmodi curandorum reperiretur impletus.

§. 6. In Archihospitali S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum trecenti sunt lecti omnibus, tàm qui virorum, quàm fœminarum curationi deserviunt, computatis, in quibus ægroti recipientur eo modo, qui pro Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia supra præscriptum est.

§. 7. In Hospitali S. Mariæ Consolationis octuaginta sint lecti, tam virorum, quàm fœminarum curationi servientes, in quibus ægroti pari modo recipiantur.

§. 8. In Hospitali S. Joannis Colabitæ sexaginta lecti reperiuntur; sed quia idem Hospitale redditus non habet, Dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Beati Joannis Dei illius curam gerentium prudentiæ & charitati numerus ægrotorum in illo recipiendorum relinquitur.

§. 9. In Hospitali S. Jacobi incurabilium centum & viginti lecti sint, tàm virorum quàm fœminarum usibus servientes, in quibus recipiantur ulcerosi ex omni natione, tametsi etiàm scabiosi sint: illic autem suis temporibus dabitur decoctio ligni sancti vulgò nuncupati pro dolorum, catharrorum, aliarumque similium infirmitatum curatione. Postremò in Hospitali S. Lazari Leprosi omnis nationis recipiantur.

Decretum irritans.

§. 10. Decernentes præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet etiam speciali nota & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati, & auditi non fuerint, aut ex aliâ quâcumque quantumvis legitimâ & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aliovè quolibet defectu notari, vel impugnari, aut in controversiam quoquo modo revocari nunquam posse, sed illas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat & pro tempore spectabit sub pœnis supradictis perpetuò inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosque quâvis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, Archihospitalium, & Hospitalium hujusmodi, & aliis quibusvis etiàm juramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâvis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiàm immemorabilibus, privilegiis, quoque indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma adhoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore per mansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis credi jubet.

§. 12. Volumus autem ut præsentes Literæ per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad valvas Ecclesiæ S. Ioannis in Laterano, ac Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe publicentur, ac earum exempla ibidem affigantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent; quodque præsentium earumdem transsumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. die 26. No

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Novembris 1657. Pont. Nostri anno tertio.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Indictione 10. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini N. D. Alexandri Divina Provid. Papæ VII. Anno ejus tertio die verò 22. Novembris prædicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Later. ac Basilicæ Principis Apostolorum & in acie Campi Floræ, per me Jacobum Cornelium Apost. Cursorem.

Petrus Paulus Desiderius Mag. Curs.

XLVI.

Mandat observari Decreta edita à Sacra Congregatione de Propaganda Fide ab Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm Regularibus pro bono regimine spirituali Animarum Christifidelium Goæ.

Qua via proficisci debeant Religiosi ad partes Indiarum, & Insularum, definivit Clemens VIII. Constit. 74. to. 3. & Paulus V. Constit. 90. tom. 3. Officio Parochi ut fungi possint Religiosi concessit Pius V. Constit. 34. tom. 2. pag. 235.

Edità A. D. 1658.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officii, quo divina disponente clementia Catholicæ Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidemus, sollicitudo Nos monet, ut noxia quæcunque à Dominico Grege quantum nobis ex alto conceditur, removere studeamus.

§. 1. Cum itaque ad aures nostras devenerint querimoniæ Christifidelium Goæ, atque in adjacentibus Insulis degentium de nonnullis abusibus Ecclesiasticorum, eorum præcipuè penes quos ipsorum Christifidelium spirituale regimen, ac cura residet: Nos prædictis abusibus, quatenus irrepserint, quantocitius occurri, aut saltem præcaveri, nè illi in posterum contingant, volentes, de nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ex Congregatione negotio Propagandæ fidei præposita, quibus querimonias hujusmodi discutiendas remisimus, consilio, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, præcipimus, & mandamus sedulò inviolabiliter, & exactè servari ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & in posterum spectabit, Decreta infrascripta videlicet.

Decreta observanda.

§. 2. Primò. Caveant Parochi, aut Ecclesiastici quicunque sive seculares, sive regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas, seù laborem impendendum pro suis Ecclesiis non persoluta justa mercede, nisi id spontè, & ex pietate præstare voluerint, multòque minus audeant eos mulctare, qui renuerint.

Secundò. Cum iis qui sacro, aut catechesi doctrinæ Christianæ non interfuerint (si mos sit, eos, ut supponitur, aliqua pœna multare) ea moderatione se gerant, ut nonnisi verè contumacibus, & contemnentibus, eaque modica, nec crebró irrogetur.

Tertiò. Instruant Populum omni qua decet lenitate, abstinentes omninò à ferula, & à verbis indecentibus, maximè si cum mulieribus, viris nobilibus, seu ætate provectis, agatur.

Quartò. Ad Seminarium (nisi ejus institutio, seù fundatio obstet) locus etiam iis, qui ex nobili sunt genere, & congrua (ni pauperes sint) persolverint alimenta, concedatur, ne à rectæ educationis beneficio prorsus excludantur, habita tamen prudenti distinctione à reliquis, ut quieti consulatur.

Quintò. Ad scientias addiscendas, & scholas quilibet admittatur, nullo habito nobilitatis, seù generis discrimine, nisi ex aliqua propria culpa quis indignus censeatur.

Sextò. Neophytos Deo sub religionis jugo servire volentes sine rationabili causa Regulares non respuant, sed pari charitate omnes, qui spiritu Dei aguntur, & ad perfectionem anhelant, amplectantur.

Septimò. Presbyteri seculares doctrina, & moribus idonei à beneficiis curatis, & à quolibet alio Ecclesiastico munere sive prædicationis, sive administrandi Sacramenta Pœnitentiæ minimè arceantur, attenta præsertim indigentia tot animarum millium, quibus longè impares sunt pauci Regulares illuc ex Europa adventantes.

Octavò. Caveant itidem Parochi seculares, & regulares ullo modo sese ingerere in rebus spectantibus ad Politiam secularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior cæteris videatur, nec unquam intersint comitiis, aut conventibus ubi de rebus publicis agitur.

Nonò. Ut majori cum gaudio verbum Dei suscipiatur, altiusque radices agat, & fructum afferat, concionentur omninò Regulares pluries in anno idiomate vernaculo, & patrio populorum, utque id ipsum faciliùs, & frequentiùs præstetur curet omninò Vicarius Capitularis, aut Superior qui fuerit, ut etiam Clerus secularis ejus Regionis in verbi Dei prædicatione exerceatur.

Decimò. Deputet & Vicarius plures ex sacerdotibus secularibus indigenis, quos idoneos repererit ad confessiones excipiendas, quò faciliùs, & libentiùs fideles Sacramentum Pœnitentiæ valeant frequentare, nec cogantur solis Regularibus, aut exteris sese subjicere.

Undecimò. Ut autem radicitùs evellatur abusus, qui in præfatis Regionibus, ut præfertur, irrepsit, excipiendi confessiones per interpretem, aut lecto pœnitenti catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, si quæ fuerint ab eo commissa, districtè præcipitur Vicariis Capitularibus (graviter etiam onerando conscientiam ipsorum Regularium, & quorumcunque ad quos pertinent) ut in posterum id nullo modo permittant, sed ab iis tantùm audiantur confessiones, qui illius idiomatis sensum sufficienter percipiunt, & ad ipsorum numerum pro rei exigentia augendum promoveantur omninò Sacerdotes seculares ejus Regionis ad confessiones fidelium patrio idiomate excipiendas.

Duodecimò. Cùmque audiatur maximum Catholicorum numerum contra præceptum Domini, qui voluit debiles, & claudos admitti, sub prætextu ignobilitatis, & rudioris ingenii rejici à sacra Synaxi, id eadem Sacra Congregatio omninò vetat, ac prohibet, nisi prorsus ejus mysterii sint incapaces.

Decimotertiò. Ægrotis morti proximis cujuscumque sint conditionis, quamvis in sordido, ac vili degant loco, aut tugurio, Sacrum Eucharistiæ viaticum deferatur, cùm apud Deum nulla sit acceptio personarum, ac pro nostra salute nec stabulum, nec Crucis ignominiam exhorruerit.

Decimoquartò. Ne ob instructionis defectum qui Sacro Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis, ac gentilitiis institutis ex ignorantia fœdent, ac idololatriam cum orthodoxa fide confundant, ut sæpè inibi evenire enunciatum est; caveant ii qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad baptisma admittatur, qui veterem hominem, ac gentilitios mores prorsus exutus, Christum plenè non induerit, & in fide sit sufficienter instructus.

Decimoquintò. Quoniam verò (ut veritas ipsa docet) nemo potest venire ad Christum, nisi Pater cœlestis eum traxerit, monentur Ecclesiastici tùm seculares, tùm regulares, cæterique qui ethnicorum conversionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, sed verbi Dei prædicatione, & bonorum operum exemplo ad Baptismum inducant, perscrutantes præcipuè diligenter quo fine, & spiritu ducantur, qui baptizari postulant.

Decimosextò. Nihil prorsus, ne quidem sub prætextu pietatis Parochi tàm seculares, quàm regulares à suis Parochianis quæstuent, & si quid pro festorum celebratione spontè ab iis tribuatur, integrè in eam causam insumant, & quidquid superest, pauperibus ejusdem Parochiæ dispensetur; itaut quamvis minima aviditatis suspicio a viris Ecclesiasticis absit.

Decimoseptimò. Pro temporali regimine Confraternitatum existentium in Ecclesiis Regularium deputentur in posterum Officiales seculares, qui redituum administrationi incumbant, nullatenus Regularibus ea in re sese ingerentibus.

Decimooctavò. Cum Goæ, & in adjacentibus Insulis vetitum sit ethnicis ritus gentilitios publicè exercere, districtè prohibetur Ecclesiasticis, ne eisdem permittant, & maximé (quod nefas est) turpis lucri gratia: cadavera ethnicorum inde asportari, ut juxta profanum eorundem ritum comburantur.

Decimonono. Cadavera pauperum fidelium gratis omninò posthac à Parochis sepulturæ tradantur, nec ad extorquendam, aut emendicandam à vicinis, vel affinibus eleemosynam publicè exponantur.

Vigesimò. Districtè prohibetur, ne ethnicis ullo pacto permittatur in Ecclesiis sacrificare, serió Vicariis Capitularibus injungendo, ut in contravenientes, & maximè ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in posterum ne Ecclesiis præficiantur Neophyti parùm instructi.

Vigesimoprimò. Similiter Regularium Superiores sedulò curent ut Parochi extra Conventus in prædictis Regionibus commorantes regularis observantiæ specimen cunctis ubique præbeant, eosque idcircò ad claustra, & regularem disciplinam aliquando revocent, ne regulari Instituto paulatim exolescente, dum aliis incumbunt, se ipsos amittant, ac demùm in destructionem potiùs, quàm ædificationem Populorum missi videantur.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes ita in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque; & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quatenusopus sit, Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transsumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.An.3. die 18.Jan. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Jan. 1658. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XLVII.

Quod Fratres Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceat. nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum possint dividere suam Congregationem in tres Provincias, & augere duos Definitores Generales, dummodò unaquæque Provincia habeat octo Conventus.

De hac Congregatione vide ad Constit. 175. Injuncti *Nobis Urb. VIII. & ad Constit.* 210. *ejusdem.*

Edita A.D. 1658.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus à Sancto Joanne Baptista Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod alias pro ejus parte Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis, exposito, quod dicta Congregatio duas tantùm Provincias haberet, illarumque Domus regulares per Castellæ, Beticæ, Aragoniæ, Navarræ, Cathaloniæ, & Valentiæ Regna, seu Principatus dispersæ, & à se invicem valdè distantes reperirentur, nec à duobus Provincialibus nisi difficulter visitari possent, quodque in eadem Congregatione quatuor dumtaxat Definitores essent, pro expulsione autem incorrigibilium sex Definitores juxtà Constitutiones fel. record. Urbani Papæ Octavi Prædecessoris Nostri requirerentur, & propterea nomine Congregationis prædictæ eisdem Cardinalibus supplicato, ut ipsi Congregationi in ejus Capitulo generali prædictas domos regulares in tres Provincias, dummodò tamen unicuique trium Provinciarum hujusmodi octo domus regulares, seu Conventus assignarentur, dividendi, ita quod novus Provincialis pro tertia Provincia eligi deberet, nec non alios duos Definitores, qui easdem auctoritatem, & præeminentiam voti, & loci cum aliis quatuor Definitoribus prædictis haberent, pro graviorum dictæ Congregationis negotiorum expeditione eligendi facultatem concederent: emanavit à Congregatione dictorum Cardinalium decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Sac. Congr. §. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis narratis, ac instante Procuratore Generali Congregationis præfatæ, committendum censuit prout præsenti decreto committit Eminentissimo Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectori, ut si & quatenus prædictarum duarum Provinciarum supputationem, seu subdivisionem, ita ut ex eis tertia Provincia consurgat, ac in illa Provincialis, cæterorumque Officialium ad instar aliarum dictarum Provinciarum, & sub eisdem legibus electionem fieri, pro meliori ipsarum Provinciarum regimine in Domino judicaverint expedire, præmissa pro suo arbitrio, & prudentia indulgere valeat, modo tamen neutra ipsarum Provinciarum, pauciores quam octo Conventus habeat, in quibus regularis observantia vigeat, ac præterea, ut in Capitulo Generali alios duos Definitores cum omnibus auctoritatibus, præeminentiis, & prærogativis, quibus quatuor nunc existentes fruuntur, & gaudent, adeo ut inter omnes sex numero esse debeant in futurum, eligere, & superaddere possint, facultatem impertiri, in contrarium non obstantibus quibuscumque. Romæ 14. Decembris 1657. M. Card. Ginnettus.

Decretum Protectoris. §. 2. Cujus decreti vigore subinde Venerabilis Frater Noster Martius Episcopus Albanensis ejusdem S.R.E. Cardinalis Ginnettus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector Decretum edidit tenoris sequentis, videlicet, Martius miseratione divina Episcopus Albanensis S.R.E. Cardinalis Ginettus Sanctissimi D.N.Papæ Vicarius Generalis, totiusque Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Generalis Protector, Attentis expositis, petitam licentiam, & facultatem ex præfatis duabus Provinciam tertiam erigendi, ac Provincialem, aliosque Officiales sub ejusdem Ordinis, & cæterarum Provinciarum legibus eligendi, dummodò nulli ex ipsis minus quam octo Conventus, in quibus regularis vigeat observantia assignentur; ac demum in Capitulo Generali duos alios Definitores superaddendi, & eligendi, ac in omnibus ad formam retroscripti Decreti Sac. Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, & non aliàs concedimus, & impartimur. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die 10. Januarii 1658. Card. Ginnettus Protector.

Confirmat prout in rubr. §. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Ludovicus Procurator Generalis dictum Decretum ejusdem Martii Cardinalis Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos ipsum Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum memorati Martii Cardinalis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus ac omnes, & singulos juris, & facti defectus. Si qui desuper quomodòlibet intervenerint supplemus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium; Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suf-

fragari,

fragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit primo dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Domorum regularium, seu Conventuum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P. An.3. die 30. Jan. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Jan. 1658. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XLVIII. Breve, quo Vicarius Generalis Portugalliæ Minorum de Observantia declaratur, quod sit solummodo Commissarius Generalis ad instar aliorum Commissariorum Nationum.

Commissarii Generales Nationales quotannis rationem reddere debent Ministro Generali de Capitulis in suis Provinciis celebratis; & de rebus præcipuis intra, & extra Capitula determinatis. Sic cautum fuit in Capitulo Generali Tolet. 1658. pro utraque Familia num 17.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus const. Aliàs per nos accepto, quod Provinciæ tàm de familia Observantium, quàm Reformatorum nuncupatorum Ordinis Minorum S. Francisci Regni Portugalliæ, & suarum conquistarum præsentia Superioris, qui illas regeret, maximè indigebant, attentis difficilibus dispendiosisque recursibus, qui non fine temporis diuturnitate, incommodo, & labore, ab illis partibus ad hanc S. Sedem Apostolicam haberi possunt, præsertim bellorum, & aliorum tunc expressorum de causis.

§. 1. Subinde Nos dilectum filium Ioannem Pereira Provinciæ Algarbiorum d. Ordinis professum in Vicarium Generalem earundem Provinciarum dicti Regni, suarumque conquistarum Fratrum Minorum hujusmodi cum facultatibus ad id necessariis ad triennium inde proximum, & interim ad Nostrum beneplacitum Apostolica auctoritate constituimus, & deputavimus, prout in Nostris in simili forma Brevis tunc desuper emanatis Literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Michael Angelus della Sambuca totius dicti Ordinis Minister Generalis Nobis nuper exponi fecit, in eisdem Provinciis dicti Regni Portugalliæ Fratrum prædictorum nunquam extiterit officium Vicarii Generalis hujusmodi, nec etiam ab illis fuerit requisitum, exindeque schismata, perturbationes, & alia incommoda in eodem Ordine possent exoriri. Nobis propterea idem Michael Angelus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè ut infra providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur eundem Michaelem Angelum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, mentis, intentionis, & voluntatis Nostræ fuisse, & esse, ut prædictus Joannes non Vicarius Generalis, sed solummodo Commissarius Generalis Provinciarum prædictarum sit, nominarique, haberi, & esse debeat ad instar aliorum quorundam ejusdem Ordinis Provinciarum Commissariorum Generalium, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus; ipsique Michaeli Angelo Ministro Generali facultatem interim expediendi negocia Fratrum Provinciarum Regni prædicti præsentium in Curia, & aliorum absentium ad eundem Michaelem Angelum pro expeditione recurrentium, auctoritate, & tenore præsentis concedimus, & impartimur. Declaratio prout in ruo.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes prædictas Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus primodictis Nostris literis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P. An.4. die 4. Apr. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Aprilis 1659. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

XLIX. Constitutio contra Religiosos Congregationis Montis Virginis dignitates, Prælaturas, & officia dictæ Congregationis à quibuscumque personis tam Secularibus, quam Ecclesiasticis etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus procurantes.

Consimilem prohibitionem habent ferè omnes Religiones, ut videre poteris in Repertorio verb. ambitus.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti Apostolatus officio, quod autore Deo gerimus, admonemur, ut paternam Christifidelium, qui seculi vanitati renunciantes, & humilitatis spiritui adhærentes, Altissimi obsequiis sese sub suavi Monasticæ vitæ jugo devoverunt, curam gerentes, ambitiosum earum personis ad dignitates, & officia accessum intercludere studeamus.

Confirmat prout in Rub. §. 1. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Monachis Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti cujuscumque qualitatis status, gradus, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis nunc, & pro tempore quandocumque existentibus, ne de

cætero pro prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis quibusvis ejusdem Congregationis consequendis, ad Principum, seù Prælatorum, & aliarum personarum quarumlibet de Gremio dictæ Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, vel quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, aut Ducali fulgentium favores, vel suffragia recurrere, illosque, seu illa sibi procurare; aut etiam spontè oblatis, à se minimè procuratis uti directè, vel indirectè, seù alias quoquo modo audeant, vel præsumant sub perpetuæ privationis vocis activæ, & passivæ, absque ulla spe reintegrationis, nec non excommunicationis majoris, à qua nemo à quocumque præterquam à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit, pœnis eo ipso absque ulla alia declaratione incurrendis tenore præsentium prohibemus, & interdicimus.

Prohibet Superioribus.

§. 2. Mandantes propterea, & districtè præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub similis excommunicationis pœna dilectis filiis Abbati Generali, cæterisque Superioribus Congregationis prædictæ modernis, & pro tempore existentibus, ne ad instantiam, & requisitionem prædictarum personarum de Gremio Congregationis hujusmodi non existentium cuicumque ipsius Congregationis Monacho ullam prælaturam ullumve officium, gradum, honorem, dignitatem, functionem, vel administrationem ejusdem Congregationis quovis modo concedant.

Decretum irritans.

§. 3. Ac decernentes ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenus opus sit prædictorum Ordinis, & Congregationis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio Litterarum.

§. 5. Ut autem præmissorum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos facilius deveniat, volumus ipsas præsentes Litteras in singulis Capitulis generalibus ejusdem Congregationis publicè legi, & sic lectas omnes, & singulos ad quos spectat, & spectabit perindè afficere, & arctare, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, utque earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, manu Scribæ Capituli generalis Congregationis hujusmodi, vel alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Abbatis Generalis ipsius Congregationis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P: An. 4. die 27. Jun.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Junii 1659. Pontificatus Nostri anno quarto.

L.

Quod in Provinciis Cismontanis Fratrum de Observantia, ac Reformatorum Sancti Francisci non eligantur amplius Vocales, seù Discreti à familia Conventuum mittendi ad Capitula Provincialia.

De hac materia vide, quæ notavi ad Const. 53. Urb. VIII. Sacrosancti, circa abrogationem concessionum contrariantium statutis Ordinis, & ejus Regulæ.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus Nobis divinitus commissi ratio postulat, ut ad ea, per quæ controversiæ inter religiosos viros, qui contemptis seculi illecebris vota sua sub arctioris vitæ regula Altissimo reddere jugiter satagunt, exortæ perpetuò sopiantur, peculiari paternæ charitatis Nostræ studio intendamus.

Confirmat proutin Rub.

§. 1. Itaque de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, visis per eosdem Cardinales supplicibus libellis porrectis nomine plurimorum Fratrum Minorum tum de Observantia, tum Reformatorum nuncupatorum Cismontanæ Familiæ Ordinis Sancti Francisci instantium pro restitutione assertæ consuetudinis eligendi Vocales, seù Discretos à Conventibus mittendos ad Capitula Provincialia, auditisque sæpius in particulari dictorum Cardinalium Congregatione dilectis filiis Fratribus Commissariis Generali, & Curiæ, nec non Procuratore Generali Reformatorum Ordinis prædicti, partibusque hinc inde tam verbo quam scripto informantibus, cum omnibus pro utraque earum deductis, ac postmodum toto negotio in plena prædictorum Cardinalium Congregatione dilecto filio Nostro Joanne Baptista tito S. Petri ad Vincula, ejusdem S. R. E. Presbytero Cardinale Pallotto nuncupato referente) diligenter, & maturè discusso: in Provinciis Cismontanis tam Observantiæ, quam Reformatorum dicti Ordinis non esse locum præfatæ Discretorum electioni, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, ac proindè perpetuum desuper silentium imponimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes pariter easdem præsentes Litteras validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Decreto fel. record. Innocentii Papæ X. Prædecessoris Nostri, & aliis

Con-

Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 4. die 27. Julii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Julii 1658. Pontificatus Nostri Anno quarto.

LI. Confirmatio Privilegiorum, Exemptionum, Libertatum, Immunitatum, Gratiarum, Indulgentiarum &c. Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini. Nec non Communicationis Privilegiorum quomodolibet concessorum, cum Patribus Ordinis Carthusiensis.

Edita A. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN supremo militantis Ecclesiæ Solio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti, Privilegia, Gratias, & indulta Religiosorum Virorum, qui spretis seculi illecebris in humilitatis spiritu, & vitæ regularis observantia, vota sua Altissimo reddere jugiter satagunt Ordinibus piè providèque concessa libenter cum à Nobis petitur Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communimus, & alias desuper providemus, prout matura consideratione prævia conspicimus in Domino rationi esse consentaneum.

§. 1. Nuper siquidem pro parte Dilectorum filiorum Prioris Generalis, & Fratrum Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini nobis expositum fuit, quod dudum ad ejusdem Ordinis favorem emanarunt à felicis recordationis Urbano Papa VIII. Prædecessore Nostro Literæ sub plumbo expeditæ, quibus aliorum nonnullorum Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter Nostrorum Litteræ reperiuntur insertæ, tenoris qui sequitur videlicet.

Urb. VIII. §. 2. Urbanus Episcopus servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ad Apostolicæ dignitatis apicem meritis licet imparibus divina dispositione vocati, gratos Domino, & Christianæ Reipublicæ utiles fructus, qui ex Religiosis Sancti Pauli Primi Eremitæ sub regula Sancti Augustini tam ex pia, & Religiosa eorum vivendi norma, quam ex solicitis ipsorum Religiosorum studiis ac continuis laboribus pro divini nominis gloria, ac crebris Verbi Dei prædicationibus, nec non Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationibus provenire noscuntur intra cordis Nostri arcana revolventes, ea quæ pro ejusdem Ordinis conservatione, & felici gubernio, providè statuta fuisse dicuntur, nec non quæcumque privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, & indulta præfato Ordini à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quomodolibet concessa perpetuò firma, & illibata persistant, libenter tum à Nobis petitur Apostolici muniminis adjicimus firmitatem, & desuper Apostolici favoris auxilium impartimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 3. Dudum siquidem per felicis recordationis Joannem Papam XXII. Prædecessorem Nostrum accepto quod Fratres Sancti Pauli Primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini in Hungaria, & aliis partibus constituti, per austeritatem piæ vitæ, bonorumque operum actiones, adeò sese reddebant in conspectu Dei, & hominum gratiosos, quod eorum exemplo plurimi ad pietatis opera inducerentur, ipsique Fratres secundum Beati Augustini regulam desiderabant virtutum Domino perpetuum impendere famulatum, dictus Joannes Prædecessor, hujusmodi pium, laudabile, & meritorium propositum, & obsequium eorumdem Fratrum dignè in Domino commendans, & gloriosæ memoriæ Caroli Hungariæ Regis, & dictorum Fratrum supplicationibus annuens, eisdem Fratribus Regulam antedictam per eos, & eorum successores, in locis suis, quæ habeant, & præstante Domino imposterum habituri erant perpetuis futuris temporibus observandam autoritate Apostolica concessit.

§. 4. Insuperque Fratribus eorumque successoribus prædictis, quod in Capitulo ipsorum quoties expediret celebrando, aliquem de eis idoneum in eorum Priorem Generalem eligere, & electum recipere, idemque Prior sic electus, receptus, & habitus in dictos Fratres, & Successores, Visitationis, & correctionis debitæ officium exercere, ac ipsos ab excommunicationis sententia, si quam eos propter violentam manuum injectionem in se ipsos, vel propter statuta dictæ Regulæ violanda incurrere contingeret juxta formam Ecclesiæ consuetam absolvere valeret. Et denique quod ipsi Fratres, & successores eorum in terris, & vineis quas propriis suis manibus excolebant, & imposterum excolerent Decimas solvere, & ad Synodos Diœcesanorum eorum venire minimè tenerentur, neque ad id inviti compelli possint indulsit, prout in Litteris Apostolicis piæ memoriæ Clementis Papæ VII. Prædecessoris Nostri, pro eo, quod originales Literæ ipsius Joannis Prædecessoris amissæ erant desuper confectis, quarum tenor sequitur videlicet.

§. 5. Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Priori, & Fratribus Sancti Pauli Primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini in Hungaria, & aliis partibus constitutis: salutem, & Apostolicam benedictionem. Provisionis Nostræ debet provenire subsidio, ut jus suum cuilibet conservetur. Hinc est quod Nos tenorem quarumdam Literarum felicis recordationis Joannis Papæ XXII. Prædecessoris Nostri in Registro ipsius Prædecessoris repertarum, pro eo, quod sicut vestra petitio Nobis nuper exhibita continebat; originales Litteræ sunt amissæ, de Registro ipso de verbo, ad verbum transcribi, & ad vestræ supplicationis instantiàm præsentibus annotari fecimus, quæ talis est. Clemens PP.

§. 6. Joannes Episcopus Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Per sanctæ contemplationis studium, innocentis vitæ meritum, & exercitium laudabilium actionum in fidei fragantia, devotionis existentia, & abundantia charitatis Deus Omnipotens Caput Ecclesiæ Sanctæ suæ colitur, & in cultu sui beatissimi nominis, suaviter, & devotè Sanctorum memoria renovatur, rependiturque. Divina gratia his, qui supernæ majestatis excellentiæ variis, & devotis affectibus obsequuntur, pro quorum laboribus centuplum, & ipsis æternæ vitæ gaudium tribuit pro mercede. Sic igitur in Sponsa Christi Ecclesia militante fideles Domini virtutum aromatibus redolentes à Romano Pontifice Successore Beati Petri, & Jesu Christi Vicario in bonis foveantur operibus, ad illa favorabiliter promoventur gratiosis tractantur favoribus, & opportunæ tutelæ munimine roborantur, ut in pacis pulchritudine quiescentes liberis, & quietis mentibus pensum exsolvant Altissimo debitæ servitutis, sacrâmque Religionem suprema plantat Apostolicæ Sedis Autoritas, & plantatam nutrit dulcedine charitatis, pietatis lenimento prosequitur, & eo libentiùs, & benigniùs Joan. XXII.

januam ei pandit spiritualium gratiarum, quo fideliùs, & seduliùs per viam graditur Domini mandatorum, & per longanimitatis, humilitatis, & patientiæ meritum, virtutum tendit ad culmina, & sibi aliisque fidelibus thesaurum impetrat cœlestium præmiorum.

§. 7. Sane ad Nostrum Apostolatus auditum relatio fide digna perduxit, quod Dilecti Filii Fratres Sancti Pauli Primi Eremitæ in Hungaria, & aliis partibus constituti per austeritatem piæ vitæ, bonorumque operum actiones adeò se reddunt in conspectu Dei, & hominum gratiosos, quod eorum exemplo plurimi ad pietatis opera inducuntur, quodque ipsi secundum Beati Augustini Regulam desiderant virtutum Domino perpetuum impendere famulatum. Nos igitur hujusmodi pium, laudabile, ac meritorium propositum, & obsequium eorumdem Fratrum, Dei, & Sanctorum Suorum prosequentium laudem, & gloriam in Domino commendantes, & attendentes illa salubria, & efficacia fore ad perennis salutis brabeum impetrandum, & ut eo libentius dicti Fratres divinis beneplacitis se occupent, seque diligentius exerceant in operibus sanctitatis, quæ invenisse gaudebunt Nos, & dictam Sedem sibi gratiosos, propitios, & benignos. Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Regis Hungariæ Illustris, quem ad fratres ipsos specialis devotionis affectum habere percipimus, Apostolicam pro Fratribus prædictis in hac parte gratiam humiliter implorantis, & eorumdem Fratrum devotis supplicationibus annuentes, prælibatis Fratribus autoritate Apostolica, Regulam concedimus antedictam, per eos, & successores ipsorum, in locis suis quæ habent, & præstante Domino habebunt in posterum, perpetuis futuris temporibus observandam; memoratis insuper Fratribus, eorumdemque successoribus quod in Capitulo ipsorum quoties expedierit celebrando, aliquem de eis idoneum in eorum Priorem Generalem eligere, & electum recipere valeant, & habeant. Idemque Prior sic electus, receptus, & habitus in dictos Fratres, & successores visitationis, & correctionis debitæ officium valeat exercere, ac ipsos ab excommunicationis sententia, si quam eos propter violentam manuum injectionem in se ipsos, vel propter statuta dictæ Regulæ violanda incurrere contigerit, juxtà formam Ecclesiæ absolvere consuetam, denique præfati Fratres, & successores eorum, de terris, & vineis, quas propriis suis manibus excolunt, & ipsi successores præfati excolent imposterum decimas solvere, & venire ad Synodos Diœcesanorum eorum minimè teneantur, neque ad id compelli possint invitis eisdem Fratribus, & successoribus, & Priore de Sedis ejusdem clementia, & benignitate solita, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergò omninò hominum, liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Axenioni vigesimo sexto Calendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno tertio, Incarnationis verò Dominicæ Anno millesimo Trecentesimo Decimo Nono.

§. 8. Cæterum, ut earundem Litterarum tenor præfatus sic incertus, omnimodam rei, seù facti certitudinem habeat, Apostolica autoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat quem haberent originales Literæ supradictæ, & eadem prorsùs eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque sive in judicio, vel alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus, & eidem stetur firmiter in omnibus sicut eisdem originalibus Literis daretur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Per hoc autem nullum jus de novo vobis acquiri volumus, sed antiquum si quod habetur tantummodo conservari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ annotationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenioni quarto decimo Calendas Augusti Pontificatus Nostri anno primo, Incarnationis verò Dominicæ anno millesimo, trecentesimo, quadragesimo tertio.

§. 9. Et deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XI. etiam Prædecessor Noster precibus Prioris Generalis, & Fratrum tunc existentium hujusmodi tunc inclinatus eorum domus in quibus divino vacabant obsequio, sub B. Petri, & sua protectione suscepit, statuens, ut Ordo Canonicus secundum Deum, & Beati Augustini Regulam in domibus ipsis autoritate Apostolica institutus esse dignoscebatur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observari deberet.

§. 10. Præterea quascunque possessiones, & bona quæ præfatæ domus tunc justè, & Canonicè possidebant, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seù aliis justis modis poterant adipisci Fratribus præfatis, eorumque successoribus firma, & illibata permanerent, una cum Ecclesiis, Decimis, Hortis, Vineis, Olivetis, Pratis, Terris, Nemoribus, Wadis, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & in omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis, novalium aut quæ propriis manibus, aut sumptibus colebant de quibus aliquis hactenus Decimas non perceperat, sive de animalium suorum nutrimentis, nullus ab ipsis Fratribus Decimas exigere, vel extorquere auderet, seù præsumeret; liceret quoque iisdem Fratribus Clericos, vel Laicos liberos, & resolutos à seculo fugientes ad conversionem accipere, & eos absque contradictione aliqua retinere.

§. 11. Prohibuit insuper, ut nulli Fratrum præfatorum post factam in domibus hujusmodi professionem fas esset, nisi Prioris sui licentia arctioris Religionis obtenta, de iisdem domibus discedere: discedentem verò absque communi Litterarum Apostolicarum cautione nullus auderet retinere. Præterea inhibuit ne ullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel ad alios Conventus forenses ipsos Fratres venire, nec judicio seculari de propria substantia, vel possessionibus eorum subjacere compelleret, nec ad domos præfatas causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conventus publicè convocandi venire præsumeret, nec Regularem dicti Prioris Generalis electionem impediret, aut de instituendo, vel removendo, vel revocando eo, qui pro tempore foret contra Statuta Ordinis se aliquatenus intromitteret illud adjiciens, ut scilicet Priores ipsi Episcopo salvo Ordine suo, obedire deberent & contra statuta Ordinis præfati nullam obedientiam facere compellerentur.

§. 12. Pro consecrationibus verò Altarium,

vel

vel Ecclesiarum, Ordinationibus Clericorum, seù pro Oleo Sancto, vel quolibet Ecclesiæ Sacramento, nullus à dictis Fratribus sub prætextu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed illis hæc omnia gratis Episcopi Diœcesani impenderent, alioquin liceret eis quoscunque mallent Catholicos adire Antistites gratiam, & Communionem Sedis Apostolicæ habentes, qui Apostolica freti autoritate dictis Fratribus, quod postularunt impertirentur. Quod si Sedes Diœcesanorum Episcoporum forte vacarent, interim omnia Sacramenta Ecclesiastica à vicinis Episcopis accipere liberè absque contradictione possint, ita tamen, ut ex hoc imposterum propriis Episcopis nullum præjudicium generaretùr. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habebant, si quos Episcopos Romanæ Sedis gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam haberent per eos transire contingeret, ab eis benedictionem Vasorum, & vestium, & consecrationes Altarium authoritate Apostolicæ Sedis recipere valerent.

§. 12. Cùm autem generale interdictum terræ adesset, liceret eisdem Fratribus clausis ganuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis dummodo causam non dedissent interdicto, submissa voce divina officia celebrare. Chrisma verò, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium seù Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines forent promovendi à Diœcesanis susciperent Episcopi si Catholici forent, ac gratiam, & Communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis haberent, & ea vellent sine pravitate aliqua exhibere.

§. 13. Prohibuit similiter, ut infra fines suorum locorum, nullus sine consensu Diœcesanorum Episcoporum, & dictorum Fratrum, Capellam, seù Oratorium, de Novo construere auderet, salvis Privilegiis Romanorum Pontificum, ad hoc novas, & indebiras exactiones ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis, seù Decanis aliisque omnibus Ecclesiasticis, secularibusque personis; à dictis Fratribus, omnino fieri vetuit, sepulturam quoque in Ecclesiis ipsorum Fratrum liberam esse decrevit, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se in Ecclesiis eisdem sepeliri desideraffent, nisi forte excommunicati, vel interdicti, aut etiam publici usurarii essent nullus obsisteret, salvis tamen juribus illarum Ecclesiarum, à quibus corpora mortuorum assumerentur.

§. 14. Decimas præterea, & possessiones ad jus Ecclesiarum dictorum Fratrum spectantes, quæ à Laicis detinebantur, redimendi; & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinebant revocandi, libera esset eisdem Fratribus de Apostolica autoritate facultas: Obeunte verò Generali priore prædicto, vel suorum quomodolibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia, seù violentia proponeretur, nisi quem dicti Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars consilii sanioris, secundum Deum, & B. Augustini Regulam providerent eligendum. Paci quoque, & tranquillitati dictorum Fratrum paterna in posterum solicitudine providere studens, autoritate Apostolica prohibuit, ut inter clausuras locorum dictorum Fratrum nullus rapinam, seù furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temerè capere, vel interficere, seù violentiam exercere auderet. Præterea omnes libertates, immunitates à Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus locis dictorum Fratrum concessas, necnon libertates, & extensiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter eisdem Fratribus indultas confirmavit. Decernens, quod nulli omnino hominum liceret præfatas domos temere perturbare, earum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seù quibuslibet vexationibus fatigare: Sed ea omnia, integra conservarentur illis pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa erant usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesanorum Episcoporum Canonica justitia, & in supradictis Decimis moderatione Concilii Generalis, prout in Literis ipsius Gregorii Prædecessoris in hunc, qui sequitur modum.

§. 15. Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Priori Generali, & Fratribus Sancti Pauli Primi Eremitæ, in Hungaria, & aliis Mundi partibus constitutis, sub Regula S. Augustini, tàm præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit S. Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & domus vestras, in quibus divino vacatis obsequio sub Divi Petri, & Nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus.

§. 16. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & Divi Augustini Regulam in domibus ipsius autoritate Apostolica institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Prætereà quascumque possessiones, quæcumque bona prædictæ domus in præsentiarum, justè, & Canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium: seù aliis justis modis præstante Domino poterunt adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Loca ipsa in quibus prædictæ Domus sitæ sunt, cum omnibus pertinentiis suis, videlicèt, cum Ecclesiis, Decimis, Hortis, Vineis, Olivetis, Partis, Terris, Nemoribus, Vadis, Pascuis in bosco, & plano in aquis, & molendinis, in viis, & semitis in omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus, seù novalium vestrorum quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis de quibus aliquis hactenus Decimas non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat.

§. 17. Liceat quoque vobis Clericos, vel Laicos liberos, & ab solutos è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in domibus vestris professionem fas sit, nisi arctioris Religionis obtenta licentia, de iisdem domibus discedere, discedentem verò absque communi Literarum Nostrarum cautione nullus audeat retinere: insuper etiam autoritate Apostolica inhibemus, ne ullus Episcopus, vel quælibet alia persona ad Synodos, vel ad alios Conventus forenses vos ire, vel judicio seculari de propria substantia, vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domos vestras causa Ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos Conventus publicos convocandi venire præsumat, nec Regularem Prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo, vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat; illud adjicientes, ut scilicet Priores ipsi Episcopo salvo Ordine suo obe-

dire

dire debeant, & contra statuta Ordinis sui nullam obedientiam facere compellantur; pro consecrationis verò Altarium, vel Ecclesiarum, Ordinationibus Clericorum, pro Oleo Sancto, vel quolibet Ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub prætextu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis Episcopi Diœcesani impendant; alioquin liceat vobis quoscumque malueritis Catholicos adire Antistites, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentes, qui Nostra freti Autoritate, vobis, quod postulatis impendant. Quod si Sedes Diœcesanorum Episcoporum fortè vacaverint, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè absque contradictione possitis, sic tamen, ut ex hoc imposterum propriis Episcopis nullum præjudicium generetur.

§. 18. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quos Episcopos Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam, & communionem habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum, & vestium, & consecrationes Altarium autoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis.

§. 19. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare, Chrisma verò, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesanis Episcopis, siquidem Catholici fuerint, & gratiam, & communionem Sacro Sanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sine pravitate aliqua exhibere.

§. 20. Prohibemus insuper, ut infra fines locorum vestrorum nullus sine consensu Diœcesanorum Episcoporum vestrorum Capellas, seu Oratorium denovo construere audeat, salvis Privilegiis Pontificum Romanorum, ad hoc novas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, & Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliis omnibus Ecclesiasticis secularibusvè personis à vobis omninò fieri prohibemus: Sepulturam quoque in Ecclesiis vestris liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se in iisdem Ecclesiis sepeliri deliberarunt, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia aliarum Ecclesiarum, à quibus corpora mortuorum assumuntur.

§. 21. Decimas præterea, & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur redimendi, & legitimè liberandi, de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinet revocandi, libera sit vobis, de Nostra autoritate facultas.

§. 22. Obeunte verò Generale vestro Priore, vel suorum quomodòlibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quem Fratres communi consensu Fratrum, vel major pars Consilii sanioris, secundum Deum, & Beati Augustini Regulam, providerint eligendum. Paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere studentes, autoritate Apostolica prohibemus, ut intra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

§. 23. Præterea omnes libertates, immunitates à Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus locis vestris concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, autoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Privilegio communimus.

§. 24. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatas domos temerè perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ autoritate, Diœcesanorum Episcoporum Canonica justitia, & in supradictis Decimis, moderatione Concilii Generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc Nostræ Constitutionis paginam sciens contra temerè venire tentaverit, secùndò, tertiove, commonita; nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio excommunicationi existere de perpetrata iniquitate dignoscat, & à Sanctissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extrema exterminatione districtæ subjaceat ultioni.

§. 25. Cunctis autem eisdem domibus sua jura servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Avenioni, per manum Petri, Tituli Sanctæ Anastasiæ Presbyteri Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii, duodecima die mensis Septembris, indictione nona, Anno ab Incarnatione Domini, millesimo, trecentesimo, septuagesimo primo, Pontificatus verò d. Gregorii XI. Papæ anno primo. Item prædictus Sanctissimus Pater Gregorius XI. propria manu se subscripsit, signum suum apponendo: & omnes Domini Cardinales etiam propriis manibus se subscipserunt, ad majorem efficaciam, & certitudinem concessorum. Item Guido Portuensis, Tituli Sanctæ Rufinæ Episcopus. Item Raymundus Episcopus Prænestinus. Item Frater Guilielmus Episcopus Hostiensis, & Velletriensis. Item Aegidius Tusculanus. Item Joannes Tituli Sanctæ Mariæ Presbyter Cardinalis. Item Guilielmus Tituli S. Stephani in Cælio Monte Presbyter Cardinalis. Item Guilielmus Tituli S. Clementis, Presbyter Cardinalis. Item Stephanus Tituli S. Eusebii, Presbyter Cardinalis. Item Franciscus Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis. Item Petrus Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis. Item Frater Bernardus Tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis. Item Robertus Basilicæ Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis. Item Guilielmus, Tituli S. Vitalis Presbyter Cardinalis. Item Joannes Tit. Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis. Item Petrus Tituli S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis. Item Joannes Tituli Sancti Joannis in Lucina Presbyter Cardinalis. Item Raynaldus Diaconus Cardinalis. Item Vilielmus S. Agnetis Diaconus Cardinalis. Item Jacobus S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis. Item Hugo Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis. Item Petrus... Sanctæ Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis.

§. 26. Et successivè piæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. similiter Prædecessor Noster, omnia, singula, libertates, immunitates, Privilegia, & Indulgentias, & facultates Abbati pro tempore existenti, ac Monachis Ordinis Carthusiensis, eorumque Monasteriis, seu locis ab Apostolica Sede

quomodòlibet concessa, seù indulta, eisdem Fratribus Sancti Pauli, eorumque Monasteriis, & locis, dummodo essent Canonicè instituta communicavit. Et quod Prior Generalis, & cæteri Priores, seù loca tenentes Ordinis Fratrum Eremitarum prædictos Suos Fratres Novitios, & Conversos absolvere, & cùm eis dispensare in casibus, in quibus Abbas, & Priores d. Ordinis Carthusiensis poterant liberè, & perpetuò possent indulsit; prout in ipsius Bonifacii Prædecessoris Literis tenoris sequentis, videlicèt.

Bonifacius PP. VIII.

§. 27. Bonaficius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus Sancti Pauli Primi Eremitæ sub Regula S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. In sinu Sedis Apostolicæ, cum Ordo, ac sacra Religio sub qua virtutum Domino, devotum impenditis famulatum consistentes, sic splendent per virtutum incrementa, quod dignè merentur, præcipuis attolli favoribus, & spiritualibus gratiis confoveri. Nos quidem Ordinem ipsum libenter prosequimur prærogativa favoris, & augmento suorum processuum paternis affectibus promovemus.

§. 28. Hinc est, quod nos volentes, quod idem Ordo fælicioribus exinde augeatur auspiciis, & tantò salubriùs possitis reddere Domino vota vestra, quantò potioribus fueritis gratiis, & libertatibus à Sede Apostol. communiti, vestris hac in parte supplicationibus inclinati devotis, omnia, & singula, libertates, immunitates, Privilegia, & indulgentias, & facultates, quæ hic ex certa scientia præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis Dilectis Filiis Patri Abbati, pro tempore existenti, ac Fratribus Monachis Ordinis Carthusiensis eorumque Monasteriis, seù locis ab Apostolica Sede quomodòlibet concessa, seù indulta, vobis, & Monasteriis, ac locis vestris, dummodo sint canonicè instituta, ut eis uti, & gaudere, & quod Prior Generalis, ac cæteri Priores, seu loca tenentes dicti vestri Ordinis possint suos Fratres Novitios, & Conversos absolvere, & cùm eis dispensare in casibus, in quibus Pater Abbas, & Priores dicti Ordinis Carthusiensis possint liberè, & perpetuò valeatis vobis authoritate Apost. de speciali gratia, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus, tàm præfatorum, quàm omnium aliarum ordinationum, ac aliis contrariis, non obstantibus quibuscunque tenore præsentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum octavo Kal. Martii Pontificatus Nostri Anno duodecimo Incarnationis verò Dominicæ, Anno millesimo, trecentesimo, nonagesimo.

Ad hoc dictus Gregorius Prædecessor, intuitu, & contemplatione gloriosæ etiam memoriæ Ludovici Regis Hungariæ, Monasteria, Prioratus & loca dictorum Fratrum Sancti Pauli, quæ tunc habebant, & justis modis in posterum obtinerent, cum Ecclesiis, seu Oratoriis eorundem, ac personis in eis degentibus à jurisdictione, ac dominio, ac potestate Diœcesanorum, & quorumcunque ordinariorum judicum exemit, & totaliter liberavit, districtiùs inhibens Diœcesanis, & aliis ordinariis quibuscunque, nè in Monasteria, Prioratus, vel loca hujusmodi, aut Ecclesias, & Oratoria eorundem, vel personas in illis degentes jurisdictionem aliquam exercere præsumerent. Ac decernens Monasteria, Prioratus ac loca, nec non Ecclesias, Oratoria, & personas hujusmodi sibi, & Apostolicæ Sedi immediatè subjecta esse, prout infrascriptis ejusdem Gregorii Prædecessoris, quorum tenor sequitur.

Greg. papa.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus Sancti Pauli Primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini in Hungaria, & aliis Mundi partibus constitutis, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Sacræ Vestræ Religionis, sub qua mundanis abjectis illecebris, devotum, ac sedulum impenditis Domino famulatum, promeretur honestas, ut vos, & loca vestra specialibus gratiis, & favoribus prosequentes, illa vobis libenter concedamus per quæ divinis obsequis, ac studiò piæ vitæ quietiùs, & liberaliùs vacare possitis.

Hinc est, quod nos consideratiòne charissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Regis Hungariæ Illustris Nobis super hoc humiliter supplicantis, & vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Monasteria, Prioratus, ac loca vestra, quæ in præsentiarum habetis, & præstante Domino justis modis imposterum obtinebitis cum Ecclesiis, seù Oratoriis eorundem, ac personis in eis degentibus præsentibus, & futuris à Jurisdictione, ac Dominio, & potestate Diœcesanorum, & quorumcunque ordinariorum judicum authoritate Apostolica tenore præsentium eximimus, & totaliter liberamus: Districtiùs inhibentes Diœcesanis, & aliis ordinariis quibuscunque ne in Monasteria, Prioratus, vel loca vestra, aut Ecclesias, & Oratoria eorundem, vel personas in illis degentes præsentes, vel futuras, jurisdictionem aliquam exercere præsumant; ac decernentes authoritate præfata, Monasteria, Prioratus, ac loca, nec non Ecclesias Oratoria, ac personas hujusmodi, nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subesse; ac irritum, & inane, si secus super hoc à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, inhibitionis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anapinæ sextodecimo Kal. Octobris Pontificatus Nostri Anno septimo, Incarnationis verò Dominicæ millesimo, trecentesimo septuagesimo septimo.

Et denique per fælicis memoriæ Martinum Papam Quintum Prædecessorem Nostrum accepto, quod antea dictus Bonifacius Papa Octavus Prædecessor, ipsorum Prioris, & Fratrum precibus annuens, & cupiens, ut præfatus illorum Ordo eò fælicioribus proficeret incrementis, quò majoribus gratiis foret ab eadem Sede Apostolica communitus, authoritate Apostolica, & irrefragabili Constitutione prohibuerat, ne aliqui, vel aliquis cujusvis status, gradus, seù conditionis existeret, vel existerent, aliquam personam Religiosam, vel Fratrem dicti Ordinis professum, vel conversum de dicto Ordine in Fratrem alicujus alterius Ordinis paris, seù etiam arctioris recipere, seù alias ad Professionem admittere sine speciali licentia, & Apostolicæ Sedis potestate faciente, plenam, & expressam de verbo ad verbum de prohibitione hujusmodi mentionem, de cætero sub excommunicationis pœna, quovis modo præsumeret, seù præsumerent prohibitionem præsentem, ac inde secuta, quæcumque eadem Apostolica authoritatè approbavit, & confirmavit, & per alias Literas, personas dictorum Fratrum, & loca in quibus divino essent mancipati obsequio, cum omnibus bonis, quæ tunc rationabiliter possidebant, aut in futurum, justis modis adipisci poterant, sub Sancti Petri protectione suscepit, atque Decimas, Terras, Possessiones, Domos, Vineas,

Hor-

Hortos, & alia bona eorundem Fratrum, nec non omnes immunitates, libertates eis à Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus concessas; Necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, Principibus, & aliis Christifidelibus rationabiliter ipsis Fratribus, & eorum locis hujusmodi concessas confirmavit, prout in ipsius Martini Prædecessoris; quarum tenor sequitur.

Martinus PP. V.

Martinus Episcopus Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ providentia circumspecta, personas sub regulari observantia vacantes assiduo studio piæ vitæ, benigno favore prosequimur, & quæ pro ipsorum complectendis indemnitatibus, ac Religionis perseverantia pariter, & augmento provida deliberatione facta fuere, ut illibata persistant solidiorem Apostolici roboris consuevit adjicere firmitatem. Dudum siquidem Bonifacius in sua obedientia, sub qua Dilecti Filii Prior, & Fratres Sancti Pauli Primi Eremitæ sub Regula Sancti Augustini tunc persistebant nonus nominatus ipsorum Prioris, & Fratrum precibus annuens, ac accipiens, ut Ordo præfatus eo felicioribus proficeret incrementis, quo majoribus gratiis foret ab eadem Sede communitus, autoritate Apostolica, & irrefragabili constitutione prohibuit, ne aliquis, vel aliqui cujusvis status, gradus, seù conditionis existeret, vel existerent, aliquam personam Religiosam, vel Fratrem dicti Ordinis Professum, vel conversum de dicto Ordine in Fratrem alicujus alterius Ordinis paris, seù etiam arctioris recipere, seù alias ad professionem admittere sine speciali licentia Sedis præfatæ, faciente plenam, ac expressam, ac de verbo ad verbum, de prohibitione hujusmodi mentionem: de cætero sub excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere voluit, eo ipso quovis modo præsumeret, seu præsumerent, prout in Suis Literis desuper confecti pleniùs continetur.

Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut prohibitionem, ac Literas hujusmodi potioris Sedis Apostolicæ muniminis præsidio fulcire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, prohibitionem, ac Literas prædictas, ac inde sequuta quæcunque rata habentes, & grata, illa eadem autoritate approbamus pariter, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, confirmationis, & communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Constantiæ tertio Kal. Jan. Pontific. Nostri anno primo. Et in aliis ejusdem Martini Prædecessoris scilicet.

Martinus PP.

Martinus Episcopus, Servus servorum Dei. Dilectis Filiis Priori Generali, Vicariis, & Prioribus, ac Universis Fratribus S. Pauli Primi Eremitæ sub Regula S. Augustini ubicunque consistentibus, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum à Nobis petitur quod justum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm etiam ordo exigit rationis ut id per solicitudinem Officii Nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter Dilecti in Domino Filii, quibus licet habere possessiones, & proprium in communi, ex indulto Sedis Apost. speciali, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas, vestras, & loca in quibus divino estis mancipati obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri protectione suscipimus, atque Nostra speciali autoritate, Decimas, Terras, Possessiones, Domos, Vineas, Hortos, & alia bona vestra, nec non omnes libertates, & immunitates à Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus sive per Privilegium, vel alias Indulgentias vobis, & locis vestris concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, Principibus, vel aliis Christifidelibus rationabiliter vobis, & iisdem locis vestris concessas, sicut ea omnia justè & pacificè possidetis, vobis, & per vos eisdem locis vestris Apostolica autoritate confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, & communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. de Sennis septimo Kal. Julii Pontificatus Nostri anno primo Incarnationis verò Domini Nostro millesimo, quadringentesimo decimo septimo, singulis præinsertis Literis plenius continetur.

Quare pro parte Dilecti Filii moderni Prioris Generalis Fratrum S. Pauli hujusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Literas præfatas, ac Privilegia, & indulta, facultates, libertates, aliaque præmissa pro firmiori eorum subsistentia Apostolica autoritate approbare, & confirmare aliaque in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui justis, & honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, modernos, Priorem præfatum, & Fratres Sancti Pauli hujusmodi, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: Ex voto Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, super causis ad Episcopos, & Regulares spectantibus præpositorum, Dilecto Filio Nostro Tiberio Tituli Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato referente, singulas Literas prædictas, ac Privilegia, indulta, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, prærogativas, præeminentias, Concessiones, Indulgentias, favores, & alias gratias universas Spirituales, & Temporales Priori Generali, & Fratribus Sancti Pauli eorumque Ordini, ac Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Domibus, & aliis locis, bonis, & rebus prætactis, tàm per prædictos uti præmittitur, ac alios Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, etiam per viam Extensionis, & Communicationis, quam per quoscunque Imperatores, Reges, Duces, & alios Principes, ac personas seculares quorumcunque, & qualitercunque concessas, cum omnibus, & singulis indè legitime secutis, & sequendis, (quatenus Privilegia hujusmodi sint in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, & salva Concilii Tridentini quoad exemptionem à jurisdictione Episcoporum, & Ordinariorum, & circa accessum ad Synodum, Benedictionis vasorum, ac vestium, nec non Altarium consecrationis dispositiones, & circa Novitiorum receptionem, salva pariter dispositione, Constitutionum Apostolicarum, & Institutionum Generalium, & præterquam quoad Agriculturam propriis eorum manibus faciendam) Apostolica autoritate prædicta, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, grataque, & rata habemus, ac denuò concedimus, nec non illis perpetuæ, & inviolabilis

Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos, tàm Juris, quàm facti, & solemnitatum quarumcunque de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodòlibet, requisitarum, vel necessariarum, & quosvis alios quamtumvis substantiales defectus, si qui quomodòlibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint, in eisdem dicta autoritate Apostolica supplemus.

Decernentes, Literas, Privilegia, Indulta, Facultates, Libertates, Immunitates, Exemptiones, Prærogativas, Præeminentias, Concessiones, Indulgentias, Licentias, Favores, & alias Gratias prædictas, perpetuò validas, & efficaces ac valida, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, ac integros effectus sortiri, & obtinere. Nec non Priori Generali, & Fratribus Sancti Pauli, & eorum Ordini, illiusque Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Domibus, & aliis locis rebusque, & bonis prædictis suffragari, illasque, & illa tàm per Priorem Generalem, Provinciales, eorumque Vicarios, Definitores, aliosque Superiores, & Officiales nunc, & pro tempore existentes dicti Ordinis Sancti Pauli, quàm quoscunque alios, ad quos nunc quomodòlibet spectat, & spectare poterit in futurum perpetuò firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere, ab illisque resiliri, & recedi nunquam posse, sicque per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos, quavis autoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Regula Nostra de gratiis, & Indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque quibusvis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis Sancti Pauli, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis illi, illiusque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in contrarium forsan quomodòlibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, item importantes mentio facienda, aut quævis alia expressio habenda, vel aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, quod præsentium transsumptis, manu alicujus Not. publici subscriptis, vel expressis, ac sigillo alicujus Prælati, aut Generalis ejusdem Ordinis Sancti Pauli, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur in judicio, & extra illud, ac in Romana Curia, & extra eam, ac si originales Literæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis confirmationis, approbationis, defectuum suppletionis, Decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, sexcentesimo, vigesimo tertio, Idibus Februarii, Pontificatus Nostri Anno primo.

§. 3. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Ordo Sancti Pauli Primi Eremitæ, seù ejus Prior Generalis, & Fratres in Literis præinsertis, Ordinis S. Augustini, per errorem, denominentur, & nuncupentur, quippe, qui sub Regula quidem ejusdem S. Augustini ex concessione Sedis Apostolicæ vivant, non tamen d. Ordinis S. Augustini existant. Cumque firmiora, & illibatiora persistant illa, quæ sæpiùs Apostolici muniminis constabiliuntur præsidio, Nobis propterea prædicti Prior Generalis, & Fratres exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ordinem S. Pauli Primi Eremitæ hujusmodi, seù ejus Priorem Generalem, & Fratres in præinsertis Literis, Ordinis S. Augustini, per errorem denominatos, & nuncupatos fuisse, autoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, ipsosque Priorem Generalem, & Fratres proinde Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, sub Regula ejusdem S. Augustini, non autem Ordinis S. Augustini, denominari, dici, & nuncupari debere statuimus, & decernimus.

§. 5. Præterea, singulas Urbani, & aliorum Prædecessorum Literas Apostolicas præinsertas, ac Privilegia, Indulta, Facultates, Libertates, Immunitates, Exemptiones, Prærogativas, Præeminentias, Indulgentias, Favores, & alias Gratias universas, Spirituales, & temporales, d. Ordini S. Pauli Primi Eremitæ, ejusque Priori Generali, & Fratribus, nec non Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, domibus, & aliis locis, bonis, & rebus prætactis, tàm per prædictos ut præfertur, & alios Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, etiam per viam Extensionis, & Communicationis, quàm per quoscumque Imperatores, Reges, Duces, & alios Principes, ac personas seculares quomodòcunque, & qualitercunque respectivè concessas, & concessa, cum omnibus, & singulis indè legitimè secutis, & secuturis (quatenus tamen Privilegia hujusmodi sint in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa) & aliàs juxta præinsertas Urbani Prædecessoris Literas, sublato, & correcto dumtaxat errore circa denominationem, & nuncupationem d. Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, seù ejus Prioris Generalis, & Fratrum sicut præmittitur commisso, autoritate, & tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui quomodòlibet intervenerint in iisdem supplemus.

§. 6. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac prædicto Ordini S. Pauli Primi Eremitæ, ejusque Priori Generali, & Fratribus, & aliis ad quos quoquomodò spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, & de latere Legatos judicari,

ri, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur præinsertis Literis, nec non omnibus, & singulis, quæ in eisdem Literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo Prioris Generalis d. Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, vel alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate munitis eadem prorsùs fides in judicio & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 4. die 6. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Septemb. 1658. Pontificatus Nostri Anno quarto.

LII.

Breve confirmationis contractus unionis, seu consortii Ecclesiæ, ac modi eligendi Officiales inter Universitates Cauponum, seù Hospitum, & Albergatorum Urbis.

Privilegia Cauponum, Hospitum, & Albergatorum confirmavit Pius IV. Constit. 71. to. 2. in qua determinat, quando tenentur de furtis factis in eorum hospitiis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1659.

Motiva hujus Constit.

EX commissæ Nobis divinitus dispensationis officio controversias inter Universitatem Stabulariorum, seù Albergatorum ex una, & Universitatem Cauponum, seù Hospitum, nec non Hospitum Albergatorum mixtorum de Urbe ex altera partibus, de, & super prætensa rescissione, sive nullitate contractus unionis, seù consortii Ecclesiæ S. Juliani, & aliis hinc inde deductis prætensionibus, & signanter super electione Guardianorum, & Officialium eorumdem Universitatum subortas dirimere cupientes.

§. 1. De Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis prædictæ à Nobis institutæ deputatorum consilio, auditis pluries per Venerabilem Fratrem Marcum Antonium Episcopum Hierapolitanum unum ex Prælatis, & exequutorem decretorum ejusdem Congregationis partibus præfatis, earumque rationibus, & juribus ponderatis, ad conservandam unitatem, concordiam, & pacem inter easdem Universitates, illarumque homines, & ut omnis inter eos dissensionis fomentum de cætero præcidatur, ac illi in unum fraterna charitate convivant.

§. 2. Instrumentum unionis, & concessionis consortii ante dictæ Ecclesiæ Sancti Juliani, licet nondum Sedis Apostolicæ auctoritate in vim Literarum fel. recor. Papæ VIII. Prædecessoris Nostri in simili forma Brevis expeditarum confirmatum inter partes prædictas servandum esse, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus.

§. 3. Præterea quod fructus locorum quinque Montis Salis secundæ erectionis, provenientes ex pretio communicationis dictæ Ecclesiæ soluto per Universitatem Hospitum, seù Cauponum spectent, & sint proprii, ac ad liberam dispositionem antedictæ Universitatis Albergatorum, reliqui vero fructus aliorum duorum locorum ejusdem Montis, qui remanent, & continentur in Litteris patentibus die 28. Aprilis 1644. & die 16. Novembris 1645. expeditis sint pariter, & spectent ad liberam dispositionem Universitatis Hospitum, seù Cauponum, ita tamen ut fructus prædicti erogari non possint, nisi in usum, & beneficium dictæ Ecclesiæ olim S. Juliani, nunc autem sub invocatione Sanctorum Martini, & Juliani auctoritate, & tenore prædictis statuimus, & ordinamus.

§. 4. Volentes, quod in futurum eligantur sex Guardiani, duo scilicet ex simplicibus Albergatoribus, alii duo ex Hospitibus seù Cauponibus, reliqui verò duo ex Hospitibus Albergatoribus mixtis, & ad effectum prædictum fieri debeant tres pyxides, seù bussulæ, in quibus ponantur, seù imbussulentur personarum Universitatum hujusmodi nomina, extrahenda solitis temporibus, & idem proportionabiliter servetur in cæteris Officialibus earumdem Universitatum.

§. 5. In reliquis verò observentur ipsarum Universitatum statuta, nec non conventiones, & disposita in prædicto Instrumento consortii, quibus nullatenus censeatur derogatum. Cæterum præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, illisque ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari pariter decernimus.

Contrariis derogat. §. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit memoratatum Universitatum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Sept. 1659. Pontificatus Nostri anno quarto. Dat. P. An. 4. die 10. Sept.

LIII.

Quod non extrahantur libri, & scripturæ ex Archiviis, & Conventibus, ac Bibliothecis Canonicorum Regularium Congregationis S. Augustini in Regno Portugalliæ existentibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam

Edita An. D. 1659.

COnservationi, & manutentioni librorum, & scripturarum Bibliothecarum, & Archiviorum publicorum omnium, & singulorum Conventuum Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini in Regno Portugalliæ existentium quantum cum Domino possumus benignè consulere, ac Dilectum Filium modernum Priorem Conventus Sanctæ Crucis dictæ Congregationis Colimbriensis, qui totius Congregationis prædictæ

Regni Portugalliæ Prior Generalis ex consuetudine existit, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus dicti Prioris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat in Rubri- §. 1. Ne de cætero quisquam quavis auctoritate, officio, vel dignitate fungens libros, quinterna, folia, Literas Apostolicas sub Plumbo, vel in forma Brevis expeditas, indulta, privilegia, aliasque scripturas publicas, & privatas tàm impressa, quàm manuscripta, tàm hactenus in quavis, & quovis Bibliothecarum, & Archiviorum Conventuum, & Collegii Colimbriensis Congregationis hujusmodi in Regno Portugalliæ prædicto existentium collocata, & illis per quoscunque fideles donata, & assignata, quàm imposterum forsan in eis collocanda, & illis donanda, & assignanda quibusvis personis commodare, aut sub quovis quæsito colore, ingenio, causa, ratione, aut occasione ex quacunque Conventuum Congregationis hujusmodi Bibliothecarum, & Archiviorum in dicto Regno existentium extrahere, & asportare, seù ut commodentur, & asportentur, permittere, aut consentire audeat, seù præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat. §. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: ac quatenus opus sit Conventuum, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem quod præsentis prohibitionis copia in valvis singularum, & singulorum cujusvis Conventus hujusmodi Bibliothecarum, & Archiviorum, vel alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat, Quodque præsentium transsumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat.P.A.4. die 24. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 24. Septemb. 1659. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LIV. Quod Judæi solvere teneantur Pensiones Domorum illocatarum Ghetti, pro tempore quo illæ non erunt locatæ.

Vide ad Constit, 315. Urban. VIII. super præstatione alimentorum Hæbreis creditorum.

Edita An.D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD ea per quæ Christifidelium quorumlibet, præsertim verò hujus Almæ Urbis Nostræ incolarum commodis, & utilitatibus opportunè consulitur, libenter intendimus, & desuper auctoritatis Nostræ partes favorabiliter interponimus, prout rationi, & æquitati consentaneum esse conspicimus.

§. 1. Cum itaque aliàs fel. recor. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster indulserit Universitati Judæorum ejusdem Urbis inter alia, ut è domibus intra septa Ghetti eorumdem Judæorum, quas ipsi pro tempore inhabitant quovis prætextu expelli, ipsarumque Pensiones domorum, quas tunc solvebant, augeri minimè possent. Sicut autem accepimus, ipsi Judæi in vim privilegii, seù indulti hujusmodi domos prædictas sibi invicem absque dominorum illarum consensu vendant cum earum persæpe membrorum cónfusione, & desuper dotium, & alios qui sciri non possunt contractus, & hypothecas conficiant, unde Pensiones hujusmodi domorum suis dominis difficilioris exactionis redduntur, ac insuper domos prædictas aliis Judæis sublocent, in eisque multo plures inquilinos inducant, itaut ex eis longè majorem ea, quam solvunt, percipiant pensionem, domosque hujusmodi adeò malè inhabitent, ut domini crebrò ad illarum instaurationem cogantur, viceque versa domos prædictas pro suo arbitrio dimittere posse prætendant, & re ipsa plurimæ illarum multos annos illocatæ fuerint, emanata inter ipsos prohibitione ne eorum ullus domum ab alio Judæo dimissam conducat, cumque fraudibus hujusmodi nulla alia ratione obviam iri possit, quàm via juris, & litium, quas ea propter per domorum prædictarum dominos, inter quos multa loca pia existunt, magno cum incommodo, & dispendio in dies sustineri oportet.

§. 2. Hinc est, quod Nos *Judæorum prædictorum malitiam ea in re opportuno remedio retundere volentes*, Motu proprio, & ex certa scientia Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine *Universitatem Judæorum in Urbe* prædicta commorantium quibuscunque Christianis *dominis domorum in eodem Ghetto consistentium* nunc, & quandocunque in futurum *illocatarum* pro tempore quo illæ non erunt locatæ *pensiones solitas perinde, ac si particularibus Judæis locatæ essent solvere teneri, & obligatam existere*, atque ad id opportuni juris, & facti remediis summariè simpliciter, & de plano sine figura, & strepitu judicii, ac sola facti veritate inspecta, omni & quacunque appellatione remota cogi, & compelli posse, & debere tenore præsentium perpetuò statuimus, volumus, & ordinamus.

§. 3. Decernentes præsentes Literas etiam ex eo, quod prædicti Judæi ad præmissa citati, & auditi non fuerint, & illis non consenserint, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocumque defectu, ac ex qualibet alia causa, colore, & prætextu, etiam enormis, & enormissimæ læsionis ullo unquam tempore notari, impugnari, rescindi, retractari, aut ad viam, & terminos juris reduci, & revocari, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodvis aliud juris, & facti remedium impetrari, seù etiam Motu simili concesso quempiam in judicio, & extra illud uti minimè posse, sed illas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, & aliis Constitutionibus, & Or- Contrariis derogat.

dinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicà, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P. An.3. die 15. Nov.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Nov. 1658. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LV.

Bulla, sive Literæ decretales Canonizationis Sancti Thomæ de Villanova Archiepiscopi Valentini.

Beatorum numero eundem D. Thoman adscripserat Paulus V. Const. 118. In supremo, & festi solemnitatem cum officio, pro universo Ordine Eremit. S. Augustini, ubique terrarum extendit Greg. XV. Const. 5. Aliàs.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAnctissimum Regem, & Prophetam cum Dei spiritu plenus omnia creatarum rerum genera ad Creatorem suum laudandum dulcissimis Psalmis invitat, hominum præcipuè causa id facere haud obscurè cognoscitur: Etenim Angelicæ mentes, quas primò vocat animantia item cuncta, atque inanima, quæ deinceps appellat, nihil admodum ejusmodi sive jussu, sive incitamento indigebant; quippè illæ beatudinis suæ necessitate tersanctum hymnum incessabili voce proclamant; ista verò suo modo auctorem suum, dum silent, laudant, aliisque, divinitatem Opificiis contemplantibus, laudandum præbent. Igitur fideles propheticis vocibus potissimum excitantur, quibus maximè dicitur LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS; honorantes videlicet Viros sanctos factos amicos Dei: glorificantes in terris, quos ille gloria, & honore coronavit in cœlis: domesticos Dei vestris in difficultatibus supplicicer advocantes: denique Dominum agnoscentes, & colentes in servis ejus. Atque hoc ipsum Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto docente, præclarè intelligit, dum filiis suis quotidie ferè Sancti alicujus memoriam divino officio, ac precibus recolendam offert, celebrandamque, & dum temporis intervallis nonnullos egregiæ sanctitatis, & miraculorum luce inter alios veluti sidera coruscantes, divino instinctu, Apostolica Pontificali auctoritate Sanctorum adscribit numero, populisque fidelibus venerandos proponit: nimirum ut ea ratione Omnipotentis Dei laus, & gloria magis, magisque increbescat, ejusdemque bonitati, ac benignitati simul agantur gratiæ, qui dedit virtutem, & potestatem talem hominibus. Quod verò idem Deus in hæc tempora, quibus ineffabili providentia, nullis nostris meritis, Ecclesiæ suæ præesse Nos voluit, reservarit, ut sanctissimus, sibique maximè dilectus Sacerdos Thomas de Villanova eo titulo, atque honore decoraretur, Nobisque hanc mentem inspiraverit: sedulo felicitatem in Domino gratulamur, quod novum, ac salutare sanctitatis exemplum intueri propiùs, novumque apud Dei misericordiam interpretem, & intercessorem præsentibus, in periculis, ac necessitatibus invocare præcipuè possit, ejusque precibus pacem, & tranquillitatem in diebus suis, placato Domino, sperare. Seorsum autem Nostro nomine, pro eo, ac debemus, immortales gratias humillimè habemus, atque agimus eidem divinæ benignitati. Jam verò ut Thomæ sanctitas testimonio etiam Nostro innotescat.

Patria, & parentes.

§. 1. Vir iste sanctissimus ortum habuit in Castro Fontisplani Toletanæ Diœcesis anno à salute Orbis reparata 1488. ex honestis, & Catholicis parentibus Alphonso Thoma Garcia de Villanova ejusdem Diœcesis Oppido, & Lucia Martinez Castellana adeò charitati deditis, ut nunquam ab se vacuo sinu egenum abire permiserint.

Misericordiam in pauperes exercet.

§. 2. Ac veluti ingenito quodam pietatis, & misericordiæ sensu ex matris alvo secum delato, & sub ejusmodi parentibus educatus, antea visus est, se Deo dicare, quàm Deum posset per ætatem cognoscere. Nunquam negavit pauperibus Christi, quod peterent, & oculos viduæ expectare non fecit, nec buccellas suas solus comedit, sed comedit pupillus ex ea, nam jentacula ad gymnasium proficiscenti dari solita esurientibus partiebatur, ac pauperum nuditatem commiseratus sæpè domum repetebat sago, thorace, pileo, caligis, & pallio denudatus; Matrem quandoque enixè precatus, ut pauperi supervenienti consuetæ, ac quotidianæ eleemosynarum distributioni paratum sibi prandium adjiceret, spondens ea die, se minimè comesturum: quo obtento, & innocenti jejunio satur, mentem divina esurientem cœlestibus dapibus recreabat. Et exindè ad Xenodochiu reficiendis languentibus ova recens edita deferebat; usque adeò à teneris unguiculis in egenos effusus, ut pullos ipsos gallinæ sublatos, Christi Domini pauperculis distribueret: ac messoribus aliquando præfectus, egenis spicas colligentibus, non illorum solum, sed proprium, ac sibi destinatum cibum partiretur; semper tamen parentum imperio æquè subditus, quantum charitas in Deum laudabiliter suaderet, ab eorum mandatis non declinabat.

Carnis mortificatio, modestia, & puritas virginalis.

§. 3. Optavit enim, & datus est ei sensus, invocavit, & venit in eum spiritus sapientiæ, quo agente, Patrem luminum, & domi, & in templis assiduè precabatur, & concupiscentiam carnis robusto, atque integro sanctitatis rigore calcavit, castigans corpusculum suum, & in servitutem redigens, cilicio, & flagellis domans; quibus ab eo per oblivionem in cubili quandoque relictis, & à matre non sine admiratione repertis, evidenter patuit in eo à tritura sementem, à vindemia palmitem à pomis radicem præveniri. Quàm sanè in se ipsum privatam, & tacitam severitatem pari etiam modestia condiebat; adeò enim modestus fuit, ut nunquam è terra oculos levare consueverit, adeòque castus, & pudicus, ut ad extremum usque spiritum virgo permanserit, neque unquam ex ejus ore verbum prodierit, quod puritatem pectoris non redoleret.

Doctor eximius patrimonium in virginibus alendis impendit.

§. 4. Intelligens autem fore, ut ii qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgeant; Compluti in Collegio S. Ildephonsi in disciplinis, & facultatibus, omnique virtutum genere doctores ipsos facile superavit. Logicas subindè, & Theologicas quæstiones explanavit. Jam verò satis in Christiana palestra edoctus, ac Evangelici memor effati, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, audito parentis obitu se Cathedræ ornamento, & commodis abdicavit, ac integrum patrimonium virginibus alendis addixit: quo illis erectum fuit Xenodochium in Oppido Villanovæ, adhuc Hospitale Archiepiscopi nuncupatum.

Ordinem Eremit. S. August. Reform.

§. 5. Interim inclinavit aurem suam, ut audiet loquentem in se Dominum, & dicentem, obliviscere populum tuum, & Domum Patris tui. Undè cum annum septimum, & vigesimum ageret,

ne sæcularium strepitu curarum à perfecta cum Deo unione distraheretur, duxit eum Dominus in solitudinem, & ibi loqueretur ad cor ejus, ibique Ordini Eremitarum S. Augustini in Salamantino Conventu nomen dedit die 24. Novembris 1516. ac peractis per annum mira austeritate vitæ Religionis rudimentis, recurrente mox eadem die 24. Novembris ibidem solemnem professionem emisit, & æmulatus charismata meliora, eam brevi religiosæ perfectionis metam attigit, ut vix biennio elapso ejusdem Conventus sit Prior renunciatus: inde verò Prioris Conventus S. Augustini Burgensis, Visitatoris Provinciarum Castellæ, & Beticæ, Provincialis Definitoris ejusdem Provinciæ Castellæ, & Prioris Conventus Vallisoletani munia iis vitæ, ac morum exemplis obivit, eoque zelo labefactatam regularis disciplinæ integritatem restituit, ut numero Reformatorum Ordinis adscribi promeruerit.

In Salamantensi Conventu discipulos instruit.

§. 6. Inter hæc volente Altissimo rigare Montes de Superioribus suis, jussus est talentum sibi à Domino creditum non abscondere in terra, sed ut sapientissimus dispensator in communem utilitatem convertere: In prædicto igitur percelebri Salmantino Conventu ex obedientia Magistrum sententiarum, & Religiosis sui Ordinis, & exteris advenientibus exposuit, S. Thomæ doctrinam secutus; ad quod & nominis similitudo, & Religionis consuetudo eum hortabantur: eoque doctore, tantus fuit discipulorum profectus, ut cum sanctum bellum principibus, & potestatibus tenebrarum indicere decrevisset, eos dignos invenerit, quos ad expugnandas Mexicanas Infidelitatis arces, dum ipse postea Provincialis officio fungeretur ad Apostolicam formam planè conformatos, ut Angelos veloces ad gentem Christianæ Religionis penitùs ignatam transmitteret; eos accendens proposito gaudio, aut futuræ illarum à Deo aversarum mentium conversionis, aut proprii pro Christo effusi sanguinis laureæ consequendæ, quorum primum non sine magno Christianæ Reipublicæ emolumento clementissimus Dominus felicissimo eventu per illos comprobare dignatus est.

Divinum verbum dispensat.

§. 7. Dum in istis versatur, Spiritus Domini super eum pauperibus evangelizare misit eum, nam è Cathedra ad Suggestum ex obedientia translatus, visus est populis tuba vitæ, & vox cælorum, ac proinde vas electionis, ut portaret nomen Jesu coram Regibus, & Principibus. Propterea Carolus V. Imperator eum sibi à concionibus singulariter elegit; cujus Apostolicus spiritus omnibus omnia factus, sapientibus, & insipientibus verbi divini pabulum erogavit, itaut una omnium voce Spiritus sancti organum proclamaretur.

Granatensem Ecclesiam recusat, Valentinam ex præcepto suscipit.

§. 8. His permoti idem Carolus V. & Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus labefactatam Valentinæ Ecclesiæ ex diuturna viduitate disciplinam, Thoma tantum Præsule ad eam proposito restitui posse piè crediderunt. Verum, ne, ut antea Granatensis Ecclesiæ Insulas recusaverat, eò quod elegisset abjectus esse in Domo Dei sui, etiam Valentinæ curam suscipere abnueret, ubi Imperatoris, ac Regis voluntatem non satis urgere compertum fuit, iisdem petentibus à suo Superiore adactus, cellam cum lachrymis deserens, Valentiam sese contulit, & in Conventu S. Mariæ de Succursu Ordinis S. Augustini equo descendens, fastu solemnis ingressus vitato pedes cum socio simplicis Religiosi habitu indutus ad Cathedralem perrexit; atque hæc humilitatis fundamenta jecit, ut Ecclesiastici Præsulis culmen quo profundiùs stabiliret, eò solidiùs, & sublimiùs eveheret.

Ecclesiasticam disciplinam, & laicorum mores instaurat.

§. 9. In hoc Cathedræ fastigio bonus iste Pastor animam suam posuit pro ovibus suis, & licet gladius persecutoris eum non abstulerit, martyrii tamen palmam non amisit: Ecclesiasticam enim disciplinam, & Laicorum mores coacta Synodo Provinciali multis affectus injuriis instauravit: Mox ad ovium suarum salutem promovendam conversus, plurimos ad vitæ semitam æquè prudentis, ac ignitæ charitatis vi exhortando, jejunando, orando proprium etiam sanguinem iteratis flagellationibus fundendo revocavit, ut verè dicere posset; die noctuque æstu urgebat, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.

Ecclesiasticæ libertatis pro pugnator.

§. 10. Et quamvis suaviter animos ad honestatem sectandam allicere studuisset, fortiter tamen finem attingere non prætermisit: Nam & invictum animum in tuendis Ecclesiæ juribus, & Ecclesiastica restituenda, & conservanda auctoritate ostendit, illis verbis usus, se gloriosam magis mortem, quàm odibilem vitam amplecti, nec supplicia pro Ecclesiastica immunitate ex debito Pastoralis officii in libertatem vindicanda timere, aut fugere; Quod ex animo dictum ostendit cum Regio Ministro minitanti rerum temporalium expoliationem, imperterrita mente respondit; Tunc magis locuples ero; cum temporali subsidio liber ad cellam lætus remigrabo, ubi Divum Augustinum parentem meum inveniam, à quo nonnisi invitus, & lachrymans discessi. Delinquentes debitam pœnam subire censuris coegit Ecclesiasticis eximia charitate exæstuans, & se pro suis holocaustum offerens, quos obsecrando, & arguendo corrigere non posset; iisdem enim adstantibus se usque ad sanguinem flagellando, semetque cum lachrymis increpando, cujus peccatis fieri dicebat si non resipiscerent, sic compungebat, ut eos ad pœnitentiam, & meliorem frugem redigeret.

Puritatis amator impudices detestatur.

§. 11. Ita tamen mira benignitate, charitatis excellentia, prudentiæ suavitate plures tum ex Clero, tum ex populo in viam timoris Domini reduxit, ut ubi malo suorum familiarium exemplo, ne alii infici possent vereretur; egregius puritatis amator, neque ad horam ullum impudicitia fœdatum domi sua detinuerit; quin, & ipsum fratris filium lasciviæ culpa notatum domo expulit, & patriam repetere sine mora coegit.

Totus in Dei & proximi caritate flagrabat.

§. 12. Quapropter sic in labore, & ærumnis, in vigiliis, & jejuniis arguens, obsecrans, increpans in omni patientia, & doctrina omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, & alter veluti Paulus, divinus intellectus, & divini amoris cereus nuncuparetur: adeoque Dei amore flagrabat ut passim dicere soleret, sibi propemodum tolerabiliùs videri, se in Infernum dimitti, quàm non diligere Deum, & præ ignibus, & tormentis illud unum expavescere, quod qui cruciantur in Inferno, Deum oderunt.

In pauperes liberalis, erga se ipsum parcus.

§. 13. Et ecce data est ei pax fœderis Domini; & fuit illi pactum Sacerdotii sempiterni, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiarum Israel; & quia misericordiam habuit, erudivit quasi Pastor gregem suum, Christo Domino dilectus, & obtemperans pavit agnos, pavitque oves ipsius. Adeò enim fuit in pauperes liberalis, & parcus erga seipsum, ut quo egenis, quorum se parentem gerebat, largiùs subveniret laceras indueret vestes, quas propriis manibus sarciebat, unicum pileum proprio usui domi asservaret, cubiculum storeis vestitum incoleret, super sarmentis in terra quiesceret, sæpè pauperes convivas ex eadem patina cibum sumere permitteret; ipse verò adeò parce comederet, ut senio, & infirmitate confectus unico, eoque modico ferculo mensam instrui permiserit, & Oeconomo secus cum precibus suadenti sæpiùs responderit, iniquum esse, ut servus pinguiori cibo, quàm Domini sui pauperes vesceretur; lintea è proprio cubili desumens, & indu-

fiis se ipsum exuens, ea pauperibus largiebatur, ratus ea, quæ pauperum erant, citra injuriam illis denegari non posse, in quo sui Sanctissimi Patriarchæ Augustini perfectus exitit imitator & filius, quod nil suum æstimavit, imò totum reputavit commune cum fratribus: unde & S. Gregorii Magni vestigia secutus, Catalogum pauperum omnium penès se retinebat, ut singulis pro egestate consulere posset. Præterea puellis egenis dotem pro conditione suppeditabat. Cumque Mauri prædati essent Oppidum Collera suæ Diœcesis, & plurimos incolas captivos duxissent, ingentem aureorum vim in illis è jugo servitutis redimendis liberaliter profudit. Cumque experientia didicisset pauperes fœminas natorum in publica via projectorum vitam negligere, ad se pueros afferri curavit, & grandem pecuniæ summam in iis alendis, & educandis impendit.

Tria erexit Collegia.

§. 14. Tria erexit Collegia, quæ pinguibus dotavit proventibus; Primum Valentiæ, alterum Compluti, tertium Oriolæ; à quibus viri tum probitate, tum doctrina præstantes plurimi prodiere.

Deus triticum multiplicavit horreo.

§. 15. Insignem hanc viri secundum cor suum pietatem ille idem piissimus Dominus, qui & facit mirabilia magna solus, & est mirabilis in Sanctis suis, singularibus testimoniis divinæ suæ dexteræ præter consuetum causarum secundarum ordinem operantis, acceptissimam sibi esse confirmavit; Ad sublevandam enim miserabilis fœminæ familiam factum est, ut Subcustos frumenti Archiepiscopalis ab eo mitteretur ad horreum, quod paulò ante vacuum penitus reliquerat, quo cum pervenisset, è januæ rimis grana exuberantia cum Subœconomo, & aliis conspicatus est, & dum januam aperire student, magna vi frumenti compressam vix totis viribus impellentes reserare potuerunt; quamobrem stupore perculsi magnis vocibus inclamant; miraculum. Tumque Thomas eò accurrens, cunctis silentium præcipiens, mulieri triticum elargitus, vescere, ait, & Omnipotenti gratias age, qui tibi illud paravit.

Paralyticum sanat.

§. 16. Ad hæc conscius, se missum, ut mederetur contritis corde, producto super pauperem quemdam Cæsaraugustanum quadraginta jam annis paralysi laborantem, & fulcimentis insistentem signo Sanctissimæ Crucis dicens, confide, & dic gratias Deo, qui dignatus est tibi salutem impartiri, consolidavit bases, & plantas ejus, ita ut paralyticus se erigeret, undique validus, rejectisque fulcimentis ad pedes ejus procumberet, cui Sanctus Archiepiscopus silentium indixit, ac Deo gratus, ut esset, & pro se preces funderet, hortatus est.

Quamplurimos ad pœnitentiam revocavit, & mira de Divinæ Trinit. myster. exposuit.

§. 17. Memor etiam promissionis Christi Domini; si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; Nunquam ad conciones habendas perrexit, aut conversionis alicujus provinciam suscepit, nisi Deum prius effusis precibus exorasset, ut divina gratia dura peccatorum corda emollire dignaretur; mox ab hujusmodi oratione consurgens eo fervore, ardentique zelo peccatores corripuit, ut quamplurimos ad pœnitentiam, & perfectioris vitæ semitam revocaverit; quos tactos dolore cordis intrinsecus ad Confessarii pedes illicò accurrere impellebat. Contigit etiam, ut coram dicto Rege Philippo II. agens de ineffabili Sanctissimæ Trinitatis Mysterio eò usque erexerit mentem, ut Archiepiscopus Granatensis vir doctrina, ac pietate præditus, dixerit se non putasse eò illum se se potuisse attollere, quod quæ audisset, humanum intellectum longè excederent; Hujusce verò, & aliarum quamplurium concionum codex, se superstite, nunquam Thomæ singularis modestia, ut typis committeretur, præbuit assensum.

In Ascensionis Domini cæ celebritate à terra elevatus est.

§. 18. Continuam insuper Dei Servus mentis elevationem patiebatur, ita ut à concionibus, aliisque sacris functionibus abstinere cogeretur; exindè mundi gloriam ea ratione devitans. Quem tamen in novissimo loco interius recumbentem, altiùs, qui eum ad nuptias invitaverat, non sine magna gloria coram discumbentibus ascendere compulit; In ipsa enim Ascensionis Dominicæ celebritate cum divinis officiis interesset, ad Antiphonam Nonæ, & videntibus illis elevatus est: ipse quoque è terra sublatus prorsus immobilis integro duodecim horarum spatio, omnibus videntibus, permansit; quasi jam felix illa anima suo itineri ad Deum se accingeret.

Ægrotus lectum suum pauperi largitur.

§. 19. Tandem his, multisque aliis meritis plenus in febrim incidit, ac dum peculium domesticum jamdiu in piis usibus consumpsisset, quæ pauperrimæ suppellectili supererant, inrer pauperes familiares partitus est; oblitus verò cujusdam Commentariensis patris familias egeni, cubile in quo ægrotans jacebat, cum nil aliud ipsi superesset, ei donavit, & tunc ut quod suum erat, auferret, hortabatur; at renuentibus familiaribus ipsum super stoream ponere, ut fieri postulabat, mira humilitate per viscera JESU Christi Commentariensi ejusdem cubilis usum ad mortem usque precatus est, ut qui aliis pauperibus totus vixerat, in alieno decedens pauperrimus moreretur.

Pecunia in pauperes distributa, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus Clerum hortatus est.

§. 20. Cumque orans, & vigilans expectaret adventum Domini sui, Episcopus Segobricensis ultimum adventare vitæ terminum nunciavit, cui exhilaratus gratias egit, & addidit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in Domum Domini ibimus; usurpans etiam illud S. Martini: Si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem, sin minus cupio dissolvi, & esse tecum. Tunc verò cum per Oeconomicum quinque millium aureorum summam superesse significaretur, eam pauperibus distribui mandavit, cumque intellexisset omnibus civitatis pauperibus abundè esse subventum, adhuc mille, & quingentos aureos reliquos esse, ad immortalitatis bravium terrenis omnibus affectibus expoliatus anhelans, sic conquestus est, cur me hic detinetis adhuc, ne ad fruendum bono, quod mihi paravit Dominus evolem? properate, opus absolvite, ne ipse diutiùs hic in labore anxius detinear, sed tandem in pace Christi requiescam: Et certior factus jam omnia consummata, ipse suum jam consummaturus cursum Deo gratias agens addidit; Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nil habens unde tenear, strenuè luctaturus, jussitque se sacro oleo muniri, & Clerum vocari, cui sumpto sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, sanctitatem vitæ, & perpetuam erga Sanctam Sedem Apostolicam obedientiam ex testamento legavit.

Spiritum Deo commendans expiravit die 8. Sept. 1555. Planctus magnus super eum.

§. 21. Demum semel adhuc sub speciebus Sacramentalibus venerari cupiens Deum Salvatorem, quem mox facie ad faciem sese intuiturum sperabat; in suo cubiculo sanctum Sacrificium confici, & interim sibi Dominicæ passionis Evangelium secundùm Joannem legi voluit; eoque cum alta comtemplatione audito, ac mira pietate, & humilitate augustissimo Sacramento, erga quod semper devotissimus extitit, ad elevationem adorato, præ gaudio vim lachrymarum profundens inchoavit canticum; Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace; eoque absoluto, subdidit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, quæ cum diceret, expiravit, die 8. Septembris Vesperi Nativit. Beatissimæ Virginis, cujus dum viveret, amore languebat; Anno salutis 1555. ætatis suæ 68.

Locus sepulturæ.

§. 22. Clerus, & populus, qui ad Deum confugerant, indicta supplicatione generali pro suo languente Pastore in Ecclesia S. Thomæ Apostoli

statio-

ſtationem peregerunt; adeoque univerſalis ploratus invaluit, ut Cleri cantus non audirentur;& ad Antiphonam; Non ſumus digni à te exaudiri; Cantores dolore, & commiſeratione commoti illam præ lacrymis abſolvere nequierint. Mox audito pulſu campanæ illius obitum nunciantis, ita planctus omnium erupit, vt cujuſvis conditionis homines, quaſi amentes per vias diſcurrentes patrem ſe amiſiſſe conquererentur.

Miracula poſt mortem.

§. 23 Corporis verò aſpectu in tam ingenti jactura idem populus adeò ſe levari poſſe putabat, ut illud pontificalibus indumentis, & florum corona virginitatis ejus inſigni ad præfatam Eccleſiam S.Mariæ de Succurſu Ordinis Sancti Auguſtini delatum, humo tradi non permiſiſſet, niſi Fratres ejuſdem Monaſterii ſepulturæ clanculum mandaſſent. Talis autem erat gratia ejus corporis emortui, vt viventi haud abſimilis appareret.

§. 24. Succeſſivè tamen multa ſunt ejus ſuffragantibus meritis edita miracula Domino cooperante, & Servi ſui uſque ad mortem fidelis, vitæ ſanctitatem confirmante ſequentibus ſignis.

Duo etenim mortui ad vitam revocati fuere: Paulus Franciſcus Cardona poſt ſeptem menſium febrim extinctus, & Sperantia Valeria decem quoque menſium febri conſumpta non ſolum vitæ, ſed etiam integræ ſanitati reſtituti ſunt.

Marcella de Lizania tertium annum agens trimeſtri morbo diſtillationis in pectore affecta vehementi, & aſſidua tuſſi ita afflicta, vt erumpente é pectore ſanguine cibum ſumere,aut ſumptum retinere non poſſet, diſtillatione etiam ad ejus oculos deſcendente, remediis omnibus ad ejus curam adhibitis, ſpe ad ſalutem priſtinam redeundi prorsùs deſtituta, ad ſepulcrum Thomæ delata poſtera die, hora; qua ſacrum pro ejus ſanitate celebrabatur, ſanata eſt, & de cubili ſurgens ad matrem incolumis, quaſi numquam paſſa fuiſſet ophthalmiæ morbum clariſſimis oculis feſtina contendit.

A carcinomate Franciſcam Nadal liberavit, & Catharinæ Vincentiæ Roſelon innumerabilibus plagis per quinquennium cruciatæ inſperatam ſalutem reddidit.

Petrum Antonium Sutorem ex nervorum contractione per biennium claudicantem, jamque inutilem ſanavit.

Jacobus Cervera cæmentarius ulceribus inſanabilibus plenus ab eo ſanatur, Vincentius Cyprer nervis ex paralyſi ſolutis ſanitatem pariter impetravit.

Arida ubera Catharinæ Montaltæ, admotis floribus, quibus Servi Dei ſepulchrum reſperſum erat, ad infantulum ſuſtentandum lacte illico affluere viſa ſunt.

Ludovico Lemoſy per ſex annos adeò pedibus laboranti, ut ſæpiſſimè cubili immobiliter inhæreret, baſes, & plantas conſolidavit.

Quatuordecim annorum hernia Joannem Tibicinem afflictum priſtinæ ſanitati reſtituit.

Septennem puellam Vincentiam Mattheù in puteum delapſam, in aquis per tres horas ſubmerſam, eripuit incolumem.

Quibus corruſcantibus ſignis lux effulſit, oſtenditque venerandum eſſe in terris, quem in Cœlis adeò acceptum Advocatum humana haberet infirmitas.

Agimus igitur Omnipotenti Deo quam maximas poſſumus gratias, & repletum eſt gaudio cor noſtrum, & lingua noſtra exultatione, quod nullis noſtris ſuffragantibus meritis, ſed inſcrutabili ſapientiæ ſuæ arcano hanc Servi ſui Canonizationis celebritatem per noſtræ humilitatis miniſterium toti Orbi ſplendeſcere præordinavit. Cum enim jam ab ejus felici occaſu per univerſas gentes, & nationes ipſius Sanctitas celebraretur, & ipſius nomen apud Chriſtifideles magno in honore eſſet, operante Domino per interceſſionem ejus tot miracula, quæ etiam in dies una cum ejus veneratione augebatur, via parabatur à Patre luminum Thomæ clarificationi.

Proceſſus, & inſtantia pro Canonizatione.

§. 25. Propterea ab Ordinario Proceſſus informativus Sacræ Congregationi Rituum exhibitus fuit anno 1608. & accedentibus precibus etiam claræ memoriæ Philippi III. Hiſpaniarum Regis Catholici, nec non Præſulum, Procerum, Deputatorum Regni Valentiæ, ac totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini tertio repetitis, cæteriſque de more peractis reſponſum fuit à prædicta Congregatione: planè conſtare de validitate proceſſuum, de virtutum excellentia, de fidei puritate, vitæ ſanctimonia, miraculorum operatione, fama ſanctitatis, & frequentia populi ad Servi Dei ſepulchrum; ac propterea poſſe (etſi Summo Pontifici placuiſſet) in poſterum nuncupari Beatum, & de eo tamquam de Confeſſore non Pontifice quotannis in Regno Valentiæ à Religioſis utriuſque ſexus Ordinis Sancti Auguſtini,& in Civitate Valentia à Clero, tam ſeculari, quàm Regulari recitari Officium, & Miſſam celebrari.

Quibus annuit fel. rec. Paulus V. Prædeceſſor Noſter,ac deſuper Literas in forma Brevis conceſſit, & prædictum indultum mox extenſum fuit ad omnes utriuſque ſexus Religioſos prædictos Regnorum Caſtellæ, Aragoniæ, & Cathaloniæ, nec non ad oppidum Villænovæ, & tandem ad omnes pariter utriuſque ſexus Religioſos Ordinis Sancti Auguſtini, ubique terrarum exiſtentes.

Votum Sacræ Congr.

§. 26. Eodemque anno duobus aliis inſuper approbatis miraculis, cenſuit eadem Congregatio tutò poſſe Sedem Apoſtolicam ad ſolemnem ejuſdem Beati Canonizationem quandocumque juxta S. R. E. ritum, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem procedere.

Cauſæ Tranſſumptio.

§. 27. Verùm ſupervenientibus novis decretis recol. mem. Vrbani Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri, ſiluit cauſa uſquequò fuit facta præmiſſorum omnium relatio ſimilis memoriæ Innocentio X. itidem Prædeceſſori Noſtro, & ab eo deputatus in Relatorem tunc in humanis agens bon. mem. Fridericus S. R. E. Cardinalis Cornelius nuncupatus, & ſignata commiſſio reaſſumptionis cauſæ. Demandatum etiam fuit dicto Cardinali Cornelio Relatori cum dilecto filio Hilarione Roncato, & q. Terentio Alciato Conſultoribus examen operum ejuſdem Servi Dei Thomæ, & facta relatione decretum, in illis nihil contra fidem, & bonos mores, nec aliquam doctrinam à catholico ſenſu alienam contineri.

Litteræ remiſſoriales.

§. 28. Poſtea decretæ Litteræ remiſſoriales ad probandum ea, quæ ſupervenerant poſt indultam venerationem, & directæ Litteræ Venerabilibus Fratribus Noſtris Archiepiſcopo Valentino, & Segobricenſi, & Dertuſenſi Epiſcopis, & tranſmiſſis ad Urbem proceſſibus: in locum prædicti Cardinalis defuncti ſubrogatus eſt dilectus filius Noſter Joannes Baptiſta Cardinalis Pallotta nuncupatus dicti Ordinis Sancti Auguſtini Protector: à quo iiſdem Proceſſibus in Congregatione prædicta relatis, ab eaque maturè diſcuſſis, declaratum eſt, abundè conſtare de validitate, de relevantia, de incremento cultus, ac etiam de duobus aliis miraculis de novo patratis; & ſic adimpleta eſſe omnia ea, quæ novis decretis expetebantur.

§. 29. Accedentibus chariſſimi in Chriſto filii Noſtri Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Catholici, Venerabilium etiam Fratrum Noſtrorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Regnorum Hiſpaniæ, nec non eorumdem Procerum, ac etiam totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini precibus quibus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus

Nostris prædictis, & à Nobis id sæpiùs postulaverant, & postulabant.

Relatio de vita, & alia sequuto.

§. 30. Reliquum erat, ut de more universam causam Cardinales, quibus id commissum fuerat, recenserent, & pro rei gravitate recognoscerent, Id,quod cum rectè, fideliterque præstitissent, idemque omnes sensissent; prædictus deindè Joannes Baptista Cardinalis de vitæ sanctitate, virtutibus, & miraculis Servi Dei Thomæ, necnon de actis omnibus in eadem Rituum Congregatione coram Nobis habita plenissimè retulit. Mox per venerabilem etiam Fratrem nostrum Julium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Sacchettum similiter nuncupatum dictæ Congregationis Præfectum totius summa Processus in Consistorio nostro secreto plenè relata, sua, Collegarumque sententia exposita, reliqui Cardinales, qui aderant unanimi suffragio eandem sententiam approbarunt. Quapropter sequenti publico Consistorio in quo pro Canonizatione dicti B. Thomæ verba feci dilectus etiam filius Marcus Antonius Burattus Nostræ Consistorialis Aulæ Advocatus, & nomine prædicti Phillippi Regis, necnon prædictarum Universitatum, & Regnorum, ac totius Ordinis Eremitarum Nobis humiliter supplicavit. Nos in tam gravi causa, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui tunc aderant hortati sumus, ut eleemosynis, Jejuniis, & orationibus sedulò incumberent, quo divina voluntas clariùs Nobis elucesceret. In semipleno postmodum Consistorio ex more accersitis non solum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis prædictis, sed præsentibus Nostris, & Sedis Apostolicæ Notariis, ac Sacri Palatii nostri Apostolici causarum Auditoribus, de vita, & miraculis Beati Thomæ, quæ opportuna visa sunt, proposuimus, omnesque ad ejus Canonizationem deveniendum esse apertè suffragiis confirmarunt. Nos itaque unanimi consensu audito aperuimus os nostrum in benedictionibus, & Dei nutum, ac voluntatem sequuti, justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris diem Canonizationis indiximus; cunctos adhortati, ut junctis nobiscum precibus, eleemosynis, jejuniis, & Sacrificiis Spiritus Sancti gratiam nostræ humilitati in tam alto negotio impetrare studerent.

B. Thomam Sanctorum Catalogo adscribit.

§. 31. Tandem cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda, & observanda erant, hodie in Sacrosancta Beati Petri Apostolorum Principis Basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem S. R. Eccl. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus Nostris Clero sæculari, & Regulari, ac maxima populi frequentia manè convenimus, post repetitas pro Canonizationis decreto petitiones nomine ejusdem Philippi Regis à dilecto etiam Filio Nostro Hieronymo tituli S. Mariæ Transtyberim presbytero Cardinale Columa similiter nuncupato, per Marcum Antonium Advocatum prædictum, post sacros hymnos,litanias,aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri JESU Christi Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra maturâ deliberatione præhabita, & divina ope sæpiùs implorata,ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, B. Thomam de Villanova Archiepiscopum Valentinum Sanctum esse decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Cathalogo adscripsimus præsentium tenore decernimus, definimus, & adscribimus statuentes ab Ecclesia universali quolibet anno die 18. Septembris memoriam ejus inter Sanctos Confessores Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Visitantibus Sepulchrum indulgentias elargitur.

§. 32. Eademque actoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus,& confessis, qui annis singulis in die festo ipsius S.Thomæ ad sepulchrum in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Præsentibus Canonizationi plenariam concedit indulgentiam.

§. 33. His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari in honorem B. Thomæ oratione precati sumus per ejusdem merita, atque ad altare Sancti Petri Apostoli Missam celebravimus cum ejusdem Sancti commemoratione, omnibusque Christifidelibus tùnc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessimus.

Dignum igitur, & justum est, nos gratias agere, & gloriam dare Deo viventi in sæcula sæculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus, & immaculatus coram ipso; & cum illum dederit Nobis quasi fulgentem solem in templo suo in hac nocte peccatorum, & tribulationum nostrarum, adeamus cum fiducia thronum divinæ misericordiæ ore, & opere supplicantes, ut Sanctus Thomas universo Christiano populo prosit meritis, & exemplis, precibus adsit, & patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

§. 34. Cæterum, quia difficile foret presentes Nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus eorum exemplis etiam impressis manu publici Notarii sebscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem ubique fidem haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1658. Kal. Novembris Pontificatus nostri Anno Quarto.

† Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus,

†
† Ego Franciscus Episcopus Portuensis Cardinalis Barberinus.
† Ego Bernardinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.
† Ego Julius Episcopus Sabinen. Cardidalis Sacchettus.
† Ego Martius Episcopus Albanensis Cardinalis Ginettus.
† Ego Antonius Barberinus Episcopus Tusculanus Card. Antonius.
†

†
†
† Ego Hieronymus tit. S. Mariæ Transtyberim Presb. Card. Columna.
† Ego Jo. Baptista tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Pallottus.
† Ego Franc. M. Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presb. Card. Brancatius.
† Ego Uldericus tit. S. Anastasiæ Presb. Cardin. Carpineus.
† Ego Marcus Ant. tit. S. Mariæ de Pace Presb. Card. Franciottus.
†
†
† Ego Fr. Vincentius tit. S. Clementis Presb. Card. de Florentiola.
† Ego Julius tit. S. Priscæ Presb. Card. Gabriellius.
† Ego Cæsar tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Card. Facchenettus.
†
†
† Ego Angelus tit. SS. Quirici, & Julittæ Presb. Card. Georius.
†
† Ego Nicolaus S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Ludovisius.
†
† Ego Federicus tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. Sfortia.
†
†
†
†
†
† Ego Aloysius tit. S. Alexii Presbyter Cardinalis Homodeus.
†
† Ego Jacobus tit. S. Mariæ Transpont. Presbyter Card. Corradus.
†
†
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Santacrucius.
† Ego B. tit. SS. Nerei, & Archillei Presb. Card. Aldobrandinus.
† Ego Jo. Baptista Spada tit. S. Susannæ Presbyt. Card. S. Susannæ nuncupatus.
†
† Ego Franciscus tit. S. Mariæ in Via Presb. Cardinalis Albitius.
†
† Ego F. tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. Chisius.
†
†
†
† Ego Julius tit. Sancti Xisti Presbyter Cardinalis Rospigliosius.
† Ego Nicolaus tit. S. Eusebii Presb. Cardinalis à Balneo.
†
† Ego F. tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presb. Card. Paulutius.
†
† Ego Virginius S.M. in Vialata Diaconus Card. Ursinus.
†
† Ego Vincentius S. Eustachii Diaconus Cardin. Costagutus.
†
† Ego Paulus Aemilius S. Mariæ Cosmedin Diaconus Card. Rondininus.
†
† Ego Benedictus SS. Cosmæ, & Damiani Diac. Card. Odescalcus.
† Ego Lurentius S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Raggius.
†
†
† Ego Carolus Barberinus Diaconus Cardinalis S. Cæsarii.
†
†
† Ego Decius S. Adriani Diaconus Cardinalis Azzolinus.
†
†
†
†
†

LVI.

Nova erectio Collegii Apostolici minorum Pœnitentiariorum Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, cum nonnullis ordinationibus pro ejusdem Collegii gubernio, & officii eorumdem Pœnitentiariorum exercitio.

Edita A. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apostolicæ dignitatis fastigio, meritis licet imparibus, inscrutabili divinæ providentiæ arcano collocati, ad ea, per quæ Christifidelium curæ nostræ cœlitus commissorum animarum saluti consulitur, jugis vigilantiæ studiis intendimus, illaque providè, quantum Nobis ex alto conceditur, disponere satagimus, prout matura consideratione prævia, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa Constitutionis.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor Noster certis rationabilibus causis motus, pro salutari reformatione Collegii minorum Pœnitentiariorum Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe minores Pœnitentiarios, qui tum erant, ab eorum Pœnitentiariæ minoris officio, & exercitio penitus, & omninò amoverit, & in eorum locum ad hujusmodi munus, officium, & exercitium minorum Pœnitentiariorum aliquot Presbyteros Regulares Societatis JESU substituerit, & subrogaverit, illisque domum, & reditus pro eorum habitatione, & sustentatione assignaverit, & alia circa eorum deputationem, officiique eis demandati exercitium, ac ipsorum, & eorum Collegii statum constituerit, & ordinaverit; nec tamen super his ob ejusdem Pii Prædecessoris obitum Litteræ Apostolicæ fuerint expeditæ.

Colleg. minorum Pœnitentiariorum denuò erigit.

§. 2. Hinc est, quod Nos ea, quæ memoratus Pius Prædecessor pro animarum salute, & spirituali consolatione Christifidelium, qui Omnipotentem Deum glorificandi, ac Beatos ejus Apostolos venerandi, opportunaque spiritualibus, temporalibusque necessitatibus suis remedia, & auxilia eorumdem Beatorum Apostolorum intercessione impetrandi studio ad Basilicam prædictam ex omnibus mundi partibus confluunt, in præmissis laudabili zelo, & pietate instituit, & cœpit constabilire, & perficere, & aliàs opportunè desuper providere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine erectionem, & institutionem prædicti Collegii minorum Pœnitentiariorum dictæ Basilicæ Principis Apostolorum tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ipsumque Collegium de novo perpetuò erigimus, & instituimus.

Habitationem & reditus assignat.

§. 3. Ac pro eorumdem minorum Pœnitentiariorum habitatione domum in Civitate nostra Leonina, seu (ut vocant) Burgo prope Basilicam

hujus-

hujusmodi positam, & per illos hactenus inhabitari solitam cum omnibus, & singulis ejus membris, pertinentiis, & juribus, sicut dicti minores Pœnitentiarii illis ad præsens fruuntur, concedimus, & assignamus, & casu quo eadem domus tota, vel ejus pars destruatur, seu in alios usus convertatur, aliam domum eis habitationis causa à Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore existentibus assignandam; pro ipsorum verò minorum Pœnitentiariorum sustentatione, & Collegii hujusmodi dote de pecuniis eleemosynarum, quæ ex dispensationum matrimonialium expeditionibus proveniunt, & penes Montem Pietatis de eadem Urbe in subsidium pauperum, & alia opera pia erogandæ deponi solent, annua mille scuta monetæ Romanæ, nempè singulis mensibus octuaginta tria scuta, & triginta duos bajocchos cum dimidio similis bajocchi ejusdem monetæ in locum octuaginta scutorum auri iisdem minoribus Pœnitentiariis pridem assignatorum. quæ illis à Camera Apostolica præstabantur: præterea dimidium Julium dictæ monetæ pro singulis Litteris Apostolicis, quæ super dispensationibus matrimonialibus in tertio, vel in quarto gradu per officium Nostrum minoris gratiæ nuncupatum sub plumbo expediuntur, & insuper tria loca cum tertia parte similis loci Montis fidei, & alia novem loca Montis Salis secundæ erectionis de Urbe prædicta, & vineam extra mænia Urbis intra suos notissimos fines sitam à prædictis Modernis Pœnitentiariis acquisita, nec non pensiones ex locatione membrorum domus prædictæ locari solitorum provenientes, cum solitis donativis salis, ceræ, ac in electione Romani Pontificis, & aliis hactenus eis fieri consuetis, per ipsos minores Pœnitentiarios percipienda, exigenda, levanda, ac in suos, & dicti Collegii usus, & necessitates convertenda eisdem Collegio & minoribus Pœnitentiariis itidem perpetuo assignamus.

Const. Apost. nominari præcipit.

§. 4. Ad hæc dictum Collegium minorum Pœnitentiariorum à Nobis de novo, sicut præmittitur erectum, & institutum, Collegium Apostolicum minorum Pœnitentiariorum esse, ac perpetuò fore, & vocari debere, nec illius statum, aut denominationem quomodolibet immutari, aut alterari unquam posse statuimus, & decernimus, ipsumque Collegium ex nunc sub immediata B. Petri, ac nostra, & Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum, Sedisque Apostolicæ protectione suscipimus.

Regularibus Soc. JESU.

§. 5. Præterea idem Collegium Apostolicum dilectis filiis Presbyteris Regularibus prædictæ Societatis JESU pariter perpetuò concedimus, hac tamen lege, ut eadem Societas in Collegio hujusmodi tredecim ipsius Societatis Presbyteros regulares, comprehenso in illis d. Collegii Rectore, qui omnes, & singuli ministerium minorum Pœnitentiariorum in memorata Basilica sedulò exercere teneantur, & ex quibus duo pro Italica, duo pro Gallica, duo pro Hispanica, & Lusitana, unus pro Germanica, unus pro Hungarica, unus pro Flandrica, unus pro Polonica, unus pro Anglica, unus pro Græca, & unus pro Illyca nationibus, seu linguis minores Pœnitentiarii respectivè deputentur; Ac insuper unum, quatenus necessarius videatur dilecto filio Præposito Generali ejusdem Societatis, qui pro ministro serviat, & ad mensam legat, nec non quatuor adjutores laicos dictæ Societatis, seu eos, qui eidem Præposito Generali servitiis Presbyterorum regularium Collegii hujusmodi necessarii videbuntur perpetuò habere, & manutenere debeat, & teneatur. Declarantes, & decernentes, quòd unusquisque illorum, qui ex prædictis Presbyteris regularibus prò supra expressis nationibus, seu linguis minores Pœnitentiarii respectivè deputabuntur, ex illa natione, pro qua deputabitur, verè, & realiter esse, ipsiusque nationis idioma optimè callere debeat, & quod illi, qui in regionibus earumdem nationum respectivè nati, & educati non sint, sub quocumque prætextu, etiamsi idiomatis nationis, pro qua deputari peritissimi forent, ad minorum Pœnitentiariorum hujusmodi officia adsumi non possint. Quod si propter mortem, infirmitatem, remotionem, aliudve quodvis impedimentum alicujus ex prædictis minoribus Pœnitentiariis pro tempore deputatis opportuerit alium in ejus locum ad exercitium officii minoris Pœnitentiarii tantisper subrogari, eo casu alterum ejusdem cum illo nationis, si haberi idoneus possit, sin minus, alium alterius quidem nationis, sed qui idiomatis nationis ex qua defunctus, infirmus, remotus, vel aliàs impeditus fuerit, peritus existat, substitui volumus: ita tamen, ut sic substituendus ante omnia (nisi aliter ob urgentem necessitatem majori Pœnitentiario nunc, & pro tempore existenti visum fuerit) prævio examine in Signatura Pœnitentiariæ Apostolicæ approbetur, & per modum provisionis pro eo tempore dumtaxat, quo durabit infirmitas, vel impedimentum infirmi, vel impediti, seu donec defuncto, vel remoto successor fuerit constitutus, deputetur, & subrogetur.

Electio Rector.s, & Pœnitentiariorum ad Soc. Generalem spectat.

§. 6. Porrò electionem Rectoris, cæterorumque minorum Pœnitentiariorum prædicti Collegii Apostolici nunc, & pro tempore existenti Præposito Gen. memoratæ Societatis tribuimus.

Examinis modus.

§. 7. Statuentes ut ab eodem Præposito Generali pro tempore electi non ante ad exercitium officii minorum Pœnitentiariorum hujusmodi admittantur, quàm circa materias ad idem officium spectantes in dicta Signatura Pœnitentiariæ juxta dispositionem Litterarum rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri in simili forma Brevis die tertia Septembris 1592. expeditarum examinati, & approbati fuerint. Cæterum illi, qui semel in eadem Signatura Pœnitentiariæ, sicut præmittitur examinati, & approbati fuerint, examini denuò sese subjicere non tenebuntur, nisi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti ex aliqua causa particulari secus videatur.

Major Pœnitentiarius quomodo possit elect. suspendere.

§. 8. Si autem dilectus filius noster Nicolaus tituli S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Ludovisius nuncupatus nunc, & pro tempore existens major Pœnitentiarius aliquem à prædicto Præposito Generali ad officium minoris Pœnitentiarii electum minimè duxerit admittendum; poterit ipse Nicolaus Cardinalis nunc, & pro tempore existens major Pœnitentiarius illius examinationem tantisper suspendere, donec facta quam citiùs nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici ejus rei relatione, quid fieri debeat, fuerit ordinatum.

Semel admissi non admoveantur sine majoris pœnitentiarii facultate.

§. 9. Qui verò ad exercitium officii minoris Pœnitentiarii hujusmodi semel admissi fuerint, ab eodem officio removeri, vel dimitti, aut ex Collegio prædicto discedere non poterunt absque licentia d. Cardinalis majoris Pœnitentiarii nunc, & pro tempore existentis, qui pro data sibi à Domino prudentia, licentiam hujusmodi instante Præposito Generali prædicto negare non debebit, nisi ex justis causis, quas eo casu, prout etiam quoties eidem summo Pœnitentiario videretur aliquis ex prædictis Pœnitentiariis dissentiente eodem Præposito Generali removendus, Nobis, seu pro tempore existenti Romano Pontifici referet, Apostolica mandata hac in re fideliter executurus.

Residentiam in confessionalio. pœnitentiariis præscribit.

§. 10. Volumus autem ut memorati minores Pœnitentiarii in Basilica prædicta resideant, ibique in suæ quisque nationis confessionalibus assistant; & præstò sint, ac quorumcunque Christi-

fide-

fidelium, scilicet propriæ quisque nationis primum, & his non extantibus, aliorum etiam quando casus contigerit, quorum idiomata calleant, confessiones sacramentales diligenter audiant bis in die, nempe mane ab initio matutini usque ad finem officiorum divinorum ante-meridianorum, & post meridiem ab initio vesperarum per duas horas continuas, idque omnes singulis majoris hebdomadæ, & intra octavam Paschatis Resurrectionis Dominicæ diebus, nec non in Nativitatis Domini, Pentecostes, singulis B. Mariæ Virginis, ac Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, cæterisque omnibus, & singulis festis anni diebus, præsertim de præcepto, vigiliis etiam consuetis, præterea singulis diebus Veneris, Mensis Martii nec non Jubileorum, & Stationum in eadem Basilica existentium temporibus, ac insuper quandocumque id eis ex aliqua causa particulari à Superioribus injunctum fuerit, aut charitas Pœnitentiariorum suadebit, aut necessitas pœnitentium postulabit, inviolabiliter observent; In cæteris verò ferialibus anni diebus id saltem pro tertia eorumdem Pœnitentiariorum parte sedulò adimpleant. Ab his tamen Rectorem prædicti Collegii excipimus, qui cum ejus officii causa multoties legitimè sit impeditus prædicto excipiendarum confessionum muneri, prout secundum propriam conscientiam poterit, satisfaciet.

Pœnit. quando subjiciuntur majori Pœnitentiario, & quando Generali.

§. 11. Præterea prædictos Rectorem, & minores Pœnitentiarios in omnibus quidem illis, quæ Pœnitentiarii officium concernunt, jurisdictioni, visitationi, & coërcitioni memorati Nicolai Cardinalis nunc, & pro tempore existentis majoris Pœnitentiarii subjectos esse debere decernimus, adeò ut in gravioribus, nonnisi facto priùs verbo Nobiscum, & cum Successoribus Nostris, contra eos procedat: In iis verò, quæ ad disciplinam regularem, regulæ observantiam, constitutiones, & instituta Societatis prædictæ, ac œconomiam, & gubernium rei familiaris pertinent, iidem Rector & minores Pœnitentiarii cum universa eorum familia memorato Præposito Generali Societatis Jesu immediatè subjacebunt, reservata tamen semper Superioritate Visitationi Apostolicæ, cui ad Nostrum pro tempore existentis Romani Pontificis nutum subesse, ac peculiares redituum d. Collegii rationes reddere debebunt.

Facultates Pœnitentiariorum.

§. 12. Postremò abrogatis in primis facultatibus omnibus minoribus Pœnitentiariis à Prædecessoribus Nostris hactenus concessis, eisdem minoribus Pœnitent. quamdiù in Collegio manserint, & officium minoris Pœnitentiarii exercuerint dumtaxat omnes, & singulas facultates pro foro conscientiæ in particulari tabella proprio d. Nicolai nunc, & pro tempore majoris Pœnitentiarii charactere firmata, & ejusdem sigillo munita jussu Nostro descriptas, ac in libris tàm Pœnitentiarii majoris, quàm Collegii dictorum Presbyterorum registrandas, & ulterius in aula ejusdem Collegii palam exponendas concedimus, & impartimur; easque motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus approbamus, & confirmamus.

Exemptiones & immunitates pro victu & vestitu.

§. 13. Nec non omnia, & singula privilegia, & gratias, indulta, honores, prærogativas, ac tam quoad ipsorum minorum Pœnitentiariorum personas, quàm res pro eorum victu, vestitu, suppellectilibus, & libris, totaque ipsorum familia necessarias, à contributionibus pro viarum publicarum refectione, cæterisque oneribus publicis, & aliis rebus quibusvis immunitates, & exemptiones, ac libertates quascumque Pœnitentiariis minoris gratiæ eorum antecessoribus hactenus concessa, & concessas, & quibus moderni minores Pœnitentiarii, & Collegium prædictum ad præsens fruuntur, potiuntur, & gaudent, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis concedimus, & impartimur.

Clausulæ præservativæ.

§. 14. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet cujusvis gradus, ordinis, dignitatis, status, & conditionis existant, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, aut aliàs speciali, & individua mentione digni sint, in præmissis quomodòlibet interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, aut ad præmissa vocati, & auditi, & causæ propter quas emanarunt, adductæ, verificatæ, vel justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis pia, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, restringi, modificari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium, dispositionum, & gratiarum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostros, Sedemque prædictam quandòcumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda de novo concessas, firmasque, validas, efficaces existere, & perpetuò fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & quandòcumque spectabit respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Cameræ prædictæ Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, & cæteros quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, nec non piæ memoriæ Symmachi, quæ incipit, *Non liceat*, & Pauli II. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ hujusmodi non alienandis, ac similis rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & in libris illius registrandis, itaut præsentes ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Conciliis, etiam universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non Societatis, & Collegii prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Lite

ris Apostolicis etiam eidem Societati, illiusque Præposito Generali, & personis quibuslibet, necnon dicto Collegio, & aliis quibusvis, etiam speciali, & individua expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter insertis, servatis, & expressis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 4. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Februarii 1659. Pont. Nostri anno quarto.

LVII.

Nonnullæ ordinationes pro Collegio Apostolico minorum Pœnitentiariorum Sacræ Domus Lauretanæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1659.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

EX commissi Nobis divinitus sacrosancti Apostolatus officii debito, gregi Dominico sollicitis studiis jugiter invigilantes, nonnulla circa Collegium Apostolicum Pœnitentiariorum (ut vocant) minorum Sacræ Domus Lauretanæ, dudum pro dilectis filiis Presbyteris regularibus Societatis JESU in Civitate Nostra Lauretana auctoritate Apostolica institutum constituenda, seu declaranda esse duximus, quæ Christi fidelium ex omnibus Christiani Orbis partibus ad eamdem Sacram Domum pia devotione confluentium animarum saluti conducibilia fore in Domino speramus.

Minorum Pœnitentiariorum numerum pro variis linguis.

§. 1. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut prædicta Societas Jesu in Collegio Apostolico hujusmodi undeviginti Societatis Presbyteros regulares, comprehenso in illis ejusdem Collegii Rectore, ex quibus unus pro Gallica, unus pro Hispanica, unus pro Germanica, unus pro Belgica, unus pro Polonica, unus pro Anglica, unus pro Illyrica, & unus pro Græca, cæteri verò pro Italica nationibus, seu linguis minores Pœnientiarii prædictæ Sacræ Domus Lauretanæ respectivè deputentur, quique omnes, & singuli sacramentales Christi fidelium (scilicet propriæ quisque nationis primùm, & his non extantibus, aliorum etiam quando casus contigerit, quorum idiomata calleant) confessiones in Ecclesia Lauretana, in qua memorata Sacra Domus existit, diligenter audire, & ad id præstò esse, cæteraque officium minorum Pœnitentiariorum hujusmodi concernentia sedulò exercere debeant (Rectore Collegii excepto, nam ille, cùm ejus officii causa multotiès legitimè sit impeditus, huic muneri prout secundum propriam conscientiam poterit, satisfaciet) perpetuò habere, & manutenere debeat, & teneatur, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Verè Nationales sint pœnitentiarii.

§. 2. Declarantes, & decernentes, quòd unus quisque illorum, qui ex prædictis Presbyteris Regularibus pro supra expressis nationibus, seu linguis minores Pœitentiarii dictæ Sacræ Domus respectivè deputabuntur, ex illa natione, pro qua deputabitur, verè, & realiter esse, ipsiusque nationis idioma optimè callere debeat: quòdque qui in regionibus earumdem nationum respectivè nati, & educati non sint, sub quocumque prætextu, etiamsi idiomatis nationis, pro qua deputari prætenderentur, peritissimi forent, ad minorum Pœnitentiariorum hujusmodi officia adsumi minimè valeant, exceptis tamen Italis, quos pro majore parte sufficiat in Italia natos, & educatos esse, cæteros verò in ea diu permansisse atque Italicum idioma optimè callere, quinimò alios etiam prædictos qui pro nationibus præfatis eligentur, eamdem Italicam linguam, & aliquos ex eis etiam Lusitanam, & Hungaricam edoctos esse curandum erit, ut Italorum quoque, Lusitanorum, & Hungarorum, si quando opus fuerit, confessiones audire, atque alios in eodem munere coadjuvare valeant.

Quomodo in casu impedimenti, sint subrogandi.

§. 3. Quod si propter mortem, infirmitatem, remotionem, aliudve quodvis impedimentum alicujus ex prædictis minoribus Pœnitentiariis pro tempore deputatis oportuerit alium in ejus locum ad exercitium officii minoris Pœnitentiarii tantisper subrogari; eo casu alterum ejusdem cum illo nationis, si haberi idoneus possit, sin minus, alium alterius quidem nationis, sed qui idiomatis nationis, ex qua defunctus, infirmus, remotus, vel aliàs impeditus fuerit, peritus existat, substitui volumus: ita tamen, ut sic substituendus ante omnia, prævio examine, ut infra, faciendo, approbetur, & per modum provisionis pro eo tempore dumtaxat, quo durabit infirmitas, vel impedimentum infirmi, vel impediti, seu donec defuncto, vel remoto successor fuerit constitutus, deputetur, & subrogetur.

Electio Rectoris, & Pœnitentiariorum Generali reservatur.

§. 4. Porrò electionem Rectoris, cæterorumque minorum Pœnitentiariorum prædicti Collegii Apostolici, & Fratrum, Faliorumque inservientium dilecto filio nunc, & pro tempore existenti Præposito Generali memoratæ Societatis tribuimus: Statuentes, ut ab eodem Præposito Generali pro tempore electi non ante ad exercitium officii minorum Pœnitentiariorum hujusmodi admittantur, quàm circa materias ad idem officium spectantes in Signatura Pœnitentiariæ Apostolicæ, vel si ad Almam Urbem Nostram sine gravi incommodo, & expensis accedere non possint, coram aliquo ex Venerab. Fratribus Episcopis supradictæ Domui Lauretanæ vicinis per dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ludovisium nuncupatum modernum, & pro tempore existentem majorem Pœnitentiarium in singulis casibus ad hunc actum specialiter delegando, prout ipsi Nicolao Cardinali moderno, & pro tempore existenti majori Pœnitentiario videbitur, & hactenus juxta Constitut. fel. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri die 20. Junii 1636. in simili forma Brevis promulgatæ, quæ incipit, Attendentes universo Gregi &c. dispositionem servatum fuit, & examinati, & approbati fuerint. Et si quando contigerit, quempiam ad modicum tempus ob justam supervenientem causam in locum alicujus ex dictis minoribus Pœnitentiarii deficientis, vel impediti, sicut præmittitur, subrogandum esse, tunc pariter illius examen coram aliquo ex vicinis Episcopis prædictis per memoratum Nicolaum Cardinalem modernum, & pro tempore existentem majorem Pœnitentiarium pro hujusmodi tantùm contingentibus provisionibus de præsenti, seu antecedenter delegando præcedere debeat.

§. 5. Cæterùm illi, qui semel in dicta Signatu-

Semel admissi denuo examini non subjiciantur.

ra Pœnitentiariæ, aut aliter, sicut præmittitur, examinati, & approbati fuerint, examini denuò sese subjicere non tenebuntur, nisi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti ex aliqua causa particulari secus videatur. Si autem præfatus Nicolaus Cardinalis nunc, & pro tempore existens major Pœnitentiarius aliquem à supradicto Præposito Generali ad officium minoris Pœnitentiarii electum minimè duxerit admittendum, poterit ipse Nicolaus Cardinalis nunc, & pro tempore existens major Pœnitentiarius illius examinationem tantisper suspendere, donec facta quantocitiùs Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici ejus rei relatione, quid fieri debeat, fuerit ordinatum.

Admissi nec moveantur ne majoris Pœnitentiarii facultate.

§. 6. Qui verò ad exercitium officii minoris Pœnitentiarii hujusmodi semel admissi fuerint, ab eodem officio removeri, vel dimitti, aut ex Collegio prædicto discedere non poterunt absque licentia d. Cardinalis majoris Pœnitentiarii nunc, & pro tempore existentis, qui pro data sibi à Domino prudentia licentiam hujusmodi instante Præposito Generali prædicto negare non debebit, nisi ex justis causis, quas eo casu, prout etiam quoties ipsi Cardinali majori Pœnitentiario videbitur aliquis ex prædictis minoribus Pœnitentiariis dissentiente memorato Præposito Generali removendus, Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici referet, mandata Apostolica hac in re fideliter executurus.

Quando subjiciuntur Majori Pœnitent.

§. 7. Præterea prædictos Rectorem, & minores Pœnitentiarios in omnibus quidem illis, quæ Pœnitentiarii officium concernunt, jurisdictioni, visitationi, & coërcitioni memorati Nicolai Cardinalis, nunc, & pro tempore existentis majoris Pœnitentiarii subjectos esse debere decernimus, adeò ut in gravioribus, nonnisi facto verbo Nobiscum, & cum successoribus Nostris, contra eos procedat. In iis verò quæ ad disciplinam regularem, Regulæ observantiam, constitutiones, & instituta Societatis prædictæ, ac œconomiam, & gubernium rei familiaris pertinent, iidem Rector, & minores Pœnitentiarii cum universa eorum familia prædicto Præposito Generali immediatè subjacebunt.

Constit. Urb. VIII. confirmat.

§. 8. Postremò supradictam Urbani Prædecessoris Constitutionem in omnibus, & singulis, quæ præsentibus non adversantur, perpetuò inviolabiliter observari mandamus, & præcipimus.

Clausulæ præservativæ.

§. 9. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet cujusvis gradus, ordinis, dignitatis, status, & conditionis existant, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, aut aliàs speciali, & individua mentione digni sint, in præmissis quomodòlibet interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, aut ad præmissa vocati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, vel justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis pia, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, restringi, modificari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium, dispositionum, & gratiarum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostros, Sedemque Apostolicam quandòcumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda de novo concessas, firmasque, validas, efficaces existere, & perpetuò fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & quandòcumque spectabit respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, cæterosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarii derogat.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac quoad ea quæ præsentibus sunt, vel dici possent contraria, prædicta Urbani Prædecessoris, & quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula, de non tollendo jure quæsito, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Societatis, & Collegii prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, eidem Societati, illiusque Præposito Generali, & personis quibuslibet, necnon dicto Collegio, & aliis quibusvis, etiam speciali, & individua expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 4.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Februarii 1659. Pontificatus Nostri Anno quarto.

LVIII.

Confirmat omnia privilegia Monachorum Silvestrinorum Ordinis Sancti Benedicti, extenditque eis, ac communicat omnia, & singula privilegia, gratias, & indulta tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus concessa.

Quanam sint privilegia Membrorum, ac Mendicantium, vide Bullas citatas in Repertorio verb. privilegium.

Edita, A. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosorum virorum Altissimo famulantium profecti quantum cum Domino possumus paterna charitate prospicere cupientes privilegia, & gratias aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium religiosis concessa libenter illis communicamus, & ad eos extendimus prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Leonardus Pelagallus Procurator Generalis Congregationis Monachorum Sylvestrinorum nuncupat. Montisfani Ordinis Sancti Benedicti nominibus dilectorum filiorum Abbatis Generalis, & omnium Manachorum ejusdem Congregationis Nobis nuper exponi fecit, Congregatio praefata, omnia, & singula privilegia, gratias, & indulta tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, ac eorum Monasteriis, domibus, & locis, & Personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet concessa ad eorum Sylvestrrinorum Congregationem, illiusque Monachos, & personas extendi, illaque eis communicari summoperè desiderent, idcircò Nobis idem Leonardus nominibus praedictis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolvit Oratorem à censuris.

§. 2. Nos igitur Congregationem Sylvestrinorum Montisfani praefatam, ejusque Monachos, & personas quascumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac singulorum privilegiorum, gratiarum, & Litterarum desuper confectarum hujusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, & quemlibet eorumdem religiosorum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, praerogativas, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, caeterasque gratias spirituales, & temporales tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodolibet quibusvis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, & tam virorum, quam mulierum Monasteriis, Domibus, & Regularibus locis in quibuscumque Mundi partibus consistentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, & personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros hujusmodi, ac Nos, & Sedem eandem etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias concessa, & quibus singulae Congregationes praedictae, earumque Monasteria, Domus, loca, ac Superiores, Fratres, & Monachi, ac personae hujusmodi, de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, aut concessione Apostolica, vel alia quavis auctoritate, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum quatenus sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, seù particularibus Constitutionibus, ejusdem Congregationis Sylvestrinorum non adversentur, ad praedictam Sylvestrinorum Congregationem, itaut illa, ejusque tamvirorum quam mulierum Hospitalia, Conventus, seù regulares domus, illorumque Superiores, Priores, Officiales, Fratres, Ministri, & aliae personae nunc & pro tempore existentes praemissis omnibus, & singulis aeque principaliter, & pariformiter, & sine ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, ac si illa dictae Sylvestrinorum Congregationi, illiusque Monasteriis, Hospitalibus, Conventibus, & Domibus Regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, Ministris, & aliis personis praedictis specialiter, & expressè, ac principaliter, non autem ad instar concessa, ac praesentibus de verbo ad verbum inserta fuissent, auctoritate, & tenore praedictis perpetuò extendimus, illaque omnia, & singula dictae Congregationi Sylvestrinorum illiusque Monasteriis, Hospitalibus, Conventibus, ac Regularibus Domibus, necnon Prioribus, Subprioribus, Officialibus, Ministris, & personis praedictis quibuscumque, exceptis tamen privilegiis Monachorum Sancti Benedicti per quae eidem Ordini indulgentiae conceduntur, ac etiam excepta facultate eligendi, & deputandi Conservatores Religionis, & Monachorum communicamus.

Confirmat ac extendit pro ut in rub. Reservat Indulg. Ordinis S. Benedicti.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Judices quacunque auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti dictae Sylvestrinorum Congregationis Protectori per praesentes committimus, & mandamus quatenus per se, vel alium, seù alios praesentes Litteras & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit solemniter publicans, ac dictae Sylvestrinorum Congregationis Monachis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens faciat auctoritate Nostra praesentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos quos ipsae litterae concernunt illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, vel eorum aliquem desuper contra praesentium tenorem per quoscumque etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Executores deputat.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non Mendicantium, & non Mendicantium, Ordinum, Congregationum, Monasteriorum, & Regularium domorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, & alias in in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§. 5. Volumus autem, quod praesentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii

sub-

ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Sylveſtrinorum Congregationis, vel illius Procuratoris obſignatis eadem prorſus, fides adhibeatur ubique quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. An. 4. die 28. Febr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 28. Februarii 1659. Pontificatus Noſtri anno quarto.

LIX.

Confirmatio Reformationis Provinciæ Fratrum Minorum ſtrictioris Obſervantiæ Auſtriæ, cum declaratione quod moderetur ſicut reliquæ Provinciæ Reformatæ ejuſdem Ordinis.

De Provinciis Reformatorum Italiæ vide, quæ notavi ad Conſt. 40. Urb. VIII. Sacroſanctum, & ad Conſt. 240. ejuſdem Injuncti nobis.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

MIlitantis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, inſcrutabili divinæ providentiæ arcano præſidentes, ad ea, per quæ Religioſorum virorum, præſertim ſub ſuavi arctioris Regulæ jugo Altiſſimi obſequiis mancipatorum ſtatui, & fœlici directioni opportunè conſulitur, propenſis ſtudiis intendimus, ac in illis commiſſi Nobis cœlitus officii partes libenter interponimus prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Introductio Reform. 1

§.1. Alias ſiquidem fœl. rec. Urbano Papa VIII. Prædeceſſori Noſtro pro parte clar. mem. Ferdinandi Romanorum dum vixit Regis in Imperatorem electi expoſito, quod in Domibus Regularibus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum Provinciæ Auſtriæ opera Antonii à Galbiato tunc dicti Ordinis in illis partibus Commiſſarii generalis reformatio introducta fuiſſet, dictique Fratres uberes in Vinea Domini fructus afferrent: itidem Urbanus Prædeceſſor ſupplicationibus dicti Ferdinandi Regis in Imperatorem electi nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, Reformationem in Domibus regularibus dictæ Provinciæ Ordinis hujuſmodi, ut præfertur introductam cum iiſdem privilegiis, gratiis, & indultis, ac modo, & forma, quibus ſimilem reformationis introductionem in Provinciis Bavariæ, & Tirolis prius confirmaverat, auctoritate Apoſtolica approbavit, & confirmavit, & alias prout in ipſius Urbani Prædeceſſoris Litteris deſuper in ſimilis forma Brevis die 2. Decembris 1632. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus uberius continetur.

Petitio privilegiorum.

§. 2. Cum autem ſicut Dilecti Filij Franciſcus Statfelt Miniſter Provincialis, & fratres prædictæ Provinciæ Auſtriæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi gratias, & privilegia, quæ memoratis Provinciis Bavariæ, & Tirolis à ſupradicta Provincia Auſtriæ valde remotis per Litteras prædicti Urbani Prædeceſſoris ſuper confirmatione introductionis reformationis in Provinciis hujuſmodi expeditas conceſſa reperiuntur, eidem Provinciæ Auſtriæ per extenſum pariter concedi ſummoperè deſiderent, dilectuſque pariter filius Miniſter generalis Ordinis prædicti, viſis, & conſideratis juſſu noſtro dictis privilegiis, & gratiis eiſdem exponentibus opportunè in præmiſſis, ut infra à Nobis provideri expedire cenſuerit.

Abſolvit oratores à cenſuris.

§. 3. Nos ſpecialem dictis Franciſco Miniſtro Provinciali, & Fratribus exponentibus gratiam facere, volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodòlibet innodate exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequentes harum ſerie abſolventes. & abſolutos fore cenſentes: Supplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: de venerabilium fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis, narratis, ac audito per eoſdem Cardinales prædicto Miniſtro Generali Ordinis hujuſmodi, ut prædicta Provincia Auſtriæ ſit reformata, aliiſque Fratrum dicti Ordinis Reformatorum Diſcalceatorum nuncupatorum Provinciis Regnorum Hiſpaniarum conformis, & ad illorum inſtar, ac ſub omnimoda Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis, & eo Italicæ Nationis, & extra Italiam exiſtente, ejus Vicarii Generalis, necnon etiam Commiſſarii Generalis juxtà Bullam unionis electi, non autem Commiſſariorum Generalium eorumdem Ordinis, & Regnorum Hiſpaniarum, nec Superioris, vel inferioris Germaniæ, ita quod Miniſter, ac Vicarius, & Commiſſarius Generalis prædicti juxta Bullam hujuſmodi electi illam nonniſi per ſe ipſos, aut Commiſſariòs Ordinis Reformatorum prædictorum viſitare valeant, juriſdictione, auctoritate, & ſuperioritate, ac etiam ſub directione Procuratoris Generalis Reformatorum in Curia Romana quoad negotia occurrentia, ejuſque Fratres juxta declarationes rec. mem. Nicolai III. & Clementis V. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum pariter noſtrorum vivere debeant.

Concedit prout in Rub.

Auctoritas Miniſtri Provincialis.

§. 4. Et cum hoc etiam quod Miniſter Provincialis Provinciæ Reformatæ Auſtriæ hujuſmodi omnem juriſdictionem, facultatem, & auctoritatem tam in Fratres Ordinis prædicti ſibi ſubditos, quam circa novarum Domorum ejuſdem inſtituti in eadem Provincia fundationem, ſeu erectionem, aut ædificationem, necnon etiam circa Novitios, & alia in Litteris Apoſtolicis piæ mem. Gregorii Papæ XIII. etiam Prædeceſſoris noſtri contenta prout alii Miniſtri Provinciales aliarum Provinciarum Fratrum ejuſdem Ordinis Reformatorum Diſcalceatorum nuncupatorum in omnibus, & per omnia habeat, ac tam ipſe, quam ſingularum Domorum dictæ Provinciæ Auſtriæ Fratrum Minorum Sancti Franciſci Reformatorum Diſcalceatorum nuncupatorum Superiores, necnon ſingulares cujuſlibet illarum perſonæ omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, conceſſionibus, favoribus, & gratiis ſpiritualibus, & temporalibus, quibus alii hujuſmodi Miniſtri Provinciales, ac dictarum domorum Regularium Superiores, & ſingulares perſonæ uti, frui, & gaudere ſolent, & poſſunt, ac poterunt quomodòlibet in futurum, pariter, & pariformiter, ac æquè principaliter ſine ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere reſpectivè poſſint, & valeant.

Statuta Provinciæ alterari non poſſunt.

§. 5. Quodque nunc & pro tempore exiſtens Miniſter Generalis prædictus, aut Viſitatores ab eo etiam pro tempore mittendi ſtatuta, Conſtitutiones, & Ordinationes ejuſdem Provinciæ Reformatæ Auſtriæ, illiuſque domorum Regularium hujuſmodi Conſtitutionibus generalibus Reformatorum non adverſantia, niſi de conſenſu majoris partis Fratrum Vocalium dictæ Provinciæ Reformatæ Auſtriæ in eorum Capitulis Provincialibus præſtando alterare, vel immutare, aut eoſdem Fratres ab eorum modo vivendi, dummodo juxtà eaſdem declarationes vivant, diſturbare, necnon quod Fratres ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupati infra limites ejuſdem, ſeu alterius Provinciæ exiſtentes collecturas, ſeù quæſturas ad domos regulares ejuſdem Provinciæ Reformatorum Diſcalceatorum Auſtriæ ſpectantes, exceptis eis à Fratribus Pro-

vinciæ Austriæ hujusmodi in dicto eorum Capitulo Provinciali forsan concedendis, occupare, aut eosdem Fratres Reformatos Discalceatos Provinciæ Austriæ desuper perturbare nullo unquam tempore possint, nec valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

Quod Minister Gen. eligere possit Patres Definitorii.

§. 5. Ac insuper eidem Ministro Generali, ut Ministrum Provincialem, Custodem, & Definitores dictæ Provinciæ Austriæ creare, & eligere, cæteraque omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodòlibet opportuna, etiamsi talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, specificam, individuam, & expressam requirerent mentionem, facere, dicere, ordinare, & exequi liberè, & licitè possint, & valeant, plenam, liberam, & amplam auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impartimur licentiam, & facultatem, ita tamen, ut Fratres Provinciæ hujusmodi Constitutionibus, & Ordinationibus in Capitulo, sive Congregatione Generali factis, quæ strictiori Observantiæ non adversantur, subjaceant, ad illarumque observationem omninò teneantur.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes Provinciam Austriæ prædictam decretis, & declarationibus à Nobis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus, & Successoribus Nostris pro Reformationibus, & custodiis Italiæ emanatis, seù emanaturis nullatenus subjectam, & comprehensam esse, vel fore, ac Provincialem Custodem, & Definitores, aliosque Superiores, & Fratres Provinciæ Reformatæ Austriæ hujusmodi à quoquam quavis etiam Archiepiscopali, aut Episcopali, vel etiam majori auctoritate fungente desuper molestari, perturbari, inquietari, aut impediri non posse; Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios ordinarios & delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, illiusque Provinciarum quarumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, illiusque, & illarum Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. Ap. 4. die 18. Martii

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Martii 1659. Pontificatus Nostri Anno quarto.

LX.

Quod Fratres Minores Discalceati Sancti Francisci Hispaniarum non possint transire ad aliam Religionem, nisi de licentia majoris partis Patrum Vocalium Definitorii.

Circa transitum ab una ad aliam Religionem seu familiam, vide ad Constit. Urb. VIII. 240. Injuncti nobis *& Pauli V.* Postulat Apostolici *tom.* 3.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1659.

Supplicatio.

Cum sicut Dilecti Filii Ministri Provinciales & Fratres Provinciarum Sanctorum Joannis Baptistæ, & Josephi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncup. Regni Hispaniarum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi alias providè consideraverint incommoda, quæ eisdem Provinciis in dies proveniunt ex eo quod nonnulli earumdem Provinciarum religiosi hujusmodi prætextu vitæ melioris prætendant è dicto Ordine transire ad Fratres Carthusianos, petita dumtaxat licet non obtenta ad id suorum Superiorum licentia, Nobis propterea iidem exponentes, ut eædem Provinciæ in eorum statu reformato, & in pacis, & quietis universalis amœnitate conserventur humiliter supplicari fecerunt; ut in præmissis opportunè ut infra providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Concedit prout in Rub.

§. 2. De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, attentis narratis, ad evitanda exposita inconvenientia, ac aliis justis de causis, ut in futurum nulli Ordinis hujusmodi Religioso professo, etiam sub prætextu arctioris vitæ, seù quovis alio quæsito titulo liceat ad quamcunque aliam religionem quamtumlibet strictiorem transire, nisi prius in pleno Definitorio licentiam transeundi petierint, eamque per majorem partem suffragiorum favorabilium legitimè obtinuerint, ac nullum, & inane quicquid secus gestum fuerit Apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus.

§. 2. Cognitionem verò causarum prætensorum gravaminum propter denegationem prædictæ licentiæ eisdem Cardinalibus etiam privativè quoad alios quoscunque Judices quantumvis specifica, & specialissima mentione dignos avocamus, & reservamus.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. P. An. 4. die 18. Martii

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Martii 1659. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXI.

Quod Alumni, & Convictores Collegiorum de Somasca possint in eorum Oratoriis confiteri, tam à Presbyteris dictæ Congregationis, quam ab aliis ab Ordinario approbatis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoria.

Edita An. D. 1659.

Motiva hujus Constit.

Alias postquam fel. record. Paulus Papa V. Prædecessor Noster inter alia privilegia Congre-

gregationi Clericorum Regularium de Somaſcha alias S. Majoli Papien. nuncupatorum conceſſerat ut ſinguli Presbyteri profeſſi dictæ Congregationis omnibus, & quibuſcumque perſonis degentibus, & commorantibus in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis ſub cura, regimine, & adminiſtratione dictæ Congregationis exiſtentibus extremæ unctionis, necnon etiam tempore Paſchatis, Reſurrectionis Dominicæ, feſtivitatis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, Sacramenta, abſque aliquo cenſurarum incurſu miniſtrare rec. mem.

§. 1. Urbano Papæ VIII. Prædeceſſori pariter Noſtro pro parte, tunc exiſtentis Procuratoris Generalis prædictæ Congregationis expoſito, quod à nonnullis locorum Ordinariis revocaretur in dubium, an per ſupradictam Conceſſionem Presbyteris prædictis implicitè etiam conceſſa eſſent licentia privata Oratoria in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis hujuſmodi præſertim dictæ Congregationis non propriis habendi, in eiſque Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium etiam extrà tempus Paſchatis celebrandi: idem Urbanus Prædeceſſor ſupplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, eidem Congregationi quod ipſa in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis hujuſmodi, etiam non propriis dictæ Congregationis, ſub ejus tamen cura, regimine, & adminiſtratione exiſtentibus Oratoria privata habere, ipſiuſque Congregationis Presbyteri profeſſi in eis ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in perſonarum in dictis Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis degentium, & commorantium præſentia tam intra, quam extrà tempus Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ feſtivitatis hujuſmodi celebrare liberè, & licitè poſſent, & valerent, declaravit, ac quatenus opus eſſet, eis de novo conceſſit, & indulſit prout in ipſius Urbani Prædeceſſoris Litteris deſuper in ſimili forma Brevis, die 22. Decembris 1632. expediri, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & verbatim inſerto haberi volumus continetur.

§. 2. Cum autem ſicut dilectus filius Petrus Franciſcus Moia Procurator Generalis memoratæ Congregationis Nobis nuper exponi fecit, nonnulli locorum Ordinarii adhuc revocent in dubium utrum Alumni, & Convictores qui in prædictis Collegiis educantur peccata ſua Presbyteris per Ordinarios approbatis in eiſdem Collegiis ſacramentaliter confiteri valeant, ipſeque Petrus Franciſcus Procurator Generalis propterea, quò ſpirituali eorumdem Alumnorum, & Convictorum quieti conſulatur, opportunè in præmiſſis à Nobis provideri plurimum deſideret.

Abſolvit Oratorem à cenſuris.

§. 3. Nos eumdem Petrum Franciſcum Procuratoerm Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut Alumni, & Convictores Collegiorum ſub cura dictæ Congregationis exiſtentium in Oratoriis, ſeu Cappellis eorumdem Collegiorum, in quibus præmiſſum eſt auctoritate Apoſtolica Miſſam celebrare, & Sacram Communionem miniſtrare, peccata ſua ſacramentaliter confiteri liberè, & licitè poſſint, & valeant, idque Presbyteris ab Ordinario approbatis etiam ſecularibus ſi Alumni, & Convictores prædicti nollent confiteri Regularibus dictæ Congregationis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Confirmat prout in rub.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. P. An. 4. die 18. Martii

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 18. Martii 1659. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

LXII.

Quod Correctores Provinciales in Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de Paula, de cætero, completo, & exacto eorum officio, per ſex annos immediatè ſequentes ab eodem munere vacare debeant, antequam ad hujuſmodi munus denuò eligi poſſint.

De hac materia vide ad Conſtit. Gregor. XV. Militantis Eccleſiæ *pro Fratribus Regularis Obſervantiæ ac Diſcalceatorum S. Franciſci.*

Edita A. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD ea, per quæ Religioſorum Ordinum quorumcumque felici directioni opportunè conſulitur, libentèr intendimus, & deſuper Paſtoralis officii Noſtri partes favorabiliter interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Motiva hujus Conſtit.

§. 1. Cum itaque ſicut accepimus in Ordine Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula in vim illius Regulæ, & Conſtitutionum Apoſtolica auctoritate confirmatarum, Correctores Provinciales hujuſmodi ſpatio trium annorum exerceant, quibus expletis, illi vacare, & ceſſaro ab eodem munere, & officio ad aliud triennium immediatè ſubſequens debent, adhoc ut in Correctorem Provincialem denuò reeligi poſſint; Cumque videatur ad præſens inoleviſſe in eodem Ordine cupiditas, & ambitio officiorum, ipſique Correctores Provinciales, ut ad idem Correctoris Provincialis munus, & officium, exacto triennio prædicto, reeligantur, eaque de cauſa Succeſſores in eodem munere ſibi grati, & accepti creentur, ſtudeant eos dicti Ordinis Religioſos in Correctores locales conſtituere, qui ad ſui libitum voluntatis in Capitulo Provinciali votum, ſeu ſuffragium ferant, ſui perpetuitatem in domino, & officio, nulla habita boni communis, & proſperi regiminis dicti Ordinis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ratione, quærentes.

§. 2. Hinc eſt, quod Nos ambitioni, & cupiditati hujuſmodi obviam ire, & in præmiſſis opportunè pro cura noſtra Paſtorali providere volentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine: Quod de cætero perpetuis futuris temporibus Correctores Provinciales d. Ordinis completo, & exacto illorum officio hujuſmodi, per ſex annos immediatè ſequentes, ab eodem munere vacare, & ceſſare debeant, itaut ante lapſum ſexennii hujuſmodi ad munus, & officium Correctoris Provincialis cujuſcumque Provinciæ Ordinis prædicti denuò eligi, vel aſſumi nullo modo poſſint tenore præſentium ſtatuimus; atque ita ab omnibus, & ſingulis d. Ordinis Fratribus, & perſonis ſub indignationis Noſtræ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon dignitatum, officiorum, & præeminentiarum quarumlibet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & quævis alia, obti-

Obſervanda mandat prout in rubr.

obtinenda, pœnas eo ipso absque declaratione incurrendis inviolatè, & perpetuò servari præcipimus, & mandamus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4 Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis Regula, & Correctorio nuncupato, necnon Statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut præsentium transsumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. F. An. die 24. Maji. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Martii 1659. Pontificatus Nostri Anno quarto.

LXIII.

Confirmat conventiones super Jure Patronatus Ducis Medinæ Sydoniæ in tres Conventus Fratrum Congregationis Hispaniæ Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Provinciæ Andalusiæ, & in totam Congregationem.

De hac materia vide od Constit. 182. *Urbani VIII.* Inter cætera.

Edita An. D. 1660.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoria.

Supplicatio. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Christo Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum, quod cum dilectus filius Nobilis Vir Dux Medinæ Sydoniæ favorabilem semper, ac beneficum se præstiterit Recollectioni dictæ Congregationis, eidemque tres Conventus in Provincia Andalusiæ proprio ære, ac magnis sumptibus fundaverit, necnon publico, & solemni Instrumento aliàs sub anno 1621. se suosque Hæredes, & Successores, & bona in perpetuum obligaverit singulis Capitulis generalibus ipsius Congregationis per sexennia celebrandis scuta sexcenta pro expensis uniuscujusque Capituli sustinendis eidem Congregationi titulo eleemosynæ contribuere, & donare, prout & trecenta singulis trienniis pro expensis Capituli Provincialis Provinciæ Andalusiæ itidem eodem modo contribuere, & largiri, propterea d. Congregatio gratitudinis nomine eidem Duci, ejusque in Ducatu pro tempore Successoribus universalis patroni titulum, ad infrascriptos effectus, & prærogativas dumtaxat, & non alias indulsit, necnon Juspatronatus honorificum cum prærogativis, & præeminentiis de jure Fundatoribus Regularium Monasteriorum debitis super prædictos tres Conventus ab ipso, ut supra in Provincia Andalusiæ fundatos concessit, seù concedi cupit cum indultis, & conventionibus contentis in Capitulis tenoris qui sequitur, videlicet.

Conventiones observandæ. §.1. Et primò præsupposita contributione prænarrata per D. Ducem pro tempore, ut supra facienda, eidem, & ejus Successoribus facultatem concedir nominandi, seù assignandi locum, & Monasterium, in quo Capitulum Generale pro tempore celebrari debeat: Ità tamen ut nominatio, seù assignatio prædicta debeat fieri in antecedenti Capitulo pro subsequenti, & quatenùs assignatus locus Recollectioni aliquam ob causam non placeret liberum illi sit alibi ad suum libitum propriis expensis celebrare.

II. Et Religiosi omnes, qui ex universa recollectione in ipso Capitulo generali aderunt, per id temporis quo idem Capitulum perduraverit quotidiè (si prænarrata eleemosyna scutorum sexcentorum à D. Duce contributa, ut supra fuerit) Missam offerre teneantur pro Animabus Defunctorum Antecessorum D. Ducis pro tempore viventis.

III. Necnon semel in unoquoque Capitulo Generali Missa cantata solemnis cum vigilia pro antedictis Defunctis celebret, Descendentibus Religiosis omnibus interessentibus Capitulo in medio Ecclesiæ, ad canendum responsorium propè tumulum funebri apparatu erectum: Ita tamen ut per hujusmodi celebrationes Missarum & cantatæ nullatenùs impediatur satisfactio onerum, seù Missarum, quæ tunc, vel ex instituto Recollectionis, vel ex anterioribus quibuscumque obligationibus celebrandæ sint.

IV. De fructibus operum omnium, actus Communitatis nuncupatorum, quæ in unoquoque Capitulo generali fiunt, dictus D. Dux, ejusque Successores ut supra participes reddantur.

V. In singulis Capitulis generalibus præcipietur, ut intrà tempus ab uno Capitulo generali, ad aliud intercedens, in unoquoque Monasterio totius Recollectionis Missa cantata, & à singulis Sacerdotibus una Missa lecta pro Patronis vivis, atque Defunctis celebrentur.

VI. Morientibus autem Duce, vel Ducissa pro tempore, in quolibet Monasterio universæ Recollectionis Missa cantata cum officio Defunctorum recitetur, & singuli Sacerdotes Missam unam pro anima Ducis respectivè, vel Ducissæ defunctæ celebrare teneantur.

VII. Morientibus verò hodiernis Duce, & Ducissa in suffragium animarum suarum participes reddantur bonorum operum totius Recollectionis.

VIII. Prout & dicti hodierni Dux, & Ducissa, sicut etiam, & eorum Successores in Ducatu participes fiant spiritualis fructus quem Religiosi totius Recollectionis orando, jejunando, aliaque pia opera, tàm communia, quàm particularia exercendo, ac præsertim Captivos redimendo apud Deum lucrantur.

IX. Itidem supposita prænarrata contributione scutorum tercentorum per D. Ducem, & Successores in Ducatu, ut supra facienda, eidem conceditur facultas nominandi, vel deputandi locum, seù Monasterium, ubi singulis trienniis celebrari debeat Capitulum Provinciale Provinciæ Andalusiæ, ita tamen ut nominatio ipsa fiat in antecedenti Capitulo pro subsequenti, & si locus nominatus aliquam ob causam Capitulo minus placeat liceat alibi propriis expensis celebrare, ut de Capitulo generali supra dictum est.

X. Religiosi omnes Sacerdotes, qui in Capitulo Provinciali Provinciæ Andalusiæ intervenient quotidie durante dicto Capitulo Missam celebrare teneantur pro Ducibus Patronis vivis, atque defunctis. Insuper ibi una Missa solemnis pro defunctis Patronis cantetur. Descendentibus Religiosis omnibus interessentibus Capitulo ad medium Ecclesiæ, ad canendum responsorium propè tumulum funebri apparatu erectum. Ita tamen, ut per hujusmodi celebrationes missarum, lectarum, & cantatæ ut supra non impediatur satisfactio onerum, & missarum ex Instituto Recollectionis, seù ex anterioribus obligationibus celebrandarum.

XI. Et Patroni pro tempore participes reddantur fructus omnium operum, seù actuum Communitatis, quæ in singulis prædictis Capitulis Provincialibus Andalusiæ fient.

XII. In quibus Capitulis Provincialibus Andalusiæ, & in unoquoque eorum participatur, quod quilibet Sacerdos ipsius Provinciæ intrà tempus ab uno Capitulo ad aliud intercedens in unoquoque Monasterio ejus Provinciæ Missa cantata, & à singulis Sacerdotibus Missa una lecta pro Patronis vivis, atque defunctis celebrentur.

XIII. Sacerdotes Religiosi inservientes respectivè in Capitulis Generalibus, & Provincialibus Andalusiæ, ac proindè obligati ad celebrationem Missarum, ut supra, si durantibus dictis Capitulis antedictis obligationibus non satisfecerint teneantur ante celebrationem novi Capituli Generalis, aut Provincialis respectivè satisfacere. Ita tamen ut nullatenus impediatur satisfactio aliorum ex Instituto Recollectionis debitorum, vel ex anterioribus obligationibus, ut supra dictum fuit.

XIV. In præfato Monasterio Sancti Lucar singulis feriis sextis, & Sabbathis in perpetuum per omnes horas diei, ac noctis debeat ab aliquo Fratre alterna vice fieri oratio ad Deum, pro animabus Fundatorum, ipsorumque Majorum, & Consanguineorum.

XV. Postquam facta fuerit electio Commendatorum pro tempore trium Conventuum à dictis Patronis, ut supra Fundatorum debeat significari D. Duci, & Patrono pro tempore, ad effectum ut si voluerit, suum honestum impartiatur assensum, juxtà dispositionem Sacrorum Canonum.

XVI. Valeat Patronus pro tempore sibi assumere unum Religiosum ex dicta Provincia Andalusiæ in Confessarium, cum facultate ipsum secum, etiam extra Provinciam abducendi: Itaut ad prædicta Superioris Regularis consensus accedat, qui si commodè, & absque regularis disciplinæ detrimento fieri possit, illum præstabit prædictus Confessarius in locis in quibus Recollectionis Conventus exstiterit, in ipso non autem extrà Claustra commoretur.

XVII. Quatenus Patronus Dux pro tempore velit in locis sibi subjectis novum Monasterium Fratrum, aut Monialium Ordinis Recollectionis fundare, ex tunc censeatur habitus, & præstitus consensus quantum ad Recollectionem spectat. Ita tamen ut in reliquis serventur Constitutiones Bonifacii Octavi, Clementis Octavi, atque Urbani Octavi Summorum Pontificum aliaque prout de jure circà Fundationem novorum Conventuum requiritur.

§. 2. Cum autem sicut eadem Expositio subjungebat præmissa in Divini cultus augmentum, dictæque Congregationis progressum sint cessura Nobis propterea dictus Antonius humiliter supplicari fecit, ut desuper oportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Antonium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

§. 3. Hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio prædicta omnia Indulta, & respectivè conventiones modo suprascripto correctas, & reformatas auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & respectivè approbamus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Congregationis, & Provinciæ Andalusiæ hujusmodi earumque Conventuum quorumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 9. Aprilis 1660. Pontificatus Nostri Anno Quinto. Dat. P. An. 5. die 9. Aprilis.

LXIV.

Confirmat Statuta edita in Capitulo Generali Toletano pro Provincia S. Thomæ Apostoli in India Orientali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupati.

Vide ad Constit. 272. Urb. VIII. Cum sicut. *in qua prohibetur Commissariis Generalibus Indiarum ne dispensare possint in Constitutionibus Generalibus Ordinis.*

ALEXANDER PAPA VII. Edita An. D. 1659.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum Suffragio præpositi, illi, quæ pro felici Christifidelium sub suavi Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum directione providè constituta esse dignoscuntur, libenter cum à Nobis petitur Apostolico munimine roboramus, & aliàs prospero eorundem Christifidelium regimini congruis rationibus providè studemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exordium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Minister Provincialis, & Definitorium Provinciæ S. Thomæ Apostoli in India Orientali, Sequuntur statuta.

Or-

Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod in Capitulo Generali d. Ordinis Toleti celebrato die 15. Junii 1658. sub Dilecto pariter Filio Michaele Angelo de Sambuca ejusdem Ordinis Ministro Generali, pro prædicta India Orientali edita fuerunt statuta tenoris sequentis, videlicet.

Finito triennio Commissarii Generalis illius familiæ, duæ illæ Provinciæ regantur à suis Ministris, & Definitoriis independenter à quovis Commissario, aut Vicecommissario etiam ab ipsis nominato.

In defectu Commissarii Generalis, instante tempore Visitationis, & Capituli, Definitorium eligat Commissarium Visitatorem ex eademmet Provincia, qui cum eadem potestatis plenitudine, quæ de jure, vel consuetudine Commissariis Visitatoribus debetur, visitabit Provinciam, & præsidebit Capitulo, quo finito nullam omninò auctoritatem habebit, sed tota residebit penes Ministrum Provinciæ recens electum usque ad adventum novi Commissarii Generalis.

Commissarius Generalis de novo adveniens, nullam auctoritatem habebit, nulla sui Officii possessio accipere permittatur, nisi priùs alicui ex Ministris duarum illarum Provinciarum, vel saltem Guardiano illius Conventus, ubi primum appulerit patentes Literas suæ institutionis exhibuerit, nec satis erit earumdem Literarum copiam quantumvis authenticam, sed necesse est ipsissimum autographum Sigillo Ordinis munitum, & manu propria Reverendiss. Generalis subscriptum, exhibere, Ministri, & Guardiani aliter facientes punientur severè arbitrio Reverendiss.

Nemini liceat in aliena Provincia incorporari, nisi prævio consensu utriusque Ministri, quantumvis consentiat, aut fortè præcipiat Commissarius Generalis illarum partium.

Præcipitur Provinciali Ministro Provinciæ Portugalliæ, ut curet monere Reverendissimum Generalem de tempore opportuno, quo providere debeat de Commissario Generali Indiæ Orientalis ut expleto ipsius triennio, vel morte proveniente, quam citiùs nominetur Commissarius.

Confirmat prout in sub.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præfati Exponentes, ut bono Provinciarum dicti Ordinis in India Orientali hujusmodi consistentium regimini consulatur, statuta præinserta Apostolicæ confirmationis Nostræ robore communiri, & opportunè à Nobis, ut infra provideri summoperè desiderent, Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, præinserta statuta in prædicto Capitulo Generali Toleti celebrato pro memorata India Orientali sicut præmittitur, edita, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodòlibet intervenerint, supplemus, statuentes, & ordinantes, quod in dictis Provinciis Indiæ de cætero non fiat electio Vicecommissarii Generalis, prout fiebat virtute statutorum factorum in Capitulo celebrato Romæ anno 1639. neque jungantur duo illa Definitoria deficiente Commissario transmisso, sed tali casu Provinciæ gubernentur eo modo quo ordinant præinserta statuta Toletana, quodque Minister Provincialis Provinciæ Portugalliæ dicti Ordinis teneatur procurare, ut mittatur Commissarius, supplicando Ministro Generali ejusdem Ordinis, ut illum nominet, ac designando illi Religiosos in dicto officio, qui possint esse ex quinque Provinciis Portugalliæ, & ex duabus Indiæ, nempè Portugalliæ Algarbiorum, pietatis, Arrabidæ, Sancti Antonii, Sancti Thomæ, & Matris Dei.

§. 3. Ac demum quod Commissarius transmissus ex supradictis quinque Provinciis Portugalliæ possit remanere (si voluerit) in aliqua ex dictis duabus Provinciis Indiæ cum omnibus præeminentiis concessis à statuto Religionis. Si laudabiliter officium suum adimpleverit. Attamen si Commissarius fuerit ex duabus Provinciis Indiæ finito officio redeat ad suam Provinciam, cujus est filius, & in illa gaudeat privilegiis concessis à statutis, quibus non gaudebit, si in illa non remanserit.

§. 4. Ut autem prædicta suis loco, & tempore debitum sortiantur effectum eorum exequutionem cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, ac opportunis Venerabili Fratri Archiepiscopo Goensi, ac Dilectis Filiis adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Apostolica auctoritate deputatis, & aliis quibuscunque personis in dignitate Ecclesiastica constitutis Civitatis, & Insulæ Goæ, & eorum cuilibet in solidum auctoritatem, & tenore præsentis injungimus, & demandamus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Contrariis derogat.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò aliquis ultra tres dietas auctoritate præsentium in judicium non trahatur, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœc. sub Annulo Piscatoris, die 10. Maji 1659. Pontificatus Nostri Anno quinto.

Dat. P. An. 5. die 10. Maji.

Con-

LXV.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ Fratribus Regularis Observantiæ Sancti Francisci, ac Reformationis Cismontanæ Familiæ exercitiis spiritualibus per octiduum vacantibus.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CUm sicut Nobis nuper exponi fecit Dilectus Filius Michael Angelus à Sambuca Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Minister Generalis in Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissimè Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut secessus, & spiritualia mortificationis, & orationis mentalis exercitia in omnibus Provinciis Cismontanæ Familiæ Ordinis prædicti reassumantur, & illis Fratres earumdem Provinciarum aliquoties singulis annis vacent.

§. 1. Nos qui probè novimus quantoperè conducant exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christifidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de suorum Superiorum licentia operi adeò pio, & salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis imitari volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis prædicti Ordinis Fratribus tàm Clericis, quàm Laicis, seù Conversis, qui in domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de suorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octidui spatium quandocunque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes, & confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint Plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris.

Transsumptis credi mandat.

§. 2. Volumus autem quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seù publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut spontè oblatum recipiatur, eædem præsentes nullæ sint eo ipso. Quodque earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis prædicti Ordinis munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. An. 5. die 11. Junii

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Junii 1656. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXVI.

Statuit, & decernit, ne oblati, seù servientes Fratrum Laicorum Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ in futurum nullatenus recipiantur, nisi cum biennali Novitiatu, & quarto voto de non procuranda alia conditione ad præscriptum Constitutionum ejusdem Ordinis. Et de consensu petendo à tota Communitate super Contractibus.

De his oblatis vide infra ad Constitut. 80. *Aliàs in qua confirmat Decretum circa receptionem oblatorum.*

Edita A.D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

CUm sicut Dilecti Filii Renatus Parisiensis, & Simon Lugdunensis, Procuratores Fratrum Laicorum Provinciarum Sancti Francisci, & Sanctorum Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci Nobis nuper exponi fecerunt, licet controversiæ inter prædictos Fratres Laicos ex una, nec non eorum Superiores, ac Fratres Presbyteros, & Clericos dictarum Provinciarum ex altera partibus vertentes per quædam Decreta Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ sub diebus 9. Julii, ac sexta, & 20. Augusti, & prima Octobris proximè præteritorum emanata, & per quasdam Nostras in simili forma Brevis Litteras die 13. Septembris etiam proximè præteriti desuper expeditas respectivè confirmata terminatæ fuerint, nihilominùs Dilecti etiam Filii Athanasius de Villanova prædictæ Sancti Francisci, & Riccardus de Aumala Sancti Ivonis Provinciarum Congregationis prædictæ respectivè Procuratores diversas oppositiones, & protestationes contra Decreta, & Litteras Nostras hujusmodi, debitam illorum exequutionem impediendi ergo facere ausi fuerint.

§. 1. Cumque prædicti Exponentes propterea plurimum cupiant opportunè in præmissis à Nobis provideri, ac insuper ordinari, ut consensus Universitatum, Conventuum dictæ Congregationis in omnibus contractibus creationis censuum activorum, & passivorum, fundationum, hypothecationum, acquisitionum, venditionum, aliarumque alienationum bonorum ad ipsos Conventus spectantium, quorum valor in capitali, seu sorte, quantum quidem ad bona stabilia, viginti quinque, quantum verò ad mobilia, & fructus respectivè pertinet, decem scutorum auri summam excedat, necessarius sit.

§. 2. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De memoratorum Cardinalium, qui partes abunde hinc inde informantes, audiverunt, remque diligenter, & maturè denuò discusserunt, consilio, juxtà aliàs resoluta sub diebus 14. Novembr. 1659. 9. Julii, 20. Augusti, & prima Octobris 1660, ac Nostras in forma Brevis desuper subsequutas Litteras auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, oblatos, seu servientes in omnibus hujusmodi Provinciis reformationis tertii Ordinis in Regno Galliæ consistentes, nec recipi, nec ad professionem admitti posse, nisi cum biennali Novitiatu, & quarto voto de non quærenda, seù procuranda alia ab hujusmodi oblatorum seu servientium conditione ad præscriptum ejusdem Ordinis Constitutionum. Ac proindè sub pœnis privationis vocis activæ, & passivæ: nec non officiorum, & inhabilitatis ad ea, & alia quæcunque obtinenda prædicti Ordinis Superioribus, Officialibus, & aliis quibuscunque ad quos spectat, seu spectare quomodòlibet poterit in futurum, atque invaliditatis, & nullitatis secus gestorum, & gerendorum, earundem tenore præsentium præcipimus, ac prohibemus, ne aliter quam modo, & forma præmissis hujusmodi oblatos, seù servientes exinde recipiant, nec quidquam erga, vel circa statum, & conditionem tàm dictorum Servientium, quàm etiam Fratrum Laicorum, sive in Capitulis Provincialibus, sive extra ea contra prædictarum Constitutionum, & præsentium Confirmat prout in sub.

Litterarum formam, ac tenorem sub jam dictis pœnis attentare, seu innovare audeant, aut præsumant.

Super contractibus quando requiretur consensus.

§. 3. Super contractibus verò censuum tàm activorum, quàm passivorum, impositionum, & fundationum, bonorum acquisitionum, permutationum, venditionum, hypothecationum, & aliarum quocumque titulo, & nomine alienationum, quando agitur de stabilibus, & censibus, si summam viginti quinque ducatorum aureorum in sorte, de mobilibus autem, & redditibus decem similium excedant, tunc totius Communitatis, seu Capituli Conventuum de quorum re agitur consensum, & consensus requiri, & adhiberi pariter decernimus.

Numerus laicorum, remittitur generali.

§. 4. Quo autem ad numerum Fratrum Laicorum, & Servientium prædictorum ad dilectum filium, Ministrum Generalem pro suo arbitrio, & prudentia provident remittimus, eidemque præmissorum omnium, & singulorum exequutionem committimus: & demandamus; Injungimusque ut sub memoratis, ac aliis Ecclesiasticis pœnis, & censuris juxtà prædicta observari faciat, & præcipiat. Contradictores, & Rebelles quoscumque prædictis, ac aliis juris mediis opportunis compescendo.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes etiam easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus in contrarium allatis, nec non appellationibus, protestationibus, cæterisque oppositionibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in Litteris Nostris supradictis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 5. die 2. Apr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1661. Pontificatus nostri anno Quinto.

LXVII.

Confirmat Decretum, quo numerus Vocalium Capituli Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum Ord. Eremitarum S. Augustini reducitur ad tres pro qualibet Provincia.

De his Fratribus vide ad Const. 97. Urbani VIII. Alias pro parte circa electionem Priorum Provincialium, ac de modo regendi Provincias,

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per abundantiam Divinæ bonitatis, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, præpositi, illa quæ pro fœlici Christifidelium sub suavi arctioris Religionis jugo, Altissimi obsequiis mancipatorum directione providè statuta esse dignoscuntur, libenter, cum à Nobis petitur Apostolici muniminis patrocinio roboramus.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Diffinitorium Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quod ultimum ejusdem Congregationis Capitulum Generale sub directione dilecti filii nostri Jo. Baptistæ tituli S. Mariæ Transtyberim S.R.E. Presbyteri Cardinalis Pallotti nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, summa cum tranquillitate, & pace celebratum fuit, juxta modum, & formam cujusdam Decreti in proximè præcedenti Capitulo Generali Congregationis prædictæ editi, & per Venerabiles fratres Nostros ejusdem S.R.E. Cardinales negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositos die 10. Januarii proximè præteriti (ut dicti Exponentes asserunt) confirmati, quo numerus Vocalium Capituli Generalis Congregationis hujusmodi præscribitur, & ad tres pro qualibet Provincia reducitur, & aliàs prout continetur in scriptura tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 2. Die 13. Maji 1659. sessione 7. Invocato Divini Spiritus auxilio, congregatis Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Pallotto Protectore, & Præside, ac Patribus Definitorii generalis Congregationis Patrum Discalceatorum Sancti Augustini Italiæ propositum fuit, an confirmandum sit Decretum in præterito Capitulo Generali sessione 10. die 18. Majj 1656. editum, & à sacra Congregatione super negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita confirmatum, super reductione Vocalium Capituli Generalis sub infrascripto tenore, videlicet.

Decretum Capituli Generalis.

§. 3. Ad tollenda inconvenientia, & incommoda, quæ ex celebratione Capituli generalis more solito contingunt ex multitudine vocalium ad prædictum Capitulum generale concurrens, & expensarum ultra limites nostræ paupertatis, & ex periculis itinerum cum evidenti detrimento nostræ regularis observantiæ, cum experientia compertum sit summopere expedire, Capitulum Generale celebrari juxta formam præscriptam in Decreto aliàs facto in præterito triennio, & à Sacra Congregatione prædicta confirmato, paucis mutatis, ut infra sub reservatione beneplaciti Sanctissimi Domini Nostri, & cum supplicatione Sanctitati Suæ pro confirmatione in perpetuum per Litteras in forma Brevis, decretum fuit, quod deinceps in perpetuum accedant suffragaturi ad Capitulum generale præter Admodum R. P. Vicarium Generalem, quatuor Definitores Generales, duos Visitatores Generales, Procuratorem Generalem, & Secretarium Generalem, ex qualibet Provincia Priores Provinciales in Capitulo Generali sivè extra illud ad formam Litterarum Apostolicarum electi, quod si aliquem ex dictis Provincialibus ante elapsum triennium, & ante Capitulum generale decedere contigerit, & per tempus non licuerit novam fieri electionem, ut supra, tunc jus ferendi suffragium in Capitulo Generali in locum demortui devolvatur ad proximè antecessorem in Officio Provincialatus, dummodo illi non competat hujusmodi jus ferendi suffragium in eodem Capitulo ex alio titulo, quo casu ad antecessores in dicto Officio eodem modo devolvatur; Et si detur casus, quod nullus ex Provincialibus antecessoribus existat, aut ferre votum ex alio titulo possit, tali casu jus ferendi votum devolvatur in Provincia Romana ad Priorem Conventus JESU MARIÆ de Urbe, & eo deficiente, aut legitimè impedito ad Priorem Conventus Sancti Nicolai ejusdem Urbis. In Provincia Neapolitana ad Priorem Sanctæ Mariæ Veritatis, vel eo deficiente, aut legitimè impedito ad Priorem Conventus Sancti Nicolai Tolentinatis ejusdem Civitatis. In Provincia Januensi ad Priorem Conventus Sancti Nicolai Tolentinatis Januæ, & eo deficiente, vel legitimè impedito ad Priorem Conventus Sancti Damiani Mediolani. In Provincia Siciliæ Panormitana ad Priorem Conventus Sancti Nicolai Tolentinatis Panormi, vel eo deficiente, seu legitimè impedito ad Priorem Conventus Sancti Gregorii ejusdem Civitatis. In Provincia Germaniæ ad Priorem Conventus Sancti Augustini Viennæ, & eo deficiente, vel legitimè

impedito ad Priorem Conventus Sancti Winceslai Pragæ. In Provincia Regni Neapolitani ad Priorem Conventus Sanctæ Mariæ Pietatis Montis Leonis, & deficiente, vel legitimè impedito ad Priorem Conventus Sanctæ Mariæ Incoronatæ Neritonen. In Provincia Pedemontana ad Priorem Conventus Sancti Caroli Taurini, & eo deficiente, seu legitimè impedito ad Priorem Conventus SS. Nicolai, & Annæ Salutarium. In Provincia Siciliæ Messanensi ad Priorem Conventus Sanctæ Restitutæ, & eo deficiente, seu legitimè impedito ad Priorem Conventus Sanctissimæ Annuntiatæ ejusdem Civitatis, & sic deinceps.

§. 4. Præterea loco Priorum, & Discretorum cujuslibet Conventus accedant suffragaturi ad Capitulum generale, & ad idem laturi instantias ad statum Provinciarum, & singulorum Conventuum, duo ex qualibet Provincia, qui sint Sacerdotes, & sine scandalo, & cum ædificatione in Congregatione se gesserint, & saltem duodecim annos completos à professione habeant in Congregatione, & triginta annos pariter completos habeant ætatis, & unus ex istis insuper Philosophiam, vel Theologiam, si fieri poterit per duodecim annos, vel ad minus per novem formiter legerit, & docuerit, vel per duodecim, vel saltem novem cursus quadragesimales, aut integros annuales laudabiliter concionatus fuerit, excepto tamen hoc primo triennio, pro quo Vocales, sive Lectores, sive Concionatores eligi, & admitti possint, etiamsi per sex tantum annos muneribus prædictis functi sint, quibus requisitis, ut supra respectivè deficientibus, electiones nullæ sint eo ipso, ac sine illis electi ad suffragandum in Capitulo Generali non admittantur.

§. 5. Prædicti autem duo in qualibet Provincia eligantur in Congregatione cogenda per Priorem Provincialem cujuslibet Provinciæ, Dominica prima Mensi, Maij proximè præcedentis Capitulum generale, vel si urgens aliqua necessitas coegerit, primo quoque tempore post dictam Dominicam primam mensis Maij, in quibus Congregationibus præsideant Provinciales, non tamen in illis votum ferant, & Provincialibus quovis modo deficientibus, præsideant Priores Conventuum, in quibus Congregationes fient, & officio scrutatorum fungantur, qui præerit, & duo Præsidenti proximiores, eligentur, & alii duo cum eisdem qualitatibus, & requisitis respectivè substituendi unicuique ex proximè electis in casu mortis, seu alterius cujusvis legitimi impedimenti.

§. 6. In prædicti, autem Congregationibus vocem habebunt Priores cujuslibet Conventus, & Vicarii Conventuum Vicariatus, Secretarii RR. Patrum Provincialium, necnon Discreti, qui eligentur, prout hactenùs factum est. Et cætera faciant ad formam Constitutionum Congregationes autem habebuntur pro Provincia Romana in Conventu Sanctissimi Crucifixi Spoleti, pro Provincia Neapolitana in Conventu Sanctæ Mariæ Veritatis Neapolis, pro Provincia Januensi in proximo triennio in Conventu Sanctæ Franciscæ Romanæ Mediolani, in subsequenti verò in Conventu Sancti Nicolai Tolentinatis Januæ, & sic deinceps alternativè. Pro Provincia Siciliæ Panormitanæ in Conventu Sancti Nicolai Tolentinatis Panormi. In Provincia Germaniæ in proximo triennio in Conventu Sancti Augustini Viennæ, in subsequenti verò in Conventu S. Winceslai Pragæ, & sic de singulis alternativè; pro Provincia Regni Neapolitani in proximo triennio in Conventu Sanctæ Mariæ Incoronatæ Neritonen. in subsequenti verò in Conventu Sanctæ Mariæ Pietatis Montis Leonis, & sic deinceps alternativè, pro Provincia Pedemontana in Conventu Sancti Caroli Taurini, in Provincia Siciliæ Messanen. in Conventu S. Restitutæ Messanæ; utque electiones pro qualibet Provincia de dignioribus, & magis acceptis personis in qualibet Provincia in Definitorio Generali, fiant, provisum, & decretum pariter fuit, ut in electionibus prædictis intersint, & admittantur ad ferendum votum Provinciales, & duo Vocales uniuscujusque Provinciæ, una cum PP. Definitorii in electionibus singularum Provinciarum, ita ut possint esse omnes numero duodecim Electores, & fuit resolutum affirmativè per vota secreta omnibus concurren. Die 25. Maji 1659. In Capitulo generali Præsidente Eminentissimo D. Cardinali Pallotto ad majorem quietem, & pacem totius Congregationis, &c. Perlecto per Secretarium Capituli generalis alta voce suprascripto Decretò, & facta propositione, an placeat servari, & confirmari dictum Decretum tenoris, prout supra, per vota secreta fuit resolutum affirmativè per viginti octo suffragia, duobus tantum pro negativa.

§. 7. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædicti Exponentes Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione, Apostolicæ confirmationis Nostro præsidio communiri summoperè desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum Capituli generalis dictæ Congregationis Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodòlibet intervenerint supplemus. Confirmat Decretum prout in rub.

§. 8. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Congregationis prædictæ, ejusque Provinciarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transsumptis manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transsumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1659. Pontificatus Nostri Anno Quinto. Dat. P. An. 5. die 16. Junii.

LXVIII.

Super exemptione Religionis B. Joannis Dei nuncupat. de Fate ben fratelli ab omnimoda Jurisdictione Ordinariorum.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Paganus Congregationis Fratrum B. Joannis Dei Procurator Generalis, quod licet dudum felic. recor. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis literas die 9. Julii 1638. expeditas de tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio declaraverit, ac decreverit, ut quoad dictæ Congregationis Conventus, & Hospitalia in quibus forent duodecim Religiosi, Episcopus nullatenus se ingereret, & quoad illos Conventus, seu Hospitalia, in quibus foret minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi possent insimul cum Provinciali, vel alio majori ejusdem Congregationis Superiore ad revisionem computorum administrationis eorumdem Hospitalium procedere, ita tamen, ut contra personas in nihilo se immiscerent.

§. 1. Venerabilis nihilominus Frater Archiepiscopus Calaritanus Superioritatem in Hospitalia Congregationis prædictæ intra fines Dioecesis Calaritanum existentia, illaque tàm quoad visitationem, quàm quoad alia quæcunque sibi subjecta esse prætendit, hacque occasione nonnullas dubitationes per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum resolvi petiit; super quibus emanavit decretum ejusdem Congregationis Cardinalium, prout continetur in scriptura tenoris, qui sequitur, videlicet; Calaritana. Supplex petit Archiepiscopus Calaritanus infrascriptas dubitationes per hanc Sacram Congregationem resolvi. Primò. An Fratres Beati Joannis Dei, à Magistratu Civitatis vocati, & addicti servitio Hospitalis, cujus se ipse Magistratus protectionem gerere prætendit, sint exempti à Visitatione Archiepiscopi, in his, quæ versantur circa administrationem, & rationem bonorum reddendam. Secundò. Quomodo procedendum contra dictos Religiosos, se opponentes prædictæ Visitationi, virtute privilegiorum. Tertiò. An dicti Religiosi prætermissa forma Sacri Concilii, & licentia Ordinarii, in prima eorum fundatione, & receptione, sint nihilominus exempti à jurisdictione Archiepiscopi, circa regularem observantiam, & personas; maximè dilapidando bona Hospitalis, vel scandolosè vivendo. Die 27. Septembris 1659. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, censuit servandam in omnibus dispositionem Brevis Urbani VIII. editi 9. Julii 1638. F. Cardinalis Paulutius Præf.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Paulus decretum hujusmodi pro firmiori illius robore, & efficacia Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri summoperè desideret; Nos ipsum Paulum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodòcumque spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis: cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Novembris 1659. Pontificatus Nostri Anno Quinto. Dat. P.Ap.5. die 5. Nov.

Tenor Brevis Urbani VIII. est, qui sequitur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm sicut dilectus filius Angelicus Rampullus Congregationis B. Joannis Dei Procurator Generalis, Nobis nuper exponi fecit, per quondam fel. record. Pauli V. prohibeatur expresse, ne plures ad habitum, & professionem per Fratres dictæ Congregationis suscipi, & emitti solitam admittantur, quam Infirmorum, & miserabilium personarum necessitas exigat, ac per aliam Constitutionem Pii etiam V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum statuatur, ut quicquid Congregationis hujusmodi Fratres acquirunt, non sibi, exceptis dumtaxat victu, & vestitu, sed pauperibus infirmis, & hospitalibus, ad quorum servitium particulari instituto, ac voto obstringuntur, acquirant, indeque pateat dictam Congregationem non parum ab aliis Religionibus circa libertatem, & facultatem, duodecim Religiosos in singulis ejus Conventibus, & hospitalibus deputandi differre. Nobis propterea dictus Angelicus humiliter supplicari fecit, ut prædictam Congregationem minimè comprehensam esse sub decreto auctoritate Nostra hac de re die 21. Junii 1625. inter decreta de celebratione Missarum, §. deinceps edito declarare, ac alias ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Motiva.

§. 1. Nos igitur eundem Angelicum Procuratorem Generalem, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

§. 2. De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum consilio, Apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, ac decernimus, ut quoad dictæ Congregationis Conventus, & Hospitalia, in quibus erunt duodecim Religiosi, Episcopi nullatenus se ingerant; & quoad illos Conventus, seu hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi, possint insimul cum Provinciali, vel alio majori ejusdem Congregationis Superiore ad revisionem computorum administrationis, eorundem hospitalium procedere; ita tamen, ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant.

§.3. Non obstantibus prædicto decreto, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, super numero Religiosorum in quolibet Monasterio, aut Conventu constituendo, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Julii 1658. Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

LXIX. Pro erectione Provinciæ B. Petri de Alcantara Fratrum Discalceatorum S. Francisci, & communicatione eorum, quæ Provinciæ S. Joannis Baptistæ, & omnibus aliis Provinciis eorumdem Fratrum Discalceatorum pro bono ipsarum regimine sunt concessa.

Beatificationem B. Petri de Alcantara Discalceatorum fundatoris habes ad Constit. Gregor. XV. In sede Consimilem creationem Provinciæ, vide ad Const. 317. Urb. VIII. Aliàs nos, & Const. 318. Cum sicut.

Edita An.D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositum postulat, ut paternam Christi fidelium, qui è fluctibus sæculi in portum regularis vitæ confugerunt, curam gerentes, eorum statui, & fœlici directioni opportunis rationibus consulere studeamus, prout pia Orthodoxorum Regum vota exposcunt, & nos matura consideratione prævia conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. §. 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Fratrum Discalceatorum Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod eadem Provincia vigore facultatis ædificandi, seù instituendi Conventus, seù Domos regulares in quibusvis Hispaniæ locis ei per quasdam fœl. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri in simili forma Brevis litteras concessas, ita (benedicente Domino) dilatata nunc reperitur, ut in Valentiæ, ac Murciæ, & Granatæ Regnis, in quibus consistit, triginta sex illius Conventus numerentur, in quibus singulis Fratres notabili numero habitant. Qui Conventus cum per spatium trecentorum milliarium in longitudinem, & centum quinquaginta in latitudinem dispersi existant, Ministris Provincialibus Provinciæ hujusmodi pro tempore existentibus, si non impossibile, saltem difficillimum redditur ipsam Provinciam pedibus totam quotannis peragrare, & visitare, sicut per statuta D. Ordinis præscribitur, nec ipsi attenta itineris longitudine, eam in singulis Conventibus præfatis moram trahere valeant, quam spiritualis Religiosorum consolatio exigit.

Supplicatio pro divisione Provinciæ. §.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præmissis in Capitulo Provinciali d. Provinciæ providè perpensis, Fratres qui eidem Capitulo interfuerunt, omnes unanimiter decreverint, Nobis esse supplicandum, ut licentiam dividendi Provinciam prædictam concederemus, hocque decretum non solùm à tunc existente Ordinis prædicti Ministro Generali, qui Capitulo Provinciali hujusmodi præfedit, approbatum, sed etiam à Capitulo generali ejusdem Ordinis in Civitate Toletana novissimè celebrato confirmatum fuerit: Nobis propterea, tam Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici nomine, quàm pro parte dictorum exponentium humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignarentur.

§.3. Nos igitur ejusdem Philippi Regis desiderio quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, præfatosque exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & ipsorum exponentium singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: hujusmodi piis, & rationabilibus supplicationibus inclinati, attentis expositis, necnon etiam audito dilecto filio Ministro Generali Ordinis hujusmodi, memoratam Provinciam Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum prædicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia in Regnis Valentiæ, Murciæ, & Granatæ consistentem olim Apostolica auctoritate erectam, & institutam, quæ in tantum postmodum (Deo favente) se dilatavit, & excrevit, ut triginta sex jam Conventus, seù Domos Regulares cum competenti numero Fratrum comprehendat, ac proinde impossibile sit, per unum tantummodò Ministrum Provincialem propter longam distantiam eam quotannis ad præscriptum Constitutionum, & Statutorum Ordinis prædicti visitari.

§. 4. Auctoritate Apostolica tenore præsentium dismembramus, & ex unica in duas dividimus, ita scilicet ut viginti septem Conventus nunc existentes in Provincia Valentiæ, & si quos exinde in eadem erigi contingat, usque ad Civitatem Murciæ exclusivè, retento nomine Provinciæ S. Joannis Baptistæ, sub ea remanere, cæteri verò ab eadem Civitate Murciæ per præfata Regna Murciæ, & Granatæ diffusi, & in posterum pariter fundandi, ad Provinciam de novo erectam, & B. Petri de Alcantara nuncupandam pertinere intelligantur. Dividit Provinciam, in duas.

§. 5. Quam Provinciam B. Petri de Alcantara de novo, sicut præfertur erectam, & institutam volumus inter Provincias prædicti Ordinis Minorum Regularis Observantiæ auctoritate Apostolica erectas, & approbatas aggregari, & annumerari, ac aggregatam, & annumeratam esse statuimus, & decernimus, omnibusque concessionibus, gratiis, indultis, & litteris Apostolicis eidem Sancti Joannis Baptistæ, & aliis dicti Ordinis Provinciis Discalceatis concessis, & pro tempore concedendis frui, & gaudere, ac si eidem de novo specialiter concessa essent, & eisdem Constitutionibus, legibus, statutis, & ordinationibus, quibus dicta Provincia Sancti Joannis Baptistæ utitur, & gubernatur, similiter perpetuò uti, & gubernari debere. Gaudet privilegiis aliarum Provinciarum.

§.6. In Capitulo autem Provinciali, in quo Præses ipsiusmet Capituli ad novam electionem præsideat, vel etiam in Congregatione more Capituli Provincialis ad hunc effectum haben. & celebran. tempore, & loco ab ipso Ministro Provinciali Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ præscriptis, convocatisque per ipsum Diffinitoribus, Fratribus, cunctisque omnium locorum, seù Conventus ipsius Provinciæ Guardianis, ex omnibus ejus Fratribus, hoc est de toto corpore Provinciæ, unus illorum in Ministrum Provincialem pro Provincia de novo erecta per eosdem Ministrum Provincialem, Diffinitores, & Guardianos per vota Secreta ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, & deinde ex corpore Congregationis solummodo quatuor Diffinitores, & Custos servatis servandis, & prout in hujusmodi Capitulis Provincialibus moris est, eligantur, quos omnes scilicet Ministrum Provincialem, Diffinitores, & Custodem postquam electi fuerint, idem Minister Provincialis Sancti Joannis Dat modum eligendi Ministrũ, & Diffinitores.

Baptistæ, seù Præses Capituli Apostolica auctoritate confirmet.

quod maneat sub obedientia Ministri Generalis.

§. 7. Decernentes Provinciam de novo, ut dicitur, erectam tanquam veram, & legitimam ipsius Ordinis filiam sub obedientia, visitatione, & correctione Ministri Generalis illius pro tempore existentis perpetuò remanere, & in Capitulis generalibus, sicut cœteræ ejusdem Ordinis Provinciæ locum habere, tractari, amplecti, & debitis favoribus prosequi debere, illamque in celebrandis Capitulis Provincialibus, Congregationibus, electionibus, & aliis pariformiter, ac Provincia Sancti Joannis Baptistæ procedere, & ipsas ambas Provincias suis propriis tantummodò, non autem alienis Constitutionibus, & Ordinationibus regi, & gubernari perpetuò teneri.

Præfigit tempus Fratribus eligendi sibi Provinciam.

§. 8. Atque electionibus Ministri Provincialis Diffinitorum, & Custodis supradicti, ut præmittitur celebratis, & confirmatis dictus Minister Provincialis S. Joannis Baptistæ terminum sex mensium cunctis ipsius Provinciæ Fratribus præfigat, intra quem ipsi alterutram ex ambabus Provinciis quam maluerint ad incolendum, & habitan. eligere possint, quo elapso nulli eorum locum, aut Provinciam amplius mutare sine utriusque Provincialis consensu in scriptis obtento, ullo modo liceat.

Præfigit limites novæ Provinciæ.

§. 9. Ejusdem autem novæ Provinciæ B. Petri de Alcantara limites, & confines esse debere volumus Episcopatum Carthaginensem, Comitatum in Regno Murciæ, Episcopatum Guadicen. & Baza, Episcopatum Almeriensem, Archiepiscopatum Granaten. Adelantatum de Cazorla, Abbatiam de Alcala, & Pliego, necnon partem Episcopatus Ghiennensis, scilicet ab ipsa Civitate Ghiennensi versus Biacensem, & Ubetensem, relinquendo aliam partem scilicet ab ipsa Civitate Ghiennensi versus Biacensem, & Ubetensem, relinquendo aliam partem scilicet ab ipsa Civitate Ghiennensi usque ad Episcopatum Cordubensem, ita tamen ut nec Provincia noviter erecta, nec Provincia Sancti Didaci possit fundare Conventum in Civitate Ghiennensi, neque in ejus districtu, sed ipsa Civitas communis sit utrique Provinciæ pro quæstuatione, prout inter partes ita conventum, & pactum extitit.

Decretum irritans.

§. 10. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciæ S. Joannis Baptistæ, ejusque Conventuum hujusmodi, & aliis quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 5 die 4. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Aug. 1659. Pontificatus Nostri Anno quinto.

LXX.

Reintegratio, seù nova erectio Conventus S. Laurentii in Terra Bonitii, vulgariter Poggibonzi, ad favorem Congregationis Ilicetanæ Ordinis Erem. S. Augustini.

Conventus horum Fratrum non possunt occupari ab aliis Fratribus Discalceatis ejusdem Ordinis, nisi de consensu Prioris Generalis. Vide ad Constit. 21. Innoc. X. In his.

Venerabili fratri Episcopo Collen.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 1662.

Exordium.

Ecclesiæ Catholicæ regimini, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam præpositi ab ea, quæ in Religionis, divinique cultus incrementum spiritualemque populorum consolationem, & animarum salutem cessura esse noscuntur, peculiares vigilantiæ nostræ curas libenter convertimus, officiique nostri pastoralis partes propensa charitate desuper interponimus, prout pia Religiosorum Antistitum vota postulant, & Nos prudenti consultatione adhibita, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Ambrosius Landuccius Episcopus Porphyrien. Sacrarii nostri Apostolici Præfectus, qui in minoribus constitutus habitum per Fratres Ordinis Eremitarum S. August. gestari solitum suscepit, & professionem per eosdem emitti consuetam expresè emisit regularem, quod cùm Conventus S. Laurentii Fratrum Provinciæ Pisanæ D. Ordinis in Terra Bonitii Poggibonzi vulgariter nuncupata Collen. Diœcesis existens, cujus redditus certi, & incerti insimul ad summam trecentorum sexaginta scutorum monetæ, vel circiter ascendebant, ante aliquot annos per sinistram Superiorum illius temporis relationem vigore Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri, quæ incipit instaurandæ &c. suppressus fuisset, ordinatum fuit, attento quòd dicta Terra Missarum, & Confessariorum penuria laborabat, ut Ecclesia ejusdem Conventus sic suppressi, in parochialem cum assignatione partis curæ animarum parochiali Ecclesiæ Præpositura nuncupatæ ejusdem Terræ, cui copiosa parochianorum multitudo suberat, incumbentis, & in ipsa nova parochiali Ecclesia una Capellania, quam obtinens pro tempore Capellanus Missam in eadem Ecclesia quotidie celebrare, illiusque Parochum in cura animarum exercenda coadjuvare obligatus esset, respectivè erigerentur; & Parocho quidem centum, Capellano verò sexaginta scuta ad rationem septem librarum monetæ illarum partium pro quolibet scuto respectivè annuatim ex redditibus dicti Conventus suppressi assignarentur, residuum verò reddituum hujusmodi Seminario Ecclesiastico Collensi applicaretur. Quæ quantum quidem ad erectionem novæ parochialis Ecclesiæ, & Capellaniæ hujusmodi attinet, executioni demandata fuerunt, eisdem Parochiali Ecclesia Francisco Mutii, & Capellania à primæva erectione vacantibus Joanni Dominico Scachi Presbyteris illarum partium dilectis filiis cum assignatione jam dicta respectivè collatis: applicatio verò residui dictorum reddituum prædicto Seminario facienda hactenus mansit in suspenso.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, quidam Conventus sub titulo, seu invocatione Sancti Antonii Fratrum Congregationis Iliceanæ d. Ordinis, cujus fructus, redditus, & proventus certi, & incerti insimul computati ad quadringenta, vel circiter scuta paria annuatim

ANNO 1659.

ascendunt, circiter trium milliarium intervallo à prædicta Terra distans reperiatur, qui si supprimeretur, illiusq; redditus prædicto Conventui S. Laurentii suppresso applicarentur, idem Conventus S. Laurentii reintegrari, seù de novo erigi posset, atque ita memoratæ Terræ, quæ populi frequentia, situsque amœnitate inter alias cnospicua existit, decori, illiusque Civium, & Incolarum, qui per suppressionem d. Conventus S. Laurentii ope, operaque illius Fratrum destituti, notabilia incommoda passi sunt, spirituali consolationi, & utilitati peropportunè consuleretur, & illic, sicut ante suppressionem hujusmodi fiebat, divina officia celebrarentur, Sacramenta Ecclesiæ frequentarentur, prædicationes verbi Dei ad populum haberentur, necnon processiones, aliæque piæ, & devotæ functiones exercerentur.

§. 3. Cumque dilecti filii Superiores memoratorum Ordinis, & Congregationis suppressioni d. Conventus S. Antonii, quantum ad eos spectat, consentiant, prædicti verò Franciscus, & Joannes Dominicus suas parochialem Ecclesiam, & Cappellaniam supradictas respectivè resignare liberè parati sint; si eorum indemnitati per infrascriptarum pensionum, seù præstationum annuarum assignationem provideatur. Nobis propterea prædictus Ambrosius, Episcopus, necnon dilecti filii Universitas, & homines dictæ Terræ Bonitii humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur pio, & religioso ejusdem Ambrosii Episcopi desiderio quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, ipsumque Ambrosium Episcopum, ac Universitatem, & homines prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon erectionum, & institutionum novæ parochialis Ecclesiæ, & Capellaniæ hujusmodi, ac d. Conventus S. Antonii tenores, & alia quæcumque etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & specificatis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, prædictum Conventum Sancti Antonii ejusque titulum, conventualitatem, ac dignitates, ministeria, munera, & officia regularia quæcumque, necnon titulos beneficiales, & collativos dictæ parochialis Ecclesiæ S. Laurentii, & Capellaniæ sicut præmittitur erectarum (facta tamen prius per memoratos Franciscum, & Joannem Dominicum respectivè ipsarum parochialis Ecclesiæ, & Capellaniæ in manibus tuis libera, & spontanea cessione, & resignatione) auctoritate nostra Apostolica perpetuò supprimas, & extinguas, ac in supradicta Terra Bonitii prædictum Conventum S. Laurentii sicut præmittitur suppressum, ad statum Conventus restituas, & reintegres, seù de novo in Conventum Fratrum dictæ Congregationis Illicitanæ Ordinis prædicti, in quo de præsenti quidem octo fratres, nempè quinque Presbyteri, unus Clericus professus, & duo Laici, seù Conversi, post mortem verò dictorum Francisci, & Joannis Dominici duodecim, videlicet octo Presbyteri, duo Clerici professi, & duo Laici, seù Conversi Fratres Congregationis, & Ordinis hujusmodi degere, & commorari debeant, ea lege, ut iidem Fratres donec ad numerum duodenarium pervenerint tuæ, & pro tempore existentis Ordinarii Collen. jurisdictioni subjaceant, ipsique Fratres divina officia celebrent, aliaque spiritualia exercitia juxtà eorum institutum obeant, & peragant in Ecclesia ejusdem Conventus Sancti Laurentii: quæ licet titulus, parochialis in ea suppressus, & extinctus sit, nihilominus curata remaneat, & in ea curæ animarum exercitium continuetur, ipsaque cura animarum ab aliquo Fratre d. Ordinis per Diffinitorium prædictæ Congregationis Illicitanæ tempore illius Capituli, vel Dietæ intermediæ, extra Capitulum verò, seù Dietam hujusmodi, per Vicarium Generalem ejusdem Congregationis pro tempore existentem ad hunc effectum eligendo, seù deputando, ac antequam administrationem, curæ animarum hujusmodi gerat, ad illam à te, seù pro tempore existente Ordinario Collen. approbando exerceri debeat, dicta auctoritate itidem perpetuò erigas, & instituas.

Suppressio Conventus S. Antonii.

Reintegratio prout in Rub.

Cura animarum exercetur ab aliquo Fratre.

§. 5. Præterea eidem Conventui S. Laurentii sic reintegrato, seù de novo erecto, pro illius dote, ac Prioris, & Fratrum in eo pro tempore degentium sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, omnia, & singula prædictis Parocho, & Capellano assignata, ac supradicto Seminario applicari ordinata, ut præfertur, & alia quæcumque bona mobilia, & immobilia, proprietates, census, redditus, proventus, obventiones, emolumenta, actiones, & jura, aliavè quælibet tam ad ipsum Conventum S. Laurentii, illiusque Ecclesiam, quàm ad supradictum Conventum Sancti Antonii à te supprimendum, & extinguendum quomodocumque, & qualitercumque respectivè spectantia, & pertinentia, ubicumque locorum existentia, ac illis in futurum quandocumque, tàm in ultima voluntate, quàm inter vivos, & aliàs quomodolibet elargienda, eroganda, donanda, & assignanda ex nunc, prout ex tunc; postquam elargita, erogata, donata, & assignata fuerint, itaut liceat eisdem Priori, & Fratribus illorum omnium, & singulorum corporalem, realem, & actualem possessionem, & quasi possessionem per se, vel alium, seù alios suo, & dicti Conventus S. Laurentii nominibus propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, fructus quoq; redditus, proventus, & emolumenta ex illis provenientia quæcumq; ac eleemosynas ipsis eorumq; Conventui hujusmodi pro tempore factas, recipere, percipere, exigere, levare, locare, arrendare, recuperare, ac in suos communes usus, necessitates, & utilitatem, onerumque hujusmodi adimplementum convertere, & erogare, Diœcesani loci, seù cujusvis alterius licentia desuper minimè requisita, auctoritate prædicta pariter perpetuò applices, assignes, & appropries, dictumque Conventum S. Antonii postquam sic, ut præfertur suppressus, & extinctus fuerit, membrum, & Grangiam ejusdem Conventus S. Laurentii remanere debere, ipsius verò Conventus S. Laurentii Priorem, & Fratres Missas, & Anniversaria ad quæ Fratres d. Conventus S. Antonii ex legatis piis, aut aliàs quomodolibet tenebantur, in Ecclesia ipsius Conventus S. Antonii, ita facta Missarum hujusmodi distributione, ut saltem singulis diebus Dominicis, & festis de præcepto una Missa inibi celebretur, per Fratres ejusdem Conventus S. Laurentii pro tempore existentes, qui tamen hac occasione extra Conventum hujusmodi non pernoctent, vel aliquem Presbyterum sæcularem, eorum arbitrio quoties ipsis placuerit deputandum, celebrari, & adimpleri facere perpetuò teneri, & obligatos fore dicta auctoritate decernas, & declares.

§. 6. Ad hæc eidem Conventui S. Laurentii sic reintegrato, seù de novo erecto, illiusque Ecclesiæ, ac Priori, & Fratribus pro tempore existentibus, necnon quibusvis Christi fidelibus eandem Ecclesiam pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, & indul-

indulgentiis, etiam illis, quibus ante ipsius Conventus suppressionem, mediante Confraternitate Cinctorum, sive de Centurati, vulgariter vocata, in Ecclesia hujusmodi erecta, gaudebant, aliisque gratiis universis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, quibus alii Conventus Congregationis, & Ordinis prædictorum, illorumque Priores, & fratres de jure, usu, consuetudine, & aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quovis modo in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam æquè principaliter, & pariformiter, ac absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, eadem auctoritate concedas, & indulgeas.

Pensiones.

§. 7. Ac demum memoratis Francisco quidem unam octuaginta quatuor, Joanni Dominico verò alteram pensiones, seù præstationes annuas triginta scutorum monetæ dictarum partium super omnibus, & singulis bonis, redditibus, & proventibus d. Conventus S. Laurentii per eos quoad vixerint percipiendas, exigendas, levandas, ac in eorum usus, & utilitatem convertendas, eisque per Priorem, & Fratres ipsius Conventus S. Laurentii pro tempore existentes annis singulis pro una in Nativitatis, & pro altera medietatibus pensionum, seù præstationum annuarum hujusmodi in Annunciationis B. Mariæ Virginis festivitatibus respectivè persolvendas; itaut pro dictis pensionibus, seu præstationibus annuis sic eisdem Francisco, & Joanni Dominico respectivè solvendis omnia, & singula bona d. Conventus S. Laurentii specialiter obligata, & hypothecata sint, auctoritate prædicta reserves, constituas, & assignes: Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impartimur.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, ac inde legitimè secutura quæcumque, nullo unquam tempore sub quibusvis similium, vel dissimilium restitutionum, reintegrationum, erectionum, suppressionum, & extinctionum, applicationum, assignationum, & appropriationum, etiam effectum nondum sortitarum, ac indultorum, aliarumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, vel aliis contrariis dispositionibus etiam per quascumque literas, & Constitutiones Apostolicas, seù Cancellariæ Apostolicæ Regulas, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam per Nos, & quoscumque Successores nostros Romanos Pontifices, etiam in crastinum cujuslibet eorum assumptionis ad summi Apostolatus apicem, ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet pro tempore factis, & concessis comprehendi, aut comprehensas, & comprehensa censeri, sed semper ab illis exceptas, & excepta, ac quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, necnon restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per Priorem, & Fratres d. Conventus S. Laurentii pro tempore existentes eligenda concessas, & concessa, firmaque valida, & efficacia existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri.

§. 9. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios, & alios quoslibet quacumque auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac de non concedendis Indulgentiis ad instar, & quatenus opus sit de perpetuis suppressionibus, unionibus, & applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis verò valore, necnon de præstando consensu in pensionibus, seù illarum reservatione, aliisque nostris, & Cancellariæ prædictæ regulis tàm hactenus editis, quàm in posterum quandocumque edendis, ac Lateranen. Consilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à jure expressis fieri prohiben., aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Testatorum, etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expressè commutamus, ac prædictorum Ordini, Congregationis, Conventuum, Ecclesiarum, & Seminarii, aliisvè quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordini, Congregationi, Conventibus, Ecclesiis, & Seminario, illorumque Superioribus, administratoribus, Fratribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium, præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis.

§. 11. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio facienda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, ac exactè servatis, & specificatis respectivè habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Augusti 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo. Dat P. An.8. die 8. Aug

---

Indultum, ut Complutensis Academia recitare possit officium S. Thomæ de Villanova sub ritu dup. 2. classis cum octava. LXXI.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1659.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

EManavit nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet, Sacra Rituum Congregatio Rectoris Collegialium majorum Collegii Sancti Ildephonsi, ac aliorum Universitatis Studii generalis Oppidi Complutensis Toletanæ Diœceseos in Sanctum Thomam de Villanova Archiepiscopum Valentinum piis votis benignè inclinata, quod ibidem adipiscendis facultatibus, iisdemque mox gradu decoratus interpretandis, ac edisseren-

dis Sanctus idem operam navasset, ejusque Costa cum parte carnis, ut asseritur, asservetur (quibus causis permotus san. mem. Innocentius Decimus eidem Universitati indulsit, ut inibi posset de eodem Sancto tunc Beatitatis tantum titulo insignito Officium recitari, ac Missam pariter celebrari) ut posthac Universitatis, ac Collegiorum eorumdem incolæ, tam sæculares, quam Regulares tanti Coalumni memoriam, quo solemnius celebrant, eo impensius imitentur, quotannis de eodem nuper inter Sanctos relato, eis Officium duplex secundæ Classis cum Octava, reliquo autem Oppidi ejusdem Clero duplex majus sine Octava recitandi facultatem tribuendam censuit. Die 19. Julij 1659. facta autem de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua annuit. Die 20. ejusdem mensis, eodemque anno 1659 I. Episcopus Sabinen. Cardinalis Sacchettus.

Absolvit Oratores à censuris.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Rector, & Collegiales, & alii prædictæ Universitatis Studii generalis Complutensis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desiderent. Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat prout in Rub

§. 2. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans,

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 5. die 25. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 25. Augusti 1659. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXXII.

Præcipitur omnibus de Universitate observare Statutum 64. de obedientia Rectori præstanda.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1659.

Alias pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & aliorum Universitatis Studii generalis Oppidi Complutensis Toletan. Diœcesis Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod inter alia ejusdem Universitatis Sedi Apost. immediatæ subjectæ Statuta dudum à bon. me. Francisco dum vixit ejusdem S. R. E. Cardinale Ximenez nuncupato auctoritate fæl. rec. Alexandri Papæ VI. prædecessoris nostri condita unum extaret sub cap. lxiv. incipiens.

Statutum.

§. 1. Statuimus, & ordinamus &c. in quo disponitur, teneri Lectores, Doctores, & Scholares juramentum obedientiæ deferre Rectori ipsius Universitatis, quod quidem juramentum præstandum est, antequam prædicti de Universitate describantur in Matricula, alias privilegiis, & exeptionibus non gaudent. Et in eadem expositione subjuncto, quod sæpius nonnulli, qui prædictis privilegiis uti prætendunt nihilominus se in matricula describi non faciant, ne cogantur præstare juramentum Obedientiæ, ideoque supplicato, ut caput hoc Statutorum confirmaretur, & non observantes privilegiis prædictis minimè gaudere declararetur. Emanavit à prædicta Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet, die 15. Maij 1658. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Statutum Academiæ Complutensis in præcitato Capitulo 64. de obedientia Rectoris præstandæ ab omnibus &c. confirmatum à Sede Apostolica esse observandum. F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

§. 2. Cum autem sicut prædicti exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet, & innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmat Decretum prout in rub.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An 5. die 5. Aug.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Augusti 1659. Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXIII.

Declarantur pœnæ, quibus incurrunt non observantes statutum 64. de obedientia Rectori præstanda.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & aliorum Universitatis Studii generalis Oppidi Compluten. Toletanæ Diœcesis, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod inter alia ejusdem Universitatis Sedi Apostolicæ immediatè subjectæ Statuta adest 64. tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 1. Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Regentes, Cathedratici, & alii quicumque Lectores, Doctores, Magistri, Licenciati, Baccalaureii, & Scholares universi hujus Academiæ, & Universitatis, cujuscumque qualitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ existant, in omnibus, & singulis regimini, & gubernationi Rectoris nostri Collegii pro tempore eligend perpetuò subjaceant, teneanturque omnibus, & singulis mandatis ipsius licitis, & honestis, ac

Constitutionibus nostris non contrariis obedire.

§. 2. Et ad vocationem Rectoris præfati toties, quoties ab eo, vel ejus mandato vocati fuerint convenire: Statuta, & Constitutiones nostras in omnibus, & per omnia inviolabiliter observare: Honorem, utilitatem, & dignitatem ipsius Collegii semper, & ubicumque fuerint procurare: exemptionem, libertatem ejusdem tueri. Quæ omnia, & singula antequam scribantur in matricula Universitatis infra sex dies à die electionis Rectoris moderni computandos, si præsentes fuerint, vel infra alios sex dies postquam ad Universitatem venerint, teneantur sic jurare: Qui autem tale juramentum non præstiterint, nullatenus gaudeant privilegiis, & prærogativis ipsius Universitatis, nec scribantur in Matricula, in qua scribi debeant nomina, & cognomina omnium & singularum personarum in eadem Universitate residentium, neque computentur, aut admittantur alicui cursus, quos peregerit antequam prædictũ juramentũ præstiterit &c.

§. 3. Et in eadem expositione subjuncto, quod cum ex Statuto hujusmodi juramentum de exhibenda obedientia prædicta præstandum sit, qui verò illud non præstiterit, privilegiis, & prærogativis ipsius Universitatis nullatenus gaudere debeat: dubitaretur an inter privilegia, & prærogativas hujusmodi comprehenderentur Stipendia debita ex gradibus conferendis, & actibus Universitatis, Cathedrisque moderandis &c. Et an similiter vox activa, & passiva ad munia, & officia Academiæ obeunda inter prærogativas, & privilegia prædicta computaretur; Ideoque petita à prædictis Cardinalibus dubiorum hujusmodi declaratione, ut omnes in contrarium abusus de medio penitus tolleretur. Emanavit ab eorumdem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris sequentis videlicet.

§. 4. Die 26. Julii 1659. Sacra Congregatio Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum censuit, Propinas, & vocem activam, & passivam comprehendi inter prærogativas, & privilegia de quibus in antedicto Capitulo 64. Statutorum fit mentio, F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

§. 5. Cum autem sicut prædicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio roborari summoperè desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Confirmat Decretum præfatum.

§. 6. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque.

Decretum irritans.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Augusti 1659. Pontificatus Nostri Anno quinto.

D. Ann. P 5. die 25. Aug.

Reformatio Collegii Cursorum Apostolicorum. LXXIV.

Cursores Papæ debent diem futuræ Cameræ Apostolicæ pridiè intimare. Pius IV. Constit. 87. §. 13. tom. 2. In quibus causis citare, ac intimare valeant Julius III. Const. 14. tom. 1.

ALEXANDER PAPA VII.

MOTU proprio &c. Aliàs fælic. recordat. Paulus Papa V. Prædecessor noster, ut Collegium Cursorum à maximis interusuriis, quibus ferè singuli premebantur pro alienis pecuniis, quas pro Emptione eorumdem officiorum perceperant liberaret 25. officia militiæ piæ vendibilia, & resignabilia ad instar aliorum Officiorum Militum Piorum sub certis tunc expressis conditionibus erexit, & instituit, & pretium, quod ex venditione, & integra expeditione dd. singulorum 25. Officiorum tunc erectorum in prima vice retraheretur penès personam fide, & facultatibus idoneam per eosdem Cursores eligen. seù in Sacro Monte Pietatis, aut Banco Archihospitalis Sancti Spiritus ad electionem eorumdem Cursorum deponi mandavit æqualiter inter ipsos Cursores dividendum ad effectum tamen satisfaciendi eorum Creditoribus, qui pecunias pro Officiis Cursoratus emendis contribuerant.

Edita A. D. 1659

§. 1. Indemnitati verò eorum, qui dicta Officia Militum Piorum sic emerant, & securitati prospicere volens mandavit, ut singulis mensibus ex certis ibidem eorumdem Cursorum massæ assignatis redditibus ab eisdem Cursoribus ex Cursoratus Officii emolumentis, persolvendis, de quorum solutione eorum Magistro pro tempore existenti sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurren. rationem reddere deberent, & tenerentur scu. 113. & bonon. lxxv. eisdem Militibus, sive eorum Depositario, æqualiter inter ipsos dividendos persolverentur, gravissimis impositis pœnis, tam fraudantibus dictam massam, quam deficientibus in prædicta solutione dictis Officialibus Militum Piorum, sicuti ex eisdem massæ redditibus solvi mandavit fructus locorum Montium Pacis tunc dictorum, necnon alia onera eidem Collegio incumbentia, quibus integrè solutis, quicquid ex dicta massa supererat æqualiter inter eosdem Cursores dividi voluit, quibus etiam expresè inhibuit ne de cætero perpetuis futuris temporibus sub solutione cc. scutorum, & suspensionis ab exercitio Cursoratus officii per annum integrum pro prima, & solutione ccc. scutorum hujusmodi, ac suspensione ejusdem officii per duos annos pro secunda, necnon solutionis scutorum D. similium, pro una Cameræ Apostolicæ, vel alicui loco Pio, arbitrio ejusdem Prædecessoris, & altera medietatibus eidem Collegio Cursorum irremissibiliter applican. & perpetuæ privationis exercitii officii Cursoratus, ac excommunicationis majoris latæ sententiæ pro tertia vicibus hujusmodi per quemlibet ex ipsis contravenien. incurrendis pœnis, aliquem appaltum Citationum, cum quibusvis personis facere, vel inire, nec per interpositam personam etiam quovis prætextu, ingenio, quæsito colore, vel causa, & occasione aliquos libros, inscriptiones, notulas, & ut vulgò dicitur ricordi, tam parvos quam minimos, vel etiam quæcumque computa etiam minima, cum quibus personis conficere auderent, seù præsumerent, sed bononenos ex dictis Citationibus, & expeditionibus provenien. in unum pro dicta massa confìcien. congerere ad effectum solvendi, ut supra tenerentur; super qua massa, & illius augumento, tunc assi-

Refert Litteras Pauli V.

gnato

gnato expresse voluit, & ordinavit, ne de cætero perpetuis futuris temporibus possent Domini Titulorum ipsorum Officiorum Cursoratuum aliquam ratam participare, nec ad effectum quomodolibet participandi aliquod pactum, vel promissionem cum eisdem Cursoribus facere, vel inire, ad quorum omnium observationem voluit, ut tunc omnes existentes Cursores se se in ampliori Cameræ Apostolicæ, & quacumque alia juris valida forma, quicumque verò de eisdem Cursorum Officiis imposterum provideretur antequam ad illius exercitium admitteretur, & reciperetur se obligare tenerentur, & alias prout in ipsius Prædecessoris litteris in forma Brevis sub Dat. Prima Octobris 1614. Pontificatus ejusdem Prædecessoris anno X. plenius continetur.

Motiva hujus Const.

§. 2. Cum autem sicut nobis non sine animi nostri molestia, nuper innotuit, prædicti redditus per dictum Prædecessorem hujusmodi massæ, sic assignati, non solum fideliter non persolvuntur, sed plures fraudes in eorum solutionibus ab eisdem Cursoribus committuntur in ejusdem massæ, Cameræ nostræ Apostolicæ, quæ solvendi assignamenta dictis Militibus piis, necnon Depositariæ ejusdem Cameræ pro dictis locis Montium Pacis, suppressis, & aliis illorum loco erectis onus in se assumpsit, & aliorum, qui officium Cursorum hujusmodi de suis propriis pecuniis sub illorum vitæ periculo emerunt, damnum, & præjudicium, quibus, & aliis nonnullis etiam in dictis litteris prædecessoris nostri contentis, quæ, ut experientia docuit, aut nullo modo, aut difficillimè servari possunt, providere volentes, negotium hujusmodi nonnullis S. R. E. Cardinalibus, ac Rom. Curiæ Prælatis, & aliis probis viris commisimus, qui sæpius congregati, ac partibus auditis, negotium hujusmodi maturè examinatum, & discussum, nobis retulerunt, proindeque securitati tam massæ Cursorum, quam Cameræ nostræ aliorumque interesse habentium indemnitati, ac Curialium commoditati opportunè consulendum decrevimus.

§. 3. Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed de nostræ, & Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas Prædecessoris litteras, earumque dispositionem super forma exigendi redditus per prædictos Cursores debitos, & notulas, ut præfertur prohibitas, quoad censuras, & pœnas spirituales, & alias in prædictis litteris comminatas, & fulminatas, easdem tamen quoad reliqua in illis deposita in suo robore, & observantia permansuras limitamus, reducimus, & moderamur. Statuentes ex nunc de cætero, quod perpetuis futuris temporibus quilibet ex dictis Cursoribus emolumentorum partem, quæ ex Citationibus, inhibitionibus, Monitoriis, Revocationibus, aliisque quibuslibet expeditionibus, tam reproducendis, quam reproduci non solitis, prædictæ massæ assignatam ad ejusdem creditum fideliter, & integraliter describi facere debeat, & teneatur. Quod si aliquid ex prædictis emolumentis massæ assignatis fraudatum quoquo modo fuerit, aut Cursores sibi retinuerint, teneatur in pœnam quilibet Cursor, & etiam illorum Magister pro quolibet bononeno sic fraudato, vel retento omni excusatione etiam invincibilis ignorantiæ remota ad solutionem Juliorum x. monetæ Romanæ per causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem eo ipso, nulla judicii forma servata, sed sola facti veritate inspecta, quorum 10. Juliorum, unam Denunciatori, seu Delatori, aliam verò medietatem massæ prædictæ applicamus, cujus etiam securitati, ac proinde ejusdem Cameræ, & aliorum interesse habentium indemnitati magis consulentes, volumus, & decernimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ante Congregationem faciendam secunda die Dominica cujuslibet mensis, singuli Cursores in Banco Archihospitalis Sancti Spiritus, seù alio loco tuto, & securo, arbitrio pro tempore existentis Generalis Auditoris prædicti, integram massæ ratam ab ipsis ex emolumentis præcedentis mensis perceptis debitam deponant, quæ nulla ratione etiam prætextu ratæ sibi postea ex eadem massa (solutis prout infra oneribus) tangen. retardari possit, & quilibet Cursor cedulam depositi in dicta Congregatione deferre, & Magistro tradere teneatur, sub pœna suspensionis ab officio ipso facto, absque alia Judicis declaratione, donec dictam ratam deposuerit, Cedulamque Magistro, ut supra consignaverit, qui infra triduum a die habitæ Congregationis prædictæ notam Cursorum, qui in prædicto deposito defecerint eidem Auditori generali tradere, sub pœna privationis Officii Magisterii teneatur, ut ab eodem Auditore in casum non observantiæ suspensione puniri ejus arbitrio possint.

§. 4. In ipsa verò die Congregationis Magister Cursorum in prima, seù sinistra facie libri ad hunc effectum singulariter habendi describat ordinatim suum, & cujuslibet Cursoris nomen, cum quantitate pecuniarum debitarum, tam ab ipso Magistro, quam à singulis Cursoribus, cum subscriptione ejusdem Magistri, ac Decani, vel in hujus defectum antiquioris Cursoris, & duorum deputatorum supra massam in eadem facie. In secunda verò facie ejusdem libri ex opposito notabit solutionem à singulis, & quibuslibet in Banco Archihospitalis Sancti Spiritus factam, juxta quietantiam desuper productam, sequenti verò folio registrentur singula mandata directa ad prædictum Bancum subscriben. à Magistro, & Decano simul, vel loco Decani ab antiquiori Cursore cum distributione supradictarum pecuniarum, solvendarum infrascriptis videlicet. Primo loco Depositario generali Cameræ Apostolicæ in satisfactionem onerum à Collegio Cursorum debitorum. Subindè reservatariis Decretorum, & aliis creditoribus singulorum Cursorum respectivè ratione cujuslibet officii. Et denique Magistro, & aliis Cursoribus pro rata massæ singulos tangen.

§. 5. Præterea Magister Cursorum pro tempore existens teneatur exhibere supradictum librum pro tempore existenti Auditori Generali infra Triduum à die habitæ Congregationis computan. sub suspensionis per unum mensem à sui officii exercitio, aliisque pœnis ejusdem Auditoris generalis arbitrio in qualibet contraventione supra dispositorum, vel alicujus eorum. Et quia tum Curialibus, tum eisdem Cursoribus onerosa nimis redditur prohibitio faciendi citationes, intimationes, aliasque expeditiones habita fide solutionis, ut ambas partes ab hujusmodi angustiis sublevemus, cuilibet ex Cursoribus permittimus, ut illorum arbitrio, absque ullarum pœnarum, aut censurarum incursu in prædictis Prædecessoris litteris imposit. citationes, intimationes, aliasque omnes expeditiones sub fide Curialium ipsis benevisorum expedire possint, & valeant non retardata tamen hujusmodi, sive alia de causa solutione reddituum massæ, ut supra debita, & singulorum mensium initio facienda, firma etiam remanente prohibitione sub eisdem pœnis, & censuris in dictis prædecessoris litteris, & aliis etiam corporis afflictivis arbitrio nostro, seù pro tempore existentis Generalis Auditoris prædicti condemnan. incurren. & exequen. ne quemlibet appaltum, aut aliquam remissionem mercedis citationum, intimationum, seù aliarum quarumcumque expeditionum, cum quibusvis personis, tam Ecclesiasticis, & speciali nota dignis, quam Regularibus, & Sæcularibus quovis prætextu, quæsito colore, & occasione facere, aut inire, cuilibet Cursori etiam magistro liceat.

§. 6. Ne verò supradicta dilata solutio ob mo-

rositatem

rositatem alicujus debitoris nimis gravis, & damnosa reddatur Cursoribus; Volumus, & mandamus, ut de cætero quilibet Cursor libellum unum, seù plures inscriptos per Magistrum prædictum (libro di credenze di N. Cursore) & ab eisdem Magistro, & Cursore subscript.in quibus per eundem Curialem, aut ipsius Sollicitatorem, seu Substitutum propria manu Citationes, intimationes, aliasq; expeditiones,expressa quantitate,ac die debiti adnotentur, penes se retineant, cui libro sic retento plena fides in judicio, & extra habeatur. Exactio verò fiat juxtà declarationem edicti desuper à dilecto filio Odoardo Vecchiarello moderno Curiæ Causarum Palatii Apostolici Auditore desuper stabiliendi, & publicandi. Consuetudinem demum, seù potius abusum, quod ad Officium Cursoris admittendus, ultra solitam admissionem, alia scuta triginta diversis vicibus titulo Convivii solvere cæteris Cursoribus teneretur prorsus cassamus, & irritamus, (& hujusmodi solutionem sub quovis prætextu fieri de cœtero omninò prohibemus, Imò, ut eisdem Novitiis, qui præ cæteris in exercitio officii, & cum minori utilitate laborant de aliqua subventione provideatur, mandamus, ut singulis mensibus si Novitii in Collegio existant, quos pro talibus durante biennio à die habitæ possessionis haberi volumus) ex dicta massa scuta sex monetæ inter ipsos dividenda, si plures sint, sin minus uni tantum per prædictum Magistrum assignanda solvantur.

Decretum irritans.

§.7.Decernentes præsentem nostrum Motum proprium de subreptionis, vel obreptionis,seù nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, seù invalidari, aut ad viam, vel terminum juris reduci, seù in jus,vel controversiam vocari, vel adversùs eos quodcumque juris, & facti, vel justitiæ, & gratiæ remedium intentari,impetrari vel concedi nullatenus unquam posse, sed illum ab omnibus, & singulis, quos concernit, & concernet quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, & adimpleri debere. Sicqué ab omnibus, & singulis censeri, & ita per eundem Auditorem Generalem, & quoscumque alios Judices ordinarios, vel Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, vel S.R.E.Cardinales etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, & authoritate,& per quoscumque alios Judices &c.judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstan.dicti Prædecessoris litteris,aliisque præmissis, ac dicti Collegii Cursorum,quatenus in aliquo obstet, erectione, & etiam quatenus opus sit Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri, in qua cavetur, quod indulta, & aliæ concessiones dictæ Cameræ interesse, aut gravamen quomodolibet concernen. intra certum tempus in eadem Camera registrentur, quod dicti Cursores, & quilibet alii ad præsentes in dicta Camera præsentandum, & inibi registrari faciendum minimè teneantur &c. & aliàs in contrarium faciendum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis,eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & de verbo ad verbum expressa,non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio F.

Et cum absolutione à censuris ad effectum &c. Et quod prædicti Pauli Prædecessoris literarum prædictarum tenores etiam veriores, ac Dat. habeantur pro expressis, seù in toto, vel parte exprimi possint in litteris. Et de singulis statutis, & ordinationibus, mandatis, cassatione, irritatione, annullatione, prohibitionibus, singulis decretis, derogatione, aliisque præmissis, ut supra quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut supra in litteris latissimè extendendum. Et cum opportuna deputatione ejusdem Auditoris Generalis qui facultatem habeat citandi, in forma inhibendi, & exequi faciendi. Invocato etiam brachii sæcularis auxilio, si opus fuerit, cum opportuna derogatione quomodolibet contrariorum in litteris latissimè extendendum, & quod sola præsentis Motus proprij Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra regula contraria non obstante, seù etiam præsentium transumptis etiam impressis, & manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent originaliter exhibitæ, vel ostensæ, seù etiam desuper litteræ Apostolicæ etiam per Breve nostrum, seù de Curia desuper expediri possint.

Fiat F.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Kal. Octobris Anno Quinto.

Die 11 Octobr.1659.Supradictus Motus proprius affixus, & publicatus fuit ad valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Melanum Sanct.D.N.Papæ Curs.

Joseph Marcheratus Curs. Mag.

Declaratio Apostolica pro Universitate Studii Generalis Compluten. ut deinceps in licentiis Theologiæ non ferant votum, nisi illi Doctores, qui vel per sex menses continuos ante dictum votum ferendum præsentes in dicta Universitate adfuerint, vel saltem adfuerint præsentes quatuor actibus singulorum concurrentium ad licentias ex iis quos pro licentia obtinenda facere debent. LXXV.

De hoc Collegio vide supra Constitutiones 71.72.& 73. hujus Pont.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1659.

Supplicatio.

NUper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & aliorum Universitatis studii generalis Compluten. Nobis expositum fuit, quod per statuta dictæ Universitatis Sedi Apostolicæ immediatè subjectæ dudum à bon.mem. Francisco dum vixit S. R. E. Cardinale Ximenez de Cineros nuncupato Ecclesiæ Toleta. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsule auctoritate fel. rec. Alexandri Papæ VI. Prædecessoris nostri condita Capp.44. 45. 46.& 47. Inter alia cavetur. quod omnes Doctores Theologicæ facultatis ejusdem Uuiversitatis actibus Theologicis, quos illi qui ad Baccalaureatus, & subinde ad licentiæ gradus in eadem Theologica facultate aspirant, octo numero successivè obire debent, interesse, & in illis arguere, seù argumenta proponere tenentur, quodque iidem Doctores per cedulas secretas ex Baccalaureis formatis primum Licentiæ gradu insigniendorum, habendo principaliter respectum ad sufficientiam litterarum, deinde secundum, postea tertium, & sic deinceps similiter eligere debent, & aliàs prout in eisdem statutis uberiùs dicitur contineri.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, sæpè nonnulli Doctores prædictæ Theologicæ facultatis, qui Compluti non resident, in electione Licentiæ gradu insigniendorum prædictorum votum habere prætendant, licèt sufficientiæ Baccalaureorum cognitionem non habeant, quippè qui prædictis eorum actibus non interfuerint,

nec contra eos argumenta proposuerint, imò nec Compluti quidem tempore actuum hujusmodi resederunt: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr.

§. 2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: hujusmodi supplicationibus inclinati: ut deinceps in ejusmodi Licentiis Theologiæ non ferant votum, nisi illi Doctores, qui vel per sex menses continuos ante dictum votum ferendum præsentes in dicta Universitate adfuerint, vel saltem adfuerint præsentes quatuor actibus singulorum concurrentium ad Licentias, ex iis quos pro licentia obtinenda facere debent auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes pariter easdem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus, præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon prædictis, & aliis quibusvis memoratæ Universitatis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & constitutionibus, ac consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat P.A.S. die 9. Octob.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 9. Octobris 1659. Pontificatus Nostri Anno quinto.

LXXVI.

Erectio Provinciæ Reformatæ Sanctæ Mariæ Ungharię Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ.

De his Reformatis vide ad Cōst. 40. Vrb. VIII. Sacrosanctum, & hujus Pontificis, Const. 59. Militantis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1659.

Exordium.

Sacrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ divina dispensatione creditum exigit, ut Paternam Religiosorum virorum sub suavi arctioris vitæ jugo Altissimi obsequiis mancipatorum curam gerentes, ea per quæ prospero, felicique eorum statui, & regimini consulitur Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio constabiliamus.

Motiva.

§. 1. Aliàs siquidem pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ S. Mariæ Ungharię Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod ipsi quidem priùs ante sex menses, vel circiter, varias gravissimas Causas, quarum intuitu Provinciam hujusmodi à Jurisdictione Commissarii nationalis, ad instar diversarum aliarum Provinciarum Familiæ Cismontanæ ejusdem Ordinis eximi desiderabant dictæ Congregationi exposuerunt, ipsis verò ab initio fecerat eandem Provinciam ad exemptionem hujusmodi admitti, & privilegiis vicinorum Provinciarum gaudere non posse, nisi priùs ostenderetur reformationem in illa pariter acceptatam fuisse, pro qua introducenda similes Commissarii deputari solent. Quodque dicta Provincia Sanctæ Mariæ Ungharię Constitutiones Reformatorum, & quidem uti tales à Ministro Generali Ordinis prædicti recognitas semper observasse ipsique exponentes credebant ex relatione dilecti pariter filii Visitatoris Generalis Austriæ, & Ungharię dicti Ordinis, cui memorata Congregatio indagationem veritatis præmissorum commiserat ad ipsam Congregationem transmissa constare eorum, quæ exposuerunt veritatem.

Decretum S. Congr.

§. 2. Et propterea dictæ Congregationi supplicato, ut exemptionem hujusmodi prædictæ Provinciæ concederet, illamque reformatam declararet. Emanavit ab eadem Congregatione, decretum tenoris, qui sequitur videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac auditis relationibus tàm Ministri Generalis Ordinis hujusmodi, quàm etiam Commissarii Visitatoris generalis Austriæ, & Ungharię asserentium memoratam Provinciam S. Mariæ Ungharię, ejusque omnes fratres, ac dicti Ordinis Religiosos jam acceptavisse, & suscepisse reformationem, ac secundùm hujus instituta leges, constitutiones, & statuta vivere, regi & gubernari censuit, decrevit, & declaravit eandem Provinciam tanquam reformatam haberi, ac inter reformatas Provincias statuendam, computandam, & describendam, earumque omnibus gratiis, privilegiis, & prærogativis æquè, ac cunctæ similes aliæ Provinciæ Reformatæ utuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, uti, frui, potiri, & gaudere, ipsam quoque debere, ac proinde ab obligatione recipiendi de cætero Commissarium nationalem esse eximendam, prout præsentis Decreti vigore statuitur, computari, haberi, describi, gaudere, & eximi respectu mandat, & præcipit contrariis quibuscumque. Non obstantibus. Romæ 19. Septembris 1659. M. Ginettus.

Absolvit oratores à censuris.

§. 3. Cum autem sicut dicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt ipsi decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolica muniminis patrocinio summoperè desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc correctis humiliter inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregat. Cardinalium.

Confirmat Decretum.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super

his

his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Oratores, & Provinciæ hujusmodi quibusvis, etiam verum, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 5. die 5. Nov. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 5. Novemb. 1659. Pontificatus nostri anno quinto.

LXXVII. De numero Monachorum Professorum, qui existere debent in Monasteriis Congregationis reformatæ del Tardon, Ordinis Sancti Basilii Magni.

De his Monachis vide ad Constit. 127. Urb. VIII. Pastoralis, & ad Constit. 247. ejusdem Pontificis.

Edita An. D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. NOmine dilectorum filiorum Monachorum Provinciæ Reformatæ in Regnis Hispaniarum consistentis Ordinis S. Basilii Nobis pro parte dilectorum pariter filiorum Matthæi à S. Didaco Presbyteri, & Francisci à Jesu Laïci Monasterii Eremi del Tardon dictæ Provinciæ Monachorum, ejusdemque Provinciæ Definitorum, & Procuratorum Generalium in Romana Curia nuper expositum fuit, quod in quadam concordia aliàs inter duos Procuratores Presbyterum unum & laïcum alterum ejusdemque Provinciæ, cujus Monachorum una pars Presbyteri, & duæ Laïci existunt Romæ inita, quam felic. record. Innocentius Papa X. Prædecessor noster per suas in simili forma brevis expeditas litteras, inserto eidemque literis toto, & integro illius tenore de anno 1646. ut dicti exponentes asserunt confirmavit, inter alia stabilitum reperitur quod prædictum del Tardon, usque ad nonaginta, de Galleguillos verò nuncupatum dictæ Provinciæ Monasteria usque ad octoginta Monachos respectivè dumtaxat habere valeant, ac prætereà quod Adjutor, seù Coadjutor Magistri Novitiorum Laïcus existat, quodque in regula dictæ Provinciæ à rec. mem. Clemente Papa Octavo Prædecessore pariter nostro confirmata cap. 3. de Oratione, & Choro prohibetur ne novæ devotiones in præjudicium laboris manuum assumantur, & quadam Constitutione à piæ me. Paulo Papa V. etiam Prædecessore nostro confirmata cap. 22. num. 1. mandatur, ut duo Clavarii in quolibet Monasterio eligantur, ac insuper in prædicta concordia statuitur, quod Definitor antiquior convocet quater in anno Definitorium ad effectum audiendi causas ad recursum contra Abbatem Provincialem, & alios quoscumque, demum ejusdem Ordinis Constitutionibus prohibetur, ne Monachi retinere possint alia animalia quam oves & capras.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, subinde variæ difficultates, & incommoda exorta fuerint absque præmissa reformari, seù declarari expediat, & propterea exponentes prædicti attento augmento redditυum, & capacitate Conventuum, ut in prædicto del Tardon usque ad nonaginta novem, in illo verò de Galleguillos Monasteriis hujusmodi usque ad nonaginta Monachos respectivè, servata in reliquis quoad Sacerdotes, & Laïcos forma Constitutionis dicti Ordinis, & concordiæ supradictæ habere possint à nobis indulgeri, ac quod infirmo, vel impedito dicto Magistro Novitiorum licitum sit Abbati Provinciali una cum Definitorio circa concernentia spiritualitatem, & jurisdictionem alium Sacerdotem eligere, & subrogare, firmo tamen semper Coadjutore Laïco, qui eodem modo adjuvare, & coadjuvare habeat, ac si verus Magister esset præsens declarari, utque qualibet die in Choro Litanias Beatæ Mariæ Virginis recitare valeant, concedi, necnon quod ex duobus Clavariis hujusmodi unus Sacerdos, & alter Laïcus esse debeat etiam declarari. Insuper dicto Abbati Provinciali, ac Superioribus ne audeant quocumque prætextu impedire quominus statuta die dictum Definitorium convocetur interdici, ac postremò ut ipsi Monachi tot sues, & scrofas quot pro usu cujuslibet Monasterii necessarii fuerint, & non ultra alere possint, indulgeri summoperè desiderent.

§. 2. Nos dictos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes: Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, quibus preces suprascriptas examinandas remisimus, fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut constituto tibi servatis servandis de veritate expositorum, & quod hujusmodi petitio fiat à Capitulo Provinciali prædictæ Provinciæ capitulariter, & per vota secreta, iisdem Monachis exponentibus, quod in prædicto Conventu del Tardon habere possint Monachos usque ad numerum nonaginta novem, & in illo de Galleguillos usque ad numerum nonaginta, servata in reliquis forma prædictarum litterarum ejusdem Innocentii Prædecessoris, & præcipuè quoad Sacerdotes, & Laïcos, ac prætereà quod si contingat Magistrum Novitiorum aliquo gravi morbo, vel alio canonico impedimento detineri quominus Novitiis præesse possit, tunc, & tali casu deputetur per Definitorium Sacerdos necessariis prædictis requisitis qui suppleat vices Magistri Novitiorum, firmo tamen semper remanente Coadjutore Laïco: Quodque possint quotidie recitare in Choro Litanias Beatissimæ Virginis, pulsata tamen salutatione Angelica vespertina, ad hæc quod ex duobus Clavariis in quolibet Conventu juxtà Constitutionem eligendis unus debeat esse Sacerdos, & alter Laïcus. Insuper quod Definitori antiquiori ad quem spectat convocare quater in anno Definitorium pro recursibus licitum sit illud convocare licitis temporibus, nec Provincialis id impedire valeat quo vis prætextu sub pœna privationis officii eo ipso incurrenda. Demum quod ad usum mensæ ipsorum Monachorum, ipsisque inservientium, hospitum, & eleemosynæ dumtaxat, & non aliàs, & in locis omninò separatis à pascuis ovium, & caprarum à Constitutione permissarum emere, & alere possint tot sues, & scrofas quot juxtà eorum indigentiam, ac prædictorum mensæ inservientium, hospitum, & eleemosynæ usibus tantum noverint posse consumi, ea lege adjecta, ut nullo prætextu seù quæsito colore animalia, aut carnes hujusmo-

di vendere, permutare, aut de eis, & super eis quotlibet alios contractus inire possint auctoritate nostra Apostolica concedas, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, ejusque Monasteriorum quorumcumque etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P.An.2. die 2. Junii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 2. Junii 1656. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

LXXVIII. Declarat modum habendum à Generali in visitando Congregationem Monachorum del Tardon.

Edita An.D. 1658.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus à Jesu Monachus, ac Procurator Generalis Congregationis Reformatæ del Tardon nuncupatæ in Hispania consistentis Monachorum Ordinis S.Basilii, quod licet per litteras fel. record. Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri super institutione, seù approbatione ejusdem Congregationis, die 23. Septembris 1603. expeditas, quæ incipiunt *Altissimi dispositione &c.* caveatur expresse Monachos Congregationis Reformatæ hujusmodi Abbati Generali dicti Ordinis taliter subjacere, ut ipse per se, non verò per alium, nisi fortè ex eadem Congregatione Reformata Monachum possit illos tàm in capite, quàm in membris visitare, corrigere,& emendare, non verò in aliquo contra reformationem, seù constitutiones ab ipsis faciendas, & à Sede Apostolica approbandas in communi, vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare, seù innovare, neque Monachos Reformatos à suis Monasteriis alia quacumque de causa auferre, seù alios ab ipsis, & ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare, seù statuere, in quo ipsos possit perturbare, seù quomodolibet inquietare: nihilominus dilectus filius Modernus Abbas Generalis Ordinis prædicti vigore quarumdam litterarum rec. me. Innocentii Papæ X. Prædecessoris pariter nostri, etiam in forma Brevis, die 25. Junii 1647. expeditarum memoratam Congregationem Reformatam cum consilio, & interventu Monachorum assistentium non Reformatorum ejusdem Ordinis visitare, quin etiam ipse Abbas Generalis, & Monachi non Reformati Ordinis hujusmodi Monachos dictæ Congregationis Reformatæ ad expensas pro exhibitione, seù manutentione dictorum Monachorum Assistentium non Reformatorum contribuere teneri respective prætenderunt & prætendunt. Quare prædictus Franciscus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolvit oratorem à censuris. §. 1. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, attentis narratis, reque per eosdem Cardinales maturè discussa, quoad visitationem servandas esse litteras prædicti Clementis Prædecessoris in forma Brevis expeditas, ut scilicet fieri debeat per ipsummet Abbatem Generalem, & eo impedimento per alium ex Congregatione del Tardon auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus.

§. 2. Quoad contributionem autem pro Assistentibus, & eorum interventu in visitatione cum Abbate Generali litteras memorati Innocentii Prædecessoris non comprehendere dictam Congregationem, seù Provinciam del Tardon, ac proindè Assistentes non posse intervenire in dicta visitatione, nec dictam Provinciam del Tardon teneri ad aliquam contributionem pro dictis Assistentibus. Quo verò ad accessum ad Capitulum Generale licere Monachis del Tardon mittere eos tantùm quos permittunt litteræ in simili forma Brevis ejusdem Innocentii Prædecessoris, auctoritate, & tenore prædictis declaramus, salvâ semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 4. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Febru. 1658. Pontificatus Nostri Anno tertio. D P. An.3. die 11. Febr.

Quod Generalis Congregationis Monachorum del Tardon Ordinis sancti Basilii Magni visitet Congregationem eo modo quo disponunt Brevia novissima Urban. VIII. & Innoc. X. LXXIX.

Edita An D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALias pro parte dilecti filii Francisci à Jesu Procuratoris Generalis Congregationis, seù Provinciæ del Tardon nuncupatæ Monachorum Reformatorum Ordinis S. Basilii Magni in Hispania Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositis exposito, quod fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 23. Septembris 1603. expeditas litteras inter alia decreverit, eosdem Mo- Supplicatio.

nachos Reformatos Abbati d. Ordinis Generali taliter subjacere, ut ipse per se, non verò per alium, nisi fortè ex eadem Congregatione Reformata Monachum, possit illos tàm in capite, quàm in membris visitare, corrigere, & emendare, non verò in aliquo contra eorumdem Monachorum Reformationem, seù Constitutiones ab ipsis faciendas, & à Sede Apostolica approbandas in communi, vel cum aliquo particulari dispensare, vel quicquam aliud mutare, seù innovare, neque Monachos Reformatos à suis Monasteriis ad alia quacumque de causa auferre, seù alios ab ipsis etiam ad Breve tempus recipi facere, vel aliud quicquam ordinare, seu statuere, in quo ipsos possit perturbare, seù quomodolibet inquietare.

§. 1. Dictisque Monachis Reformatis Procuratorem ad Romanam Curiam eligendi, & ibidem pro dictæ Congregationis negotiis tractandis; quamdiu voluerint habendi facultatem tribuerit: rec. verò mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster per quasdam suas in eadem forma Brevis litteras die 30. Oct. 1629. expeditas Abbati Generali Ordinis præfati pro tempore existenti præceperit, ut in posterū prædictas litteras in forma Brevis memorati Clementis Prædecessoris omninò observaret, & observari faceret, decernens illum, si unquam aliquem ex Monachis Reformatis hujusmodi contra dispositionem dictarum litterarum ad Provincias non Reformatas transferre præsumpsisset, pœnam privationis vocis activæ & passivæ eo ipso incurrere.

§. 2. Nosque per nostras itidem in forma Brevis die 11. Febr. 1658. emanatas litteras ordinaverimus, quoad visitationem servandas esse litteras prædicti Clementis Prædecessoris, ut scilicet fieri debeat per ipsummet Abbatem Generalem, & eo impedito per alium ex Congregatione del Tardon, quoad contributionem autem pro Assistentibus, & eorum interventu in visitatione cum Abbate Generali litteras piæ mem. Innocentii X. Prædecessoris pariter nostri non comprehendere dictam Congregationem, seù Provinciam del Tardon, ac proinde Assistentes non posse intervenire in dicta visitatione, nec dictam Provinciam del Tardon teneri ad aliquam contributionem pro dictis Assistentibus: Præterea prædictus Urbanus Prædecessor in quibusdam aliis suis in simili forma Brevis litteris die 9. Jan. 1630. ad favorem Congregationis del Tardon expeditis Abbati Generali memorati Ordinis injunxerit, ut in visitatione dictæ Provinciæ Reformatæ expensas tantum necessarias, quæ tamen summam ducentorum scutorum monetæ Romanæ non excedant, recipiat.

§. 3. Ac demum similis recor. Paulus Papa V. pariter Prædecessor noster etiam per quasdam suas in forma Brevis litteras voluerit, & statuerit, quamvis Provincialis Provinciæ hujusmodi notabiliter deliquerit, à Diffinitorio tamen, nisi ob crimen ex quo de Jure deponendus, seù privandus veniat, tam ex officio, quàm per inquisitionem, seù denunciationem, vel accusationem, aut alio quovis modo contra eum nequaquam procedi, sed ejus jurisdictionem usque ad præfinitum tempus illæsam durare, ipse Franciscus Procurator generalis pro majori observatione dictarum litterarum Apostolicarum plurimum cupiebat ordinari.

§. 4. Primò ut Abbas Generalis Ordinis prædicti in visitatione, quam per se solum facere potest, in Assistentes eligere debeat duos antiquiores Diffinitores dictæ Reformationis, nempè Presbyterum unum, & Laicum, seù Conversum alterum, vel alios duos qui à Diffinitorio ejusdem, Reformationis electi fuerint, ac eidem Abbati Generali prohiberi, ne exemptionem, aut privilegia dictis Monachis Reformatis concedat, sed præfatas litteras Apostolicas observet, & ab omnibus proprias eorum leges, & institutum faciat observari, attento quod hac in re nonnulla inconvenientia sunt secuta, quibus reformatio hujusmodi perturbata fuit.

§. 5. Secundò prohiberi eidem Abbati Generali ne à Conventibus Prælatis, aut Monachis particularibus eorumdem Reformatorum majorem quantitatem pecuniarum, aut alterius cujusvis rei æquivalentis accipiat, quàm quæ in visitatione dictorum Reformatorum expendetur tàm pro naulo, & stabulatione jumentorum, eorumque sustentatione, quàm pro alia qualibet impensa, itaut expensæ hujusmodi summam ducentorum scutorum monetæ Romanæ prædictæ excedere non debeant juxtà supradictas Urbani Prædecessoris litteras, idque sub pœna privationis officii, & inhabilitatis perpetuæ tàm per dantes, quàm per recipientes incurrenda.

§. 6. Tertiò prohiberi Monachis reis, ne prætextu gravaminis ad alios Superiores, quàm primo ad Diffinitorium recurrere possint, prout per quasdam Urbani, & Innocentii Prædecessorum in simili forma Brevis litteras cavetur.

§. 7. Quartò declarari, quod quando Superior Provincialis dictæ reformationis Constitutionibus seù litteris Apostolicis, per quas pœna privationis officii imponitur, contravenerit, Diffinitores in eorum Diffinitorio, vel extra illud, eveniente casu procedere valeant ad declarandum eum in pœnam hujusmodi incurrisse, eumque officio privare, non obstante supradicta Constitutione, ac insuper declarari utrum jus, de quo inibi fit mentio, sit jus commune, an verò jus particulare dictæ Religionis, videlicet leges, & Constitutiones à Romanis Pontificibus editæ emanavit à prædictorum Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 8. Sacra Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, attentis narratis, reque Eminentiss. Carpineo referente diligenter, & maturè discussa, censuit decernen. & declaran. quemadmodum præsentium tenore, decernit, & declarat ut infra videlicet, ad primum quod Generalis visitet juxtà formam, & dispositionem Brevis sa. me. Clem. VIII. Ad secundum idem Generalis servet omninò Breve sa. me. Urbani VIII. Dat. sub die 9. Januarii 1630. adeo ut expensæ, quæ dantur pro visitatione omnibus computatis, non excedant summā scutorum ducentorum monetæ Romanæ; nec etiam à sponte dantibus, aliud quidquam ultra dictam summam sub expressis pœnis recipere audeat. Ad tertium quod serventur pariter litteræ in forma Brevis emanatæ de anno 1641. à fel. rec. Urbano VIII. de anno 1646. à simil. me. Innoc. X. in iis quæ concernunt, appellationem, seù recursum ad diffinitorium, & ad quartum, quod quando Provincialis crimen commisit, ex quo de jure deponendus, vel privandus venit, itidem procedendum esse in casibus tàm de jure communi, quàm de jure Constitutionum dictæ Reformationis dictæ Provinciæ del Tardon à S. Sede Apostolica confirmatis. Ac proinde ita circa præmissa de cætero omnimodè exequi, & respectivè observari mandat & præcipit, contrariis quibuscumque, non obstantibus Romæ 14. Februarii 1659. M. Card. Ginettus. Declaratio p. æ dictorū.

§. 9. Cum autem sicut D. Franciscus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq. Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quovis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique Confirmat Decret. Sent. Congr.

inviolabilis

inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 10. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis seu Provinciæ & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Da.P.A. 5. die 12.Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Novemb. 1659. Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXX.

Confirmat Decretum circa receptionem oblatorum, probationem, admissionem ad habitum in Provincia Sanctorum Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanæ Tertii Ordinis Sancti Francisci.

De his oblatis vide sup. ad Constit. 66. Cum sicut hujus Pont. ubi cavetur ne recipiantur nisi cum biennali novitiatu, & quarto voto, &c.

Edita A.D. 1659.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Alias pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, & Diffinitorum Provinciæ Sanctorum Ludovici, & Elzearii Congregationis Gallicanæ Tertii Ord. S.Francisci nobis exposito, quod Regula d. Tertii Ord. Cap. ij. & Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 15. determinant unum annum probationis pro Novitiis, Constitutiones verò generales ejusdem Tertii Ord. ab hac S. Sede approbatæ determinant duos annos pro Novitiatu Fratrum Oblatorum, seù servientium, qui emittunt tria vota solemnia Religionis, ac insuper quartum votum, de non procuranda alia conditione à sua, Cap. j. §. ij. de Fratribus Oblatis, fel. autem recor. Clemens Papa Octavus prædecessor noster per quamdam suam Constitutionem die 19. Martii 1603. emanatam ordinavit, ut unaquæque Religio sua specialia Instituta observare teneatur circa Fratrum Oblatorum receptiones.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quo pro consolatione quorumdam Fratrum Oblatorum, qui tunc in d. Tertio Ordine existebant, Superiores ipsius Tertii Ord. consenserunt aliàs ut à rec. me. Urbano PP. VIII. prædecessore pariter nostro, procuraretur dispensatio pro dd. Fratribus Oblatis super ipsorum quarto voto, & licentia transeundi ad statum Fratrum Conversorum, seù Laicorum, cum assumptione Caputii, sicut de facto idem Urbanus prædecessor die 26. Augusti 1641. dispensavit cum Fratribus Oblatis, qui tunc in d. Tertio Ordine existebant; quodque ab illo tempore in aliquibus Conventibus dictæ Congregationis Tertii Ord. diversis, & differentibus modis factæ fuerunt receptiones dictorum Fratrum Oblatorum, siquidem aliqui Superiores sibi persuadentes prædictas Constitutiones Generales Tertii Ordinis determinantes duos annos pro Novitiatu Fratrum Oblatorum, esse contrarias Regulæ Tertii Ord. & Concilio Tridentino prædictis requirentibus unum tantùm annum probationis in Novitiis admittunt in Ordinem Fratres Oblatos sine Caputio, cum uno tantùm anno probationis.

§. 2. Et ulterius occasione litterarum d. Urbani prædecessoris in simili forma Brevis super præmissis emanatarum, per quas ipse Urbanus prædecessor dispensavit cum dd. Oblatis, qui tunc erant in Ordine super quarto voto, eisque concessit transitum ad statum Laicalem post decem annos à sua receptione; Fratres Oblati qui de novo recipiuntur in ordine quartum votum ab Oblatis emittendum non emittunt, ac post tempus aliquorum annorum assumunt Caputium sine ulla auctoritate hujus S. Sedis, & dispensatione Constitutionum generalium d.Tertii Ord. contra quas novus status, seù conditio in Religionem inducitur.

§. 3. In aliis verò Conventibus Tertii Ord. & Congregationis hujusmodi admittuntur d. Fratres Oblati, seù Servientes, juxta formam Constitutionum generalium Ordinis cum quarto voto, de non procuranda alia conditione à sua, idque eo magis, quod cùm sit dispensatio ipsa est de voto jam facto, non verò de faciendo, & prædictus Urbanus prædecessor dispensavit cum Oblatis, qui votum emiserant, & tunc temporis in Ordine existebant, minimè verò ordinavit aliquid circa Oblatos in futurum recipiendos, aut quoad hoc Constitutiones generales Ordinis immutavit. Istas autem diversas, & differentes Fratrum Oblatorum receptiones non minimam parere in d. Congreg. Tertii Ord. confusionem, & plures scrupulos, ac dubia ingerere in animos; Et propterea Nobis humiliter supplicato, ut dignaremur declarare.

§. 4. Primò, an Constitutiones generales dicti Tertii Ord. requirentes duos annos probationis in Oblatis, seù Fratribus Servientibus, vota solemnia emittentibus, sint contrariæ tàm Regulæ ejusdem Tertii Ord. quàm Decreto Concil. Trident. unum annum probationis exigentibus in Novitiis? Secundò, an occasione relaxationis, & dispensationis factæ à memorato Urbano prædecessore cum Fratribus Oblatis, qui tunc temporis existebant in Ordine super ipsorum quarto voto, de non procuranda alia conditione à sua, & super assumptione Caputii post decem annos, possint de novo recipi Oblati, seù Servientes cum uno anno solum probationis ac admitti ad Capitulum & statum Laïcorum; possitque talis usus, & status novus introduci contra generalia statuta Ordinis sine debita auctoritate Sedis Apostolicæ. Tertiò, an Fratres Oblati qui in tali statu novo & non approbato à Sede prædicta fuerunt admissi in Religionem, sint verè Religiosi, & professi. Quartò, an dicta dispensatio concessa ab Urbano prædecessore prædicto pro Oblatis qui tunc temporis existebant in Ordine, impediat quominus recipiantur in Ordinem Fratres oblati juxta formam Constitut. generalium d. Tertii Ord. ab eadem Sede approbatum?

§. 5. Nos negotium hujusmodi Venerab. Fratribus Æmilio Camerinen. & Carolo Clusin. Episcopis demandavimus, à quibus emanavit Decretum tenoris qui sequitur videlicet: Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini de Alteriis Episcopus Camerin. & D. de Vecchis Episcopus Clusin. auctoritate Apostolica sibi specialiter commissa omni-

bus maturè perpensis censuerunt, & declaraverunt sicuti hoc præsenti decreto censent, & declarant. Primò, non obstante Concilium Tridentinum, nec Regulam Tertii Ordinis quominus Oblati, seù Servientes juxta tenorem Constitutionum generalium d. Ordinis debeant biennio integro probari, & eo expleto ad professionem admitti. Secundò, non posse admitti ad Caputium, seu statum Laïcorum Fratres Oblatos, seù Servientes qui admissi sunt in Religionem post Breve san. mem. Urbani octavi, cùm dictum Breve loquatur tantùm de illis Oblatis qui tunc existebant in Ordine: Tertiò, dictos Oblatos de novo receptos in statu novo, & non approbato à Sancta Sede non esse veros Religiosos: Quartò, dictum Breve Urbani non impedire quominus recipiantur in Ordinem Fratres Oblati juxta formam Constitutionum generalium d. Tertii Ord. à Sancta Sede approbatarum, non obstantibus quibuscumque in contrarium, Romæ 9. Octobris 1659. E. Episcopus Camerinen. Secret. C. de Vecchis Episc. Clusin. S. C. C. Sec.

§. 6. Cùm autem sicut prædicti Exponentes Nobis denuò nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 7. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 5. die 10. Dec. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 10. Decembris 1659. Pontificatus nostri anno quinto.

LXXXI. Quod Monachi S. Basilii Hispaniarum possint deferre Cucullam amplam, talarem, manicatam quam floccum vocant.

IN CAUSA SALAMANTINA CUCULLÆ.

IN Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria habita coram Sanctissimo, Eminentissimus D. Cardinalis Azzolinus retulit controversiam Monachorum Sancti Basilii, & Sancti Benedicti Hispaniarum super usu Cucullæ amplæ talaris, quam floccum nuncupant. Et juribus utriusque partis hinc inde, necnon Voto Sac. Rotæ auditis, ac maturè perpensis, Sanctitas Sua censuit, decrevitque licuisse, ac licere Monachis Sancti Basilii deferre Cucullam amplam, talarem, manicatam, quam floccum vocant, ac proinde manutenendos esse in ejusdem usu. Die 27. Septemb. 1659.

I. Episc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco † Sigilli.

Franc. Maria Phœbeus Sac. Rit. Congr. Secr.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. COntroversiam inter dilectos filios Sancti Basilii ex una, & Sancti Benedicti Ordinum Monachos in Hispaniis degentes ex altera partibus super usu Cucullæ amplæ talaris, quam floccum nuncupant, vertentem pro commissa Nobis cœlitus pastoralis officii cura, sine debito terminare cupientes, litemque super eadem controversia pendentem à quibusvis Judicibus (quorum omnium, & singulorum, necnon collitigantium nomina, cognomina, & qualitates, ac litis, & causæ hujusmodi statum, & merita, cæteraque etiam speciali, & individua mentione digna præsentibus haberi volumus pro expressis) ad Nos harum serie avocantes, ac dilectum pariter filium Dionysium Mungo Abbatem d. Ordinis S. Basilii specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Dionysii Abbatis Generalis totiusque Ordinis prædicti S. Basilii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, juribus utriusque partis hinc inde, necnon voto dilectorum filiorum Capellanorum nostrorum Sacri Palatii Apostolici Auditorum auditis, ac maturè perpensis auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium decernimus licuisse, ac licere Monachis ejusdem Ordinis S. Basilii deferre Cucullam amplam, talarem, manicatam, quam floccum vocant, ac proindè manutenendos esse in ejusdem usu: litemque prædictam perpetuò supprimimus, & extinguimus. Edita A. D. 1659.

Decretum irritans. §. 2. Decernentes pariter ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus habere, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Palatii prædicti Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstantibus litis hujusmodi pendentia, aliisque præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, & quatenus opus sit prædictorum Ordinum, aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes: illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 5. die 20. Dec. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Decembris 1659. Pontificatûs Nostri Anno quinto.

LXXXII.

Quod Fratres Minores de observantia S. Francisci Provinciæ Valentiæ non possint transire ad Recollectos absque licentia Ministri Provincialis.

De transitu ab una ad aliam Familiam observantium & Reformatorum vide ad Constitut. 240. Urban. VIII. Injuncti nobis. & ad Constitut. 292. Religiosos viros.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1660.

Motiva hujus Constit.

ALias pro parte dilecti filii Jacobi Quintana Procuratoris Provinciæ Valentiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod vigore concordiæ dudum inter fratres Minores de Observantia nuncupatos ex una, & fratres Recollectos Provinciæ, & Ordinis prædictorum ex altera partibus initæ, & à fel. rec. Gregorio PP. XIII. prædecessore nostro confirmatæ, qua cavetur, quod fratres qui ex domibus non Recollectis ad Recollectas transire voluerint, consensum prius in scriptis habeant Guardiani, & Conventus domus, ad quam transire intenderint, consensus verò hujusmodi per vota secreta exquiratur; eo obtento licentia humiliter petatur à Ministro Provinciali transeundi ad prædictam domum quam ipse Minister benignè concedere teneatur: multi non zelo virtutis, nec ut ferventiùs Deo servire possent, sed per voluntatis inconstantiam, & mutabilitatem tenderent ad aliquem Conventum Recollectorum, & acciperent vota; ac licet Minister Provincialis videret talem transitum esse contra bonum regimen dictæ Provinciæ, & nullo modo convenire, ipso invito transirent ad Recollectos, sine particula supradictæ concordiæ, qua dicitur quod Minister Provincialis licentiam concedere teneatur.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, hoc videri esse contra mentem d. Gregorii prædecessoris, & Religionem, ideoque ad tales abusus evitandos d. Congregationi supplicato, ut declararet dictam particulam; ita scilicet ut Minister Provincialis ejusmodi licentiam concedere teneatur, si judicaverit secundum Deum ita expedire, & non aliter, & sic de aliis affirmativis, & negativis in eadem concordia positis emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis narratis, ac audito Ministro Generali Ordinis hujusmodi circa præmissa declarandum censuit, prout præsentium tenore declarat, & decernit ex vi præcitatæ clausulæ in memorata concordia à Gregorio XIII. Confirmata appositæ, Ministrum Provincialem Provinciæ prædictæ pro tempore existen. ad conceden. licentiam ejusmodi transitus non teneri nisi quando secundùm Deum illam concedere judicaverit expedire, & sic de aliis affirmativis, & negativis, in eadem concordia contentis quibuscumque in contrarium non obstantibus Romæ 19. Decembris 1659.

Absolvit Oratorem à censuris.

§. 3. Cum autem sicut dictus Jacobus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi Apostolicæ, confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Jacobum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Confirmat prout in Rub.

§. 4. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat P. An. 5. die 22. Jan.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Januar. 1660. Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXXIII.

Confirmat Decretum Capituli Generalis Congregationis Hispaniarum Fratrum Discalceatorum nuncupat. Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, scilicet, quod Prælati locales, seu Conventuales non ampliùs habeant vota in Capitulis Generalibus, sed solùm Superiores Generales, Diffinitores Generales, Provinciales, & Socii, seu Discreti.

De his Fratribus vide ad Constitut. 208. Urbani VIII. Exponi Nobis, & ad Constit. 175. Injuncti Nobis, in quibus agitur de electione, & vacatione Ministri Generalis eorumdem.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

AD Pastorale fastigium meritis licet imparibus, Divina dispositione evecti, illis, quæ pro fœlici, prosperoque Congregationum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum regimine, & gubernio providè, & salubriter decreta, & constituta esse conspicimus, libenter cum à Nobis petitur Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Hispaniarum Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod iidem Fratres in eorum Capitulo Generali die 10. Maii proximè præteriti in Civitate Toletana celebrato, cui juxta litteras Apostolicas in simili forma Brevis per dictam. Congregationem obtentas, intervenerunt, & in quo vocales fuerunt dilecti pariter filii Minister Generalis, Diffinitores Generales, Provinciales, & Ministri Conventuales ipsius Congregationis, considerantes eandem Congregationem benedicente Domino dilatatam esse in tres Provincias, & plurimas domos inter se valde distantes, quippe in Regnis Castellæ, Beticæ, Aragoniæ, Navarræ, Cathaloniæ, & Valentiæ positas: constitoque ipsis per experientiam occasione accessus Ministrorum Conventualium ad Capitulum Generale, longissima itinera suscipi, magnasque fieri expensas; quin etiam propter diuturnam illorum à Conventibus absentiam minus vigere in eis regularem observantiam, ac perpenso eos, quos Vocales assignari, ut infra petitur, majoris esse obser-

vantiæ, doctrinæ, & experientiæ, necnon animadvertentes in multis Religionibus, tàm antiquitùs, quàm non ita pridem institutis Prælatos locales, seu Conventuales non concurrere nec habere vota in Capitulis Generalibus, sed solum Superiores Generales, Diffinitores Generales, Provinciales & socios seu Discretos, prout Fratres Discalceati nuncupati Ordinum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & Eremitarum S. Augustini respectivè observant; aliisque demum maturè discussis, & ponderatis.

§. 2. Statuerunt, & decreverunt per secreta suffragia, quod Ministri Conventuales D. Congregationis non adeant Capitulum Generale ipsius Congregationis, quod de triennio in triennium celebratur, nec in eo habeant vota. Item quod obtineri debeant ab hac Sancta Sede litteræ Apostolicæ approbationis, & confirmationis hujusmodi determinationis, cum derogatione quarumvis aliarum Apostolicarum in forma Brevis literarum eidem determinationi contrariarum. Præterea à Nobis petendum esse, ut assignemus pro vocalibus Capituli Generalis ejusdem Congregationis Ministrum Generalem, Diffinitores Generales, Provinciales, & unum Socium pro unaquaque Provincia ipsius Congregationis, ut cum Provinciali veniens ferat vocem Provinciæ, qui tamen Socius debeat esse unus ex Ministris Conventualibus ipsius Provinciæ; Ad hæc, quod post obtentas à Nobis confirmationis hujusmodi literas, pro hac prima vice, & pro Capitulo proximè celebrando, prædictus socius pro qualibet Provincia eligatur per secreta suffragia à Ministro Generali, & à duobus Diffinitoribus Generalibus, necnon Provinciali illius Provinciæ, pro qua eligetur socius. A Capitulo verò proximè futuro fiat electio Socii pro unaquaque Provincia post finitas electiones Prælatorum, concurrentibus tantum ad dictam electionem Ministro Generali, duobus Diffinitoribus, Provinciali illius Provinciæ, & socio jam tunc existente in Capitulo. Si autem per mortem, inhabilitatem, vel aliam justam causam dictus socius sic pro unaquaque Provincia in Capitulo Generali electus non potuerit intervenire, & adesse Capitulo successivè futuro, tunc electio novi socii fiat à Ministro Generali, & duobus Diffinitoribus Generalibus existentibus pro illa Provincia, & à Provinciali ipsius Provinciæ, cui defecerit socius, & hoc per secreta suffragia ante Capitulum tempore sufficienti, ut socius sic electus possit accedere ad Capitulum.

Absolvit Oratorē à censuris.

§. 3. Quare idem Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis; censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, statutum, & decretum hujusmodi à dicto Capitulo Generali sicut præmittitur editum, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Confirmat prout in rub.

§. 4. Præterea in vocales Capituli Generalis dictæ Congregationis Ministrum Generalem, Diffinitores Generales, Provinciales, & unum socium pro unaquaque Provincia ipsius Congregationis, qui una cum Provinciali veniens ferat vocem Provinciæ, & debeat esse unus ex Ministris Conventualibus ipsius Provinciæ, sicut per statutum, & decretum supra expressum petitur, authoritate, & tenore præfatis assignamus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scientia, vel ignorantia contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis, necnon fel. rec. Clementis Octavi, quæ incipiunt, Ad Militantis Ecclesiæ regimen die 20. Augusti 1599. & Pauli Quinti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quarum initium. In supremo militantis Ecclesiæ solio die 14. Augusti 1613. respectivè emanatis in simili forma Brevis literis, per quas conceditur, quod Ministri Conventuales habeant vocem in Capitulo Generali d. Congregationis, & aliis ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, ac ejusdem Congregationis, illiusque Provinciarum, Domorum, & Conventuum quorumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro planè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mādat.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 6. die 4. febr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 4. Februarii 1660. Pontificatus nostri Anno quinto.

LXXXIV.

Declaratio Brevis san. mem. Innoc. X. super modo recipiendi, & profitendi Novitios in Monasteriis Reformatis Congregationis del Tardon, Ordinis S. Basilii Magni.

De his Monachis vide ad Constit. 127. Urbani VIII. Pastoralis, & hic supra ad Constitutiones 77. 78. & 79.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A. D. 1660.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

Aliàs pro parte dilecti filii Francisci à JESU Procuratoris Generalis Congregationis, seù Provinciæ Reformatæ del Tardon nuncupat. Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni in Hispania Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas super Reformatione Monachorum dictæ Congregationis die 23. Septemb. 1603. expeditas in simili forma Brevis literas, quarum initium, Altissimi dispositione, &c. quo vita communis, & Regularis observantia rectiùs, & strictiùs inter multos posset observari, voluerat, ut omnes Conventus Congregationibus hujusmodi numerosam Monachorum multitudinem habere procu-

rarent, nec in unoquoque Monasterio minor viginti quatuor Monachorum numerus haberi posset.

§. 1. Et quia tempore ejusdem Sancti Basilii paucissimi fuerant Sacerdotes, imò ferè omnes laici extiterant, excepto Abbate, qui etiam aliquando laicus fuisse reperiebatur, & ita omnes communiter psallebant, quod ipsius Clementis Prædecessoris tempore propter majorem intelligendi latinam, quam tunc Græcam linguam difficultatem, majoremque officii Romani in Choro prolixitatem fieri non poterat, idem Clemens prædecessor mediam, & suis temporibus convenientem viam sequutus, licet majorem, & principaliorem partem Monachorum ex laicis esse vellet, prout per easdem litteras voluit, & ordinavit, sufficientes tamen Choristas, & Sacerdotes ad Chori, & Divinorum Officiorum Ministeria haberi permiserat, ut ita alii aliorum opera adjuvarentur, quodque quia in dictis litteris non fuerat statutum qualis esset numerus Sacerdotum, & Choristarum sufficienter ad supradicta, indeque aliquæ dissensiones inter Monachos laicos ex una parte, & Sacerdotes, & Choristas ex altera ortæ fuerant rec. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster per binas suas pariter in forma Brevis litteras ultimas quidem die 27. Aprilis 1641. expeditas, quæ incipiunt, Salvatoris, & Domini Nostri JESU Christi, &c. præceperat numerum Sacerdotum esse tantùm quartam partem, tàm in duobus Monasteriis erectis, quàm in futurum erigendis. Petentes verò habitum Religionis excludi absque voto Capituli Conventualis non posse. Et ut tolleretur controversia circa modum recipiendi, tàm Sacerdotes, & Choristas, quàm Laicos mandaverat, quod omnes, qui vellent ingredi Religionem pro Laicis si haberent requisita reciperentur, & ad proportionem Laicorum reciperentur Sacerdotes pro quarta parte, ut scilicet si recepti fuissent tres Laici, reciperetur unus Sacerdos, vel Chorista.

§. 2. Quodque cum Monachi Sacerdotes ad piæ mem. Innocentium Papam X. prædecessorem pariter nostrum pro majori numero Monachorum eorum status recurrissent. Idem Innocentius Prædecessor per suas in simili forma Brevis die 14. Octobris 1646. expeditas literas quarum initium Pastoralis officii, &c. Assignato numero præfixo Monachorum pro quolibet Monasteriorum antiquorum S. Basilii del Tardon, & S. Antonii del Valle voluerat eorumdem Monachorum duas partes esse semper ex laicis, & tertiam partem respectivè ex Sacerdotibus, & Choristis, interea tamen quamdiu Sacerdotes, & Choristæ dictam tertiam partem non implevissent alternativè ad professionem reciperentur, id est unus Sacerdos, Chorista, & alter Laicus, & sic successivè, postquam verò dictam tertiam partem complevissent nullus pro utroque statu reciperetur amplius, nisi illi tantum modò, qui desiderarentur, ut dictæ tres partes intra numerum pro quolibet Monasterio assignatum perseverarent usque dum Monasteria reducerentur ad numerum nonaginta, & octoginta respectivè. Illi verò, qui ex dicto numero in hujusmodi Monasteriis tractu temporis deessent indistinctè reciperentur usque dum numerus præfixus pro Choristis, & Laicis completus esset.

§. 3. Pro Monasteriis autem de novo fundandis Capitulum Provinciale assignaret numerum Monachorum, qui in quolibet eorum commodè sustentari posset ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini sess. 25. de Regularibus cap. 3. & quoad receptionem Novitiorum ordo supradictus in illis observaretur. Professiones verò in hujusmodi Provincia aliter factæ nullius roboris existerent, nullamque in sic professo obligationem inducerent, ac præmissa ab omnibus, quos illa concernerent exactè, & sub pœnis contentis in prædictis Urbani prædecessoris litteris die 27. Aprilis 1641. expeditis observari mandaverat.

§. 4. Et in eadem expositione subjuncto, quod in Monasteriis Sanctæ Mariæ del Buen successo del Retamal, & Sancti Michaëlis de Breña Congregationis, seù Provinciæ hujusmodi postea fundatis, Provinciales, & Prælati ad usum deduxerant, ut in illis reciperetur, & professionem faceret unus Chorista, & unus Laicus, dicentes hoc modo esse intelligendas, & executioni esse demandandas prædictas Innocentii prædecessoris litteras quousque Sacerdotes, & Choristæ adimplerent tertiam partem numeri præfixi pro quolibet Monasterio, & hoc modo professi essent, & profiterentur multi, quod clarè, & manifestè apparebat contra disposita, & ordinata in dictis Innocentii prædecessoris litteris disponentibus, ut duæ partes essent semper ex Laicis, & tertia pars respectivè ex Sacerdotibus, & Choristis, quia alternativa de recipiendo ad professionem Choristam, & statim Laicum fuerat solum ordinata pro duobus Monasteriis antiquioribus Sancti Basilii Eremi del Tardon, & Sancti Antonii del Valle ad reducendum Monachos Laicos de tribus ex quatuor partibus, in quibus existebant ad duas ex tribus partibus, & augendum Sacerdotes, & Choristas de quarta parte in qua erant ad tertiam, quodque in prædictis duobus Monasteriis antiquioribus S. Basilii Eremi del Tardon, & Sancti Antonii del Valle tractu longi temporis in recipiendo unum Choristam, & unum Laicum evenerat numerum Monachorum Laicorum esse minorem duabus, ex tribus partibus, & Superiores pro observantia prædictarum Innocentii prædecessoris litterarum requisiti hoc agere recusarent.

§. 5. Ac propterea supplicato memoratis Cardinalibus, ut declarent modum habendum in recipiendo, & ad professionem admittendo Novitios in dicta Congregatione, tam in Monasteriis antiquioribus, quàm in aliis deinde fundatis, & in posterum fundandis juxta legitimum, & verum sensum, & an recipi deberent in Monasteriis noviter fundatis, & in futurum fundandis unus Chorista, & statim unus Laicus, vel duo Laici, & unus Chorista à principio, utque mandarent observari prædictas litteras Innocentii Prædecessoris juxta literam in suo vero, & legitimo sensu, & quod Superior, vel Monachus in aliquo contraveniens ipso facto incurreret pœnas inflictas à à prædictis Urbano, & Innocentio prædecessoribus, emanavit ab eorumdem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 6. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & re Eminentissimo Carpineo referente maturè discussa censuit, quoad numerum Monachorum in Monasteriis Congregationis Sancti Basilii del Tardon servandas esse (prout servari sub infra scriptis pœnis mandat, & præcipit) præcitatam Bullam sanct. mem. Innocentii Decimi, necnon litteras in forma Brevis Sanctissimi Domini Nostri Alexandri Papæ VII. & in recipiendis Novitiis, ac ad professionem admittendis hujusmodi ratio habeatur, ut nunquam in dictis Monasteriis extent ultra duas partes Monachorum ex laicis, & tertiam ex Sacerdotibus, seu Choristis, & dictum numerum ullo unquam tempore, nullaque ex causa excedere possint, prædictaque locum habere, tàm in Monasteriis jam erectis, quàm in aliis quibuscumque, & quandocumque de novo erigendis sub excommunicationis Sanctæ Sedi Apostolicæ reservatæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ dictæ Congregationis Superioribus, & aliis quibuslibet ad quos spectat aliter facientibus, vel permittentibus, seu mandantibus, pœnis eo ipso incurren. contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ die 16. Januarii 1660.

Decretum Sac. Congr.

Confirmat Decretum.

§. 7. Cum autem ficut prædictus Franciſcus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit ipſe Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia & obſervatione Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communiri ſummoperè deſideret. Nos ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiq; inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumq; Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſuetudinibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Provinciæ, ſeu Congregationis Reformatæ hujuſmodi, ejuſque Monaſteriorum quorumvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mãdat.

§. 9. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat P. An. 5. die 16. Feb.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 16. Februarii 1660. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

LXXXV. Revocat omnes contractus, qui contrariantur paupertati, & bono regimini Ordinis Ciſtercienſis.

Pro bono regimine horum Monachorum vide ad Conſtitutiones 150. In Sede Principis, & 181. Aliàs à Nobis Urbani VIII.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D 1660.

Motiva hujus confir.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Ciſtercien. quod licet omnes Monachi dicti Ordinis, tàm ſtrictè ad obſervantiam paupertatis tenentur, ut Capitulum Generale ejuſdem Ordinis Anno 1605. celebratum revocaverit omnes, & quaſcumque licentias, & diſpenſationes cujuſcumque privati rerum, & bonorum uſus proprietatis, poſſeſſionis, & Dominii per quoſcumque Superiores dicti Ordinis ex quibuſcumque cauſis conceſſas, eamque revocationem ipſius Ordinis Capitulum Generale Anno 1651. renovavit cum injunctione obſervationis exactæ Decreti Concilii Tridentini ſeſſ. 25. de Reformatione cap. 2, de Regularibus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ opponentibus ſeſe huic executioni, & obſervantiæ & inhabilitatis ad quævis officia, gradus, & dignitates, ac inſuper contractus à quibuſdam Abbatibus Regularibus cum ſuis Monachis initos pro ſeparatione menſæ Conventualis ab Abbatiali cenſuerit eſſe reſcindendos tanquam paupertati Religioſæ contrarios, eoſque in poſterum à quoque attentari prohibuerit, nulluſque ſit in Regno Galliæ prædicti Ordinis profeſſor, qui in ſuo Novitiatu ad vitam communem, & prædictam paupertatis obſervantiam non fuerit inſtructus, educatus, & obligatus.

§. 1. Nihilominus nonnulli Religioſi ejuſdem Ordinis in Gallia dd. Abſtinentes, ſeù ſtrictioris obſervantiæ, ſub prætextu introducendi in Monaſteria abſtinentiam à Carnibus, quarum uſus certis diebus à Sede Apoſtolica conceſſus eſt, certos ineunt contractus, tranſactiones, & concordata cum antiquis Ordinis hujuſmodi Religioſis, quibus certas penſiones in pecuniis, & fructibus promittunt, & diſtribuunt, eoſque à majori, & præcipuo onere Chori, aliiſque obſervantiis liberantes, ad quas ex profeſſioue tenentur liberantes evidenti relaxationis, & perditionis periculo exponunt, dummodo eis ſolis privativè quoad alios Monaſteriorum adminiſtrationem, & regimen tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, liberamque Officialium, & Superiorum electionem, tàm quoad vocem activam, quàm paſſivam cedant.

§. 2. Cum autem ficut eadem expoſitio ſubjungebat contractus, tranſactiones, & concordata hujuſmodi, non in ædificationem, ſed in evidentem præſentium Religioſorum ruinam ſpiritualem vergant, dictuſq; Procurator Generalis propterea de opportuno in præmiſſis remedio à Nobis provideri ſnmmopere deſideret. Nos ipſum Procuratorem Generalem, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes.

Abrogat pro ut in rubr.

§. 3. Supplicationibus ejus nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, qui rem diligenter, & maturè diſcuſſerunt conſilio, attentis narratis, contractus, tranſactiones, & concordata, de quibus ſupra agitur, fuiſſe, & eſſe illicita, ideoque hucuſq; inita nulla, & invalida fuiſſe auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, & decernimus, prohibemuſque ne infuturum ſub ejuſdem nullitatis & invaliditatis, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, officiorumq; graduum, & dignitatum quarumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad ea, & quælibet alia in poſterum obtinenda per hujuſmodi contrahentes, tranſigentes, & concordantes eo ipſo incurren. pœnis, talia concordata tranſactiones, & contractus ullatenus celebrentur.

Decretum Irritans.

§. 4. Decernentes pariter eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari. Sicq; in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dicti Ordinis, ejuſque Monaſte-

riorum quorumvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quo modolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 5 die 8 Martii.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Martii 1660. Pontificatus Nostri Anno quinto.

LXXXVI.

Confirmat Decreta noviter edita, pro regularis disciplinæ instauratione in Religione Minorum Conventualium S. Francisci.

Edita A D. 1660.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INscrutabili divinæ Sapientiæ arcano in Sacra Principis Apostolorum Cathedra, meritis licet imparibus, collocati, illis quæ pro fœlici religiosorum Ordinum in Ecclesia Dei piè, sanctéq; plantatorum, ac uberes bonorum operum fructus proferre jugiter satagentium directione, & gubernio providè dignoscuntur emanasse, libentèr cum à nobis petitur, Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus de Vatesio Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod aliàs à Diffinitorio generali ejusdem Ordinis, ad necessarium regularis disciplinæ præsidium, & incrementum, edita fuerunt nonnulla Decreta tenoris qui sequitur, videlicet.

Generale Diffinitorium Romæ congregatum Anno 1659. Præsidente Reverendiss. P. Mag. Jacobo Fabretto de Ravenna Ministro Generali, cupiens eidem Ministro adjutricem dare manum pro instauratione Regularis disciplinæ Ordinis, non ab observantia Urbanarum Constitutionum declinare, sed ejusdem observantiæ indemnitati consulere arbitratur, dum dubia aliquot contingentia enodare, & nonnulla, quæ tempori minus adaptata comperta sunt modificare (ablegatis, quæ in contrarium inoluerunt corruptelis) opportunum censuit; Idcircò sequentes declarationes, sanctionesque subtexere, & Sanctissimo exhibere decrevit, ut Apostolicæ confirmationis robore implorato, insertas eas dictarum Urbanarum Constitutionum volumini habeamus veluti totius operis coronidem.

Primò igitur districtè injungitur cuilibet Provinciæ Diffinitorio, ut in proximo futuro Capitulo requisita examinare non negligat Magistrorum suorũ ad Lauream promotorum ab ultimo Capitulo Generali ad hæc usque tempora; soli verò admittantur per secreta suffragia, qui ad præscriptum Urb. Constit. instituti probabuntur, arceantur verò in fraudem promoti, & absque expressa Sedis Apostolicę facultate.

Teneatur etiam idem Diffinitorium in proxima Congregatione Provinciali requisita itidem examinare cujuslibet Diffinitoris perpetui meritorum titulo instituti post Capitulum Generale præfatum, & hi solum approbentur, secretis suffragiis, de quorum meritis legitimè constiterit, ad tenorem dictarum Constitutionum, cæteris exclusis quavis possessione non obstante, & omni meritorum æquiparantia explosa, excepta lectura triennali supra cursum duodecim annorum, quam in supplementum indulgendam fore decernimus Regentibus studiorum, quibus non contigit sortiri munus Regentiale in aliquo Religionis Collegio.

In posterum etiam idem Diffinitorium cujusvis Provinciæ Vocalium, Magistrorum, & Diffinitorum suorum quos absq; expressa Sedis Apostolicæ facultate noviter institui contigerit, requisita ut supra, recognoscere, & examinare teneatur in primo Capitulo Provinciali, & Capitulari Congregationem post eorum institutionem, & illi dumtaxat admittantur ad votum electivum, qui per secreta suffragia ab eodem Diffinitorio approbati fuerint tanquam canonicè instituti.

Prærogativas minores, quibus consuevere Ministri Generales, Fratrum simplicium aliquos declarare graduatos, annuimus concedendas esse iisdem Fratribus non solum ob Magisterium Noviciorum, ob meritum operum Musicalium, ad tenorem Constitutionum, verum etiam ob missiones, ob conspicuas conciones, ob curam animarum, ob munus confessarii, ob lecturam Seminariorum & hujus ponderis similia onera spatio duodecim saltem annorum laudabiliter peracta, & hoc ad alliciendum præmio eorum animos qui plerumque fastidiunt talium functionum subire labores.

Verum Provinciæ paternitatem ex merito decernitur indulgendam esse solis Sacræ Theologiæ Magistris, non tamen solo titulo laborum, in exercitio lecturarum ad præscriptum Constitutionum, verum etiam titulo Concionum, dummodò quindecim annorum curriculo munus hujusmodi obierint in insignioribus Ecclesiis, super quibus interveniat testimonium Deffinitorii per secreta suffragia exprimendum, non verò per solas subscriptiones, cum aliquando extortas potius quam impetratas esse non ignoremus.

Cum verò in orbita Religionis præcellere etiam censeantur præstantes vitæ sanctimonia, vel regiminis experimento, nostra interesse arbitramur, hos etiam ad Provinciarum paternitatem promoveri, quippe qui enituntur, non privato, sed publico velificare commodo, non suæ, sed Religionis ancillari gloriæ, exoratur itaque Sanctitas Sua, ut (abrogata lege posterius lata) jubeat horum etiam habendam esse rationem in distributione quatuor Provincialatuum Titularium ad pristinam formam Constitutionum Urbanarum.

Porrò ad compescendum omnem hujusmodi Prælaturæ, & cujuscumque etiam alterius dignitatis consequendæ in Religione ambitum, eorum maximè quos ad Principum favores confugere non pudet pro consequutione illarum, præter pœnas in Constitutione 116. Pauli V. fel. rec. comminatas hos similia implorantes suffragia pœnam etiam excommunicationis latæ sententiæ Sanctissimo reservatæ ipso facto incurrere, subireque decernimus.

Ne de cætero in Provinciis Diffinitorum excessivus sit numerus statuitur, ut in Provinciis primæ classis sint tantum decem, & octo Diffinitores perpetui, secundæ classis duodecim, tertiæ classis novem, quartæ classis sex, declaramus tamen PP. Provinciæ naturales nunquam à Diffinitorio expungendos esse, etiamsi plures numero sint; si verò Diffinitorum naturalium minor præscripto sit numerus, ex reliquis Diffinitoribus ob meritum institutis suppleatur juxta eorum antianitatem usque ad præscripti normam calculi, si qui supersint eorumdem Diffinitorum ex merito excedentes numerum præfixum, nomen utiq; Diffinitoris retineant, præcedantque simplices Sacræ Theologiæ Magistros, non verò suffragia ferant in electionibus, nisi postquàm eos Ordine supradicto contigerit subrogari in locum demortui.

Cum

Cum etiam hiſce temporibus exceſſivum experiamur numerum Collegialium laureandorum, decernitur, ut in poſterum in Collegiis Aſſiſienſi, Patavino, Bononienſi, & Neapolitano (reliquis in priſtino ſtatu permanentibus) numerus ad duodenarium reducatur, quorum ſex tantum antiquiores in fine Collegii ſortiantur Lauream; rigoroſo examini de more ſubiiciantur Baccalaurei ad Collegium promovendi, vocatis ſingulis trienniis, pro quolibet Collegio duodecim tantùm, ex quibus ſex peritiores ſeligendi ſunt.

Ad crebras perturbationes eliminandas ob præcedentiæ controverſias, declaramus inter privatos ubique primum locum deberi Patribus officio Generalatus, vel Vicarii Apoſtolici functis, qui uni tantum Superiori (ſcilicet digniori ſi plures adſint) actu præſenti in Conventu, vel Civitate locum cedere tenentur; ſecundum locum, poſt Superiores actu deberi iis, qui fuerunt Generales Ordinis Procuratores in Romana Curia; tertium locum Provincialibus, & Aſſiſtentibus Ordinis offitio abſolutis; quartum Patribus Provinciæ ex merito inſtitutis, quibus cedere etiam teneantur, ſi qui urgentiori aliqua ratione, gratioſo Decreto ad paternitatem eam habilitarentur; quintum ſacræ Theologiæ Magiſtris; ſextum Baccalaureis Collegialibus, ſi quos aliqua impotentia, contingeret non promoveri ad Magiſterium, cæteris non Collegialibus Baccalaureis ab hac prærogativa ſubductis; ſeptimum Patribus ſimplicibus graduatis, ſcilicet patentibus literis à Generali ob meritum decoratis; octavum cæteris non graduatis, ſalvo in quolibet gradu Ordine antianitatis ad formam Urbanarum Conſtitutionum.

Declaratur denum Decretum Urbanæ Conſtitutionis de non admittendo ad probationem, vel profeſſionem ante aggregationem, ita eſſe intelligendum, ut nullus deinceps Novitius ad probationem admittatur, niſi de prævia aggregatione legitimè conſtiterit.

Quoniam verò optima rationis urgentia Sacra Congregatio Univerſalis Inquiſitionis aliqualem meritorum æquiparantiam inire nos edocuit, ut prædictum Diffinitoriale munus in præmium vertatur, pari paſſu, Inſignioribus Miniſtris, Sancti Officii, idcircò in promotione ad Paternitatem Provinciæ Conſultores Inquiſitionis in Curia Romana, Aſſiſtentibus Ordinis æquiparandos eſſe decernimus; Inquiſitores Generales, Regentibus Collegiorum; Vicarios Generales (dummodo Sacræ Theologiæ Magiſtri ſint) Regentibus Gymnaſiorum: Conſultores itaque adinſtar Aſſiſtentium, naturalem Paternitatem Provinciæ, ſui muneris ratione, nanciſcantur; Inquiſitores verò (ſi Patres Provinciæ ex merito inſtituti fuerint antequam onus Inquiſitionis ſortirentur) naturalem pariter Paternitatem novi oneris exercitio conſequantur; ſi verò prius Patres non extabant ad Paternitatem tantùm ex merito, ad inſtar Regentium, ut præfertur promoveantur; ut autem præmia non contingant præcocia, quæ virtutis incrementa morantur, dictam Paternitatem non ſortiantur præfati Miniſtri, niſi proportionata methodo cum Regentibus, Concionatoribuſque Religionis, nempè Conſultor in Curia poſt ſextum, Inquiſitores, poſt duodecimum, Vicarii dicti, poſt decimum quintum ſui oneris expletum annum: ſi autem contingeret horum Miniſtrorum aliquos duplici Miniſterio, intermedio tempore, functos eſſe, ſcilicet Regentis in Religione, & Inquiſitoris, vel Vicarii in Sancto Officio, tunc promiſcuè calculus annorum computetur ab utriuſq; muneris functione, itaut defectus præſcripti temporis in primo Miniſterio, ſuppleatur ex ſecundo.

Miniſtri verò inferiores Sancti Officii ab ipſiſmet Inquiſitoribus deputati, æquiparentur tantum Magiſtris Seminariorum, & Patribus ſimplicibus graduatis ut promoveri poſſint, poſt duodecimum ſui oneris annum, ad votum electivum in Capitulis Provincialibus, pro electione Miniſtri Provincialis ferendum.

Si quis verò horum Miniſtrorum Baccalaureus ſit, ſtudiiſque Scholaſticæ addictus, & in Concurſu, & examine pro promovendis ad Collegia idoneus repertus fuerit, alicui Collegio Religionis adſcribatur, diſpenſetur autem à reſidentia Collegii toto tempore, quo juſſus fuerit ſuam alibi navare operam in obſequium Sancti Officii; elapſo autem triennio, pari jure, & methodo cum aliis ejuſdem Collegii Concollegialibus Lauream Magiſterii conſequi valeat.

Nullus demum præfatorum Miniſtrorum ad eas promoveatur prærogativas in retributionis vicem, niſi prius per literas commendatitias, & patentes de Sacræ Congregationis licentia obtentas, ſui Miniſterii laudabiliter functi merita probaverit.

Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, & præfatus Ludovicus Procurator Generalis Decreta hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia, & inviolabili obſervatione, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio roborari plurimum deſideret: Nos ipſum Ludovicum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint in eiſdem ſupplemus. *Abſolvit Oratorē à cenſuris.* *Confirmat decreta præinſerta.*

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, & aliis quibuſlibet, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogat.*

§. 5. Volumus autem ut earumdem præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur ubique in judicio, & extra quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptorum fides.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 8. Martii 1660. Pontificatus noſtri anno quinto. *Dat P.An. 5. die 8.Martii.*

LXXXVII. Quod in causa Fabricæ Genuensis Collegii Societatis JESU, & Fratrum Minorum de Observantia Nunciatæ, Presbyteri Societatis non possint impediti quominus cœptam Ecclesiam perficere possint.

Edita A. D. 1660.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Regulares Collegii Genuensis Societatis JESU, quod in causa fabricæ inter ipsos Exponentes ex una, & dilectos pariter filios Fratres Conventus Genuensis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum ex altera parti bus vertente, alias, videlicet, die 23. Augusti 1652 Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita partibus pluries auditis, juribusque hinc inde deductis maturè perpensis censuit revocandam esse prohibitionem, omnemque prorsus removendum impedimentum, prout per suum Decretum eadem die emanatum revocavit, & removit prædictis Exponentibus, quominus cœptam dicti Collegii Genuensis Ecclesiæ structuram prosequi, & perficere possent; dummodo in angulo ejusdem Ecclesiæ Orientem versus, & è regione fenestræ magnæ ambulacri infirmariæ Fratrum Minorum prædictorum, proprium murum ad Balbos olim pertinentem transgredi, aut aliquam servitutem etiam stillicidii, in subjectam aream, seu vacuum inferius eorumdem Fratrum Minorum inducere nequirent; & ita observari mandavit, contrariis quibuscumque non obstan.

§. 1. Et subinde cum in Signatura Gratiæ fœl. rec. Innocentii Papæ X. prædecessoris nostri deductæ fuissent novæ instantiæ dictorum Fratrum Minorum super fabrica novæ Ecclesiæ Collegii supradicti, idem Innocentius prædecessor negotium hujusmodi ad prædictam Cardinalium Congregationem remisit, ut desuper, aliquem ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici deputaret, quæ Cardinalium Congregatio eam rem demandavit tunc existenti eorumdem Auditorum Decano, ut ille, vel alius, qui ipsi Decano videretur ex dictis Auditoribus, in causa hujusmodi procederet.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, subsequenter ambæ partes ab Auditorio Rotæ Romanæ inhibitionem in forma expediri curaverint, causaque diu siluerit; Nos verò successivè, prædictis omnibus narratis, & benè cognitis causam, & partes prædictas ad memoratam Cardinalium Congregationem remiserimus, ut eademmet negotium expediret, & super expeditione perpetuum silentium imponeret; Et subinde prædictis Fratribus Minoribus coram dilecto filio nostro Marco Antonio tit. S. Mariæ de Pace S. R. E. Presbytero Cardinale Franciotto nuncupato, ejusdem causæ Ponente, ac coram dilecto filio Secretario d. Congregationis, ipsaque Congregatione pluries citatis, necnon in contradictorio auditis, pluribusque dilationibus concessis, & denique facta oppositione per dictos Fratres Minores, median. precibus Nobis porrectis, ut denuò causa ad Auditorium Rotæ prædictæ, vel Signaturam nostram remitteretur; Nos per dictam Cardinalium Congregationem procedi mandaverimus: Cumque exhibita fuerint ex utraque parte jura, & scripturæ, dictique Exponentes, ut tandem huic controversiæ finis imponatur, opportunè ad Nobis in præmissis provideri plurimum desiderent.

§. 3. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de prædictæ Congregationis venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, quæ partibus pluries citatis, auditis, & informantibus rem exactè, & maturè discussit, ac in Decretis sub die 23. Augusti 1652. standum esse censuit, consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium revocamus prohibitionem, omneque prorsus removemus impedimentum prædictis Presbyteris Societatis JESU, quominùs cœptam Collegii Genuensis Ecclesiæ structuram prosequi, ac perficere possint; dummodo in angulo ejusdem Ecclesiæ Orientem versus, & è regione fenestræ magnæ ambulacri infirmariæ dictorum Fratrum Minorum de Observantia, proprium murum dictorum Presbyterorum Societatis JESU, ad Balbos olim pertinen. transgredi, aut aliquam servitutem, etiam stillicidii, in subjectam aream, seu vacuum inferius eorumdem Fratrum Minorum inducere nequeant. Ac dd. Fratribus Minoribus super negotio fabricæ prædictæ, & omnibus præmissis perpetuum silentium auctoritate, & tenore prædictis imponimus, atque ita servari mandamus: salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Confirmat prout in rub.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumq; Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Conventus, & Ordinis prædictorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 12. Martii 1660. Pontificatus Nostri Anno quinto. Dat. Tr. An. 5. die 12. Mai.

LXXXVIII. Constitutio super Erectione Collegii ex Referendariis Utriusque Signaturæ, & super qualitatibus admittendorum deinceps in Referendarios.

De Referendariorum utriusq; Signaturæ privilegiis Paul. III. Constitut. 23. & nonnulla in commissionibus, & causis proponendis observanda præscripserunt Pius IV. Constit. 59. Paul. V. Const 71. De eorum numero, & qualitatibus Sixti V. Const. 41.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INter cæteras Apoſtolicæ ſollicitudinis curas, quibus inceſſanter urgemur, ea ſemper nobis cordi fuit, ut Prælati Romanæ Curiæ, qui tanquam Stellæ in Firmamento militantis Eccleſiæ relucent, ac in arduis quibuſque negotiis Apoſtolicæ Sedi opera, & conſilio præſtò eſſe debent, ii demum deligantur, qui optima indole, moribus, ac litteris præſtantiores cæteris veræ virtutis exemplar ſe ipſos præferunt. Ad hæc ſanè licèt nonnulli Summi Pontifices Prædeceſſores noſtri eorum Conſtitutionibus, multa præſertim pro Referendariis utriuſque Signaturæ ſtatuerint, quorum tamen nonnulla temporum curſu, ut ſæpè ſolet, antiquata, & forſan neglecta fuerunt; propterea Nos illa innovare, ac priſtinæ obſervantiæ reſtituere, & aliqua etiam addere, quæ rerum experientia docuit expedire, duximus opportunum.

Innovat prædeceſſorum conſt.

§. 1. Hac igitur noſtra perpetuò valitura Conſtitutione prædictas noſtrorum prædeceſſorum in illis partibus, quæ præſenti non adverſantur, aut alias legitimè reformatæ non fuerint confirmamus, & innovamus: Inſuper erigimus, & inſtituimus Collegium eorumdem Referendariorum, quod volumus repræſentari ex duodecim Votantibus Signaturæ Juſtitiæ de corpore, ac numero ipſorum Referendariorum electis, & in poſterum eligendis, quorum caput, ac moderatorem perpetuò conſtituimus Præfectum ejuſdem Signaturæ Juſtitiæ pro tempore exiſtentem; & antiquior eorum in officio appellabitur Decanus.

Officium Decani.

§. 2. Horum autem officium erit formare inquiſitiones, ac proceſſus ſuper qualitatibus eorum, qui ad præfatum Referendarii munus, ac dignitatem admittendi erunt, prout ſingulis à Præfecto Signaturæ ſpeciali reſcripto demandabitur, ut infra ſtatutum eſt. Præterea eidem Decano, & Collegio incumbet cæteros Referendarios, præſertim in poſterum recipiendos diligenter inſtruere de his, quæ ſpectant ad exercitium eorum officii, & omnibus intimare decreta, & ordinationes quaſcumque, tam noſtras, quam ejuſdem Præfecti, eorum perſonas, ac munus concernentes, & concernentia, necnon dies, ac tempora, & ſervitia à ſingulis eorum nobis tàm in Capella noſtra, quam in aliis functionibus præſtanda, ac etiam curare, ut tabellæ indicantes Signaturas, & Congregationes faciendas congruis temporibus à miniſtris deputatis, ut moris eſt, exponantur, ac omnibus demum incumbere, quæ totius Ordinis intereſſe concernent.

Forma convocandi Collegium.

§. 3. Quoties verò dictum Collegium convocari, & coadunari neceſſe erit, requiratur prius licentia Præfecti, & de ejus mandato per Decanum convocetur, atque in domo habitationis ejuſdem Præfecti, & non alibi, nec aliter convocari, & coadunari poſſit, niſi de expreſſo ejuſdem Præfecti conſenſu, ac licentia in ſcriptis tantùm præſtanda.

Collegii privilegia.

§. 4. Volumus autem præfatum Collegium à nobis inſtitutum eiſdem privilegiis, & exemptionibus perfrui, ac potiri, quibus cætera Collegia Prælatorum Romanæ Curiæ potiuntur, & gaudent.

Cooptandorum in ordine Referendariorum proceſſus.

§. 5. Porrò illi, qui in ordinem Referendariorum cooptari petent, ante omnia curabunt, ut relata nobis, & ſucceſſoribus noſtris à Præfecto Signaturæ eorum inſtantia noſtrum, ac ſucceſſorum præfatorum beneplacitum præcedat: Deinde ut ab eodem Præfecto unus ex Prælatis præfati Collegii delegetur pro conficiendo proceſſu, in quo infraſcriptæ inſtantium qualitates legitimè juſtificentur. Primò ſcilicet ut ex vero, & legitimo matrimonio, & probis, ac honeſtis parentibus nati, & procreati ſint, ac bonæ indolis, vitæ, ac famæ prorsùs inculpatæ fuerint, atque in vigeſimo quinto ætatis unno conſtituti: Præterea in aliqua publica Univerſitate ſtudiis legalibus ſaltem per quinquennium operam dederint, ac in eadem utriuſque juris ſcilicet Canonici, & Civilis Lauream Doctoratus aſſecuti fuerint: atque annuos etiam redditus ſummam ſcutorum mille quingentorum monetæ conſtituentes verè, ac realiter, & pacificè poſſideant, vel à parentibus, aut propinquis fuerint illis validè aſſignati: Ac demum in hac Curia Romana ſaltem per biennium verſati fuerint, & ſtudio praxeos penes aliquem ex Auditoribus Rotæ noſtræ, vel alios Prælatos, Officiales, ſeu Advocatos ejuſdem Curiæ ſedulò incubuerint: ſuper quibus compilato diligenter proceſſu fiat à Ponente, ſeu delegato illius relatio in Collegio, cui ſi videantur probata ſufficienter præmiſſa, tunc Orator admittatur ad examen, aſſignatis illi (ut moris eſt) duabus ſupplicationibus, ſeù commiſſionibus coram ipſo Collegio proponendis: Et ſubinde peracto examine ſi ejuſdem Præfecti, atque Collegii, quorum conſcientiam oneramus, fuerit concordi judicio, vel ſaltem per duas ex tribus partibus votorum, quæ ſecretò per fabas albas, & nigras proferri volumus approbatus; tunc Præfectus omnibus Nobis, & ſucceſſoribus noſtris relatis, illum auctoritate noſtra pronunciabit Referendarium, ac in aliorum numerum adſcribi mandabit, præſtito tamen prius in ejus manibus ſolito juramento.

Vota ſignaturæ nemini referantur.

§. 6. Poſtremo ut in Signaturis tàm Gratiæ, quàm Juſtitiæ liberior ſit cauſarum diſcuſſio, & votorum prolatio prohibemus omnibus & ſingulis tàm Votantibus, quàm aliis quibuſcumque in eiſdem Signaturis intervenientibus, ac eorum Auditoribus, & ſtudiorum Coadjutoribus vota ipſa cuiquam alteri etiam ſpeciali expreſſione digno referre, aut propalare oretenus, vel in ſcriptis per ſe ipſos, vel alios quacumque forma, & exquiſito modo, ſub pœna indignationis noſtræ.

Clauſula ſublata.

§. 7. Decernentes præſentes litteras validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari: Sicque per quoſcumque Judices etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis deroga.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de gratiis non concedendis adinſtar, ac fel. recor. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri de gratiis intereſſe Cameræ Apoſtolicæ quomodolibet concernentibus in prædicta Camera regiſtrandis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ præfati prædeceſſores in dictis conſtitutionibus voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, innovationis, erectionis, inſtitutionis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1659. Idibus Junii Pont. Noſtri anno quinto. Dat.P.A.5.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo nono, Indictione 12. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini N.D. Alexandri Divina Provid.

Papæ

Papæ VII. Anno ejus quinto die vero 17. mensis Junii supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Petrum Paulum de Grassis Apost. Cursorem.

Jo. Jacobus Pelliceia Mag. Curs.

XC.

Confirmatio Decreti super œconomico statu, & recta bonorum temporalium administratione Cassinen. Ordinis S. Benedicti.

De hac materia vide ad Constitut. 60. Innoc. X. Diuturna & ad Constit. 9. hujus Pont. Alias super administratione Cellerariorum.

Edita A. D. 1661.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum S. Congr.

EManavit nuper à Congregatione Venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Oeconomico statu, & recta bonorum temporalium administratione Cassinensis Ord. S. Benedicti instauranda à Nobis specialiter deputata Decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Communis egestas Monasterii privatam habendi cupiditatem non rarò excitare solet in Monachis, utpotè qui religiosis, ac necessariis indigentiis ex publico penu consuli non posse intelligentes, licere sibi certò persuadent, adversus hujusmodi necessitates subsidium, atque levamen ex proprio privato peculio quærere; cujus parandi, atque augendi gratia non parva Monasticæ tranquillitatis jactura sæcularibus sollicitudinibus implicantur; Et pauperis Monasterii tandem non pauperes Monachi præpostero studio circa terrena satagentes, æterna despiciunt; ideò spirituali Monasteriorum dono expedire videtur, ut eorumdem temporalia bona recta administrandi ratione providè conserventur. Quod cum in Monasteriis quoque Congregationis Cassinensis exoptandum sit, cujus egregia Sanctimonia piorum Christi fidelium liberalitatem olim adegit, ut non exiguis bonis, in præsens tamen ob temporum augustias valdè imminutis eadem Monasteria ad Divini cultus dignitatem, necnon ad Monasticæ disciplinæ incrementum exornarent; Propterea Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, quos ad Oeconomicum statum, & recta bonorum temporalium administrationem in antedictis Monasteriis instaurandam, Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa Septimus specialiter deputavit, Patre Procuratore Generali ejusdem Congregationis Cassinensis pluries audito, die 22. Martii 1661. infrascripta in prædictis Monasteriis Cassinensibus observanda Sanctitatis Suæ jussu decrevit.

Cum Generalis Capituli convocatio non absque notabili Monasteriorum dispendio quotannis fiat, hanc quoque ob causam in posterum per decennium proximum non nisi alternis annis Capitulum ipsum celebretur, non obstan. Constitutionibus Congregationis Cassinen. Apostolica etiam auctoritate confirmata vel privilegiis itidem Apostolicis eidem concessis, quibus, quoad hoc Sanctitatis Suæ auctoritate derogat: Et tunc quidem sumptus ultra modum fieri soliti regulari frugalitate minuantur: Cubicula confluentium Abbatum hospitio designata non nisi religiosa supellectile instructa sint, adeò ut ab ipsis sumptuosi apparatus nuper inductus abusus omninò eliminetur; Aliàs Abbas, & Cellerarius Monasterii, ubi Capitulum celebratur suspensioni ab exercitio suorum Officiorum subjacere intelligantur, neque in posterum (prout hucusque factum est) Monasterio, ubi Capitulum Generale celebratur, dona ulla fiant, sed subductis rationibus expensarum in ipso Capitulo singulis Abbatibus, qui interfuerunt, rata pars pecuniæ solvendæ, habita tamen ratione conditionis personarum, præscribatur.

In Capitulo proximè celebrando nova taxa pro contributione à singulis Monasteriis Procuratoriæ Generali solvenda fiat, servata proportione redditutuum eorumdem Monasteriorum, prævia exacta status uniuscujusque Monasterii disquisitione firmanda; Ac si quando Monasterium aliquod vera superveniente impotentia ratam partem suam dictæ Procuratoriæ solvere nequeat, nullatenus super ejus bona census imponantur, aut alia quacumque ratione ob hanc causam æs alienum ab eo contrahatur; aliàs contractus ipse adversus hanc prohibitionem irritus nullus esse intelligatur, & sit; Et Superior contrahens pœnis in Decret. de reb. reg. non alienan. per Sacram Congregationem Concilii sub die 7. Septemb. 1624. edito, aliisque ad ejusdem arbitrium, teneatur; sed in Dieta Pater Præsidens Generalis, cognita vera impossibilitate ejus Monasterii, onus ad ipsum spectans in unum, vel plura alia Monasteria, juxtà eorum vires cum voto Patrum Visitatorum in parte vel in totum, & pro una, vel pluribus vicibus, prout duxerit necessarium, transferat, ita tamen, ut Monasterio, vel Monasteriis pro eo solventibus jus recuperandi solutam pecuniam, adversus illud reservetur. Cæterum si Abbatis, aut Cellerarii culpa Monasterium antedictæ solutioni impotens factum fuisse comperiatur (cujus rei sedula per Patres Præsidentem, ac Visitatores fiat indagatio) in illos pro merito animadvertatur.

Si fortè Monasterium aliquod inopinata urgente causa, supra proprios redditus, sumptus facere, & consequenter æs alienum contrahere cogatur in libris Magistris ejusdem Monasterii antedicta urgens causa dilucidè annotetur, & explicetur, deque ea Patres Visitatores in actu Visitationis, & Patres Definitores in Capitulo Generali certiores reddantur, qui sedulò curabunt, ut intrà sequentem annum contractum debitum dissolvatur, ejusque solutionis rationem, ac modum (si ab ipsis reperiri, aut expediri non valeat) ad Sacram Congregationem deferant.

Abbatibus Monasteriorum, quæ ære alieno obligata sunt, & quibus proinde onus incumbit certas statutis temporibus ratas debiti partes successivè persolvendi, aut deponendi nullatenus liceat redditus Monasterii, præterquam in usus merè necessarios erogare, nisi soluta prius, vel deposita respectivè debita parte pecuniæ; & præsertim prohibitum illis omninò sit quodcumque fabricæ genus, nisi præcisa, ac absoluta urgente necessitate per Regimen sedulò examinanda, & probanda. Quod si adversus prædicta commiserint, & Fabricæ dispendium scuta quinquaginta excedat, antedictis Abbatibus minimè suffragetur indultum, quod Sacra Congregatio rationabiles ob causas concedere aliquando solet petentibus dilationem ad solvendam seù deponendam ratam pro tempore debitam, & per consequens pœnis obstricti censeantur, quæ in licentia contrahendi dictum æs alienum præscriptæ fuerunt, in casu quo debita rata deposita, aut soluta non fuerit, aliisque ad arbitrium &c.

Sed & cæteris omnibus, & singulis Superioribus prohibitum sit, pecunias etiam extraordinario titulo Monasterio acquisitas fabricando (præter quàm reparationis omninò necessariæ causa) expendere, sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurren. aliaque majori pro rei qualitate, ac circumstantii juxta Sacræ Congregationis arbitrium.

A quindenniorum solutione nullum omninò Monasterium eximatur quamvis fortasse usque ad hanc diem aliquam ob causam ab iisdem solven-

dis

dis fuerit exemptum. Et ad hujusmodi solutiones faciendas minimè census imponantur, aut alio modo æs alienum contrahatur; sed quotannis ex redditibus uniuscujusq; Monasterij rata pars currentis Quindennii in Sacro Monte Pietatis de Urbe deponatur, cum expressa mentione, ut dicta pecunia in alios usus impendi nequaquam possit. Abbates verò, & Cellerarii in aliquo ex prædictis deficientes, privationi vocis activæ, & passivæ subjaceant.

Et ne antedictæ pecuniæ depositæ diu otiosæ permaneant, ex ipsis loca Montium Cameralium nomine, & ad favorem pro rata respectivè Monasteriorum deponentium consulta Sacra Congregatione emi poterunt, quæ quidem loca maturis successivè terminis solutionum, vendantur ad effectum ipsa Quindennia solvendi.

Atque, ut Monasteria solutionibus hujusmodi promptè valeant respondere, quoties hæreditario, vel alio quocumque extraordinario titulo, quicquam pecuniæ ipsis obvenerit, id (nisi usque ad summam scutorum quinquaginta dumtaxat) sine expressa licentia regiminis, nequeat expendi, præterquam si in extinctionem alicujus debiti legitimè contracti convertatur. Prout etiam, si qui redditus fœcundioribus fortè annis uberius collecti ordinariis Monasterii expensis superfuerint, absque præcisa necessitate non expendantur: sed in subsidium aliorum subsequentium annorum, quibus fortasse minores proventus contingent, providè reserventur, cujus quidem reservationis disquisitio à Patribus Visitatoribus specialiter fiat: Itaut Abbates, & Cellerarii, qui Compendium hujusmodi neglexisse comperti fuerint, ab officiis suis ad beneplacitum Sacræ Congregationis suspendantur.

Quod intelligendum etiam est de iis Abbatibus qui in suo ingressu ad alicujus Monasterii Regimen notabilem summam reliquorum, nempè pecuniæ, aut aliarum rerum invenerint, quinimò horum reliquorum expressa mentio, atque distincta descriptio fiat in principio libri, quo rationes dati, & accepti describuntur.

In singulis Monasteriis ultra principales codices exitus, & introitus, habeantur etiam particulares Libri, in quibus nedum descripti sint redditus, & expensæ uniuscujusque Granciæ, seu Massariæ, necnon Index debitorum, & creditorum ad easdem spectantium, sed insuper in primis dicti Libri paginis accurata descriptio fiat uniuscujusque Granciæ, seu Massariæ, exprimendo fines, quantitatem, & qualitatem terrarum, & quæ sint Sativæ, Sylvosæ, Vineatæ &c.

Itidem ædificia quæcumque addito etiam Indice quorumcumque mobilium, & Instrumentorum rusticorum cujusvis generis intra ipsa existentium, exprimendo numerum, qualitatem, ac pretium Armentorum, Pecudum, & aliorum quorumcumque animalium, quæ in ipsis Granciis respectivè habentur, Libri verò, & descriptiones hujusmodi singulis annis à Superioribus Locorum ante visitationem, à Patribus verò Visitatoribus in ipso actu visitationis sedulò revideantur.

Qui Patres Visitatores, nedum Abbates, & Superiores locorum, sed Monachos quoquè, & Commissarios in Granciis pro * Animarum cultura degentes interrogando explorent, ac pro captu personarum disquirant, quis ejus Monasterii Status Œconomicus, & quæ administrandi ratio, fides, ac diligentia, & præsertim, an Procuratoriæ Generali satisfactum sit; Ac si quando comperiant eidem Procuratoriæ, Cellerariorum præsertim culpa, aut inhabilitate satis consultum non esse, debeant ipsi Visitatores in actu Visitationis, assignata prius congrua portione pro victu, & vestiario Abbatis, Monachorum, & Commissorum specialiter designare, atque obligare fructus unius, aut plurium Granciarum ad effectum debitas ratas Procuratoriæ Generali solvendi, itaut loci Cellerarius sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurren. super antedictos obligatos fructus manus apponere nequeat, sed iidem Patres Visitatores, conscio atque consulto Abbate ejus Monasterii particularem Monachum probitate, atque habilitate probatum deputent, qui præfatos fructus procuret, ac vendat, & pretio eidem Procuratoriæ Generali satisfaciat.

* Agrorum.

Decretum sanctæ memoriæ Innocentii Decimi circa rationes administrationis per Cellerarios reddendas sub die 13. Julii 1654. editum, & à Sanctissimo Domino Nostro per litteras in forma Brevis sub die 7. Septembris 1655. confirmatum inviolatè servetur.

In ædibus Granciarum simplex, ac præcisè necessaria dumtaxat supellex detineatur, & in ipsis agris excolendis fructuosæ tantum culturæ ratio habeatur.

Nihil in Viridariis, aliisque hujusmodi amœnitatibus, atque delitiis pecuniæ, vel operis impendendo.

Sedulò etiam animadvertant Superiores, ne Monachi, vel alii Grancias administrantes hospitio, aut recreationis titulo amicos, aut propinquos sæculares, aut Religiosos excipiendo, Monasteriis redditus insumant.

Contra prædicta verò committentes, vel omittentes pœna privationis vocis activæ, & passivæ, aliaque ad arbitrium Sacræ Congregationis pro modo, ac qualitate culpæ puniantur.

Is tantum numerus Famulorum sæcularium in Monasterio retineatur, qui præcisè necessarius sit, & ubi per Religiosos laicos, vel Commissos servitium præstari potest, famuli sæculares nullatenus adhibeantur.

Unicus deputatus famulus singulis Abbatibus sufficiat, & Abbates ipsi una cum cæteris Monachis in Refectorio comedant, nec privatam mensam in cubiculo, nisi causa infirmitatis, vel alicujus hospitis excipiendi gratia habeant, idque rarò, & ob necessariam causam tantum quod multò magis à Titularibus Abbatibus observandum erit, qui famulum etiam sibi assignatum ita necessariò tantum detineant occupatum servitio, ut aliis quoque Monasteriis servitio vacare possit.

Prò Vestiario Abbates duplum dumtaxat ejus, quod reliquis præstatur Monachis obtineant.

Abbates verò Titulares, qui aliàs Monasterii regimen nunquam obtinuerunt, sed ex privilegio Abbates dicuntur, idem penitus quod Monachi ipsi, non obstante quocumque usu, aut consuetudine, sive indulto usque in præsentem diem servato habeant.

Itidem quicumq; titulares Abbates nullatenus à jurisdictione Abbatis loci, sive eo absente, ejus Superioris, qui Monasterio præerit exempti esse intelligantur, reservatis alioquin eorum honorariis, præeminentiis, ac solitis prærogativis, cæteroquin per hæc Decreta, vel aliter non abrogatis.

In Monasteriis ære alieno gravatis excepto aliquo in Dieta, ob aliquam necessariam causam declarando, rheda, minimè habeatur, sed is tantum numerus equorum, qui ad rem rusticam procurandam omninò necessarius sit.

Abbates, & reliqui Superiores quorumvis Monasteriorum nonnisi necessariam ob causam officium suum concernentem itinerent. Et quatenus aliquo proprio respectu id agant, Monasteriis sumptibus non fiat, quod ab inferioribus quoque Ministris, ac cæteris omnibus Monachis observetur, qui (& præsertim ætate juniores, ad Monasteria longè distantia, nonnisi prævia matura consideratione, transferantur.

Circa hospitalitatem erga personas extraneas

exer.

exercendam, Decretum per eandem Sacram Congregationem sub die 18. Januarii 1661. editum, & à Sanctissimo Domino Nostro approbatum omninò servetur.

Hospites verò Monachi, etiam Abbates diu tanquam advenæ magis delicato, ac dispendioso victu non tractentur, sed post diem unum ab eorum adventu, illis in Refectorio communis mensa paretur, in qua tamen iisdem aliquod parvum edulium fraterna charitate præ aliis exhiberi poterit; Sæcularibus verò prandia, cœnas, & alias comessationes, recreationis titulo nuncupatas, dare omninò prohibitum sit.

Monachis, necnon Abbatibus ipsis annuos redditus, aut alia quæcumque bona mobilia, vel immobilia, licet mediantibus eorum personis Monasterio acquisita, nedum possidere, sed etiam administrare vel titulo ususfructus, depositi, custodire, aut alio quolibet detinere, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ omnino interdictum sit, sed ea omnia statim Superiori cum cœteris Monasterii bonis incorporanda, & per Officiales publicos administranda tradantur.

Neque circa hoc consuetudo ulla etiam immemorabilis, aut conniventia, vel expressa licentia Superioris suffragetur, qui tamen Religiosis necessitatibus eorum consulere non prætermittet, quorum respectu antedicta bona Monasterio acquisita fuerunt.

Si quando verò contingat, ut aliter per pios Testatores, vel alios circa prædicta disponatur, ad Sedem Apostolicam habeatur recursus, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

§. 2. Cum autem firmiora sint illa, quæ Sedis Apostolicæ præsidio, & munimine roborantur. Hinc est, quod Nos præmissorum omnium, & singulorum firmitati, & inviolabili observationi providere cupientes, ac dilectum filium Procuratorem Generalem dictæ Congregationis Cassinen. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari.

Confirmat prout in rub. §. 3. Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes easdem præsentes litteras, necnon Decretum præinsertum, & in illo contenta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quandocumque inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis occasione scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis Cassinensis, ejusque Monasteriorum quorumvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, eidemque Congregationi Cassinen. ejusque Monasteriis, ac illorum Superioribus, & Monachis, aliisque personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, formas, & occasiones, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis servatis, & insertis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 6. die 11. Apr. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 11. Aprilis 1661. Pontificatus nostri anno sexto.

XCI.

Dat modum faciendi provisiones, & electiones in Capitulis Generalibus, & dietis Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti.

De auctoritate Dietæ horum Monachorum vide ad Constit. 100. Urbani VIII. Commissi nobis, ubi de electione Diffinitorum pertractat.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1661.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Apostolicæ dignitatis apicem, meritis licet imparibus, divina dispositione evecti, in eam præcipuè curam sollicitis studiis intendimus ut Religiosorum virorum sub suavi vitæ Monasticæ jugo Altissimi obsequiis addictorum Congregationes salubriter dirigantur, laudabilibusque institutis suis inhærentes fœliciùs in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis.

§. 1. Itaque, ut provisiones, & electiones in Capitulis generalibus, & Dietis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti de cætero faciendæ ad Omnipotentis Dei gloriam, dictæque Congregationis utilitatem fiant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut in omnibus illis, quæ tam in proximo, quod mense Maio proximè venturo celebrabitur, & cœteris Capitulis generalibus per dilectos filios Præsidentem, & Diffinitores, quam in subsequentibus Dietis dictæ Congregationis Cassinensis, quandocumque celebrandis per eumdem præsidentem & Visitatores ejusdem Congregationis pro tempore existentes respectivè fieri debebunt, Constitutiones ipsius Congregationis Cassinensis, necnon Apostolicæ in simili forma Brevis litteræ, ac Decreta, eandem Congregationem concernentia per Sedem Apostolicam approbata exactè observentur, nec ullæ dispensationes per Capitula, seù Dietas hujusmodi, vel prædictos præsidentem, & Diffinitores, ac Visitatores de cætero concedi ullatenus possint, sed illæ dumtaxat dispensationes, quæ à Nobis, seù auctoritate nostra concessæ sunt hactenus, & in futurum tam à Nobis, quam

à successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu nostra, vel illorum auctoritate concedentur robur & effectum obtineant.

§. 2. Præterea ut numerus Decanorum prædictæ Congregationis à fel. record. Paulo Papa V. prædecessore nostro per suas die 21. Martii 1608. in forma Brevis expeditas litteras præscriptus, ut scilicet unus tantum sit Decanus pro quinque Monachis expresse professis ejusdem Congregationis exactè pariter observetur. Promovendi autem ad Decanatum omnia per præfatas Constitutiones, ac Decretum à rec. mem. Innocentio Papa X. Prædecessore pariter nostro die 7. Novembris 1645. confirmatum requisita habere debeant, nec ulla decanorum hujusmodi electio cum clausula si Romano Pontifici placuerit, fieri de cætero possit, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus: firmo remanente Decreto particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per nos deputatæ super administratione Monasteriorum Cassinensium restauranda, per nostras in simili forma Brevis litteras confirmato.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstan. piæ mem. Clementis Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri in forma Brevis litteris die 6. Martii 1593. emanatis, per quas Diffinitorio dictæ Congregationis Cassinensis super defectu temporis ad Abbatis dignitatem, ac ad Prioratum respectivè requisiti, omnibus votis suffragantibus dispensandi facultas concessa fuit, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, ejusdem Congregationis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis dictæ Congregationi, ejusque Capitulo generali, Dietæ, Diffinitorio, ac Superioribus, & Monachis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Tansumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. An. P. 6. die 11. Apr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Aprilis 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto.

XCII.

Pro bono regimine Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

Vide ad Constitutionem 18. Greg. XV. Sacri Apostolatus, in qua confirmat Constitutiones pro fælici regimine eorumdem Clericorum Scholarum Piarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1660.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

CUm sicut accepimus in Congregatione sæculari Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum plures exortæ sint controversiæ. Nos illas dirimere, & bonum ipsius Congregationis quantum in Domino possumus promovere cupientes.

§. 1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, & decernimus tenore præsentium, ut Præpositus Generalis memoratæ Congregationis, & quatuor Assistentes tam in ultimo Capitulo generali electi, quam deinceps in perpetuum eligendi durare debeant ad sexennium tantum: ipsique Assistentes votum habeant decisivum cum eodem Præposito Generali in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumque Superiorum. Item in causis, & sententiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex Constitutionibus ejusdem Congregationis vel decretis Capitulorum generalium fieri; seu expediri debent à Præposito Generali, & Assistentibus. In reliquis verò iidem Assistentes votum habeant consultivum, & Præpositus Generalis quoad ejus fieri poterit eorum Consilium sequatur ad præscriptum Constitutionum ipsius Congregationis, & una omnes cum Præposito Generali resideant in domo S. Pantaleonis de Urbe.

§. 2. Præterea inviolatè servari præcipimus laudabile dictæ Congregationis institutum præcipuè in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos; deferendi habitum qualitatis, & formæ à prædictis Constitutionibus præscriptæ, incedendi pedibus discalceatis, recipiendi ad Scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formam dictarum Constitutionum, denominandi personas ejusdem Congregationis non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicujus Sancti, ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii hujus instituti profitentur.

§. 3. In cœteris verò servari jubemus antiquas Constitutiones Congregationis hujusmodi cum omnibus gratiis, indultis, & privilegiis à Sede Apostolica eidem concessis, in iis tamen quæ aptantur, & congruunt statui Congregationis sæcularis, & præsentibus litteris non adversantur.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis, & aliis quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis

ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium transſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D. P. An. 6 die 28. April. Datum, in Arce Gandulphi Albanen. Diœc. ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Aprilis 1660. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

XCIII.

Confirmat Decreta Sacrarum Congregationum ad ſepulturam pertinentium pro Provincia Sancti Saturnini Ordinis Minorum de Obſervantia in Sardinia.

De hac materia vide ad Conſtit. 123. Urb. VIII. Cum ſicut, ad Conſtit. 7. Innoc. X. Ex injuncto.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1660.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Alias pro parte dilecti filii Antonii Franciſci Tholo, & Pirella Procuratoris Provinciæ Sancti Saturnini Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum in Sardinia Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito quod dilecti pariter filii Canonici & Beneficiati Metropolitanæ Eccleſiæ Calaritanæ die 11. Auguſti 1659. Conventum S. Mauri violenter ingreſſi fuerunt ad officiandum in illa Eccleſia contra Decreta diverſarum Congregationum ejuſdem S. R. E. Cardinalium tenoris qui ſequitur videlicet.

§. 1. Sac. Rituum Congregatio juxtà alias reſoluta reſpondit officium ſuper cadaveribus in Eccleſiis Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in poſterum ſervari mandavit, non obſtante contraria conſuetudine. Die 27. Novemb. 1638. C. Epiſc. Portuen. Card. Pius. Julius Cincius. Loco † ſigilli.

Necnon Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, cenſuit defunctorum cadavera in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepelienda ab ædibus defunctorum ac eorumdem Fratrum Eccleſias recto tramite deferri licitè poſſe, monito tamen prius, & requiſito, ac expectato proprio Defunctorum Parocho à quo benedictionem, & ultimum vale recipere poſſent, quo venire expreſsè recuſante poſſint iidem Fratres etiam ipſo indulto dicta cadavera ad ſuas Eccleſias tranſportare, conſanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parochialibus & aliis Presbyterorum etiam Cathedralibus Eccleſiis nullo modo poſſint. Si quæ verò immemorabilis conſuetudo in contrarium ſuper præmiſſis exiſtere prætendatur, legitimè probetur, & interim præſens Decretum ad unguem ſervetur, prout eadem Sacra Congregatio ſervari mandavit, Romæ die 14. 1639. Cardinalis Antonius Barberinus. C. Facchenetus. Loco † ſigilli.

Necnon Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit quoties cadavera defunctorm ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua quæ in hujuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, & peragi debere, H. B. Cardinalis, Franciſcus Paulutius Sacræ Congregationis Secretarius. Loco † ſigilli.

Necnon Sac. Rituum Congregatio juxta aliàs reſoluta reſpondit electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis Cadaveribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectare, & pertinere, & ità ubique ſervari debere declaravit die 14. Januarii 1640. P. Card. Creſcentius, Julius Cincius Secretarius. Loco † ſigilli.

§. 2. Quodque in obſervantia Decretorum præinſertorum, & litterarum Apoſtolicarum die 29. Auguſti ejuſdem anni 1659. emanatarum Fratres Eccleſiæ Sanctæ Mariæ JESU noluerunt permittere, ut Capitulum prædictæ Eccleſiæ Calaritan. dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ JESU ingrederetur, ipſum verò Capitulum, & Beneficiati cadaver quoddam inde abripuerant, & ad Eccleſiam Sanctæ Eulaliæ tulerant. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod præfata Decretis præinſertis adverſentur, ideoque primo dictæ Cardinalium Congregationi ſupplicato, ut decerneret cadaver hujuſmodi reſtitui, & dicta Decreta obſervari, & ſi fortè Canonici quoad ſecundum Decretum, immemorabilem conſuetudinem prætenderent, hoc nihil obſtare, niſi legitimè probetur: emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis narratis, reque partibus tàm verbo, quàm ſcripto informantibus auditis, Eminentiſſimo Santacrucio referente diligenter, ac maturè examinata, & diſcuſſa cenſuit cadaver de quo agitur reſtituendum eſſe, prout una cum funerali pompa reſtitui mandat, & præcipit Eccleſiæ Sanctæ Mariæ JESU Fratrum Minorum Obſervantiæ S. Franciſci, Nec Capitulo, & Clero Metropolitanæ Eccleſiæ Calaritanæ funeralia in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ, neque in Sancti Mauri eorumdem Fratrum exercere, & celebrare ſuper defunctorum ibidem ſepelienda cadavera licere, reſervato tamen jure eidem Capitulo, & Choro probandi prætenſam immemorabilem, & ita declaravit, & decrevit, prout præſentium tenore declarat, & decernit, in contrarium allatis minimè obſtantibus, Romæ 12. Martii 1660. M. Card. Ginnettus.

§. 3. Cum autem ſicut dictus Antonius Franciſcus Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum, proximè inſertum pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervatione Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communi ſummoperè deſideret. Nos ipſum Antonium Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Decretum præinſertum. Die 12. Martii proximè præteriti emanatum auctoritate Apoſtolicà tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Salva ſemper in præmiſſis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epicſoporum, & Regularium præpoſitæ.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore,

ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 30. Aprilis 1660. Pontificatus nostri Anno sexto.

XCIV.

Prohibisce le Lire, e Bolognini nelle Provincie di Bologna, Ferrara, Romagna, e Ravenna, volendo che vi si introduchino li giuli, e bajocchi.

Edita A. D. 1660.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Meditatio cordis nostri ad ea præcipuè convertitur per quæ nostrorum, & S.R.E. in temporibus subditorum utilitatibus opportuna ratione consulitur. Cum itaque aliàs videlicèt die prima Julii proximè præteriti dilectus filius noster Gibertus ejusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus noster, & Sedis Apostolicæ in Provincia nostra Romandiolæ, & Exarchatu Ravennæ de Latere Legatus edictum jussu nostro ediderit, & subinde die 14. ejusdem mensis Julii publicari fecerit tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Giberto della S. R. E. Prete Cardinal Borromeo della Provincia di Romagna, & Essarcato di Ravenna de Latere Legato. Havendo la Santità di Nostro Sig. Papa Alessandro VII. con la sua infinita prudenza, & applicatione al publico beneficio di questa Provincia, oltre à tante gratie compartitegli, considerato di quanto pregiuditio gli sia l'ingiusto accrescimento del valore estrinseco delle monete, col quale vengono i suoi Popoli a ricevere per le lor Biade, e frutti della solita bontà il prezzo in moneta calcolate à più di quello, che intrinsecamente vagliono, & havendo considerato, che le provisioni prese sopra ciò da molti de suoi Antecessori, non solo non hanno portato quel buon effetto, che si desiderava, ma fatto vedere con la successiva alteratione, che sempre piu si possono temere maggiori disordini, e dependendo questi in gran parte dell'esser le monete calcolate in lire, che non sono effettive ma una moneta imaginaria, che con troppa facilità viene dall'avaritia, e d'all'industria, & artificii di alcuni Mercanti alterata, essendosi esaminata con una lunga, & essatta discussione la materia, e sentiti i suoi Ufficiali, e prattici Mercanti, & altri che vi possono haver interesse, hà risoluto porui rimedio con gl'infrascritti ordini, e provisioni, che di Commandamento della Santità Sua al presente si publicano, e si haveranno inviolabilmente da osservare sotto le pene in essi contenute.

§. 2. Prima si ordina è commanda espressamente, che resti totalmente abolito il nome di lira, e Bolognini, e che tutti i debiti, e pagamenti, tanto in capitale, quanto in frutti, etiandio Livelli, Canoni, Censi, Legati pii, Gabelle etiam Camerali, Mercedi, Porti di lettere, e di qualsivoglia Contratto, che ricerchi speciale, & individuale mentione fatto in qualsivoglia tempo, tra qualsivoglia persona, tanto laicale d'ogni maggior dignità, etiam Regale, Ducale, & Imperiale, quanto Ecclesiastica, Scolare, e Regolare di qualsivoglia preeminenza, etiam de Cardinali è della Camera Apostolica, che cantano, ò sono douuti in moneta di lira, s'intendano convertiti in giuli, è baiocchi à ragione d'ogni cinque lire, e mezza cento baiocchi Papali, che constituiscono diece giuli, e di undici Bolognini dieci baiocchi, che fanno un giulio, e per ogni baiocco quattrini sei del peso, a bontà di quelli di Bologna, & un quattrino due danari, facendosi conto, che secondo il presente valore di scudi di paoli col medemo numero di giuli, che si pagarebbe adesso il debito constituito in lire viene à costituirsi il nuovo debito in moneta di giulii, & in questa forma dourà da debitori pagarsi, e da Creditori riscuotersi sotto pene arbitrarie, etiam corporali ad arbitrio di Sua Eminenza, e perche in Rimini, e S. Arcangelo il giulio à valutato hora meno che altrove, si dichiara che nella Città di Rimini, e Terra di Sant'Arcangelo, e ne loro Governi la detta riduttione si faccia à ragione di ogni cinque lire Bolognini sei, quattrini quattro in uno scudo di giulii dieci, e per ogni Bolognini dieci quattrini quatro in un giulio.

§. 3. Che da hora avanti nissuno ardisca di far contratto di qualsivoglia sorte in moneta di lira, e Bolognini, mà ò nelle monete d'oro, & argento effettive, ò in scudi, e baiocchi Papali, sotto pena à ciascuno de contraenti della perdita della somma, e robba contrattata oltre la nullità del contratto.

§. 4. Che tutte le monete correnti non si possino calcolare, se non à moneta di giuli, e baiocchi Papali secondo la loro bontà intrinseca, e valore di ciascuna, che sarà dichiarato nel presente Editto, e non si possino alterare, ne spendere di vantaggio dandole, e ricevendole, alla medema valuta, e con gl'istessi pesi, prohibendo qualsivoglia altra moneta, che non sarà nominata nel presente Editto, ò che essendo nominata nel presente Editto, non sarà della bontà, e lega giusta in maniera, che non si possa introdurre, ne contrattare, ne ritenere sotto pena della perdita del danaro, del quadruplo, e de Corporali, etiam di galera perpetua ad arbitrio secondo le qualità, e circonstanze de casi, dichiarando però, che le prohibite, che si trovassero qui nel tempo del presente Editto si possino solo ritenere per due mesi, che se gli dà tempo di farne esito fuori della Legatione.

§. 5. Che tutti li Banchieri, Bancherotti, Mercanti, Gabellieri, stiano auvertiti, e particolarmente nelle monete di lega, & altre tollerate che non siano alterate, e ritrovandosi tali ne diano subito notitia al Governatore del luogo, perche possa far fare le diligenze necessarie sotto pena della perdita delle moneta, scudi ducento, & altre corporali arbitrarie, etiam delle Galera. Che ogni Banchiero, Mercante, Speciale, Beccaro, Fornaro, Lardarolo, & Hoste tenga questo Bando affisso ne i loro Banchi, e Botteghe sotto pena di scudi cinquanta. Che sotto pene ad arbitrio di Sua Eminenza anco corporali tutti li prezzi di robbe, così comestibili come Pane, Carne, Oglio, & altro, come non comestibili, che sono adesso tariffate in moneta di lira, e Bolognini si convertano in moneta di giuli, e baiocchi, e quattrini con la sudetta proportione, che quello che si pagava undeci Bolognini, che facevano un giulio si paghi dieci baiocchi Papali che à la valuta del medemo giulio: Onde dove prima si davano trenta oncie di pane per quattro Bolognini, adesso per quattro baiocchi se ne daranno trentatrè, e nella medesima conformità si farà nell'altre robbe secondo la nova

Tariffa, che in giuli, e baiocchi si daranno da per tutto da i Governatori, & Ufficiali nel medemo tempo della publicatione del presente Editto.

§. 6. Dichiarandosi, che nelli governi di Rimini, e Sant'Archangelo le Tariffe si agiustino con la proportione posta nel Capitolo primo, cioè à ragione d'un giulio per ogni Bolognini dieci, e quattrini quattro. E quanto à i prezzi delle Robbe, e Mercantie che non hanno Tariffa, doueranno i Mercanti usare la medema proportione, e non pigliar occasione di alterarli sotto pene etiam Corporali ad arbitrio di Sua Eminenza.

§. 7. Si notifica ad ogn'uno, che alle dette pene saranno tenute tutte le persone, così Secolari, come Ecclesiastiche, e Regolari di qualsivoglia privilegio, dignità, e preeminenza, che ricerchi speciale, & individua mentione, e si procederà per Inquisitione, & in ogn'altro miglior modo. E questo Editto publicato in Ravenna nel luogo solito, ligherà ogn'uno in questa Provincia doppo cinque giorni, come se fosse personalmente intimato. Subjuncta præinserto Edicto peculiari æstimatione, seù Tariffa monetarum argentearum, & aurearum, per quam eædem monetæ ad rationem tot juliorum, baioccorum, & quatrenorum respectivè æstimantur, & reducuntur, cum nonnullis ordinationibus, prout in eadem Tariffa, quàm præsentibus pro plenè, & sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta haberi volumus, uberiùs continentur.

Confirmat hujusmodi ordinationes.

§. 8. Hinc est, quod nos præmissorum omnium, & singulorum firmiori robori, & inviolabili observantiæ consulere cupientes, Edictum præinsertum, subjunctamque eidem Tariffam, & ordinationes hujusmodi, com omnibus, & singulis in eis respectivè contentis, & inde sequutis, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illaque rata, & grata habemus, ac jussu nostro emanasse declaramus, & attestamur, necnon illis omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque tàm ex juris Communis, & Constitutionum Apostolicarum præscripto, quàm aliàs quomodocumque, & qualitercumque etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosvè quoslibet quantumvis magnos, ac formales, & substantiales, individuaque mentione dignos defectus, si qui in præmissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, plenissimè supplemus, & sanamus, ac penitùs, & omninò tollimus, & abolemus. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta, & inserta quæcumque, necnon Tariffam, & ordinationes hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quoquomodo spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, & Legati de Latere potestate, & auctoritate fungantur semper, & perpetuò inviolabiliter, & inconcussè observari debere, neque ipsas præsentes litteras, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, causæque propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, aut verificatæ, & justificatæ non fuerint, seù ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis substantialis, ac inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare posse, sed easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem, Præsidentes Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, & cæteros quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & fœlic. record. Pii Papæ Quarti Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes litteras ibidem præsentari, & registrari numquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, locorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes il-

lis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 6. die 22. Maii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima secunda Maii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo Pontificatus Nostri Anno sexto.

XCV.

Ordini per la Città, e Ducato di Ferrara, cioè che vi resti totalmente abolito il nome di Lira, e Bolognini, e che tutti i debiti, che cantano in moneta di Lira s'intendano convertiti in giuli, e baiocchi.

Edita An. D. 1660.

Consimilem Monetarum reductionem habes supra ad Constitutionem 94. Meditatio, & ad Constitutionem 102. eodem modo incipientem ab hoc Sanctiss. Pontifice emanatas.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Meditatio cordis nostri ad ea præcipuè convertitur per quæ nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in temporalibus subditorum utilitatibus opportuna ratione consulitur. Cum itaque aliàs dilectus filius noster Laurentius Tituli Sancti Chrysogoni ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Imperialis nuncupatus noster, & Sedis Apostolicæ in Civitate, & Ducatu Ferrarien. nostris de Latere Legatus edictum jussu nostro ediderit, & publicari fecerit tenoris, qui sequitur videlicet.

§. 1. Lorenzo Cardinal Imperiale nella Città, e Ducato di Ferrara à Latere Legato &c. Havendo la Santità di Nostro Signore Papa Alessandro Settimo con la sua infinita prudenza, & applicatione al publico beneficio di questa Provincia, oltre à tante gratie compartitegli, considerato di quanto pregiuditio gli sia l'ingiusto accrescimento del valore estrinseco delle monete, col quale vengone i suoi Popoli a ricevere per le lor Biade, e frutti della solita bontà il prezzo in monete calcolate à più di quello, che intrinsecamente vagliono, & che le provisioni prese sopra ciò da molti de suoi Antecessori, non solo non hanno portato quel buon effetto, che si desiderava, ma fatto vedere con la successiva alteratione, che sempre piu si pòssono temere maggiori disordini, e dipendono questi in gran parte d'all'esser le monete calcolate in lire, che non sono effettive ma una moneta imaginaria, che, con troppa facilità viene d'all'avaritia, e dall'industria, & artificii di alcuni Mercanti alterata, & essendosi esaminata con una lunga, & esatta discussione la materia, e sentiti non solo i suoi Ufficiali, e prattici Mercanti, & altri che ci possono haver interesse, hà risoluto porui rimedio con gl'infrascritti ordini, e provisioni, che di commandamento della Santità Sua si publicano, e si haveranno inviolabilmente da osservare sotto le pene in essi contenute.

§. 2. Prima si ordina è commanda espressamente, che resti totalmente abolito il nome di Lira, e Bolognini, e che tutti i debiti, e pagamenti, tanto in capitale, quanto in frutti, etiandio Livelli, Canoni, Censi, Legati Pii, Gabelle etiam Camerali, Mercedi, Porti di lettere, e di qualsivoglia Contratto, che ricerchi speciale, & individual mentione fatto in qualsivoglia tempo, tra qualsivoglia persona, tanto Laicale d'ogni maggior dignità, etiam Regale, Ducale, & Imperiale, quanto Ecclesiastica, Secolare, e Regolare di qualsivoglia preeminenza, etiam de Cardinali è della Camera Apostolica, che cantano, o sono dovuti in moneta di Lira, s'intendano convertiti in giuli, e baiocchi à ragione d'ogni cinque Lire e mezza cento baiocchi Papali, che constituiscono diece giuli, e di ogn'undici Bolognini dieci baiocchi, che fanno un giulio, e per ogni baiocco quattrini sei del peso, e bontà di quelli di Bologna, & un quattrino due danari, facendosi conto che secondo il presente valore di scudi di paoli col medemo numero di giuli, che si pagarebbe adesso il debito constituito in Lire viene à constituirsi il nuovo debito in moneta di giuli, & in questa forma dourà da debitori pagersi, e da Creditori riscuotersi sotto pene arbitrarie, etiam corporali ad arbitrio di Sua Eminenza.

§. 3. Che da hora avanti nissuno ardisca di far contratto di qualsivoglia sorte in moneta di Lira, e Bolognini, mà ò nelle monete d'oro, & argento effettive, ò in scudi, è baiocchi Papali, sotto pena à ciascuno de contraenti della perdita della somma, e robba contratta oltre la nullità del contratto.

§. 4. Che tutte le monete correnti non si possino calcolare, se non à moneta di giuli, e baiocchi Papali secondo la loro bontà intrinseca, e valore di ciascuna, che sarà dichiarata col presente Editto, e non si possino alterare ne spendere di vantaggio dandole, e ricevendole, alla medisima valuta, e con gl'istessi, pesi, prohibendo qualsivoglia altra moneta, che non sarà nominata nel presente Editto, e che essendo nominata nel presente Editto, non sarà della bontà, e lega giusta in maniera, che non si possa introdurre, ne contrattare, ne retinere sotto pena della perdita del danaro, del quadruplo, e de Corporali, etiam di galera perpetua ad arbitrio secondo la qualità, e circostanze de casi, dichiarando però, che le proibite, che si trovassero qui nel tempo del presente Editto si possino solo ritenere per due mesi, che se gli da tempo di farne esito fuori della Legatione.

§. 5. Che tutti li Banchieri, Bancherotti, Mercanti, Gabellieri, stiano auvertiti, e particolarmente nelle monete di lega, & altre tollerate che non siano alterate, e ritrovandosi tali ne diano subito notitia al Signor Giudice de Savi in Ferrara, e nel Distretto, & alli Governatori de Luoghi fuori del Disftretto, perche possa fare le diligenze necessarie sotto pena della perdita della moneta, scudi ducento, & altre corporali arbitrarie, etiam della Galera. Che ogni Banchiero, Mercante, Speciale, Bottegaro, Beccaro, Fornaro, Lardarolo, & altri Artefici tenga questo Bando affisso ne i loro Banchi, e Botteghe sotto pena di scudi cinquanta. Che sotto pena ad arbitrio di Sua Eminenza anco corporali tutti i prezzi di robbe, cosi comestibili come Pane, Carne, Oglio, & altro comestibili, che sono adesso tariffate in moneta di Lira, e Bolognini si convertano in moneta di giuli, e baiocchi, e quattrini con la sudetta proportione, che quello che si pagava undeci Bolognini, che facevano un giulio si paghi dieci baiocchi

chi papali che è la valuta del medesimo giulio; Onde doue prima si dauano trenta oncie di pane per quattro Bolognini, adesso per quattro baiocchi se ne daranno trentatre oncie, e nella medesima conformità si farà nell'altre robbe secondo la nova Tariffa, che in giuli, e baiocchi si daranno da per tutto da i Governatori, & Ufficiali nel medemo tempo della publicatione del presente Editto. E quanto à i prezzi delle Robbe, e mercantie, che non hanno Tariffa, douranno i Mercanti usare la medesima proportione, e non pigliar occasione di alterarli sotto pena etiam Corporale ad arbitrio di Sua Eminenza.

§. 6. Si notifica ad ognuno, che alle dette pene saranno tenute tutte le persone cosi Scolari, come Ecclesiastiche, e Regolari di qualsivoglia privilegio, dignità, e preeminenza, che ricerchi speciale, & individua mentione, e si procederà per Inquisitione, & in ogn'altro miglior modo. E questo Editto affisso, publicato ne i luoghi soliti, ligherà ognuno doppo cinque giorni, comme se fosse personalmente intimato.

Dato nel Castello di Ferrara questo di 12. Luglio 1659. Publicato li 14. detto. Lorenzo Cardinal Imperiale Legato &c. Subjuncta præinserto Edicto peculiari æstimatione, seù Tariffa monetarum argentearum, & aurearum, per quam eædem monetæ ad rationem tot Juliorum, baiocchorum, & quatrenorum respectivè æstimantur, & reducuntur, cum nonnullis ordinationibus, prout in eadem Tariffa, quam præsentibus pro plenè, & sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat edictum præinsertum.

§. 7. Hinc est, quod nos præmissorum omnium, & singulorum firmiori robori, & inviolabili observantiæ consulere cupientes, Edictum præinsertum, subjunctamque eidem Tariffam, & ordinationes hujusmodi, cum omnibus, & singulis in eis respectivè contentis, & inde sequutis, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illaque rata, & grata habemus, ac jussu nostro emanasse declaramus, & attestamur, necnon illis omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, omnesque, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque tàm ex juris Communis, & Constitutionum Apostolicarum præscripto, quàm alias quomodocumque, & qualitercumque etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet quantumvis magnos, ac formales, & substantiales, individuaque mentione dignos defectus, si qui in præmissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, plenissimè supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

§. 8. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta, & inserta quæcumque, necnon Tariffam, & ordinationes hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quoquomodo spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, & Legati de Latere potestate, & auctoritate fungantur, semper, & perpetuò inviolabiliter, & inconcusè observari debere; neque ipsas præsentes litteras, etiam ex eo quod quilibet in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, causæque propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, aut verificatæ, & justificatæ non fuerint, seù ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis substantiali, aut inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus, sortiri, & obtinere. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ Nostræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem, Præsidentes Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, & cœteros quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & fœlic. record. Pii Papæ Quarti Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes litteras ibidem præsentari, & registrari numquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synonalibus Conciliis editis, Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Locorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumlibet, aliisque quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs

in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P. An. 6. die 27. Maii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima septima Maii 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto.

XCVI. De Obligatione denunciandi hæreticos, vel de hæresi leviter suspectos; Et quod in materia hæresis non admittitur correctio fraterna.

Feria 5. Die 8. Julii 1660.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Majorem coram Sanctiss. D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in Universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Motiva hujus Constit.

Licet aliàs per Constitutionem fel. record. Pauli V. emanatam sub die 1. Septembris 1606. quæ incipit, Romanus Pontifex, fuerit districtè prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut consuetudinis, & præscriptionis, etiam immemorabilis, aut alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus se quoquomodo intromittere, aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut terminare audeant; imò ex ejusdem Constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter injunctum, ut suos subditos, ac Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum propriis suæ Religionis Superioribus, vel alia quavis persona facienda, sine mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient.

§. 1. Nihilominus animadvertens Sanctissimus D. N. Alexander VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem; adeout nedum suos subditos non denuncient, verùm etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare, quæ audierunt, aut viderunt, ad ipsum Sanctum Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imò aliquando eosdem perperam instruant, non teneri, nec sub obligatione Constitutionum Apostolicarum comprehendi; & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur.

§. 2. Volens proindè Sanctitas Sua abusum hujusmodi ex sui Pastoralis officii debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, innovat Constitutionem prædictam à fel. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus sit, eam declarans, hoc præsenti Decreto districtè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque ejusmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus cujuscumque Ordinis, & Instituti, sive Mendicantium, sive non Mendicantium, necnon Congregationis, & Socitatis Clericorum Regularium quorumcumq; etiam Societatis JESU, aliorumque quomodocumque exemptorum, vel non exemptorum, etiamsi essent specialitèr, & nominatim exprimendi, ut omninò dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscumque Religiosos, tam sibi ipsis subditos, quàm non subditos, cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, vel de hæresi quomodocumque etiam leviter suspectos, deferant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in causis ad Sanctum Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos subditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo sivè directè, sivè indirectè avertere, retrahere, dissuadere; imò prædictos suos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omninò pareant, & alios Christi fideles etiam Confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, rejectis penitus hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua, cum voto dictorum Eminentissimorum DD. Cardinalium, tanquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis Suæ prorsus alienas reprobavit, & reprobat.

Innovat constit. Pauli V.

§. 3. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis ejusdem, alteriusve Ordinis, aliisve quibuscumque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materiis ad Sanctum Officium spectantibus, itaut nedum ipsimet denunciationes differant, vel ab illis prorsus abstineant; verùm etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliove prætextu.

§. 4. Propterea idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos absq; ulla participatione, etiamsi nulla petita venia à Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omninò teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum quoscumque etiam Confratres, ac Superiores etiam primarios suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam levitèr suspectos: Ac propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alios à se consilium, ut supra, petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec posse illos à denunciando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes tam Superiores, quàm subditos contrafacientes, Sanctitas sua voluit, & declaravit subjacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis, necnon privationis quarumcumque Dignitatum, seù Prælaturarum, seù officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suæ, ac successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi, & successoribus suis Romanis Pontificibus tantum expressè reservavit.

§. 5. Et ne præmissorum prætendi possit igno

rantia,

rantia, idem Sanctissimus mandavit sub eisdem pœnis, ipso pariter facto incurrendis, ut supra reservatis; ut superiores omnes præfati in quocumque loco, Conventu, vel Collegio sui Ordinis, Decretum hoc semel saltem singulis annis kalendis Martii in publica mensa, vel aliàs in Capitulo ad hoc specialiter convocato, legi curent una cum aliis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus quotannis, legi solitis, juxtà Decretum fel. record. Urbani VIII. Et insuper iidem superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publicos assignentur, & affixa conserventur, itaut ab iisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi lectione, & commonitione publico documento ab iisdem superioribus Conventus, vel Domus subscripto, unaque ab aliis duobus Religiosis ejusdem Domus, vel Conventus statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Urbe, vel locorum Inquisitores ubi sunt. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Joannes Lupus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo, Indictione decima tertia, die verò vigesima quarta Mensis Augusti Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi anno ejus sexto, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ S. Petri de Urbe, necnon ad valvas Palatii S. Inquisitionis, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est per me Hieronymum Mascellam ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Curs.

XCVII. Declarat Alumnos Collegiorum Apostolicorum non ad triennium tantum, sed perpetuò quoad vixerint Sedis Apostolicæ servitio adstrictos esse, & dat formam Juramenti.

Alumnos Seminariorum piè, & efficaciter ad virtutum, ac literarum vehemens studium cohortatus est Clem. VIII. Constit. 9. tom. 3. de Alumnis Collegiorum Apostolicorum permulta invenies in Repertorio, verbo Alumni.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1660.

CUM circa juramenti vinculum, quo Pontificiorum Collegiorum Alumni Sedis Apostolicæ (à qua maximis sumptibus educantur) servitio reperiuntur adstricti variæ fuerint hucusque à nonnullis excogitatæ interpretationes, quibus ejusdem Sedis in hoc eludatur intentio, & Dei gloriæ, ac servitio, cui hujusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur.

§. 1. Nos opportunè hac in re providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum super hoc à Nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter, & maturè discusserunt, consilio, ac inhærendo decretis aliàs circa prædicti juramenti Formulam emanatis, eaque, quatenus opus sit, innovando, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, prædictos Alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuò, quoad vixerint in quocumq; statu permanserint; Sedis prædictæ servitio fuisse hactenus, & futuros in posterum adstrictos, ut aliàs, & signanter die VII. Augusti 1645. à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro fuit declaratum; hujusmodi autem servitio minimè satisfacturos, etiamsi in salutem animarum operam suam quoquomodo impendant, nisi illud ad præscriptum Sedis Apostol. expleverint.

§. 2. Præterea si contingat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel malæ valetudinis, aut alia qualibet ex causa à Collegiis ejici, aut sponte sua quandocumque discedere, etiamsi nondum completis studiis, aut sacris Ordinibus fuerit initiatus, non idcircò censendum à juramento ulla ex parte solutum, tàm circa servitium præstandum in Missionibus, quàm circa prohibitionem ingrediendi Religionem, imò ne hoc, vel alio quovis prætextu dictæ Sedis mens forsan eludatur prohibemus, ne etiam elapso triennio quovis tempore possit quilibet Alumnus ad Religionem admitti, nisi de expressa nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum in scriptis habenda licentia, sub pœna nullitatis professionis ipso jure, si aliter fuerint ingressi, & quod ab eadem Cardinalium Congregatione non obstante professione ad primævum statum revocari possint.

§. 3. Insuper declaramus, quòd concessa Alumnis, ut supra, licentia ingrediendi Religionem, non idcirco censendi sunt à juramento absoluti ex præsumpto tacito consensu, eò quod prædicta Congregatio illorum opera forsan non uteretur: Ad hæc nullo pacto licere Alumnis contra formam juramenti, vel Religionem ingredi, vel alteri statui, perpetuò se addicere, eo sub prætextu, quod quilibet teneatur, sibi ipsi ratione aliqua stabili consulere; eo quod hæc Sancta Sedes Alumnis, postquam fuerint dimissi, non provideat; Cum memorata Congregatio neminem ex iis, qui ad Missionis titulum ordinati sunt, quive suo Instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam destituere: quod si secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpæ adscribendum est, qui postquam fuerunt dimissi ejusdem Sanctæ Sedis, à qua enutriti fuerunt, ac ejus, quod professi sunt, Instituti prorsus obliti de se, suoque statu eandem monere negligunt omninò.

§. 4. Quia verò, ut præfertur, non desunt ali, qui, cui non intelligentes gravitatem muneris Sacerdotum Sæcularium ad Missiones Apostolicas admissorum, quidve sanctæ Fidei propagationi, & universalis Ecclesiæ bono, attenta præsertim temporum, ac rerum circumstantia, magis conducat, audeant adhuc asserere hujusmodi juramentum in ea parte, quà cujuslibet Religionis ingressum prohibet, invalidum omninò esse, tanquam impeditium majoris boni, eoque prætextu excusationem suæ contumaciæ obtendentes, juramentum quoad hanc partem negligere præsumant: Nos volentes deinceps hujusmodi ausui opportunè occurrere, eosque qui contraire præsumserint, ad statum, cui ex prædicto juramento repeiuntur obstricti, revocare; præcipimus omnibus Alumnis, ut postquam è suis Collegiis, vel sponte egressi, vel dimissi fuerint, sivè in statu, & habitu sæculari permanserint, etiamsi in Sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui Religioni fuerint adscripti donec vixerint, quolibet anno, si intra fines Europæ fuerint, vel si extra, quolibet biennio, de se, suoque statu, & loco ubi maneant, & quibus studiis, & exercitiis operam navent, per literas prædictam

Congregationem certiorent; literas autem hujusmodi viciniori Sedis Apostolicæ Nuncio transmittere, atque etiam eò usque iterare teneantur, donec per ejusdem epistolam certi fiant, quod ad ipsum pervenerint.

§. 5. Utque id omninò observetur, præcipimus, ut juramento ab eisdem Alumnis præstando addatur infrascripta clausula: *Item voveo, & juro, quod sive Religionem ingressus fuero, sive in statu sæculari permansero, si intra fines Europæ fuero quolibet anno, si verò extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, & exercitii, & loci ubi moram traxero, Sacram Congregationem de propaganda fide certiorabo.* Præcipimus itidem quòd idipsum præstent eorum Superiores Regulares quoad eos, qui Religionem fuerint ingressi. Præfectis verò Missionum Sacerdotum sæcularium injungimus sub pœna suspensionis à Divinis ipso facto incurrendæ, ut quolibet anno diligenter perquirant de statu singulorum, qui fuerunt Alumni, & ad eam Missionem, vel ratione originis, vel nationis, aut alio quovis modo pertinent, sive Religionem fuerint ingressi, sive non, deque ipsis, eorumque statu, exercitiis, ac locis eandem Congregationem omnino moneant. Præterea præcipimus præsentes literas ad singula Collegia transmitti eorum Superioribus injungentes, ut adamussim illas observari curent, expositasque habeant in loco patenti, singulisque obvio, ne ullo tempore illarum ignorantia à quopiam prætendi possit; & ut quovis anno in publico Refectorio bis legantur, nimirùm prima Dominica Januarii, & primà Junii, necnon etiam immediatè ante præstationem juramenti clara voce, Alumnis mox juraturis legantur, ac ne quis ab earum exequutione excusari valeat ipsius juramenti formulæ eam, quæ sequitur, clausulam superaddi mandamus. *Denique voveo, & juro, me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum juxta declarationes factas à Sacra Congregatione de propaganda fide, & Brevi Apostolico roboratas sub die 20. Julii 1660.*

§. 6. Quia vero in tanto Alumnorum numero quos hæc Sancta Sedes ad fidei ministerium maximis sumptibus enutrit, ac instruit, quotidiana experientia comperitur ex defectu hujusmodi Ministrorum opus Dei multoties prætermitti, & quod maximè dolendum est, plurimas Regiones, quæ albæ sunt ad messem ea de causa miserè deperire; districtè præcipimus Superioribus Collegiorum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ut qualibet vice nomina singulorum, qui ad Collegium admittuntur, necnon eorum, qui dimittuntur, vel sua sponte recedunt, statim ipsimet Congregationi prædictæ, vel ipsius Secretario transmittant expressis singulorum ætate, patria, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis, ad quæ diriguntur, quove die juramentum præstiterint, ut in Actis ejusdem Congregationis redigi possit. Injungentes Alumnis sub pœna ejectionis à Collegio, ne juramenti præstationem ultra ætatem in decreto rec. mem. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri die 24. Novembris 1625. præscriptam differant; Superioribus verò sub eadem pœna suspensionis ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex gravi causa per ipsammet Congregationem supradictam Romæ, extra verò per Nuncios Apostolicos in scriptis approbanda.

§. 7. Demum districtè prohibemus, ut nullus omninò cujusvis dignitatis, & conditionis extiterit, audeat prædictum juramentum, ac præsentes literas, seu declarationes tam in totum, quàm secundùm singulas sui partes declarare, aut interpretari, sed si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eandem Sanctam Sedem consulere, ab eaque responsum in scriptis expectare, sub pœna violationis juramenti, si secus facere præsumpserit.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam speciali mentione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores; ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 9. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon memoratorum Collegiorum, & aliis quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Dat. P. Aug. die 20. Julii.

Formula Juramenti ad præscriptum superioris Brevis præstandi à quolibet Alumno Collegiorum Pontificiorum.

EGo N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti hujus Collegii notitiam Legibus, & Constitutionibus ipsius, quas juxta Superiorum explicationem amplector, me spontè subjicio, eaque pro posse observare promitto.

Insuper spondeo, & juro, quod dum in hoc Collegio permanebo, & postquam ab eo quocumque modo sive completis, sive non completis studiis exiero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, vel Sacræ Congregationis de Propa-

ganda fide ingrediar, neque in earum aliquam pro fessionem emittam.

Spondeo pariter, & juro, quod volente Sacra Congregatione de propaganda fide Statum Ecclesiasticum amplectar, & ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, cum Superioribus visum fuerit promovebor.

Item voveo, & juro, quod sivè Religionem ingressus fuero, sive in statu sæculari permansero, si intra fines Europæ fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status exercitii, & loci, ubi moram traxero, Sacram Congregationem de propaganda fide certiorabo.

Voveo præterea, & juro, quòd jussu prædictæ Congregationis de propaganda fide sine mora, in Provinciam meam revertar, ut ibi perpetuò in Divinis administrandis laborem meum, ac operam pro salute animarum impendam, quod etiam præstabo, si cum prædictæ Sedis licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem ingressus fuero, & in earum aliquam professionem emisero.

Denique voveo, & juro, me prædictum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum juxta declarationes factas à Sacra Congregatione de propaganda fide, & Brevi Apostolico roboratas sub die 20. Julii 1660. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Hæc eadem Formula servanda erit pro Alumnis Collegii Urbani de Propaganda fide & Collegii Græcorum Urbis, additis tamen clausulis, quæ propriis eorumdem Collegiorum Institutis peculiaria sunt juxta Formulas hactenus servatas.

XCVIII. Confirmatio primi Brevis Provinciæ Beati Petri de Alcantara Ordinis Sancti Francisci Patrum Discalceatorum in Hispania, cum electione Ministri Provincialis, & Diffinitorum ipsius Provinciæ à Sanctissimo facta.

Vide ad Constit. 69. hujus Pont. Sacrosancti, qua est erectio hujus Provinciæ.

Edita An.D. 1669.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Aliàs Nos charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati, Provinciam Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia in Regnis Valentiæ, Murciæ, & Granatæ consistentem in duas, unam scilicet quæ nomen Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ retinere deberet, & alteram de novo erectam, & Beati Petri de Alcantara nuncupandam Provincias, sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica divisimus, ac inter alia voluimus, ut in Capitulo Provinciali, in quo Præses ipsiusmet Capituli ad novam electionem præsideret, vel etiam in Congregatione more Capituli Provincialis ad hunc effectum habenda, & celebranda pro tempore, & loco ab ipso Ministro Provinciali Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ præscriptis, convocatisque per ipsum Diffinitoribus, & Fratribus, cunctisque omnium locorum, seu Conventuum ipsius Provinciæ Guardianis, ex omnibus ejus Fratribus, hoc est de toto corpore Provinciæ unus illorum in Ministrum Provincialem, Diffinitores, & Guardianos per vota secreta ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, & deinde ex corpore Congregationis solummodo quatuor Diffinitores, & Custos servatis servandis, & prout in hujusmodi Capitulis Provincialibus moris est; eligerentur, quos omnes, scilicet Ministrum Provincialem, Diffinitores, & Custodem postquam electi fuissent, idem Minister Provincialis Sancti Joannis Baptistæ, seu Præses Capituli Apostolica auctoritate confirmaret, & aliàs prout in nostris in simili forma Brevis literis die 4. Augusti 1659. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & verbatim inserto haberi volumus uberiùs continetur.

Confirmatio primi Brevis.

§. 1. Cùm autem sicut Nobis nuper relatum fuit prædicti Minister Provincialis, & Vocales voluntatem nostram hujusmodi exequutioni demandare non curaverint, nec curent. Hinc est, quod Nos prospero, fœlicique regimini, & gubernio prædictæ noviter erectæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara, & commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito providere volentes, ac de infra nominatorum dicti Ordinis Fratrum expressè professorum charitate, prudentia, industria, idoneitate, Religionis zelo, aliisque meritis plurimùm in Domino confisi, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Franciscum Morales in Ministrum Provincialem, ac Christophorum Laurentium in Custodem, necnon Didacum Fernandes in primum, Bernardum Morales in secundum, Franciscum de Estevan in tertium, & Alphonsum de Segura Fratres Ordinis prædicti in quartum Diffinitores dictæ novæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara respectivè ad tempus quo aliarum Provinciarum dicti Ordinis Ministri Provinciales, Custodes, & Diffinitores juxta regularia ejusdem Ordinis instituta Apostolica auctoritate confirmata in suis officiis durare consueverunt, tenore præsentium constituimus, & deputamus. Eligit Patres Definitorii.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis memoratæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, ut supra nominatos Fratres ad officia eis respectivè per præsentes demandata recipiant, & admittant, illosque recognoscant, ac eis in omnibus officia hujusmodi concernentibus pareant, & obediant, ac faveant, & assistant respectivè. Præceptum de observan.

§. 4. Ac decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac supranominatis Fratribus plenissimè suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & spectabit, in futurum inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & Contrariis derogat.

innovatis.

innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P An. 6. die 9. Aug. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 9. Augusti 1660. Pontificatus nostri Anno sexto.

XCIX. Constitutio super Habitu Prælatitio ab Abbatibus Generalibus Congregation. Olivetanæ deferendo.

Edita A. D. 1660.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium. DEcet Romanum Pontificem ad ea, per quæ personarum Ecclesiasticarum quarumlibet præsertim Congregationum Monasticarum regimini, & administrationi, ac ornamento, divinique cultus celebritati, & decori consulitur libenter intendere, ac in illis Pastoralis Officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum, & personarum hujusmodi circumstantiis debitè pensatis, ad devotionis Christi fidelium augmentum, & propagationem, necnon Altissimi laudem prospicit in Domino salubriter expedire.

Motiva hujus Constit. §. 1. Exhibita siquidem Nobis Nuper pro parte dilecti Filii Angeli Mariæ Torelli Romani Monachi Ordinis Congregationis Olivetanæ expressè professi Monasterii Sanctæ Mariæ Novæ nuncupatæ de Urbe Provinciæ Neapolitan.& moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis petitio continebat, Quod cum inter Congregationes Monachorum Italiæ Congregatio Olivetana Ordinis Sancti Benedicti celebris, ac à Sede Apostolica pluribus favoribus, & gratiis decorata existat, illiusque Abbas Generalis Mitra, baculo, & annulo pastoralibus, cæterisque Pontificalibus insigniis utatur, potiatur, & gaudeat, plurimum tamen decori, & dignitati Abbatis Generalis ejusdem Congregationis videretur convenire, ipsum & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales à Nobis, & Sede præfata aliqua digniori prærogativa decorari, & illustrari.

§. 2. Quare pro parte dicti Angeli Mariæ moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis fuit Nobis humiliter supplicatum quatenus ejusdem Congregationis Olivetanæ, ejusque Abbatum Generalium pro tempore existentium decori consulere, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum quarumlibet, & Congregationum decorem, divinique cultus augmentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus eumdem Angelum Mariam Modernum Abbatem Generalem, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ac honestis votis ipsius Angeli Mariæ hac in parte, favorabiliter annuentes eidem Angelo Mariæ Moderno ejusdem Congregationis Abbati Generali ejusque successoribus Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus prædictis, ut de cætero perpetuis futuris temporibus tàm in Romana Curia, quam extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Angelum Mariam, & pro tempore existentes Abbates Generales præfatos pro tempore residere, & morari contigerit, ac in quibusvis Visitationibus, Capitulis, & Sessionibus, necnon quibusvis actibus, & processionibus etiam coram Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus etiam in Capellis Pontificiis Mozzettam, & Mantellettam coloris Habitus ipsius Congregationis Olivetanæ una cum pileo, & bireto Prælatitiis induere, gestare, & deferre, illisque uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possit, & valeat, ac possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam facultatem, & auctoritatem desuper impartimur. Concedit Habitum Prælatitium.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes ipsum Angelum Mariam, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos super delatione, gestatione, & usu Mozzettæ, Mantellettæ, Pilei, & Bireti præfatorum à quoquam sub quovis prætextu, vel causa, & occasione nullatenus impediri posse præsentes quoque semper, & perpetuò validas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt toties præsentes in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori data per Angelum Mariam, & Successores præfatos Abbates Generales pro tempore existentes quandocumque eligenda concessas esse, & fore. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R. Ecclesiast. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis præfatæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, & Provincialibus, ac Generalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis Olivetanæ hujusmodi juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi Diœcesis Albanen. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Quinto, Idibus Octob. Pontificatus Nostri Anno sexto. Dat. P. An. 6. die 12. Octob.

C. Concedit Conventum B. Petri de Nolasco Terræ Rocca di Papa Diœcesis Tusculanæ Fratribus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

De hoc Conventu vide infra ad Constit. 118. *Alias. Ubi declaratur controversia exorta inter Procuratorem, & Vicarium Generalem ejusdem Ordinis.*

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A. D. 1663.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD sacrosancti Apostolatus apicem, nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam evecti, muneris nostri esse arbitramur, ut Congregatio-

nes virorum sub suavi arctioris Religionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum in Ecclesia Dei piè, sanctéque institutas paterna benignitate prosequentes, felicibus earum incrementis quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Cōcedit prout in Rub.

§. 1. Volentes itaque Congregationi Fratrum Discalceatorum Reformatorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum gratiam facere specialem, Conventum B. Petri de Nolasco, olim Fratrum d. Ordinis in Terra Roccha di Papa nuncupatum Tusculan. Diœcesis positum cum illius Ecclesia, ac bonis, & oneribus universis prædictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum, itaut Conventus hujusmodi de cætero Conventui S. Joannis de Urbe ejusdem Congregationis sub obedientia dilecti filii Procuratoris Generalis ipsius Congregationis, qui in dicto Conventu S. Joannis residere solet, subjaceat, & dictus Procurator Generalis Superiorem, & familiam sex saltem Presbyterorum, & duorum Conversorum Fratrum Discalceatorum Reformatorum Congregationis hujusmodi in primodicto Conventu collocare debeat, ipsique Procuratori Generali liceat per se, vel alium, seù alios memoratæ Congregationis nomine corporalem, realem, & actualem possessionem, seù quasi possessionem primodicti Conventus, ejusque Ecclesiæ, ac bonorum redditiuum, proventuum,pertinentiarum, & jurium universorum propriâ auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, Diœcesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minimè requisita auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò applicamus, & appropriamus.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de perpetuis applicationibus quorumcumque bonorum, & fructuum Ecclesiasticorum committendis ad partes vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero annuo valore secundùm communem æstimationem, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon prædictorum Ordinis, Congregationis, & Conventuum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P.An.6. die 15. Oct.

Datum in Arce Gandulphi Diœcesis Albanen. sub Annulo Piscatoris die 15. Octob. 1660. Pontificatûs nostri Anno sexto.

CI.

Confirmat Decretum Sac. Congregationis Regul. quod Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum possint sibi eligere Judicem Conservatorem.

Circa Electionem Conservatorum vide ad Constit. Gregor. XV. Sanctissimus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1660.

Motiva hujus const.

Aliàs pro parte dilecti filii Francisci de la Rosa Vicarii Generalis Italiæ, & Siciliæ, & Procuratoris Generalis totius Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito quod licet eidem Ordini amplissima communicatio privilegiorum quibus alii Ordines Mendicantes fruuntur à fel. rec. Leone X. ac Clemente VII. & Sixto V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa reperiretur, & inter alia privilegia hujusmodi eisdem Ordinibus indulta esset facultas eligendi Judices Conservatores qui jura eorum tueantur, eosque ab injuriis, & violentiis defendant, Conservatorumque hujusmodi electio veniret sub communicatione privilegiorum sicut Congregatio ejusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, die 12. Decemb. 1620, dicitur declarasse: nihilominus primodictus Ordo quando se offerebat occasio, aût necessitas prædictos Judices Conservatores eligendi varias patiebatur molestias, pluraque cogebatur sustinere gravamina pro stabilienda prædicta facultate Judices Conservatores eligendi cum magno præjudicio ipsius Ordinis, & gravissimo detrimento ejus jurium, ac pii operis Redemptionis Captivorum, quod ex proprio Instituto, ac speciali quarto solemnique voto administrat, & profitetur.

§. 1. Et propterea supplicato primodictæ Cardinalium Congregationi, ut declararet memorato Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum vigore communicationis privilegiorum supradictorum competere facultatem eligendi Judices Conservatores in casibus à jure, & per speciales Constitutiones Apostolicas permissis, tàm pro personis, rebus, & bonis ipsius Ordinis, quàm pro præfato opere Redemptionis Captivorum: juxta tenorem Constitutionum rec. memor. Clementis PP. VIII. & Gregorii PP. XV. prædecessorum pariter nostrorum, necnon declarationis dictæ Congregationis: emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & communicatione privilegiorum hujusmodi censuit, ejus vigore præfatæ Religioni B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum competere jus eligendi ser. ser. sibi Conservatorem, prout ei competere præsentis Decreti tenore declarat, & decernit, contrariis quibuscumque non obstan. ac super præmissis expediri Breve si Sanctissimo D. N. placuerit. Romæ 10. Septembris 1660. M. Card. Ginettus.

Decretum. Sac.congr

§. 3. Cùm autem sicut dictus Franciscus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desideret: Nos ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes,

Confirmat prout in rub.

ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat.P. An. 6. die 9. Oct.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris, die 9. Octobris 1660. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

CII.

Ordine e dichiaratione, che nella Città di Bologna, Contado, e ſua Legatione la Lira ſi ſpenda à ragione di due Giuli Papali: la mezza lira, un giulio: il quarto di lira, un Groſſo.

Edita A. D. 1660.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

MEditatio cordis noſtri ad ea præcipuè convertitur, per quæ Noſtrorum, & S. R. E. in temporalibus ſubditorum utilitatibus opportuna ratione conſulitur. Cùm itaque aliàs dilectus filius Noſter Hieronymus tituli S. Agnetis prope, & extra mœnia Urbis ejuſdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Farneſius nuncupatus Noſter, & Sedis Apoſtolicæ in Civitate, & Comitatu Bononien. Noſtris de latere Legatus Edictum ſuper monetis cum diverſis Ordinationibus juſſu Noſtro ediderit, & die 14. Auguſti 1659. publicari fecerit tenoris qui ſequitur, videlicet.

§. 1. Volendo la Santità di N. Sig. Papa Aleſſandro VII. che tutte le monete dello Stato Eccleſiaſtico habbino corriſpondenza con la Romana, e che ſi ragguaglino con lo Scudo, Teſtone, e Giulio Papale, nè poſſino per varietà de tempi, ò mutatione intrinſeca, ò per qualſivoglia accidente ricevere alteratione nel loro valore diſcrepante della valutatione di Roma, & eſſendoſi ſopra ciò publicato Editto, e Bando nelle due Legationi Romagna, e Ferrara, in conformità degl' Ordini della Santità Sua. Quindi è, che l'Eminentiſs. e Reverendiſſimo Sig. Card. Farneſe Legato di Bologna, con participatione, e conſenſo de gl' Eccelſi Signori Antiani Conſoli, e de gl'Illuſtriſſimi Sig. Confaloniero di Giuſtitia, & aſſonti ſopra la Zecca; Ordina, e commanda che in queſta città, Contado, e ſua Legatione debba eſſer realmente, e non imaginariamente la lira effettiva del valore, e bontà intrinſeca di due giuli Romani, e coſi debba conſervarſi, mantenerſi, ſpenderſi, e contrattarſi in auvenire ſenza mutatione, ò alteratione alcuna, e che debba eſſere la quinta parte dello ſcudo Romano inalterabilmente, coſi la mezza lira dourà ſempre corriſpondere al Giulio Papale, il quarto di lira al Groſſo, l'ottavo di lira al mezzo Groſſo, & il decimo di lira à due Baiocchi, il Bolognino di valuta di ſei quattrini dourà eſſere la vigeſima parte della Lira, e decima parte del Giulio, & in queſta conformità, e non mai in lire imaginarie: Commanda Sua Eminenza à Mercanti, Negotianti, Contrahenti, Rationali, Computiſti, Giudici, Notari, & ogn'altra perſona di qualſivoglia grado, ſtato, e conditione, Laica, ò Eccleſiaſtica, etiam Regolare di dover contrattare, ſpendere, ricevere, calcolare, giudicare, aſſignare, diſporre, legare, donare, ò partuire tanto nella ſorte, quanto nelli frutti, ſotto pena non ſolo della nullità del contratto, mà ancora della perdita del Danaro, Somma, e Robba contratta, e di ſcudi Cento d'oro, da applicarſi alla Camera di Bologna, Dichiarando, che ſijno compreſi nella medeſima pena non ſolo; Contrahenti, mà anche tutti quelli, che haveranno parte, concorreranno, e conſentiranno nella ſudetta contraventione.

§. 2. Volendo di più Sua Eminenza, che tutti li Banchieri, Bancherotti, Mercanti, Gabellieri, ſiino auvertiti, e particolarmente nelle Monete di lega, & altre tolerate, che non ſiino alterate, e ritrovandoſi tali ne diino ſubito notitia in Tortone, perche ſi poſſino fare le diligenze neceſſarie, ſotto pena della perdita della Moneta, di ſcudi ducento, & altre etiam Corporali arbitrarie etiam della Galera. E perche ſiano meglio oſſervate, & auvertite le coſe ſudette vuole l'Eminenza Sua, che ogni Banchiero, Mercante, Speciale, Beccaro, Fornaro, Lardarolo, & Hoſte, tenga queſto Bando affiſſo ne loro Banchi, e Bottega, ſotto pena di ſcudi cinquanta.

§. 3. In oltre prohibiſce Sua Eminenza al Zecchiero preſente, e che ſarà pro tempore in queſta Città il poter in auvenire battere altra Moneta d'argento, che la ſopradetta, cioè ſcudo da cinque Lire, Teſtoni da una lira, e mezza, lira da due giuli, mezza lira da un giulio, quarto di lira da un groſſo, ottavo di lira da mezzo groſſo, decimo di lira di due Bolognini, di ſei quattrini l'uno, e tutte le ſudette monete douranno eſſere effettive del valore, bontà, e qualità ſopra eſpreſſe. Volendo che gl'Ordini, e Proviſioni ſudette habbiano luogo, e ſijno puntualmente oſſervati anco ne luoghi Baronali, e feudali ſotto le pene in eſſi eſpreſſi.

§. 4. E perche le monete foraſtiere d'argento potrebbero cagionare alteratione di prezzi differenti dalla valutatione Romana: ſtatuiſce l'Eminenza Sua, che le dette Monete non poſſino ſpenderſi, ne valutarſi ſe non ſecondo la Tariffa che ſi darà fuori col ſaggio; e peſo di ciaſcuna di eſſe, & ſecondo il loro vero valore. Auvertendo ogn'uno à non contravenire, perche contro li tranſgreſſori ſi proceder à per inquiſitione ez officio à denuntia, & in ogn'altro miglior modo alla Corte favorevole. Volendo, che il preſente Bando affiſſo, e publicato ne'luoghi ſoliti ſi habbi per legitimamente à ciaſcheduno perſonalmente intimato. In quorum fidem &c. Datum Bononiæ die 13. Auguſti 1659. G. Cardin. Farneſe Legato. Fr. Jo. de S. P. Vex. Juſt. Andreas Gbiſlardus Aſſumptus, Fulvius Bentivolus Aſſumptus, Joannes Luparus Aſſumptus, Cæſar Blanchinus Aſſumptus, Marius Caſalis Aſſumptus. Hinc eſt, quod Nos præmiſſorum omnium, & ſingulorum firmiori robori, & inviolabili obſervantiæ conſulere cupientes.

Confirmat prout in rub.

§. 5. Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris Edictum præinſertum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, & inde ſequutis tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illaque rata, & grata habemus, ac juſſu

Noſtro

Nostro emanasse declaramus, & attestamur, nec non illis omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque tàm ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum præscripto quam aliàs quomodocumque, & qualitercumque etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet quantumvis magnos, ac formales, & substantiales, individuaque mentione dignos defectus si qui in præmissis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent plenissimè supplemus, & sanamus, ac penitus, & omninò tollimus, & abolemus.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, & inserta quæcumque ab omnibus, & singulis ad quos nunc quoquo modo spectat, & spectabit in futurum cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, & Legati de latere potestate, & auctoritate fungantur semper, & perpetuò inviolabiliter, & inconcussè observari debere, neque ipsas præsentes literas etiam ex eo quod quilibet in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, causæque propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, aut verificatæ, & justificatæ non fuerint, seù ex alia qualibet quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet quantumvis substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare posse, sed easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ Nostræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem, Præsidentes, Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, & cæteros quavis auctoritate, & potestate fungentes, & quandocunque functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, & fœl. record. Pii Papæ IV. prædecessoris Nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandi, & registrandi, itaut præsentes litteras ibidem sic præsentari, & registrari numquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum, Oppidorum, Terrarum, locorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum quorumlibet aliisque quibusvis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogotione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Novemb. 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Dat. P. An. 6. die 3. Nov.

CIII.

Firmanorum Magistratus aggregatio.

Edita A. D. 1660.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

CUm (sicut accepimus) dilectus filius noster Flavius Tituli S. Mariæ de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Chisius nuncupatus noster secundum carnem ex fratre Germano Nepos, ac Civitatis Nostræ Firmanæ Gubernator, aliàs, ut inconvenientibus, quæ ex defectu competentis numeri Priorum, & Regulatorum dictæ Civitatis circa administrationem rerum ad eandem Civitatem ære alieno sexaginta, vel circiter millium scutorum gravatam pertinentium proveniebant, pro ea, qua ipsum insignivit Altissimus prudentia, bonique publici studio opportunè provideret, Dilectos filios Franciscum Paccarone, Stephanum Monti, Doctorem, Joannem Franciscum Guerriero, Marcum Antonium Savini, Joannem Philippum Spinucci, Horatium Brancadori, Petrum Simonem Azzolini, Antonium Jacobum Matteucci, Antonium Rodulphum Morrone, Vincentium Porti, Venturam Solimani, & Dominicum Ruffi Magistratui Priorum, necnon Franciscum Paccarone, Stephanum Monti, Nicolaum Sabione, Philippum Montani, Simonem Pacrini, Joannem Evangelistam, Carolum Palmieri, Antonium Jacobum Matteucci, Antonium Rodulphum Morrone, Franciscum Mariam Ricciardi, & Carolum Formichini Magistratui Regulatorum ejusdem Civitatis Firmanæ respectivè aggregaverit; prædictique ejusdem Flavii Cardinalis Gubernatoris mandato, una cum cæteris Prioribus, & Regulatoribus dictæ Civitatis cum assignatione certarum Regionum, eis ab ipso Flavio Cardinale facta respectivè imbussolati reperiantur.

§. 1. Hinc est, quod nos providam ejusdem Flavii Cardinalis in præmissis industriam plurimum in Domino commendantes, eorumdemque præmissorum firmitatis robori, & efficaciæ pro paterno nostro erga Civitatem prædictam, ejusque

Cives supranominatos affectu, consulere volentes, ac eorumdem supranominatorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Confirmatio aggregationem, ut in Rub.

§. 2. Motu proprio non ad prædictorum, aut cujusvis alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine aggregationem supra expressorum, & nominatorum respectivè ad Magistratus Priorum, & Regulatorum dictæ Civitatis Firmanæ à memorato Flavio Cardinale sicut præmittitur, factam, cum eorumdem imbussolatione, & Regionum assignatione hujusmodi, aliisque inde quomodolibet secutis, & secuturis, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti, necnon solemnitatum quarumcumque tàm ex Juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, ac dictæ Civitatis, aliorumque quorumvis Statutorum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, Stylorum, Usuum, & consuetudinum etiam immemorabilium præscripto, quàm aliàs quomodocumque, & qualitercumque in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet quantumvis magnos, ac formales, & substantiales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter vel accessoriè, aut aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi unquam possent, plenissimè supplemus, & sanamus ac penitus, & omninò tollimus, & abolemus.

§. 3. Prætereà eosdem supranominatos, sicut præmittitur, aggregatos denuò, quatenus opus sit memoratæ Civitatis Firmanæ Priores, & Regulatores cum assignatione prædictarum Regionum respectivè, motu, scientia, deliberatione, & potestatis similitudine paribus, creamus, facimus, constituimus, & deputamus, eosdemque cæterorum ejusdem Civitatis Priorum, & Regulatorum numero, & consortio respectivè favorabiliter aggregamus, & adscribimus, Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis omnibus & singulis ad quos quovis modo spectat, in futurum quandocumque spectabit, quatenus supranominatos Priorum, & Regulatorum, Magistratibus hujusmodi sicut præmittitur aggregatos eorumque Succcessores aggregationis, adscriptionis, imbussolationis, & Regionum assignationis hujusmodi effectu, præsentiumque litterarum commodo pacificè frui, sinant & faciant, eosque respectivè recognoscant, ac aliis faveant, pareant, & assistant.

Decretum irritans.

§. 4. Ac decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam, quod prædicti & alii quæcumque cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alia speciali nota & expressione digni existant, illis non consenserint aut ad ea vocati, citati & auditi, seu causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, sive ex alia quacumque quantumvis justa legitima, juridica, & privilegiata causa, colore prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ interesse habentium consensu, aliove quomodolibet, quantumvis magno & substantiali ac inexcogitato, inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui infringi, retractari, ac in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudvè quodcumque juris, facti, vel gratiæ, remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam Motu, scientia & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extrà illud uti seu se juvare posse, sed easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore ac supranominatis, eorumque Successoribus plenissimè suffragari, & ab illis quod spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque & non aliter in præmissis omnibus & in singulis censeri, atque ità per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, alios quoslibet quavis auctoritate & potestate fungentes quandocumque functuros, eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere ac irritum, & inane si secus semper his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Civitatis, & aliis quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Civitati, ejusque Communitati & Hominibus, ac Prioribus ac Regulatoribus, aliisve quibuslibet sub quibusvis verborum tenoribus & formis, ac quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu simili, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illius tenores, formas & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter insertis, servatis & expressis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Novemb. 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto. Dat. P. A 6. die 5. Nov.

Confirmatio dispositionis Testamenti Joannis Pyzzulli de Regina Bisinianensis Diœcesis, nec non Motus proprii Urbani PP. VIII. pro Collegio Fratrum studentium S. Francisci de Paula in Urbe. CIV.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1661.

Ad futuram rei memoriam.

Motus.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Corrector, & Fratres Collegii Sancti Francisci de Paula de Urbe Ordinis Fratrum ejusdem Sancti Francisci Minimorum nuncupatorum, quod dudum q. Joannes Pizzullus in suo ultimo, sub cujus dispositione ab humanis decessit testamento, mandavit ex suis bonis Collegium Fratrum studentium dicti Ordinis, qui in Provincia Calabriæ

Citerioris orti essent in Urbe prædicta erigi, in quo consanguinei familiæ maternæ ipsius Testatoris de Grillis nuncupatæ, usque ad quartum gradum inclusivè, & post hos orti in Terra Reginæ Bisinianensis Diœcesis ejusdem Testatoris patria, & cœteris præferri, ac successivè nati in dicta Provincia Calabriæ Citerioris admitti deberent, sub pœna caducitatis, & aliàs prout in eodem testamento uberiùs dicitur contineri.

§. 1. Et subindè erectum fuit prædictum Collegium S. Francisci de Paula in executionem prænarratæ dispositionis, quam (ut dicti exponentes asserunt) felic. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster per quasdam suas anno Incarnationis Dominicæ 1624. pridie nonas Decembris, sub plumbo expeditas, & motu ejus proprio emanatas litteras confirmavit in quibus ordinatum fuit, ut quidam Fratres dicti Ordinis, & signanter dilectus pariter filius Joannes à Regina ex memorata familia de Grillis descendens, & in prædicta Terra Reginæ natus in eodem Collegio locales perpetui essent.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo dispositio dicti Testatoris necnon prædictæ Urbani Prædecessoris litteræ firmiùs, & inviolabiliùs de cœtero observentur, dicti exponentes opportunè, ut infrà à Nobis provideri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes: supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat ut in rub.

§. 3. Dispositionem dicti Joannis Testatoris à memorato Urbano Prædecessore sicut præfertur confirmatam, necnon prædictas ejusdem Urbani Prædecessoris litteras ab illis, ad quos spectat, in futurum quandocumque spectabit, inviolabiliter observari sub excommunicationis majoris, ac privationis vocis activæ & passivæ pœnis per contraventores eo ipso absque ulla alia declaratione incurrendis auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictorum Collegii & Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 6. die 6. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Novembris 1660. Pontificatus Nostri Anno sexto.

CV.

Constitutio super numero Vocalium pro Comitiis Generalibus Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An D. 1661.

FOelici prosperoque regimini, & Gubernio Congregationis dilectorum filiorum Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum pro commissa nobis cælitus Pastoralis officii cura salubriter quantum cum Domino possumus providere cupientes.

§. 1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & decernimus ut in Capitulo generali eorundem Clericorum Regularium Theatinorum jus suffragandi habeant infra scripti dumtaxat, & non alii videlicet Præpositi Generales tàm pro tempore existentes, quàm officio functi quatuor Consultores & Procurator Generalis pro tempore ex Provincia Galliæ Cisalpinæ, quæ in primam & secundam visitationem dividitur, duo Visitatores, tres Præpositi, & tres Vocales pro qualibet Visitatione: Ex utriusque Siciliæ Regnis quæ in duas etiam Provincias dividuntur; itidem duo Visitatores pro qualibet Provincia; Præpositi quatuor, & totidem Vocales ex Provincia Neapolitana, Præpositi duo & Vocales duo ex Provincia Siciliæ, dummodo ex hac eligantur duo, Visitatores sicuti ex Provincia Neapolitaná ex Hispania unus; ex Gallia Transalpina unus: & ex Romanis domibus unus.

§. 2. Præpositorum quidem electio ad hunc planè modum fiat. Novembri mense Præpositi ad unam è suæ Provinciæ domibus, à Præposito Generali & Consultoribus designandam se conferant. Constituta verò die quæ erit ultima ejusdem mensis, una omnes dato signo conveniant, fusisque de more precibus, de singulis Præpositis suæ Professionis ordine singula habeantur scrutinia; Scrutatores, quæ cuique contigerint suffragia numerent atque in schedula distinctè notent. Tum scrutiniis absolutis, illi censentur ad generale Capitulum electi, in quos majorem eligentium numerum consensisse scrutatores significaverint. Quorum paria fuerint suffragia ex iis professione Senior accedat, si quempiam ex electis Præpositis obire diem suum contigerit, ille subrogatus intelligatur qui majori suffragiorum numero proximè succedit in dicta scrutatorum schedula quæ statim Romam transmittatur Præposito Generali, & Consultoribus eorumdem scrutatorum manu subscripta & obsignata, resignanda videlicet ab eodem Præposito Generali, & Consultoribus, cum subrogatio postulaverit.

§. 3. Præpositi si fuerint legitimè impediti, aliquem è suæ Domus Vocalibus ablegare ad Provincialia hæc comitia possint. Qui Vocalis, si fuerit electus non ipse, sed præpositus, electus censeatur. Quod si è præpositis aliquis neque accesserit ipse, neque alium miserit suo nomine, is passivo in eo Conventu suffragio, ne gaudeat Electus verò ad Comitia generalia mittere, si fuerit impeditus, è suis Vocalibus quem libuerit possit. Qui Conventum hunc Præpositorum convocet curetque, ut ritè omnia peragantur, sit Senior ex Præpositis. Vocalium verò duplex fiat electio; Prior in singulis domibus uti moris est, ad Instituti ac Decretorum formam, intra Italiam quidem die Septembris prima, extra Italiam verò prima Julii posterior, Septembri mense extra Italiam, Novembri verò intra Italiam. Ex Vocalibus electis, scilicet qui in priori Domorum electione renunciati Vocales fuerint, alterum deinde conventum eadem quâ Præpositi die, non eadem domo, sed quam Præpositus Generalis, & Consultores destinaverint, celebrent, atque ad eundem prorsus modum eodemque suffragiorum ritu, quo peracta est Præpositorum electio, fiat Vocalium qui adire Generale Capitulum debent quemadmodum de Præpositis significatum est.

§. 4. Caveant maximè Electores in electione Vocalium, ne quem eligant tàm in prima quàm in secunda electione, qui à Definitorio nondum fuerit ad sacras tùm virorum, tum mulierum confessiones audiendas admissus, nevè in secundo conventu eos, qui prima vice ex Constitutionum præscripto ad utrumque suffragium admissi non fuerint, nisi à die admissionis ad passivam vocem per sex annos eorum virtus probata fuerit. Alioquin electio sit eo ipso nulla absque alia declaratione si quis primæ electionis Vocalis adire ea causa secunda comitia nequiverit, alter juxta

Eligendorum qualitates.

Decreta Ordinis ritè eligatur, qui autem secundæ electionis Vocalis impeditus quavis ratione fuerit, ne ad Generale Capitulum conveniat, illi nemo subrogetur. Porrò in secunda Vocalium electione, senior ex illis, quod de Præpositis dictum est, Patres ritè cogat. Suum peculiare Conventum habeant, Præpositus S. Andreæ Romæ, electus ejusdem domus Vocalis, & electus Domus Quirinalis, qui collatis inter se votis, unum ex se ipsi eligant. Hispaniarum Præpositi, & electi Vocales, suum item constituta die conventum agant, & eodem modo unum ex se ipsis eligant.

§. 5. Similiter Præpositus, & Vocalis electus Parisiensis. Ubi duo tantum fuerint, sive Præpositi, sive Vocales, ii suffragiis ne agant, sed sorte, quod si illorum alter alteri consenserit, illi Capitulum Generale adeundi jus esto. Si fortè in aliquibus Comitiis nemo eligatur, professione antiquiores electi censeantur. Nullus autem de cætero, in Visitatorem eligi possit, nisi postquam creatus fuerit Vocalis utriusque suffragii, septennium ad minus expleverit, totoque eo tempore prudentia, & probatæ vitæ exemplo præstaverit.

§. 6. Sanè in electione Præpositi Generalis, Consultorum, & Procuratoris Generalis, juniores, cæteris paribus, senioribus ne præferantur. Si aliqua oriatur difficultas, aut dubitatio circa prædicta, Præpositus Generalis cum Consultoribus eam declarent, aut interpretentur, ut fit de Constitutionibus. Postremò præcipimus, & mandamus, ut hæ ordinationes ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observentur, & si quis eas impugnaverit, aut eis parere aliqua ex parte detrectaverit, arbitrio Præpositi Generalis, & Consultorum graviter puniatur.

Decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus, præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & domorum Regularium quarumlibet, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus, autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.An.6 die 10. Janu.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Januarii 1661. Pontificatus Nostri Anno sexto.

CVI.

Prohibitio Missalis Gallico idiomate impressi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Vide quartam Regulam Judicis Librorum prohibitorũ in qua prohibetur impressio Librorum Sacrorum vulgari Lingua.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1660. Exordium.

AD aures nostras ingenti cum animi nostri mœrore pervenit, quod in Regno Galliæ, quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes, & Ecclesiasticas Sanctiones ac praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum Latino idiomate longo tot sæculorum usu in Ecclesia probato conscriptum ad Gallicam vulgarem linguam convertere, sicque conversum typis evulgare, & ad cujusvis Ordinis, & sexus personas transmittere ausi fuerint, & ita Sacrosancti Ritus majestatem Latinis vocibus comprehensam dejicere, & proterere, ac Sacrorum mysteriorum dignitatem vulgò exponere temerario conatu tentaverint.

§. 1. Nos, quibus licet immeritis Vineæ Domini Sabaoth à Christo Salvatore Nostro plantatæ, ejusque pretioso Sanguine irrigatæ, cura demandata est, ut spinarum hujusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumque quantùm in Deo possumus, radices succidamus, quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque plurium malorum facilè productricem abhorremus, & detestamur.

Prohibet sub pœna excommunic. latæ sententiæ.

§. 2. Ita Missale prædictum Gallico idiomate à quocumque conscriptum, vel in posterum aliàs quomodolibet conscribendum, & evulgandum Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, perpetuò damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejusque impressionem, lectionem, & retentionem universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ, licet de illis specialis, & individua mentio habenda foret, existant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso jure incurrendæ perpetuò prohibemus.

Præceptum de observando.

§. 3. Mandantes quod statim quicumque illud habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, realiter, & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria igne comburant, & comburi faciant, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Dat. P.An.6. die 12. Janu.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Janu. 1661. Pontificatus Nostri Anno sexto.

CVII.

Confirmatio, & declaratio Constitutionum Apostolicarum de non contrahendo in favorem forensium super bonis in Statu Ecclesiastico consistentibus.

Vide ad Constit. 81. Urb. VIII. Decens, & ad Constit. 3. Innoc. X. In supremo, ubi fusè de hac materia peragitur.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A D. 1660.

Exordium.

UT eâ, qua par est sollicitudine commisso Nobis à Divina Majestate subditorum, Sanctæ Sedis Regimini respondere, ac vigili providentia eorum utilitati prospicere valeamus, ea, quæ à Summis Pontificibus prædecessoribus nostris de non alienandis in forenses bonis stabilibus tam jurisdictionalibus, quam jurisdictione carentibus in nostra Ditione Ecclesiastica sitis providè sancita fuere pari Constitutione duximus innovanda.

§. 1. Siquidem rec. mem. Sixtus PP. V. Prædecessor noster, quo crebriùs subditorum facultates augeren-

Sixtus V. prohibuit ne lo-

ca Ecclesiastica vendecentur.

gerentur, ac ne importuno in exteros transitu suorum diminutæ substantiæ, in alienæ messis cederent fœcunditatem, prohibuit bona quæcumque stabilia seu immobilia sita in statu Ecclesiastico, etiam Oppida, jurisdictiones, feuda, & similia à quacumque persona in quovis statu etiamsi Imperiali, Regali, ac Ducali constituta, ac etiam Ecclesiastica dignitate, & speciali mentione notanda, insignita in quamlibet personam extraneam, Communitatem, Collegium, ac Universitatem, quæ temporali Sedis Apostolicæ dominio subjecta non esset, ullatenus transferri, tàm titulo venditionis, quàm permutationis, donationis, ac locationis supra triennium, necnon in emphiteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi, Apostolica prius non impetrata facultate, sub pœna nullitatis contractuum, aliorumque gestorum. Excepit tamen hujusmodi prohibitoria Constitutione, Census, Officia, loca Montium, Mulierum Dotes, ac ipsam Almam Urbem una cum ejus circuitu ad decem milliaria protendendo, ac simul filios, vel hæredes prædictarum mulierum soluto matrimonio, dummodo exteri fuerint teneri, vel infra triennium sibi in eodem statu domicilium eligere, vel dicta bona in alios præfato statui subjectos transferre civilitatibus, si quæ fuerint derogando, sancivit.

Clem. VIII d. prohibitionem confirmavit.

§. 2. Sed ne hominum calliditas ad subterfugia nimium studiosè, in proclivis prædictæ Sixti Constitutionis leges, nec quidem indirectè posset eludere fel. record. Clemens Papa VIII. dubia quæ imposterum circa ipsam oriri possent explanaturus eandem Constitutionem innovavit, ac decrevit nulli licere, præterquàm Ecclesiasticis Collegiis extra Ecclesiasticum statum positis, nec quidem Universitatibus, Communitatibus, ac quibusvis exteris Principibus stabilia, aliaque bona, & jura quæ pro stabilibus habentur (citra tamen loca Montium, & Officia Romanæ Curiæ) nedum in ejusdem Ecclesiastici status confinio, verùm nec in ipsamet Urbe existentia possidere etiam sub quovis titulo, & contractu præterquam ex causa dotis, necnon ex qualibet dispositione tàm inter vivos, quàm ex Testamentis, Codicillis, Legatis, Donationibus causa mortis, & aliis quibuslibet ultimis voluntatibus sub pœna amissionis bonorum, quæ Camera Apostolica possit ipso jure, ac propria auctoritate vindicare, ac penès se, donec vita taliter disponentium duraverit, retinere, ac insuper privationis officiorum contra ipsos Tabelliones, qui de ejusmodi contractibus sese rogaverint.

Paulus V. fortius communivit.

§. 3. Accessit itidem Constitutio san. me. Pauli Papæ V. Prædecessoris nostri, qua, ut ea, quæ in super enarratis Constitutionibus Sixti V. & Clementis VIII. disposita legebantur Pontificiæ auctoritatis oraculo fortius communiret, easque quominus subverti possent falsis interpretationibus subtraheret, ipsas declaravit, ac jussit facultatem prædictam alienandi in scriptis priùs obtinendam esse, ac inde in ipso actu contrahendi exhibendam penès Notarium falsi pœnam, ac amissionis officiorum Tabellionibus; Privationis verò rei alienatæ contrahentibus injiciens.

Urb. VIII. præfatas literas confirmavit.

§. 4. Quoniam verò nonnullis artificiosè præinventis ad contractuum securitatem cautelis aditus patuerat alienandi, etiam non impetrata à Summo Pontifice congrua facultate fel. record. Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor noster; expositas superiùs literas confirmavit, easque extendi ad bona in confinibus Territorii Baronalis existentia ad Castra demolita, Tenutas, & Prædia etiam non jurisdictionalia, censusq; super hujusmodi bonis impositos, necnon ad jus prælationis illorum vigore resultans declaravit, terminumq; trium mensium successivè præfixit, intra quem unusquisque, qui nulliter contra præfatas Constitutiones contraxerat à gestis recederet, mandans insuper Notariis omnibus, ut infra terminum supradictum in margine Instrumenti abolitionem contractus adnotare tenerentur eisdem pœnis in supradictis Constitutionibus comminatis, eos, si non paruerint, subjiciens.

Omnes facultates alienandi in non subditos renovavit.

§. 5. Ut autem quælibet dolosa conventio, quæ sub palliato dotium constituendarum prætextu in præjudicium Sanctæ Sedis iniri posset, evitaretur, idem Urbanus VIII. recensitas literas Sixti, Clementis, & Pauli innovans, & confirmans easdem ad quoscumque contractus occasione quarumlibet dotium etiam ratione educationis infantium, aliarumque miserabilium personarum per quascumque personas subditas, seu forenses, ac de quibuslibet bonis jurisdictionabilibus nempe, ac non jurisdictionalibus, stabilibus tamen, celebrandos extendit, absque sua, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, pœnamq; adjecit privationis eorumdem bonorum ad favorem Cameræ, vel alterius inferioris Ecclesiæ, à qua contrahentes illa recognoscerent, omnesque facultates alienandi in non subditos, acquirendi, ac domicilii non constituendi in Statu Ecclesiastico illuc usque contra præfatas Constitutiones concessas revocavit.

§. 6. Et cum quò ferventiùs dd. Prædecessorum cura novis, ac iteratis Constitutionibus inconcussæ studeret observantiæ, eò callidiora nonnullorum versutia germanum earumdem intellectum invertendo, suscitaret inventa, quibus sese tutò reciperent, ac quomodolibet cum forensibus, ac exteris impunè contraherent, speciosa palliatione, beneplacitum Apostolicum reservando, seu aponendo clausulas (quatenus non obstent Apostolicæ Constitutiones, ac ex nunc pro tunc quando cessaverint earum obstacula, & non aliàs, aliter, nec alio modo) & alias formulas, & clausulas adhibendo, quibus eorum consensus conditionaliter tantùm exhiberetur, rec. mem. Innocentius PP. X. Prædecessor noster approbatis, & innovatis dd. Prædecessorum Constitutionibus, eas pariter ad contractus initos cum reservatione beneplaciti Apostolici, ac cum clausulis, quatenus non obstent &c. quomodolibet inducentibus, ac jurium cessiones super stabilibus extendit, necnon etiam ad contractus celebratos (cum relatione ad minutas, & scripturas penès contrahentes existentes) & per Procuratorem, aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis etiam cum decreto Judicis, vel per aliam quantumvis privilegiatam personam cujuscumque dignitatis, ac speciali nota recensendam, vel denique quovis juridicarum solemnitatum apparatu præmunitos, cunctosque ita contrahentes pœnis in supradictis Constitutionibus inflictis mulctandos decrevit, licentiamque in scriptis super hujusmodi contractibus implorandam à Romano Pontifice, ac in eadem serie contractus explicandam esse declaravit, derogans cuicumque civilitati, seù Privilegio, Indulto, aut Decreto Civilitatis, quolibet titulo etiam oneroso, ac sub quavis amplissima verborum structura concessæ; subdens præterea simplicem domicilii electionem apud acta publica nequaquam suffragari, sed opus esse, ut privilegio incolatus quoad præmissa quis uti possit verè, & realiter domicilium in Statu, vel Urbe prædictis in perpetuum, & animo permanendi constituere. Et cum præjudicium Sanctæ Sedis æquè immineret si bona propè Urbem consita dd. Constitutionibus supposita nullatenus remaneant, idcirco sub eisdem quæcumq; Casalia, Tenutas, & Pedicas sive jurisdictionalia, sive non ultra quatuor ab eadem Urbe milliaria comprehendi mandavit. Insuper, ut eò magis dd. Constitutionum observantia firmata remaneat, ultra eas per dd. Prædecessores comminatas, addidit pœnas confiscationis bonorum prædictorum, vel eorum pretii, aut ejus quod erit loco pretii, sive solutum fuerit, sive promissum, & destinatum

Innoc. X. contractus initos cum reservatione beneplaciti Apostolici prohibuit.

Bona propè Urbem consita dd constitutionibus supposuit.

& inte-

& interim ad cambium, vel sub alio interusurio penes contrahentes, vel alios relictum, si absque prædicta præcedente licentia in favorem forensis quoquomodo illorum Dominus absolutus fuerit. Sin verò hujusmodi bona fideicommisso, vel Primogenituræ, aliivè restitutioni supposita fuerint, tunc durante vita tantùm contrahentis ad Cameram, vel Ecclesiam à qua prædicta bona recognoscerentur spectare decrevit, sivè Contractus à Tutore, vel Curatore, vel alio quolibet administratore celebratus fuerit, pœnasque ad arbitrium sui, vel pro tempore existentis Pontificis, eos, qui taliter nomine alieno contraxerint, vel consensum qualitercumque præstiterint constituendas reservavit, revocans quascumque licentias contrahendi favorem forensium absque Romani Pontificis facultate usque illuc quomodolibet concessas.

Terminum trium mensium transgressoribus indicit.

§. 7. Successivè autem cunctis, qui contra tenorem dd. Constitutionum de facto contraxisse reperiantur terminum trium mensium, citra tamen præjudicium Cameræ quod pœnas vigore earum incussas præfixit, quo temporis spatio uni cuique liceret, quod taliter gesserit retractare, ac in pristino statu, quo ante conventionem erant singula reponere, eoque elapso, ac contractibus hujusmodi non abolitis ad Cameram bona prædicta pertineant, injungens simul Notariis quibuslibet, ut Instrumenta omnia super præmissis per eos confecta exhibere, ac revocationem gestorum omnium in eorumdem margine designare teneantur, loca autem Montium, & Officia Romanæ Curiæ, uti nec suorum Prædecessorum subjecta remansere Constitutionibus, ita pariter ab eisdem exempta fore, nec comprehensa censeri confirmavit.

Bona à Forensibus acquisita restituenda.

§. 8. Verum quia ad nostram notitiam devenit complures forenses præmissis nullatenus attentis bona tam feudalia, quàm allodialia cum jurisdictione, & sine in nostro Statu Ecclesiastico sita nihilominus possidere, eosque forsan à tenore supradictarum Constitutionum recedendo contraxisse, Nos cuncta quæ à præfatis Prædecessoribus nostris, & Subditorum utilitati, ac nostri Status uberiori incremento consulerent salubriter sancita fuere, pristinæ restituere observantiæ, eisque firmiora fulcimenta parare, eaque omnia, & singula, quæ prædictis ullatenus valeant adversari, etiam si de necessitate exprimenda forent è medio tollere cupientes prædictarum Constitutionum, ac omnium contrariorum quoquomodo directè, vel indirectè adversantium, & aliorum quorumcumque de jure exprimendorum tenores, ac series, ac si de verbo ad verbum inserti fuissent pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes.

Mandat observantiam præfatarum constitut.

§. 9. Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione, Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. ac Innocentii X. Prædecessorum Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta, & expressa etiam forsan desuper non enunciata confirmamus, & approbamus, ac inviolabiliter in omnibus, & per omnia observari decernimus, & mandamus.

Abrogat omnes facultates contrahendi in favorem forensium.

§. 10. Atque, ut singula in eisdem Constitutionibus expressa plenius executioni demandentur, hac in parte etiam eorumdem prædecessorum vestigiis inhærentes omnes, & singulas facultates, licentias, ac Indulta quæcumque super quibusvis bonis stabilibus, Tenutis, Tenimentis, ac locis, tam jurisdictionalibus quam jurisdictione carentibus sive sint feudalia, emphyteutica, & livellaria, sive allodialia in quocumque loco Status nostri Ecclesiastici consistentia, contrahendi, necnon illa etiam retinendi, & non habitandi in Urbe, seù nostro Statu Ecclesiastico à Prædecessoribus nostris, vel à nobis in favorem forensium cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, ac præeminentiæ, tam laicalis quam Ecclesiasticæ etiam motu proprio, & sub quibusvis clausulis, & cautelis, derogatoriis, ac derogatoriarum derogatoriis, & revalidatoriis, necnon reintegratoriis in pristinum statum validum quomodolibet qualitercumque, & quomodocumque concessas, & impartitas, ac concessa, & impartita penitus, & omninò revocamus, annullamus, & abolemus, ac pro revocatis, annullatis, & abolitis haberi volumus, & mandamus.

Illi qui contraxerunt, in Statum Ecclesiasticum redire debeāt.

§. 11. Cæterum quoad eos, qui hactenus contraxerunt, & bona prædicta retinuerunt, & possident vigore licentiæ à Prædecessoribus Nostris, vel à nobis obtentæ opportuno curantes occurrere consilio unumquemque ad illam re ipsa exhibendum in actis dilecti filii Francisci Lucarelli Notarii Cameræ Nostræ infra tres menses à die publicationis præsentis nostræ Constitutionis in hac Urbe faciendæ adstringimus, & obligamus, necnon infra eumdem terminum ad Urbem, ac Nostrum statum respectivè venire, ac respectivè redire ibique verè, ac cum effectu Domicilium animo, ac proposito non recedendi ampliùs perpetuóque cum familia manendi realiter constituere, prout etiam in eisdem dictorum nostrorum prædecessorum Constitutionibus præcipitur sub pœnis in illis respectivè contentis, volumus, & mandamus.

Decretum irritans.

§. 12. Decernentes sic, & non alias per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditores, ac Gubernatores illorumque Locumtenentes, necnon Camerarium nostrum aliosque S. R. E. Cardinales etiam de latere Sedis Apostolicæ Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes, & jurisdictione pollentes etiam Cameram ipsam, & clericos ubique, & in quavis instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & diffiniri debere, ac irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præceptum de observ.

§. 13. Injungentes, & mandantes eisdem Legatis, Gubernatoribus, & Judicibus in toto Statu nostro Ecclesiastico nunc, & pro tempore existentibus, & eorum cuilibet, ut confirmationem, revocationem, & obligationem nostras hujusmodi, aliaque in præsentibus literis contenta ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit etiam per censuras Ecclesiasticas aliaque opportuna juris, & facti remedia firmiter, & inviolabiliter observari faciant.

§. 14. Non obstantibus omnibus quæ prædicti Sixtus, Clemens, Paulus, Urbanus, & Innocentius prædecessores in dictis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 15. Volumus autem quod præsentes postquam Valvis Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon in Acie Campi Floræ affixæ, & publicatæ fuerint, quoscumque tam in Romana Curia, & Statu prædicto, quam extra eos existentes perinde obligent, & arctent, ac si unicuiq; eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent, cum verisimile non sit id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 16. Volumus insuper quod earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc

paginam

paginam nostræ confirmationis, approbationis, mandati, revocationis, annullationis, abolitionis, adstrictionis, obligationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An.6. die 17. Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1660. 17. Kal. Februarii Pont. nostri anno sexto.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1661. Indictione 14. Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus sexto, die verò 22. mensis Januarii supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, per me Jacobum Cornelium Apost. Curs.

Pro Mag. Curs. Hilarius Centellius Apost. Curs.

CVIII.

Jubileum Universale ad implorandam Divinam opem contra Turcas.

Jubilea hujusmodi indixere Innoc. X. Constit. 1. Immensæ hic Pont. Constit. 1. Unigenitus, & 23. E suprema.

ALEXANDER PAPA VII.

Idita An.D. 1661.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

EX quo humilitatem nostram in excelsa Sedis Apostolicæ specula collocavit Altissimus nihil quidem (quantum divina bonitas dedit) prætermisimus quo immanem Turcarum Tyranni Ditiones Reipublicæ Venetorum sævissimo bello jam dudum infestantis ferociam retunderemus. Nunc verò cum idem Tyrannus expugnata contra fidem publicam Arce Varadini, quæ erat validissimum Hungarici Regni propugnaculum, impetum in citeriores Provincias ingenti apparatu meditari, & adornare, miserrimasq; clades universæ Reipublicæ Christianæ minitari videtur, Pontificia sollicitudo nostra ad opponendum nos tanquam murum pro domo Dei ardentiori zelo stimulatur. Et quamvis omnia humanæ industriæ opisque consilia, & auxilia alacri studio pro viribus expromere, & procurare non desistamus, omnem tamen spem in Domino collocamus: confidentes si deposita per veram pœnitentiam sarcina peccatorum, immensam ejus misericordiam unanimes imploremus, auctisque per eleemosynas, & jejunia viribus orationis, ad eum supplici, concordique voce clamemus, fore ut obliviscatur iniquitatum nostrarum, quibus ejus iram provocavimus, & Christianæ Religionis hostium vires conterat potentia virtutis suæ. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Fideles ad orandum hortatur.

§. 1. Hoc autem ut majori fructu, ferventiorique spiritus ardore peragatur, ex veteri Romanæ Ecclesiæ omnium matris, & magistræ more ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores Nos constituit Deus, in præsentibus necessitatibus proferre, & largissima manu erogare decrevimus. Itaque ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles tam in alma Urbe nostra, quàm extra ubilibet locorum constitutos Apostolica auctoritate paternè requirimus, monemus & in Domino adhortamur ad infrascripta devotè peragendum, & adimplendum, & ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ Fidem Catholicam protegere, & defendere, illiusque hostium conatus, & vires reprimere, & conterere; Principum Christianorum pacem, & concordiam conservare, eorumq; corda illuminare, & vires ad Christiani nominis tutelam, & exaltationem unire, augere, & roborare, atque omnium nostrum piis conatibus opitulari dignetur.

Preces & opera pietatis præscribit.

§. 2. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusq; sexus Christi fidelibus in alma Urbe degentibus, qui S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, seù Basilicas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta Feria, ac Sabbatho alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die infra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint ac pauperibus aliquam eleemosynam prout unicuique suggeret devotio, vel possibilitas, erogaverint.

Extra Urbem facienda decernit.

§. 3. Cæteris verò extrà Urbem ubicumq; degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seù Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ubique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die infra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem nostri Prædecessores concedere consueverunt, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Ad quid tenentur navigatores, & iter agentes.

§. 4. Navigantes verò, & iter agentes ut cum primum ad sua sese domicilia receperint suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant.

Regularibus concedit.

§. 5. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quàm Ecclesiasticis sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seù alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seù approbandis ab eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Confessoris electionem permittit.

§. 6. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam laicis, quam Ecclesiasticis, sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis Congregat. & Instituti, tam in Urbe prædicta quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem

ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seù inflictis, necnon ab omnibus peccatis excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant.

Votorum commutatio. §. 7. Et insuper vota quæcumque (religionis & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Jubilari Jubileum præcipit. §. 8. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, &c. quibuscumque Ordinariis locorū ubicumque existentiumeorumque Vicariis, & Officialibus, vel illis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seù Ecclesias visitandas designent, ne aliàs ulterius præsentium litterarum executio protrahatur.

Suam mentem declarat. §. 9. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seù inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seù habitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ neque etiam easdem præsentes iis qui à nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seù judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis derogat. §. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon Regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium etiam juramento confirmatione Apost. vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum enores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 11. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant; volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P An. 6. die 2. Martii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 2. Martii 1661. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, Indictione 14. die vero 2. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus sexto, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Andream Castruccium Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Carolus Melanus Curs. Mag.

CIX.

Indictio sex Decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum, Beneficiorum, & Pensionum in universa Italia, & Insulis Italiæ adjacentibus.

Vide ad Constit. 160. Urbani VIII. Suprema dispositione, in qua consimilem indictionum sex Decimarum invenies.

ALEXANDER EPISCOPUS

Edita A.D. 1660.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium. CUm Divina, æternaque illius providentia, cujus nutu universa, ac singula in hac Mundi machina reguntur. Nos impari licet merito ad eminentem Apostolicæ dignitatis speculam clementissime erexerit, ea inter nostras præcipua, maximaque sollicitudines animo obversatur, quæ potissimum totius Christiani Orbis discriminibus antevertendis incumbit.

Motiva hujus Constit. §. 1. Hinc factum est, ut clarissimæ Venetorum Reipublicæ, varia per tot Annos fortuna Barbarorum impetus tam Mari, quam Terra strenue sustinenti ab initio Pontificatus Nostri, præter expensas in Triremium nostrarum classe singulis quibusque Annis in Aegeum Mare trajicere jussa instruenda erogatas, præterque auxiliares copias jam dudum in Illyrium transmissas indulgentissimè etiam Ecclesiasticas super ejus dominii Clerum sex Decimas, seù subsidia ad summam centum millium aureorum annuatim per sexennium ascendentes, seù ascendentia ultrà emolumenta, ac bona Conventuum ibidem suppressorum, concesserimus.

§. 2. Verum quia ab Infidelibus nondum armis temperatur, sed eorum exercitus nuper Transilvaniam adorti, Varadino, aliisque Oppidis expugnatis audaciores circumferuntur, & majora in inclitæ Germaniæ, ac Dalmatiæ, & utrique confinium Provinciarum populos immaniori militum vi moliuntur. Nos ideò paterna commiseratione commoti multis antea precibus effusis, ut exurgente Domino dissipentur inimici ejus Charissimo in Christo filio Nostro Leopoldo Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo enixè à Nobis pro Hungarici Regni sui, quod undique impiorum Arma circumsonant defensione con-

silium,

filium opes, & auxilium flagitanti ſuppetias ferre decrevimus.

§. 3. At cum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ proventus expenſis quas prædiximus aliiſque ſummoperè attritos in præteritæ famis ac peſtis neceſſitatem ſubditorum commodo adeò pietas profuderit, ut ad ea præſidia comparanda quæ Turcarum bello non ſolum repellendo, verumetiam illis inferendo, amiſſiſque Deo adjuvante recuperandis impares reperiantur, cogimur exemplo Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ad aliarum Eccleſiarum peculium, quæ Domini patrimonia ſunt animum convertere, ſperamuſque in cauſa quæ Dei eſt, & pro qua ſanguinem effundere nemo fidelium recuſaret, omnes libentiſſimè ac certatim contributuros.

[Im]ponit De[ci]mas prout [i]n rubr.

§. 4. Habita igitur ſuper hoc cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem conſilio & aſſenſu indicimus, & imponimus ſex integras Decimas omnium & quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, diſtributionum quotidianarum emolumentorum ordinariorum & extraordinariorum omnium & quarumcumque Patriarchalium & Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum ac Parochialium, aliarumque Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum & Conventuum, ac etiam Menſarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum Dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & Officiorum Capellaniarum, cœterorumque Beneficiorum & bonorum Eccleſiaſticorum etiam Jurispatronatus Laicorum tàm ex privilegio, quàm ex fundatione & dotatione, vel alio quocumque titulo cum cura & ſine cura Sæcularium, & Sancti Benedicti, Sancti Auguſtini, Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Præmoſtratenſis, Sancti Baſilii, & qui proprietates, redditusſque certos, ex privilegio, vel alias poſſident Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriuſque ſexus, necnon Caſſinenſis alias Sanctæ Juſtinæ de Padua, Carthuſienſis, Latheranenſis, Montis Oliveti, Camaldulenſis, Sancti Salvatoris, Valliſumbroſæ, Sancti Georgii in Alga, Cæleſtinorum, Ciſtercienſis in Longobardia Sancti Hieronimi, Silveſtrinorum, ac Clericorum Regularium Societatis JESU, aliarumque Congregationum, Societatum, & inſtitutorum Regularium exemptorum, & non exemptorum, & inſuper Hoſpitalium etiam Pauperum hoſpitalitatem non exercentium, ſeu bona & redditus ultrà Infirmorum neceſſitates, & alia pro quibus inſtituta ſunt pia officia exercenda poſſidentium, necnon Beatæ Mariæ Theuthenicorum, Sancti Lazari de Altopaſſu, Templi Dominici, & aliarum militiarum in univerſa Italia, & Inſulis Italiæ adjacentibus conſiſtentium ſecundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum præfatorum, niſi aliter cum Sede, & Camera Apoſtolica fuerit concordatum (S. R. E. Cardinalibus qui præteritis Annis tam prompta, & ſpontanea liberalitate præſertim in duorum Navigiorum expeditione opulentum ſubſidium Reipublicæ prædictæ præſtiterunt, ob aſſiduos, magnoſque labores, quos Eccleſiæ univerſali impendunt, & graviſſima quæ tuendæ dignitatis cauſa ſubſtinent onera ac dominio præfatæ Reipublicæ Venetæ, & Militia Sancti Joannis Hieroſolymitani ob cauſas antedictas, & bella quæ pro ſua, Chriſtiani Orbis tutela adverſus Turcas præfatos ſemper gerunt, & pro quibus alienis continuò indigent auxiliis dumtaxat exceptis.

§. 5. Ac etiam indicimus, & imponimus ſex ſimiles Decimas omnium & quarumcumque penſionum annuarum ſuper fructibus redditibus, proventibus, juris obventionibus, emolumentis, & diſtributionibus ſupradictis, ſive earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac diſtributionum hujuſmodi (ſtatu Veneto ut præfertur excepto) in favorem quorumcumque (non tamen Cardinalium prædictorum, reſervatarum, & aſſignatarum, ſeù tranſlatarum aut reſervatorum, & aſſignatorum, vel tranſlatarum, ac reſervandarum & aſſignandarum, ſeu transferendorum aut reſervandorum, & aſſignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas & levandas ab omnibus quibuſcumque Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac cæteris cujuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis, militiæ, & conditionis perſonis infraſcripto Decennio durante præfata quocumque jure & titulo obtinentibus, & obtenturis ac reſervata & aſſignata, ſeu tranſlata habentibus ſeu habituris, necnon Oeconomis, adminiſtratoribus perpetuis, & temporalibus uſufructuariis, ac fructus, penſiones, res, & alia hujuſmodi jura ex quacumque cauſa ſibi Apoſtolica auctoritate in toto, vel in parte reſervata, ſeu tranſlata habentibus & habituris Sæcularibus & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum & Hoſpitalium (non tamen Sancti Joannis Hieroſolymitannenſis) præfatorum, necnon ab ipſis Eccleſiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hoſpitalibus, Militiis, Menſis, Maſſis, & locis quocumque privilegio & exemptione reali, perſonali, mixta antiqua, & immemorabili, pacifica & continuata ſuffultis.

Decimæ per decennium ſunt ſolvendæ.

§. 6. Quas omnes Decimas prædictas ſolvere obligatos, ut præfertur eaſdem infra Decennium proximum decem æqualibus ſolutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem feſtum Dedicationis S. Michaelis Archangeli Menſis Septembris proximè futuri, & ſucceſſivè pro reliquis novem ſolutionibus, ſingulo quoque anno ratam partem intra feſtum hujuſmodi cujuſlibet Anni immediatè uſque ad totalem ſolutionem in Cameræ prædictæ, & illius Depoſitario Generali ad id conſtituendo omninò volumus perſolviſſe. Ejuſdem verò depoſitarii munus erit ſedulò curare, ut quidquid pecuniarum ex Decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter aſſervetur de mandato noſtro ſpeciali in præfatos uſus dumtaxat, nec alias erogandum.

Pœnæ contrà non ſolventes.

§. 7. Quicumque verò decimas hujuſmodi nullo modo, vel non integrè ſcienter, aut non ſecundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede & Camera prædictis, ut præfertur ineundam, ſive in terminis conſtituendis non exhibuerint, ſeu in illorum exhibitione malitiam commiſerint, vel fraudem, ſi Eccleſiarum Antiſtites fuerint, ſuſpendimus à divinis, Capitula verò Conventus, Congregationes, Societates & Collegia Eccleſiaſtico interdicto ſupponimus, ac ſingulares perſonas Antiſtite inferiores excommuncationis ſententia innodamus.

§. 8. Cæterum ad prædictas Decimas conſequendas præcepimus etiam omnibus conductoribus, cenſuariis & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum & jurium prædictorum etiam hujuſmodi penſionibus oneratorum, ut utraſque Decimas nomine Dominorum, ac penſionariorum ad computum ſuæ quiſque locationis omnibus verò poſſeſſoribus, & uſufructuariis, aliis penſiones, ſeu fructus aliaque prædicta ſolvere debentibus, ut ipſi etiam Decimas penſionum hujuſmodi nomine penſionariorum Cameræ & Depoſitario prædictis integrè perſolvant. Decernentes Decimas fructuum, reddituum, proventuum aliorum jurium prædictorum ſecundùm verum valorem annuum, vel ſaltem juxta taxam, de qua cum Venerabili Fratre noſtro Antonio Epiſcopo Tuſculano Cardinale Antonio Barberino, nuncupato

S. R. E. Camerario, & dilecto filio nostro, & Cameræ prædictæ Thesaurario generali (quibus etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum prædictorum fructus hactenus non taxatos, taxandi, & taxam in libris Cameræ Apostolicæ describi faciendi, necnon taxas antiquas, si opus fuerit juxtà verum fructuum valorem augendi licentiam, facultatem, potestatem, & auctoritatem plenariè concedimus, & impartimur) ut præfertur concordaverint, alias verò pensionum Decimas ad rationem decem pro centenario præstari debere, & secundum ea prædictos omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque decimarum Procuratores à quibus libuerit integrè exigendi, optionem facultatemque habere neque ullas immunitates, & exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis juris, concordiæ conventionis, aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione quocumque modo & sub quibuscumque verborum expressionibus etiam à Decimis, seu quibusvis aliis impositionibus, etiam pro expeditione tàm offensiva, quàm defensiva contra Turcas & alios Infideles, & Hæreticos, seu ex alia quavis quantumvis legitima & rationabili, ac necessario, & de necessitate exprimenda causa etiam in favorem Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, seu aliorum quorumcumque Principum, ac procuratorum, & Sedis Apostolicæ necessitatibus, seù aliàs canonicè, vel de facto impositis, & pro tempore imponendis, etiam per nos concessas, & interim concedendas integram solutionem hujusmodi minuere vel impedire, neque possessores usufructuarios, aut alios pensiones, seù fructus hujusmodi solvere debentes, etiam si ipsi juri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, aut retinendæ portionis, & ratæ partis pensionarios contingentis jurejurando renunciaverint, atque ex forma dictæ Cameræ amplissima caverint modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse, sed pensionarios, & fructuum hujusmodi reservatarios ad Decimarum prædictarum onus subeundum omninò teneri. Omnes verò confessiones, ac quietantias receptionis Decimarum à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ, tàm conductoribus, censuariis & locatoribus nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis necnon possessoribus usufructuariis, & aliis pensiones seu fructus solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas perindè valere, atque in judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac ipsismet principalibus & pensionariis, præsentibus, & solventibus, factæ, & exhibitæ fuissent.

§. 9. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitimè anticipaverint, locationem suam hujusmodi, quam ad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius etiam adveniente successore continuare debere. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Constituit generales Collectores.

§. 10. Ut autem omnia prædicta sicut causa urgens postulat diligenter, & fideliter executioni demandentur Antonium Cardinalem, & Episcopum, ac Camerarium, & Thesaurarium prædictos insolidum quorum integritas, fides atque experientia jam pridem nobis perspecta est, & nota devotio generales omnium Decimarum prædictarum Collectores in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus, ac juribus, quæ omnes alii ante hac hujusmodi Collectores habuerunt auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & deputamus, eisque plenam, liberam & absolutam facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine procurandi prædictos omnes tàm conjunctim, quàm divisim ad illarum integram solutionem ut prædictum est faciendam etiam per edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi, non parentes, fraudantes, & cœteros contumaces in censuras & pœnas prædictas incidisse servata forma Concilii Tridentini declarandi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum etiam manu regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi contradictores, perturbatores, & rebelles quoscumque eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè quovis quæsito colore præstante cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint prædictis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis necnon pecuniariis, cæterisque juris & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiarum apponendi, auxiliumque brachii sæcularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem verò reversos qui debitè satisfecerint ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, super irregularitate forsan incursa, dummodo tamen in contemptum clavium non celebraverint, dissipandi, & ad pristinum statum omninò restituendi.

Collectores, & Subcollectores solertes sint.

§. 11. Prætereà Collectores, & Subcollectores viros utique providos, ac fide & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi quotquot viderint expedire cum simili vel limitata non tamen absolvendi potestate constituendi, eumque, vel eos eorum arbitrio revocandi negligentes, & morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi quotiescumque eis videbitur ac ab eis eorumque hæredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi modos & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcumque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcumque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum, ea tamen conditione adjecta, quod Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem seu substitutionem de eorum personis, ut præfertur faciendam nullo modo censeantur exempti à solutione sex Decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum solvere debebunt.

Contrariis derogat.

12. Non obstantibus piæ memoriæ præsertim Pauli III. ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quod Clerici Regulares Societatis JESU à solutione Decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac Pii V. duodecim Congregationibus præfatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum de una & in Concilio generali edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum & locorum prædictorum juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus etiam in corpore juris clausis, immu-

nitatibus, litteris Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus, Regularibus Locis, Capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis tam Sæcularibus, quàm Regularibus generaliter, vel specialiter sub quacumque forma, & verborum expressione ab eadem Sede etiam ex causa concordiæ, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut aliàs ex qualibet alia causa etiam hîc non expressa, & necessariò exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 13. Quodque si Prælatis, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim à præfata sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, necnon personis, earumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, ac locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere, vel in specie quandocumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem Decimarum alias, quam secundùm antiquam taxam, & nisi in Universali Decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas, quoad præmissa contra quæcumque locum habere similiter declaramus, aliisque indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscumque tenoris existant per quæ præsentibus non expressa, aut omninò non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis: quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum si quæ sint factis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Quænam pignorari non debent.

§. 14. Insuper in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem recol. mem. Clementis Papæ V. similiter prædecessoris nostri in Concilio Viennen. editam, quod Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quanticumque valoris beneficia Ecclesiastica, seù plures pensiones, aut fructus, seù talia mixtim obtinens pro littera, & sigillo quietantiæ universalis, si illam habere voluerit ultra unum Carolenum conficientem quattrenos triginta septem monetæ Romanæ solvere teneantur, nec ad aliud onus etiam prætextu cambii uspiam compellatur.

Pœnæ contra usurpatores.

§. 15. Cæterùm volentes illos, quos Dei timor à malo non revocat, saltem formidine pœnæ, & publica disciplina compescere omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint etiamsi pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis Decimis aliquid usurpare, seù subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seù Pensionum per eos obtentorum ut præfertur retinere, aut in illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere malitiosè præsumpserint, interdicimus à divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum, quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda sententias, censuras, & pœnas incurrere volumus ipso facto, itaut ab eadem excommunicatione ab alio, quàm Romano Pontifice, aut in mortis articulo absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Transumptorum fides.

§. 16. Quia verò difficile nimis esset præsentes litteras ad singula quæque, & quocumque illis opus erit perferre; volumus ut illorum exemplis etiam impressis, & Notarii publici manu, ac Antonii Episcopi, & Cardinalis, ac Camerarii præfati, aut Thesaurarii, seu alterius ab eisdem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiarum, ejusve Curiæ sigillo obsignatis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Ut autem præsentes ad communem notitiam deducantur eas Valvis Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranen. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut ii quos præmissa contingunt quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seù ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 17. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam indictionum, & impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, Decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti nostrorum infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum, Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverint incursurum.

Dat. P. A 6 die 24 Mar.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo Nono Kal. Martii, Pontificatûs nostri Anno sexto.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†

† Ego Franciscus Episc. Portuensis Card. Barberinus S. R. E. Vicecancellarius.

† Ego Bernardinus Episcopus Prænestinus Card. Spada.

† Ego Julius Episcopus Sabinen. Cardinalis Sacchettus.

† Ego Martius Episcopus Albanensis Car. Ginettus.

†

†

†

† Ego Heronymus tituli S. Laurentii in Lucina Card. Columna.

† Ego Jo. Baptista tit. S. Mariæ Transtiberim Cardinalis Pallottus.

†

† Ego Uldericus tit. Sancti Petri ad Vincula Card. Carpineus.

† Ego Marcus Anton. tit. S. Mariæ de Pace Card. Franciottus.

† Ego Steph. tit. Laurentii in Pane Perna Card. Duratius.

†

† Ego F. Vincentius Maculanus tit. S. Clementis Card. S. Clementis.
†
†
† Ego Hieronymus tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Card. Grimaldus.
†
† Ego Angelus tit. Quirici, & Julittæ Cardinalis Georgius.
† Ego Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum Card. Ludovisius M. Pœnitent.
†
† Ego Federicus tit. Sanctæ Anastasiæ Cardinalis Sfortia.
† Ego Benedictus tit. Sancti Honuphrii Cardinalis Odescalcus.
†
† Ego Camillus tit. S. Petri in Monte Aureo Cardinalis Astallius.
†
† Ego Aloysius tituli S. Alexii Card. Homodeus.
†
† Ego Jacobus tit. Sanctæ Mariæ Traspont. Presbyt. Card. Corradus.
† Ego Laurentius tit. S. Crisogoni Cardinalis Imperialis.
† Ego Gibertus tit. SS. Joannis, & Pauli Cardinal. Borromæus.
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Card. Santacrucius.
† Ego Baccius tit. SS. Nerei, & Achillei Card. Aldobrandinus.
† Ego Jo. Baptista Spada tit. S. Marcelli Cardinal. S. Susannæ.
† Ego Franciscus tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Albitius.
† Ego Octavius tit. S. Ceciliæ Card. de Aquaviva.
† Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Cardinalis Chisius.
†
†
† Ego Julius tituli Sancti Sixti Cardinalis Rospigliosus.
† Ego Nicolaus tit. Sancti Eusebii Card. à Balneo.
†
†
† Ego F. tit. S. Jo. ante Port. Latinam Cardinal Paulutius.
† Ego Sfortia tit. S. Salvatoris de Lauro Cardinal. Pallavicinus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Virginius S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. Ursinus.
† Ego Rainaldas S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Cardinalis Estensis.
†
† Ego Paulus Aemilius S. Mariæ Cosmedin Diaconus Card. Rondininus.
†
† Ego Laurentius S. Eustachii Diac. Card. Raggius.
†
†
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Carolus Barberinus.
† Ego Carolus S. Mariæ in Dominica Diaconus Card. Pius.
†
† Ego Decius S. Adriani Diaconus Cardinalis Azzolinus.
†
†
† Ego Franciscus Maria SS. Viti & Modesti Diac. Card. Mancinus.
†
†

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1661. Indictione 14. Die verò 30. mensis Aprilis Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno septimo, præsentes litteræ Apost. lectæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen. & Principis Apost. de Urbe, & Cancellariæ Apost. per Nos Petrum Paulum Desiderium, & Gregorium Staggium prælibati Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Laurentius Barbigionus Curs.

Confirmatio, & innovatio literarum Clem. VIII. & Pauli V. contra Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini conquirentes dignitates in eadem Religione ad requisitionem personarum extra Ordinem constitutarum. CX.

Ambitum hujusmodi Fratribus prohibuit Paulus V. Constitut. 48 & ferè omnes Religiones habent hanc prohibitionem, ut videri potest in Repertorio, verb. Ambitus.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1661.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admonet Nos suscepti cura regiminis Universalis Ecclesiæ, ut illa, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pro fœlici Christi fidelium, qui abnegantes semetipsos Altissimi obsequiis sese sub suavi religiosæ humilitatis jugo mancipatunt, directione, & quiete salubriter constituta esse dignoscuntur, quo serventur in posterum exactiùs, innovemus, & Apostolicæ confirmationis nostræ munimine constabiliamus.

Const. Clem. VIII.

§. 1. Dudum siquidem à fel. record. Clemente Papa Octavo Prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris, qui sequitur, videlicet, Clemēs Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus à Deo tamquam Aaron, & à regularis vitæ instituto valdè alienum est, ut Religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus sanctitate vitæ, ac aliis Religiosis virtutibus potiùs promereri, quàm appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptosq. humiliter administrare decet; mendicatis sæcularium præsertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesia Dei pernicies adferri solet. Nos qui pro nostri muneris debito in hoc potissimum laborare non desistimus, ut Ecclesiastica regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo oportunum remedium adhibendum censuimus.

Motiva hujus Const.

§. 2. Cum itaque sicut accepimus, quidam in Ordine Eremitarum S. Augustini Professionis, & regulæ, quam professi sunt: penitùs immemores nimiaque dignitatum, & officiorum Ecclesiasticorum in dicta Religione consequendorum ambitione ducti, pro iis consequendis, Ecclesiasticorum, & sæcularium Principum studia requirant, & à S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis commendatitias litteras, aliosque favores, & gratias propterea expetant, quibus adjuti, quos ipsi ex se promeruisse minimè confidunt gradus, & dignitates in eadem Religione consequi valeant, sicque ejusdem Religionis quietem non sine animarum suarum periculo perturbant.

Pœnæ contra Subditos ambientes.

§. 3. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Religione, cujus prosperum regimen, & incrementum ad Ecclesiæ sanctæ utilitatem sinceris ex optamus affectibus pro nostra pastorali sollicitudine propellere summoperè cupientes, motu

proprio, & ex nostra certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine eos omnes & singulos Fratres dicti Ordinis, & Religionis, cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis & Religionis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque personarum tàm Ecclesiasticarum, quàm sæcularium de gremio dictæ Religionis non existentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque sæculari dignitate, & excellentia etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiam pactis pollicitationibus, aliisque viis directè, vel indirectè palam vel occultè ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsiverint, aut etiam sponte oblatis, & minimè conquisitis usi fuerint, illorumque complices & fautores, ad quascumque prælaturas, dignitates, & officia, gradusque, honores, administrationes & munera in ipsa Religione obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis hujusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tàm activa, quàm passiva carere decernimus, & declaramus.

Pœnæ contra Superiores dignitates concedentes ad instantiā Prælatorum.

§. 4. Atque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus dicti Ordinis, & Religionis Fratribus Superioribusque, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Priori Generali, præsentibus, & futuris præcipimus, districteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque tàm secularium, quàm Ecclesiasticorum extra dictum gremium existentium etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cujusvis generis prælaturas gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & officia prædictæ Religionis promovere, vel pœnas aliquas remittere gaudeant vel præsumant.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes electiones, & promotiones ad Monasteria, seu Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Religionis contra præsentium dispositionem (quod absit) quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore, & esse nullisque juribus subsistere: Ac omnes & singulos in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illas sententias, & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitimè probandum, & omninò convincendum, solas præmissarum personarum instantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas plenam, indubiam, & sufficientem in judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, quoque & inane si secus super his, quoquomodo quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinis & Religionis hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consutudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq. Aut si præfatis Fratribus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§. 7. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum Fratres faciliùs deveniat. Volumus illas etiam in Capitulis Provincialibus, seu Congregationibus, & postea in Capitulo Generali publicè legi, illasque in dictis Capitulis Provincialibus, seu Congregationibus, & Capitulo Generali, lectas, sic arctare, ac si legitimè unicuique intimatæ fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Prioris Generalis ipsius Religionis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ obsignatis eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, Die 1. Decembris 1604. Pontificatus Nostri Anno decimo tertio.

Const. Pauli V.

§. 8. Et subindè rec. mem Paulus Papa V. Prædecessor noster constitutionem pariter edidit tenoris sequentis: videlicet Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Admonemur Pastoralis officii nostri debito diligentiùs prospicere, ne Religiosis, qui regularem vitam professi sæculo renunciarunt, ac dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Quocirca motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dilectis filiis Priori Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis S. Augustini Fratrum Eremitarum Prælatis, nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum tàm Laicarum, quàm Ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate & excellentia etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis religioso ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, dignitates, honores, officia, & administrationes, functiones, & prælaturas ejusdem Ordinis concedere audeant.

Contra Superiores concedentes

Contra Subditos conquirentes.

§. 9. Quinimò dicti Ordinis Fratres, & Religiosos, qui contra decreta hac via, & his mediis per conquisitos favores, & suffragia aliquid sibi procuraverint ad talia, & similia, ac etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuò inhabiles declaramus. Insuper Religiosis, & Fratribus ejusdem Ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expressè interdicimus, ut non solum in præmissis omnibus, favores hujusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & similiter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis statutis, consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad

Transumpto rum fides. verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quò præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 4. Julii 1608. Pontificatus Nostri Anno quarto.

§. 11. Cum autem ea sit rerum humanarum conditio, ut constitutionum, & ordinationum, vel maximè salubrium, sensim lentescat vigor, quin etiam ex animis hominum paulatim elabatur memoria, nisi provida Legislatorum vigilantia subveniat; hinc est quod Nos inviolabili præinsertarum constitutionum observationis, quantum cum Domino possumus, consulere, & ambitionis malum à prædicto Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, in quo plurimos Viros singulari pietate & doctrina insignes Deo famulari novimus, penitùs excludere cupientes, Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præinsertas Clementis, & Pauli Prædecessorum constitutiones cum omnibus, & singulis quomodolibet contentis in illis, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur & efficaciam adjicimus, ac illas innovamus, & adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari posset, restituimus, & plenariè reintegramus.

Confirmat ut in rubr.

Decretum irritans.

Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, cujusvis status, gradus, ordinis, & conditionis existant, inviolabiliter & inconcussè observari; Neq; de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, aut adversus illos quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat

§. 13. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illi, quæ prædicti Clemens, & Paulus Prædecessores in suis litteris præinsertis voluerunt non obstante, cæterisque contrariis quibuscumq. Cæterùm pariter volumus, ut earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 7. die 1. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 1. Julii 1661. Pontificatus nostri anno septimo.

CXIV. Declaratio quod Abbates Ordinis Cisterciensis, qui scilicet utuntur dispensatione Apostolica circa esum carnium ubique acceptata, non possint privari voce activa, & passiva, virtute sententiarum à Visitatore Apostolico emanatarum.

Vide ad Constitut. 45. hujus Pontificis, In Supremi, in qua declarat posse vesci carnibus absque scrupulo, cum non sit de substantia regulæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1661.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

NUper pro parte dilectorum filiorum Reipublicæ Helvetiorum Nobis expositum fuit, quòd cùm dilecti filii Abbates Ordinis Cisterciensi in ejusdem Reipublicæ ditione existentes convocati ad Capitulum Generale Cistercii in Gallia celebrandum sese accingerent, & præpararent ad iter, occulto rumore perceperunt, quosdam Religiosos Gallos ejusdem Ordinis dictos Abstinentes contra antiqua ipsorum jura nunquam hactenus controversa, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris toti Ordini concessa, velle sese prævalere quibusdam sententiis à bon. mem. Francisco dum vixit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. de la Rochefoucaud nuncupato emanatis: qui cum à felic. recordationis Gregorio Papa X V. & Urbano Papa V I I I. Prædecessoribus pariter nostris commissionem habuisset ad visitanda, & juxta statuta ejusdem Ordinis à Romanis Pontificibus confirmata reformanda Monasteria dicti Ordinis, quæ in Gallia indigerent reformatione, & tamen ea nullatenus visitasset; nihilominus dicti Abstinentes contra formam literarum Apostolicarum, & statuta Apostolica, duas sententias ab eo obtinuerunt, quibus omnes Abbates, & Religiosos communis Observantiæ, qui scilicet utuntur dispensatione Apostolica circa usum Carnium ubique acceptata, atque à Nobis per nostras in simili forma Brevis literas die 10. Novembris 1657. expeditas approbata, inter alia signanter prætendunt esse privatos voce activa, & passiva in electionibus Abbatis generalis, & quatuor primorum Abbatum, Vicariorum Provinciarum, Procuratoris Generalis in Curia, & aliorum publicorum Officialium, administratione Collegii Parisiensis communis Studii dicti Ordinis, receptione Novitiorum ad communem observantiam, aliisque Juribus pertinentibus ad Abbates, & Capitulum generale, & in vim dictarum sententiarum ipsos solos Abstinentes redditos capaces dignitatum, & Officiorum dicti Ordinis, & independentes à jurisdictione ordinaria Superiorum, & Capituli Generalis esse præsumunt.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, licet hujusmodi sententiæ fuerint per Judices delegatos cassatæ, atque à rec. memor. Innocentio X. etiam prædecessore nostro super prætensis Juribus Abstinentibus prædictis perpetuum impositum silentium; attamen iidem Abstinentes semper dictas sententias validas autument, & pro earum observatione diversos recursus habuerint, propter quas præsumptiones prorogatum fuit Capitulum Generale dicti Ordinis, donec Nos super hac vexatione fuissemus consulti: Idcirco Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura memorati Ordinis quieti quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ac causæ, & causarum hujusmodi statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & Collitigantium, & alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, necnon causam, & causas prædictas à quocumque Tribunali, & Judice ad Nos harum serie avocantes, ac declarationem, approbationem, & novam Confessionem à Nobis per

prædictas

prædictas litteras die 10. Novembris 1657. emanatas circa esum carnium factas confirmantes, habita relatione de præmissis.

Confirmat & declarat prout in rub.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium districtè prohibemus, ne Abbates, & alii quicumque dicti Cistercien. Ordinis communis Observantiæ Religiosi ejusmodi Apostolica dispensatione circa esum carnium utentes, super libertate vocis activæ, & passivæ in electionibus Abbatis Cistercii Generalis, aliorumve quatuor præcipuorum Abbatum, Vicariorum Provincialium, Procuratoris Generalis Curiæ, & aliorum publicorum Officialium, in administratione, & regimine Collegii Parisiensis communis Studii dicti Ordinis, in Novitiorum ad communem observantiam cum usu talis dispensationis circa esum carnium, servatis servandis receptione, eorumque educatione, nec in omnimoda jurisdictione, quàm ab initio ejusdem Ordinis habuerunt, & quibuslibet aliis Juribus, quæ ex vi Regulæ, & sæpè dicti Ordinis Constitutionum Apostolica authoritate confirmatarum, illis & Capitulo Generali competunt ullatenus perturbentur, prohibeantur, vel molestentur, prout non molestari, prohiberi, seu perturbari mandamus, & præcipimus, circumscriptis memoratis sententiis die 27. Julii 1634. & die 20. Augusti 1635. à præfato Apostolico Visitatore (ut dicitur) emanatis, necnon quorumlibet aliorum Judicum, qui circa præmissa quidquam secus statuere, vel decernere tentaverunt, aut præsumpserunt, cum omnibus inde sequutis.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, ejus Monasteriorum quorumvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 7. die 2. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Julii 1661. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXII.

Erectio Provinciæ S. Ladislai Regis in Sclavonia Ordinis Fratrum Minorum de Observantia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1661.

EX commissi Nobis divinitus Pastoralis Officii debito ad ea propensis studiis jugiter intendimus, per quæ Religiosorum bonorum, qui relicto sæculo Dei obsequiis sese manciparunt, statui & fœlici directioni consulitur, ut secundum laudabilia Ordinum suorum instituta gratum Altissimo impendentes famulatum prosperioribus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

§. 1. Alias si quidem pro parte dilecti filii Lucii à S. Justo tunc temporis Commissarii Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis exposito quod antea postquam Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Zagabriensem, Varasdiensem, Ormusdiensem, Crisiensem, Remeticensem, Luanicensem, & Crapinensem Conventus Ordinis prædicti in Sclavonia constitutos, necnon Monasterium Sanctissimæ Trinitatis Zagrabiensium Monialium Ordinis S. Claræ curæ primo dicti Ordinis subjectum in novam custodiam ad præscriptum Constitutionum Ordinis hujusmodi cum prærogativis, titulis, & præcedentiis consuetis erigi mandaverat dilectus pariter filius Paulus de Tauris Frater expresè professus Provinciæ Austriæ dicti Ordinis vigore mandati sibi super hoc à dilecto etiam filio Sebastiano à Caieta Cismontanæ familiæ prædicti Ordinis Commissario Generali dati septem Conventus, & Monasterium hujusmodi prævia illorum separatione à Provincia Hungariæ ejusdem Ordinis in novam custodiam sæpedicti Ordinis juxta dispositionem Decreti dictæ Congregationis super præmissis emanati erexerat: Nos supplicationibus dicti Lucii nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati erectionem supradictorum septem Conventuum, ac Monasterii in novam Custodiam Ordinis præfati à memorato Paulo sicut præfertur factam auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis litteris, die 20. Junii 1656. desuper expeditis quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii Fratres Custodiæ præfatæ Nobis nuper exponi fecerunt ipsi eandem Custodiam quæ, (ut asserunt, in novem Conventibus Fratrum) adjunctis scilicet ad supradictos septem: Caproncensi sub titulo S. Antonii Patavini; & Chraxtorniensi Conventibus sub titulo S. Nicolai Episcopi, necnon prædicto Monialium Monasterio ad præsens consistit pro majori illius decore in novam dicti Ordinis Provinciam à Nobis erigi summoperè desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati eandem Custodiam in novam memorati Ordinis Provinciam cum omnibus & singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, juribus, gratiis, & indultis quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ de jure, usu, & consuetudine, & aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, ac solent, & debent authoritate prædicta tenore præsentium sine cujusquam præjudicio perpetuo erigimus, & instituimus.

Erigit prout in Rub.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarii derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat P.A.7. die 16. Julii

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Julii 1661. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXIII.

Concedit undecim Congregationibus Monasticis ut capiant ad censum, aut alio licito contractu quadraginta millia scuta monetæ pro prima solutione sex decimarum.

Vide ad Constit.190 Cum Divina.supra quæ est Indictio sex Decimarum.

Edita A.D. 1661.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus const.

NUper ut nomini Christiano contra impios Turcarum Tyranni conatus, & invasiones opem ferremus, sex decimas fructuum, redditthe, & proventuum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, ac mensarum etiam quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, necnon pensionum super illis reservatarum ab illis ad quos spectat intra decennium decem æqualibus portionibus nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica concordatum foret, persolvendas, ac alias sub certis modo, & forma tunc expressis imposuimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis literis quorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

§.1. Cum autem, sicut dilecti filii infrascriptarum undecim Congregationum Procuratores Generales Nobis subinde exponi fecerunt ipsi nomine earumdem Congregationum cum Camera prædicta super solutione sex decimarum hujusmodi, mediante summa quadraginta millium scutorum monetæ eidem Cameræ intra totum currentem Annum 1661. præstanda concordaverint, nec eis suppetat modus congerendi summam hujusmodi, nisi illam ad censum, aut alio licito contractu capiant: Nos specialem eisdem Procuratoribus Generalibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

§. 2. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, Congregationibus prædictis Cassinensium nimirum, & Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, Lateranensium Canonicorum Regularium sub Regula S. Augustini, Carthusianorum, Camaldulensium, Cœlestinorum, S. Salvatoris Bononiensium, etiam Canonicorum Regularium, Vallis Umbrosæ, & S. Georgii in Alga pariter Canonicorum Regularium, Cistercensiumque Lombardiæ, & S. Hieronymi, earumque Procuratoribus Generalibus quamvis ad hoc speciale mandatum non habeant, vel eorum substitutis, ut cum interventu dilecti filii nostri, & Cameræ Apostolicæ Thesaurarii Generalis, etiam absque scientia, participatione, mandato speciali, vel generali, aut consensu Abbatum, & Priorum Generalium, seù aliorum quorumcumque Superiorum, & Officialium quocumque nomine nuncupatorum earundem Congregationum, imò ipsis invitis, & reclamantibus summam quadraginta millium scutorum hujusmodi, pro rata singulas Congregationes tangente à quibuscumque personis, seù Mercatoribus eorum fidem sequi volentibus, & meliorem conditionem offerentibus ad censum perpetuum redimibilem, servata tamen forma Constitutionis fel.recor. Pii Papæ V. prædecessoris nostri super creandis censibus editæ, seù alio quovis licito, & Sacris Canonibus non improbato contractu, accipere, illamque penes Depositarium nostrum Generalem seorsum ab aliis nostris pecuniis deponere; itaut inde amoveri, nec in alios quam supradictos usus converti valeant, ac Taxam aliquam inter se pro cujusque ipsarum facultate redditeuum annuorum pro solvenda quadraginta millium scutorum hujusmodi summa constituere, aut alias ratam partem redditeuum prout cujuslibet ex Congregationibus prædictis minus incommodum, damnosum esse, ac magis expedire judicaverit assignare, dictamque ratam Monti Novennali, aut Religionum applicare quæ sufficiat pro dicta summa quadraginta millium scutorum congerenda, factaque taxa hujusmodi eandem Monti Novennali, aut Religionum prædicto ultra alias taxas quas singulæ Congregationes hactenus solverunt, & solvere obligatæ sunt, assignare, applicare, & incorporare, ac super taxa, seù rata sic facienda, assignanda, incorporanda totidem loca prædicto Monti cedere, quot pro summa prædicta quadraginta millium scutorum congerenda necessaria erunt, nec non eisdem omnibus Procuratoribus generalibus, seù eorum Substitutis, postquam taxa hujusmodi facta fuerit, tàm pro emptoris, seù emptorum Censuum prædictorum, seù eorum qui pro congerenda summa quadraginta millium scutorum hujusmodi aliquam pecuniarum summam eisdem Procuratoribus, seù eorum substitutis, & eorum cuilibet, ut præfertur, dederint, vel aliàs erogaverint, seù pro eisdem Procuratoribus, aut eorum substitutis in quibuscumque cedulis bancariis, cambiis, obligationibus, contractibus, & quibusvis pecuniarum hujusmodi receptionibus fidejusserint, & intervenerint, securitate, relevatione, & indemnitate quam super taxa inter ipsas Congregationes pro rata quamlibet suarum Congregationum respectivè tangente nominatim dictas Congregationes unusquisque Procurator Generalis, seù ejus substitutus, videlicet suam etiamsi ab ea speciale, aut generale mandatum in Capitulo Generali, aut aliàs juxtà Constitutiones ipsarum Congregationum factum non habeat, omniaque, & singula earundem Congregationum bona mobilia, & immobilia ubilibet existentia præsentia, & futura principaliter, & insolidum ipsarum Congregationum nominibus omni meliori modo, ac in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligare, & specialiter hypothecare, necnon super præmissis, & illorum quolibet, & eorundem præmissorum, & cujuslibet ipsorum occasione quæcumque instrumenta cum quibusvis submissionibus, renunciationibus, fidejussionibus, promissionibus, juramentis, cautionibus, conditionibus, cautelis, decretis, & clausulis solitis, & consuetis, ac aliàs necessariis, & opportunis, dicto Thesaurario, ac partibus ipsis bene visis celebrare, aliaque pro personarum, & Mercatorum, ac etiam pro majori Montis prædicti, illiusque Collegii, & omnium qui suas pecunias in eodem Monte collocaverint, securitate, ac aliàs super his necessaria, & quomodolibet opportuna etiam si talia forent quæ specificam, individuam, & expressam requirerent mentionem facere, & exequi.

§. 3. Ac

§. 3. Ac ulterius ipsis modernis, & pro tempore existentibus prædictarum Congregationum Procuratoribus Generalibus, seù eorum Substitutis, ut in earum quisque Congregationibus taxam ut præfertur facien. pro rata eas respectivè tangente, inter Monasteria, & Conventus earum dividere, & ab illis exigere, & Depositorio dicti Montis quem ipsas Congregationes, tàm pro præsenti additione, quàm pro prima dicti Montis erectione, & illius additione aliàs facta etiam modernum Depositarium, nisi Depositariam ipsam titulo forsan oneroso obtineat ad eorum libitum amovendo, deputare posse concedimus quotannis prout de antiquis taxis, seù ratis fieri consuevit, consignare cum facultatibus, & auctoritatibus solitis liberè, & licitè possint, & valeant, ac omninò respectivè teneantur auctoritate Apostolica tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

§. 4. Præterea pro majori Montis prædicti, illiusque Collegii Montistarum, necnon eorum qui pecunias suas in d. Monte collocabunt cautela, & securitate, ex nunc pariter prout ex tunc postquam dictus Mons vigore præsentium ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit quod, tàm antiqua, quàm nova loca augenda hujusmodi unum idemque Montis corpus, ac ultimorum locorum emptores cum antiquis Montistis unum idemque Collegium absque aliqua prorsus ratione prioritatis, seù posterioritatis differentia constituant, ac posteriora loca illorumque emptores omnibus, & singulis gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, & privilegiis, quibus antiquiora loca, illorumque possessores juxta d. Montis erectionis formam utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum pariformiter, & æque principaliter uti, potiri, & gaudere possint, valeant, & debeant in omnibus, & per omnia, absque aliqua similiter differentia statuimus, & ordinamus, volumusque etiam, ac eisdem Procuratoribus Generalibus, seù eorum substitutis, ut loca prædicta Montis vigore præsentium augendi cum interventu dicti Thesaurarii Generalis cuicumque Mercatori, seù aliis personis meliorem conditionem offerentibus pretio inter eos conveniendo vendere, & alienare, pretiumque inde redigen. ut præfertur, & non aliàs deponere liberè similiter, & licitè possint, ac etiam omninò teneantur facultatem similiter impartimur.

§. 5. Et nihilominus omnia, & singula præmissa, ac alia eorum vigore per dictas Congregationes, seù earum Procuratores Generales, aut illorum Substitutos cum interventu dicti Thesaurarii Generalis, & instrumenta desuper celebran. cum omnibus in illis contentis licitis tamen, & honestis, ac Sacris Canonibus non improbatis, ex nunc prout ex tunc postquam facta, & celebrata fuerint auctoritate, & tenore præsentis approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti, ac etiam substantialium forsan solemnitatum quomodolibet omissarum defectus, si qui in eisdem intervenerint, præcipuè verò defectus mandatorum specialium, ac generalium ad præmissa facienda requisitorum motu, scientia similibus pari auctoritate, & tenore supplemus.

§. 6. Declarantes quod per hujusmodi subventionem Nobis ut petitur facien. privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis tàm per prædictum Pium prædecessorem per ejus literas sub dat. Anno 1570. 14. Kalen. Aprilis Pontificatus sui Anno sexto, quam per piæ memoriæ Clementis Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri literas sub Annulo Piscatoris die 5. Maii 1595. ac etiam per alias ejusdem Clementis prædecessoris litteras in forma Motus proprii de anno 1597. seù alias eisdem Congregationibus concessis nullatenus præjudicatum sit, aut esse censeatur, immo privilegia, immunitates, exemptiones, & gratias prædictas, ac etiam omnes, & quascumque alias gratias immunitates, & privilegia per quoscumque Prædecessores nostros quomodolibet concessa, quatenus tamen sint in usu, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversentur, harum serie quatenus opus sit, de novo confirmamus, approbamus, & innovamus, illaque eisdem Congregationibus inviolabiliter observari mandamus, etiamsi tàm litteræ prædictæ Pii V. quàm Clementis Prædecessorum hujusmodi, & aliæ quæcumque super præmissis in Camera Apostolica registratæ non essent, non obstantibus Constitutione similis memoriæ Pii IV. pariter prædecessoris nostri de quibuscumque litteris, & gratiis interesse Cameræ concernentibus registrandis, volentes etiam quod præsentes nostras in eadem Camera registrare, seù registrari facere minimè teneantur.

§. 7. Decernentes insuper ea omnia, & singula valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac per omnes, & singulas Congregationes prædictas, perinde, ac si Procuratores, seù eorum Substituti prædicti illas cum speciali earum mandato obligassent, ac alios omnes ad quos spectabit observanda esse præsentesque litteras nullo unquam tempore etiam ex eo quod prædictæ Congregationes, & quicumque alii ad quos spectat præmissis expresse, & nominatim non consenserint, aut aliàs quomodolibet de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut sub nullis revocationibus, suspensionibus, reductionibus limitationibus, aut modificationibus comprehendi minimè posse, nisi de earundem præsentium toto tenore specialis, & ad verbum expressa mentio facta fuerit, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius Cameræ Apostolicæ Præsidentes, & Clericos, ac S. R. E. Camerarium, Thesaurariumque prædictum, & alios dictæ Cameræ Ministros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum Irritans.*

§. 8. Quocirca dilectis filiis nostro, & S. R. E. Camerario, ac Thesaurario Generali prædicto, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seù alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, ac in præmissis omnibus, & singulis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula in præsentibus expressa, & illarum vigore facienda, quæcumque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari, Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia omni, & quacumque appellatione, reclamatione & recursu postpositis compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. *Executores deputat.*

§. 9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim fœl. recor. Symachi, Pauli II. Pauli IV. Pii V. & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienan. earundem quoque Congregationum, & cujuslibet earum, Monasteriorumque singula- *Contrariis derogat.*

rium ſtatutis, & conſuetudinibus etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis etiam in vim contractus, aut Motu proprio, vel conſiſtorialiter eiſdem Congregationibus, illarumque Superioribus, & Perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſervata exprimerentur,& infererentur præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. P. An. 7. die 21. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 21. Novemb. 1661. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

Originale conſervatur in Archivio S. Mariæ Pacis de Urbe, Canonicorum Regularium, Congregationis Lateranenſis.

CXIV. Innovatio Conſtitutionum, & Decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione à peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum.

Conceptionis B. Mariæ Virg. diſputatio, quomodo ſit prohibita & punita, vide ad Conſtit. 114. Pii V. & Pauli V. Conſtit. 97. & Gregor. XV. Conſtit. 34. Sanctiſſimi.

Edita An D. 1661.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

xordium.

SOllicitudo omnium Eccleſiarum, quàm licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos & vigilantes, ut ſcandala quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur, utque exorta quàm celerrimè, & quàm diligentiſſimè amoveantur; nam iis per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præſens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro noſtro paſtoralis officii debito, & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſiduè utimur.

Pietas Chriſti fidelium in feſtivitatem Conceptionis B. V. M.

§. 1. Sanè vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam pietas, ſentientium, ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus filii, humani generis Redemptoris à macula peccati originalis præſervatam, immunem, atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; crevitque horum numerus,atq; hujuſmodi cultus poſt editas à fel. rec. Sixto PP. IV. prædeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordinem, & Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem indulgentias, itaut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam,jam ferè omnes Catholici eam complectantur.

Contraria opinio publicè doceri non poteſt.

§. 2. Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd nempe eadem Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcandala, jurgia, & diſſenſiones, recol. memor. Paulus PP. V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. ſimiliter prædeceſſor noſter ad privata etiam colloquia extendit; mandans inſuper in favorem ejuſdem ſententiæ, ut in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino officio celebrandis tàm publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Supplicatio Regnorum Hiſpaniæ.

§. 3. Nihilominus, prout Venerab. fratres Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis datis ad Nos literis expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem Venerab. fratrem Ludovicum Epiſcopum Placentinum,per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos ſupplicationes Regnorum earumdem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundùm illam præſtitum ita interpretari, ut fruſtrentur; imò Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Chriſti fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando; unde offenſiones, ſcandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri prædeceſſores perdurant adhuc, & ex occaſione eorumdem averſantium majora his incommoda in poſterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter ſuper his tam præfati Epiſcopi cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, ejuſque Regna Nobis pro opportuno remedio inſtanter ſupplicari fecerunt.

Innovat Conſtitut. prædeceſſorum Pontific.

§. 4. Nos conſiderantes quòd Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanavit; volenteſque laudabili huic pietati, & devotioni, & feſto, ac cultui ſecundùm illam exhibito in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem nunquam immutato Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatiſſimam Virginem, præveniente ſcilicet Spiritus Sancti gratia, à peccato originali præſervatam; cupienteſq. in Chriſti grege unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſedatis offenſionibus, & jurgiis, amotiſq; ſcandalis, conſervare: ad præfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejuſque Regnorum oblatam Nobis inſtantiam ac preces, Conſtitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe, necnon & in favorem feſti, & cultus Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundùm piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & ſub cenſuris, &

pœnis

pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Pœnæ contra tenentes contrarium.

§. 5. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ,& festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione, à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: necnon eosdem aliis pœnis nostro & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. superiùs memoratas Constitutiones, sive Decreta.

Prohibet libros continentes contrariam opinionem.

§. 6. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus, sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus; quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas,quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs infliximus.

Contra Regulares aliter docentes.

§. 7. Volentes quod contra hujus nostræ Constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, ut præfertur, tàm Episcopi, & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire districtè præcipimus, & mandamus.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

præcipit ordinariis publicationem.

§. 9. Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

Tansumptorum fides.

§. 10. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quòd præsentes literæ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectet, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur si ostensæ, vel exhibitæ forent.

Dat P. An.7. die 8. Dec.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 8. Decemb. 1661. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, Indictione 13. die vero 11. mensis Decembris Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi, anno septimo, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basilicarum S. Joannis Lateranen. & Principis Apostolorum, de Urbe ac Cancellariæ Apostolicæ valvis & in acie Campi Floræ per me Andream Castrucium prælibati SS. D. PP. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Petrus Paulus Desiderius Curs.

CXV.

Breve Beatificationis Francisci de Sales Episcopi Genevensis.

Edita An. D 1661.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad Perpetuam rei memoriam

Exordium.

Spiritus Sanctus, qui suo incomprehensibili judicio humilitatem, atque infirmitatem nostram posuit regere Ecclesiam Dei, quum in Divinis scri-

pturis viros gloriosos, nimirum Sanctos laudari præcipit, eorumque sapientiam, & laudem narrari à populis, & nunciari ab Ecclesia, docet Nos atque illuminat quid nostris etiam temporibus agere debeamus; Quapropter Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in id sollicitè intendimus, ut non modo eorum, qui priscis, sed & qui proximis ætati nostræ sæculis sanctitate, ac virtutibus eximiè claruerunt, nomen & gloria, ubique gentium innotescat, pioque fidelium cultu & honore palam veneretur. Atque ideo tendentibus nuper in id ipsum piis Catholicorum Regum precibus, Præsulumque, & Principum, aliorumque Christi famulorum votis, Nos libenter annuimus, prout matura consideratione præmissa ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ decus, & præsidium in Domino salubriter expedire cognoscimus.

Supplicatio Principum.

§. 1. Cùm itaque charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus unà cum Venerab. fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac universo Clero, Proceribus, & Universitatibus studiorum generalium Regni Galliarum: necnon charissima in Christo filia nostra Anna Francorum Christianissima, & Henricetta Angliæ Illustris, Reginæ viduæ, ac dilectus filius nobilis vir Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, & Pedemontii Princeps, atque universus Ordo Monialium Visitationis Beatæ Mariæ Virginis à servo Dei Francisco de Sales Episcopo Gebennensi institutus; præsertim verò dilectæ in Christo filiæ Superior & Moniales Monasterii Oppidi Annesii Gebennensis Diœcesis, impetraverint alias ab hac Sancta Sede facultatem, ut processus fierent super non cultu, ac super inquisitione de vita, & moribus, heroicisque virtutibus, ac de miraculis, quibus prædictus servus Dei Franciscus de Sales fulgere asserebatur.

Miracula probata.

§. 2. Cumque post modum processus hujusmodi confectos Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præposita maturè, acerrimeque discusserit; ac de eorum validitate, ac relevantia constare declaraverit, Nempe de hujus Servi Dei vitæ eximia sanctitate, & de assiduo virtutum theologicarum, Cardinalium, cæterarumque omnium exercitio: Immò ultra multiplicem, & miram hæreticorum ad veritatem Fidei Catholicæ conversionem; cum novem miracula insigniora ejus obitum consecuta, communi quasi voce sanctitatem ejus testantia, plene probari censuerit: quæ selecta ex processibus intercessione memorati Francisci ab Omnipotenti Deo edita recensentur, ac præcipuè duorum mortuorum suscitatio, cœci nati illuminatio, contractorum, ac præclusorum à nativitate subita, ac perfecta sanatio, Nosque declarationes hasce approbaverimus; Ideoque cum iidem Cardinales coram nobis congregati, prævii etiam Consultorum suffragiis, unanimes affirmaverint, posse, quandocumque Nobis visum fuerit, ad solemnem hujus Servi Dei Canonizationem tutò procedi, atque interim indulgeri, ut idem Franciscus nuncupetur Beatus, ac aliquibus in locis de eo, tanquam de Confessore Pontifice Officium, & Missa recitari, ac solemniter celebrari possint.

Beatus nuncupatur.

§. 3. Hinc est quod nos piis supplicationibus inclinati Regis, Reginarum, ac Præsulum, qui etiam ad nos Venerabilem Fratrem Henricum Episcopum Aniciensem hac super re nuper ablegarunt: necnon charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Regis Francorum Conjugis Christianissimæ, ac Sabaudiæ Ducis, aliorumque præfatorum, illis propensa benignitate libenter annuimus: ac de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu auctoritate Apostolica tenore literarum præsentium indulgemus, ut Dei Servus Franciscus de Sales olim Episcopus Gebennensis, in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Processionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo celebretur Officium, & Missa de Confessore Pontifice singulis annis juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani, die scilicet 29. Januarii, qua ejus corporis depositio in Ecclesia Monialium Sanctissimæ Visitationis Annesii in Sabaudia celebrata fuit.

Concedit officium aliquibus locis.

§. 4. Hæc verò concedimus in locis dumtaxat infrascriptis: nempè in omnibus Ecclesiis Monialium d. Ordinis Sanctissimæ Visitationis, quem Beatus Franciscus instituit: In Cathedrali templo Lugduni, ubi diem clausit extremum. In Cathedrali Annesiensi, ubi sedit Antistes: In matrice Ecclesia loci de Sales, ubi natus est; & quidem sub ritu duplici majori. In Oppido verò Annesii, totaque Diœcesi Gebennense sub duplici minori, ac tam à sæcularibus, quam à regularibus utriusque sexus, ac etiam à Sacerdotibus quibuscumque eo confluentibus quantum ad Missas attinet. Præterea, præsenti dumtaxat anno à datis hisce literis inchoando in supradictis, atque in singulis Cathedralibus Ecclesiis Regni Galliarum, ac Sabaudiæ, & Pedemontii ditionis, solemnia Beatificationis hujus cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die à locorum Ordinariis constituta, & intra sex menses promulganda, celebrandi facultatem impartimur: Romæ verò in Ecclesiis S. Ludovici Gallicanæ, & Sanctæ Sindonis Sabaudiæ, ac Pedemontanæ Nationum, ac Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, solemnia hujusce Beatificationis intra bimestre proximum postquam tamen illa in Basilica Principis Apostolorum celebrata fuerint, pariter celebrari concedimus.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque decretis super non cultu, seù aliàs latis, aut promulgatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut harum literarum transumptis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium sacris Ritibus præpositorum subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 7. die 28. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Decembris 1661. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXVI.

Pro divisione Congregationis Clericorum Regularium de Somascha in tres Provincias.

Clerici Regulares de Somascha gaudent omnibus Privilegiis, Ordinibus Mendicantibus concessis, & concedendis Paul. V. Constit. 37. Eorumdem Privilegia confirmavit Clem. VIII. Constit. 22.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1661.

AD Pastorale fastigium superni dispositione consilii, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, evecti, in eam præcipuè curam sollicitis studiis incumbimus, ut Congregationes Religiosorum virorum in Ecclesia Dei piè, sanctèque institutæ, ac uberes bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre jugiter satagentes, prosperè, salubriterque dirigantur; quò laudabilibus institutis suis inhærentes, amota quacumq; controversiarum, & dissidiorum occasione fœlicioribus in dies, Divina largiente gratia, proficiant incrementa.

§. 1. Itaque ut in Congregatione Clericorum

Regularium de Somascha pax, & Religiosa unitas conservetur, & dignitates, atque officia pro meritis personarum æqualiter distribuantur, providere cupientes, de voto Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitatinnis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum Almæ Urbis nostræ à Nobis institutæ deputatorum.

Divisio Provinciæ.

§. 2. Motu proprio & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium statuimus, & decernimus ut prædicta Congregatio Clericorum Regularium de Somascha divisa sit in tres Provincias, videlicet Lombardiæ, Venetiarum, & Romanam nuncupatas. Et Provincia quidem Lombardiæ contineat omnia loca, quæ in Statu Mediolanensi, & ditionibus adjacentibus dilectorum filiorum nobilium Virorum Ducum Sabaudiæ, Mãtuæ, & Palmæ, ac Domini Helvetiorum possidet, vel possidebit dicta Congregatio. Provincia verò Veneta complectatur omnia loca, quæ continentur, seu continebuntur in Dominio Reipublicæ Venetorum, & principatu Tridentino. Provincia autem Romana comprehendat loca omnia posita, vel ponenda in Reliquis Italiæ ditionibus. Porrò quælibet ex his Provinciis locum unum probationis habeat communem omnibus nationibus, ex quibus Provincia coalescit, cum professoriis, quæ sufficiant pro educatione juventutis professæ.

Sequuntur ordinationes.

§. 3. Ad hæc quælibet Provincia habeat quatuordecim Vocales Capituli Generalis, &, si aliqua ex his de præsenti plures habet, qui electi sunt, retineant jus acquisitum: cæterum non deveniatur ad electionem novorum Vocalium pro hujusmodi Provincia, nisi postquam ejus Vocales infra quatuordecim fuerint. Similiter quælibet Provincia mittat tres Socios, seu Discretos ad Capitulum Generale.

Præpositi verò Generalis dignitas per turnum detur non quidem nationum, sed prædictarum Provinciarum, & hic turnus incipiat anno proximè venturo 1662. à Provincia Romana, à qua transeat ad Venetam, Dignitates autem ex quibus constat Definitorium, cum omnes sint numero tredecim, æqualiter dividantur, ita ut quælibet Provincia quatuor ex illis habeat; illa verò, cui per turnum Præpositus Generalis continget, quinque.

Præterea ubi nunc inter dignitates Definitorii sunt duo Consiliarii, & quatuor Definitores, ut aptius divisio fiat, eligantur tres Consiliarii, & tres Definitores, ita ut quælibet Provincia suum habeat Consiliarium, & suum Definitorem.

Dignitates autem Præpositi Generalis, Vicarii Generalis, & Procuratoris Generalis hoc ordine distribuantur, ut cuilibet Provinciæ per turnum semper una ex his conferatur. Procurator vero Generalis functus Officio sit ipso jure per subsequens triennium Consiliarius suæ Provinciæ, nisi eligatur Præpositus Generalis, aut Vicarius Generalis, aut Provincialis.

Porrò nemo possit esse Superior in aliqua Provincia, qui filius ejus non sit. Et quidem qui jam professi sunt, intelligantur esse filii ejus Provinciæ in qua nati sunt, sed qui in posterum professionem emittent, ejus Provinciæ filii censeantur, & sint, in qua ad Religionem admittentur, & in qua professionem emittent. Quilibet tamen sine ullo discrimine subditus esse possit in qualibet cujusvis Provinciæ Domo salva ejus capacitate.

Nemo quoque ullo modo possit esse Superior in eadem Domo nisi per triennium, quo elapso alterum integrum triennium elabi debeat, priusquam ad ejusdem Domus regimen sub quovis titulo, sive Superioris, sive Vicarii admoveatur. Qui verò in proximo Capitulo Gen. anni 1662. reperientur aliquam Domum gubernasse per triennium, aut ultra, quovis demum titulo Superiores fuerint à prædictæ Domus regimine removeantur.

Cæterum Patres Definitorii cæteris quibuscumque præcedant, & si quaado contingat eos Subditos esse in aliqua Domo, immediate post Superiorem Domus sedeant. Visitatores verò Provinciarum in posterum Præpositi Provinciales apellentur, & quilibet habeat potestatem ordinariam supra quamlibet Domum suæ Provinciæ.

Decretum irritans.

§. 4 Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumq; juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam, motu, scientia & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti seu se juvare posse. Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis auctoritate,& potestate fungentes,& functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstan. præmissis,ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisve Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Clericorum Regularium de Somascha, ejusque Provinciarum & Domorum, Collegiorum, & locorum quorumcumque aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis staturis, & consuetudinibus, privilegiis; quod indultis, & litteris Apostolicis eidem Congregationi, ejusq; Provinciis, Domibus, Collegiis, & locis, ac Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra

adhi-

Dat. P. An. 7. die. 23. Dec.

adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1661. Pontificatus Nostri Anno septimo.

C. XVII.

Contra nonnullos Monachos Cistercienses in Gallia Abstinentes nuncupati, tentantes introducere in Monasteria abstinentiam à carnibus quarum esus certis diebus à Sede Apostolica concessus est, & nolentes obedire Constitutionibus Apostolicis, ejusdem Ordinis.

De hac materia vide ad Constitutiones hujus Pont. 4. In suprem. & Const. 111. Nuper pro parte.

Edita An. D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

ALias pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Cisterciensis Nobis exposito, quod licet omnes Monachi dicti Ordinis tàm strictè ad observantiam paupertatis teneantur, ut Capitulum Generale ejusdem Ordinis Anno 1605. celebratum revocaverit omnes, & quascumque licentias, & dispensationes cujuscumque privati rerum, & bonorum usus, proprietatis, possessionis, & Dominii per quoscumque Superiores dicti Ordinis ex quibuscumque causis concessas, eamque revocationem ipsius Ordinis Capitulum Generale Anno 1651. renovaverit, cum injunctione observationis exactæ Decreti Concilii Tridentini sess. 25. de reform. cap. 2. de Regularibus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ opponentibus sese huic executioni, & observantiæ, & inhabilitatis ad quævis officia, gradus, & dignitates: ac insuper contractus à quibusdam Abbatibus Regularibus cum suis Monachis initos pro separatione mensæ Conventualis ab Abbatiali censuerit esse rescindendos tanquam paupertati Religiosæ contrariis, eosque in posterum à quocumque attentari prohibuerit, nullusque sit in Regno Galliæ prædicti Ordinis professor, qui in suo novitiatu ad vitam communem, & præfatam paupertatis observantiam non fuerit instructus, educatus, & obligatus.

§. 1. Nihilominùs nonnulli Religiosi ejusdem Ordinis in Gallia, dicti abstinentes, seù strictioris observantiæ, sub prætextu introducendi in Monasteria abstinentiam à carnibus, quarum esus certis diebus à Sede Apostolica concessus est, certos inibant contractus, transactiones, & concordata cum antiquis Ordinis hujusmodi Religiosis, quibus certas Pensiones in pecuniis, & fructibus promittebant, & distribuebant, eosque à majori & præcipuo onere Chori, aliisque observantiis ad quas ex professione tenentur, liberantes, evidenti relaxationis, & perditionis periculo exponebant, dummodo eis solis privativè quoad alios Monasteriorum administrationem, regimen, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, liberamq; Officialium, & Superiorum electionem tàm quoad vocem activam, quàm passivam cederent.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quod contractus, transactiones, & concordata hujusmodi, non in ædificationem, sed in evidentem Religiosorum ruinam spiritualem vergebant, dictusque Procurator Generalis propterea de opportuno in præmissis remedio à Nobis provideri summoperè desiderabat. Nos supplicationibus ipsius Procuratoris Generalis nomine super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum; qui rem diligenter, & maturè discusserant, concilio, attentis narratis contractus, transactiones, concordata, de quibus supra agitur fuisse & esse illicita, ideoque eo usque inita nulla & invalida fuisse auctoritate Apostolica declaravimus, & decrevimus, prohibuimusque ne in futurum sub ejusdem nullitatis, & invaliditatis, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorumque, graduum, & dignitatum quarumcumque & perpetuæ inhabilitatis ad ea, & quælibet alia in posterum obtinendam per hujusmodi contrahentes, transigentes, & concordantes eo ipso incurrendis pœnis, talia concordata, transactiones, & contractus ullatenus celebrentur.

§. 3. Et postmodum pro parte Dilectorum filiorum Reipublicæ Helvetiorum Nobis pariter exposito, quod cum dilecti filii Abbates d. Ordinis Cisterciensis in ejusdem Reipublicæ ditione existentes convocati ad Capitulum Generale Cistercii in Gallia celebrandum se se accingerent, & pararent ad iter, occulto rumore perceperant, quosdam Religiosos Gallos ejusdem Ordinis dictos Abstinentes contra antiqua ipsorum jura, nunquam eatenus controversa a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris toti Ordini concessa, velle sese prævalere quibusdam sententiis à bon. me. Francisco dum vixit S. R. E. Cardinale de la Rochefoucaud nuncupato emanatis, qui cum à fel. rec. Gregorio Papa XV. & Urbano VIII. Prædecessoribus pariter nostris commissionem habuisset ad visitanda, & juxta statuta ejusdem Ordinis à Romanis Pontificibus confirmata, reformanda Monasteria dicti Ordinis, quæ in Gallia indigerent reformatione, tamen ea nullatenus visitasset; nihilominus d. Abstinentes contra formam litterarum Apostolicarum, & statuta Apostolica duas sententias ab eo obtinuerant, quibus omnes Abbates & Religiosos communis observantiæ, qui scilicet utuntur dispensatione Apostolica circa esum carnium ubique acceptata, atque à Nobis per nostras in simili forma brevis litteras die 10. Novemb. 1657. expeditas approbata inter alia signanter prætendebant esse privatos voce activa, & passiva in electionibus Abbatis Generalis, & quatuor primorum Abbatum, Vicariorum Provinciarum, Procuratoris Generalis in Curia & aliorum publicorum Officialium, administratione Collegii Parisiensis, communis studii dicti Ordinis, receptione Novitiorum ad communem observantiam, aliisque Juribus pertinentibus ad Abbates, & Capitulum Generale, & in vim dictarum sententiarum ipsos abstinentes redditos capaces dignitatum, & officiorum dicti Ordinis ac independentes à Jurisdictione ordinaria Superiorum, & Capituli Generalis esse præsumebant.

§. 4. Hacque in expositione subjuncto, quod licet hujusmodi sententiæ fuissent per Judices delegatos cassatæ, atque à rec. mem. Innocentio Papa X. etiam prædecessore nostro super prætensis Juribus abstinentibus prædictis perpetuum impositum silentium; attamen iidem abstinentes semper dictas sententias validas autumabant, & pro earum observatione diversos recursus habuerant, propter quas præsumptiones prorogatum fuerat Capitulum Generale dicti Ordinis, donec Nos super hac vexatione fuissemus consulti.

§. 5. Idcircò Nos pro commissa Nobis cœlitùs Pastoralis Officii cura, memorati Ordinis quieti consulere cupientes, ac causæ, & causarum hujusmodi statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & Collitigantium, & alia etiam speciali expressione digna pro plenè, & sufficienter expressis habentes, necnon causam & causas prædictas ad nos avocantes, & declarationem, aprobationem, & novam concessionem à Nobis per præfatas litteras die 10. Novemb. 1657. emanatas circa esum carnium factas confirmantes habita relatione de præmissis.

§. 6. Motu proprio ac ex certa scientia & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis

testatis plenitudine districtè prohibuimus, ne Abbates, & alii quicumque dicti Cistercien. Ordinis communis observantiæ Religiosi ejusmodi Apostolica dispensatione circa esum carnium utentes super libertate vocis activæ, & passivæ in electionibus Abbatis Cistercii Generalis, aliorumque quatuor præcipuorum Abbatum Vicariorum Provincialium, Procuratoris Generalis Curiæ, & aliorum publicorum Officialium, in administratione, & Regimine Collegii Parisien. Communis Studii dicta Ordinis, in Novitiorum ad communem observantiam cum usu talis dispensationis circà esum Carnium servatis servandis receptione, eorumque educatione, nec in omnimoda Jurisdictione, quam ab initio ejusdem Ordinis habuerunt, & quibuslibet aliis juribus, quæ ex vi Regulæ, & sæpè dicti Ordinis Constitutionum Apostolica auctoritate confirmatarum illis, & Capitulo Generali competunt, ullatenus prohiberentur, vel molestarentur, prout non molestari prohiberi, seu perturbari mandavimus, & præcepimus, circumscriptis memoratis sententiis die 27. Julii 1634. & die 20. Augusti 1635. à prædicto Apostolico Visitatore, ut dicitur emanatis, necnon quorumlibet aliorum Judicum, qui circa præmissa quidquam secus statuere, vel decernere tentaverant, aut præsumpserant cum omnibus indè secutis, & aliàs prout in binis nostris in simili forma Brevis literis, unis die 8. Martii 1660. alteris die 2. Julii 1661. respectivè desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Constituit generales Collectores

§. 7. Cum autem Dilectus filius Claudius Vaussin Abbas Cistercii, & totius Ordinis Cistercien. præfati Generalis ad Nos supplex accesserit pro canonicè promovenda Ordinis sui per diversa Mundi Regna diffusi reformatione, salva ejusdem Ordinis unione, & integra subordinatione. Nos ejusdem Claudii Abbatis Generalis zelum, sollicitudinem, & laborem plurimùm in Domino laudantes eumque speciali favore gratia prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto particularis Congregationis ad examinandum, informandum, & referendum à Nobis deputatæ, quæ scripturas hinc indè datas vidit, & examinavit, causam istius reformationis in statu, & terminis, in quibus ad præsens reperitur (illius statum, & merita, nominaque & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, & alia quæcumque etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus itidem pro plenè, & sufficienter expressis habentes) à quocumque Tribunali ad Nos denuò auctoritate Apostolica tenore præsentium avocamus.

§. 8. Præterea mandamus dicto Claudio Abbati Generali, ut advocet, seu moneat Viros idoneos Ordinis sui, tàm ex Gallia, quàm aliundè ad exhibendum infra tres menses dictæ Congregationi particulari deputatæ articulos concernentes dictam Reformationem à Nobis instituendam. Et quantum ad controversias in variis Tribunalibus etiam coram Commissariis Apostolicis, à multis annis agitatas circa Reformationem dicti Ordinis, sivè in Gallia, sivè extrà Galliam volumus, & ordinamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, à qua nemo à quoquam, nisi à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, ut observentur dispositiones à Nobis immediatè emanatæ per præfatas nostras in forma Brevis literas die 8. Martii 1660. & die 2. Julii 16 1. respectivè expeditas.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus, sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus quacumque litis, seu litium pendentia, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 16. Januarii 1662. Pontificatus nostri Anno septimo. D. P. An. 7. die 16. Jan.

CXVIII.

Declarat nullum præjudicium fuisse illatum superioritati Vicarii Generalis in unione Conventus Terræ Roccha di Papa Conventui S. Joannis de Urbe sub obedientia Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

De concessione, & unione hujus Conventus vide supra ad Const. 100. Sacrosancti.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An D. 1662.

Ad futuram rei memoriam.

Recensetur concessio Conventus.

Aliàs Conventum Beati Petri de Nolasco olim Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum in Terra Roccha di Papa nuncupat. Tusculanen. Diœces. positum, cum illius Ecclesia, ac bonis, & oneribus universis Congregationi Fratrum Discalceatorum Reformatorum nuncupat. dicti Ordinis, ita ut Conventus hujusmodi de cætero Conventui Sancti Joannis de Urbe ejusdem Congregationis sub obedientia dilecti filii Procuratoris Generalis ipsius Congregationis, qui in dicto Conventu S. Joannis residere solet, subjaceret, & dictus Procurator generalis Superiorem, & familiam sex saltem Presbyterorum, & duorum Conversorum Fratrum Discalceatorum Reformatorum Congregationis hujusmodi in primodicto Conventu collocare deberet, auctoritate Apostolica perpetuò applicavimus, & appropriavimus, & aliàs prout in nostris in simili forma Brevis litteris die 15. Octob. 1660. desuper expeditis, quarum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso haberi volumus plenius continetur.

§. 1. Cum autem sicut dictus Procurator generalis Nobis nuper exponi fecit, licet ratione sub ordinationis, quam ipse Procurator generalis ad dilectum filium Vicarium Generalem Superiorem dictæ Congregationis habet, credat præmissa, & inde sequuta sine ullo præjudicio jurisdictionis, & superioritatis dicti Vicarii generalis emanasse, nihilominus ad removenda omnia dubia, & inconvenientia, quæ exoriri possent, idem Procurator Generalis opportunè à Nobis hac in re provideri summoperè desideret.

Declarat pro ut in rubr.

§. 2. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen-

dum harum serie absolventes,& absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis, super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis super statu Regularium deputatæ consilio, ex memoratis nostris litteris qua parte prænominatus Conventus B. Petri de Nolasco subjicitur obedientiæ dicti Procuratoris Generalis, qui Superiorem,& familiam in eo collocare debeat,nullum præjudicium fuisse illarum superioritati,ac jurisdictioni memorati Vicarii Generalis auctoritate prædicta tenore præsentium declaramus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas,& efficaces existere, & fore suosque plenarios,& integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos,etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus prædictis nostris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat P.A.7. die 27.Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Januarii 1662.Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXIX.

Deputatio Eminentissimi Cardinalis Chisii in Protectorem Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula.

Edita A.D. 1661.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecto Filio Nostro Flavio Tituli S. Mariæ de Populo S.R.E. Cardinali Chisio nuncupato Nostro secundum Carnem ex Fratre germano Nepoti. Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Motus.

Cum per obitum bonæ memoriæ Bernardini, dum vixit, S.R.E. Cardinalis Spadæ nuncupati,Ordinis Fratrum Minimorum S.Francisci de Paula apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, nuper apud Sedem præfatam defuncti, Ordo prædictus Protectore destitutus manserit.

§. 1. Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ Circumspectionis singulari prudentia, doctrina, & Integritate, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris; Te, ex cujus Protectione, ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum plurimum commodi, & ornamenti susceptutum esse confidimus,prædicti Ordinis, illiusque domorum Regularium, & Religiosorum quorumcumque apud Nos, & Sedem præfatam Protectorem cum omnibus facultatibus, jurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, & quibus alii ante te dicti Ordinis Protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt, ad tui vitam Apostolica auctoritate tenore præsentium facimus, & deputamus.

Præficit in protectorem.

§. 2. Volumus autem, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut Superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri potest, conservare cures, & propterea cum ipsi Superiores eorum officii debito satisfecerint, ac gubernio, & regimini Subditorum sufficienter incubuerint, tum in negotiis eorumdem Religiosorum te non immisceas.

§. 3. Quando autem ab eisdem Superioribus requisitus fueris, ut in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoveris, ut eandum auctoritatem tuam in ipsis negotiis exerceas, tum id liberè facere possis,sed quoad potueris per teipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in iisdem negotiis,seu causis, loco Notarii, aliquo ex Regularibus dicti Ordinis.

§.4. Mandantes propterea dilectis filiis Correctori Generali, ac Visitatoribus, & aliis Superioribus, necnon Universis Fratribus, & personis quibuscumque dicti Ordinis in virtute sanctæ obedientiæ, ut te in eorum Protectorem, juxta tenorem præsentium recipientes, ea, qua debent, reverentia prosequantur.

§. 5. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Cœterum te in Domino hortamur, ut hujusmodi Protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem, æternorum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. Contrarii derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Februarii 1662. Pontificatus Nostri Anno septimo. Dat. P. An. 7. die 6. Febr.

CXX.

Super concessione Ecclesiæ, & Conventus S. Pancratii extrà, & propè muros Urbis facta Fratribus Carmelitis Discalceatis Ordinis B.Virginis Mariæ de Monte Carmelo, necnon super translatione, sive nova erectione Seminarii Missionum ejusdem Congregationis in præfatis Ecclesia,& Conventu.

Vide ad Constit.10.Decet Romanum,supra,in qua agitur de dominio, & gubernatione hujusmodi Seminarii.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita.An.D. 1662.

Ad futuram rei memoriam.

Inscrutabili divinæ providentiæ arcano universalis Ecclesiæ regimini præsidentes ad illa, quæ in Fidei Catholicæ, Religionisque propagationem, & incrementum cedere, & cessura esse noscuntur promptis studiis intendimus,eorumque firmitati, robori & efficaciæ libenter consulimus ac aliàs sollicitudinis nostræ Pastoralis partes desuper interponimus, prout omnibus maturæ considerationis trutina perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, animarumque salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire. Exordium.

§.1.Alias siquidem Nos certis ex causis tunc expressis adducti auctoritate Apostolica statuimus decrevimus, & ordinavimus Conventum, seu Seminarium Sancti Pauli, sive S.Mariæ de Victoria nuncupat.de Urbe Ordinis Fratrum ejusdem Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum esse debere Provinciæ Romanæ ejusdem Ordinis Provinciali Romano subjectum in omnibus, & per omnia etiam quoad Conventualitatem Fratrum non Seminaristarum ad instar aliorum dictæ Provinciæ Conventuum, ac Officiales à Capitulo Generali, seu Deffinitorio Generali electos, & ibidem constitutos dimittendos, videlicet, Priorem, Subpriorem, seu Vicarium, & ad Capitulum Provinciale ejusdem Provinciæ Romanæ in futurum spectare electionem Prioris (cum participatione tamen, & approbatione quoad hunc Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei Præpositorum) necnon etiam Subprioris, seu Vicarii, aliorumque Officialium Conventus, seu Seminarii hujusmodi ad formam Constitutionum prædictæ Religionis, remanentibus tamen ibidem Seminario, & Seminaristis, eorumque controversiarum, & Linguarum Orientalium Lectoribus, & Magistris tunc existentibus & pro tempore futuris; quorum electio, & amotio cum participatione Præpositi Generalis dicti Ordinis ad Congregationem Cardinalium prædictorum in futurum spectaret, & pertineret. Insuper administrationem omnium, & singulorum Recenset primum Brev.

bonorum

bonorum, reddituum,& proventuum à q. Francisco Cimino Barone de Cacurri, quàm ab aliis relictorum, datorum, seù donatorum, & imposterum relinquendorum, dandorum, seù donandorum videlicet pro Missionibus faciendi curæ, & diligentiæ dictæ Congregationis Cardinalium, amotis Syndicis, & Procuratoribus quibuscumque prædicti Ordinis commiisimus. Præterea quamvis Conventus præfatus esset, & esse deberet, ut supra, Provinciæ Romanæ, voluimus nihilominus, ut in illo, ut ante dictum est Seminaristæ, eorumque Lectores, & Magistri una cum Fratribus ejusdem Provinciæ liberè cohabitare, & convenire valerent, pro alimentis verò, sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessarii s Seminaristarum, eorumque Lectorum solverentur prædicto Conventui, seu ejus Priori, & Procuratori per Congregationis supradictorum Cardinalium Ministros ex redditibus dicti Seminarii, vel pro Missionibus, ut supra, relictis, seu in posterum relinquendis annua scuta quadraginta pro quolibet Seminarista, vel Lectore pro tempore, & rata temporis, quo quilibet Lector, & Seminarista ibi resideret, ac cohabitaret, & conviveret, remanentibus ad Conventus commodum eleemosynis, seù emolumentis pro Missis à prædictis Seminaristis, Lectoribus, & Magistris celebrandis quomodolibet resultantibus. At si Lector pro studio Linguarum foret Sæcularis, vel Religiosus alterius Ordinis, competens ei stipendium ex dicti Seminarii redditibus, ejusdem Congregationis Cardinalium arbitrio, assignaretur; & alias prout in nostris in simili forma Brevis litteris die 24. Septembris 1655. desuper expeditis quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus uberius continetur.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Dominicus à Sanctissima Trinitate Præpositus Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, Nobis nuper exponi fecit, dilectus filius noster Franciscus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Maidalchinus nuncupatus, qui Monasterium Abbatiam nuncupatum S. Pancratii propè, & extra mœnia Urbis olim suppressi Ordinis Fratrum Sanctorum Barnabæ, & Ambrosii ad nemus in Commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensatione Apostolica obtinet, Ecclesiam ejusdem Sancti Pancratii, ac Fabricas illi adjacentes, & viridarium, necnon terras illi contiguas, ac annexas, & connexas circumcirca Ecclesiam, & Monasterium hujusmodi eisdem Dominico Præposito Generali, ac Congregationi Italiæ, ad hoc ut Seminarium prædictum commodiùs illuc transferri, seù ibidem de novo erigi valeat, reservato tamen nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, concesserit cum diversis pactis, & conditionibus, & aliàs prout latiùs continetur in publico desuper confecto Instrumento tenoris qui sequitur videlicet.

§. 3. In Nomine Domini Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum quod Anno ab ejusdem D. N. Jesu Christi Nativitate 1662. Indictione 15. Die verò 7. Januarii Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus septimo. In mei Antimi Curti Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ, ac D. Innocentii Meuli Notariorum publicorum insolidum rogati Testiumque infra scriptorum ad hæc omnia, & singula vocatorum habitorum atque rogatorum præsentia Præsens, & personaliter constitutus Per Ill. & Excell. D. Julius Cæsar Serronius in Romana Curia Advocatus Nobis &c. Cognitus Procurator ad infrascripta peragendum specialiter constitutus ab Eminentiss. & Reverendiss. D. Francisco tituli S. Mariæ in Porticu Diacono Cardinali Maidalchino nuncupato, ac perpetuo Commendatario Abbate nuncupato Monasterii Abbatia nuncupata S. Pancratii propè, & extra mœnia Urbis olim suppressi Ordinis Sanctorum Barnabæ & Ambrosii ad Nemus ut de ejus mandato Procuræ constat in actis mei Curti sub hodierna die ad quod, cui Eminentiss. D. Cardinali nil magis curæ est, ut quantum per vires licet Catholica Religio ubique Terrarum Orbis, semotis hæreticorum, & infidelium falsis dogmatibus propagetur, ac in Ecclesiis Monasteriorum ejus regimini, & gubernio ex benignitate Sedis Apostolicæ commissis divinus cultus, ac Ministrorum Ecclesiasticorum numerus augeatur inibique Divina officia majori qua potest veneratione peragantur, ac exoptatum finem aliqua in parte consequi sperans si per ipsum Ecclesia prædicta, ac Fabricæ illi adjacentes, & viridarium, necnon Terræ illi contiguæ, ac annexæ, & connexæ circumcirca Ecclesiam, ac Monasterium hujusmodi ad hoc, ut commodiùs Seminarium Missionum sub Titulo Sancti Pauli Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiæ Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo ad præsens existens in Domno Regulari, seù Conventu S. Mariæ de Victoria nuncupata de Verbe ejusdem Ordinis ad prædictum Monasterium S. Pancratii Apostolica auctoritate transferri, seù in eo denuò erigi valeat, quantum in se concederentur, & assignarentur.

Qua propter ex causis supradictis dictus D. Julius Cæsar Serronius Procuratorio nomine, ut supra reservato in primis, & ante omnia beneplacito Apostolico, & non alias aliter, nec alio modo &c. sponte &c. omni meliori modo &c. Ecclesiam, ac Fabricas, & Viridarium, necnon Terras prædictas in eodem statu, & esse in quo ad præsens reperiuntur pro dicto Seminario ad effectum illius translationis, sive novæ erectionis, ut præfertur absque alio præjudicio ipsius Eminentiss. D. Cardinalis, ejusque in dicto Monasterio Successorum, Præposito, ac Diffinitoribus Generalibus, aliisque Superioribus præsentibus, & pro tempore existentibus dicti Ordinis, cæterisque Religiosis ejusdem Ordinis licet absen. Reverendiss. P. Dominico à Sanctissima Trinitate Præposito Generali dicti Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, necnon Adm. Rev. P. Philippo à Sanctissima Trinitate, & Rev. P. Balthassare à S. Catharina Senense Diffinitoribus Generalibus prædicti Ordinis Congregationis Italiæ præsentibus, & acceptantibus etiam pro Adm. RR. PP. Joanne à Sancto Hieronymo & Paulo à Sanctissimo Sacramento etiam Diffinitoribus Generalibus Ordinis, & Congregationis prædictæ absentibus pro quibus, & quatenus opus sit de rato in forma promittentibus; Ita quod &c. aliàs &c. in perpetuum concessit, & assignavit cum clausula, & effectu constituti in forma nullo jure &c. nisi infrascriptis legibus, conditionibus, & reservationibus inter ipsum Eminentiss. D. Cardinalem, & prædictos Rev. P. Præpositum Generalem, & Adm. RR. PP. Diffinitores nomine proprio, ac totius Ordinis hujusmodi sub eodem beneplacito Apostolico conventis, & statutis videlicet.

Quod Titulus, & denominatio Abbatiæ prædictæ, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, res, bona, dona, proprietates, prædia, jurisdictiones, actiones, annexa, & connexa, pertinentia, dependentia, adjacentia, præter præmissa, Census, Canones, responsiones, & alia quæcumque in quibusvis rebus consistentia bona ad Monasterium prædictum quomodolibet, quocumque titulo, spectantia, & pertinentia ad prædictum D. Cardinalem, & ejus in dicto Monasterio successores liberè, ac pleno Jure perinde, ac si concessio prædicta facta non fuisset perpetuò reservata existant; Itaut eadem Concessio semper

intelligatur facta, & esse debeat de solis, & nudis muris ipsius Ecclesiæ, illiusque domorum, ac de Viridario, & Terris prædictis, ac omnia, & singula alia superiùs expressa præter hæc præmissa à prædictis Ecclesia, & Monasterio, etiam perpetuò penitùs & omninò sejuncta, disiuncta, divisa, separata, & segregata esse debeant, & intelligantur. Itaut Præpositus Generalis, & alii Superiores, ac Fratres Seminarii, & Ordinis hujusmodi ad quorum favorem hæc Concessio fit, nil aliud unquam perpetuis futuris temporibus quovis prætextu etiam inopinato, & ex quavis causa etiam ratione onerum prædictæ Ecclesiæ incumbentium, & illorum adimplementi etiamsi aliquid ex præmissis pro adimplemento onerum specialiter donatum, seù relictum fuisset habere, & prætendere non possint præterquam nudam Ecclesiam, Fabricas, Viridarium, & Terras prædictas, necnon etiam eidem Eminentiss. D. Cardinali, ac ejus in prædicto Monasterio Successoribus tres stantiæ in dicto Monasterio propè Portariam ad eorum dumtaxat usum, & habitationem pro illorum personis tantum reserventur, & reservatæ existant, & intelligantur, & prædicti Præpositus, & Definitores Generales, & pro tempore existentes Superiores, & alii Religiosi dicti Ordinis teneantur, & obligati existant prout supradicti Reverendiss. P. Præpositus, & PP. Philippus, & Balthassar Diffinitores, & pro aliis Diffinitoribus ut supra obligarunt & promiserunt quandiù Seminarium prædictum in Aedibus prædictæ Ecclesiæ permanserit propriis Seminarii, seù Congregationis, aut Ordinis hujusmodi sumptibus, & absque eo quod à prædicto Eminentiss. D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio Successoribus aliquid unquam pro tempore consequi, seù prætendere valeant in prædicto Monasterio Sacerdotes habere,& tenere, qui Missas in prædicta Ecclesia celebrent, & Divina Officia peragant, ac omnia, & singula onera dictæque Ecclesię quomodolibet incumbentia, tam ea quę ad præsens in lucem prodierunt, quàm alia quæcumque quæ forsan tractu temporis detegentur ad amussim, & ad unguem adimpleant confecto per eos libro in quo onera prædicta, quorum notitia ad præsens habetur, adnotentur, & etiam simili modo alia quæ forsan in futurum apparere contingat, quem librum tertio quoque anno ad dictum Eminentiss. D. Cardinalem, & Commendatarium pro tempore existen. teneantur deferre, ut videre possint an onera sint adimpleta, necnon omnes reparationes necessarias, tàm in dicta Ecclesia, quàm Aedibus prædicti Monasterii propriis sumptibus facere. Itaut prædictus Eminentiss. D. Cardinalis, & ejus in dicto Monasterio Successores aliquid occasione reparationum prædictarum contribuere mimimè teneantur nisi casu, quo tractu tempore Ecclesia, seù Monasterium hujusmodi in totum, vel in notabili parte rueret, tunc enim Ecclesiæ, seu Monasterii hujusmodi refectio ad prædictum Eminentiss. D. Cardinalem, & ejus in dicto Monasterio successores spectet, & pertineat, neque liceat Præposito Generali aliisque Superioribus, & Religiosis dicti Ordinis perpetuis futuris temporibus Ecclesiam, seù Fabricas, & Viridarium, & terras prædictas cuicumque aliæ Religioni, seù personæ cujuscumque gradus, status, & conditionis etiam speciali nota dignæ, quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione, neque in toto, neque in parte etiam minima concedere, neque ad effectum concessionis hujusmodi licentiam, & facultatem à Sede Apostolica petere, & obtinere, liceat tamen quascumque commoditates eisdem PP. placitas, & benevisas in Ecclesia, & Monasterio prædictis pro eorum arbitrio peragere, debeantq; Religiosi dicti Ordinis, qui in dicto Monasterio permanserint ornamenta Altarium, & paramenta Ecclesiastica, ac supellectiles Sacras in meliorem statum reducere, & ut bona mobilia, & supellectilia Ecclesiæ, & Monasterii hujusmodi majori, qua potest cura conserventur, & manuteneantur, debeantque etiam conficere Inventarium, in quo mobilia, & supellectilia prædicta cum eorum qualitatibus, & statu in quo ad præsens reperiuntur adnotentur, & de illis teneantur Religiosi prædicti, prout dicti Patres Diffinitores præsentes, nominibus quibus supra promiserunt, & se obligarunt bonum, & fidele computum reddere prædicto Eminentiss. D. Cardinali, & ejus in dicto Monasterio Successoribus, ac si tractu temporis Seminarium prædictum à prædicto Monasterio amoveatur, seu amplius non subsistat, ac Religiosi dicti Ordinis dictum locum relinquant tunc, & eo casu etiam teneantur, & obligati existant Ecclesiam, Fabricas, Viridarium, & terras prædictas, cum omnibus, & singulis reparationibus, melioramentis, commoditatibus, & ornamentis per Religiosos dicti Ordinis in eisdem Ecclesia, Fabricis, Viridario, & Terris quomodolibet factis prædicto Eminentiss D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio Successoribus, liberè restituere absq; eo quod aliquid propterea à prædicto Eminentiss. D. Cardinali, sive ejus in dicto Monasterio Successoribus habere, seù quocumque titulo prætendere possint, & valeant. Itaut prædictus Eminentiss. D. Cardinalis, sive ejus in dicto Monasterio successores præmissorum omnium, & singulorum possessionem propria auctoritate, & de facto absque Judicis sententia, sive ministerio apprehendere, & retinere possint, & valeant, expresso ad id Præpositi Generalis, & Diffinitorum prædictorum proprio, & totius Ordinis hujusmodi nomine accedente consensu.

Declarantes, & constituentes se precario nomine Commendatarii pro tempore existentis prædicti Monasterii Ecclesiam, Fabricas, Viridarium, ac Terras prædictas possidere, quam clausulam, ut vocant constituti, volunt, & intendunt, ut nunquam tractu temporis, spiret, sed semper, & perpetuò duret, liceat tamen eo casu Religiosis prædictis bona mobilia, & supellectilia cujuscumque generis sint, vel speciei ad usum Ecclesiæ, sive ejus Sacristiæ, aut Monasterii hujusmodi quomodolibet spectantia, & pertinentia, quæ Religiosi prædicti de eorum proprio comparaverint, seu quomodolibet eis donata, elargita, aut concessa fuerint nullo dicti Eminentiss. D. Cardinalis, ejusque in dicto Monasterio Successorum ad hoc requisito consensu levare, & secum asportare relictis tamen mobilibus, & supellectibilibus Ecclesiæ, & Monasterii hujusmodi in eisdem statu, & terminis in quibus ad præsens reperiuntur; Ita ut si usu consumpta fuerint, alia in eorum loco submittere, & subrogare, teneantur, & obligati existant, teneanturque denique Religiosi prædicti, prout dicti Diffinitores promiserunt intuitu concessionis hujusmodi tradere, & consignare dicto Domino Cardinali, statim obtento beneplacito Apostolico super approbatione, & confirmatione præmissorum, & infrascriptorum Tabulam depictam cum effigie Sancti Pancratii, ut vulgò dicitur un quadro di San Pancratio, & deinde futuri perpetuis temporibus in die Festo ejusdem S. Pancratii eidem, Eminentiss. D. Cardinali, ejusque in dicto Monasterio successoribus, tradere unam intorticiam Ceræ albæ librarum trium, ac etiam Præpositus & Diffinitores Generales prædicti, eorum propriis, & totius Ordinis, & Seminarii hujusmodi nomine concessionem, & assignationem prædictam modo, & forma præmissis factas reservato ut prefertur dicto Beneplacito Apostolico, & non aliàs acceptarunt, & emolugarunt, non solum præmisso sed, & omni meliori modo.

Quæ omnia, & singula supradicta supradicti Præpositus, & Diffinitores propriis, & quibus supra nominibus, & dictus D. Julius Cæsar. Procurato-

rio

rio nomine dicti D. Cardinalis promiserunt habere rata, grata, valida, & firma, & contra non facere sub quovis prætextu &c. alias &c. de quibus &c. quod Juramentum &c. pro quibus dicti Patres Præpositus, & Diffinitores proprijs, & quibus supra nominibus, sub eadem beneplaciti reservatione bona dicti eorum Monasterii, & Ordinis, seù Congregationis, Religiosos, & successores quoscumque in eis, & dictus D. Julius Cæsar Procuratorio nomine quo supra dictum Eminentissimum Dominum Cardinalem bona &c. in forma Cameræ Apostolicæ cum solitis clausulis &c. citra &c. obligarunt &c. renunciarunt &c. consenserunt &c. unica &c. & tactis pectoribus more &c. & scripturis respective jurarunt, &c. super quibus omnibus, & singulis præmissis, petitum fuit à me Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficerem, atq; traderem Instrumentum, & Instrumenta prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in Palatio solitæ habitationis Illustriss. & Reverendiss. D. Fagnani in Monte Pinceo præsentibus ibidem audientibus, & intelligentibus Rev. D. Hieronymo filio q. Io. Dominici Ermini Urbevetano, & D. Io. Carolo Pasquetto q. Archangeli de Pedeluco Interamnen. Dioec. Testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis habitis specialiter atque rogatis. Ego Antimus Curtus Cur. Cau. Camer. Apostolicæ Notarius, de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi requisitus.

Confirmat concessionem præfatam.

§. 4. Nobis propterea prædictus Dominicus Præpositus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Dominicum Præpositum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis., suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes: ac quarumvis litterarum Apostolicarum præsertim fel. rec. Pauli V. ac Urbani VIII. & Innocentii X. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum etiam in simili forma Brevis super institutio. ne dicti Seminarii, ac ordinationibus illud quovis modo concernentibus respectivè emanatarum, necnon Decretorum præfatæ Congregationis Cardinalium negotio Propagandæ Fidei Præpositorum, ac Capituli Generalis Ordinis, seù Congregationis Italiæ hujusmodi concordiarum, testamentorum, codicillorum, legatorum, & aliorum dispositionum quarumcumque tenores, & datas etiam veriores, ac alia etiam speciali, & individua mentione, & expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictæ Ecclesiæ S. Pancratii, & Fabricarum illi adjacentium, & Viridarii, necnon Terrarum illi vicinarum, ac annexarum, & connexarum circumcirca Ecclesiam, & Monasterium hujusmodi prædictis Dominico Præposito Generali, & Congregationi Italiæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo à prædicto Francisco Cardinale sicut præmittitur factam, ac confectum desuper instrumentum præinsertum cum omnibus, & singulis in eo quomodolibet contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet etiam substantiales & formales defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo quovis modo intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, prætendi, vel intelligi unquam possent, supplemus, & sanamus, ac penitùs, & omninò tollimus, & abolemus. Præterea in prædictis Fabricis ad usum Monasterii factis, & quæ ad eum effectum ante suppressionem prædicti Ordinis SS. Barnabæ, & Ambrosii ad Nemus serviebant, novum Conventum Fratrum Discalceatorum nuncupatorum dictæ Congregationis Italiæ Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, sub titulo, seù invocatione S. Pancratii cum Ecclesia ejusdem S. Pancratii, ac Viridario, & Terris supradictis itidem perpetuò erigimus, & instituimus. Ac prædictum Seminarium S. Pauli in supradicto Conventu S. Mariæ de Victoria aliàs Apostolica auctoritate erectum, & institutum à Conventu hujusmodi in Conventum S. Pancratii sic noviter erectum pariter perpetuò transferimus. & transportamus, seù ipsum Seminarium sub denominatione, seu invocatione ejusdem S. Pauli in dicto novo Conventu S. Pancratii, itaut idem Seminarium regimini, & gubernio memorati Dominici moderni, & pro tempore existentis Præpositi, ac Definitorii Generalis memoratæ Congregationis Italiæ Fratrum Discalceatorum in omnibus, & per omnia immediatè subsit, & in illo assiduè commorari debeant duodecim saltem Seminaristæ in Sacro Presbyteratus ordine constituti, ac regulares dictæ Congregationis ex illius Provinciis assumendi, qui bonis moribus, pietate, zelo, prudentia, doctrina, aliisque virtutibus, necnon corporis sanitate præditi sint, & Studium Sacræ Theologiæ compleverint, ac intra octiduum à die ingressus cujuslibet eorum in dictum Seminarium votum, seù juramentum eundi ad Missiones sibi injungendas in manibus dicti Præpositi Generalis, seù Superioris novi Conventus hujusmodi pro tempore existentis emittere debeant sub hac forma videlicet: Ego N. promitto me ad quamlibet Missionem pro conversione infidelium, seù hæreticorum iturum cum obedientia id mihi injunxerit, nec ab hoc voto, seu juramento absolvi unquam possint, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuò de novo erigimus pariter, & instituimus. Volentes, & decernentes quod præfatus modernus, & pro tempore existens Præpositus Generalis antedictæ Congregationis Italiæ semper teneatur eosdem Seminaristas ad eas Missiones destinare, seù amandare, quæ ei à præfata Cardinalium Congregatione negotio Propagandæ Fidei Præposita ordinatæ fuerint, juxta modum, seù capacitatem redditum Seminarii hujusmodi ad rationem annuorum quinquaginta scutorum pro quolibet Missionario.

§. 5. Quod si dictus Præpositus Generalis in aliquo casu particulari existimaverit non expedire mitti aliquem ex dictis Seminaristis, eo casu obligatus sit alium ab eadem Cardinalium Congregatione approbandum mittere. Postquam verò quilibet Seminarista ad Seminarium hujusmodi advenerit, debeat Superior ipsius Seminarii pro tempore existens, eum ad dilectum filium Secretarium prædictæ Congregationis Cardinalium ducere, ac in illius manibus notam diei adventus ipsius Seminaristæ, necnon juramenti, seù voti prædicti per eum præstiti exhibere, ac insuper quotannis ineunte Mense Novembri notam omnium Seminaristarum tunc viventium, tàm in Seminario tunc actu existentium, quàm eorum qui in Missionibus fuerint, ac denique eorum, qui juramentum, seù votum hujusmodi præstiterint, & tunc temporis nec in Seminario, nec in Missionibus fuerint memorato Secretario tradere cum expressione ætatis uniuscujusque illorum, necnon temporis quo juramentum, seù votum prædictum emiserint, & quoad Missionarios à que tempore reperiantur in Missionibus, à qui-

bus nemo possit amoveri aut revocari absque participatione præfatæ Congregationis Cardinalium. Præterea statuimus, & ordinamus, ut novus Conventus, & Seminarium hujusmodi subjaceant curæ unius Rectoris, & unius Vicerectoris Fratrum Discalceatorum dictæ Congregationis Italiæ ponendorum & amovendorum ad nutum Præpositi Generalis, & Definitorii Præfatorum, cum participatione tamen & approbatione, quantum quidem ad Rectorem attinet dictæ Congregationis Cardinalium in scriptis facienda; ipse verò novus Conventus ita servire debeat usui Seminarii supradicti, ut in eo nemo commorari possit, præter Seminaristas eorumque Magistros, & Lectores controversiarum, ac Linguarum Orientalium, aliosque Religiosos Ministerio Ecclesiæ, & servitio domestico ipsius Seminarii necessarios, quorum electio, & amotio in futurum spectet ad memoratum Præpositum Generalem, cum participatione tamen præfatæ Congregationis Cardinalium quantum ad Seminaristas, eorumque Lectores attinet. Ad hæc administrationem omnium, & singulorum bonorum, redditum, & proventuum Supradicto Seminario ejusque Missionibus hactenus, tàm à præfato Francisco Cimino Barone, quàm ab aliis quibuslibet relictorum, datorum, seù donatorum, & in posterum quovis modo dandorum, relinquendorum, & donandorum curæ, & diligentiæ Præpositi Generalis, & Definitorii præfatorum ad quinquennium committimus, & supponimus, quæ administratio finito quinquennio hujusmodi ejs prorogari, seù renovari possit si præfatæ Cardinalium Congregationi ita videbitur, ea lege ut iidem Præpositus Generalis, & Diffinitorium constituant Syndicum ad exigendos expendendosque redditus præfatos, qui Syndicus semel, vel bis annis singulis fidelem eorundem redditium rationem, tàm Præfato Definitorio Generali, quam memoratæ Cardinalium Congregationi reddere, ac pro alimentis, & sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque rebus necessariis dictorum Seminaristarum, eorumque Lectorum, memorato novo Conventui, ejusque Superiori ex redditibus ipsi Seminario, tàm hactenus relictis, quàm in posterum relinquendis scuta quinquaginta monetæ annuatim pro quolibet Seminarista, & Lectore, ac ad rationem annuorum quinquaginta scutorum monetæ hujusmodi pro rata temporis quo quilibet Seminarista, seu Lector in eodem Seminario resederit, ibique aliis cohabitaverit, & convixerit, respectivè solvere teneantur.

§. 6. Quod si Lector pro Studio Linguarum fuerit Sæcularis, vel Religiosus alterius Ordinis, competens ei salarium, seù stipendium ex redditibus dicti Seminarii memoratæ Congregationis Cardinalium arbitrio assignetur. Demum eidem Seminario sic à Nobis translato, seu de novo erecto, omnia & singula bona, redditus, proventus, jura, actiones, & alia quæcumque cujusvis generis, speciei, & qualitatis sint, ac ubicumque locorum consistant, tàm illa quæ à præfato Francisco Cimino aliisve personis quibuslibet Seminario antedicto, ejusque Missionibus quovis modo hactenus relicta, donata, data & elargita fuerunt, quàm in posterum quandocumque, & quomodocumque relinquenda, donanda, danda, & elargienda, itaut liceat præfatis Præposito Generali, & Definitorio ejusdem Seminarii nomine illorum omnium, & singulorum veram, realem, & corporalem possessionem, seu quasi apprehendere, & adipisci, ac apprehensam, & adeptam retinere, auctoritate, & tenore præfatis, itidem perpetuò applicamus, & assignamus, & appropriamus. Ac eisdem novo Conventui, & Seminario, necnon Seminaristis, & Fratribus dictæ Congregationis Italiæ in illis pro tempore commorantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, prærogativis, gratiis, indultis, antelationibus, præeminentiis, facultatibus, & favoribus quibus alii Conventus Congregationis, & Ordinis præfatorum, ac personæ in eis degentes de jure, usu, consuetudine, & aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus.

§. 7. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, aut aliàs speciali, & individua mentione digni existant illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati & auditi, seu causæ propter quas præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intensionis nostræ, seu interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, ac formali, & substantiali, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes litteras sub quibusvis similium, vel dissimilium confirmationum, erectionum, translationum, aplicationum, assignationum, appropriationum, concessionum, indultorum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, Sedemque Apostolicam sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet clausulis, & decretis quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum, restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per præfatos Præpositum Generalem, & Definitorium, ac Superiorem, Seminaristas, & Fratres novi Conventus, & Seminarii hujusmodi pro tempore existentes eligenda concessas intelligi, semperque firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 8. Non obstantibus præmissis, necnon præfatis nostris, ac memoratorum Pauli, Urbani, & Innocentii Prædecessorum etiam in simili forma Brevis litteris, & concordiis, legatis, testamentis, codicillis, & dispositionibus ex quacumque cau- Contrariis derogat.

sa, occa-

si, occasione, & tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, executis, & observatis respectivè, & aliis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutatamus, ac nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, & quatenus opus sit illa de unionibus, & applicationibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibendo, necnon rec. mem. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac præfatorum Monasterii, & Ecclesiæ Sancti Pancratii Conventus Sanctæ Mariæ de Victoria, & Seminarii, necnon Provinciæ Romanæ, ac Congregationis Italiæ, & Ordinum hujusmodi, aliisve quibuslibet, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, & approbatis, & innovatis, aliisque omnibus & singulis, quæ in supradictis litteris nostris volumus non obstare. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialia, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas, & occasiones, præsentibus pro plenè & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis, expressis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 7. die 1. Martii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Martii 1602. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXXI.

Super unione Congregationum Monachorum Vallis umbrosæ, & Silvestrinorum nuncupat. sub Regula Sancti Benedicti Militan. In unam Congregationem, quæ Vallis Umbrosæ, & Silvestrina Ordinis S. Benedicti nuncupabitur.

Monachorum Silvestrinorum Congregationem fundavit S. Silvester Guzzolinus Abbas Auximanus Paul. V. Constit. 106. Monachorum Vallisumbrosæ Institutor fuit. S. Joannes Gualbertus Calest. III. Constitut. 2.

Edita An. D. 1661.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Omnipotentis Dei, cujus ineffabili bonitate, & providentia stant, & reguntur universa, vices (licet immeriti) gerentes in terris, ad ea peculiares vigilantiæ nostræ curas propensissima charitate convertimus, quæ fœlici prosperoque statui & regimini Congregationum Virorum sub suavi Christi jugo laudabilibus vitæ Monasticæ institutis incumbentium, uberesque bonorum operum fructus, aspirante Divina, gratia proferre jugiter satagentium conducibilia fore, prudenti deliberatione prævia arbitramur.

§. 1. Cum itaque Congregationes Monachorum Vallisumbrosæ, & Silvestrinorum nuncupatorum sub eadem nempe Sancti Benedicti regula militent, si verò illæ sub unius Superioris Generalis gubernio unirentur, & in unum corpus conjungerentur, inde non modicum divini servitii utilitatis utriusque Congregationis hujusmodi proveniret incrementum, & inter ipsarum Congregationum professores charitatis, aliarumque religiosarum virtutum studia magis, magisque in dies florerent, & vigerent: Hinc est quod Nos ex Pastoralis offici nostri debito earundem Congregationum fœlici statui, & commodis salubriter quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes.

§. 2. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem Congregationes Monachorum Vallisumbrosæ, & Silvestrinorum nuncupatorum, ac omnia, & singula utriusque illarum Monasteria, Grancias, Conventus, membra, & alia loca regularia, quæcumque ad illas quovis modo spectantia, & ab ipsis Congregationibus, earumque Monasteriis, & locis regularibus quomodocumque, & qualitercumque dependentia in unam Congregationem quæ Congregatio Vallisumbrosæ, & Silvestrina Ordinis S. Benedicti nuncupari, & conjunctis ambarum Congregationum prædictarum insignibus uti debeat, tenore præsentium perpetuò conjungimus, & unimus, Volentes ut universa Congregatio, sic ex duabus in unam coalescens, in tres Professiones in omnibus inter se ac penitus, & omninò coæquatas, & quarum una S. Benedicti, & altera Sancti Joannis Gualberti, ac tertia S. Silvestri respectivè vocentur, divisa sint, Electio autem Abbatis Generalis alternatim, & per turnum inter easdem Professiones fiat, & Abbas Generalis pro tempore electus universæ Congregationis hujusmodi caput existat. Unit ambas Religiones.

§. 3. Quandocumque verò Abbas Generalis ex una professione fuerit, Visitatores ex aliis duabus professionibus assumantur. Porrò electio Abbatis Generalis post Modernum ex toto gremio Capituli generalis de persona habili fiat nullo habito ad ullam professionem respectu, & finito Generalatu electi eadem forma eligatur ad subsecuturum quadriennium unus ex Professione S. Silvestri, nisi tamen ex illa assumptus fuerit Abbas Generalis pro quadriennio antecedenti, itaut à primo electo turnus, seu alternativa incipiat.

§. 4. Statuentes ut quando Abbas Generalis fuerit ex aliqua dictarum professionum S. Benedicti, & S. Joannis Gualberti, Vicarius Generalis Congregationis hujusmodi semper sit ex professione S. Silvestri, & vice versa si ex professione S. Silvestri fuerit Abbas Generalis, ex aliqua prædictarum S. Benedicti, & S. Joannis Gualberti Professionum assumatur Vicarius Generalis. Quod si prius electus in Abbatem Generalem sit ex Professione S. Silvestri, post hunc eligatur in Abbatem Generalem unus ex illa aliarum duarum Professionum quæ Abbatem Generalem immediatè non habuerit, Vicarius autem Generalis secundum in universa Congregatione hujusmodi locum habeat, omnique facultate, quæ Vicario Generali competere solet (præterquam eligendi, vel removendi Superiores, & Officiales ac mutandi, seu transferendi Monachos ab uno loco in alium absque occasione gravis scandali, & casus urgentis) potiatur, & in casu vocationis Generalatus succedat Vicarius Generalis in omnibus, & per omnia cum auctoritate Abbatis Generalis usque ad novam electionem, quæ tertia Dominica post Pascha Resurrectionis Dominicæ vacationem hujusmodi immediatè subsequente fieri debeat.

§. 5. Præterea statuimus ut universæ Congrega-

tionis prædictæ in Rom. Curia Procurator Generalis pariformiter sicut Abbas Generalis alternatim eligatur, cum restrictivis, & clausulis supra expressis quoad electionem Abbatis Generalis, ita tamen, ut si prima vice Abbas Generalis ex Professione S. Silvestri non eligatur, debeat ex illa eligi Procurator Generalis.

§ 6. In quolibet autem Capitulo Generali eligantur novem Definitores, tres videlicet ex singulis illis professionibus ex quibus Abbas Generalis non fuerit assumptus, duo verò ex illà, quæ ea vice habuerit Abbatem Generalem, qui semper sit, & intelligatur esse caput Definitorii, & novemnarium Definitorium numerum compleat. Porrò extra Capitulum in causa vacationum electio novorum Abbatum Vocalium, & Officialium fiat ab Abbate Generali, & duobus Visitatoribus; prius tamen Definitores illius professionis, in qua vacatio contigerit, tres Monachos habiles per vota Secreta eligant proponendos Abbati Generali, & Visitatoribus, qui aliquem ex tribus nominatis in Abbatem, & Officialem eligere teneantur. Eveniente verò legitima vacatione unius vel plurium ex prædictis tribus Definitoribus, unus vel plures Abbates ejusdem Professionis illi ex dictis tribus Definitoribus, qui professione antiquior fuerit, viciniores advocentur. Et hic idem stylus etiam servetur in casu vacationis Visitatorum extra Capitulum.

§. 7. Quælibet autem electio, tàm in Capitulo, quàm extra Capitulum celebranda per duas ex tribus partibus suffragiorum fiat, alioquin sit nulla. Ad hæc volumus, ut quicumque Monachi trium Professionum antedictarum, qui sunt, & usque ad publicationem novarum Constitutionum erunt capaces cujusvis gradus in sua habilitate remaneant.

§. 8. Constitutiones verò ambarum Congregationum per præsentes in unam conjunctarum à tribus ex Vallisumbrosæ, qui sint Abbas Generalis, & duo Visitatores, necnon ab aliis tribus Monachis ex Sylvestrinorum Congregationibus hujusmodi, qui sint Vicarius Generalis, ac Procurator Generalis, & primus Visitator revideantur, & ad congruentem tertiam formam reducantur. Ipsæque Constitutiones sic revisæ, & reductæ à Capitulo Generali approbentur, & Nobis subindè confirmationis Apostolicæ desuper obtinendæ gratia præsententur.

§. 9. Debita autem hucusque contracta à prædictis duabus Congregationibus solvantur distinctè, sicut modo fit, nec sint communia; ad debita vero contrahenda, & expensas faciendas post præsentem unionem, quæ concernerent corpus Religionis concurrant omnes Professores pro rata.

§. 10. Præterea volumus pariter, & ordinamus, ut dilectus filius modernus Abbas Generalis Congregationis Vallisumbrosæ Generalatum universæ Congregationis Vallisumbrosæ, & Sylvestrinæ hujusmodi gerat, dilectus vero pariter filius modernus Abbas Generalis Congregationis Sylvestrinorum remaneat Vicarius Generalis Congregationum Vallisumbrosæ, & Sylvestrinæ, ut præfertur, conjunctarum, & in sua Professione Sancti Sy vestri eandem auctoritatem, eandemque denominationem, quam nunc habet, retineat usque ad Capitulum Generale, & casu quo deficiat Abbas Generalis, Generalatum totius Congregationis suscipiat gerendum usque ad novam electionem, ut supra faciendam.

§. 11. Dilecti quoque filii moderni Procuratores Generales, tàm Vallisumbrosæ, quàm Sylvestrinæ Congregationis supradictarum remaneant Procuratores respectivè suarum Professionum eo modo quo nunc sunt usque ad Capitulum Generale: quod si interea aliquis eorum cessaverit ab officio, alter remaneat Procurator Generalis ambarum Congregationum insimul unitarum, pari modo dilecti filii moderni Visitatores Sylvestrini in suis muneribus remaneant usque ad finem eorum triennii, quo tempore durante tantum Abbas Generalis una cum illis professionem S. Sylvestri visitare possit; Finito verò triennio hujusmodi, eo anno qui superest usque ad Capitulum Generale, tàm Visitatores Sylvestrini, quàm duo Vallisumbrosæ una cum Abbate Generali universam Religionem visitent, idque intelligatur pro d. anno; postmodum verò observetur in novo Capitulo Generali illud quod supra decretum est circa Visitatores. Quod si durante d. triennio alicujus ex Monasteriis professionis S. Sylvestri vacatio occurrat, possit illius Vicarius Generalis nominare Monachum habilem Abbati Generali, à quo nominatus instituatur, & hæc forma observetur usque ad Capitulum Generale. Præfatæ autem electiones, & electi, necnon omnes moderni Superiores Sylvestrini in suis Superioritatis Officiis durent usque ad dictum Capitulum Generale, in quo pro novis electionibus faciendis ad probitatem, ac virtutes, & merita promovendorum attendatur.

§. 12. Postremò eidem Congregationi per præsentem unionem ex duabus in unam coalescenti, ejusque Monasteriis, & aliis locis Regularibus, ac Superiorbus Monachis, & personis quibuscumque, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, indultis tàm spiritualibus, quàm temporalibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, honoribus, & favoribus, tàm à Nobis, quàm à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Sede Apostolica cuilibet ex memoratis duabus Congregationibus quovis modo, & qualitercumque concessis, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus concedimus, & indulgemus.

§. 13. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quovis modo prætendentes cujusvis status, gradus, præeminentiæ, superioritatis, ordinis, conditionis, & dignitatis existant, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana dignitate prædíti, seu aliàs speciali, & individua mentione, & expressione digni sint, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, seu causæ propter quas præsentes emanarunt adductæ, & verificatæ, & sufficienter, aut nullo modo justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, juridica, pia, & privilegiata causa, occasione, colore, ingenio, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu jus, vel interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliove quovis quantumlibet magno, formali, substantiali, ac incognito, & inexcogitabili, necessarioque specificam expressionem requirente defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas, & illa aperitionis oris restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, refacti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti l seu se juvare posse, neque ipsas præsentes litteras sub quibusvis similium, vel dissimilium unionum, conjunctionum, statutorum, ordinationum, concessionum, & indultorum, revocationibus restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque prædictam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibus-

Decretum irritans.

vis clausulis, & decretis, & alicui quomodocumque, & quandocumque faciendis unquam comprehendi, & comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, propositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore data per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quandocumque eligenda concessas intelligi, semperque, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executantes deputat.

§. 14. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostiensibus, & Portuensibus Episcopis, ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per easdem præsentes motu pari committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios ipsas præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu illorum, quos præsentes litteræ concernunt, aut alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illos, & eorum singulos ipsarum præsentium litterarum, & in eis conventorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos desuper per quoscumque, quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel quovis modo impediri, præmissaq; omnia, & singula curent, & faciant ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit realiter, & cum effectu, ac exactè, & inviolabiliter observari: Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando interdictum Ecclesiasticum apponen. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 15. Non obstantibus præmissis ac quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes vocatis, quorum interest, & de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranensis Concilii uniones perpetuas, nisi in calcibus à jure permissis fieri prohibendum, ac fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac prædictarum Congregationum Vallisumbrosæ, & Sylvestrinorum, illarumque Monasteriorum, & locorum Regularium quorumvis, & aliis quibuslibet etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate, roboratis statutis, stylis usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus: privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Congregationibus, seu earum alteri illarumque, seu alterius earum Superioribus, Monachis, personis, Monasteriis, & locis Regularibus quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, causas, formas, & occasiones præsentibus pro plenè & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, expressis, servatis, & specificatis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 16. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo per sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 29. Martii 1662. Pontificatus Nostri Anno septimo. Dat. P. An. 7. die 29. Mar.

Impositio subsidii scutorum Tercentum millium monetæ super bonis undecim Congregationum Regularium pro Sanctæ Sedis Apostolicæ necessitatibus.

ALEXANDER EPISCOPUS Edita An. D. 1662.

Servus Servorum Dei, Ad Perpetuam rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

CUM inter cæteras Summorum Pontificum curas quæ animum intimè agunt quietis Subditorum securitas, sit ex quo Nos ad hanc S. Sedem supremo Dei beneficio conscendimus præcipuum Nobis studium fuit; Ut qui in nostra sunt ditione immunes à quolibet æstu timoris ea tranquillitate fruerentur, quæ pretio nullo satis compensatur, satius insuper arbitrati in Nos effundere gravissimas sollicitudines ut leviori pondere iidem premerentur. Verùm cum perturbationum vapores assurgere concipiantur, ex quibus Cœli hujus serenitas fæliciter quidem, sed maximis impensis hucusque servata posset obnubilari. Idcircò Nobis est evigilandum, ne in nubem densati difficillimè dissolvantur, cum adhuc dispersi non arduè possent dispari, ea tamen est rerum humanarum conditio, ut ingenti nonnisi pecuniarum subsidio tranquillitas ematur, propterea pervium iter, & emergentibus periculis familiare Nobis est ineundum, & dum vigiles elaboramus pro Subditorum securitatè, ipsi quoque curas nostras urgentes minuere pecuniis elargiri minimè graventur. Quod ut adhuc promptius, & illo quo potest minori incommodo præstare valeant remedia desuper adhibemus opportuna.

Indicit subsidium tercentorum milliũ scutorum.

§. 1. Motu igitur nostro proprio non ad alicujus instantiam, sed ex scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine indicimus, atque imponimus, hac una sola vice dumtaxat subsidium Tercentorum millium scutorum monetæ Romanæ super omnibus bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, decimis, censibus, & aliis juribus Congregationum Cassinensium aliàs S. Justinæ de Padua, & Lateranensis Montis Oliveti, Camaldulensis etiam quoad Ere-

mitas Camaldulen. & Montis Coronæ, Carthusien. Sancti Salvatoris Vallis Umbrosæ, Sylvestrinæ, Sancti Georgii in Alga, Cælestinorum, Cistercien. Lombardiæ, ac Tusciæ, & Sancti Hieronymi, earumque Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Beneficiorum, & Officiorum cum cura, & sine cura, & necnon Mensarum, Membrorum, Grangiarum, & Locorum omnium illis annexorum ubicumque existentium per ipsarum Congregationum Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, Conventus, Capitula, & personas juxtà solitam taxam inter ipsos faciendam Thesaurario nostro Generali Romæ illorum periculis, & impensis, & aliàs quemadmodum inter dilectum filium nostrum Flavium tituli Sanctæ Mariæ de Populo nuncupat. Presbyterum Cardinalem Chisium nuncupatum Procamerarium nostrum, quem ad hoc Commissarium, & Procuratorem nostrum cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus, & juribus, quæ omnes alii ante hac Commissarii, & Procuratores hujusmodi hebuerunt, quibusque uti, & gaudere potuerunt, constituimus, & illos, sivè illorum Procuratores convenietur integrè persolvendum. Decernentes eos omnes ad præstationem, & solutionem subsidii prædicti secundum taxam hujusmodi faciendas esse efficaciter obligatos, etiamsi bona, proprietates, fructus, & omnia alia supradicta quarta, decimis, subsidiis, & aliis multis, maximisque oneribus sunt gravata.

§. 2. Et proindè considerantes dictam summam nulla ratione congeri, nec congestam debito tempore numerari posse, nisi rebus, & proprietatibus per prædictarum Congregationum, & ipsorum locorum aliqua distrahantur, proindeque de similis potestatis plenitudine statuimus, ut singuli Superiores prædicti ratam subsidii hujusmodi sibi contingentem per sua quisque Monasteria, Prioratus, Præposituras, Beneficia, Officia, Membra, Grangias, Annexa, Conventus, & loca distribuant, & assignent, distributam, & assignatam ab Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Monasteriis Conventibus, locis, & personis, etiam per subtractionem rerum, & proventuum, & aliàs uti viderint expedire omni, & quacumque exceptione sublata, vel impedimento cessante exigant.

§. 3. Sed quia de universis dictarum Congregationum, & locorum suorum proventibus supradicta summa vix posset congregari. Nos de dictorum Superiorum fide, & probitate confisi plenam, liberam, & absolutam facultatem, mandatum, & potestatem tribuimus singulis Congregationibus, & pro eis suis Superioribus, ut nullius requisito consensu, ac etiam invitis, & reclamantibus particularibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Conventibus, & personis etiam unitorum Monasteriorum, & locorum possint, & valeant de omni, & quacumque proprietate, & dominio temporali cujuscumque Congregationis, & ejus Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Beneficiorum, Officiorum, Mensarum, Membrorum, Grangiarum, annexorum Conventuum, & locorum prædictorum ubicumque existentium etiam præviis perpetuis suppressionibus, & extinctionibus Beneficiorum, & Officiorum, ac Grangiarum hujusmodi (consulta tamen prius Sede Apostolica, quoad suppressionem, & extinctionem prædictas tantum) itaut illis secutis, ipsorum bona, & proprietates Monasteriis à quibus illa dependent applicata, & appropriata remaneant Bona, Census Feuda, loca Montium, Canones, Livellos, & alia cujuscumque qualitatis, & naturæ jura pro confectione quantitatis, quæ ad complementum supradictæ summæ Tercentorum millium scutorum necessaria erit dumtaxat, ac si taxam quamlibet ex Congregationibus prædictis tangentem excedant, dummodo pretium pro excessu hujusmodi unico contextu in emptionem aliorum bonorum stabilium ad favorem ejusdem Monasterii, uti bona vendira existebant, convertatur, seu pecuniæ excessum hujusmodi concernentes apud Montem Pietatis, seù penes ædes publicas deponantur, inde non extrahendæ, nisi ad effectum illas reinvestiendi modo, & forma præmissis, tàm conjunctim, quàm divisim possessa, etiamsi præcisis, & singularibus obligationibus, & oneribus juxta voluntatem eorum, qui bona, & alia supradicta quomodolibet dederunt, concesserunt, & elargiti sunt, sint obnoxia, & subjecta repræsentata etiam pecunia, necnon etiam anticipatis solutionibus locare, sive in Emphyteusim, sive aliàs ad unã, duas, vel plures generationes, seu nominationes, seu etiam in perpetuum concedere, sive cum aliis permutare, ac etiam liberè, vel cum pacto redimendi, & etiam de bonis, & rebus unius, sive plurium Monasteriorum, & locorum; & ejusdem Civitatis, vel Provinciæ, etiamsi Castra, Jurisdictiones, & alia hujusmodi minus utilia existant, prout Superioribus cujuscumque Congregationis magis expediens videbitur, sive ad præsens, sive quocumque temporis intervallo pro extinctione censuum pro solutione prædictæ summæ per eos respectivè contractorum, itaut singulo casu hujusmodi venditio, & pretii conversio in extinctionem censuum hujusmodi, seu partis eorum unico contextu fiat, seu saltem pecuniæ ex venditionibus prædictis redigendæ apud montem Pietatis, seu ædes publicas, ut supra deponantur, inde non extrahendæ, nisi pro extinctione censuum, seu partis eorum hujusmodi vendere, ac quocumque alio modo, & titulo alienare, & præterea omnia, & quæcumque bona feudalia, emphiteutica, vel aliàs censibus canonibus, pensionibus, recognitionibus erga se obnoxia pretio liberare, extinguere, & affrancare, necnon super bonis prædictis census annuos pro rata singulas Congregationes prædictas tangente perpetuos, & redimibiles (servata tamen forma Constitutionis fœl. record. Pii Papæ V. Pædecessoris nostri super creandis censibus editæ) creare, & imponere, necnon unum, vel plura Monasteria sive perpetuò, vel ad tempus, prout Superioribus prædictis magis placuerit, & expedire videbitur supprimere, & claudere, necnon eadem Monasteria secuta integra solutione ratæ ad quamlibet ex dictis Congregationibus quomodolibet spectantis denuò, prout eisdem Superioribus videbitur, & placuerit nulla nostra, & successorum nostrorum, & Sedis Apostolicæ, & cujusvis alterius licentia requisita de novo aperire, & in eis prout antea Religiosi Ordinis, & Congregationis, cujus Monasterium, seù Monasteria existunt degere liberè, & licitè valeant.

§. 4. Necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Beneficia, Officia, Mensas, Membra, Grangias, annexa Conventus, & loca prædicta à quibuscumque obligationibus, oneribus, fideicommissis, & caducitatibus, devolutionibus, substitutionibus etiam ad favorem aliorum piorum locorum, quibus occasione bonorum, censuum, proprietatum, jurium, aliorumque, & quorumcumque per eos vigore præsentium concedendorum, vendendorum, alienandorum, permutandorum, & de quibus aliàs quomodolibet in vim facultatis, & auctoritatis eis per easdem præsentes nostras attributæ quomodolibet disponent, quibus etiam quomodolibet, & ex quacumque causa etiam per viam testamentorum, codicillorum, legatorum ad pias causas, donationum inter vivos, seu quarumcumque aliarum elargitionum sunt quomodolibet obnoxia, & subjecta penitus, & omninò absolvere, eximere, & liberare.

§. 5. Ita tamen ut quoad obligationes, & onera in alia bona, & proprietates ejusdem Congregationis transferre omninò debeant, & bona, & proprietates in quæ obligationes, & onera hujusmodi translata fuerint eisdem perpetuò subjecta, & ob-

noxia

noxia remaneant conditiones, & pacta super his cum cautionibus, vinculis, obligationibus, & aliàs res universas, & singulas cujuscumque Congregationis pro ea parte sibi, & suis locis contingente complectentibus, necnon clausulis, & decretis requisitis, & oportunis inire contractus, instrumenta, cæteraque necessarias facere, & has concessiones, venditiones, permutationes, liberationes, affrancationes, suppressiones, creationes, & impositiones, unam videlicet, vel plures etiam ad effectum creationis, vel extinctionis, seu venditionis, vel recuperationis aliarum hujusmodi rerum invicem, ac simul, vel pluries facere, & quoties eis placuerit variare (consulta tamen prius Sede Apostolica quoad variationes hujusmodi tantum) etiam sine processu in forma si in evidentem, aut aliàs formando, & habendo, aut consensu, vel auctoritate generalis Capituli requirendo, & pro dictorum omnium effectu per se, vel alium, seu alios singulos Abbates, Præpositos, Priores Conventus, & personas etiam Monasteriorum, locorum, unitorum, tàm conjunctim, quàm divisim ad locationes, concessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, extinctiones, affrancationes, & suppressiones, & alia prædicta omnia etiam manu regia compellere. Contradictores impedientes, vel reclamantes Monasteriis, Prioratibus, Præpositatibus, Dignitatibus, admissionibus, & officiis, prout sibi videbitur, deponere, ad futura inhabiles efficere, Excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis innodare, Interdictum Ecclesiasticum apponere, auxiliumque brachii sæcularis invocare, cæteraque in prædictis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, & exequi valeant, etiamsi talia contigerint, quæ licentiam facultatem, aut mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus est expressum. Verum quia Congregationum prædictarum Procuratores, qui hic sunt mandatum ad prædicta speciale non habent, quia etiam nonnullarum Procuratores, vel hinc abesse, vel omnino non esse contingere potest, & præsens necessitas urget hæc quamprimum faciendi.

§. 6. Nos defectum hujusmodi nostra auctoritate supplere volentes supradictis Procuratoribus etiam nomine illarum Congregationum, quarum Procuratores hic desunt, & pro ea parte illos tangente dumtaxat vocatis, tamen in eorum loco aliquo, vel aliquibus Abbatibus, Superioribus, aut aliis Præsidentibus suorum locorum, qui hic sunt, tàm conjunctim, quàm divisim prædicta omnia, & singula usque ad prædictam summam etiam, & pro cujusque rata dumtaxat, faciendi, gerendi, exequendi, & obligandi liberam, & absolutam licentiam, & auctoritatem tribuimus, eaque si fiant, postquam factæ fuerint, illud idem robur habere, ac universis, & singulis, ad quos res pertinebit, perindè suffragari debere volumus, ac si in suis Capitulis generalibus, ac aliàs servatis omnibus, quæ de jure, & juxta statuta, consuetudines, privilegia, & indulta singularum Congregationum prædictarum servari deberent omninò servarentur, supplentes ex nunc prædictos, & quoscumque alios juris, & facti defectus, si qui intervenerint in eisdem.

§. 7. Volumusque prædicta omnia, necnon locationes, concessiones, permutationes, venditiones, alienationes, liberationes, affrancationes, creationes, impositiones, suppressiones, & quæcumque alia quæ præsentium auctoritate fient perpetuò consistere, & quæcumque tàm juris, quàm facti, & alio quantumvis substantiali defectu impugnari sive contra eadem præmissa sic facta, gesta, & executa per quoscumque aliquod juris, vel facti remedium impetrari, aut illo impetrato, uti, ac eadem præmissa in jus, vel controversiam reduci nullo umquam tempore posse, neque debere, sed quoscumque concernunt, & concernent in futurum omni, & quocumque effectu, & commodo pacificè gaudere. Singulasque super singulis locationibus, aliisque omnibus, & singulis præmissis litteras, seu earum confirmationes, & alias dispositiones singulas illis petituris gratis ubique concedi etiam in forma brevis per secretariam nostram secretam expediri debere.

§. 8. Quocirca prædicto Flavio Cardinali Procamerario, & Commissario nostro plenam, liberam, omnimodam, & absolutam potestatem, facultatem, & auctoritatem tribuimus, Congregationes, Superiores, Abbates, Priores, Præpositos, & alios prædictos, tàm conjunctim, quàm divisim ad integram præstationem, & solutionem subsidii prædicti juxta formam Indictionis, & impositionis hujusmodi faciendas etiam per Edictum locis publicis affigendum movendi, & requirendi cum illis, eorumque Procuratoribus conveniendi, deque modis, & cautionibus solutionis prædictæ, & aliis hoc negotium concernentibus, paciscendi, obligationes, promissiones, & fidejussiones exigendi, & vicissim præstandi, contractus super his necessarios etiam nostro, & Cameræ prædictæ nomine stipulandi, & celebrandi, & secundum illa, necnon præsentes subsidium ipsum procurandi, contumaces, non respondentes, aut deficientes Conventus, & Congregationes interdicto Ecclesiastico supponendi, & singulares personas excommunicationis sententia feriendi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, redeuntes, & obedientes absolvendi super irregularitate propterea contracta dispensandi, & ad pristinum statum restituendi, vices suas sive totas, sive in parte alii, vel aliis idoneis citra absolutionem, dispensationem, & restitutionem delegandi, cæteraque in prædictis, & circa ea necessaria, & oportuna faciendi, & exequendi etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus sit expressum.

§. 9. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod qui cumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut alias speciali, & individua mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & audi-ti, seu causæ propter quas præsentes emanarunt verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intensionis nostræ, seu interesse habentium consensus aliove quolibet quantumvis magno, ac formali, & substantiali, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversùs illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu pari, ac de Apostolicæ potestatis prædictæ plenitudine, concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare posse, neque easdem præsentes, ac omnia, & singula in eis contenta super quibusvis similium, vel dissimilium indictionum, impositionum, facultatum, mandatorum, concessionum, indultorum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, & Romanos Pontifices, Successores nostros, Sedemque Apostolicam sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt to-

Decretum irritans.

ties

ties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori datæ per Superiores Congregationum hujusmodi pro tempore, existentes eligenda, concessas intelligi, semperque firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sic, & non alias in præmissis omnibus, & singulis censeri. Et ita per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, & Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ac alias quomodolibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Et nihilominùs omnium locorum Ordinariis, quos sive singulos Universi, & singuli Superiores prædicti duxerint eligendos. per Apostolica scripra Motu pari Mandamus, ut quoties pro parte Superiorum prædictorum, aut alicujus eorum, tàm conjunctim, quàm divisim fuerint requisiti, quisque videlicet per se, vel alium easdem, præsentes ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ipsique in prædictis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illas, & earum vigore faciendas distributiones, assignationes, locationes, concessiones, venditiones, liberationes, affrancationes, creationes, suppressiones, impositiones, exemptiones, absolutiones, & alia omnia prædicta cum omnibus inde secuturis firmiter observari, ac singulos, quos illa concernunt, & concernent in futurum. Non permittentes quemquam contra eas quomodolibet impediri, vel molestari. Contradictores quoslibet per Censuras Ecclesiasticas, & pœnas prædictas, cæteraque Juris, & facti remedia omni, & quacumque appellatione remoti compescendo, invocato etiam supradicto auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus prædictis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, ac Legatis, Testamentis, Codicillis, Donationibus, elargitionibus, ac aliis dispositionibus ex quacumque causa, occasione, & tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, executis, & observatis respectivè etiam alienationes, immutationes, aut alias conditiones fieri specialiter, & expresè prohibentibus, ac in eventum alienationis, immutationis, sive non adimplementi obligationum, & onerum in eis contentorum, aut alterius dispositionis pia, aut alia loca etiam plura ordine successivo ipso facto substituentibus, vel illa ad hæredes redire omninò volentibus, ac aliàs quomodolibet in contrarium conditis, ac quocumque vinculo firmitatis, & aliis etiam ultimis voluntatibus in contrarium prædictorum quomodolibet disponentibus, quæ quoad præmissa sufficienter, specialiter, & expresè commutamus, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. de una, & in consilio generali edita de duabus dietis, & Symmachi, Pauli II. & Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum, etiam de rebus Eccles. non alienan. ac nostris quatenus in aliquo obstent, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, & Ordinum prædictorum, aliisque quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, aliisque omnibus, & singulis etiam si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quo ad præstationem, vel solutionem aliquam minimè teneantur, nec ad id ullatenus, aut nisi per Capitula generalia, & causis in eis prius propositis, matureque discussis compelli, interdici, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam de dicto indulto mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel omninò inserta earundem præsentium, & per ipsas attributæ facultatis, & auctoritatis effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus, ac Dat. de verbo ad verbum habenda est in nostris litteris mentio specialis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis, expressis, & servatis respectivè habentes illis alias in suo robore permansuris ad prædictorum effectum specialiter, & expresè, ac plenissimè, & amplissimè derogamus & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumquè. Quia verò difficile nimis esset easdem præsentes quocumque illis opus erit perferre.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ ejusque Curiæ sigillo obsignatis, eadem illa prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum indictionis, impositionis, facultatis, mandati, potestatis, tributionis, concessionis, absolutionis, exemptionis, liberationis, alienationis, derogationis, commissionis, & supplectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. A. 8. die 16. Ap.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1662. 18. Kalendas Maii Pont. nostri Anno octavo.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu-Christi 1663. Indictione prima, die verò 29. mensis Maii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D.N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno nono, præsentes litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ per Nos Petrum Paulum Desiderium, & Pregorium Staggium Pralibati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Laurentius Barbigionus Mag. Curs.

CXXIII.

Super concordia solutionis Pensionis reservatæ à san. memor. Gregor. XIII. Super fructibus Abbatiæ Fontis Avellanæ de anno 1578. ad favorem Collegii Neophitorum, faciendæ à Collegio Germanico tantum in scu 1400. de Juliis 10. pro scuto in futurum.

Collegium Germanicum pro Scholaribus Nationis Germanicæ instituit Julius III & quasi destitutum restituit Gregor. XIII. Constit. 14. Cui redditus assignavit, ibid. §. 3.

Edita An.D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Apostolicæ dignitatis fastigium meritis licet imparibus divina dispositione evecti, illa, quæ inter personas Ecclesiasticas pacis, & concordiæ studio, ac ad componendas exortas inter Collegia pro Catholicæ fidei conservatione, & propagatione piè, salubriterque instituta controversias, provido, prudentique conventa, & decreta noscuntur esse consilio, & firmiùs subsistant, & exactius serventur, libenter cum à Nobis petitur Apostolici muniminis præsidio constabilimus.

Motiva. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rector Collegii Germanici, & Hungarici, ac Deputati, seù Ministri Collegii Neophytorum de Urbe quod cum inter eadem Collegia super annua pensione mille scutorum auri, quàm dudum fel. record. Gregor. Papa XIII. Prædecessor noster dicto Collegio Neophytorum super fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii Abbatiæ nuncupati Sanctæ Crucis de Avellana in statu Urbinaten. memorato Collegio Germanico & Hungarico per ipsum Gregorium Prædecessorem uniti, annexi, & incorporati in perpetuum reservavit, constituit, & assignavit, lis, seù controversia penderet.

Pont. commisit controversiam Protectoribus Collegii. §. 2. Venerabiles Fratres Nostri Franciscus Portuen. Barberinus, & Julius Sabinen. Episcopi Sacchettus, necnon dilectus filius noster Benedictus tit. S. Honuphrii Presbiter S. R. E. Cardinales Odescalchus nuncupati dictorum Collegiorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectores, & judices respectivè quibus controversiam hujusmodi sine strepitu, & figura judicii amicabiliter terminandam commiseramus, ad sedandas lites pro bono pacis, ac per viam transactionis, & concordiæ, unanimiter censuerunt valorem scuti auri in dies augescentem esse reducendum, & taxandum ad rationem juliorum quatuordecim, adeò ut imposterum perpetuis futuris temporibus Collegium Germanicum teneatur solvere tantummodo annua scuta mille, & quadringenta monetæ Romanæ juliorum decem pro quolibet scuto, sed quoad terminos eatenus decursos, & maturatos deberet solvere, ut antea ad rationem juliorum quindecim pro quolibet scuto, insuper mandarunt, ut idem Collegium Germanicum pro una vice tantum solveret Neophitis scuta quadringenta monetæ; hoc addito ut quatenus ipsum Collegium Germanicum in futurum sit morosum per sex menses in solutione alicujus semestris maturati, cadat à commodo hujus decreti, & concordiæ, & alias prout in eorumdem Cardinalium decreto, desuper edito continetur.

§. 3. In cujus decreti exequutionem subinde prædictorum Collegiorum nomine celebratum fuit publicum transactionis, & concordiæ hujusmodi Instrumentum tenoris, qui sequitur videlicet. In nomine Domini Amen, præsenti publico Instrumento, cunctis evidenter pateat, & sit notum, quod Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi 1662. Indictione 15. die verò 8. Maii. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ Septimi Anno ejus Octavo. In mei Simii Curiæ Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Vicarii, & D. Vincentii Octaviani Magistrorum Viarum, & Neophitorum Urbis Collegii Notariorum insolidum rogatorum, & infrascriptorum Testium præsentia præsentes, & personaliter constituti Admodum Rever. P. Joannes Hieronymus Galenus Procurator specialiter constitutus ab Admodum Rev. Patre Aloysio Spinula Rectore Ven. Collegii Germanici, & Hungarici de Urbe ad infrascripta peragen. ex Instrumento in actis mei Simii, sub hodierna die recepto, ad quod &c. necnon Illustriss. & Reverendiss. D. Franciscus Maria Antaldus dicti Ven. Collegii Neophytorum Vicesgerens, qui promisit ratificari facere omnia, & singula in præsenti Instrumento contenta à DD. deputatis, seù Ministris dicti Ven. Collegii infra octo dies, & Instrumentum ratificationis tradere ad effectum in præsenti Instrumento inserendi habentes certam notitiam Decreti facti sub die 21. Aprilis 1662. ab Eminentissimis Dominis Cardinalibus Barberino, Sacchetto, & Odescalcho specialiter per Sanctiss. D.N. deputatis super controversia pendente inter eadem Collegia ratione solutionis Pensionis annuæ scutorum mille auri in auro, olim à fel. record. Greg. XIII reservatæ Neophytis, super fructibus Abbatiæ Avellanæ unitæ dicto Collegio Germanico, prout habetur in Memoriali, & rescripto Suæ Sanctitatis eisdem Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus directo tenoris sequentis videlicet.

Instrumentum transactionis.

Promissio de faciendo ratificari præsens Instrumentum.

§. 4. Beatissimo Padre, in conformità degli ordini dati da Vostra Santità al Padre Rettore del Collegio Germanico riverentemente l'espone come il detto Collegio fondato dalla san. mem. di Gregorio XIII. per mantenimento della fede nelli Regni della Germania hebbe per sua principale fondatione l'Abbadia di Santa Croce dell Avellana, nel stato d'Urbino, quale stimo di rendita di scudi 6000. d'oro in oro, riservando mille scudi d'oro in perpetuo per il Collegio de Greci, e mille altri simili per il Collegio de Neofiti, 2000. all'Abbate della Rovere in sua vita, che furono transferiti à diversi, e fece questo riparto accio terminando la Pensione temporanea del detto Abbate della Rovere, ne restassero 4000. al Collegio Germanico, sono calati talmente li frutti dell'Abbadia, che hoggidi rende pochissimo, & è cresciuto il valore dell'oro il terzo di più, in maniera tale, che il povero Collegio Germanico, non solo non gode parte della sua congrua portione assegnatali, mà per pagare le so pradette pensioni in pochi anni è stato necessitato à prender à Censo più di scudi 18. mila de quali ne paga l'interesse, onde il Collegio non potendo, ne meno mantenere la metà degli Alumni che doverebbe conforme all'intentione del fondatore, con tanto danno della fede Cattolica è sforzato à ricorrere à piedi di Vostra Santità, acciò rimetta questa causa alli Signori Cardinali Barberino, come Protettore del Collegio Greco, & Germanico, & al Cardinale Odescalco, come Protettore de Neofiti, & al. Card. Saccheti come Giudice & Essecutore della Bolla di detta unione, acciò connoscendo la verità del fatto, facciano restituire da Pensionarii al Collegio Germanico il sopra più pagato de frutti, e poi si assegni al Collegio Germanico la sua Congrua, conforme all'intentione del Fondatore, ò verò si riparta l'Abbadia, che è divisa in trè corpi, dandone ad ogn'uno la parte conveniente, overo si diminuiscono le Pensioni à proportione della rendita, e si piglino quell'espedienti, che meglio giudicaranno acciò il Collegio Germanico non vada totalmente in rouina, & in tanto, che non sij molestato per il termine corrente, perche senza pigliar di nuovo à Censo, non vi è forma di pagare, che il tutto &c. Alla Santità di

Memoriale porrectū pro parte Collegii Germanici S. D. N ut causam committat Card. utriusq; Collegii Protectoribus.

Rescriptum S. D. N.

Nostro Signore, Per il Collegio Germanico, Alli Signori Cardinali Barberino, Sacchetti, & Odescalchi, che voglino terminare questa differenza per accordo, senza strepito, ò figura di giuditio, dictum quidem decretum partes ipsæ habentes præ manibus, originale scilicet mihi Simio, Copiam verò illius collationatam dicto Domino Octaviano tradiderunt inseren huic Instrumento pariter tenoris sequentis videlicet.

§. 5. Die 11. Aprilis 1662. In Congregatione habita ab Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus Barberino, Sacchetto, & Odescalco deputatis per rescriptum Sanctissimi Domini Nostri super controversia pendente inter Collegium Germanicum, & Collegium Neophitorum ratione solutionis annuæ Pensionis scutorum milie auri in auro olim à fel. record. Gregorio XIII. reservatæ Neophitis, super fructibus Abbatiæ Avellanæ unitæ Collegio Germanico. Iidem Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres, ad sedandas lites pro bono pacis, ac per viam transactionis, & concordiæ unanimiter censuerunt valorem scuti aurei in dies augescentem reducendum, & taxandum ad rationem juliorum quatuordecim, adeo ut ab hac die imposterum perpetuis futuris temporibus Collegium Germanicum teneatur solvere tantummodò annua scuta mille & quadringenta monetæ Romanæ juliorum decem pro quolibet scuto, sed quoad terminos hactenus decursos, & maturatos usque ad hanc diem debebat solvere, ut antea ad rationem juliorum quindecim pro quolibet scuto. Insuper mandarunt ut idem Collegium Germanicum pro una vice tantum solvat Neophitis scuta quadringenta monetæ. Hoc addito, ut quatenus ipsum Collegium Germanicum in futurum sit morosum per sex menses in solutione alicujus semestris maturati cadat à commodo hujus decreti, & concordiæ. Et juxtà hæc mandarunt confici publicum Instrumentum, & supplicari Sanctissimo pro confirmatione cum impositione perpetui silentii, ac avocatione, & extinctione litis F. Cardinalis Barberinus, I. Cardinalis Sacchettus, B. Card. Odescalcus &c. spontè &c. omni &c.

§. 6. Decretum ipsum unanimiter acceptarunt & acceptant, illique acquieverunt, & acquiescunt mutuaque stipulatione nobis Notarii &c. etiam per viam Transactionis, & Concordiæ, ac aliàs omni &c. medio juramento tactis &c. promiserunt, & promittunt illud in omnibus, & per omnia observare, & pro illius ulteriori exequutione prædictus Illustriss. & Reverendiss. D. Franciscus Maria Antaldus prædicti Neophitorum Collegii Vicesgerens nunc in mei &c. testiumque &c. in contanti habuit, & recepit, scuta mille octingenta septuaginta tria bai. 52. monetæ pro terminis Pensionis decursis, & decurrendis, usque ad diem Festivitatis S. Joannis Baptistæ mensis Junii proximè venturi, necnon alia scuta quadringenta monetæ pro unica vice tanrum pariter in contanti à supradicto Ven. Collegio Germanico, & Ungharico per manus dicti Rev. P. Galeni mediante Ordine Sacro Monti pietati directo quem Ordinem ad se traxit &c. dimissa tamen penes Nos illius Copia collationata ad effectum in præsenti Instrumento inseren tenoris sequentis videlicet, Collegio Germanico, & Ungarico.

R. P. D. Antaldus collegii Neophitorũ V. Gerens recipit à P. Procuratore collegii Germanici sc. 187. b. 5. pro pensionibus decursis, & decurren.

Tenor dicti Ordinis.

§. 7. Signori Provisori del Sacro Monte della Pietà, li piacerà pagare al Ven. Collegio de Neofiti, & per esso all'Illustriss. e Reverendiss. Monsig. Francesco Maria Antaldi Vicegerente del Collegio di essi Neofiti, scudi due mila ducento settantatrè ba. 52. moneta quali faccio pagare cioè scudi 1873. ba. 52. per resto, e saldo intiero pagamento di tutte le paghe decorse, e da decorrere à tutta la pagha di S. Gio: di Giugno prossimo auvenire 1662. della Pensione di scudi 1000. oro riservata à suo favore sopra l'Abbadia di Santa Croce dell' Avellana, nel Stato d'Urbino compresoni anche scudi 90. simili pagati per le decime dovute dal detto Collegio de Neofiti alla Rev. Cam. Apostolica, e scudi 400. per una volta tanto. Il tutto in conformità del Decreto dell'Eminentissimi Signori Cardinali Barberino, Sacchetti, & Odescalchi Deputati dalla Santità di Nostro Signore, & instromento di concordia hoggi rogato per l'atti del Simio Notaro d'ell'Eminentissimo Vicario insolidum con l'Ottaviani Notaro de Signori Maestri di Strada, e Collegio de Neofiti, alli quali &c. In tutto, e per tutto si habbia relatione &c. conricevuta saranno ben pagati, dal Collegio Germanico, & Ungarico li 8. Maggio 1662. per scudi 2273.52. moneta. Gio: Giolamo Galeno Procuratore del detto Collegio, & de pecuniis in eo contentis nunc pro quando illas recipiet, se bene contentum, & satisfactum vocavit &c. & nihilominus exceptioni, Speique &c. ad cautelam renunciavit, & generaliter prædictum R. P. Galenum præsentem &c. & ejus Collegium Nobis Notariis &c. quo supra nomine quietavit, ac penitùs absolvit &c. etiam per pactum &c. & per Aquilianam stipulationem, &c.

Partes conveniunt supplicare Sanctiss. pro confirmatione concordiæ.

§. 8. Præterea partes ipsæ pro majori firmitate præsentis Instrumenti concorditer convenerunt, ut supplicetur Sanctissimo, qui dignetur benignè illud confirmare, cum supplicatione quorumcumque defectuum tàm personalium, quàm realium, ac tam substantialium, quàm formalium, & aliorum quorumcumque, & cum extinctione litis, & impositione perpetui silentii, aliisque clausulis opportunis inserendis in Brevi desuper expediendo sumptibus communibus. Quam quidem concordiam, & transactionem, omniaque, & singula in præsenti Instrumento contenta dictæ partes, quibus supra nominibus respectivè promiserunt habere rata, grata, valida, atque firma, & inviolabiliter adimplere, ac tamquam rem judicatam observare, contraque non facere, dicere, excipere, opponere, seù venire, aut aliquam exceptionem juris, & Facti allegare, vel contra præmissa agere, seù experiri etiam prætextu quorumcumque jurium de novo repertorum, seu forsan quandocumque reperiendorum, & alio quovis prætextu, ingenio, causa, vel quæsito colore, etiam ex incognitis, & inexcogitatis, & hic non expressis, & in Corpore juris clausis, ac necessariò exprimendis, quæ omnia pro expressis, & specificatis haberi voluerunt &c. renunciantes &c. hinc inde medio juramento tactis pectoribus more &c. l. de Alimentis, & l. sub prætextu in secunda parte C. de transact. atque l. de his, & l. cum ii, ac l. qui cum Tutoribus ff. eodem, & l. fin. C. de revoc. donat. benef. & privil. absolutionis à juramento restitutionis in integrum tam principaliter, quàm incidenter enormis, & enormissimæ læsionis cæterisque Il. statutis, & privilegiis in favorem ipsarum Partium quomodolibet facien. quia sic &c. aliàs ultrà præcisam &c. teneri voluerunt ad omnia damna &c. de quibus &c. pro quibus &c. dictus R. P. Galenus dictum Ven. Collegium, ejusque bona &c. jura &c. dictus verò Illustrissimus Dominus Antaldus pariter dictum Collegium Neophitorum, ejusque bona &c. jura &c. in ampliori forma Rev. Cameræ Apostolicæ cum clausulis &c. obligarunt &c. citrà &c. appellationi &c. renunciarunt &c. & consenserunt &c. unica &c. & sic tactis pectoribus more &c. jurarunt &c. super quibus &c. Actum Romæ Domi solitæ habitationis præfati Illustrissimi Domini Antaldi positæ in Regione Campitelli Præsentibus Dominis Joanne Baptista Signio q. Joannis Thomæ, Ianuen. & Domino Nicolao Antonio de Ascaniis fil. q. Leonardi Baren. Testibus &c. Ego Antonius Franciscus Maria Simius Curiæ Causarum Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Vicarii Notarius de præmissis rogatus præsens Instrumentum sub-

scripsi,

scripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi requisitus. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, firmiora, & stabiliora sint illa quæ Apostolicæ confirmationis robore communiuntur. Nobis propterea dicti Exponentes, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 9. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicotionis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon litterarum memorati Gregorii Prædecessoris super reservatione, Constitutione, & assignatione Pensionis, ac unione, annexione, & incorporatione Monastarii hujusmodi respectivè emanatarum tenores, & datas, aliaque etiam speciali, & individua mentione, & expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haben. hujusmodi supplicationibus inclinati supradictum memoratorum Francisci, ac Julii, & Benedicti Cardinalium Decretum, confectumque in illius executionem Instrumentum præinsertum, cum omnibus, & singulis in illis respectivè contentis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, necnon solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales, & substantiales, ac undecumque resultantes defectus, si qui in præmissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus, ac penitùs, & omninò tollimus, & abolemus.

Pontifex confirmat supradictum decretum, una cum instrumento & transactione desuper celebrata inter partes.

§. 10. Prætereà lites, & controversias quascumque super præmissis inter prædicta Collegia Germanicum, & Hungaricum, ac Neophitorum quovis modo extortas (illarum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, & alia etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus itidem pro plenè, & sufficienter expressis habentes) à quibusvis Judicibus & Tribunalibus ad Nos harum serie avocamus, illisque etiam perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus.

Quascumque lites, & controversias supprimit & partibus perpetuum silentium imponit.

§. 11. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 12. Non obstantibus quacumque litis pendentia, aliisque præmissis, ac quatenus opus sit, rec. mem. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Collegiorum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Collegiis, eorumque Rectoribus, & Ministris, ac personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Claus. derogatoria.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Maii 1662. Pontificatûs nostri Anno octavo.

Dat.P. An. 8. die 23. Maii.

CXXIV.

Confirmat Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, ac Visitationis Apostolicæ pro dotandis octo Puellis de Parochia Sancti Andreæ de Fractis.

Edita An. D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Recenset Decretum.

EManavit nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum Piorum Almæ Urbis Nostræ à Nobis institutæ Deputatorum Decretum, tenoris qui sequitur, videlicet: Prævia commissione Sanctissimi aliàs emanavit à Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ Decretum infrascripti tenoris videlicet.

§. 1. Cùm in causa Romana electionis octo Puellarum Pauperum inter Marchionem Paulum Nepotem, & hæredem Marchionis Octavii de Bubalis, & Custodes Societatis Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia S. Andreæ de Fractis, R. P. D. Pinellus Judex Delegatus à bo. me. Card. Montalto ipsius Societatis Protectore Anno 1620. diffinitivè sententiaverit dicto Marchioni Paulo licuisse, ac licere dictas octo Puellas ad subsidium dotale à dicto Marchione Octavio in suo Testamento relictum eligere, ac nominare ex iis, quæ sibi videbuntur, & ex quibusvis Urbis Regionibus fuerint indistinctæ, & nulla habita ratione loci, & Parochiæ ubi dictæ Puellæ degant, & habitent: cumque sententia hujusmodi lata fuerit inauditis & indefensis puellis Parochiæ prædictæ Ecclesiæ S. Andreæ, ac Regionis Columnæ quæ prætendunt has octo Puellas vigore memorati Testamenti primò eligi debere ex illis, quæ pro tempore erunt sub dicta Parochia, etsi in ea non sint in numero sufficienti eligi debere ex Puellis Regionis Columnæ: Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ, ne Jura Pauperum Puellarum depereant ex carentia legitimi Defensoris, censuit dandum esse ex officio Curatorem prædictis Puellis Parochiæ S. Andreæ, & Regionis Columnæ, prout dari mandavit ad hoc ut ipso Curatore illarum defensionem subeunte hujusmodi causa cognosci, & pro justitia terminari possit. Dat. die 12. Ianuarii 1662.

§. 2. Quam Congregationis sententiam die decima octava ejusdem Sanctiss. D. N. ad se relatam approbavit, jussitque prædictam causam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii tàm in petitorio, quàm in possessorio ex integro cognosci, ac sine debito terminari in eadem

Congregatione Visitationis Apostolicæ, cui ad effectum præmissum Sanctitas Sua tribuit facultates omnes necessarias, & opportunas, & quatenus opus sit supradictas Puellas adversus quæcumque præjudicialia restituit.

§. 3. Subinde in executionem præinserti Decreti Curatore Puellis deputato, & servatis aliàs servandis eadem Sacra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium, ac Dominorum Prælatorum Visitationis Apostolicæ, partium Procuratoribus, & Advocatis sæpiùs auditis, scripturisq. ac Juribus utriusque exhibitis maturè perpensis, causaque accuratè discussa proponente Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Imperiali, ex unanimi Patrum sententia censuit tàm octo pauperes Puellas à prænominato Marchione Paulo eligendas, quàm alias eligendas à prædictis Custodibus, & Parocho dictæ Ecclesiæ S. Andreæ primum eligi debere ex illis, quæ pro tempore erunt sub dicta Parochia S. Andreæ, & quæ in ea continuè habitaverint saltem spatio duorum annorum, etsi non sint in dicta Parochia in numero sufficienti eligi debere ex Puellis Religionis Columnæ, quod si nec sint in dicta Regione, tunc demum eligi posse, ac debere ex aliis Regionibus, prout videbitur prædicto Marchioni Paulo, & omnibus successoribus in hæreditate Marchionis Octavii Testatoris, & respectivè Custodibus, & Parocho supradictis, sententiamque desuper latam, & assertas renunciationem litis, & rem judicatam minimè afficere memoratas Puellas Parochiæ S. Andreæ, ac Regionis Columnæ, nec eis aliquo modo officere. Et ita Sacra Congregatio declaravit, & pronuntiavit non tantùm prædicto, sed & omni alio meliori modo, sicque ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali pro tempore Protectore Societatis prædictæ, ejusque Judice deputato, atque ab omnibus ad quos pertinet, & in posterùm pertinebit, omninò servari præcepit in contrarium deductis, & allegatis nequaquam refragantibus. Datum die 20. Aprilis 1661. P. Fagnanus Secretarius.

Confirmat prout in Rubric.

§. 4. Cùm autem firmiora, & stabiliora sint illa, quæ Apostolici muniminis fulciuntur præsidio; Idcircò Nos firmiori dicti Decreti robori efficaciæ, & observationi consulere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet defectu notari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris restitutionis in integrum, aliudvè quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seù se juvare ullatenus unquam posse, sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Societatis Protectorem, & alios Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cæterosque quoslibet quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. omnibus, & singulis præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 8. die 3. Iunii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Junii 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CXXV.

Quod Joannes Paulus Oliva Vicarius Generalis Societ. JESU possit relinquere, & alienare Collegia, & Domos ipsius Societatis, juxtà facultatem sibi traditam à Congregatione Generali.

Edita An. D 662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Paulus Oliva Vicarius Generalis Societatis JESU, quod vigore Constitutionum dictæ Societatis auctoritate Apostolica confirmatarum eidem Societati competit facultas relinquendi, & alienandi Collegia, & domos ipsius Societatis, quam facultatem Congregatio Generalis dictæ Societatis novissimè habita ipsi Joanni Paulo Vicario Generali concessit, quodque Præpositi Generales qui pro tempore fuerunt dictæ Societatis iis casibus quibus sperabatur suspensionem sufficere posse, Collegia suspendere soliti fuerunt, donec redditus illorum ita aucti essent, ut tuendis, seù manutenendis ipsis Collegiis sufficerent.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Joannes Paulus Vicarius Generalis, ut penuriæ, in qua Collegium Tropien. ejusdem Societatis reperiebatur, consuleret, idem Collegium suspenderit quo usque exsoluto ære alieno, quo obstringitur, ad statum primævæ fundationis reductum fuerit; Venerabilis verò Frater Episcopus Tropien. suspensionem hujusmodi per sequestra bonorum dicti Collegii impedire prætenderit: Nobis propterea dictus Joannes Paulus Vivarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum Joannem Paulum Vicarium Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem facultatis relinquendi, & alienandi Collegia, & Domos dictæ Societatis memorato Joanni Paulo Vicario Generali ab ultima Congregatione generali prædicta factam, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea prædictum Collegium Tropien. juxtà illius suspensionem ab eodem Joanne Paulo Vicario Generali sicut præmittitur factam suspensum remanere debere; ipsi verò Joanni Paulo Vicario Generali in futurum alia quoque Collegia dictæ Societatis in quacumque Mundi parte existentia quando, ac iis modo, & forma, quibus ei necesse fore videbitur, suspendere licere, auctoritate, & tenore præsentis declaramus.

Confirmat prout.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Joanni Paulo Vicario Generali

plenissimè

pleniſſimè ſuffragari, & ab illis ad quos ſpectat, & ſpectabit quovis modo in futurum, inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit d. Societatis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque.

Dat. P. An. 8. die 7. Aug. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Auguſti 1662. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

CXXVI.

De promovendis ad Ordines in Urbe, & in ſex vicinis Epiſcopatibus.

Edita An. D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. Apoſtolica ſollicitudo humilitati noſtræ divinitùs impoſita Nos admonet, ut circa illos, qui in alma Urbe noſtra, ex qua in omnes Chriſtiani Orbis partes bonorum operum exempla ubertim promanant, viciniſque Epiſcopatibus ſacris addicuntur miniſteriis, & in hierarchicum Eccleſiæ cœtum cooptantur, ea ſalubriter conſtituamus, quæ matura conſultatione adhibita, in Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem cedere, & ceſſura eſſe arbitramur.

Clerici examinandi. §. 1. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium ſtatuimus, mandamus, & ordinamus, ut quicumq; in eadem Urbe ratione originis, vel beneficii Eccleſiaſtici, aut domicilii, vel cum litteris dimiſſoriis proprii Ordinarii, ad minores, vel ſacros Ordines promoveri volent, per menſem ante generales ordinationes dilectum filium noſtrum, & pro tempore exiſtentes Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarium in ſpiritualibus generalem adeant, & de ipſius mandato ab Examinatoribus ad hoc deputatis non paucioribus, quàm tribus, ac ſimul congregatis ſuper ſcientiam ad unumquemque ordinem requiſita ſedulò examinentur, & peracto examine, renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint.

Bonum teſtimonium habere debent. §. 2. Deindè ad minores quidem ordines promovendi bonum à Parocho, & à Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant, de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum. Pro iis verò, qui ad ſingulos majores ordines erunt aſſumendi, idem Vicarius Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Baſilica Lateranenſi, & in propria cujuſque parochiali Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, genere, ætate, moribus, & vita, ordinibus ante ſuſceptis, titulis, ad quos promoti ſunt, vel promoveri cupiunt, cæteriſque qualitatibus requiſitis juxtà ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini diſpoſitionem à fide dignis diligenter inquirat, & literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad ipſum Vicarium quamprimum tranſmittat.

Per decem dies exercitiis ſpiritualibus vacare debent. §. 3. Et nihilominus quoties aliquem ex ſacris ordinibus ſuſcipere voluerint, ad Sacerdotes in deputatos perſonaliter ſe conferant, à quibus decem ſaltem dierum ſpatio ante ordinationem in eorum domo incluſi de omnibus ad dignè ſuſcipiendos, & ritè exercendos ordines requiſitis erudiantur, & de hoc teſtimoniales eorundem Sacerdotum ad ipſum Vicarium deferant, nec ſine hujuſmodi literis quiſquam ad ullum ſacrum ordinem promoveatur, nec cum aliquo ſuper examine, & incluſione hujuſmodi diſpenſari poſſit, niſi conſultis Nobis, ſeù Romano Pontifice pro tempore exiſtente.

Forenſes quomodo ordinandi. §. 4. Denique in ſex Epiſcopatibus propè Urbem, in quibus non ſunt ſuffraganei, quicumque ad minores, vel ſacros ordines volent promoveri, cum literis dimiſſoriis ſui Ordinarii ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antiſtitem directis, ad Urbem accedant, ibique & non alibi ordinentur, ſervata in omnibus forma ſuperius præſcripta. Ubi verò ſunt ſuffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus ordinibus aſſumatur, niſi prius præter ea, quæ à Sacris Canonibus, & ejuſdem Concilii decretis ſancita ſunt, ad minus per decem dies à dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis in eorum ædibus incluſus ut ſupra fuerit eruditus ac literas teſtimoniales eorundem Sacerdotum ad ipſum Suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem, qui contrafecerit, ab exercitio Pontificalium per annum, promoti verò tàm ab eiſdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe non ſervata forma præſentis Conſtitutionis, ab executione ordinum ſic ſuſceptorum, donec Nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

Decretum irritans. §. 5. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & quandocumque ſpectabit inviolabiliter obſervari. Sicque & non aliter per quoſcumq; Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoſlibet, quavis auctoritate, præeminentia, & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 6. Non obſtan. Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs devenire poſſint, volumus, ut illæ, ſeù earum exempla ad valvas præfatæ Lateranenſis, ac principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non in acie Campi Floræ, ut moris eſt, publicentur, & affigantur; ſicque publicatæ, & affixæ omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent; utque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. An. 8. die 7. Aug. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Auguſti 1662. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione 15. die 22 menſis Auguſti, Pontificatus, autē Sāctiſs. in

Christo Patris, & Domini N.D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII Anno ejus octavo, supradictum Breve affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Carolum Franceschinum Sanctiss. D. N. Papæ Curso em.

Io. Antonius Bertarellus Curs. Mag.

CXXVII.

Quod Superiores Congregationis S. Benedicti, ac etiam Monasteriorum Sublaci, ac Farfæ cæterique Monachi non accedant Romam absq; licentia Abbatis S. Pauli, ac Procuratoris Generalis.

Edita An D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD Apostolicæ dignitatis fastigium meritis licet imparibus, divina dispositione evecti, illis quæ pro decoris Monastici, disciplinæque regularis conservatione provide constituta esse noscuntur, libenter cum à Nobis petitur Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Romanus Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quod dilecti pariter filii Præsidens Generalis, & Visitatores dictæ Congregationis in eorum Dieta Ferrariæ nuper celebrata Decretum ediderunt tenoris qui sequitur, videlicet, Salutaribus monitis Eminentissimi D. Cardinalis Barberini Congregationis nostræ Protectoris, quibus pro eorumdem observantia cum suis particularibus literis sub Dat. Romæ die 19. mensis Aprilis proximè elapsi Dietæ Capitulari directis enixè institit, ut par est, obtemperare volentes omnibus, & singulis Congregationis nostræ Prælatis, etiam Monasteriorum nostrorum Sublaci, Farfæ, ac Monachis cujuscumque conditionis prohibemus, & penitus interdicimus, à nostris Constitutionibus non recedentes, accessum ad Urbem quovis prætextu, absque licentia priùs in scriptis à Reverendissimis P. P. Abbate S. Pauli de Urbe, & Procuratore Generali in Curia pro tempore existentibus obtenta.

Debent incedere per Urbem cucullati.

§. 2. Nullique supradictorum post eundem accessum ad Urbem liceat alibi etiam in domibus sæcularium propinquorum, præterquam in Monasterio S. Calisti sese recipere, commorari, & multò minus juxta easdem Constitutiones nostras pernoctare, sub pœna suspensionis à quocumque gradu ipso facto ab omnibus incurrenda; iisdem pariter in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut associati, & omninò cucullati per Urbem incedant, ne gradus Abbatialis, & Monasticus, ex dimissione sui digrioris habitus, debito honore privetur. Quæ omnia tàm in alma Urbe, quàm in aliis insignioribus Civitatibus, præcipuè Neapolis, & Panormi observanda esse decernimus.

Confirmat prout in rub

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, d. Jacobus Procurator Generalis Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsum Jacobum Procuratorem generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus extiterit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictorum Ordinis, & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenoribus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat speciáliter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 8. die 26. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septembris. 1662. Pontificatus Nostri Anno septimo.

CXXVIII.

Quod spolia defunctorum Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris Procurationi Generali ejusdem Congregationis omninò applicari debeant.

Edita An.D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

ALiàs pro parte tunc existentis Abbatis Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Congregationi tunc existentium S.R.E. Cardinalium negotiis, consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum exposito, quod ipse juxta mandatum dictæ Congregationis Cardinalium in Capitulo Generali prædictæ Congregationis Canonicorum Regularium Venetiis anno superiore 1649. celebrato una cum Diffinitoribus Decretum ediderat quod spolia defunctorum Canonicorum Regularium Congregationis hujusmodi transmitterentur à prælatis localibus ad Procuratorem Generalem ipsius Congregationis ad effectum solvendi debita Cameralia Monasteriorum particularium & his deficientibus publica Religionis Romæ contracta cum Montistis, & censuariis, quodque Decretum hujusmodi ab ipso Abbate Generali, & Diffinitorio in Dieta eo anno Florentiæ habita etiam renovatum, & plenissimè confirmatum, ac à multis exactè observatum, & practicatum fuerat, sed nonnulli alii renitentes erant, illique parere recusabant, sub vanis prætexibus, & subterfugiis allegantes dictum decretum Constitutionibus Apostolicis, ac decretis prædictæ Congregationis Cardinalium, & Sacris Canonibus adversari licet nihil super ea re producerent.

Decretum Sac. Cong

§. 1. Ideoque pro parte dicti Abbatis Generalis memoratis Cardinalibus supplicato, ut prædicti Decreti observationi opportunè providerent, emanavit ab eorumdem Cardinalium Congrega-

tione Decretum tenoris qui sequitur videlicet, Sacra Congregatio &c. inhærendo resolutionibus aliàs factis in particulari Congregatione pro sublevandis oneribus duodecim Congregationum Monasticarum, prænarratum Decretum à Definitorio Capituli Generalis anno 1649. Venetiis editum, & nuper in præterita Dieta innovatum pro satisfaciendis dumtaxat debitis onerum Cameralium, ac Montistarum, & censuariorum hujusmodi ad particularia Monasteria si adsint, sin minus ad commune Religionis spectantibus, & non aliàs virtute præsentium Sanctissimo Domino Nostro annuente approbat, & confirmat, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari, ac ad prædictos usus solummodò applicari mandat, & præcipit sub pœna contrafacientibus privationis vocis activæ, & passivæ, prælaturæ, & officiorum, necnon perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque alia obtinenda rehabilitatione eidem Sacræ Congregationi reservata Constitutionibus Apostolicis, & ejusdem Ordinis statutis, aliisque quibuscumque in contrarium non obstan. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. Julii 1650.

Confirmat ut in Rub. §. 2. Cum autem sicut dilectus filius Joannes Maria Lancius Procurator Generalis dictæ Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Nobis nuper exponi fecit ipse Decretum præinsertum pro firmiori, & stabiliori illius observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret, Nos ipsum Joannem Mariam Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio observantiam præinserti decreti sub pœnis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium injungimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §. 3 Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis Canonicorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresssè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis exhibitæ, vel adhiberetur si forent ostensæ.

Dat. P.An. 8 die 27. Sept Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27 Septemb. 1662. Pontificatus nostri Anno octavo.

CXXIX.

Confirmatio Brevium super divisione Provinciæ S. Joannis Baptistæ; erectionisque B. Petri de Alcantara Discal. S. Francisci nuncupat.

Vide ad Constit. hujus Pont. 69. Sacrosancti s & ad Constit. 98. Alias nos in quibus agitur de hac Controversia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An D. 1662.

Supplicatio. Aliàs pro parte dilecti filii Petri Roche Commissarii Generalis Curiæ Fratrum familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod juxtà mandatum, & decretum Capituli Generalis dicti Ordinis anno 1658. celebrati ad instantiam Fratrum Provinciæ S. Joannis Baptistæ ejusdem Ordinis Nobis humiliter supplicatum fuerat, ut eandem Provinciam in duas dividi concederemus.

§. 1. Nosque per quasdam nostras in simili forma Brevis literas quarum initum Sacrosancti Apostolatus officium &c. facultatem faciendi divisionem hujusmodi concesseramus, cum erectione novæ Provinciæ Ordinis prædicti, sub titulo Beati Petri de Alcantara. Et subindè ad petitionem hujus novæ Provinciæ prævia informatione à dilecto filio Ministro Generali d. Ordinis habita per alias nostras etiam in forma Brevis literas, quæ incipiunt. Alias nos Charissimi &c. Ministrum Provincialem, ac Custodem, & Diffinitores novæ Provinciæ hujusmodi deputaveramus, ac per ambas literas prædictas novem Conventus assignaveramus eidem novæ Provinciæ quæ octo Conventuum possessionem adepta fuerat, dicta verò Provincia Sancti Joannis Baptistæ Conventuum Murciæ, qui præcipuus inter dictos novem Conventus erat, retinuerat vigore concordati inter ambas partes facti, sed postmodum cum hujusmodi concordatum prædictis nostris litteris præjudicaret dicta nova Provincia Procuratorem ad Romanam Curiam miserat, ad effectum proponendi causam in prædicta Cardinalium Congregatione, quæ utriusque partis rationibus auditis sententiam dederat, ad favorem prædictæ novæ Provinciæ, dictumque concordatum nullum declaraverat, ac memoratum Conventum Murciæ eidem novæ Provinciæ restitui debere decreverat, verum prædicta Provincia S. Joannis Baptistæ executioni Apostolicarum in simili forma Brevis litterarum super præmissis emanatarum restituerat; tandem post gravissima scandala non solum in Civitate Murciæ, sed etiam in universo Hispaniarum Regno secuta, eundem Conventum Murciæ dictæ novæ Provinciæ consignaverat, atque ita huic Provinciæ novem Conventus assignati reperiebantur, in altera verò Provincia S. Joannis Baptistæ prædicta viginti septem Conventus remanserant.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto quod dicta Provincia S. Joannis Baptistæ novas lites pro revocandis illis, quæ per ternas nostras in forma Brevis literas stabilita sunt movere prætendebat, id verò occasionem aliarum maximarum perturbationum, & offensionum præberet, ideoque memoratæ Cardinalium Congregationi supplicato, ut perpetuum super præmissis silentium impone-

ret

1662.

ret quo, & scandala Religioni perniciosa cessarent, & fratrum quieti, & tranquillitati consuleretur, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus noster preces hujusmodi remisit. Cum sub die 28. Aprilis proximè præteriti, causa iterum partibus auditis, & abundè informantibus proposita Eminentissimo Franciotto referente, decreverit ad Provinciam S. Joannis Baptistæ spectare viginti septem Conventus, remanente Conventu Murciæ ad Provinciam B. Petri de Alcanthara juxta resolutionem jam factam; inhærendo huic declarationi, aliisque decretis, & Brevibus Apostolicis, super hac materia emanatis, ut tandem differentiis, controversiis, litibus, & discordiis quibuslibet finis imponatur vigore præsentium strictè præcipit, sub pœnis eo ipso incurrendis excommunicationis, privationis vocum, & officiorum, aliisque arbitrio S. C. infligendis omnibus & singulis, dictarum Provinciarum, & totius Ordinis Religiosis, tàm Superioribus, quàm Subditis, ut juxta præmissa, necnon in reliquis, juxtà dispositionem prædictorum decretorum, & Brevium omninò, & absque ulla tergiversatione, etiam sub prætextu novi recursus ad hanc Sanctam Sedem pareant, & exequantur, nec directè, vel indirectè se opponere, aut contradicere præsumant.

§. 3. Quapropter sub iisdem pœnis perpetuum desuper silentium imponit, & impositum esse declarat appellationibus, prætensionibus, juribus, decretis quoque, ac Brevibus Apostolicis in contrarium forsan facientibus, cæterisque non obstantibus quibuscumque, Romæ 15. Septemb. 1662. M. Card. Ginettus.

§. 4. Cùm autem sicut prædictus Petrus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsum Petrum specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmatio decreti Sac. cong.

§. 5. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum etiam juramento Murciæ aliisvè quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Octob. 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo. Dat P. An. 8. die 11. Oct.

CXXX.

Conceditur Procuratoribus, & Commissariis Generalibus Curiæ Ordinis Minorum de Observantia, & Reformatorum S. Francisci Cismontanæ familiæ Votum perpetuum in propriis Provinciis.

Edita An. D. 1662.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio justitiæ exigit, ut illi, qui multos pro Religione labores sustinuerunt, congruis honoribus, & gratiis decorentur.

§. 1. Volentes itaque dilectis filiis Procuratoribus, & Curiæ Commissariis Generalibus Fratrum Minorum, tàm de Observantia, quàm Reformatorum nuncupatorum Ordinis S. Francisci, qui rerum usu tractandis, & procurandis in Romana Curia gravioribus Ordinis hujusmodi negotiis acquisito pollere noscuntur, & quorum opera proinde eorum Provinciis plurimum utilitatis allaturam esse speramus, gratiam facere specialem, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ~~omnibus~~, & singulis Procuratoribus, & Commissariis Curiæ Generalibus, Fratrum Minorum, tàm de Obsevantia, quàm Reformatorum Familiæ Cismontanæ, hujusmodi qui sua respectivè Officia triennii continui spatio hactenus gesserunt, & post hac quandocumque pari spatio gesserint, ut depositis eisdem Officiis, suffragium, sive votum perpetuum consultivuum, electivum, & decisivum in quibusvis Capitulis, & Congregationibus suæ quisque Provinciæ dicti Ordinis habere, & ferre, illoque uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Concedit prout in Rubrica.

§. 2. Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ dilectis filiis Ministris Provincialibus, & aliis Superioribus, & Fratribus dictarum Provinciarum, cæterisque ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, ut memoratos Procuratores, & Commissarios Curiæ Generales præsentis gratiæ commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere sinant, & faciant, nec illos desuper à quoquam quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari permittant.

Decretum irritans.

§. 3. Ac decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Familiæ, & Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, &

consuetudinibus

consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 5. Volumus autem ut, earumdem præsentium literarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 8. die 4. Dec. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Dec. 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo.

CXXXI.

Quod Clerici Religionis Ministrantium Infirmis in quibusvis functionibus tàm publicis, quàm privatis præferantur laicis, etiam antiquioris professionis.

Hæc consuetudo viget in omnibus Religionibus benè ordinatis, vide ad Constitut. 290. Urbani Octavi, Cum sicut.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1662. Motiva. ALiàs emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet, Religionis Ministrantium Infirmis. Expositum est Sac. Rit. Congregationi Laicos Religionis Ministrantium Infirmis præsumere sibi præcedentiam deberi à Clericis ejusdem Religionis professione posterioribus, in omnibus, & quibuscumque actibus, tàm publicis, quàm privatis. Propterea supplicatum fuit declarari, quænam Regula inter ipsos super jure præcedendi servanda sit.

§. 1. Et Sacra eadem Congregatio tollendis dissensionibus præsertim inter Ecclesiasticas personas addicta: ac ne ob præfatas contentiones, & lites mutuæ inter eos charitatis ardor frigescat: sed omnes in ejusdem charitatis vinculo, & in humilitatis spiritu juxta suam vocationem Deo famulentur, declaravit, Clericos prædictos in quibusvis actibus, & functionibus, tàm publicis, quàm privatis, Laicis præfatis etiam antiquioris professionis præferendos esse. Die 19. Augusti 1662. I. Episcopus Sabinensis Card. Sacchettus.

§. 2. Cùm autem sicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolica confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum Confirmat ut in rub. præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus, sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Clericorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoq; indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Decem. 1662. Pontificatus Nostri Anno octavo. Dat. P. An. 8 die 6. Dec.

CXXXII.

Confirmat Constitutionem Capituli Generalis Fratrum Congregationis Discalceatorum Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum circa renunciationem Officiorum Commendatorum, & Rectorum Collegiorum ipsius Congregationis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Fratrum Discalceatorum nuncupat. Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis exposito, quod per Constitutiones dictæ Congregationis, à fœl. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro confirmatas cavebatur expressè ad evitandam Constitutionum multitudinem ne in futurum ulla Constitutio approbari, & confirmari posset, nisi in Capitulis Generalibus examinata, & approbata fuisset, quodque pro felici ejusdem Congregationis regimine edita fuerat Constitutio, ut Commendatores, & Rectores Collegiorum ipsius Congregationis in medio administrationis suorum officiorum, illa in Diffinitorio Provinciæ renunciare, ac per epistolas pleno Diffinitorio directas rationem Domorum Regularium quas renunciarent, ac Conventualium in eis degentium, necnón pecuniarum, & bonorum ad easdem spectantium reddere deberent, & in potestate Diffinitorii Provinciæ hujusmodi esset, admittere ejusmodi resignationes, vel illas recusare sicuti ipsi Diffinitorio pro Dei, & Religionis servitio expedire videretur. Edita A. D. 1662. Motiva.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod hæc Constitutio in quatuor Congregationibus generalibus successivè habitis approbata fuerat, ejusq; Procurator Generalis probe conscius utilitatis, quæ ex illa prædictæ Congregationi provenerat, & proveniebat illam, ac omnia, quæ in illius observationem facta fuerant, & imposterum fierent, auctoritate Apostolica confirmari plurimum desiderabat: emanavit à Congregatione prædictorum Cardinalium decretum, ten. qui sequitur, videlicet.

Decretum Sac. Congr. §. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis,

narratis, & pro meliori gubernio Religionis hujusmodi censuit prædictam Constitutionem, seu Statutum, juxta petita approbandam, & confirmandam esse, prout præsentium vigore approbat, & confirmat, eique Apostolicæ auctoritatis robur adjicit, suumque effectum sortiri decernit contrariis quibuscumque non obstan. · Romæ 24. Novembris 1652. M. Cardinalis Ginettus.

Confirmat prout in rubr.

§. 3. Cùm autem sicut prædictus procurator Generalis nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius substantia, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desideret. Nos ipsum procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus (salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.)

Decretum irritans.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis Fratrum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum ten. præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haben. illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P An.8. die 18. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 18. Decembris 1662. Pontificatus nostri anno octavo.

CXXXIII.

Confirmatio Statutorum, ac Decretorum Capituli Generalis Hoscen. Ordinis B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captivorum.

Vide aliam Confirmationem Statutorum ad Constit. 121. Urbani VIII. Sacri Apostolatus pro Fratribus Discalceatis huj s Ordinis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1662.

Exordium.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam evecti, illa, quæ pro fœlici, prosperoque Religiosorum virorum, qui è fluctibus sæculi in regularis vitæ portum confugerunt, assumptoq; suavi Christi jugo, Altissimi obsequiis sese devoverunt, ac uberes bonorum operum fructus per Dei gratiam proferre jugiter satagunt, regimine, & gubernio prudenter, & salubriter constituta esse noscuntur, libenter cum id à Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio roboramus.

Sequuntur Decreta.

§. 1. Exponi si quidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa Vicarius Generalis Italiæ, & Siciliæ, ac Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captivorum, quod in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis in Conventu Hoscensi die 15. Octobris 1658. celebrato pro fœlici ejusdem Ordinis directione editæ fuerunt nonnullæ Constitutiones, quæ à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in nonnullis emendatæ sunt, tenoris qui sequitur, videlicet.

Primo ad pleniorem observationem motus proprii Sanctissimi fel. rec. Urbani VIII. de expulsione Regularium delinquentium, juxta id, quod similiter decretum est in Capitulo Generali Barbastrensi, & Murciensi proximè celebratis prædictum Generale Diffinitorium decrevit designare, ac designavit in singulis Provinciis totius prædicti Ordinis sex Consultores, quatuor scilicet Provinciæ Diffinitores, & duos Diffinitores Generales, de quorum sex consilio Reverendissimus Magister Generalis possit in criminosos, & incorrigibiles expulsionis ferre sententiam.

Similiter autem decrevit quod ex cujuslibet prædictorum sex Consultorum defectu illius loco duo Electores Generales pro tali provincia succedant, habita attentione, quod dignior priùs designatus minùs digno intelligatur.

Item decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod in omnibus Provinciis Patres Diffinitores earum, necnon Diffinitores, & Electores Generales, dum prædictis Officiis funguntur, omnibus exemptionibus, gratiis, & privilegiis Magistrorum de numero gaudeant.

Item habita consideratione laborum, quos Patres Vocales ad Capitulum Generale Barbastrense, & Murciense proximè celebratum concurrentes, hyemalibus molestiis glacierum, nivium, fluminumq; inundantium in itineribus sunt passi, quin & Vocales ad Capitulum Generale Barchinonense præteritum convocatos canicularibus ferventis solis caloribus summoperè vexatos fuisse, idemque semper imminere periculum, & alia maxima incommoda, ut si contingat in majori hebdomada celebrari, providè, prudenterque timeri, si Capitula Generalia futura (juxta Decretum Capituli Generalis Toletani à Sanctiss. D. N. Urbano Octavo confirmatum) Magistratu Ordinis quovis modo vacante, quatuor solum mensibus expletis, quocumque anni tempore accidat, celebretur: prædictum Generale Diffinitorium tot calamitatibus occurrere satagens, earumque pressuram evadere cupiens, seria, & matura attentione decrevit, ut in posterum Capitulum Generale Magistratu Ordinis quovis modo vacante, si per quatuor menses ante Festum Pentecostes id evenerit, in vigilia dicti Festi celebretur, si autem successerit mors Magistri Generalis, vel alia (ut præfertur) vacatio intra tempus quatuor mensium ante dictum Festum, tunc ad Sabbathum Dominicæ tertiæ Octobris ejusdem anni celebratio Capituli Generalis differatur; & similiter si Magistratus vacatio prædicta per quatuor menses ante dictum Sabbathum Dominicæ tertiæ Octobris acciderit, in tali Sabbatho dictæ Dominicæ celebretur; Si autem intra tempus quatuor mensium ante dictam Dominicam tertiam Octobris contigerit, tunc ad Sabbathum, seu vigiliam Pentecostes anni immediatè futuri transferatur: Insuperque decrevit prædictum Generale Diffinitorium propriis inhærendo Constitutionibus celebrationem Capitulorum Generalium, semper in Sabbatho, & non alia die fieri debere; Unde in hunc

Generale Capitulum quando celebrandum.

finem, & pro majori declaratione præfati Decreti, statuit, quod si quatuor menses à vacatione Generalatus expleantur ante sabbathum Pentecostes, celebratio Capituli fiat in sabbatho Pentecostes, & similiter si expleantur ante Dominicam tertiam Octobris, celebratio Capituli fiat in sabbatho ante Dominicam prædictam tertiam Octobris; si verò quatuor menses à vacatione Generalatus expleantur post Festum Penteeostes, intra octavam tamen dicti Festi, celebratio Capituli Generalis fiat in sabbatho ante Dominicam Sanctissimæ Trinitatis, & similiter si prædicti quatuor menses dictæ vacationis expleantur post dictam Dominicam tertiam, infra octavam tamen illius, celebratio Capituli Generalis fiat in sabbatho primo post dictam tertiam Dominicam Octobris, & non ultra, ne ob tam paucos dies electio Magistri Generalis in tam longum tempus differatur, interim autem donec Capitulum Generale, novaque electio fiat, Prior Monasterii Barchinonensis semper sit Caput, & Vicarius Generalis totius Religionis. Prædictumque Generale Diffinitorium suppliciter, & humiliter exorat Sanctissimum Dominum Nostrum Papam hujusmodi Decretum pro sua benignitate confirmare, & præfatum dicti Capituli Generalis Toletani ad ipsius instantiam confirmatum à Sanctissimo Urbano Octavo, prout huic contrariatur, derogare dignetur.

Provincia- [...]a Cap. [...]uando celebr[...]anda.

Item Prædictum Generale Diffinitorium decrevit, ut deinceps in perpetuum celebrentur Capitula Provincialia verno tempore circum circa Dominicam Cantate Sabbatho ante ipsam, & quod si in dicto tempore Magistratus Ordinis vacaverit, Capituli, vel Capitulorum Provincialium celebratio usque ad aliam Dominicam Cantate, immediate futuram prorogetur; Ut sic fiat conformius Constitutionibus Religionis, juxta caput quartum secundæ distinctionis; ubi sic, Religio (vacante, scilicet, quovis modo Magistratu Ordinis) in eodem prorsus statu perseveret, sicut fuerat ante vacationem Magistratus, & in cap. 6. ejusdem distinctionis de Capitulo Provinciali sic celebretur tamen prædictum Capitulum in Dominica Cantate, in qua futuris temporibus in toto ordine celebranda sunt inviolabiliter Capitula Provincialia.

[C]ontributio[n]es in duas [p]artes dividendæ.

Item Prædictum Generale Diffinitorium utilitati Provinciarum Novæ Hispaniæ, & del perù in Regnis Indiarum Occidentalium, earumque levamini consulens, ne superfluis sumptibus, & contributionibus nimis graventur, decrevit, ut de cætero contributiones pro Vestuariis Magistri Generalis in illis Provinciis fieri solitæ, minimè fiant sed pro Vestuariis Magistri Generalis, & sumptibos Procuratoris Generalis Curiæ Romanæ, & negotiis, seu litibus in ea concurrentibus, designavit prædictum generale Diffinitorium medietatem contributionum, quæ in illis Provinciis pro Vestuariis suorum Vicariorum Generalium fiunt juxta ea, quæ fieri consueverunt, ita ut tales Contributiones in duas æquales partes dividantur, quarum una Magistro Generali in Hispaniam mittatur, altera verò ipsis Vicariis Generalibus pro sui Officii sumptibus designetur.

In vacantia [gr]aduum diffinitorium [pr]ovideat.

Item cum dubitatum fuisset in prædicto Diffinitorio ad quem facultas exponendi ad Religionis gradus attineat? Post dissertam jurium inquisitionem declaratum fuit, pertinere ad quodlibet Diffinitorium cujuslibet Provinciæ, non solum approbationem lecturæ, vel prædicationis ad prædictos gradus, sed facultatem exponendi ad illos. Quia tamen expositio ad futuram vacantem ex Decreto Sanctiss. Pauli Quinti est prohibita, similiter declaravit Prædictum Generale Diffinitorium (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura prævidentur bono regimini imminentia dam[n]a, & ne Religiosi, aliàs idonei, & approbati illis [a]rbentur usque ad Capitulum futurum) posse Diffinitorium Provinciale prædictam facultatem exponendi, quæ jure nostrarum Constitutionum Diffinitorio Provinciali privativè competit concedere Reverendissimo Patri Magistro Generali, ut quoties graduum vacatio contigerit, possit exponere ad talem determinatam vacantem quemlibet ex approbatis à Diffinitorio Provinciali.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium ita, & juxta hoc Decretum disponendum fore caput vigesimum quintum nostrarum Constitutionum de Magistris, & Præsentatis.

Item confirmavit prædictum Generale Diffinitorium, quod jam decretum est in Capitulis generalibus Plobrensi, Barbastrensi, & Murciensi proximè celebratis circa facultatem, & potestatem R. P. Prioris Barchinonensis Magistratu vacante, tanquam Supremi Religionis Capitis, & Vicarii generalis totius Ordinis, de, & super confirmatione Graduum vacantium tempore sui Regiminis, & prædictum Diffinitorium generale, nemine discrepante, declaravit R.P. Priorem Barchinonensem ratione sui Officii prædicti habere sufficientem facultatem, & auctoritatem ad confirmationem Graduum conferendam jure nostrarum Constitutionum dist. 2. cap. 4. his verbis: Vicesque, & potestatē Magistri generalis in omnibus, prout in his Constitutionibus sancitur, habeat.

Item desiderans prædictum generale Diffinitorium inter Patres Principatus Cataloniæ, & Aragoniæ jurgia sedare, & pacem stabilire, decrevit, ut de cætero in Capitulis Provincialibus Provinciæ Aragoniæ eligatur ad minus unus ex Patribus Principatus Cataloniæ in Diffinitorem Provincialem, item decrevit prædictum Generale Diffinitorium ad perpetuam rei memoriam, quod tam Reverendissimus Magister Generalis, quàm Provinciales, Commendatores, & Vicarii Generales in fine quarumcumque literarum patentium, & aliarum Testimonialium Scripturarum, Professionum, &c. hoc utantur stylo, ut post numeratum Domini annum, similiter scribere debeant annum fundationis Ordinis his verbis, à fundatione nostri Ordinis anno N.

Missa de B. Virgine quolibet Sabatho celebranda.

Item prædictum Generale Diffinitorium decrevit quod in die Sabbathi cujuscumque hebdomadæ post Primam, secundum antiquam Religionis consuetudinem, inviolabiliter celebretur Missa de Beata Virgine in omnibus Conventibus totius Ordinis juxta Ritum Romanum, cui intersint omnes Religiosi cujuscumque gradus, aut qualitatis, extiterint Reverendiss. Magistro Generali non excepto; Similiter eadem die post completorium ad cantandum Antiphonam Salve, in Capella majori Ecclesiæ conveniant.

Missæ pro Fratribus defunctis celebrandæ.

Item decrevit, quod eadem suffragia, quæ pro quolibet Religioso Professo decedente celebrantur, ac debent celebrari, eadem etiam pro Religioso Novitio defuncto celebrentur; Rursusque Commendator Domus, ubi aliquis Religiosus, tàm Professus, quàm Novitius obierit, quamprimum poterit, certiores faciat, tàm Provincialem, quàm Commendatores illius Provinciæ de Fratris morte, nomine, & officio, ut pro illo supra posita suffragia fiant, teneanturque Commendatores, seu Prælati Conventuum nomen defuncti Fratris scribere in tabella ad hunc effectum in Choro, vel in Sacristia destinata, & in solito trienio retinenda, & renovanda, quam debeant Visitatores in suis Visitationibus sedulo examinare; & an suffragia pro defunctis sint integrè persoluta; Similiterque audita morte Sanctiss. D. N. PP in singulis Conventibus nostri Ordinis solemnes exequiæ pro ipso fiant, idemque pro Eminentiss. Domino Cardinali Nostræ Religionis Protectore; & pro Rege, & Regina Catholicis totius Religionis Patronis, & Fundatoribus fiat. Qualibet feria secunda (tempore Paschali excepto) post primam cantetur Missa quotidiana Defunctorum, qua fi-

nita fiat processio secundum antiquam consuetudinem Religionis, quod si dicta feria secunda aliquo Festo solemni impedita fuerit, in tertiam, vel quartam feriam transferatur, ut in Ceremoniali nostri Ordinis notatur.

Item cum ex nostris Constitutionibus quotidie bis mentaliter orare teneamur, decrevit prædictum Generale Diffinitorium tempus primæ orationi toto anni tempore dimidiam saltem horam immediatam antè primam destinare, taliter quod primo manè omnes Fratres in Choro conveniant, ubi genibus flexis, invocato Spiritu Sancto Antiphona, Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta. Vers. Emitte Spiritum tuum, &c. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, &c. Salvos fac servos tuos, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum &c. Oremus Deus qui corda fidelium, &c. Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum insere pectoribus nostris amorem tui Nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Defende quæsumus Domine Beata Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Secundò etiam conveniant post completorium, factoque saltem post dimidiam Orationis horam signo à Prælato, Hebdomadarius incipiat Antiphonam. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo, ex te enim ortus est Sol Justitiæ Christus Deus Noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam, prout in Rituali Ordinis notatur, & cum hoc ita decretum sit in aliis Capitulis Generalibus, nempè Bibilitano, Hobrensi, & Burtinensi, juxta ipsum ordinanda est Constitutio ubi designat tempus Orationis immediatè post Nonam, vel Matutinas.

Oratio post Primam, & Complet. facien.

Item præter disciplinas à Constitutione assignatas, & eas quæ fiunt quarta, & sexta feria per totum quadragesimale tempus decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod omnibus feriis sextis per totum Adventum servari à Religione stabilitum, Vespere omnes Fratres conveniant in Choro, vel Ecclesia, & ibi communem faciant disciplinam, similiterque alias communes disciplinas, quibus in pluribus Conventibus nostri Ordinis magno proventu, ac ædificatione Religiosi se exercent, prædictum Generale Diffinitorium laudavit, & approbavit.

Disciplina facienda.

Item statuit, quod præter jejunia in nostris Constitutionibus statuta, teneantur jejunare omnes Fratres (ut est laudabilis, & antiqua consuetudo Religionis) in omnibus Vigiliis Festivitatum Beatæ Mariæ Virginis, Dominæ, ac Patronæ Nostræ, & in Vigilia Sanctiss. Patriarchæ nostri Petri Nolasco.

Jejunia.

Item decrevit, quod Commendatores, seu Prælati Conventuum nunquam à refectorio absint, nullumque Religiosum, tàm ex Magistris, quàm ex Præsentatis abesse permittant; quod si Commendator, seu Prælatus Conventus crebro, & sæpius à Refectorio abfuerit, Officio, & commenda privetur.

Item Decrevit, quod PP. Commendatores provideant Religiosis omnia necessaria ad vestitum, & ille, qui habitum integrum in triennio, & calceamenta toties, quoties opus, & requisitus fuerit, suis subditis non dederit, puniatur in Capitulo Provinciali ad Arbitrium Diffinitorii, & sit inhabilis ad cæteras Prælaturas.

Vestiarium.

Præterea pro notitia cap. 16 primæ distinctionis nostrarum Constitutionum, & sequentium, ubi de levi culpa, de gravi, graviori, & gravissima culpa agitur, declaravit prædictum Generale Diffinitorium, notari debere materiam ejusdem delicti dici puniendam pœnis gravis, vel levis culpæ, quod debet intelligi (ne videatur inconsequentia, vel oppositio Constitutionum) juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, quæ in moralibus aggravant, vel diminuunt culpam. Et insuper decrevit debere prædictis Capitibus addi pœnas, quæ per varia capita nostrarum Constitutionum sunt dispersa, unicuique propria adaptando, & insimul colligendo cum relatione ad proprias, & congruas Constitutiones, ut facilius in promptu habeantur, ut statum fuit in Capitulo Generali Murciensi.

Pœnæ delinquen.

Item decrevit, quod Religiosus, qui ea delicta commiserit, quibus pœna in Constitutionibus declarata debetur, si triremium, de sententia juridica Generali Magistri, aut Provincialis cum duobus Diffinitoribus, vel Prælatis, ad triremes mittatur, tempore pro qualitate criminis debito, non per expulsionem à Religione, sed per expoliationem Habitus: transacto verò tempore pœnitentiæ redire tenetur ad Religionem, & se suis Prælatis præsentare, ut de ejus Conventualitate provideant, & tunc inter reliquos Fratres Habitu eodem indutus commoretur.

Ad Triremes.

Præterea decrevit, quod nemo Religiosorum possit habere redditus annuales, seu census nisi de licentia Sedis Apostolicæ, juxta Constitutionem Sanctissimi Domini Urbani Octavi, quod si secus fiat, qui habuerit, ipsis statim privetur, & applicentur Conventibus, seu Monasteriis, quibus ex vi Constitutionis pertinent.

Redditus prohibiti.

Item quia capite vigesimo tertio primæ distinctionis de recipiendis ad Ordinem habetur quod nullus recipiatur in Ordine, nisi de consensu majoris, vel sanioris partis Conventus decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod illa clausula, vel sanioris partis, deleatur, semper enim debet recipi, qui recipiendus fuerit de consensu majoris partis.

Receptio Novitiorum.

Item decrevit, quod nullus Religiosus alienæ Professionis cujuscumque qualitatis, aut conditionis extiterit (exceptis Nobilibus Militaribus) possit ad nostram Religionem admitti, super quo taxatur Magistro Generali, Potestas, similiter Magistro Generali, & Procuratori Generali in Romana Curia taxatur potestas suum præbendi consensum, super transitum Religiosorum ex Discalceata ad nostram primitivam, seu de Observantia Familiam. Insuper nullus ad habitum nostræ Religionis admittatur, nisi prius de genere, moribus, & vita accurata, & fide digna informatione, ac aliis, quæ expresè habentur in nostris Constitutionibus prædicto capite 23. Commendatori, & Communitati plenè illius Conventus, ubi recipiendus est, clarè constet.

Super transitu Religios.

Præterea observari præcipimus Decretum ex Motu proprio Sanctissimi Domini Sixti Quinti, quo decrevit, quod nullus ex sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum natus ad Habitum admittatur, neque ad Professionem in aliqua Religione, quod si secus fiat, Professionem decernit esse nullam, eosque facit inhabiles ad profitendum, & ad ascendendum ad quoscumque gradus, & dignitates, reliquosque illegitimos ex alio thoro natos, spurios, vel naturales, etiam aliàs legitimatos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis, & circumstantiis universis fide dignis Testimoniis; ita ut eorum receptio videatur profutura universæ Religionis commodo, & utilitati ejus, super quo in Generali, vel Provinciali Capitulo matura deliberatione habita unanimi consensu Diffinitorium, & Provincialis, vel Generalis ad habitum Regularem approbentur. Et nihilominus

hilominus

hilominus hi sic recepti ad gradus, honores, & dignitates Ordinis perpetuò sint inhabiles, nisi à Sancta Sede Apostolica specialiter dispensetur cum eis.

Præterea declaramus Vicarios Conventuum non esse Prælatos cum sufficienti auctoritate, & potestate ad admittendum, vel tradendum habitum Novitiis, poterit tamen, si sit Præsidens in capite, vacante officio Commendatoris, etiamsi sit per suspensionem ab Officio, cæteris ut supra concurrentibus.

catii Conventuum.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod in prædicto capite 25. de recipiendis ad Ordinem, ubi dicitur: & tempus probationis assignetur ei (Novitio scilicet) à Prælato, addatur: juxta Decretum Sacrosancti Concilii Tridentini sessione vigesima tertia, & de jure, quod est integer annus, post quem immediatè Novitius est admittendus.

ofessio ovitiorum.

Item decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod in capite vigesimo quinto prædictæ primæ distinctionis, ubi agitur de Professione, addantur hæc: & similiter irrita, & nulla sit Professio illorum, qui ex sacrilego, aut incestuoso concubitu usque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum sunt nati, juxta Motum proprium fel. rec. Sixti Papæ V. quem Generale Capitulum Murciense in Ordine Nostro servari decrevit. Et pariter sit irrita, & nulla professio illorum, qui in alia Regulari Religione fuerint professi juxta Decretum Capituli Generalis Toletani à Sanctissimo Urbano Octavo confirmatum; si vero tacita veritate, vel expressa falsitate hujusmodi defectus habentes professionem emiserint, quocumque tempore id cognoscatur ab Ordine Nostro, penitus tanquam non professi expellantur.

ontra defraudantes ona Redemptionis.

Item decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod qui bona Redemptionis in aliquo defraudasse repertus fuerit, non solum voce activa, & passiva in perpetuum privatus existat, sicut inter alias pœnas cap. 28. primæ distinctionis nostrarum Constitutionum statuitur, sed illum sic delinquentem, nec Provincialis, nec Generalis Magister ad tales voces restituere, & ab ea pœna liberare possit, nisi solum universum Diffinitorium Generale unanime, & conforme, ac nemine discrepante, & nisi restitutis ablatis, & similiter decrevit, quod bona Redemptionis nequeant à Conventibus pretio comparari, nisi infra viginti quatuor horarum spatium pretium pro emptione in communi deposito prædictæ Redemptionis reponatur; quod si contrarium per aliquos Prælatos fiat, pœnis in prædicta Constitutione assignatis subjaceant.

Insuperq; declaravit prædictum Generale Diffinitorium, quod pœnæ Constitutionum in Bona Religionis defraudantes, non tantum sunt excommunicatio, & privatio vocis activæ, & passivæ, sed etiam privatio Officiorum in tota Religione, & ita sunt in posterum intelligendæ, & infligendæ.

Item quia Statutum est à Capitulo Generali Toletano, & à Sanctissimo Urbano Octavo fel. recordat. confirmatum, quod si quando Officium Generalatus vacaverit, & fuit notificata vacatio Conventui Barchinonensi, non sit Prior electus tenentur Patres Conventuales dicti Conventus intra spatium viginti quatuor horarum Priorem de more, juxta Constitutiones eligere; Decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod si secus fecerint, in Gubernium Religionis, & Officium Vicarii Generalis succedat Provincialis, aut Vicarius Provincialis in Capite illius Provinciæ, ubi erit celebrandum Capitulum Generale immediatè futurum. Deficiente verò Provinciali, aut prædicto Vicario Provinciali, succedat Commendator illius Domus, in qua celebrandum est prædictum Capitulum. Quod similiter observandum est, si Prior Barchinonensis, tempore, quo Magistratus vacaverit, fuerit legitimè impeditus gubernio Religionis juxta Decretum Capituli Generalis Bilbilitani, à Capitulis Hoscensi, Barbastrensi, & Murciensi confirmatum.

Alternativi Magistri Generalis.

Item cum servari debeat alternativa in Officio Magistri Generalis, taliter, quod una vice sit ex Corona Aragoniæ, & Galliæ, ac Italiæ, altera ex Corona Castellæ inclusis Provinciis Vandaliæ, & Indiarum ex Decreto Sanctiss. Clementis Octavi fel. record. prædictum Generale diffinitorium decrevit, quod si Magister electus obierit ante absolutionem Capituli suæ electionis, non judicetur ejus alternativa expleta, sed secundum eandem debeat de novo fieri electio Magistri Generalis, quæ prædicta alternativa debet intelligi ex filiis cujuslibet Provinciæ, in ipsa inclusæ, qui in ea Professionem emiserunt, non tamen adoptati hujuscemodi enim nullatenus tali alternativa possint gaudere: consequenterque tempus vacantis, & Officii Vicarii Generalis minimè tenetur expectari de novo, casu quo Magistratus, ut dictum est ante absolutionem Capituli suæ electionis vacaverit.

De vacatione Magistratus.

Item quia in capite secundo, secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi agitur de vacatione Magistratus, non exprimitur peculiaris vacatio, quæ potest fieri per renunciationem declaravit prædictum Generale Diffinitorium, posse Magistrum Generalem liberè renunciare Magistratum, nulla alia causa adhibita, nec desiderata, quæ renunciatio poterit ab ipso, vel per se, vel per Procuratorem suum legitimum fieri, & erit sufficiens, si coram Provinciali, Diffinitoribus, & Electoribus Generalibus illius Provinciæ, in qua extiterit, fiat; dummodò Secretarius Religionis Testimonio fidem faciente, eam testificetur, quod Testimonium Commendator Domus, vel Secretarius per Nuncium specialem ad Priorem Barchinonensem, vel ad quem Officium Vicarii Generalis spectaverit, mittat, qui statim vacationem Magistratus omnibus Fratribus domus illius, in qua fuerit in Capitulo congregatis, prædicto Testimonio fidem faciente, manifestet, & tunc ab omnibus, solemniter obedientiam recipiat coram tali Nuncio de omnibus his testimonia fide digna recipiente, ut de anno, die, & hora possessionis Officii Vicarii Generalis omnibus juridicè constet, quamprimumque talis Vicarius Generalis ad omnes Provincias literas suas Patentes, tàm obedientiæ, quàm convocationis ad Capitulum, Generale celebrandum transmittat, & consequenter prædictum Generale Diffinitorium declaravit quod in capitibus nostrarum Constitutionum, ubi exprimuntur causæ vacationis Magistratus, ut decessus, &c. addatur, & exprimatur hæc peculiaris, nempè renunciatio.

Insuper declaravit prædictum Generale Diffinitorium (ad omnem ambiguitatem tollendam) quod tempus Gubernii Vicariatus Generalis totius Ordinis non habeat locum, nec habere possit, casu quo expleatur electionis sexennium. Præterea declaravit, quod & si jure nostrarum Constitutionum omnes Vocales Capituli Generalis convocati judicentur ad Capitulum Generale, quando expletur sexennium, Magister tamen Generalis tenetur opportuno tempore illos ad celebrationem dicti Capituli convocare.

Electores.

Item cum præter Electores Magistri Generalis à Constitutione capite tertio, 1. distinct. determinatos, duo alii in qualibet Provincia designentur, & canonica electione similiter per secreta suffragia eligantur ex decreto Capituli Generalis Matritensis à subsequentibus, & diuturna consuetudine confirmato, ita, ut in qualibet Provincia quinq; sint Electores suffragium habentes in Capitulo Generali, Provincialis nempè, & quatuor Socii,

quorum duo titulo diffinitorum, alii verò Electorum Generalium gaudent, decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod qui titulo Electorum designantur tantum habeant suffragium in qualificatione Vocalium ante electionem, & in electione Magistri, ac Domus Capitularis, non autem in aliis Diffinitoriis, servando in hoc consuetudinem Religionis à Capitulo Generali Murciensi approbatam, & confirmatam: & similiter, quia dicti Diffinitores, & Electores Capituli Generalis debent esse gradu Magisterii, vel Præsentaturæ insigniti, vel saltem per viginti annos à professione antiqui, ut in electione Magistri possint habere suffragium, juxta Decretum Capituli Generalis Bachinonensis à subsequentibus confirmatum, & observatum, decrevitque prædictum Generale Diffinitorium, quod tempus prædictæ antiquitatis viginti annorum per authenticum, & fide dignum transumptum Professionis constare debet.

Procurator Rom. curiæ. Item cum quicumque in Romana Curia in Officio Procuratoris Generalis strenuè, & cum approbatione communi per quinquennium se gesserit, si fuerit Magister, vocem habeat in Capitulo Generali proxime immediatè futuro ex decreto Capituli Generalis Toletani à Sanctissimo Urbano Octavo confirmato, decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod talis Procurator Generalis non tantum habeat vocem in electionibus Capituli Generalis, verùm etiam in omnibus Diffinitoriis illas subsequentibus usque ad absolutionem Capituli, cum præcedentia loci ad omnes Diffinitores Generales.

Subrogatio. Item prædictum Generale Diffinitorium approbavit, ac confirmavit Statutum Capituli Generalis Murciensis, quo decernitur, quod in electione Diffinitoris, vel Electoris Generalis loco illius, qui morte, vel impedimento legitimo Capitulo Generali assistere nequit, quæ à Diffinitoribus Provinciæ simul cum Provinciali fieri debet, vocem habeat Magister Generalis, si præsens fuerit, minimè tamen Vicarius Generalis Ordinis, qui loco Magistri succedit.

Vicarius Capituli Gen. Item approbavit, & confirmavit prædictum Generale Diffinitorium Statutum Capituli Generalis Murciensis, quo decernitur, quod non possit Vicarius Generalis, aut Provincialis à die vacationis Magistratus usque ad novam Magistri Generalis electionem, aliquem Electorem voce activa privare, quod etiam extendit hoc prædictum Generale Diffinitorium ad vocem passivam, quod si ratione alicujus delicti, vel ob alias causas sit inhabilis, & suffragandi actione ex jure communi, vel nostrarum Constitutionum careat à Capitulo Generali ante electionem accuratim scrutetur, ac decidatur.

Item cum omnes Vocales Capituli Generalis, ut moris est, die immediatè præcedenti ad diem Electionis in Conventu designato ad illam conveniant, ibi à Præside Ordinis, & Capituli benignè suscipiantur, & Vicarius Capituli nominetur qui jurisdictionem ordinariam super omnes Capitulares, & alios Fratres ad Capitulum concurrentes exercebit, talis autem Vicarius est eligendus ex Capitularibus illius Provinciæ, in qua celebratur Capitulum Generale, Vir providus, Religiosus, pacificus, & virtute præditus, quam consuetudinem approbavit, ac confirmavit Capitulum Generale Murciense, & hoc prædictum Generale Diffinitorium decrevit servari.

Eadem autem die qua prædicti Vocales ad electionem in præfato Conventu convenerint Vespertina sessione congregata, & facta commemoratione pro Sanctissimo Domino Nostro Papa, & felici statu Ecclesiæ, & pro Rege, pro Benefactoribus Ordinis, & captivis Christianis vivis atque defunctis, prout in capite decimoseptimo de Capitulo quotidiano in nostris Constitutionibus statuitur, Præses electionis brevem, & piam Orationem habeat, qua Patres Electores de fine conventionis moneat, simulque ad electionem novi Magistri Generalis rectè, legitimè, & canonicè peragendam hortetur, virtutesque, prudentiam, & doctrinam viro eligendo necessarias exponat, qua peracta, ad examen Vocalium procedat, & primò præcipiat, idque secundò, & tertiò moneat, ut si quis aliquem Vocalium in Diffinitorio aliquo impedimento legitimo, vel censura Ecclesiastica innodatum (ratione cujus in electione non habeat suffragium) assistere sciverit, continuò menifestet.

De Electione Magistri gen. Quod si aliquis reperiatur, & sufficienter probetur, tale pati impedimentum à Diffinitorio declaretur, & de Capitulo ejiciatur: ita, ut in hac sessione omnes Vocales examinentur, & ad futuram die sequenti electionem certo numero statuantur. Et die sequenti primo mane ad auroram omnes Vocales legitima voce ad electionem pridie designati in loco Capitulari conveniant, ibique celebretur Missa Spiritus Sancti, & Concio litteralis Latino idiomate ad Electores habeatur, exhortando eos ad rectam, & bono communi utilem electionem, qua finita omnes flexis genibus Hymnum, Veni Creator Spiritus, canent, & Præses surgens dicat: Emitte Spiritum tuum &c. Dominus vobiscum &c. Oremus, Deus qui corda fidelium &c. & sic ad electionem procedatur forma Juris, juxtà nostras Constitutiones servata, Magister Generalis post electionem usque dum à Sancta Sede confirmationem sui Officii obtineat, eo fungatur, non tantum sub titulo Vicarii Generalis, ut in Constitutionibus sancitur, sed etiam Generalis electi ex consuetudine Religionis ab hoc prædicto Generali diffinitorio approbata, & confirmata.

Electio fit per excessum Circa quod est observandum, ut omnis ambigendi locus relegetur, quod si numerus suffragiorum sit impar, verbi gratia, si Vocales sint viginti, & novem (qui numerus ex duabus partibus inæqualibus constat, quarum una habet quindecim, alia verò quatuordecim) ille qui habuerit quindecim suffragia, dummodò non sit ex numero eligentium, sit legitimè electus, si verò ex numero illorum sit, indigeat alio suffragio ultra quindecim, ut suum ipsius suffragium sibi profuisse non æstimetur, si autem in aliqua schedula, seu suffragio Scrutatores reperiant aliquam subscriptionem, vel signum, aut Chirographum, ratione cujus deveniant in cognitionem eligentis, vel si nihil reperiant scriptum, aut si aliquod suffragium in favorem alicujus inepti reperiant, non propterea aliquod præjudicium electioni sequatur; sed talis schedula subscripta, signata, vel albo, vel in favorem inepti separetur, & pro suffragio cassato reputetur, & habeatur, ac postea cum cœteris comburatur, quæ omnia servari debent, tàm in prædicta electione Magistri, quàm in electione Provincialis, ac in omni electione canonicè facienda.

Item prædictum Generale Diffinitorium confirmavit, quod Capitulum Generale Murciense erga Officium Magistri Generalis decrevit, nempè quod Magister Generalis in toto Ordine Generalem habeat potestatem: illam (inquam) quæ jure Superioribus cujuslibet Religionis est concessa, & imposterum concedenda ad omnia, ad quæ ex nostris Constitutionibus, non limitatur, curamque præcipuam totius Ordinis, & administrationem gerat. Undè per se solum eam potestatem in toto Ordine habeat in omnibus, & singulis, quàm Provincialis in sua Provincia, & Commendator in sua commenda. Insuper eam, quæ ad rationem sui Officii ex jure communi, ex privilegio, vel ex nostris Constitutionibus ad eum spectat, verum tamen in inferiorum Prælatorum Ministerio non se immisceat, nisi vel ob eorumdem defectum, vel cum prudentia, & quando

ratio

ratio id postulaverit, semper tamen inferiores illi parere teneantur, & licet capite trigesimo primo de modificatione pœnarum primæ distinctionis nostrarum Constitutionum detur facultas Magistro Generali dispensandi, & mitigandi in pœnis à Constitutionibus taxatis, monetur tamen nè liberè, & cum facilitate dispenset, nisi transacta jam majori parte pœnitentiæ, prævisisque in pœnitentibus manifestis, & evidentibus signis doloris, & correctionis.

Juramentum Generali præstandum.

In juramento à Generali electo post electionem juxtà nostras Constitutiones præstando, debet addi, & jurare tenetur, se observaturum capita Concordiæ initæ cum familia Discalceata circa Ministerium Redemptionis, prout in ea continentur. Potest Magister Generalis præsidere in Capitulis Provincialibus, per se ipsum, vel per Vicarium suum idoneum, & prudentem ad hoc specialiter deputatum, & primam vocem habebit, tàm ipse, quàm ejus Vicarius in omnibus electionibus, Ordinationibus, & Diffinitoriis faciendis usque ad absolutionem Capituli.

Tempore electionis poterit Magister Generalis convocare ad celebrationem Capituli Provincialis omnes Vocales illius Provinciæ, literis convocatoriis, eas mittendo immediatè Provinciali illius Provinciæ, ut eas continuò manifestet, & notas faciat in Capitulo pleno Conventus, ubi præsens extiterit, deinde eas ad omnes alios suis consuetis Itinerariis mittat. Si autem Magister Generalis, aut ejus Vicarius fuerit in aliquo conventu illius Provinciæ, ubi tale Capitulum celebrandum sit, priùs prædictæ litteræ convocatoriæ notæ fiant prædicto Conventui in Capitulo pleno, & postea eas mittat, ut dictum est.

Quod si Magister Generalis hujusmodi litteras convocatorias opportuno tempore (duobus inquam mensibus immediatis ante complementum triennii) non miserit Provincialis, & ejus defectu Vicarius Provincialis suis litteris ad celebrationem dicti Capituli convocare poterit, eadem facultas Vicario Magistri in Præsidem Capituli nominato conceditur. Magister Generalis in concurrentia Capitulorum Provincialium, potest quodlibet eorum per quadraginta dies à complemento triennii quocumque anni tempore anteponere, vel postponere, & uni, & alteri interesse possit ex Decreto Sanctissimi fel. rec. Clem. VIII. & nova declaratione S. C. R. sub die duodecima Decembris, de anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, quæ facultas etiam conceditur ab hoc Generali Diffinitorio, Decretum Capituli Generalis Murciensis confirmando, prædicto Magistro Generali, quamvis non sit concurrentia Capitulorum, sed unicum tantum celebrandum, si alias expedire visum fuerit.

Ad Magistrum pertinebit (juxtà Constitutiones nostras de instructione Officiorum) in electionibus, si præsens fuerit, Electores dirigere modestè, charitativè, & religiosè eos monendo, hortando, & instruendo, imò etiam suaviter suadendo ad eligendam personam digniorem, & magis idoneam Capituli, ipsius virtutes veras, & regimini necessarias ostendendo, & quando obfuerit, per litteras ad Capitulum, & Electores Missas dirigendo. Quamvis jure nostrarum Constitutionum capite quinto distinctionis secundæ Magister Generalis possit dispensare cum Fratribus in nonnullis rebus aliquas gratias, & exemptiones (absque tamen aliorum præjudicio) Religiosis concedere, nihilominus tamen, ut cessent multa inconvenientia, quæ experientia magna esse comprobavit, Magistro Generali imposterum illas concedere, vel cum fratribus dispensare minimè licebit: Exposuit tamen prædictum Generale Diffinitorium, quod poterit Generalis Magister declarare, aliquos frui exemptionibus (quas reales appellat prædictum Generale Diffinitorium) illis scilicet, quibus ratione Officii, gradus, & antiquitatis quadraginta annorum in Religione gaudere possunt tàm juxtà Constitutiones nostras quàm Sanctæ Sedis Decreta, necnon & aliorum Capitulorum Generalium.

Item decrevit, quod jus eligendi Provincialem devolvatur in Magistrum Generalem, casu quo Electores in Capitulo congregati infra tres dies à primo Electionis inclusivè de persona eligenda non convenerint, vel electio non fuerit facta juxtà Sacros Canones, Constitutiones, & Decreta Ordinis, jureque cassanda venerit, tunc namque Magister eliget Provincialem. In cæteris verò electionibus forma nostrarum Constitutionum observari debet.

Item decrevit, quod qui fuerunt Magistri Generales habeant immediationem Magistro Successori, & locum immediatum Prælatis, & in omnibus Congregationibus tàm Generalibus, quàm Provincialibus cujuscumque Provinciæ, in qua tempore convocationis interfuerint, Vocem, & Votum electivum, & decisivum habeant sicut quilibet ex Diffinitoribus, & Electoribus dictæ Congregationis, similiterque locum immediatum Præsidi.

Item confirmavit, & approbavit prædictum Generale Diffinitorium, quod Capitulum Generale Toletanum statuit erga Vicarios Generales Indiarum, nempè quod prædicti Vicarii Generales Indiarum justis de causis possunt à Magistro Ordinis ab Officio amoveri, eorumque regimen debet esse juxtà nostrarum Constitutionum tenorem, qui nequeunt nominare Commissarios Generales in eorum absentia, præcipuè in illis Provinciis, in quibus saltem ad unum Conventum pervenerint, sed liberum relinquant regimen Patribus Provincialibus, nisi ob casum, & gravem causam ad Visitationes moventem, quam per propriam personam facere nequeant. Quod si secus fiant prædictæ nominationes, nullius valoris, aut roboris esse declaramus. Et quamvis tales Vicarii Generales possint confirmare, & annullare Capitula Provincialia, & Provincialium electiones, minimè tamen poterunt eas annullare, similiterque nec suspendere, vel privare Provinciales valebunt, nisi priùs legitima causa juridicè acta, & conclusa. Et in casu quo pœna suspensionis debeat imponi, priùs duos Prælatos, seù Diffinitores consulere tenentur, ad privationem verò quatuor. Hac forma sententia producta à Vicario Generali, & quatuor Diffinitoribus, habeat effectum executivum qualibet appellatione interposita, & cum eisdem Diffinitoribus, quorum consensu Provincialem privaverit, vel suspenderit, Vicarium eligat Provincialem, ne Provincia maneat orbata gubernio.

Vicarii Generalis Indiarum.

Præterea prædictum Generale Diffinitorium approbavit, & confirmavit, quod Capitulum generale Murciense decrevit erga prædictos Vicarios Generales Indiarum, nempè quod deficiente Provinciali absque nominatione Vicarii Provincialis, non poterunt hujusmodi Vicarii Generales Indiarum nominare Vicarium Provincialem, sed succedere debet in officio Commendator domus, ubi celebrandum est Provinciale Capitulum immediatè futurum, & suo Ordine Diffinitores. Tamen prædicti Vicarii Generales Indiarum ratione sui Officii habent jus convocandi ad celebrationem Capituli Provincialis, in eoque præsidendi. Habent similiter suffragium in omnibus electionibus, & Diffinitoriis intra Capitulum.

Insuper prædictum Generale Diffinitorium approbavit, & confirmavit Decreta Capituli Generalis Toletani, quo decernitur, quod prædicti Vicarii Generales Indiarum non possunt vocare Religiosos Doctrinarios ad visitationem extra,

iam doctrinam, nec ipsi ita vocati tenentur adire, ed in eisdem doctrinis debent Vicarii Generales, el eorum Visitatores ab ipsis rationem petere. Nec extra prædictam Visitationem possunt Doctrinarios privare, sed hoc fiat præcedente causa legitima, qua juxtà nostras Constitutiones privantur Commendatores suis Commendis. Et nunquam Doctrinarii à sua doctrina decedant, usque dum successor advenerit. Præterea cum ex nostris Constitutionibus capite decimo tertio secundæ distinctionis electio Procuratoris Generalis Ordinis in Curia Romana pertineat ad Magistrum Generalem, & Generale Capitulum, hoc prædictum Generale Diffinitorium confirmavit, quod Generale Capitulum Murciense decrevit, nempè, quod si post factam nominationem prædictam tale Officium Procuratoris Generalis Ordinis in Curia Romana vacaverit, per mortem, renunciationem, privationem, vel per aliam legitimam causam, Jus nominandi de novo penes prædictum Magistrum Generalem maneat.

Doctrinarii.

Præcedentia Procuratoris Gen.

Insuper confirmat prædictum Generale Diffinitorium, quod Capitulum Generale Murciense decrevit, videlicet, quod talis Procurator Generalis, qui ad Magisterium ascenderit ex præsentatura juxtà Decretum Capituli Generalis Toletani confirmatum à Sanctiss. D. Urbano VIII. optionem habeat loci inter Magistros suæ Provinciæ cum præcedentia ad omnes, qui in ea ad talem gradum fuerint promoti post ipsum, si aliàs habet conditiones, & requisita juxtà Constitutiones, & decreta Apostolica ad Magisterium de Justitia obtinendum, quod si prædictis qualitatibus fuerit destitutus, locum habeat immediatum omnibus Magistris del numero. Denique si fuerit Magister, & juxtà superiùs dicta suffragatus fuerit in Capitulo Generali gratiis, & exemptionibus eorum, qui fuerunt Provinciales gaudebit absque optione tamen præcedentiæ, ad eos qui postea fuerint Provinciales. Præterea prædictum Generale Diffinitorium statuit, quod eadem forma, ac prædictus Procurator Generalis in Curia Romana nominatur, nominetur etiam Procurator Generalis in Curia Regia ad negotia, quæ in ipsa sese obtulerit, peragenda, approbans in hoc, & confirmans antiquam Religionis consuetudinem.

Insuper approbavit, & confirmavit, quod statutum fuit in Capitulo Generali Murciensi, nempè, quòd triennium Officii Provincialis computari debet secundum annos Ecclesiasticos, non juxtà Solares, itaut regulariter celebretur Capitulum, & electio novi Provincialis Sabbatho ante Dominicam, in qua per triennium ante fuerat celebratum Capitulum. Et similiter confirmavit decretum Capituli Generalis Murciensis, quo statuitur, quod si per duos menses ante complementum triennii non fuerint literæ convocatoriæ Magistri Generalis notificatæ Provinciali Provinciæ in qua celebrandum est Capitulum, poterit Provincialis litteras suas convocatorias expedire, secus tamen si à Magistro fuerint expeditæ. Quod si nullæ fuerint notoriæ factæ Vocalibus, sciant se esse convocatos ad celebrationem Capituli, die quo juxta dicta supra expletur triennium. In Capitulo autem Provinciali primam Vocem habeat Magister Generalis, vel ille qui ejus loco præsidet. Præter assignatos à Constitutione etiam habent vocem in Capitulo Diffinitores Provinciæ dummodò sint per triginta annos à Professione antiqui, & Procuratores generales cujuslibet Provinciæ, juxtà Decreta plurimorum Capitulorum Generalium, quæ à Capitulo Generali Murciensi, & ab hoc approbata, & firmata sunt.

Prætereà approbavit, & confirmavit prædictum Generale Diffinitorium declarationem Capituli Generalis Murciensis erga caput sextum secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi agitur de nominatione Vicarii Capituli Provincialis, decernit igitur, quod ubi dicitur: Provincialis nominet in Vicarium Capituli, ponatur: Præses Capituli, sub hoc enim titulo declaretur Jus Præsidentis Capituli; modo Magister Generalis sit, ejusque Vicarius, aut Provincialis, seù quicumq; præfuerit dicto Capitulo, idemque servandum est in aliis Capitulis, & ubicumque agitur de Provinciali tamquam Præside, ut omninò tollatur æquivocatio.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium approbans, & confirmans statuta Capituli Generalis Murciensis, quod ad electionem Capituli Provincialis omnes Vocales conveniant in Domo assignata celebrationi Capituli in Vigilia Vigiliæ Dominicæ Cantate, vel alterius Dominicæ à convocatione Capituli designatæ (semper enim electiones in Sabbatho fieri debent) nullusque locum Capitularem ingrediatur usque dum ad sonitum Campanæ omnes vocentur. Et eodem die, ut consuetudinis est in Religione nostra Vespertina sessione omnes congregentur, & à Præside Capituli aliqua brevi, & eleganti Oratione finis, ad quem convenerint, proponatur, simulq. eos ad electionem novi Provincialis exhortetur. Deinde referat omnes Fratres per triennium defunctos in illa Provincia; & statim surgat, & dicatur. De profundis &c. ut habetur in Constitutionibus. Deinde ad qualificationem, seù examen eorum, qui in tali electione vocem, & suffragium habent, procedatur, fiatque legitima, & canonica regulatio omnium juxtà formam Constitutionum. Die sequenti ad auroram omnes Vocales simul ingrediantur Capitulum, & servetur forma Electionis, prout in Constitutionibus. Et Electores Capituli Provincialis teneantur intra triduum convenire in persona eligenda, & legitimè, ac canonicè eligere Provincialem, aliàs devolvitur Jus ad Magistrum Generalem. In aliis verò Electionibus, omnes præstent suffragia juxta formam nostrarum Constitutionum. Et si persona electa in Provincialem fuerit absens à Provincia, poterit Magister Generalis de consilio Diffinitorum nominare Vicarium Provincialem ad Regimen Provinciæ cum omnimoda facultate à nostris Constitutionibus Vicariis Provincialibus concessa, quem Provincialis electus revocare non poterit, nec de novo alterum nominare, usque dum suam Provinciam ingrediatur. Post electionem verò Provincialis, & Juramentum ab ipso præstitum omnes è Capitulo Processionaliter egrediantur, & ad Ecclesiam procedant, cantando Hymnum, Te Deum &c. ubi prostratus Provincialis electus accipiat Benedictionem à Præside, ut ex antiqua Religionis consuetudine fit juxta formam capitis quarti secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum de electione Magistri contentam, Magister autem Generalis tenetur confirmare electionem Provincialis, canonicè, & juxta formam nostrarum Constitutionum factam quod si renuerit illam confirmare, causas, & defectus canonicos erga electionem, vel personam electam, manifestare debet. Provincia autem Galliæ, & Italiæ infra tempus quatuor Mensium tenentur præsentare coram Magistro Generali electionem sui Provincialis, quod si infra dictum tempus eam non præsentaverint, electio sit irrita, & nulla.

Electio Capituli Prov.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium, approbans, & confirmans, quod statutum fuit in prædicto Capitulo Generali Murciensi nempè quod Provincialis per tempus duorum mensium ante celebrationem Capituli Provincialis non potest privare Commendatores à sua Commenda, licet possit eos ab Officio suspendere usque ad celebrationem Capituli in quo votum, & suffragium habebunt. Et quamvis Pro-

vincia-

vincialis jure Constitutionum in aliquibus casibus possit nominare Vicarium Provincialem, in hoc tamen jure, & facultate non succedit Vicarius Provincialis, etiamsi sit in capite, seu casu quo morte, vel alio titulo defecerit, in Officio Vicarii Provincialis succedent, qui jure nostrarum Constitutionum sunt vocati, Provincialatu vacante, absque substitutione Vicarii Provincialis usque dum Magister Generalis si fieri potest, erga hoc provideat: Etsi Provincialem mori contingat, absque eo, quod nominet Vicarium Provincialem in sui Officii Successorem, tunc temporis sit in libera potestate Magistri Generalis confirmare in Vicarium Provincialem talis Provinciæ Commendatorem Domus futuri Capituli Provincialis. Vel si maluerit, alium ex Patribus ad dictum Officium ab ipsis Constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex tota ipsa Provincia pro suo arbitrio, prout melius judicaverit: Et in hoc sensu sunt legitimè intelligenda verba Constitutionis Capite septimo secundæ distinctionis, ubi sic: Vel in eo casu Magister provideat in illa Provincia quisquis debeat esse Vicarius Provincialis: hujuscemodi autem declaravit prædicta verba Capitulum Generale Bilbilitanum, in hac autem facultate nominandi Vicarium Provincialem minimè succedit Vicarius Generalis totius Religionis, cum illi non liceat electores mutare, aut novos eligere ad Capitulum Generale.

Quod si tempore sui Gubernii Provincialis mori contingat absque nominatione Vicarii Provincialis, sit ejus Successor Commendator domus ubi celebrandum est Capitulum Provinciale immediatè futurum, & suo ordine Diffinitores juxta nostras Constitutiones. Præterea decrevit prædictum Generale Diffinitorium similiter confirmans statuta prædicti Capituli Generalis Murciensis, quod si Provincialatus vacaverit per renunciationem, non poterit Provincialis renuncians successorem Vicarium Provincialem nominare, sed succedant in tali Officio à Constitutione nominati eo ordine, quo Decreto antecedenti est exposita, & declarata Constitutio. Si autem Provincialis fuerit impeditus bello, peste, vel alio titulo, taliter, quod per se, neque majorem partem Provinciæ gubernet, neque pro illa Vicarium Provincialem instituerit, qui ejus loco moderamini Provinciæ invigilet, poterit Magister Vicarium Provincialem nominare cum omnimoda facultate, juxta nostras Constitutiones, usque dum Provincialis gubernio sit expeditus, vel Vicarium suum instituat. Et quamvis Provincialis infirmitate, absentia, vel alio titulo impeditus Vicarium Provincialem juxta facultatem nostrarum Constitutionum instituerit, non intelligatur talem Vicarium morte succedere in Officio, nisi id specialiter in litteris Patentibus declaretur, sed tunc temporis succedant nominati à Constitutionibus, veluti si nullum Vicarium, & Successorem nominasset.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod Provinciali, vel Vicario Provinciali in capite omninò impedito, tempore quoad Capituli Generalis celebrationem instante, ejus loco vocem habebit in electione Magistri Generalis (ne sua Provincia hoc suffragio orbetur) qui jure nostrarum Constitutionum ad Officium Vicarii Provincialis est vocatus, nempè Commendator Domus, ubi celebrandum est Capitulum Provinciale proximè futurum, vel Diffinitores Provinciæ, servato ordine antiquitatis. Præterea cum ex antiqua Ordinis consuetudine à pluribus Capitulis Generalibus approbata, & stabilita fiat electio quatuor sociorum Provincialis ad suffragandum in Capitulo Generali, duorum nempè Diffinitorum Generalium, & duorum Electorum, prædictum Generale Diffinitorium decrevit, confirmare Decretum Capituli Generalis Murciensis, quod in capite octavo secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi dicitur: Fiat electio duorum sociorum ipsius Provincialis, dicatur: quatuor sociorum, quæ electio fieri non poterit ex eis, qui fuerunt electi ad tale munus in Capitulo Provinciali proximè antecedenti, nempè sub eodem titulo, quapropter qui fuerunt Diffinitores potuerunt eligi in Electores, & è contra.

Præterea prædictum Generale Diffinitorium confirmans similiter statuta præfati Capituli Generalis Murciensis, decrevit, quod si quis Diffinitor, aut Elector Generalis infirmari contigerit, aut si aliqua causa impeditus instante tempore celebrationis Capituli Generalis, poterit Provincialis simul cum Diffinitoribus Provinciæ, alterum illius loco eligere, & substituere, etiamsi legitimè impeditus, titulum suum renunciare noluerit, absque præjudicio tamen juris ejus, si forte impedimentum cessaverit, & Capitulo interfuerit, tunc enim jure suo gaudebit, ac electioni suffragabitur, etiamsi alter ejus loco electus fuerit, & si Diffinitor Provinciæ ab illa absfuerit, & Diffinitorium pro emergentibus casibus sit congregandum poterit Provincialis simul cum aliis Diffinitoribus loco absentis alium eligere, qui vocem in Diffinitoriis habeat.

Insuper prædictum Generale Diffinitorium, simul confirmans statuta Capituli Generalis Murciensis decrevit, quod in Diffinitorio Capituli Provincialis faciendo post electionem Provincialis, conveniant Præsidens Capituli Provincialis Electus, & Provincialis, vel Vicarius Provincialis absolutus, & quatuor Diffinitores Provinciæ, qui omnes suffragium decisivum habent, tàm in electionibus commendatorum, quàm in decretis, quæ pro bono regimine, & Provinciæ reformatione statuuntur, & Provincialis absolutus, vel Vicarius Provincialis, habebit locum immediatum à dextris Præsidentis in omnibus Congregationibus usque ad absolutionem Capituli Provincialis, Absolutus, vel ejus Vicarius, seu Visitator manifestare debet Diffinitorio, quæ ex suis Visitationibus reformatione digna repererit, & notaverit, ut præserventur, vel corrigantur, prout convenientius visum fuerit: Causasque omnes, Informationes, & Processus in suo triennio formatos, teneantur Successori tradere, miniméque comburantur, nisi eorum Fratrum, qui è vita jam decesserint, quapropter in capite novo secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum consequenter delenda sunt verba illa, nempè: Provincialis de Consilio Diffinitorum &c. & ponenda sunt hæc: Præsidens Capituli de Consilio Provincialis electi, & absoluti, ac Diffinitorium, &c. & similiter in capite decimo ejusdem secundæ distinctionis delenda sunt verba illa; Postea solus Provincialis, &c. & ponenda hæc: Postea solus Præsidens Capituli cum Provinciali electo, Provinciali absoluto, & Diffinitoribus &c Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod si in his, quæ à Diffinitorio Provinciali decernuntur, suffragia sint divisa in partes æquales, prævalebit pars, cum qua concordaverit Præses, quod etiam est observandum, quoties in decursu triennii ad aliquid decernendum Diffinitores convenerint. In electionibus verò jus nostrarum Constitutionum, ut ritè, & canonicè fiant, servari debet. Si tamen Diffinitores congregati infra tres dies (à prima electionis inclusivè) de persona eligenda non convenerint, devolvitur in Magistrum Generalem jus eligendi, sicut in electione Provincialis.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod in capite undecimo secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, ubi dicitur, quarta die, conveniant omnes in Capitulo, addantur sequentia: Ibique à Præside Capituli fiat

oratio brevis spiritualis, & devota, qua Prælatos electos in munere sui Officii exequendo instruat, dirigat, & moneat. Deinde à Secretario Capituli coram omnibus legantur Decreta, & Statuta à Diffinitorio pro majori reformatione ejusdem Provinciæ. Ulterius etiam legatur Edictum S. Inquisitionis, ut est laudata, & antiqua consuetudo nostræ Religionis, quibus præpositis, debet continuari prædictum caput, prout in dictis nostris Constitutionibus continetur.

Alternativa. Præterea cum in Provincia Aragoniæ, circa electionem Provincialis servetur alternativa, ita, & taliter, quod una vice Provincialis sit ex Catalonia, vel Sardinia, & alia Vice Regni Aragoniæ, & Navarræ, dummodo reperiatur persona habilis, & requisita habens ad Officium Provincialis exercendum, & prædicta alternativa debeat pensari non penes originem, & filiationem naturalem, sed juxta Professionem in Religione, taliter, quod qui Professionem emiserit in Conventibus Aragoniæ, vel Navarræ, poterit esse Provincialis in ejus alternativa, etiamsi natione sit Catalanus, & è contra, ut quælibet occasio præjudicii cuicumque parti penitùs evellatur, prædictum Generale Diffinitorium decrevit, ac declaravit quod nemini faveat adoptio in Conventibus alicujus partis, ut illius alternativa gaudere possit, sed semper debet pensari penes filiationem ex reali professione emissa.

Insuper prædictum Generale Capitulum decrevit, quod Patres Redemptores Provinciarum Aragoniæ, & Valentiæ, dum ad redimendos Captivos proficiscuntur, simul eant, neque aliqua inter eos sit Superioritas, sed unusquisque suum librum deferat, ubi adnotabit omnia ad Redemptionis munus pertinentia, sicut Redemptores Castellæ, & Vandaliæ faciunt. Præterea approbavit, & confirmavit, quod statutum est in Capitulo Generali Murciensi, nempè, quod in qualibet Provincia expensis ipsius, Carceres designentur, in quibus Religiosi pro qualitate criminum detineantur, & purgentur, & juxta decretum Sanctissimi Urbani VIII. eorum incorrigibilitas tentetur: pro expensis verò tàm ad formationem Carcerum, quàm ad sustentationem delinquentium Conventus Provinciæ juxta dispositionem Provincialis contribuant, & in qualibet Provincia depositum instituatur, in quo Processus, & causæ Religiosorum serventur, simulque formetur liber, in quo notentur causæ, seù Processus, ita ut registrati maneant, quæ omnia Provinciales Successoribus suis fideliter conferre tenentur.

Præterea prædictum Generale Diffinitorium approbavit, & confirmavit declarationem factam à Capitulo Generali Murciensi erga Consiliarios Conventuum, de quo agitur capite decimo tertio secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum, videlicet, quod in quolibet Conventu Ordinis omnes Patres graduati, debent esse Consiliarii, & ut tales teneri, & ubi non fuerint tres graduati, Vicarius Conventus, Prædicator Conventualis, & Magister Novitiorum sunt in Consilium vocandi, semper tamen supponendum est, quod si aliquis graduatus ibi degerit, vocandus sit, & juxta hunc tenorem prædictum Caput ordinari debet. Præterea approbavit, & confirmavit prædictum Generale Diffinitorium, quod statutum est à Capitulo Generali Murciensi erga dispositionem capitis quintidecimi secundæ distinctionis nostrarum Constitutionum consequenter ad alia statuta supra posita, nempè quod prædictum caput tenore hujuscemodi incipiat: Commendatores Domorum Ordinis nostri à Præsidente Capituli, ac provinciali electo, & provinciali absoluto, simulque cum quatuor Diffinitoribus provinciæ designentur, & provideantur.

Insuper approbavit, & confirmavit Decretum Capituli Generalis Murcien. quo statuitur, quod Commendatores intra triennium Religiosis omnibus Conventualibus Vestuarium præstare tenentur sub pœna privationis Vocis activæ, & passivæ in Capitulo proximè futuro, etiamsi aliàs Magistri, vel Præsentati extiterint. Commendatores autem observare tenentur motum proprium Sanctissimi Urbani VIII. circa bona Ecclesiæ non alienanda,& juxta hoc debet disponi tenor clausulæ prædicti capitis quintidecimi erga prohibitionem prædictæ alienationis, firmo, ac servato supradicto capite decimoquinto. Vestuarium.

Præterea cum ex Decreto Sanctissimi Domini Clementis VIII. nullus in Priorem Domus Barchinonensis possit eligi, nisi fuerit Magisterii, vel ad minus Præsentaturæ Gradu insignitus, & electio aliter facta, irrita sit, & nullius valoris; Capitulum Generale Murciense de anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto declaravit, ac decrevit debere esse talem præsentaturam de lectura & de numero Provinciæ, quód statutum hoc prædictum Generale Diffinitorium approbavit, & confirmavit, præterea cum in Capitulo Generali Toletano decretum sit, quod Prior Barchinonensis (qui ex jure nostrarum Constitutionum vacante Generalatu ante expletum sexennium in Officio Vicarii Generalis cum plena jurisdictione succedit) si quando dictum Vicariatum adierit, sit solum Præsentatus ipso facto Magister (ob officii gravitatem, & regimen totius Religionis habeatur, nominetur, & sit, quod Decretum confirmatum fuit à Sanctissimo Domino Urb. VIII. nunc prædictum Generale Diffinitorium declarat, quod ut talis Magister teneatur, & inter Magistros suæ Provinciæ locum habeat, si per undecim annos in lectura artium, & Sacræ Theologiæ cum approbatione Diffinitorii dictæ Provinciæ se exercuerit: locus autem antiquitatis computari debet à die, qua Vicariatu Generali functus fuit, decernitque prædictum Generale Diffinitorium, quod si Magister de numero suæ Provinciæ fuerit, cum fungi aggreditur dicto Vicariatu Generali, exemptionibus Provincialis (sicut si prædicto munere functus fuisset) gaudeat, cum præcedentia ad cæteros Magistros suæ Provinciæ, & loco immediato, omnibus, qui fuerunt Provinciales, & erunt.

Præterea decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod Visitator diligenter in Visitationibus suis curet de bonis, & eleemosynis pro Redemptione Captivorum; provideatque ut in omnibus Conventibus Procuratores, sive Commissarii Redemptionis pro ipsis eleemosynis colligendis sint destinati Religiosi, zelo, & charitate ferventes, & eos, quos negligentes in tali munere repererit, suis officiis privet, & pœnis pro suo arbitrio puniat, aliosque loco ipsorum substituat. Similiter diligenti cura provideat de aliis officiis, de Vicario, Procuratore, Magistro Novitiorum, Depositariis, & Sacrista: Insuper Visitatores in suis Visitationibus summoperè inquirant, si Commendatores à suis subditis munera aliqua accipiant. Quod si (proh dolor) eorum aliquos munerum amatores invenerint, eos propriis Commendis privent, eandemque similiter faciat inquisitionem Magister Generalis per totum Ordinem, tàm circa ipsos Commendatores, quàm circa Provinciales, quod si donorum receptores invenerit (præcipuè ab illis, quibus Officium, vel Commendam contulerint) hos omnes, & singulos, tàm Commendatores, quàm Provinciales propriis Officiis privet, ipsos etiam publicis pœnitentiis, & castigationibus omni, & summo cum rigore adstringendo, ut illis in correctionem, reliquis verò fratribus sit in exemplum.

Insuper decrevit prædictum Generale Diffinitorium sub pœna privationis vocis activæ, & pas-

ſivæ per decennium, & reclufionis per biennium, ac gravioris culpæ quod nullus ex noſtris Religioſis poſſit recuſare in ſuis cauſis Prælatos legitimos, & Ordinarios, nec recuſatio ſit valida, ſi illam faciat donec per duos ex Patribus Commendatoribus propinquioribus, vel per duos Patres Diffinitores videantur infra terminos, & tempus à Sac. Can. & Concil. præfixum, & ſtatutum cauſæ recuſationis, an fuerint ſufficientes, interim autem donec infra terminos, & tempus à Sac. Can. & Concil. præfixum, & ſtatutum cauſæ recuſationis diſcutiuntur, Prælati recuſati ſuſpendere debent excuſationem cauſarum, ac ſimiliter ſtatuit ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum, & inhabilitatis perpetuæ ad obtinendum quodlibet Officium, ne literæ deprecatoriæ impetrentur à Religioſis per ſe, vel per interpoſitam perſonam directè, vel indirectè ad obtinendum aliquod Officium vel munus noſtri Ordinis, neque ad id favoribus perſonalibus utantur.

Præterea approbavit, & confirmavit prædictum Generale Diffinitorium Decretum Capituli Generalis Murcienſis, nempè quod qui ſemel profeſſionem emiſerunt, & ad ſæculum qualibet ex cauſa regreſſi ſunt ulterius non poſſint admitti de novo ad Religionem, niſi de licentia Magiſtri Generalis, vel niſi in articulo mortis humiliter Habitum, & Profeſſionem petierint non tamen, ut inter nos iterum commorentur. Inſuper ſtatutum fuit, quod Religioſi Sacerdotes iter agentes, ubicumque occaſionem Sacrum celebrandi receperint, non prætermittant, nullique Religioſo, cauſa infirmitatis detur licentia de Monaſterio exeundi ad Domos ſæculares, ſuper quo conſcientiæ Prælatorum onerantur, ut decrevit Generale Capitulum Murcienſe.

Præterea approbavit, ac confirmavit prædictum Generale Diffinitorium, quod decretum fuit à prædicto Capitulo Generali Murcienſi, nempè quod nullus Religioſus audeat ingredi Curiam Regiam, niſi immediatè poſt duodecim horas Commendatori Conventus Matritenſis ſe præſentaverit. Quod ſi aliquis contrarium fecerit, à Commendatore incarceretur, donec à Provinciali veniam recipiat.

Præterea approbavit, & confirmavit prædictum Generale Diffinitorium decretum Capituli Generalis Toletani à Capitulo Generali Murcienſi ſimiliter approbatum, & confirmatum, videlicet, ut nullum negotium ad bona temporalia Conventuum pertinens, quod Patribus in Capitulo proponi neceſſum ſit, eodem die, quo proponitur, reſolvatur, ſed in diem ſequentem ejus reſolutio differatur. Præcipiturque Patribus Commendatoribus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna privationis officiorum, ne in contrarium hujus Decreti quidquam agant, idque obſervetur quotieſcumque re gravi, cujuſcumque materiæ illa ſit, propoſita Conventui, aliquis ex Fratribus affirmet ſe ad illius reſolutionem conſultatione, & ſtudio indigere, & ſub eiſdem pœnis præcipitur Commendatoribus, ne ſupplicas, & petitiones, quæ pro negotiis Conventuum mittuntur ad Superiores ſubſcriptis nominibus Religioſorum, ſubſcribere compellant, quin prius in Capitulo pleno legantur, ibique publicè ab omnibus ſubſcribantur, & ſub pœna gravioris culpæ per duos menſes præcipitur Religioſis, ne aliter prædictas petitiones ſubſcribere audeant, vel præſumant, ut decretum fuit in prædicto Capitulo Generali Murcienſi. Cum ex Decreto Sanctiſſimi Domini Clementis Octavi nemo ad Præſentaturam exponi poſſit, qui non legerit (ultra tres annos Logicæ, & Philoſophiæ) duos alios Theologiam Scholaſticam, aſſiſtendo conferentiis, & aliis actibus pro Magiſtris deſignandis, ſimiliter nullus ad Magiſterium aſſumi, qui non legerit quotidiè unam lectionem Theologiæ Scholaſticæ per ſpatium ſex annorum ſupra illos quinq; ad Præſentaturam requiſitos, & quod de ſero ſemper adfuerit conferentiis, aut præſidendo, aut replicando, & unoquoq; anno præſiderit alicui actui publico, ſeù publicis diſputationibus prædictum Generale Diffinitorium decrevit, & declarat, quod ſi Lectores in Cathedra alicujus Univerſitatis (de licentia tamen Superiorum) fuerint occupati ſivè in lectione continua Artium, ſivè Sacræ Theologiæ per ſpatium quinque, vel undecim annorum ad Præſentaturam, vel Magiſterium aſſumi poſſunt. Præterea cum juxta Decretum Capituli Generalis Toletani a Sanctiſſimo Urbano VIII. confirmatum, nullus ad Lecturam Artium, vel Sacræ Theologiæ promoveatur niſi facta oppoſitione, in qua per horam de materia ſortita per viginti quatuor horas antecedentes publicè legat, & per ſpatium alterius horæ argumentis oppoſitorum ſatisfaciat, quo, examine acto, tanquam ſufficiens approbetur, prædictum Generale diffinitorium declaravit, quod ſi prædicta approbatione omiſſa in Lectura aliqua ſe exercuerit nullius eſſe valoris ad prædictos gradus obtinendos, obtentioque eorum nulla, & irrita ſit : prædictum autem examen decrevit Capitulum Generale Murcienſe, quod fieri debet in materia Lecturæ ad quam promovetur, nec ſufficit approbatio ad Lecturam Artium, ut pro Theologia approbatus quis judicetur, nec è contra, & anni prædicti lecturæ ad gradus obtinendos, debent eſſe completi, taliter, quod pro uno anno non poſſunt admitti duo curſus, ſed ſinguli ſingulis annis reſpondere debent, aliàs irritos, & nullos eſſe quæ omnia prædictum Generale Diffinitorium approbavit, & confirmavit.

Præterea decrevit prædictum Generale Diffinitorium, quod nullus ad gradum præſentaturæ exponatur, niſi priùs ad Baccalaureatus gradum in aliqua Univerſitate ſit admiſſus, vel à Magiſtro Ordinis, aut à Provinciali ſuæ Provinciæ ſit promotus, prædicta autem requiſita ad gradus præſentaturæ, & Magiſterii de numero deſignata minimè poſſunt ſuppleri per alia merita, exercitia, vel obſequia Religioni exhibita, cujuſvis qualitatis extiterint, quod ſi impoſterum, aliqui tales gradus abſque prædictis requiſitis, & conditionibus receperint, ex nunc tanquam irriti, & nullius valoris eſſe declaravit Capitulum Generale Murcienſe, in memoriam revocans, & obſervari præcipiens Bullam Sanctiſſimi Domini Pauli V. ad hunc effectum ſpecialiter expeditam, ſalva ſemper auctoritate Apoſtolica in prædictis diſpenſandi. Cum ex Decreto Capituli Generalis Toletani à Sanctiſſimo Domino Urbano Octavo confirmato, probationes, ſeù informationes annorum lecturæ fieri debeant, immediatè ab ipſis Provincialibus, vel ſuis Viſitatoribus ſpecialiter in ſcrutinio ſecreto Viſitationum, & publicè per teſtimonia ſanioris partis Conventus, itaut ad hunc effectum Commiſſionem, nec cui poſſit tribuere, niſi tempus celebrationis Capituli inſtet, & ad tales Conventus provincialis non poſſit pervenire, prædictum Generale Diffinitorium decernit, & declarat quod probationes, & informationes lecturarum ſupra dicto modo factæ præſentari tenentur in Capitulo provinciali coram Diffinitorio, & ibidem examinari, & approbari, quæ approbatione dignæ repertæ fuerint. In quo examine habeant jus ſe opponendi Lectores quilibet, qui rationes aliquas in contrarium proponendas habuerint. Præterea cujuſmodi approbationes hoc rigoroſo examine à Diffinitorio factæ non judicantur ſufficientes ad confirmationem, ſive præſentaturæ, ſive Magiſterii, ſed ulterius requiritur, ut à Diffinitorio intra Capitulum penes, quod eſt jus, & facultas (cum aliàs commodè fieri non poſſit) ad tales gradus exponatur. Et cum nullus

exponi

exponi possit, nisi in vacante determinata ex Decreto Sanctissimi Domini Pauli V. nec confirmari, nisi prius sit expositus, poterit Diffinitorium Provinciale (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura prævidentur bono regimini imminentia damna) Magistro Generali facultatem concedere ut exponat unum ex approbatis, quem maluerit, quocumque tempore vacatio gradus accidat. Insuperque dictus Magister Generalis extra Capitulum Generale loco, & vice talis Capituli, potest confirmare in gradibus Præsentaturæ, Magisterii quotiescumque aliquem vacare contigerit, quemlibet ex admissis ritè, & ut fas est, à Diffinitorio Provinciali juxta Decretum Sanctissimi Domini Pauli V. Et hac eadem auctoritate gaudet Prior Barchinonensis, & quilibet alius, dum Officio Vicarii Generalis totius Religionis fungitur, juxta Decreta nostrarum Constitutionum.

Præterea decrevit, & declaravit prædictum Generale Diffinitorium, quod in cap. 25. distinct. secundæ nostrarum Constitutionum, ubi dicitur, quod solum sunt admittendi ad Magisterium, qui fuerint in conclusionibus publicis in Capitulo Generali, vel Provinciali approbati, addendum est: aut saltem in aliquo nostri Ordinis Collegio, sive Conventu studiorum.

Insuper prædictum Generale Diffinitorium statuit, ac ordinavit, quod Magister Generalis in confirmatione gradus Magisterii designet aliquem Magistrum confirmatum in Promotorem ad talem gradum forma nostrarum Constitutionum conferendum, à quo promovendus solemniter gradum recipiat intra duos menses post confirmationem: aliter autem maneat ipso facto tali gradu privatus.

Præcedentis. Præterea hoc prædictum Generale Diffinitorium decrevit juxta Decretum Capituli Generalis Toletani à Sanctissimo Domino Urbano Octavo confirmatum, & similiter juxta Decreta Capituli Generalis Murciensis, quod ut omnino deinceps litigia circa ordinem sedendi evitentur intra Magistros, & Præsentatos, servetur ordo juxta gradus, non verò professionis antiquitatem. Diffinitores Provinciæ, & Diffinitores, ac electores Generales, si sint Magistri, præcedant omnes alios Magistros, si verò Magistri non fuerint, sint Magistri immediati, etiamsi non sint præsentati, inter ipsos tamen ordo antiquitatis servetur, hæc ita sunt extra Capitulum, intra Capitulum verò si sit Provinciale. Diffinitores Provinciæ antecedunt omnes excepto Præsidenti, & Provincialibus electo, & absoluto. In Capitulo verò Generali, Provinciales sint immediati Præsidenti juxta Provinciarum antiquitates, deinde Prior Barchinonensis, si non præsideat, postea Procurator Generalis in Curia Romana, postea Diffinitores Generales, juxta antiquitatem suarum Provinciarum, & denique eodem ordine succedant omnes Electores Generales, Prior verò Barchinonensis, qui Vicarius Generalis totius Ordinis fuerit intra Provinciam Aragoniæ, si fuerit Magister, omnes alios Magistros præcedat, si autem Præsentatus omnes alios antecedat Præsentatos. Patres autem Provinciales servent inter se Provincialatus sui antiquitatem, etiamsi alio fungantur officio. Socii Magistri Generalis locum habeant immediatum Patribus Provinciæ, in qua extiterint, itaut omnes Magistros præcedant. Patres graduati aliarum Provinciarum in quacumque Provincia, de licentia Superiorum extiterint, si immediati Graduatis talis Provinciæ, itaut si fuerit Magister immediatus, omnibus Magistris, & si Præsentatus, omnibus Præsentatis.

Cum ex decreto Sanctissimi Domini Clementis Octavi bona stabilia, & ad legitimam fratris è vita decedentis pertinentia, quæ juxta Constitutionem spectabant ad Domum ubi Professionem emisit, sint conferenda, & veniant in jus Monasterii, ubi talis Religiosus Habitum Religionis suscepit: prædictum Generale Diffinitorium inhærendo Statutis Capitulorum Generalium Hobrensis, Burtiriensis, & Murciensis, statuit & decrevit, quod bona mobilia sic distribuantur: Habitus, & vestes inter Religiosos magis indigentes: Libri verò à Magistro, vel Provinciali, Conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur, alia tamen bona (si quæ fuerint) solutis ante omnia debitis defuncti, in quatuor partes æquales dividantur, quarum prima Conventui, in quo Habitum suscepit, tribuatur, altera Provinciali pro expensis Provinciæ conceditur, alia in Custodia Religiosi à Magistro Generali designati, pro sumptibus ejus, ubicumque extiterit, reponatur: Ultima denique ad Magistrum pro expensis sui Officii, & negotiis Curiæ Romanæ, mittatur. Denique propositum fuit prædicto Generali Diffinitorio, quod aliàs in Capitulo Generali Barbastrensi ad instantiam Eminentissimi Domini Cardinalis de Lugo nostræ Religionis Protectoris fuerat decretum, videlicet; ut ad unguem matura inquisitione nostræ Constitutiones examinentur, & judicii trutina perquirantur, nam multa cum in illis reperiantur obtrusa; aliaque omissa notentur, quæ sæpiùs in variis Capitulis Generalibus ad validiùs Regularis Observantiæ fulcrum sunt notata, indigent additione, & explicatione; Quapropter præfatis omnibus diversis sessionibus maturè in hoc prædicto Generali Diffinitorio collectis, & unanimi omnium consensu decretis, & confirmatis prædictum Generale, Diffinitorium auctoritatem suam, & facultatem qua ex vi nostrarum Constitutionum cap. secundo, secundæ distinctionis gaudet, ea meliori forma, via, & modo, quo poterat, & necessarium esset, substituit, & substituere dixit in auctoritatem nostri Reverendissimi Generalis electi, ut nomine totius Generalis Diffinitorii, & Religionis, suppliciter oraret Sanctissimum pro confirmatione horum decretorum, ut efficaciùs perpetuam observantiam assequantur; eaque, & alia Decreta à Sancta Sede approbata, & confirmata, omniaque illa, quæ per tria Capitula Generalia sunt, & fuerunt approbata, quæ omnia jure nostrarum Constitutionum, ut in earum proœmio continetur, vim Constitutionis in toto Ordine habent, & habere debent, recollecta singulis capitibus prædictarum nostrarum Constitutionum, adaptentur, & inserantur, & juxta ea prædicta capita disponantur, & corrigantur, omni in consequentia, & contradictione accuratim attenta, & relegata, sicque disposita, noster Reverendissimus Generalis electus typis mandet, ut quamprimum possit ad omnes Provincias (pro eorum observantia) remittat.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Franciscus Procurator Generalis, Constitutiones hujusmodi, quò firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret: Nos ipsius Francisci Procuratoris Generalis votis hac in re quantùm cum Domino possumus benignè annuere, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, & ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & regularium præpositorum consilio præinsertas Constitutiones per novissimum Ordinis hujusmodi Capitulum Generale compilatas, ac

Approbatio prout in Rubric.

à præfatis Cardinalibus visas, & maturè, ac diligenter examinatas, atque in nonnullis emendatas, & in antescriptam formam ac tenorem redactas, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac dictas Constitutiones exinde subsecuta earum publicatione per omnes, & singulos dicti Ordinis Religiosos, tàm Superiores, quàm subditos respectivè in usum recipi, & perpetuò observari mandamus, & præcipimus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & Constitutiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis necnon prædicti Ordinis, ejusque Provinciarum, ac Conventuum, & locorum Regularium quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 8. die 20. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Decemb. 1662. Pontificatus nostri Anno octavo.

CXXXIV.

Edita An. D. 1663.

Constitutio super regimine Superiorum Societatis JESU.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Debitum Pastoralis officii, Quo Ecclesiæ Catholicæ Regimini divina dispositione præsidemus, exigit, ut paternam dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Regularium Societatis JESU, quæ ab ipsis fundationis suæ primordiis in re Christianæ Religionis juvanda promovendaque Infidelium, & Hæreticorum conversione, & horum pertinacia retundenda, ac Juventute literis, & probis moribus informanda, Christique fidelibus in viam mandatorum Dei dirigendis (ad juvante Domino) sedulò semper, & fructuosè laboravit, ac etiam nunc strenuè laborat, curam peculiari studio gerentes, illa quæ prospero, fœlicique ipsius Societatis regimini, & progressui impedimentum adferre noscuntur, è medio tollamus, & abrogemus, sicut magistra rerum experientia suadet, & nos matura consultatione adhibita ad Omnipotentis Dei gloriam salubriter expedire arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem postquam à Congregatione quinta generali dictæ Societatis petitum fuerat ut ipsius Congregationis auctoritate statuer etur, ne Superiorum localium ejusdem Societatis officia ultra triennium continuarentur, dicta verò Congregatio decreverat nullum tempus esse præfigendum, sed servandum esse decretum 87. Congregationis secundæ generalis ipsius Societatis, fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster, certò sciens totum sanctæ hujus, & nunquam satis laudatæ Religionis stabilimentum in viridi Instituti ipsius, & decretorum super hoc in generalibus Congregationibus ejusdem Societatis editorum observantia consistere, illamque ab impugnationibus, molestiis, & calumniis vindicare, & in sui instituti integritate, puritate, quiete, & pace conservare cupiens, per suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1606. pridie nonas Septembris super Instituti dictæ Societatis confirmatione emanatas literas, supradicta, & alia quæcumque decreta, statuta, & ordinationes, quæ Institutum, & Societatem hujusmodi, illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt in generalibus Congregationibus confirmavit, ac Præpositum Generalem, cæterosque Superiores Societatis præfatæ tunc, & pro tempore existentes paternè hortatus est, & monuit, ut observationi dictorum decretorum seriò invigilarent, ac eos, qui novitati studentes aliquid contra liberam, & sine ulla triennii, aut certi temporis præfixione Superiorum localium gubernationem per se, vel alios quoscumque quavis auctoritate, & dignitate fulgentes quomodolibet machinari ausi fuissent, tanquam Perturbatores sui Ordinis, & rerum novarum molitores præter pœnas in supradictis decretis contentas, ipsius præpositi pro tempore existentis arbitrio coercerent, corrigerent, & punirent, & aliàs prout in eisdem Pauli prædecessoris literis uberiùs continetur.

Paulus V. observari mandat Statuta Societ.

§. 2. Postmodum verò recol. mem. Innocentius Papa X. etiam Prædecessor noster per suas in forma Brevis literas die prima Januarii 1646. expeditas inter alia statuit, mandavit, præcepit, & ordinavit, ut omnes, & singuli dictæ Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alii Officiales jurisdictionem, seu superioritatem habentes quomodolibet nuncupati exceptis Magistris Noviciorum, in eorum respectivè muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis prædictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare deberent, eique elapso triennio hujusmodi eo ipso vacarent, & vacare censerentur, ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia prædicta quomodolibet nuncupata etiam Vice Provincialis, seu Vice Præpositi, vel Vice Rectoris nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem à fine dicti triennii computandum à prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessassent: Decernentes præmissa omnia, & singula in perpetuum inviolabiliter sub excommunicationis latæ sententiæ, ac suspensionis à divinis, privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa, & quævis alia imposterum obtinenda pœnis ipso facto absque alia declaratione tàm per mandantes, procurantes, eligentes, & deputantes, quàm recipientes, & exequentes irremissibiliter incurrendis observari debere, neque adversùs illa, seù illorum aliquod ipsiusque Innocentii prædecessoris Constitutionem hujusmodi per præpositum Generalem pro tempore existentem, aut quamcumque Congregationem etiam Generalem, vel quemlibet alium Superiorem, & Officialem dictæ Societatis, aut ejusdem Innocentii, & pro tempore existentis Romani Pontificis, Sedisque Apostolicæ Nuncios, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quovis alios quacumque potestate fungentes un-

Mandat Superiores esse tantùm trienales.

quam dispensari, disponi, vel derogari posse, & quamcumque dispensationem, dispositionem, & derogationem adversùs præmissa, seù eorum aliquod, eandemq; Innocentii Prædecessoris Constitutionem per præfatos seù ipsorum aliquem pro tempore quomodolibet factam, sivè concessam, nullam prorsus, ac nulliter, & subreptitiè, obreptitièq; extortam fore, & esse, ac censeri, & haberi, neminiq; ullatenus suffragari debere, & aliàs cum diversis ordinationibus, decretis, clausulis, & derogationibus in eisdem Innocentii Prædecessoris litteris pleniùs contentis.

§. 2. Verùm subindè pro parte dilecti filii Gosvvini Nikel præpositi Generalis dictæ Societatis nobis exposito, quod vacatio munerum, superioritatum, ministeriorum, & officiorum prædictorum post lapsum triennii, necnon eorum, qui illis functi fuissent ab illis per annum cum dimidio cessatio, sicut præmittitur, præscripta, maxima bono Societatis prædictæ regimini adferrent incommoda, & tunc quia ob calamitates, & contagii suspiciones, quibus nonnullæ Provinciæ laborabant, commercium reperiebatur interdictum, difficilior redderetur vacationis, & cessationis hujusmodi observatio: Nos supplicationibus ejusdem Gosvvini præpositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati supra expressum Innocentii Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem hujusmodi ad sesquiannum tunc proximum suspendimus, & successivè dictum sesquiannum ad alium sesquiannum, ac iterum ad triennium respectivè extendimus, & prorogamus. Præterea cum dictus Gosvvinus Præpositus generalis nobis iterùm exponi fecisset, quod Provinciæ Indiæ Societatis prædictæ literarum nostrarum in forma Brevis super suspensione hujusmodi primo loco ad sesquiannum, ut præfertur, facta emanatarum beneficio maximè indigebant, illoque frui vix poterant, quia priusquam de eisdem literis nuncius ad illas partes præferretur, aut jam elapsus, aut propè finem futurus erat dictus sesquiannus, Nos ipsius Gosvvini præpositi Generalis precibus benignè annuentes, similem suspensionem statuti, mandati, præcepti, & ordinationis memorati Innocentii prædecessoris quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia, & loca quæcumque dictæ Societatis in Indiis tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus, & alibi extra Europam dumtaxat consistentes, & consistentia attinebat, ad septem annos die 14. Novembris 1656. computandos fecimus.

Moderatio præfati statuti.

§. 4. Ac demùm cum nomine dilectorum filiorum Congregationis generalis, quæ fuit undecima ejusdem Societatis nobis expositum fuisset, quod ex jam dictis suspensionibus maximum toti Societati beneficium, atque emolumentum provenerat, quia verò præfixum in litteris nostris desuper emanatis tempus tunc incipiebat fluere versus finem, eadem Congregatio communibus votis, ac nemine penitùs discrepante denuò opportunè in præmissis à nobis provideri plurimùm desiderabat. Nos humilibus ipsius Congregationis generalis precibus inclinati prædictum Innocentii Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem, ut munera, superioritates, administrationes, ministeria, & officia hujusmodi elapso triennio vacent, & illis functi, nisi postquam ab eis per sesquiannum cessaverint, ad alia quævis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia nullatenus eligi, seù assumi, vel deputari valeant, quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia, & loca in Europa ad aliud quadriennium, quantum verò ad Provincias Domos, Collegia, & loca quæcumque ejusdem Societatis in Indiis tàm Orientalibus quàm Occidentalibus, & alibi extra Europam consistentes, & consistentia spectat respectivè ad alios octo annos denuò suspendimus, & aliàs prout in quinis nostris in simili forma Brevis literis, primis quidem die 24. Julii 1656. & aliàs die 14. Novembris ejusdem anni, & die 7. Julii 1657. & die 28. Augusti 1658. & novissimis die 6. Decembris 1661. desuper expeditis pleniùs continetur.

Alia moderatio.

§. 5. Cum autem, sicut accepimus, S. Ignatius dictæ Societatis Fundator in Constitutionibus ipsius Societatis statuerit, ut penès præpositum Generalem esset tàm electio omnium Rectorum, quàm amotio ab eo munere, nullo præfixo temporis spatio, sed solum prout ei convenientius in Domino videretur. Et licet idem S. Pater alibi in eisdem Constitutionibus dixisse reperiatur, Provinciales ad triennium, ut plurimum constituendos esse, statim tamen subjunxerit etiam id temporis spatium contrahi, & prorogari posse, quando ad majorem Dei, & Domini nostri gloriam, id fore judicaretur: At verò pro Rectoribus, vel Superioribus localibus neque triennium ut plurimum præscribendum censuerit, sed totam durationem regiminis illorum pendere voluerit ab arbitrio præpositi Generalis, prout ad majorem Dei gloriam expedire duceret. De cessatione autem Superiorum ad sesquiannum, vel aliud tempus nullibi meminerit, nec aliquid super ea re statuendum censuerit, sed præpositi generalis judicio, sicut alia multa id in genere reliquerit, & ipsemet quamdiù vixit, in praxi absque tali cessatione Societatem gubernaverit: Hæcque gubernandi ratio à piæ me. Paulo III. Julio III. & Gregorio XIII. ac Gregorio XIV. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris, qui Gregorius XIV. per suas sub plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1591. 4. Kal. Julii expeditas litteras, quarum initium est *Ecclesiæ Catholicæ &c.* expresse statuit, ut electio Superiorum quorumcumque esset tota penès præpositum Generalem juxtà Constitutiones cum potestate illorum facultatem revocandi, restringendi, vel augendi, & denique eosdem ab officio removendi, prout in Domino judicaret expedire, approbata, & confirmata, & post obitum memorati Sancti Ignatii in eadem Societate cum ingenti illius bono servata fuerit.

§. 6. Et licet anno 1594. similis recor. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster vivæ vocis oraculo per bon. mem. Franciscum, dum vixit, S. R. E. Cardinalem Toletum nuncupatum Congregationi quintæ generali memoratæ Societatis significato mandaverit, ut tàm Provinciales, quàm Rectores d. Societatis non durarent ultrà triennium, nihilominus tamen ipse Clemens Prædecessor motus precibus ejusdem Societatis mitigaverit variis modis illud suum mandatum, quod posteà præfatus Paulus V. prædecessor per suas supradictas Decretum Congregationis quintæ generalis supra expressum specificè confirmans, & præfixionem termini in gubernatione superiorum localium graviter improbans, ac machinatores contra id decretum tanquam perturbatores Societatis gravissimis pœnis plecti jubens omninò abrogavit.

§. 7. Cumque d. Societatis subsequenti tempore usque ad dictam præfatam Innocentii prædecessoris Constitutionem præfatum gubernandi modum magno cum fructu ipsiusque Societatis tranquillitate servaverit; Edita verò eadem Constitutione plurimis, gravissimisque affecta fuerit incommodis, multòque plura, & graviora pericula, & inconvenientia subitura extiterit, nisi Nos per suspensiones præfatas illis occurrissemus: Et ex his nostris suspensionibus, seù dispositionibus per septem ferè annos magnæ & multiplices d. Societati utilitates obnuerint, nec quidpiam alicujus momenti in contrarium nobis exhibitum fuerit, ut pro indè è re ejusdem Societatis maximoperè futurum videatur; si ejusdem Innocentii præ-

decessoris

decessoris ordinatio supradicta penitùs abrogetur.

§. 8. Hinc est, quod nos d. Societatis felici directioni, religiosisque progressibus, & incrementis quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, necnon præfatarum nostrarum, ac Gregorii XIV. Pauli Quinti, & Innocentii X. aliarumvè quarumlibet eorumdem, & aliorum Prædecessorum nostrorum præfatorum litterarum Societatem præfatam concernentium, ac ipsius Societatis Constitutionum, & decretorum generalium illius Congregationum tenores, & datas, aliaque etiam speciali, & individua mentione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, eorumdemque Pauli III. Julii III. Gregorii XIII. Gregorii XIV. & Pauli V. Prædecessorum, qui omnes dictas Constitutiones S. Ignatii, & rationem gubernandi in eis expressam laudarunt, approbarunt, & confirmarunt, vestigiis inhærentes: Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, Apostolicæ potestatis plenitudine memorati Innocentii Prædecessoris statutum, mandatum, præceptum, & ordinationem, ut omnes & singuli ejusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alii Officiales jurisdictionem, seù superioritatem habentes quomodolibet nuncupati (exceptis Magistris Novitiorum) in eorum respectivè muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis prædictis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare debeant, eaque elapso triennio hujusmodi eo ipso vacent, & vacare censeantur, ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia præfata quomodolibet nuncupata etiam Vice-Provincialis, seu Vice Præpositi, vel Vice Rectoris nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem à fine d. triennii computandum à prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessaverint pluries à nobis suspensa, ut præfertur, & quatenus illa concernunt prædictas ejusdem Innocentii Prædecessoris litteras (firma tamen, & illæsa, ac in suo robore in reliquis omnibus & singulis remanente earumdem Innocentii Prædecessoris litterarum dispositione. Tenore præsentium perpetuo revocamus, abrogamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus. — *[margin:] ...orogat sta...t. Innocentii X.*

§. 9. Decernentes easdem præsentes litteras etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, ad illa vocati, citati, & auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliovè quolibet etiam substantiali, & individuam expressionem requirente defectu notari impugnari, redargui, rescindi, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seù adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudvè quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes litteras semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. — *[margin:] ...ecretum ...ritans.*

§. 10. Non obstantibus dicti Innocentii Prædecessoris litteris, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memorati Gregorius XIV. ac Paulus V. & Innocentius Prædecessores voluerunt in suis, & nos volumus in nostris respectivè litteris prafatis non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. — *[margin:] Contrariis derogat.*

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii d. Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi, vel Vicarii Generalis ejusdem Societatis, aut alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. — *[margin:] Transumptorum fides.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Januarii 1663. Pontificatûs Nostri Anno octavo. — *[margin:] Dat. P. An 8. die 1. Janua.*

CXXXV.

Quod Laïci, seù Conversi Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum quartum, ultra tria solita, votum addant de non transeundo ad statum Clericalem, & ad Ordines sacros.

De his Fratribus vide ad Const. 23. Urbani VIII. Commissi nobis, in qua prohibetur transitus ad alios quoscumque Ordines, & ad Constit. 161. Exponi nobis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

[margin:] Edita An.D. 1663.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christi fidelium, qui à fluctibus sæculi in religiosæ vitæ portum confugerunt, ac in humilitatis spiritu Altissimi obsequiis se se sub suavi arctioris regulæ jugo manciparunt, curam gerentes, felici, prosperoque illorum statui, & quieti quantum Nobis ex alto conceditur prospicere studeamus. — *[margin:] Exordium.*

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes à Conceptione Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod cum Fratres dictæ Congregationis ad chorum destinati ex dispositione fel. rec. Pauli Papæ V. prædecessoris nostri quartum votum non ambiendi officia, prælaturas, & dignitates emittant, Capitulum generale ejusdem Congregationis mense Maio proximè præterito in Civitate Toletan. celebratum, ad majorem observantiam, & tranquillitatem dictæ Congregationi decrevit, ut (si ità Nobis placeret) Fratres Laici, seù Conversi Congregationis hujusmodi, qui de cætero profiterentur, ultra tria vota tempore professionis emittenda, aliud votum etiam emitterent, videlicet, se nunquam sacros Ordines recepturos, nec directè, vel indirectè per se, vel per alios, Ordines hujusmodi prætensuros. Quare dictus Joannes Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præteritis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. — *[margin:] Motiva.*

§. 3. Nos igitur ipsum Joannem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, — *[margin:] Confirmat prout in Rub.*

harum

harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui præcitatum Decretum Capituli Generalis Congregationis hujusmodi viderunt consilio, attentis narratis, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, ut in posterum in dicta Congregatione Fratres Laici, seu Conversi quartum ultra tria solita votum addant, de non transeundo ad statum Clericalem, & ad Ordines sacros, nec hujusmodi transitum directè, aut indirectè procurando, & ità servari præcipimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes pariter ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 8 die 13. Jan. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Januarii 1663. Pontificatus nostri Anno octavo.

CXXXVI. Quod electiones Guardinorum, Prominiſtrorum, & Custodum in Familia Ultramontana Ordinis Sancti Francisci per suffragia secreta, & ballotationes fiant, & in paritate suffragiorum Præsidens votum decisivum habeat.

Vide ad Const. 292. Urban. VIII. Religiosos viros, in qua agitur de hac electione.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1663.

Exordium. Creditæ Nobis cælitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Religiosorum virorum qui abnegantes semetipsos ut facerent voluntatem Domini, suam fregerunt, curam gerentes, illorum statui, & fælici regimini quantum nobis ex alto conceditur consulere jugiter studeamus.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Petrus Roche Commissarius Generalis Curiæ Ordinis Fratrum minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, in Provinciis familiæ Ultramontanæ ejusdem Ordinis introductus sit abusus eligendi Guardianos, ac Prominiſtros, & Custodes viva voce; ac cum publica concertatione suffragantium in grave libertatis electionum præjudicium, & non sine occasione perturbationum, & litigiorum, quæ exindè inter electores nasci solent, nobis propterea ipse Petrus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in Rubric. §. 2. Nos igitur dictum Petrum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut omnes, & singulæ prædictæ electiones in familia Ultramontana Ordinis hujusmodi deinceps per suffragia secreta, & ballotationes fiant; & in paritate suffragiorum præsidens electionibus supradictis votum, sive suffragium decisivum habeat, juxta dispositionem quarumdam fel. recor. Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri in simili forma brevis litterarum pro familia Cismontana dicti Ordinis emanatarum, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, & ita servari mandamus, ac præcipimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Familiæ Ultramontanæ hujusmodi, hujusque Provinciarum quarumlibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet. §. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 8. die 18. Jan. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 18. Januarii 1663. Pontificatus nostri Anno octavo.

DECRETUM.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit injungen. & præcipien. prout harum vigore injungit, & præcipit, ut deinceps in singulis præfatis electionibus in familia Ultramontana Ordinis hujusmodi servetur omninò modus, & forma præscripta in Constitutionibus Generalibus familiæ Cismontanæ, contrariis qui-

buſcumque non obſtantibus. Romæ 15. Martii 1663.

M. Card. Ginettus.

Locus † ſigilli.

E. Epiſcopus Camerinen. Secr.

Modus autem præſcriptus in Conſtitutionibus Gener. Familiæ Ciſmontanæ cap. 7. §. 36. de Capitulis Provincialibus n. 7. & ſequentibus talis eſt.

ANtequam Patres ingrediantur Diffinitorium, fiat inter ipſos diſcuſſio ſuper meritis, & qualitatibus promovendorum, & præcipuè attendatur juſtitia diſtributiva pro pacis conſervatione. Deinde Præſidens, ſeu Provincialis proponat unum pro quolibet Conventu ſucceſſivè, ſuper quo ſumantur ab electoribus calculi nigri, vel albi ad hoc præparati, & ſic ſecretò abſque alia diſcuſſione ponantur in urna. Quod ſi major pars erit affirmativa, electus intelligatur, ſi verò erit negativa proponatur alius à Præſide, ſive Provinciali, ut ſupra, donec electio canonicè fiat. Quod ſi vota per tres vices erunt æqualia, Præſidens voto deciſivo utatur, uti ſecundum Deum melius videbitur expedire. Alii autem Officiales, videlicet Confeſſores Monialium, Magiſtri Novitiorum, Lectores, & alii hujuſmodi inſtituantur à Superiori cum conſilio, & conſenſu Patrum Diffinitorum, non obſtante quacumque conſuetudine immemorabili in contrarium &c.

CXXXVII. Quod Fratribus Clericis Congregationis Gallicanæ Fratrum Reformatorum nuncupatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum non competit jus ſuffragandi in Capitulis, Fratribus verò laicis nullum penitus jus competit ſuffragandi in quocumque negotio.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An D. 1663.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

CUm ſicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Gallicanæ Fratrum Reformatorum nuncupatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres Converſi, ſeu Laici dictæ Congregationis ſe ab eorum Superioribus, & Fratribus Sacerdotibus ejuſdem Congregationis voce activa, & jure ſuffragandi, ſecundum diſpoſitionem Regulæ d. Ordinis à fel. rec. Innocentio Papa III. Prædeceſſore noſtro ſpecificè confirmatæ Fratribus Clericis, & Laicis æqualiter competente nulliter, & de facto ſpoliatos, eſſe prætenderint, eaque ſuper re ad Venerabiles Fratres noſtros S.R.E. Cardinales negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitos recurſum habuerint, dictus verò Procurator Generalis controverſiam hujuſmodi à Nobis dirimi ſummoperè deſiderat.

Abſolvit Oratorem à cenſuris.

§. 1. Nos ipſum Procuratorem generalem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium, qui rem partibus auditis maturè examinarunt, ac diſcuſſerunt, conſilio,

Confirmat prout in Rubric.

Fratribus Clericis Congregationis hujuſmodi non competere jus ſuffragandi in Capitulis, niſi poſtquam fuerint in ſacris Ordinibus conſtituti; Fratribus verò laicis nullum penitùs jus competere ſuffragandi in quocumque negotio, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, ac decernimus.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus in contrarium allatis, aut prætenſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit prædictorum Ordinis, & Congregationis; etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 4. Volumus autem ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P. An 8 die 10. Feb.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 10. Februarii 1663. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

CXXXVII. Declaratio mentis ſuper ſolutione Decimarum per Penſionarios facienda.

Vide ad Conſt. 16. Innocen. X. Nuper & ad Conſt. 109. Cum Divina hujus Pont.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A.D. 1663.

xordium.

MOtu proprio &c. Cum Nos aliàs pro urgentibus Reipublicæ Chriſtianæ neceſſitatibus, & præſertim ad reprimendos Infidelium conatus de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu inter alia indiximus, & impoſuerimus ſex integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, redditIIum, proventuum, jurium, obventionum, & diſtributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum omnium, & quarumcumque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumque Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum, & Conventuum, ac etiam menſarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpoſiturarum, Canonicatuum, & Præbendarum dignitatum, Perſonatuum, cæterorumque beneficiorum, & bonorum Eccleſiaſticorum etiam Juriſpatronatus Laicorum, & Regularium locorum in univerſa Italia, & Inſulis adjacentibus conſiſten. ſub certis tamen exceptionibus, ac modo, & forma tunc expreſſis, atque etiam omnium, & quarumcumque penſionum annuarum ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, ac diſtributionibus quotidianis, ſive earum loco, fructuum, redditIIum,

proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi (Statu Veneto excepto, in favorem quorumcumque) non tamen Cardinalium prædictorum, reservatarum, & assignatarum, seù translatarum, aut reservatorum, & assignandorum, vel translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seù transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, seu transferendorum percipiendas, exigendas, & elevandas, ac ab omnibus, & quibuscumq; Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & cæteris cujuscumq; dignitatis, gradus, status, ordinis, militiæ, & conditionis personis Decennio inibi expresso durante prædicta quocumque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seù translata habentibus, & habituris, necnon œconomis, administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, & pensiones, res, & alia jura quomodolibet habentibus, & habituris tàm sæcularibus, quàm Regularibus etiam quorumcumque ordinum, & certarum militiarum.

§. 1. Ac præterea pensionum hujusmodi Decimas ad rationem Decem pro Centenario præstari debere, & secundum ea omnes in solidum cogendos esse ipsarumque Decimarum Procuratores à quibus libuerit integrè exigendi optionem facultatemque habere, nec ullas immunitates, & exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis juris, concordiæ, conventionis, aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione quocumque modo, & sub quibuscumque verborum expressionibus etiam à Decimis, seù quibusvis aliis impositionibus etiam pro expeditione, tàm offensiva, quàm defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Hæreticos, seù ex alia quavis quantumvis legitima, & rationabili, ac necessariò, & de necessitate exprimenda causa etiam in favorem Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, seù aliorum quorumcumque Principum, ac pro eorum, & Sedis Apostolicæ necessitatibus, seù alios Canonicè, vel de facto impositis, & pro tempore imponendis etiam per Nos concessas, & interim concedendas integram solutionem hujusmodi minuere, vel impedire, neque possessores usufructuarios, aut alias pensiones, seù fructus hujusmodi solvere debentes etiamsi ipsi juri, & actioni petendæ, vel detrahendæ, aut retinendæ portionis, & ratæ partis Pensionarios contingentis jure jurando renunciaverint, atquè ex forma Cameræ Apostolicæ amplissima caverint modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi posse, sed Pensionarios, & fructuum hujusmodi reservatarios ad Decimarum prædictarum onus solvendum omninò teneri.

Pensionarii teneantur ad solutionem Decimarum.

§. 2. Omnes verò confessiones, & quietantias, receptiones Decimarum à Procuratoribus, & Ministris dictæ Cameræ, tàm conductoribus censuariis, & locatoribus nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seù fructus solvere debentibus nomine Pensionariorum faciendas perindè valere, atquè in judicio, & extra illud ubiq; locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus & pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent, prout in nostris literis sub Data Anno Incarnat. Dominicæ 1660. nono Kalen. Martii Pontificatus nostri Anno sexto, desuper confectis quarum tenores præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis præsentibus haberi volumus plenius continetur.

§. 3. Cum autem sicut accepimus in aliquibus reservationibus, & impositionibus prædictarum Pensionum ipsimet titulares, & Administratores ex pacto inter partes inito, vel etiam ex libero consensu, aut alias onus quarumcumque contributionum ratione Pensionum ipsarum etiam ad instantiam Imperatoris, & pro defensione Fidei Catholicæ facien. in se & successores suos etiam sub juramento, & obligatione Camerali assumpserint ac Pensiones ipsas ab ejusmodi Decimis impositionibus, & aliis quibuscumque gravaminibus quandocumque, vel ex quacumque causa etiam necessariissima, & urgentissima, ac etiam specialiter ex præmissis Pensiones liberas, immunes, & exemptas, ac integras; & nullatenus diminutas, solvere promiserint, quin etiam Pensiones ipsæ in quantum necessariæ solutionis, & contributionis faciendæ pro rata pensiones ipsas tangen. auctæ, vel augendæ, & forsan etiam aliæ cautelæ cum prægnantissimis verborum expressionibus in expeditione pensionum hujusmodi conceptæ reperiantur, & propterea nonnulli Pensionarii à contributione, & solutione in prædictis literis contenta se tueri onusque solutionis ratam pensionis tangen. in ipsos titulares, seù Administratores Ecclesiarum, Canonicatuum, Dignitatum, Mensarum, aliorumq; beneficiorum, tàm sæcularium, quàm Regularium prædictorum rejicere, & retorquere contendant, & desuper nonnullæ lites, & controversiæ motæ fuerint, & de præsenti forsan adhuc pendeant indecisæ.

Declaratio mentis.

§. 4. Nos Ecclesiarum Mensarum, Canonicatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum hujusmodi indemnitati consulere, & ne fructus illarum, & illorum plus æquo graventur providere, omnemque dubitationis, & controversiæ materiam nostræ declarationis oraculo terminare volentes, ac omnium, & singularum reservatarum pensionum pactorum, & conventionum, & in eis contentarum clausularum tenores, ac litium, & causarum super præmissis coram quocumque Judice pendentium statum, & status, & merita etiamsi talia forent quod de illis specialis, & individua mentio fieri deberet, perindè, ac si de verbo ad verbum expressi, & expressa essent præsentibus pro expressis habentes easdemque lites, & causas in statu, & terminis in quibus reperiuntur à quocumque Judice, & Tribunali, tàm hujus Urbis Romæ, quàm aliis quibuscumque locis, & tam in statu nostro Ecclesiastico, quàm extrà illum ubicumque agantur etiamsi in gradu appellationis pendeant ad Nos avocantes, easque penitus supprimentes, & extinguentes Motu simili, & ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, & denuntiamus mentem & intentionem nostram in prædictis literis fuisse, & esse, ac immutabilem fore Decimas ipsas super omnibus Pensionibus prædictis ratam cuilibet earum tangen. omni pacto, & conditione, remotis, & absque ulla spe relevationis Pensionariorum contra titulares, & Administratores Mensarum Ecclesiasticarum, & reliquorum Beneficiorum, & locorum Piorum in dictis literis expressorum per Nos fuisse, & esse impositas, & propterea omnes, & singulos Pensionarios quacumque auctoritate, dignitate, præeminentia præfulgeant (non tamen personas in prædictis literis exceptas) ad ipsarum Decimarum solutionem pro rata cujuslibet Pensionis teneri, & obligatos esse neque ullum jus, & actionem etiam in vim cujuscumque pacti, & conventionis quantumvis ex causa onerosa, vel donationis juramenti, obligationis Cameralis, augmenti, Pensionum, & cujusvis alterius quantumvis inexcogitatæ cautelæ, & pactionis etiam à Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illorum, & illarum tenore inserto approbatis, & confirmatis, & forsan pro Decennio durante approbandis, & confirmandis aliquid aliquando ab ipsis titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios ad Decimarum hujusmodi solutionem pro rata suæ cujuslibet pensionis juxta nostrarum literarum prædictarum formam, & tenorem, ac præsentem nostram declarationem, ac si quoad easdem Decimas per Nos impositas nullatenus pacta, conventiones, dona-

tiones,

tiones, juramenta, obligationes, & aliæ cautelæ superiùs dictæ, & per Sedem Apostolicam approbatæ, vel approbandæ nullatenus emanassent, vel emanaverint, imò illis omnibus quoad solutionem Decimarum prædictarum plenariè, expresfsè, & specificè ad favorem fructuum prædictorum, seù Titularium, & Beneficiatorum, ac Administratorum prædictorum derogatum fuisse, ac iterum Nos tenore præsentis Motus proprii expresfsè, & plenariè ad exonerationem titularium, & beneficiatorum, ac mensarum aliorumque locorum prædictorum contra Pensionarios derogamus, & dicto durante Decennio eosdem Pensionarios teneri, ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit juxtà prædictæ impositionis, & hujus nostræ declarationis formam, & tenorem cogi, & compelli posse, seù debere.

§. 5. Et pro potiori cautela quascumque sententias in causis prædictis contra ipsos Pensionarios, seù eorum aliquem super præmissis Decimis hactenus latas, promulgatas, & publicatas, ac etiam executioni demandatas, uti nullas, & invalidas revocamus, cassamus, annullamus, & viribus evacuamus cum omnibus indè secutis, ipsisque Pensionariis perpetuum silentium super præmissis imponimus, & impositum esse declaramus, & hanc mentis nostræ declarationem cum omnibus, & singulis per Nos præsenti Motu proprio ordinatis locum habere, & omninò servari volumus, tam in Pensionibus hactenus impositis, quàm imposterum imponendis quibuscumq; pactis, conventionibus, clausulis, & cautelis, ac etiam eidem præsenti nostræ declarationi, renunciatione etiam juramento facti non obstan. quæ omnia eo ipso irrita, & invalida, ac nullius roboris, & effectus fore, & esse censeantur, & ità declaramus. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, ac causarum Palatii Apostolici Auditores &c. sublata &c. judicari, & definiri debere irritumque &c. decernimus.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo, ac Ecclesiarum in quibusvis beneficia hujusmodi existunt, seù à quibus mensæ ipsæ dependent etiam juramento &c. roboratis &c. privilegiis &c. Quibus omnibus &c. eorum tenores &c. latissimè hac vice dumtaxat specialiter, & expresfsè Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio F.

Et quod literarum prædictarum tenores etiam veriores, ac Dat. ac singulorum Pensionariorum prædictorum dignitates, qualitates, & præeminentias etiam speciali nota dignas, & alios de necessitate exprimendas præsentibus pro individualiter expressis habentes, seù in toto, vel in parte exprimi possint in literis. Et de declaratione, denunciatione, avocatione, extinctione, silentii impositione singulis derogationibus, & decretis, ut supra in literis latissime exten. Et quod præmissorum omnium, & singulorum etiam denominationum, qualitatum aliorumque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis si videbitur etiam per viam de Curia expedien. Et cum decreto quod interim etiam antè earumdem literarum expeditionem sola nostri præsentis Motus proprii Signatura sufficiat, & ubiquè plenam fidem faciat in judicio, & extrà regula quacumque contraria non obstan. Et firmis remanentibus cæteris omnibus, & singulis per Nos in dictis literis impositionis Decimarum dispositis, & ordinatis

Fiat F.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Kal. Aprilis anno nono.

CXXXIX.

Breve Beatificationis Petri de Arbues Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, primi Inquisitoris in Regno Aragoniæ.

Edita A. D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

FOrtissimos Christi athletas, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni, quorum pretiosa in conspectu Domini morte religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est, sicuti post agonem victores corona justitiæ donat in cælis justus Judex, ita devota convenit fidelium veneratione in terris honorari, ut qui sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus, infirmitatem nostram sua intercessione juvare dignentur.

§. 1. Quam in rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia id ipsum Catholicorum Regum, & aliorum Christi fidelium vota libenter exaudimus, prout omnibus maturæ discussionis trutina perpensis ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Christianæ Religionis, Fideique Catholicæ robur, & incrementum, Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio Regis & Inquisitorum Hispaniarum.

§. 2. Cum itaque ad preces Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ac dilectorum filiorum Generalis Inquisitoris, & Ministrorum omnium Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum, ac Deputatorum præsertim in Regno Aragonum adversus hæreticam pravitatem, necnon Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ, Cleri, Juratorum, & Populi Civitatis Cæsaraugustanæ processus ritè, ac rectè confecti fuerint super Sanctitate Vitæ, Virtutibus, Martyrio, causa martyrii, prodigio quoq; effervescentiæ, & multiplicationis sanguinis, aliisque miraculis à Deo patratis intercessione Servi Dei Petri de Arbues aliàs Magistri Epilæ nuncupati, dum vixit, Canonici prædictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cœsaraugustanæ, & primi Inquisitoris in dicto Regno Aragoniæ auctoritate Apostolica deputati, qui dum munus Inquisitoris hujusmodi fideliter, & summo cum Fidei Catholicæ zelo exercebat, à nefariis quibusdam Sicariis Judaica perfidia infectis, in odium ejusdem Catholicæ Fidei immaniter trucidatus martyrii palmam accepisse asserebatur: iidemque processus in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum accuratissimè discusfsi fuerint, factaque tandem eorum omnium, quæ in causa gesta sunt, coram Nobis plena, & distincta relatione, præfata Cardinalium Congregatio, Nobis annuentibus censuerit, quandocumque tutò deveniri posse ad solemnem Canonizationem ejusdem Servi Dei Petri Arbuesii juxta Ritum S. R. E. & Sacrorum Canonum dispositionem, attento quod agitur de Martyre cum prodigio, & miraculis maturè discussis, & formiter approbatis.

Beati nomine nuncupandus.

§. 3. Hinc est quod Nos piis memoratorum Philippi Regis, Inquisitorum, Capituli, Cleri, Juratorum, & Populi supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu indulgemus, ut memoratus Dei Servus Petrus Arbuesius in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur. Imagines quoque radiis seù splendoribus exornentur, atque de eo sub Ritu duplici recitetur

officium, & missa celebretur de Martyre non Pontifice singulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 17. Septembris, quia spiritum Creatori reddidit. Hæc verò in locis dumtaxat infrascriptis, nempè in Cathedrali Ecclesia Cæsaraugustana, ubi Canonicus Martyrii palmam consecutus est, ejusque Corpus requiescit, in Ecclesiis Generalis Inquisitoris Hispaniarum, ac Sancti Martini Inquisitionis Regni Aragoniæ, ubi primus Inquisitoris munus obivit, & à qua ex Apostolica auctoritate munus idem accepit: nec non in Matrice Ecclesia oppidi de Epila, ubi natus est, & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus confluentibus.

§. 4. Præterea præsenti tamen dumtaxat anno à datis hisce literis inchoando, in supradictis Ecclesiis solemnia Beatificationis ejusdem cum officio, & missa sub Ritu duplici majori die ab Ordinario constituta, & intra sex menses promulganda celebrandi facimus facultatem. Romæ verò in Ecclesia Sanctæ Mariæ Montis Serrati, Nationis Regni Aragonum intra bimestre, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum eadem solemnia celebrata fuerint, pariter celebrari permittimus.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Decretis super non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quàm extra habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel obstensæ.

Dat. P.An. 9. die 17. Apr. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Aprilis 1663. Pontific. Nostri Anno nono.

CXL.

Decernit, & declarat, quòd Fratres universi, & singuli Ordinis Prædicatorum, ubique terrarum, priusquam ad Sacros Ordines ascendant, ætatem ad hujusmodi Ordines suscipiendos explevisse debeant, juxta Concilii Tridentini Decreta.

Edita An. D. 1663.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Creditæ Nobis ex alto dispensationis ratio postulat, ut paternam Christi fidelium, qui è fluctibus sæculi in religiosæ vitæ portum confugerunt curam gerentes, illa quæ fælici eorum directioni, & regulari disciplinæ officere noscuntur, de medio tollere studeamus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Motiva hujus Const. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod in plerisque d. Ord. Provinciis Indiarum non sine notabili regularis disciplinæ studiorum, & communis quietis, pacisque detrimento Fratres ejusdem Ordinis passim ante legitimam ætatem à Concilio Tridentino præscriptam mittuntur, & admittuntur ad majores Ordines suscipiendos, eo quod prætendant adesse illic privilegium speciale desuper Ordini prædicto, aut alteri Religioni, cum qua Ordo ipse in privilegiis communicat à Sede Apostolica indultum, circa prima dictarum Provinciarum, & Conversionum initia, sive quod ibidem Episcopi, & Archiepiscopi ex novissima quadam concessione Apostolica ob penuriam operariorum habeant, aut habere putentur amplam ea in re facultatem.

Ac insuper in eisdem Provinciis passim irrepsit abusus intolerabilis, quo Fratres Conversi, seù Laici arte, ac solertia Clericalem Religionis habitum, Sacrosque Ordines absque legitima Superiorum d. Ordinis permissione suscipere non verentur, dum videlicet de una in aliam Provinciam commeantes sese mox Clericos professos fingunt, ac falsitatis dimissorialibus literis se offerunt Episcopis initiandos, tametsi in prædicto Ordine Prædicatorum omnis Conversorum transitus ad habitum Clericalem sit legibus quam severissimis interdictus.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Magister Generalis agnoscat, ac deprehendat fore plurimum è re divini obsequii, cultusque ac decentiæ, necnon claustralis observantiæ, & arctioris educationis, si validum adversus hujusmodi præmaturas ordinationes remedium admoveatur, & proindè qualicumque hujusmodi privilegio, si quod in illis partibus, vel prædicto ejus Ordini immediatè concessum, vel per communicationem ab alio quocumque Ordine participatum habetur, in manibus nostris renunciet, cupiatque opportunè à Nobis in præmissis provideri, & ut infrà indulgeri.

§. 3. Nos ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dictamq; privilegii renunciationem ab eodem Magistro Generali factam, ut præfertur harum serie admittentes, & acceptantes, quod de cætero non minus in supradictis Provinciis Indiarum, quàm in Europa, prædicti Ordinis Prædicatorum regulares universi, ac singuli, priusquam ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines ascendant ætatem, ad tales ordines suscipiendos per Decreta Concilii Tridentini prædicti respectivè requisitam, omninò explevisse debeant, nisi cum aliquibus nominatim, & in casu singulari per literas Apostolicas in simili forma Brevis toties quoties impetrandas, & ordinationi exhibendas super hujusmodi ætatis defectu canonicè dispensatum fuerit, quemadmodum fit in Europa, quodque facultates, si quæ jam datæ sint, sive in posterum dentur illarum Regionum Episcopis, & Archiepiscopis conferendi majores ordines hujusmodi antè legitimam ætatem, ad Fratres dicti Ordinis Prædicatorum nequaquam extendi censeantur, neque his ibi, aut ullibi suffragari possit ad ullum præmaturæ ordinationis effectum, quæcumque communicatio privilegiorum cuicumque Religioni concessorum, aut concedendorum auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus. Confirmat prout in rub.

§. 4. Prætereà quibusvis supradictarum Provinciarum in Indiis consistentium Ordinis prædicti Fratribus Laicis, seu Conversis, nè sine legitima Superiorum ejusdem Ordinis permissione è statu Conversorum ad statum, & habitum Fratrum Clericorum dicti Ordinis transire, aut etiam ultrà ad sacros ordines sese intrudere audeant, vel præsumant quovis modo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna per Contraventores eo ipso absque alia declaratione incurrenda, auctoritate, & tenore præsentium prohibemus, & interdicimus. Quod laici non promoveantur ad Ordines.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, & causarum Decretum irritans.

Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictorum Ordinis, & Provinciarum aliisvè quibusvis & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, ac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. p. An. 9 die 30. Maii.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Maii 1663. Pontificatus Nostri Anno nono.

CXLI.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Societaris JESU in Festis Sanctorum Ignatii, ac Francisci Xaverii, confessis, ac communione refectis.

Vide ad Constitut. 234. Urbani VIII. Alias fel. & ad Constit. 47. Innoc. X. Alias.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D 1663.

Ad perpetuam rei memoriam.

Recenset Literas Greg. XV.

CUM sicut accepimus, aliàs fel. record. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster volens omnes, & singulas Ecclesias Presbyterorum Societatis JESU ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, omnibus, & singulis utriusq; sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis Presbyterorum Societatis JESU ubique existentes, in Sancti Ignatii ultima Julii, ac S. Francisci Xaverii 2. Decembris mensium celebrari solitis festis diebus à primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi singulis annis devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in Domino perpetuo concessit, prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris literis in simili forma Brevis die 8. mensis Junii 1622. desuper expeditis, quarum tenor præsentibus pro plenè, & sufficienter e pressis habere volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem sicut prædicti Presbyteri Societatis JESU Nobis nuper exponi fecerunt, quod Officium, & festum prædicti S. Francisci Xaverii die secunda ad tertiam diem mensis Decembris Apostolica auctoritate per Nos translata sint; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt prædicti Presbyteri Societatis JESU, ut Indulgentias, & peccatorum remissiones à prædicto Gregorio Prædecessore Ecclesiis Presbyterorum Societatis JESU hujusmodi die festo ejusdem S. Francisci Xaverii, die 2. mensis Decembris, ut præfertur celebrari solitum contentas ad tertiam diem ejusdem mensis Decembris etiam transferre de benignitate Apostolica dignaremur.

Transfert Indulg. S. Francisci Xaverii in diem tertiam Dec.

§. 2. Nos igitur eosdem Presbyteros Societatis JESU spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentias, & peccatorum remissiones à prædicto Gregorio Prædecessore Ecclesiis Presbyterorum Societatis JESU die festo prædicti S. Francisci Xaverii die 2. mensis Decembris singulis annis celebrari solitis concessas, ad tertiam diem ejusdem mensis Decembris, servata tamen in reliquis omnibus, & singulis dicti Gregorii Prædecessoris literarum hujusmodi forma Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò transferimus, & perpetuis futuris temporibus translatas esse decernimus, ità ut in posterum Christi fideles aliquam ex Ecclesiis Presbyterorum Societatis JESU ubique existentium visitantes; Indulgentias, & peccatorum remissiones à prædicto Gregorio Prædecessore aliàs concessas, non ampliùs secunda, sed tertia die mensis Decembris hujusmodi lucrabuntur.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstan. ejusdem Gregorii Prædecessoris literis prædictis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Cancellariæ Apostolicæ Regulis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 9. die 18. Julii.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Julii 1663. Pontificatus nostri Anno nono.

CXLII.

Prohibet fundationes Conventuum in Familia Ultramontana Ord. Minorum de Observantia intra spatium quatuor, vel quinque leucarum à jam erectis, etiam aliorum Regularium.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1663.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constit.

ALiàs pro parte dilecti filii Petri Roche Commissarii Generalis Curiæ pro Familia Ultramontana Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncuparorum Congregationi Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum felic. record. Clemens PP. VIII. prædecessor noster considerans in Provincia Carthaginensi dicti Ordinis tam angusta, tantam multitudinem Conventuum Regularium diversorum Ordinum reperiri, ibique nihilominus adesse prætensiones novarum fundationum, ex quibus quamplurima oriebantur inconvenientia, ordinaverat, ne in posterum ædificari posset ullus Conventus intra spatium quatuor, vel quinque leucarum à jam erectis, prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis pleniùs dicitur contineri: Et in eadem expositione subjuncto, quod in Provincia Valentina Fratrum de Observantia, & S. Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum dicti Ord. S. Francisci in Regno Valenliæ eadem inconvenientia sequebantur, cum intra spatium quadraginta quatuor leucarum longitudinis, & decem latitudinis, viginti tres Fratrum de Observantia, ac viginti Fratrum Discalceatorum, & sexdecim Conventus Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum. Hospitalia quoque quamplurima pauperum ex eleemosynis viventium, necnon triginta Mo-

nasteria Monialium continentur, præter centum Conventum, diversorum Ordinum, quorum major pars est Mendicantium: ex quibus, & Sæculares valdè gravantur, & quamplurimæ ob novarum fundationum prætentiones præsertim Fratrum Cappucinorum, Carmelitarum, Trinitariorum Discalceatorum, & aliorum, tàm inter Sæculares, quàm inter Regulares oriuntur discordiæ, cum maximo regularis disciplinæ detrimento, ac etiam populorum scandalo.

§. 1. Ideoque Congregationi prædictæ supplicato, ut ordinaret ne in dictis Provinciis, seù Regno, ullus Conventus, Domus, sive Hospitium Fratrum Cappucinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, sive quorumlibet Regularium intra spatium quatuor, vel quinque leucarum à jam fundatis erigeretur absque expressa Sedis Apostolicæ licentia, prout in Provinciis Burgen. Granaten. Aragoniæ, & Majoricen. similiter ordinatum fuit: emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

Decretum Sac. Congr.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis censuit, & decrevit servandam esse formam, & dispositionem memorati Brevis san. mem. Clementis VIII. etiam in Provinciis Valentiæ observantium, & S. Joannis Baptistæ Discalceatorum Ordinis hujusmodi, atque ita Fratribus cujuslibet Ord. Mendicantis, Novorum Convêntuum Hospitiorum, seu Domorum, & sub quovis titulo habitantium permanentium erectionem absque Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem dicti Brevis, & Apostolicarum Constitutionum in prædictis Provinciis esse prohibendam, & interdicendam, prout harum serie prohibet, & interdicit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 22. Junii 1663. M. Cardinalis Ginettus.

Confirmat præfatum Decretum

§. 3. Cùm autem sicut dictus Petrus nobis nuper exponi fecit ipsum Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desideret: Nos ipsum Petrum specialibus, favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentium pro plenè, & sufficienter expressis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresſè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 9 die 6. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti 1663. Pontificatus Nostri Anno nono.

CXLIII

Super electione Provincialium Indiarum Ordinis Prædicatorum, ac confirmatione eorumdem à Magistro Generali.

Vide ad Constit. 238. Urbani VIII. Nuper pro parte, in qua cavetur Provinciales debere esse biennales.

Edita An. D. 1663.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancti Apostolatus sollicitudo, quàm meritis licet, & viribus longè impares, auctore Deo gerimus, Nos admonet, ut circa statum personarum quarumlibet divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatarum propensis studiis intendentes, illarum fælici directioni, & regulari observantiæ salubriter quantùm Nobis ex alto conceditur, consulere satagamus, sicut rerum, locorum, temporum, & personarum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

§. 1. Exponi si quidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod dudum Provinciis Indiarum dicti Ordinis ob immanem eorum ab hac alma Urbe distantiam, mox ab earumdem institutionis initio provisum fuit de indulto aut privilegio respectivè, quod illic Capitulis Provincialibus conceditur primo Diffinitori, vel Diffinitorio facultas confirmandi statim Provincialem ibidem electum, vel quod ipsa electio sit simul confirmatio. Et specialiter pro Provincia S. Jacobi de Mexico Ordinis hujusmodi quondam Io. de Fenario dum vixit Magister Generalis ejusdem Ordinis impetravit à fel. rec. Clemente Papa VII. prædecessore nostro litteras in simili forma Brevis die 11. Julii 1532. expeditas, quarum initium est, *Pastoralis officii, &c.* in quibus disponitur, ut Prior Provincialis ipsius Provinciæ juxta constitutionum ipsius Ordinis tenorem eligi, & per Diffinitorium Capituli cassari, aut confirmari ad Officium ipsum acceptandum, censuris Ecclesiasticis compelli possit; Etsi contingat Diffinitorium in partes æquales dividi, tunc eligatur ab eisdem Diffinitoribus unus alius Religiosus de dicta Provincia, & ea pars Diffinitorii, cui talis electus adhæserit Provincialem casset, & confirmet, prout videbitur expedire.

§. 2. Verum ne hujusmodi concessiones, quæ provisionales sunt, cum ingenti Ordinis præjudicio ex sinistra intelligentia traherentur in perniciosum abusum, ac sensum à mente concedentium alienum, intelligendo quod essent solemnes & definitivæ, Capitulum generale d. Ordinis Romæ anno 1589. celebratum remedium adhibuit, ac ordinavit, quod Provinciales Provinciarum Indiarum statim post eorum electionem juxta privilegia ipsis Provinciis concessa munere suo fungerentur, tenerentur tamen saltem intra biennium ad Magistrum Generalem ejusdem Ordinis mittere decretum suæ electionis pro sui, & totius Ordinis Capitis debita recognitione, & hoc sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda, & inhabilitatis in posterum. Quam quidem ordinationem quondam Thomas Turchus dum vixit Magister Generalis Ordinis præfati inter alias, quas pro Provinciis Indiarum ex factis à suis prædecessoribus, & Capitulis generalibus compilavit

Cæsaraugustæ anno 1648. explicavit hoc adjecto, ut Magister Generalis electionem, vel confirmare, vel cassare posset, prout sibi in Domino videretur, Quæ omnia considerans Capitulum generale dicti Ordinis itidem Romæ anno 1656. celebratum innovavit, auxit, & communivit prolixa ordinatione pro Provinciis Indiarum in communi numero 5. tenoris qui sequitur, videlicet: Cum in Capitulo Generali Romæ 1589. Sic ordinatum fuerit, Provinciales Provinciarum Indiarum statim post eorum electionem juxta privilegia ipsis Provinciis concessa munere suo fungantur, teneantur tamen saltem intra biennium ad Reverendissimum Patrem Generalem mittere decretum suæ electionis pro sui, & totius Ordinis Capitis debita recognitione, ut electionem, vel confirmare, vel cassare possit, prout sibi in Domino videbitur expedire, & hoc sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda, & inhabilitatis in posterum. Nos hujusmodi ordinationem, velut Sanctæ Obedientiæ, & unitati indivisæ nostri Ordinis summè necessariam extremo, quo possumus connixu munimus, stabilimus, & insuper ordinando adjicimus, quod Provincialis quisquis electioni suæ scrutinium, seu decretum intra tempus supra expressum, ac præfixum Magistro Ordinis non miserit post suum Provincialatum in omnibus habeatur, ac si revera Provincialis non fuisset; Proindè in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, necnon sub nullitate cujuscumque actus in contrarium prohibemus: Tum ne talis post suum Provincialatum, potiatur, aut potiri permittatur loco illis aliàs debito, qui quondam Provinciales fuerant, tunc etiam ne possit deinceps toto vitæ suæ tempore eligi, vel quoquomodo applicari ad officia Prioris, Visitatoris, Vicarii Doctrinarii, sive ad alia munia etiam Scholastica, quorum omnium ex nunc simpliciter incapax decernitur, ac declaratur, ita quod tali, neque præ tacti loci, neque vocis passivæ jus ullum suffragari possit, donec Magistri Ordinis superveniens confirmatio realiter ipsi Provinciæ illata, ac notificata plenè constare fecerit electionem fuisse bonam, & suprema Ordinis auctoritate solemniter, legitiméque agnitam, & approbatam.

Provinciales Indiarũ confirmari debent à Mag. Gen.

§. 3. Quod si in aliqua, aut aliquibus harum Provinciarum, adsit, vel adesse prætendatur qualecumque Indultum, Privilegium, Exceptio, Dispensatio, aut qualiscumque nominis exemptio tollens minuens, atque suspendens, Ordinationem supradictam, ejusve obligationem, aut pœnas appositas, Nos hodie communi, ac publico nomine totius Ordinis Prædicatorum, quem in hoc generali consensu legitimè repræsentamus, hujuscemodi privilegio, indulto, exceptioni, dispensationi, ac cujuscumque nominis exemptioni si qua est, vel putatur esse tamquam regularis obedientiæ pernicioso detrimento, seu facillimæ schismatum occasioni deliberari seriò, ac expressè renunciamus, ac renunciatum esse denunciamus; Denique obtestamur Reverendissimum Magistrum Ordinis, ut quandocumque contingeret ex aliqua harum Provinciarum non transmitti ad se scrutinium, seu decretum electionis novi Provincialis vicissim spe acta illius Capituli Provincialis, (si qua fortè seorsim ad manus suas pervenerint) nequaquam approbet, nec ullas graduum postulationes exaudiat, aut ullius promotionis patentes expediri jubeat, neque institutiones Prædicatorum Generalium in hujusmodi actis exponi solitas admittat, vel ratas habeat, nec taliter factæ institutiones ullum sortiantur effectum, quoad usque electus Provincialis fuerit per Magistrum Ordinis confirmatus, hujusque confirmationis patentes in Provincia sint promulgatæ.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præinsertis ordinationibus non obstan. præfata Provincia Sancti Jacobi de Mexico sub moderno Generalatu destiterit sponte, ac desciverit à lege, & obligatione transmittendi, & submittendi dicto Magistro Generali exponenti decreta, seu scrutinia electionum duorum Priorum Provincialium proximè præteritorum pro obtinenda legitima ipsarum confirmatione, vel si in Domino conveniens videretur, cassatione; Nobis propterea ipse Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consilio venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, ad quos preces hujusmodi remisimus, visis, & maturè consideratis, ac perpensis per eosdem Cardinales memoratis Clementis prædecessoris nostri in forma Brevis literis, & præinserto statuto Capituli Generalis celebrati de anno 1656. ipsum statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eique inhærendo expresè decernimus in posterum Provinciales nedum Mexicanæ, sed etiam aliarum Provinciarum Indiarum Ordinis hujusmodi immediate post eorum, seu cujuslibet eorum capitularem electionem munere suo fungi debere; teneri tamen saltem intra biennium ad Magistrum generalem Ordinis prædicti transmittere decreta, & acta suarum electionum, ut ipse Magister Generalis easdem electiones confirmare, vel cassare possit, prout sibi juris esse videbitur: Aliter in casu contraventionis ipso jure, & ipso facto, & absque ulla declaratione intelligantur privati suo Provincialatu & habeantur in omnibus, ac si Provinciales non fuissent, sintque pariter privati voce activa, & passiva, & inhabiles in perpetuum nedum ad prædictum Officium Provincialatus, verum etiam ad quæcumque alia Prioris, Visitatoris, Vicarii, Doctrinarii, sive alia munia, etiam Scholastica, & subjaceant effective omnibus, & singulis pœnis in præfato Statuto contentis.

Confirmat Statutum Capit. Gen.

§. 5. Ne autem ex dubio super validitate, vel nullitate electionum hujusmodi erga Provinciales electos obedientia denegetur, vel subsequantur nullitates, auctoritate, & tenore præfatis, volumus, & mandamus easdem electiones, dummodo sufficienti votorum numero à suffragantibus capitulariter sint factæ quicquid fortè reclametur, aut opponatur, quoad usque expectabitur responsio Magistri Generalis, tanquam canonicas, & legitimas habendas esse, supplendo pro interim ex nunc pro tunc omnes, & singulos juris, & facti defectus, qui in eis forsan intercesserint respectivè. Salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Suppletionis defectus.

§. 6. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Quocirca Venerabilibus Fratribus illarum partium Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis fi-

liis locorum ordinariis, & eorum cuilibet per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, & eorum quilibet per se vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties ipsorum aliquis, seu aliqui desuper fuerint requisiti, sive etiam ex officio procedentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis ad quos spectat, & spectabit quovis modo in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse servari, & executioni demandari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni appellatione remota compescendo legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravantibus, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus supradictis Clementis prædecessoris literis, ac rec. me. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciarum, aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 9 die 7. Augusti.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Augusti 1663. Pontificatus Nostri Anno nono.

CXLIV.

Edita An. D. 1663.

Quod Officium Præpositi Gen. Congreg. Clericorum Regularium Minorum in Domo S. Laurentii in Lucina de Urbe durare debeat in perpetuum; cum facultate tamen Capitulo Generali eligendi alium si expedire videbitur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio Capituli Generalis.

NOmine dilectorum filiorum Vocalium Capituli Generalis Congregationis Clericorum Regularium Minorum in Domo Regulari S. Laurentii in Lucina de Urbe congregatorum. Nobis nuper expositum fuit, quod cum dicta Congregatio à fel. rec. Sixto Papa V. prædecessore nostro per quasdam suas ea super re expeditas literas instituta fuerit ea lege inter alia, ut ipsius Congregationis præpositus Generalis ad vitam durare deberet, sicut re ipsa prima electio præpositi generalis hujusmodi ad vitam facta fuit, subinde verò, mutato hoc instituto, terminus durationis præpositorum Generalium ejusdem Congregationis primum quidem ad Triennium, & postea ad sexennium præscriptus fuerit, & ab inde citrà observatum sit præfatam Congregationem continuis, talibusque vexatam fuisse dissensionibus, ut nisi eximia prudentia & vigilantia Venerabilis Fratris nostri Joannis Baptistæ Episcopi Albanensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbiteri Cardinalis Pallotti nuncupati, dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam protectoris illis occurrisset, opportunaque remedia adhibuisset, Congregatio ipsa magnum discrimen aditura fuisse videatur.

Motiva.

§. 1. Ipsi Exponentes, præmissis maturè consideratis ad evellendam dissentionum hujusmodi radicem, unanimiter, & nemine discrepante, per vota secreta, decreverunt, præpositum Generalem dictæ Congregationis pro tempore eligendum non ad sexennium, sed in perpetuum, & ad vitam eligendi durare debere, ea tamen lege ut de cætero in omnibus, & per omnia serventur Constitutiones, & Ordinationes, ac decreta Capitulorum Generalium, & integrum maneat Capitulis Generalibus ipsius Congregationis in futurum in casu electionis faciendæ in eisdem Capitulis Generalibus præpositos Generales eligere etiam ad tempus si ipsis Capitulis Generalibus pro majori Dei gloria, ac servitio, & bono Religionis ita visum fuerit expedire, & aliàs prout uberius continetur in ipsorum exponentium Decreto desuper emanato, & eorum manibus subscripto tenoris, qui sequitur videlicet.

Decretum Capituli Generalis.

§. 2. Sessio x. habita die 11. Maii 1663. circa durationem præpositi Generalis ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Protectore, & Præside. Post maturam, & multiplicatam ponderationem cum quatuor Patribus deputatis, & aliis ex gravioribus Patribus Capituli Generalis circa durationem præpositi Generalis, ut scilicet reducatur ad durationem perpetuam, & ad vitam ejusdem præpositi Generalis juxtà primum Institutum ejusdem Religionis à Venerabilibus Patribus Augustino Adorno, & Francisco Caracciolo Fundatoribus, ut piè credendum est Spiritu Sancto dictante dispositum, & à Sancta Sede Apostolica, & à fel. rec. Sixto V. approbatum, & in Bulla erectionis specialiter expressum adductis gravissimis motivis, & rationibus, & exemplis ad rem facientibus, & auditis sententiis omnium Patrum in Capitulo Congregatorum propositum fuit per vota secreta resolvenda an in futurum præpositus Generalis pro tempore eligendus durare debeat non ad sexennium, sed in perpetuum, & ad vitam eligendorum, ea tamen lege ut de cætero in omnibus, & per omnia serventur Constitutiones, & Ordinationes, & Decreta Capitulorum Generalium, & integrum remaneat Capitulis Generalibus illos eligere etiam ad tempus si eisdem Capitulis Generalibus pro majori Dei gloria, & servitio, & bono Religionis ita visum fuerit expedire per secreta suffragia, & quatuor ex quinque partibus votorum concurrentibus, & insuper expressus accedat assensus, & approbatio Sanctissimi Domini Nostri, illiusque pro tempore successorum in perpetuum, & cum declaratione, quod in quocumque casu desitionis, seu cessationis præpositorum Generalium; ut supra eligendum extra tempus Capitulorum Generalium; Generales præpositi extra Capitulum Generale ad præscriptum Constitutionum, seu Decretorum eligendi usque ad Capitulum Generale post dictam electionem proximè celebrandum tantùm perdurent, reservato quatenus opus sit beneplacito Sanctissimi Domini Nostri nomine totius Capituli Generalis impetrandum, & à Procuratore Generali procuran. Et per vota secreta omnibus concurrentibus fuit resolutum affirmativè. J. B. Cardinalis Pallottus Protector, & Præses, Philippus Mascambrunus Cler. Min. Franciscus Meliori Cler. Min. Innocentius Lanzalonga Cler Min. Ludovicus Revelo Cler. Min. Laurentius Bonafidanza Cl. Min. Clemens Gualterius Cler. Min. Franciscus Migliaacci Cler. Min. Petrus Ansalonius Cler. Min. Marius Calderinus Cl. Min. Tiberius Maria Almericus Cl. Min. Ludovicus Protospadarius. Cl. Min.

Io.

Io. Ximenes Cl. Min. Paulus Ayrolus Cl. Min. Lucas Ximenes de Los Cler. Min. Jacobus Pedicinus Cler. Min. Alfonſus Reveló Cl. Min. Paulus Ayrolus Cl. Min. Secretarius Capituli Generalis.

§. 3. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfati exponentes Decretum hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſiderent. Nos fælici proſperoque dictæ Congregationis regimini, & gubernio, quantùm cum Domino poſſumus, proſpicere, ipſorumq; exponentium votis favorabiliter annuere cupientes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat prout in rub.

§. 4. Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiq; inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus, hac tamen lege, ut caſu quo ſervatis ſervandis, ut ſupra præpoſitus Generalis ad tempus electus fuerit in caſu novæ electionis non poſſit denuò ad tempus eligi, niſi iterum per vota ſecreta quatuor ex quinque votorum partibus concurrendis, & expreſſus aſſenſus,& approbatio noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum in perpetuum accedat, & hoc toties quoties caſus electionis advenerit, alioquin præpoſitus Generalis ad vitam perduret.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis,ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus,privilegiis quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè,& ſufficienter expreſſis,& inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 7. Volumus autem ut earumdem præſentium literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. P.An. 9 die 22. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Auguſt 1663. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

CXLV.

Super Concordia facta inter Procuratores Generales Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Ordinis B. MARIAE de Mercede.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1663.

Emanavit nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet, Romana Ordinum Redemptionis Captivorum.

Decretum

§. 1. Cum Fr. Franciſcus de la Roſa Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis S. MARIAE de Mercede ſupplicem libellum Sanctiſſimo porrexiſſet, quo ſe, ſuumque ordinem admodum læſos conquerebatur de aſſertionibus, quas dietim typis ac viva voce, tùm in concionibus, tùm in publicis diſputationibus evulgari ſtudent Fratres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nempè, quod ipſis Fratribus de Mercede non ex primævo eorum Ordinis inſtituto injunctum fuerit, ſed ex voto mox iiſdem acceſſerit Chriſti fideles Captivos è manibus Barbarorum redimendi onus. Sortibuſq; olim commiſſum, firmatumque, ut idem Ordo de Mercede Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis tandem uniretur, quæ præſertim contineri aſſerebat in libello noviſſimè impreſſo Romæ typis Angeli Bernabo à verme anno 1660. cui titulus eſt, Vitæ Sanctorum Joannis de Mattâ, & fœlicis Vallois Fundatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis; Sanctitas Sua ſpeciali ejus reſcripto ob lites inter Eccleſiaſticas, & Regulares perſonas dirimendas abſque ſtrepitu, & figura judicii, atque ad ſedanda ſcandala exindè orta, & orienda: Potiſſimum verò ad perpetuam inter Fratres prædictorum Ordinum charitatem ſtabiliendam, rei amicabiliter inter eos conſulendæ, & componendæ provinciam commiſit Reverendiſſimo D. Phæbeo tunc Sacræ Rituum Congregationis à Secretis, qui accerſitos, ac pluries ſeorſim, & una ſimul auditos Procuratores Generales utriuſque Ordinis, nempè præfatum Fratrem Franciſcum de la Roſa Mercedarium, & Fratrem Joannem à Conceptione Excalceatum Sanctiſſimæ Trinitatis pariter aſſerentem, quod Fratres Mercedarii his prorſus non diſſimilia evulgant de Fratribus Sanctiſſimæ Trinitatis in eam tandem ſententiam adduxit, ne ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum aliquis eorum audeat ſeù præſumat in poſterum ſcriptis, aut viva voce, tùm in Concionibus, tùm in publicis, & privatis diſputationibus prædicta ſub quovis prætextu, vel quæſito colore prædicare, aſſerere, diſputare, & affirmari facere, & curare; ſi quidem adverſantur literis Summorum Pontificum, præſertim verò Clementis Octavi incipien. Romana Catholica Eccleſia, Dat. Kalen. Maii 1601. ſuper Canonizatione Sancti Raymundi de Penniafort §. 17. & 18. ac reſpectivè literis Innocentii Tertii, aliorumque Pontificum. Præterea libellum, de quo ſupra in novis impreſſionibus à pag. 155. ad paginam 158. omninò conformandum eſſe enunciatæ Conſtitutioni Clementis Octavi, ac ſub iiſdem pœnis denuò non imprimi niſi ab eodem libello expunctis aſſertionibus præfatis. Verum quia inter hæc præfatus R. P. D. Phœbeus ad Præceptoriam Sancti Spiritus in Saxia promotus fuit, & ipſe Secretariæ Congregationis Sacrorum Rituum addictus ſum, Sanctiſſimus mihi per alind ſubſequens reſcriptum mandavit, ut deſuper prædictis omnibus, ac ſingulis decretum ederem, ac idem in acta Sacræ Congregationis referrem, ſub expreſſis pœnis, aliiſque gravioribus arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis, executioni omnimodè demandandum, prout demandari mandat. die 2. Octobris

1663. Episcopus Sabinensis Cardinalis Ginettus.

Confirmat præinsertum Decretum.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte præfatorum Francisci de la Rosa, & Joannis à Conceptione Procuratorum Generalium, Nobis subindè expositum fuit ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictorum Ordinum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 9. die 30 Oct.

Datum in Arce Gandulphi Diœcesis Albanensis, sub Annulo Piscatoris die 30 Octobris 1663. Pontificatus Nostri Anno nono.

CXLVI.

Decreta pro Limana Provincia in Indiis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum stabilita.

Edita An. D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus de la Rosa Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod pro Provincia Limana in Indiis dicti Ordinis ad hoc ut promovendi, ad præsentaturæ, & Magisterii gradus, & virtute conspicui, & literis satis superque condecorati sint, statutum fuit, quod nullus ex Fratribus Provinciæ, & Ordinis hujusmodi ad præsentaturæ, & Magisterii gradus promoveri possit, nisi prius infra scriptas conditiones adimpleverit, & secundùm eas qualificatus existat. Videlicet.

Sequuntur Decreta.

§. 1. Ut nullus ad præsentaturæ de lectura lauream exponatur, qui non legerit ultra tres annos Logicæ, & Philosophiæ duos alios annos Theologiæ Scholasticæ assistendo conferentiis, & aliis actibus pro Magistris designandis; idque non ubique locorum, sed tantum in aliqua Universitate approbata, vel in aliquo conventu ejusdem Ordinis studiis, literariisque exercitationibus deputato; Post hæc, ut de eorum sufficientia constet, in Collegio Sancti Petri Nolasco Limano nuperrimè ædificato sequentibus actibus litterariam reducatur ad trutinam: Semel sed publicè conclusiones defendens (ad semihoram præmissa præfatione à quatuor Magistris proposita argumenta dissolvat.) Deinde per horæ spatium punctum, ex sententiarum Magistro desumptum, quod ante viginti quatuor horas sibi fortè contigerit, elucidet, & sententiam propositam impugnantibus quatuor Magistrorum telis obsistat.

Tunc examinatores ad rem dijudicandam electi (præmisso in Rectoris manibus fidelitatis juramento, nempè, nec se directè, nec indirectè Præsentaturæ candidato suggessisse; Argumento, nec se, nisi benemeritum, & dignum approbaturos) secreto ferant calculum, & faventibus pluribus suffragiis Rector ad prolistæ, seu Licentiati gradum evehat, quibus capax evadet præsentaturæ de numero Provinciæ: Et nemo ad prædicta suffragia admittatur, quin prius de materia sibi à sorte præscripta, saltem per tres horæ quadrantes disseruerit.

Insuper, & Examinatores ad hanc functionem nominandi sint Magistri de numero, Universitatis Cathedratici Ordinis prædicti, Regens præfati Collegii, & Primarius Lector, quibus Collegii Rector uti Præses assistat. Deinde: ut his tantum de Prædicatorum Præsentatura benemeritus habeatur, qui decem annis alicujus Domus Conventualis Concionator speciali rescripto assigatus, triplicis Quadragesimæ feriis cum approbatione verbum Dei prædicaverit? quo tempore transacto in Collegio prædicto concionetur semel per unam horam de Evangelio, & materia sortita per viginti quatuor horas antecedentes, quo finito ad suffragia admittatur eadem forma, & eisdem supra relatis Examinatoribus approbandus. Postremò, ut qui in dicta Provincia Magisterii laureola condecorandi fuerint, prius lecturi sint quotidiè unam Theologiæ Scholasticæ lectionem per trium annorum spatium supra illos quinque ad præsentaturam requisitos: Probationes autem, & Informationes Lecturarum in Capitulo Provinciali, & faciendæ, & approbandæ sint, ac in Collegio (præter ea quæ ad Licentiatus gradum obtinendum effecerat) viginti quatuor horis antecedentibus per semihoram leget punctum super Scripturam Sacram sortitum, & per spatium alterius semihoræ duorum Magistrorum oppositis argumentis obsistet; Quibus peractis ad suffragia admittatur, & numerosiori Examinatorum calculo approbatus à Rectore Collegii ejusdem Magister eligatur, quo præcedente gradu, ad gradum Magistri de numero dignus judicetur.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præmissa omnia uti justa, & rationi consona Dilectus filius Magister Generalis dicti Ordinis approbaverit, & confirmaverit: Firmiora verò, & validiora sint illa, quæ hujus Sanctæ Sedis patrocinio roborantur: Nobis proptereà dictus Franciscus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat præinserta Decreta.

§. 3. Nos igitur ipsum Franciscum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis

ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, qui præinſertas ordinationes, & diſpoſitiones maturè conſiderarunt, conſilio, eaſdem ordinationes, & diſpoſitiones auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & in poſterum vim ſtatuti in præfata Limana Provincia habere decernimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §.4. Decernentes pariter eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat P.An.9. die 18. Febr. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 18. Februarii 1664. Pontificatus Noſtri Anno nono.

CXLVII. Super obſervatione Indicis Librorum prohibitorum noviter impreſſi.

Dubia Judicis librorum prohibitorum decidit Congr. erecta à Sixt.V. in Conſtitut.74. Congrelat.7. Indicis librorum prohibitorum Regulas, inviolabiliter obſervari præcepit Clem.VIII Conſtit.36.

Edita An.D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Speculatores Domus Iſraël, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia, inſcrutabili Divinæ providentiæ arcano conſtituti, paſtoralem vigilantiam noſtram avertendis imminentibus gregi Dominico periculis peculiari ſtudio jugiter adhibemus, ne oves pretioſo Salvatoris, & Domini Noſtri JESU Chriſti ſanguine redemptæ ſeducantur à via veritatis, ſed illam inſiſtentes ſub ſalutaris doctrinæ directione, ad æternæ beatitudinis metam fœlici curſu gradiantur.

§. 1. Cum itaque ad ejuſdem Eccleſiæ gubernationem præcipuum ſit in ordinandis moribus, & caſtiganda doctrina momentum, quod ab altero purum fidei lumen exiſtat, ab altero operum rectitudo: Sedes Apoſtolica præclarè intelligens homines legendo, tam quæ credenda, quam quæ facienda ſunt, optimè diſcere magnam in primis in librorum delectu conſtituendo adhibet, ſemperque adhibuit diligentiam, quo mali à bonis, noxii ab innoxiis diſcernerentur, nominatim ſignatis Auctoribus, & ſcriptis, à quibus Chriſti fideles abſtinere deberent.

§. 2. Quam in rem Venerabiles fratres noſtri S. R.E Cardinales Indici librorum prohibitorum & expurgandorum præpoſiti non ſolum ſua ſponte, & pro muneris ſibi injuncti ratione, ſed etiam ſpeciali mandato noſtro attentiùs incumbentes; cum animadverterint, poſt Indicem librorum prohibitorum à fæl.rec. Clemente PP. VIII. prædeceſſore noſtro editum juxta formam alterius Indicis, qui Sacroſancti Concilii Tridentini auctoritate prodierat, quamvis multi libri tàm à ſucceſſoribus prædicti Clementis Romanis Pontificibus, quam ab eorumdem Cardinalium Congregatione prohibiti, illorumque Auctores damnati fuerint, nullum tamen Catalogum ordinatim, atque diſtinctè libros prohibitos, & Auctores damnatos hujuſmodi complectentem publica auctoritate fuiſſe confectum, magnamque proinde in hac materia oriri perplexitatem, quæ in dies major futura eſt, niſi opportunè provideatur.

§. 3. Idcircò Nos difficultati inveniendæ hac in re veritatis occurrere cupientes, poſt maturam & diligentem deliberationem, cui nonnulli ex præfatis Cardinalibus ad res accuratius diſpiciendas præpoſiti fuerunt, decrevimus in primis deveniendum eſſe ad novi Indicis confectionem, quo non ſolum libri poſt noviſſimum Clementis prædeceſſoris Indicem prohibiti, aut alias confixi, verum etiam in Superioribus, quos diximus catalogis deſcripti continerentur. Deindè quoad ordinem in diſponendis auctorum, & materiarum nominibus ſolam litterarum Alphabeti ſeriem eſſe deinceps obſervandam, omiſſa nunc trina illa in Claſſes diſtributione, quæ licet ab initio laudabiliter eſſet inſtituta, uſu nihilominus deinde cognitum eſt, commodiorem adhuc iniri poſſe in hoc genere rationem, & quæ nullas appendicum adjectiones, multiplices alioquin, & implicatas tractu temporis extituras deſideratura ſit, remque expediat ſine ulla legentium in quærendis Auctóribus moleſtia, præſertim Bibliopolarum, quibus ut facilis, & explicata ſit hujus Indicis tractatio publicè in primis intereſt, ne ipſi errantes multorum errori cauſam præbeant. (Dat modum faciendi novũ Indicem.)

§. 4. Accedit, quod illa Claſſium diſtinctio plurimos non modo vulgares, ſed etiam eruditos ſæpè decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem æſtimandum putabant, quaſi ſeverius actum ſemper videatur cum legentibus anteriorum, quam poſteriorum Claſſium libros, quod tamen ſecus eſſe ex ipſa Claſſium inſtitutione à Concilio Tridentino facta colligi facilè poteſt, ubi cum ſolum intercedat diſtinctio inter libros Auctorum vitio, ac demerito, vel pernicioſæ doctrinæ, errorumque in eis contentorum ratione damnatos, ac inter præferentes, aut diſſimulantes Auctorem, contigit, ut plerique libri ignoti Scriptoris, qui tertiæ Claſſi aſſignantur, pejores multo ſint quam in prima, aut ſecunda recenſiti, cui falſæ perſuaſioni, ne pernicioſæ in hac materia licentiæ cauſam præbeat, medendum omninò exiſtimavimus.

§. 5. Quamvis autem ulteriorem Claſſium diſtinctionem omitti juſſerimus, hactenùs tamen obſervatam retinendam cenſuimus, ut citarentur in cujuſque libri confixione, ubi opus eſt hujuſmodi Claſſes, & appendices una cum decretis, quibus primum libri confixi fuerunt, quo rei ab initio geſtæ ſeries innoteſcat.

§. 6. Quam etiam ob cauſam Indices Tridentinum, & Clementinum, una cum ſuis appendicibus Indici huic generali adjiciendos curavimus ſimulque omnia Decreta ad hæc uſque tempora, in hac materia poſt prædicti Clementis prædeceſſoris Indicem emanata, ne quid omninò, quod curioſæ fidelium diligentiæ prodeſſe poſſet, omiſſum videretur. Quæ omnia cum juxta mentem (Confirmatio Indicis.)

noſtram

nostram diligenter, & accuratè fuerint exequutioni mandata, composito Indice generali hujusmodi, cui etiam Regulæ Indicis Tridentini cum observationibus, & instructione memorato Indici Clementino adjectis appositæ fuerunt; Nos de prædictorum Cardinalium consilio eundem Indicem generalem, sicut præmittitur jussu nostro compositum, atque revisum, & typis Cameræ nostræ Apostolicæ jam impressum, & quem præsentibus, nostris pro inserto haberi volumus, cum omnibus & singulis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac ab omnibus tam Universalibus, quam singularibus personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter, & inconcussè observari mandamus, & præcipimus, sub pœnis in Constitutione recolendæ memor. Pii IV. etiam prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas, varietatis veterum Decretorum in proponendis transgredientium, pœnis tollendæ gratia, omnes, & singulas pœnas per Constitutiones Apostolicas, & decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas harum serie reducimus, firmis tamen manentibus his quæ de auctoribus, & libris damnatis in litteris Apostolicis die Cœnæ domini publicari solitis sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.

Mandatum de observando.

§. 7. Mandantes propterea omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis eorum Vicariis, & Officialibus, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Regularium cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti Superioribus, omnibusque aliis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, ut hunc generalem Indicem vulgandum, & observandum pro viribus curent; memores ad officii sibi commissi munus pertinere, ut oves Dominici gregis tam à pabulis perniciosis arceantur, quam salutaribus impleantur; à quo si (quod absit) per malitiam, aut negligentiam cessent, omnium malorum, quæ inde gravissima, & maxima oriri necesse est, districtam sibi apud severum Judicem reddendam esse rationem.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, ac formam in illis traditam pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 9. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.An. 9. die 5. Jan.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Martii 1664. Pontificatus Nostri Anno nono.

CXLVIII.

Eximit Fratres, & Conventus Tertii Ordinis Sancti Francisci in Castellæ, Galliciæ, & Legionis Regnis degentes ab omni jurisdictione Ministri Provincialis Minorum de Observantia Sancti Jacobi.

Edita A.D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci in Castellæ, ac Galliciæ, & Legionis Regnis degentium Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expedito, quod ipsi ægre ferebant eorum ordinem in illis partibus pejorem quotidiè in statum prolabi ex eo, quod Superiores ejusdem Ordinis, & Regulæ non haberent, à quibus immediatè regerentur, quodque dudum felicis recordationis Clemens Papa Octavus Prædecessor noster ordinaverat, ut Conventus dicti Ordinis in Lusitania consistentes Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Commissario Generali familiæ Ultramontanæ ejusdem Ordinis immediatè subjecti remanentes proprium Ministrum Provincialem, & Diffinitores sibi eligere possent, eaque ratione multis inconvenientibus obviàm itum, optimique effectus ad Dei gloriam, & Religionis incrementum inde consequuti fuerant, sicut experientia comper tum erat.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto, quod ipsi Exponentes propterea eorum Conventus in Regnis supradictis constitutos ab omni jurisdictione dilecti filii Ministri Provincialis Provinciæ S. Jacobi dicti Ordinis Minorum de Observantia eximi, & liberari, sibique ut dilecto filio Ministro Generali ejusdem Ordinis Minorum de Observantia immediatè subjecti remanentes ab uno Ministro Provinciali, & quatuor Definitoribus, seù Discretis præfati Tertii Ordinis, qui in Capitulis quolibet triennio, sub præsidentia dicti Ministri Generalis, vel Commissarii familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum de Observantia hujusmodi, aut alterius per eos deputandi, juxta dispositionem Constitutionum dicti Tertii Ordinis celebrandis eligi deberent, ad instar Provinciarum Lusitaniæ, & Bethicæ, non obstantibus recolendæ memoriæ Pii Papæ V. Prædecessoris pariter nostri litteris, quinto nonas Julii 1568. emanatis, quarum initium est. *Ea est officii nostri ratio &c.* de cætero regerentur, & gubernarentur concedi summoperè desiderabant: Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster instantiam hujusmodi remisit, attentis narratis, ac audita relatione Ministri Generalis Ordinis, precibus Oratorum benignè annuens, decrevit, & mandavit eosdem Oratores, seu ipsorum Conventus imposterum à jurisdictione Ministri Provincialis Provinciæ Sancti Jacobi de observantia exemptos, & tantummodo eidem Ministro Generali, & Commissario Generali Familiæ Ultramontanæ immediatè subjectos fore, prout harum serie eximit, ac respectivè subjicit, eidemque Ministro Provinciali injungit, ne ullatenus in eorum gubernium, curam, aut quamcumque jurisdictionem se intromittat. Insuper eadem Sac. Congregatio statuit, ut deinceps prædicti Oratorum Conventus regantur per Visitatorem Provincialem, Definito-

res, aliosque Officiales ex eorum gremio assumendos, & eligendos, juxta Constitutiones Ordinis, & in reliquis omnibus ad instar Provinciarum Lusitaniæ, & Andalusiæ præfatarum. Pro hac autem prima vice electio præfatorum Visitatoris Provincialis, Definitorum, & Officialium fiat à dicto Ministro Generali, una cum suo Generali, Definitorio, & ità Sacra Congregatio præsentium vigore decernit, mandat, & statuit, & Nuncio Apostolico apud Regem Hispaniarum pro tempore degenti, committit, ut quatenus opus sit easdem præsentes omnibus juris, & facti remediis exequutioni demandari faciat: Prædictis literis Apostolicis sanctæ memoriæ Pij Quinti, cæterisque contrariis, alias in suo robore permansuris minimè obstantibus. Romæ 6. Martii 1664 M. Cardinalis Ginettus.

Confirmat prout in rub.

§. 3. Cum autem sicut præfati Exponentes Nobis subindè exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & efficacia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissimè suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præfatis Pii Prædecessoris literis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus Dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictorum Ordinum, & Provinciæ Sancti Jacobi, & Conventuum, aliisvè quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat P. An. 9 die 16. Mart.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima sexta Mart. anni mill. sexcent. sexag. quarti, Pontificatus Nostri Anno 9.

CXLIX.

Quod non liceat Fratribus Minor. de Observantia S. Francisci commorantibus Tolosæ inducere novum Rosarium sub tit. Seraphici; nec facere Processionem Confraternitatis Conceptionis prima Dominica cujuslibet mensis: nec Tabellam exponere, in qua Beata Virgo det Rosarium Sanctis Francisco, & Claræ.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An D. 1664.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiæ solio meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam constituti, exortas inter Religiosos viros controversias opportunis rationibus dirimere studemus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

Absolvit oratores à censuris.

§. 1. Itaque dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

§. 2. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus ad favorem dilectorum filiorum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum Tolosæ Commorantium non licere dilectis pariter filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, minusque Confraternitati in eorum Ecclesia magni Conventus erectæ sub titulo Conceptionis Sanctissimæ Virginis Immaculatæ, illiusque Confratribus facere Processionem prima Dominica cujuslibet mensis, nec posse prædictos Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia novum Rosarium sub titulo Seraphici, aut novem novendarum, vel alterius rationis inducere, prædicare, & docere, nec in Litaniis B. Virginis aliquid innovare, nec tabellam exponere, in qua Beatiss. Virgo Dei Mater det Rosarium Sanctis Francisco, & Claræ prout etiam præfata omnia fieri prohibemus, & servari mandamus.

Prohibet prout in rub.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 10. die 28. Maij.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Maii 1664. Pontificatus Nostri Anno decimo.

CL.

Confirmat Decretum Sac. Congregationis pro Erectione Conventus Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Oppido Piscinæ Marsicanen. Diœcesis.

Edita An. D: 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte dilectorum filiorum Congregationis S. Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito; quòd ipsi jam inde ab anno 1642. fundationem Conventus in Oppido Piscinæ Marsican. Diœcesis in executionem legati domus, & summæ decem millium ducatorum sibi à quond. Lælio Thomasetti facti de licentia Ordinarii, ac consensu Regularium, necnon Universitatis, & hominum d. Oppidi inchoaverant, prout ex scripturis, aliàs in eadem Congregatione Cardinalium exhibitis constare asserebant; nec fundationem hujusmodi subindè perficere potuerant propter multa impedimenta, quæ supervenerant, ac deducta, & discussa fuerant in prædicta Congregatione Cardinalium, quæ tunc ipsis exponentibus legatum hujusmodi, quòd à dilectis filiis Monachis Sylvestrinis occupatum fuerat, consignari curaverat; Ideoque iidem exponentes mediante dicto Legato fundationem prædictam prosequi, & absolvere intendebant.

§. 1. Et licet non putarent sese sub Constitutione fel. rec. Innocentii Papæ Decimi Prædecessoris nostri super extinctione, & suppressione parvorum Conventuum anno 1652. edita comprehensos esse, cum novam fundationem Conventus non facerent, sed inchoatam anno 1642. de licentia Ordinarii prosequi, & perficere intenderent, nihilominus ad tollen. omnem difficultatem, & dubietatem opportunam sibi desuper licentiam à memorata Cardinalium Congregatione concedi plurimum desiderabant, attento, quòd ad eorum favorem licentia Ordinarii, & consensus necessarii sicut supradictum est concurrerent, quodque legatum Domus, & decem millium ducatorum hujusmodi pro fabrica Ecclesiæ, & Conventus, eorumque substentatione abundè sufficeret, idque eo magis, quòd ipsi Exponentes juxtà eorum institutum eleemosynas quærere solerent, undè etiam ultra numerum duodenarium substentari possent, prout in hac Alma Urbe, aliisque locis experientia compertum erat, quodque in prædicto Oppido Piscinæ Victualia, ac operæ, & res ad fabrican. necessaria satis vili pretio haberi possent: emanavit à prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 2. Sacra Congreg. Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & ex eo, quòd de requisitis ad fundationem Conventus hujusmodi constitit facultatem impartitur Episcopo Marsorum, ut ad ipsam fundationem procedi ad formam Constitutionum Apostolicarum concedat, ac decernat, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 15. Febr. 1664. M. Card. Ginettus.

Confirmat prout in sub.

§. 3. Cum autem sicut exponentes prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori ejus subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè cupiant: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, Salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictorum Ordinum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Junii 1664. Pontificatus Nostri Anno decimo.

Dat. P A. 10. die 16. Junii.

CLI.

Quod Festum S. Dominici celebretur de Præcepto in toto Regno Neapolitano tanquam de Patrono cum Octava.

Edita An. D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COmmissi Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus officii ratio postulat, ut piis Christi fidelium votis, quibus Sanctorum in Cœlis regnantium honor, & veneratio in terris augentur paterna benignitate annuamus.

§. 1. Cum itaque ea semper fuerit erga Sanctum Januarium dilectorum filiorum Populi Neapolitani Religio, ut quamvis idem Populus Sanctum Dominicum Confessorem in totius Regni Patronum duxerit assumendum, eum tamen Sancto Januario digniori Patrono, utpote Martyri Pontifici, præferendum nunquam assenserit.

§. 2. Proindeque Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum iterum, atque iterum supplicaverit, ut debitas Sancto Januario Martyri, & Pontifici Patronatus Regni præeminentias decerneret; Et eadem Congregatio supplicationibus hisce die 4. Augusti 1663. benignè subscripserit.

§. 3. Nunc verò ne exindè in eodem Regno devotio erga Sanctum Dominicum decrementum aliquod patiatur, Populus prædictus festum ejusdem S. Dominici Patroni in toto Regno Neapolitano pariter de præcepto servari, ejusque Officium cum Octava, ut hactenus ab universo Clero inibi recitari summoperè desideret: Nos memorati Populi devotionem specialis favore gratiæ prosequi cupientes, ipsiusque Populi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsen-

tium

tium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Concordia prout in rub.

§. 4. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de prædictorum Cardinalium consilio festum ejusdem S. Dominici Patroni in Universo Regno Neapolitano prædicto ab omnibus Christi fidelibus illic degentibus de præcepto servari, & sicut alia festa de præcepto celebrari, ejusque Officium cum Octava, ut hactenus ab universo Clero ejusdem Regni recitari, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumq.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 10. die 28. Jun.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Junii 1664. Pontificatus Nostri Anno decimo.

CLII.

Decernit, & statuit, quod deinceps in Indiarum partibus Priores Parochorum Ordinis Prædicatorum, non ab ipsismet Parochis, sed à singularum Provinciarum Provincialibus per Vota secreta duodecim ad minus canonicè eligantur.

Vide ad Constit 189. Urb. VIII. I junctum nobis, & hic supra ad Constit. 145. Sacrosancti.

Edita An. D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, præsidentes in eam præcipuè sollicitudinem propensis studiis incumbimus, ut fidelibus Populis cura Pastoralis non desit. Sed ejusmodi cura per operarios idoneos salubri, assiduaque sedulitate exerceatur, quo horrea Domini uberiori messe adspirante Superni favoris auxilio, magis, magisque in dies locupletentur.

Motiva.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod in vastis Indiarum partibus variæ sparsim illarum gentium ad Fidem Catholicam conversarum Parochiæ, quas quidem illic visitatori vocabulo Doctrinas, & Vicarias appellant à Religiosis d. Ordinis ex Indulto Sedis Apostolicæ administrantur. His autem Religiosis, Parochis, seu Vicariis de more per singulos districtus (præfectura ad summum bienni, vel trienni) respectivè præest unus ex ipsorum numero Prior vocem in Capitulo Provinciali habens, quem statutis temporibus ipsi Canonicè eligunt, & ad ejuscemodi capitularem electionem celebrandam procul à suis residentiis in certum aliquem locum solent evocari.

§. 2. Porrò cum juxta Constitutiones Ordinis prædicti Electoribus Priorum integer mensis debeatur à notitia vocantis officii; ut intra hunc terminum congregentur, deliberent, & eligant, nimis frequenter contingit hosce Parochos, seu Vicarios eo titulo, & longissimè, & diù abesse à suis Doctrinis, seu Ecclesiis, dum plerique foris transigunt totum hunc mensem electionis, imò & menses si fortè contingat primam electionem à Priore Provinciali ob justas causas non confirmari quo casu alius denuò, aliusque mensis iisdem Vocalibus debetur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hæc longa, & crebra Parochorum absentia, præcipuè in illis Regionibus fideli plebi, & præsertim moribundis debito intereà Sacramentorum Ecclesiæ ministerio destitutis plurimum noceat. Nobis propterea memoratus Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in præmissis remedio providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Magistri Generalis votis hac in re quantùm cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Confirmat prout in rub.

§. 4. Quod deinceps in prædictis Indiarum partibus tales Fratrum d. Ordinis Parochorum Priores, seu Vicarii, non ab ipsismet Parochis, sed à singularum Provinciarum Provincialibus in graviori earumdem Conventu per vota secreta decisiva duodecim ad minus antiquiorum Fratrum, si extrà Capitulum Provinciale fuerit, ritè, & canonicè eligantur. Quodque Priores Parochorum ad id muneris assumi nequeant, nisi re vera sat calleant proprium idioma, cui tanquam Priores, seu Vicarii præficientur, & quod iidem suo populo continuè assistant, itaut neque Capitulum Provinciale adire, neque aliàs unquam à sua Parochiali residentia ultra spatium trium leucarum elongare se possint, nisi relicto ibidem idoneo substituto illius idiomatis benè gnaro, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & etiam pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 10. die 8. Nov.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Novemb. 1664. Pontificatus Nostri Anno decimo.

CLIII.

Constitutio determinans quomodo, & quando liceat Superioribus Regularibus Monialium, earumque Confessoribus ingredi septa Monasterii, & propè illud commorari.

Monialium Monasteria quibus casibus earum Prælati ingredi possint, sancivit Gregor. XIII. Constitut. 28. Monialium numerus, in Monasteriis exemptis, cum interventu Superiorum, ab Ordinariis stabiliendus, Gregor XIII. Constitut. 8. Monialium Confessores, etiam exempti, approbandi sunt ab Episcopo Greg. XV. Constit. 18.

Edita A. D. 1664.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

FŒlici Sacrarum Virginum Statui, quæ contemptis illecebris sæculi, Divinis se obsequiis mancipàrunt, quantum Nobis ex alto conceditur consulere volentes; Motu Nostro proprio, non ad alicujus instantiam, sed ex Nostra mera deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine de voto tamen nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum quibus negotium sedulò, ac maturè examinàdum commisimus.

Superior semel tantum in anno ingredi potest Monasterium in Visitatione.

§. 1. Præsentibus perpetuò valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuscumque aliis Superioribus Regularibus, quibus alioqui cura, & regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem Monasteriorum nullatenus ingredi liceat nisi ex causa Visitationis localis, & hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior à Visitatione hujusmodi se omninò abstineat.

Extra Visitationem, cum facultate Ordinarii.

§. 2. Quod si ob Clausuram, quæ à Sancta Tridentina Synodo, etiam in Monasteriis exemptis curæ, & vigilantiæ Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ sæcularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ.

Superior per se ipsum visitet, cum unico socio.

§. 3. Visitet autem Superior Regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium etiam si fuerit legitimè impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, & visitationem celeritèr, & unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam sumant in Monasterio refectionem. Porrò si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis; si alius à Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii; Qui quidem Socii assumantur exemplares, & maturæ ætatis, & in actu Visitationis à Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, & ab ipso aspici semper possint.

Generalis cum duob. sociis.

Visitatori assistant quatuor Moniales.

§. 4. Ac præterea Visitatori assistant quatuor Moniales ex Senioribus Monasterii, quæ similiter visitatione durante nunquam separentur à Visitatore, & Sociis. Reliquæ verò Moniales, & quæcumque aliæ Mulieres, & puellæ sæculares in Monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in Choro antequam Visitator ingrediatur interiorem Clausuram, & in eo permaneant durante Visitatione, & quousque idem Visitator cum Sociis è Monasterio exierit. Ideóque curet Visitator, ut tempestivè admoneatur Abbatissa, seù Monasterii Præfecta de præstituta die, & hora Visitationis. Visitatio verò personalis fiat ad Crates, & omninò extra Clausuram Monasterii, & per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supra dictum est de Visitatione interioris Clausuræ.

Confessarius non ingrediatur absque necessitate.

§. 5. Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tàm ordinarius, quàm extraordinarius minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam Agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre; & ab ipso videri semper possit.

Confessarii per noctare debent in proprio Conventu.

§. 6. Insuper districtè præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum mensium à publicatione præsentis Constitutionis computandorum revocent ad Claustra Confessores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoscumque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assiduè, vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos: Nevè permittant eodem, seù alios Regulares, intra, seù propè septa Monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eumdem terminum quascumque Cellas, Mansiones, seù Cubicula propè Monasteria prædicta ad usum memoratorum Regularium existentis, si Clausuræ Monasteriorum earumdem Monialium contigua sint, eidem Clausuræ includi, vel dirui omninò faciant: si verò sint extra septa, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti; nec in posterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant, Quod si infra dictum terminum Superiores Regulares præmissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus illa adimplere, & omninò exequi etiam invocato, si opus fuerit Brachii sæcularis auxilio.

Confessarii quando non tenentur pernoctare in Conventu.

§. 7. Verumtamen si Monasterium Sanctimonialium sit extra Mœnia Urbis, vel Oppidi, & Monasterium Regularium Virorum, quibus Moniales sunt subjectæ, sit intra dicta Mœnia, vel è converso, habeantur, vel conducantur, si commodè fieri possit, mansiones ad usum Confessoris quæ non sint conjunctæ, seù contiguæ ipsi Monasterio Monalium, sed ab eo penitùs disjunctæ non solùm per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque Monasterium sit intra Mœnia, & unum ab altero Episcopi judicio multum distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones ut supra distinctæ, & separatæ à Monasterio Monialium distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, & approbanda; ita tamen ut in mansionibus Confessoris, sive intra, sivè extra mœnia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio alii Regulares, etiam si Superiores sint, minimè pernoctent.

Pœnæ contra inobediētes.

§. 8. Si quis verò prædictorum Regularium aliquid contra præsentium tenorem facere, vel moliri præsumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci, tanquam ab hoc Sedis Apostolicæ Delegato quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat.

Decretum irritans.

§. 9. Decernentes easdem præsentes, etiam ex eo, quod Superiores Regulares, & cæteri quicunque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis

Nostræ,

Nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato, ac substantiali, sive etiam ex eo, quod in præmissis, seù eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex aliquo alio capite quocumque à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seù etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso seù occasione, vel causa quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda, foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, seù relatis nihil ullibi appareret, seù aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos, juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seù quomodolibet concesso, & impetrato quempiam uti, seù se juvare in judicio, vel extra posse, neq; easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, & si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo jure quæsito, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, cæterisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis generalibus editis, etiam, specialiter in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujusvis alterius Instituti, & Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & Locorum Regularium quorumcumque nec non illorum roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis, & in Mari Magno, seù Bulla aurea, aut aliter nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & personarum quarumcumque Ecclesiastica, vel sæculari dignitate fulgentium instantiam, seù eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis quoad ea, quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus, & formis specialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut quævis exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; specialiter, & expresè derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, ut præsentes literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & affigantur, quæ postquam affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: Atque earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubiq; adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Sanctionis, præcepti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat.P.An 18 die 20. Nov.

Datum in Arce Gandulphi Diœcef. Albanen. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, tertio decimo Kalendas Novembris, Pontificatus Nostri Anno decimo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1664. Indictione 2. die 9. mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina providentia Papæ Septimi, Anno ejus 10. supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Basilicæ Lateranen. ac Principis Apostolorum, de Urbe, & in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Laurentium Barbigionum S. D. N. Papæ Curs.

Franciscus Perinus Mag. Curs.

CLIV.

Quod Fratres Capuccini Ordinis Minorum Sancti Francisci, transeuntes ad aliam Religionem non possint permanere in eadem Provincia in qua emiserunt professionem.

Vide ad Constit. 104. Urbani VIII. Injuncti nobis. Ubi prohibetur ne ad laxiorem transeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1664.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii quod auctore Deo gerimus sollicitudo Nos admonet, ut conservandæ Religiosorum Ordinum eximiæ pietatis, & arctioris disciplinæ meritis conspicuorum existimationi quantum Nobis ex alto conceditur consulere satagamus.

Motiva.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod nonnulli è dicto Ordine ad aliàs Religiones transeunt, assumptoque in illis habitu regulari ad eas Provincias in quibus habitum prædicti Ordinis Fratrum Capuccinorum publicè gestaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illicò habitatum se conferunt, & ad tegendas, seù defendendas proprias imperfectiones ejusdem ordinis Fratrum Capuccinorum famam multis imposturis lacerare non verentur, cum gravi sæcularium scandalo, bonique nominis dicti Ordinis detrimento.

§. 2. Quare idem Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ne de cœtero quisquam qui è memorato Ordine Fratrum Cappuccinorum post emissam in illo professionem regularem ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet transierit, in ea Provincia in qua professionem hujusmodi emiserit, ac habitum eorumdem Fratrum Cappuccinorum publicè gestaverit, habitare, seù commorari audeat quovis modo, vel præsumat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium prohibemus, & interdicimus.

Interdicit prout in Rub.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutionum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haben. illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 17. Decembris 1664. Pontificatus nostri Anno decimo.

Dat. P An. 10. die 27. Dec.

CLV.

Quod in Controversia, inter Provincias Sancti Joannis-Baptistæ, & Beati Petri de Alcantara Fratrum Discalceatorum S. Francisci circa possessionem Conventus Murciæ, præfata Provincia S. Joannis Baptistæ non sit amplius audienda.

Vide ad Constit. hujus Pont. sup. 69. Sacrosancti 98. Aliàs nos, & 129. Aliàs pro parte.

Edita An. D. 1664.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Beati Petri de Alcantara Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito quod Provincia Sancti Joannis-Baptistæ Fratrum Reformatorum ejusdem Ordinis in Regnis Valentiæ, Murciæ, & Granatæ consistens aucta jam ad excessivum numerum Conventuum, & Religiosorum fuerat auctoritate Apostolica ex unica in duas divisa, remanente prima sub titulo, seù Invocatione Sancti Joannis-Baptistæ cum viginti octo Conventibus, & secunda sub titulo, seù invocatione Beati Petri de Alcantara cum solis novem Conventibus in Regnis Murciæ, & Granatæ sitis, sed exortis inter easdem diversis litibus præsertim super pertinentia Conventus Civitatis Murciæ specialiter & expresè dictæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara assignati fuerat tandem à dicta Congregatione sub die 15. Septembris 1662. declaratum, & decretum spectare dictum Conventum Murciæ ad ipsam Provinciam Beati Petri de Alcantara, & successivè impositum partibus perpetuum silentium, & sub accerrimis pœnis injuncta obedientia, & exequutio, & prohibita contravuntidne etiam sub prætextu novi recursus ad Sedem Apostolicam, prout in ipso decreto, quod nostris in simili forma Brevis litteris die 11. Octobris ejusdem anni 1662. super illius confirmatione expeditis insertum existit, continetur.

§. 1. Et in eadem expositione subjuncto quod nuper quendam supplicè libellum nobis pro parte Fratrum dictæ Provinciæ S. Joannis Babtistæ porrectum, quo super pertinentia prædicti Conventus Murciæ iterum audiri, nonobstante Decreto, & litteris nostris prædictis petebant, ad memoratam Cardinalium Congregationem remiseramus: Ideoque pro parte dilectorum Fratrum Provinciæ B. Petri de Alcantara eisdem Cardinalibus supplicato, ut considerantes hanc litem diutiùs, & ad saturitatem partis agitatam, & ventilatam, ae tandem mediante justitia ad favorem dictæ Provinciæ Beati Petri de Alcantata terminatam, & deinde ad sedanda scandala, tàm in illis partibus, quàm inter ipsos Religiosos orta perpetuum silentium à dicta Congregatione impositum fuisse, ac post modum ad instantiam Superiorum dicti Ordinis, dictas nostras litteras confirmatorias clausula sublata &c. & Decreto irritanti munitas emanasse, petitam novam audientiam hujusmodi dictis Fratribus Provinciæ S. Joannis Baptistæ denegarent, eosque amplius non esse audiendos decernerent, emanavit ab eadem Congregatione Decretum, tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita denuò ea remissione Sanctiss. D. N. in eadem Congregatione relata causa censuit standum esse in Decretis, & Provinciam S. Joannis Baptistæ super hoc negotio ampliùs non audiendam, quibuscumque non obstantibus. Romæ quinta Decembris 1664. M. Card. Ginettus.

§. 3. Cum autem sicut prædicti Fratres Provinciæ Beati Petri de Alcantara Nobis subindè exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis

Confirmat prout in Rub.

Aposto-

Apostolicæ firmitatis roboris adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis dd. Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficacos existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissimè suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciarum, & Conventus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 10. 1665.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Januarii 1665. Pontificatus nostri Anno decimo.

CLVI.

Pro translatione Professorii Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis à Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe, ad Monasterium Sancti Bernardi ejusdem Urbis.

Edita A. D. 1665.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Decretū dietæ Generalis.

CUm sicut dilectus filius Superior Provincialis Provinciæ Romanæ Congregationis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis. Nobis nuper exponi fecit in Dieta generali dictæ Congregationis mense Aprili proximè præterito in hac alma Urbe nostra celebrata pro sublevando Monasterio S. Pudentianæ Urbis, & Congregationis hujusmodi, in quo Professorium cum Novitiatu conjunctum reperiebatur, decretum fuerit, idem Professorium inde ad Monasterium Sancti Bernardi earumdem Vrbis, & Congregationis, quod omnia requisita necessaria habet, & in quo ejusmodi Professorium aliàs collocatum fuit, accedente tamen ad id licentia Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super statu Regularium deputatæ transferri debere, cupiatque propterea dictus Superior Provincialis opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infra indulgeri.

Concedit pro ut in Rubr.

§. 1. Nos ipsum Superiorem Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, attentis narratis, loco prædicti Monasterii S. Pudentianæ designati pro Professorio in Provincia Romana Congregationis Monachorum Reformatorum hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium designamus, ac deputamus pro Professorio prænominatum Monasterium Sancti Bernardi ejusdem Provinciæ, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis, ac Provinciæ, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat P.A. 10. die 26. Janu.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Januarii 1665. Pontificatus Nostri Anno decimo.

CLVII.

Exhibet formulam subscribendam ab omnibus Ecclesiasticis in Regnis Galliæ pro confutatione quinque Propositionum Cornelii Jansenii &c.

Edita An.D. 1665.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

REgiminis Apostolici divina providentia Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino applicemus.

§. 1. Quamobrem Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem ab Innocentio X. fel. rec. Prædecessore nostro ferè oppressam ad instar Colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem singulari Constitutione ad hunc finem edita altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus: sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sanè studio Venerabiles fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi Regni Galliæ earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt, & Charissimus in Christo filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit.

§. 2. Cum autem præfatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud oportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua

quinque

quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, Augustinus, excerptas, sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantocius expediri ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit: Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districtè mandamus; idque intra tres menses à die publicationis, seu notificationis præsentium, aliàs contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

Formula à supradictis subscribenda.

EGo N. Constitutioni Apostolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maii. 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore suosq; plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse, si secus super his à quocumq; quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes literas, & in eis contenta quæcumque exequantur, & executioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, omninò compellant.

Volumus autem ut, præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1664. quintodecimo Kalendis Martii, Pontificatus Nostri Anno decimo.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1665. Indictione tertia, die verò 17. mensis Februarii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus Decimo, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum Cancellariæ Apostolicæ in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Stephanum Vivaldum Apost. Curs.

Pro Mag. Curs. Laurentius Signus Curs.

CLVIII. Edita An. D. 1665.

Prohibet duos libros nempè censura sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, & Amadæi Guimenii Lomarensis.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

CUm ad aures nostras pervenerit duos prodiisse libros, quorum alteri titulus est.

§. 1. Censura Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis in librum, cui titulus est: La Deffense de l'authorité de N. S. P. le Pape, de Nos Seigneurs les Cardinaux, les Archevêques, & Evêques, & de l'emploi des Religieux mendians, contre les erreurs de ce tems. Par Jacques de Vernant à Mets, 1658. Alteri verò titulus est: Censura Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis in librum, cui titulus est: Amadæi Guimenii Lomarensis, olim primarii Sacræ Theologiæ professoris opusculum singularia universæ ferè Theologiæ moralis complectens: adversus quasdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales ad Tractatus de peccatis; De opinione probabili &c. Editio novissima &c. Lugduni sumptibus Phil. Borde, Laurentii Arnaud, Petri Borde, & Guillelmi Barbier 1664. cum approbatione, & Superiorum permissu. Parisiis 1665. in quibus libris censura præsumptuosa notantur aliquæ propositiones eæque præsertim, quæ ad Romani Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, Episcoporum jurisdictionem, Parochorum munus, Privilegia à Sancta Sede concessa, Dispensationes Apostolicas, actionumque moralium regulam pertinent, & aliæ quæ & gravissimorum Scriptorum auctoritate, & perpetuo Catholicorum usu nituntur. Et cum fieri non possit sine publico Catholicæ Religionis detrimento, ut prædictæ censuræ in commemoratis libris sine debita Ecclesiæ animadversione, & damnatione remaneant.

Prohibitio prout in Rubric.

§. 2. Nos pro Apostolico munere, quo licet immeriti fungimur, ut gravissimo scandalo, quod indè Catholicis accidere posset, occurramus; Habitis prius doctissimorum, ac insignium in Sacra Theologia Magistrorum, ac Professorum, ac Sacrarum Sedis Apostolicæ Congregationum Qualificatorum, quos ad hæc specialiter deputavimus consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare; Necnon auditis suffragiis Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfatas, censuras uti præsumptuosas, temerarias, atque scandalosas, auctoritate Apostolica damnamus, & pro damnatis haberi volumus, easque nullius valoris, & roboris fuisse, sed cassas, & irritas esse declaramus: Mandamus insuper, ne quisquam ex Christi fidelibus cujuscumque gradus, ac dignitatis existat, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia majori dignitate etiam speciali, ac specialissima nota digna suffultis, prædictas censuras approbet, sequatur, atque defendat, Nevè in publicis, aut privatis lectionibus, disputationibus, sessionibus, aut aliis actibus publicis sequatur, tueatur, aut doceat; Neque in libris, aut etiam scripturis publicis, vel privatis, aut alio quocumque modo illas alleget, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, cujus absolutionem Nobis, ac Sedi Apostolicæ reservamus.

Prohibitio Typographi.

§. 3. Prætereà Typographis, ac Bibliopolis expresse prohibemus, ne præfatos libros, & censuras imprimere, ac Typis mandare, minusque impressos vendere audeant, ac præsumant sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, insuper libros, scripturas, & alia opera in

quibus

quibus præfatæ censuræ quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur, Apostolica auctoritate prohibemus, ac pro vetitis haberi volumus; Mandamusque ne aliquis illos, ac illa legere, aut penès se retinere præsumat, sed locorum Ordinariis, aut hæreticæ privatis Inquisitoribus in locis, in quibus Sanctissimæ Inquisitionis Officium exercetur, consignet, sub pœna excommunicationis, ut supra ipso facto incurrendæ. Dictisque Ordinariis, ut etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, necnon præfatis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipimus, ut contra transgressores, inobedientes, ac rebelles diligenter inquirant, & procedant, & ad declarationem dictæ excommunicationis, & ad alias pœnas pro gravitate ipsorum inobedientiæ, ac transgressionis pro eorum arbitrio procedant.

§. 4. Cæterum ulterius de præfatis censuris judicium deque opinionibus in prædictis libris Jacobi Vernant, & Amadæi Guimenii contentis, necnon de aliis in eisdem censuris expressis, sivè in eis præmemoratæ opiniones notentur, sivè non, Nobis, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ reservamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuò, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, Sicque per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos ubique judicari, & definiri debere, & sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse quidquid secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Transumptorum fides.

Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P.An. 7 die 25. Jul.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1665. 7. Kalendas Julii Pont. nostri Anno undecimo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1665. Indictione tertia die verò 26. mensis Junii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno ejus 11. supradictæ litteræ Apostolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

CLIX.

Concedit facultatem Congregationi Cassinensi Ordinis S. Benedicti alienandi bona stabilia usque ad summam centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, pro liberatione Monasteriorum ab ære alieno.

Vide ad Constit. 215. Exponi nobis. Urbani VIII. & 307. Alias à nobis, & ad Constit. 48. Innoc. X. Nuper.

Venerab. fratri nostro Francisco Episcopo Portuen. S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato Congreg. Cassinensis Ordinis S. Benedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater noster, salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita An. D. 1665.

Motiva hujus Constit.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quod dicta Congregatio propter bellorum, pestis, inundationum, & tempestatum, aliaque infortunia, quæ ejus Monasteria cum extrema ferè eorum ruina respectivè passa sunt, à multis annis miserabilem in statum redacta reperitur, ac ex causa tot malorum cùm singula Monasteria Procurariæ Generali de taxis debitis juxtà repartitonem pro solvendis oneribus, Cameralibus saisfacere nequirent; Congregatio ipsa æs alienum centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, & viginti trium baiocchorum monetæ in sorte principali diversorum annorum perpetuorum, & redimibilium censuum ad favorem diversarum personarum, ac etiam Locorum piorum respectivè impositorum, contrahere coacta fuerit; nempè pro rata centum quinque millium quingentorum septuaginta octo scutorum nomine Monasteriorum particularium, pro quibus pecunias reperire eidem Congregationi facilè fuit, ac pro rata reliquorum quinquaginta septem millium trecentorum triginta unius scutorum, & viginti trium bajocchorum nomine proprio ipsius Congregationis pro illis Monasteriis, quibus eorum nomine tantum pecuniæ reperiri nequiverunt, quæque proindè in debito hujus summæ erga Procurariam Generalem peculiari ratione remanserunt, prout distinctiùs exprimitur in Notis vulgari Idiomate factis tenoris qui sequitur videlicet.

Nota Censuum.

§. 1. Nota de Censi che in sorti principali si son imposti dalla Congregatione Cassinense in nome proprio per causa dell'infrascritti Monasterii, che non hanno corrisposto al pagamento delle Tasse, che ciascuno di essi doveva per la sua rata, per li quali à nome loro il danaro non si è potuto trouvare, è perciò ciascuno di quelli è restato debitore alla Procureria Generale nella somma, che gli assegna, come segue. Monasterio di Gangi scudi cinquecento quaranta cinque, bajocchi settant'otto. Di Monte Scaglioso scudi dieci mi'a doicento cinquanta, bajocchi quarant'otto. Di Castrovillari scudi tre mila cinquecento novantasei, bajocchi settant'otto. Di Gaeta scudi mille doicento quindici, bajocchi venti. Di Perugia scudi mille cinquecento quattro, bajocchi trenta. Di Cesena mille cinquant'uno, bajocchi cinquanta. Di Modena scudi due mila ottocento trenta sette bajocchi settantasette. Di Bobio scudi due mila cento vent'otto, bajocchi ventitrè. Di Pavia scudi due mila quattrocento cinquantacinque, bajocchi sedici. Di San Simpliciano scudi ottomila settecento quaranta, Bajocchi ottanta. Di San Piettro Gesù scudi mille cento quaranta nove, un bajoccho. D'Asti scudi sedici mila novecento trentacinque, bajocchi trentadue. Di Ragusa scudi due mila seicento ventitre bajocchi due, e mezzo. Di Lerino scudi due mila ducento novanta sette, bajochi sessantasette, e mezzo. Nota de capitali de Censi, che dalla Congregatione Cassinense sono stati imposti à nome particolare di ciascun dell'infrascritti Monasterii, li quali ne restano debitori nella somma che à ciascuno viene assegnata secundo il repartimento, che segue, per non haver sodisfatto le Tasse, che ogn'uno di loro doveva per la sua rata alla Procureria Generale, per pagare li pesi Camerali, Monasterio di Monreale scudi mille, Monte Scaglioso scudi ventinove mila ducento sessantasette bajoci cinquanta. Cava scudi seimila, e cento. Napoli scudi ottocento. Aversa scudi cinquecento.

Monte Casino scudi cinquemila settecenta sessanta nove. Perugia scudi trentaquattro mila cinquecento cinquanta. Cesena scudi mille cinquecento quarant'otto bajocchi cinquanta. Ravenna scudi novecento. Mantova scudi settecento. Modena scudi tremila seicento. Reggio scudi mille. Parma scudi settemila cinquecento cinquanta. Bobbio scudi doimila trecento novanta due. San Spirito di Pavia scudi mille quattrocento. San Simpliciano scudi tre mila cinquecento. Fiorenza scudi mille. Casa Veneta scudi quatromila.

§. 2. Quia verò æs alienum hujusmodi in dies augetur, nec possibile est, illud ex redditibus Monasteriorum prædictorum extenuare, nedum extinguere, quinimò ipsum æs alienum impedimento est, quominus eadem Monasteria oneribus Cameralibus, quæ quotidiè maturantur, satisfacere valeant. Idcircò his omnibus in Capitulo Generali dictæ Congregationis hoc anno Perusii celebrato, maturè consideratis, cognitoque nullum aliud superesse remedium, quo eadem Congregatio ab ære alieno hujusmodi, illiusque interusuris liberetur, atque ita afflictus illius status aliquantum liberetur, quàm si ad alienationem tot bonorum stabilium ad Monasteria suprascripta spectantium pro rata debiti unumquodque illorum respectivè juxtà Notas præinsertas contingentis deveniatur, dilecti pariter filii Præcedens, & Definitores ipsius Congregationis memorato Procuratori Generali commiserunt, ut à Nobis, & hac Sancta Sede facultatem obtinere contenderet eidem Congregationi, ejusque Monasteriis ex eorum bonis stabilibus alienandi usque ad summam dicti æris alieni, pro rata tamen, & quantitate bonorum singulis quibuscumque Monasteriis per ipsum Procuratorem Generalem cum consensu, & decreto tuo assignanda, & distribuenda juxtà respectivè debitum, quod unumquodque ex Monasteriis præfatis cum dicta Procuratoria Generali habet ad effectum, pecunias retrahendas ex bonis per singula Monasteria alienandis persolvendi in manibus ejusdem Procuratoris Generalis, in satisfactionem debiti cum dicta Procuraria singula Monasteria tangentis, quas pecunias dictus Procurator Generalis teneatur unico contextu deponere penès Montem Pietatis de Urbe ad creditum Congregationis, & sui liberam dispositionem, ad hoc ut erogentur non in alium usum quàm in extinctionem tot Censuum arbitrio suo specificandorum ex causa prædicti debiti à Monasteriis non satisfacti respectivè, sicut præmittitur impositorum cum pactis solitis, & consuetis, ac in contractibus conveniendis, & aliàs prout in eorundem Præsidentis, & Definitorum decreto in Capitulo Generali hujusmodi die 11. Maii proximè præteriti emanato uberiùs dicitur contineri; Quare dictus Procurator Generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut licentiam alienandi bona Monasteriorum supra expressorum pro summa, & quantitate centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, & viginti trium bajocchorum hujusmodi, ac pro rata debiti, unumquodque ex eisdem Monasteriis, sicut in Notis præinsertis expressum est respectivè tangentes concedere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, circumspectioni tuæ, per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam facultatem singulis suprascriptis Monasteriis pro rata bonorum in notis præinsertis expressa, auctoritate nostra Apostolica, pro tuo arbitrio, & conscientia gratis concedas. Dummodò tamen ante tibi constiterit ipsam facultatem in evidentem eorumdem Monasteriorum utilitatem esse cessuram, nec alia commodiori ratione prænarratum æs alienum posse dissolvi; Ipsumque æs alienum fuisse legitimè contractum, & non aliàs; & dummodò bona ipsa vendenda nulli vinculo, aut oneri, præsertim verò Missarum obnoxia sint. Et in ipsa licentia ut supra concedenda singulorum bonorum vendendorum quantitas, & speciales, & individuæ eorum qualitates singillatim explicentur, ac describantur exquisitis etiam, atque habitis circa prædicta omnia, si ità tibi videbitur, informationibus Ordinarii locorum ubi Monasteriorum bona vendenda existant; Ità tamen, ut pretium ex hujusmodi venditionibus retrahendum integrè atque unico contextu in extinctionem dicti æris alieni convertatur. Quod si hujusmodi conversio uno, & eodem temporis articulo fieri non possit, pecunia apud sacram ædem integrè deponatur, indè alium quemcumque effectum quàm prænarrati æris alieni dissolvendi gratia nullatenus amovenda. Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

§. 6. Non obstantibus fel. record. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, ejusque Monasteriorum præfatorum, aliisvè quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Julii 1665. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Confirmat Decretum Dietæ Generalis Fratrum Congregationis S. Hieronymi Jesuatorum nuncupat. pro substentatione Procuratoris Generalis tempore.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Superior Generalis Congregationis Fratrum Sancti Hieronymi Jesuatorum nuncupatorum, quod cum aliàs nobis pro parte ipsius Superioris Generalis inter alia exposito, æquum esse, ut Procurator Generalis dictæ Congregationis, qui pro universa Congregatione per debitam repartitionem manuteneretur. Nos unionem officiorum Procuratoris Generalis Congregationis hujusmodi, & Prioris Conventus Sanctorum Joannis, & Pauli de Urbe ejusdem Congregationis pridem factam, & Apostolica auctoritate confirmatam dissolverimus, itaut eadem duo officia de cætero per duas distinctas personas quemadmodum ante unionem hujusmodi fieri solebat obtineri, geri, & exerceri deberent, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 30. Augusti 1664. expeditis literis uberiùs continetur.

Dilecti

§. 1. Dilecti pariter filii Fratres memoratæ Congregationis in eorum Dieta proximè celebrata congregata Taxam ducentorum scutorum monetæ super Conventibus ipsius Congregationis pro sustentatione, & manutentione d. Procuratoris Generalis imposuerunt in hunc modum, videlicet: ut Sancti Eustachii Bononien. viginti, de Mascarella itidem Bononien. quatuor, Sancti Hieronymi Ferrarien. quindecim, S. Mariæ Magdalenæ Faventin. tria, Sanctissimæ Trinitatis Urbinaten. tria, S. Mariæ della Palomba Viterbien tria, S. Joannini Florentin. quinque, S. Hieronymi Senen. quinque, S. Hieronymi Pistorien. septem, S. Hieronymi Lucan. viginti, S. Hieronymi Pisan. sex, S. Mariæ de Montenero super Liburnum quindecim, S. Mariæ de Sambuca quinque, S. Mariæ Gratiarum Aretin. tria, S Hieronymi Mediolanen. viginti, S Antonii Papien. quatuor, S. Petri Lauden. quatuor, S. Hieronymi Alexandrin. quatuor, S. Bartholomæi Placentin. quatuor, S. Benedicti Parmen. quatuor, S. Hilarii Cremonen. sex, S. Mariæ in Portu Mantuan. quatuor, S. Elisabethæ Venetiarum decem, Corporis Domini Brixien. quinque, S. Hieronymi Tarvisin. septem, S. Spiritus Paduan. quatuor, S. Bartholomæi in Monte Veronen. quatuor, & Sancti Hieronymi Vicentin. Conventus prædictæ Congregationis sex scuta monetæ quotannis respectivè præstare teneantur. Imposita Superioribus Conventuum hujusmodi, qui ratas dictæ Taxæ sese contingentes respectivè annis singulis per totum mensem Maium ad memoratum Conventum SS. Joannis, & Pauli de Urbe, non transmiserint, pœna suspensionis ab officio, ac à voce activa, & passiva in Dietis, & Capitulis generalibus dictæ Congregationis ipso facto incurrenda.

Absolvit Oratorem à censuris.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat prædictus Superior Generalis præmissa pro firmiori illorum subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Superiorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat prout in rub.

§. 3. Impositionem Taxæ prædictæ super Conventus dictæ Congregationis pro sustentatione memorati Procuratoris Generalis, ac pœnæ hujusmodi à prædicta Dieta factam, ut petitur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, & illis respectivè plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Congregationis, ejusque Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 11. die 14. Sept.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Septembris 1665. Pontificatus nostri Anno 11.

CLXI.

Extensio, & communicatio Privilegiorum Fratrum Discalceatorum in Hispania Ordinis Sancti Francisci ad omnes Provincias Discalceatorum Indiarum.

Vide ad Const. 312. Urb. VIII. Cum sicut, & ad Const. 316. ibidem.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita A.D. 1665.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum in Hispania, & Indiis consistentium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ Reformatorum, seù Discalceatorum nuncupatorum, quod dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster diversa privilegia Fratribus Reformatis Provinciarum Sancti Josephi, & Sancti Joannis Baptistæ in Hispania consisten. strictioris Observantiæ hujusmodi concessit, quæ præsertim respectu Fratrum de Observantia à rec. mem. Clemente VIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus pariter nostris confirmata fuerunt.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Provinciæ Fratrum Reformatorum strictioris Observantiæ hujusmodi ad numerum duodenarium cum Divini cultus augumento crevisse de præsenti reperiantur, dicti verò Exponentes privilegia prædicta omnibus Provinciis Reformatis supradictis suffragari debere à Nobis declarari summoperè desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium Procuratorem generalem Ordinis hujusmodi audierunt, & præcitata privilegia, eorumque confirmationes viderunt consilio, attentis narratis, privilegia memoratis Provinciis Sancti Josephi, & Sancti Joannis, Baptistæ, ut præfertur, concessa, & confirmata reliquas omnes Provincias Fratrum Reformatorum, seù Discalceatorum strictioris Observantiæ hujusmodi in Hispania, & Indiis consistentes comprehendere, eisque in omnibus & per omnia suffragari debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. (Confirmat prout in rub.)

§. 3. De-

Decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extrà quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P Anno dies. Novem. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Novembris 1665. Pontificatûs Nostri Anno undecimo.

CXLII. Transactio inter Vicarium Generalem Bergomen. & Fratres Minimos Sancti Francisci de Paula pro receptione Conventus Beatæ Mariæ, omniumque Sanctorum de Galgario nuncupat.

Edita An. D. 1665.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Episcopi Bergomen. in spiritualibus Generali, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. IN supremo Apostolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quæ Domorum Regularium, necnon Religiosorum in eis degentium piis exercitiis vacantium spirituali consolationi opportunè consulatur libenter intendimus, & ut illa, quæ propterea providè facta fuisse dicuntur, firma, & illibata persistant, libenter, cum à Nobis petitur, Apostolico munimine roborari, & aliàs desuper disponi mandamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exhibita si quidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Francisci Tassis, moderni Præpositi Præpositurae Sanctorum Simonis, & Judæ Bergomen. & Fratrum Ordinis Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupat. Bergomen. & pro eis Correctoris Provincialis Prov. Venetæ Ordinis prædicti petitio continebat, quod aliàs, seu nuper dictus Franciscus providè considerans Fratres prædictos in Civitate Bergomen. propria habitatione carere, cupiensque interim, ut per ea quæ ipsi Fratres in prædicta Civitate jam à viginti circiter annis quibus ibidem commorantur, fæliciter jecerunt salutarium operum fundamenta, Religionis zelus peramplius propagetur, cultusque divinus majora in dies suscipiat incrementa, pro singulari ipsius in dictum Ordinem devotionis affectu, præfatis Fratribus, & pro eis dicto Correctori usum Ecclesiæ, & Conventus Beatæ Mariæ, omniumque Sanctorum de Galgario nuncupat. prope, & extra muros Civitatis Bergomen. cum duobus terræ petiolis arativis dicto Conventui contiguis versus dictam Civitatem ad flumen Muria similiter nuncupatum, juxta sua notissima latera sitis, quæ cum sint intra septa dicti Conventus locari non possunt, una cum Ponte, & pinnaculo vulgo, Logetta super d. flumine respectivè positis, capacitatis quoad terræ petiola hujusmodi ad mensuram Romanam unius petii circiter, olim Ordinis Fratrum Humiliatorum, etiam nuncupatorum, nunc verò secundo dicto Ordine, omnique statu, & essentia regularibus in eo Apostolica auctoritate perpetuò suppressis, & extinctis, Præpositurae prædictæ, quàm dictus Franciscus ad præsens obtinet, eadem auctoritate etiam perpetuò unitis.

§. 2. In reliquis tamen Præpositurae prædictæ juribus in omnibus, & per omnia, & præsertim quoad officinam, pulverariam, ac domos, & pratellum illis adjacentia, quæ Præpositurae prædictæ, & Præposito pro tempore existenti libera sint, & esse semper debeant, salvis, & illæsis remanentibus cum infrascriptis, videlicet, quod ipsi Fratres prædicto Francisco, & dicto Præposito pro tempore existenti quolibet anno in die Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in recognitionem unam candelam Ceræ albæ ponderis trium librarum cum ipsius, & Præpositi pro tempore existentium necnon eorumdem Fratrum Religionis armis, seù insigniis dare, armaque sua insignia ejusdem Præpositi pro tempore existentis super porta majori dictæ Ecclesiæ exponere, ac duas quotidie quoad assistentiam tantum; necnon cum una cantate, ac officio similiter cantato, viginti quatuor Missas submissa voce recitandas, & pro suffragio animabus Præpositorum prædefunctorum applicandas prima die non impedita à die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, præmonito tamen prius semper his eodem Præposito, sive ejus deputato, cui nota in scriptis per singulos Sacerdotes, qui prædictas Missas celebraverint, ac per Superiorem, & Sacristarium Conventus dictæ Ecclesiæ respectivè subscripta, & subsignata tradi, & consignari debeat in eadem Ecclesia quolibet anno celebrare, seu celebrari facere.

§. 3. Ac demum onera Missarum, & Officii celebrationis hujusmodi in tabella obligationum in Sacristia asservari, & teneri consueta describere, & annotare teneantur, & obligati existant; reservato interea cuilibet Præposito pro tempore existenti, jure proprietatis, & directi dominii, tàm quoad dictam Ecclesiam, quàm Conventum, & terræ petiola supradicta, retentisque sibi, & de illius familia tantum futuris primodictæ Ecclesiæ præpositis pro sua, & illorum, ac cujuslibet illorum propria, & libera habitatione atria minori iuferius ad portam, & propè portam dicti Conventus, ac una eidem atrio contigua cum scalis; necnon duabus aliis superius per eumdem Præpositum, seù illius sumptibus, & expensis in dicto Conventu fabricatis, & extructis Cameris cum libero ingressu, & regressu Portæ ejusdem Conventus, necnon accessu, & recessu superius, & inferius ad hortum, & dormitorium, ac aliàs cum aliis pactis, & conditionibus licitis tamen, & honestis sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito infra certum tunc expressum, & jam forsan, elapsum tempus, impetrando, in perpetuum concessit, prout in publico Instrumento, aliisque desuper forsan confectis scripturis plenius dicitur contineri.

§. 4. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat; ea, quæ à Sede prædicta approbantur, & confirmantur firmius, & validius subsistant, ac melius ab omnibus observentur; quare pro parte Francisci, & Fratrum, ac pro eis Correctoris prædictorum

dictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concessionem hujusmodi pro perpetua, & inviolabili observatione approbare, & confirmare, aliasquè in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur, qui divinum cultum, & fidelium devotionem ubique augeri sinceris desideramus affectibus, Franciscum, & Correctorem prædictos, & eorum quemlibet, necnon domus, & Conventus hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon Instrumenti, scripturarumque hujusmodi totos tenores præmissis tamen minimè contrarios, ac Ecclesiæ Conventus, & terræ petiolorum hujusmodi situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus concessionem prædictam, ac prout eam concernunt desuper confectas scripturas ac Instrumentum prædicta cum omnibus, & singulis indè legitimè sequutis, & sequendis perpetuò sine alicujus præjudicio dicta auctoritate approbes, & confirmes, ac eis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicias, eamque validam, & efficacem perpetuo fore, & esse, ac ab omnibus uti legitimè factam observari, & adimpleri debere, sicque & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ nuncios, & quosvis alios judicari, & definiri debere, ac quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernas; Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit primodicti Ordinis juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Confirmatio Transactionis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1665. Non. Decembris, Pontificatus nostri Anno undecimo.

Dat. P A. 11. die 7. Decem.

CLXIII.

Quod nulli ex Fratribus reformatis Sancti Francisci Provinciæ Romanæ competit jus præcedendi, sive honoratioris loci, nisi Superioribus actualibus, & Exgeneralibus.

Edita An. D 1665.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura animum nostrum sollicitat, ut religiosorum virorum, qui abnegantes semetipsos Altissimis obsequiis in spiritu humilitatis sese devoverunt, quieti salubriter consulere, ipsosque in laudabili eorum proposito quantum Nobis ex alto conceditur confovere studeamus.

Exordium.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii Minister Provincialis, & Diffinitorum, ac Exprovinciales, & Fratres graduati Provinciæ Romanæ Fratrum Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, licèt reformatio in Provinciam prædictam magno cum humilitatis, & Religiosæ quietis, vitæque simplicis studio inducta multorum annorum spatio utiliter, & laudabiliter, ac cum bono erga sæculares exemplo viguerit: nihilominus experientia compertum sit post introductum in eamdem Provinciam certum præcedendi modum illam à pristinæ humilitatis statu non parum recessisse dicti verò exponentes, ut antiqua observantia in sua puritate semper floreat, omnisque ambitionis, & relaxationis occasio maturè præcidatur, quasdam fel. rec. Urbani PP. VIII. prædecessoris nostri litteras die 22. Decembris 1642. in forma Brevis expeditas, incipien. Alias pro Congregatione generali &c. in quibus circa præcedentiam inter Fratres Strictioris Observantiæ familiæ Cismontanæ dicti Ordinis nonnulla inter alia disponuntur, quoad prædictam Provinciam Romanam ad terminos aliarum ejusdem Urbani prædecessoris literarum die 21. Augusti 1634. in simili forma Brevis emanatarum, quarum initium est, inter gravissimas &c. à Nobis reduci, & circa subrogationes, quæ deficientibus in eadem Provincia Ministro Provinciali, ac Patribus Ordinis, & Diffinitoribus interdum fieri debent, opportunè provideri, ita scilicet, ut digniores juxta dispositionem constitutionum generalium subrogentur, circa incorporationes autem, ut aliarum Provinciarum Fratres, qui memoratæ Provinciæ Romanæ obtento desuper beneplacito Diffinitorii incorporati fuerint, à die incorporationis hujusmodi tantum præcedere debeant, quemadmodum Statuta Reformationis disponunt, statui, & ordinari summoperè desiderent.

Motiva hujus constit.

§. 2. Nos piis eorumdem exponentium votis in præmissis favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Absolvit à censuris.

§. 3. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum Piorum Almæ Urbis nostræ à Nobis institutæ deputatorum, qui præmissa mandato nostro accuratè perpenderunt, consilio, primodictas Urbani prædecessoris litteras die 22. Decembris 1642. ad supplicationem tunc existentis Commissarii Generalis emanatas quoad caput præcedentiæ inter Fratres strictioris Observantiæ Sancti Francisci Cismontanæ familiæ hujusmodi, respectu Fratrum dictæ Provinciæ Romanæ ad terminos aliarum secundodictarum ejusdem Urbani prædecessoris litterarum motu proprio die 21. Augusti 1634. editarum auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimus, itaut in posterum etiam vigore cujusvis indulti, ex quavis causa, vel occasione à Sede Apostolica, vel alias quomodolibet impetrari, in eadem Provincia Romana nulli Fratrum jus præcedendi, sive honoratioris loci competat nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministro, Commissario, & Vicario Provincialibus, Custodi, Commissario, Visitatori, Guardianis, Præsidenti, seu Commissariis, & Vicariis localibus, qui tamen expletis eorum Officiis ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tàm ii qui jam habitum per Fratres gestari solitum susceperunt, ac de cætero suscipient, quàm ii qui se à Fratribus de Observantia ad Fratres Reformatos dictæ Provinciæ canonicè transtulerunt, & transferent, exceptis tamen iis qui Ministri Generalis, seu Commissarii Generalis Cismontanæ Familiæ officio functi sunt, vel fungentur, qui post Superiores actuales immediatè locum habeant.

Confirmat prout in rub.

Quò verò ad prænarratas subrogationes digniorum, & incorporationes Religiosorum alienæ

Provinciæ, Constitutiones Ordinis, & statuta Reformationis hujusmodi servari auctoritate, & tenore prædictis mandamus, ac statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes privilegia, & indulta super paternitate, & præcedentia, si quæ per Fratres antedictæ Provinciæ Romanæ à Sede Apostolica deinceps impetrari contigerit, subreptitia censeri, nisi in literis desuper expedien. de verbo ad verbum insertus fuerit totus tenor præsentium literarum, Ipsas verò præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstan. primodictis Urbani prædecessoris literis, quas quoad caput præcedentiæ respectu Fratrum memoratæ Provinciæ Romanæ volumus non obstare perinde, ac si non emanassent, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, ac aliis quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 11. die 23. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1665. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

AD evitandas controversias, quæ oriri possent ex intelligentia Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri nuper editæ super præcedentia, sive honoratiori loco Superiorum in Provincia Romana Ordinis Fratrum Minorum strictioris Observantiæ Sancti Francisci, & ad pacem, charitatemque inter Fratres conservandam, Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ Sanctitate Sua approbante, censuit super hujusmodi præcedentia in memorata Provincia deinceps servandum esse, prout servari mandavit, ordinem infrascriptum, videlicet.

Minister, & Vicarius Ordinis, Commissarius Generalis, Minister Provincialis, quem tamen Commissarius Visitator, durante ejus Commissione præcedet. Qui fuerunt Ministri, vel Vicarii Ordinis, aut Commissarii generales, unum tantum Superiorem actualem supra se habebunt. Guardianus Conventus, Procurator Generalis Curiæ, Diffinitores Generales, Custos, Diffinitores Provinciales, quos Sanctitas Sua declaravit in memorata Constitutione comprehendi, Vicarius Conventus, qui tamen in Refectorio sedebit immediatè post Guardianum, sed eo absente, præcedet omnes supradictos: Sacerdotes, & postea Clerici, & tandem Laici juxtà antiquitatem habitus. Datum die 3. Martii 1666.

Prosper Fagnanus Sacræ Visitationis Apostolicæ Secr.
Loco † sigilli.

CLXIV.

Decernit, quod deinceps Capitulum Generale Congregationis Eremitarum Camaldulen. de biennio in biennium, & Dieta anno post celebrationem Capituli hujusmodi respectivè celebrari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Edita An. D. 1666.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs emanarunt à Nobis ad supplicationem tunc existentium Diffinitorum Dietæ Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium literæ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet, Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Recenset alias literas.

§. 1. Debitum Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus postulat; ut fælici, prosperoq; Congregationum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum regimini, & gubernio quantum cum Domino possumus, providere jugiter satagamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt, dilecti filii Diffinitores Dietæ generalis Congregationis Eremitarum Camaldulen. quod multorum annorum experimento compertum est magno inc mmodo, & detrimento esse eidem Congregationi; quod singulis bienniis Capitulum quidem Generale uno Anno. Dieta verò generalis ipsius Congregationis altero respectivè celebrentur; nàm cum dicti Eremitæ solitudini sint addicti, maximè decet eos videri totum annum per diversoria vagantes ex causa similium Dietarum, & Capitulorum, in quibus plurimæ fieri solent mutationes Religiosorum, & Priorum; Qui quod se in eodem gubernio diù non permansuros vident, utilitati Eremorum segnius dant operam, sæpéque contingit, ut quod unus incæperit successor dissolvat, aut non prosequatur, quia sit opus ab aliis inchoatum.

Accedit, quod tàm frequens Dietarum, & Capitulorum hujusmodi celebratio totam Congregationem prædictam, & præsertim Eremum Camaldulensem gravibus sumptibus onerat, quodq; Superiores majores, tam modici temporis spatio noti tiam Eremitarum, ac negotiorum, tàm spiritualium, quàm temporalium dictæ Congregationis capere nequeunt. Quinimò cum eadem Congregatio, non solum in Italia, sed etiam in Polonia Regione valdè remota (benedicente Domino) propagata reperiatur, nec possunt Eremi Poloniæ singulis bienniis visitari, nec illarum Priores ad Capitulum generale venire, quod tamen fieri posset si illud de quadriennio in quadriennium haberetur, quare dicti exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica, dignaremur.

Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero Capitulum quidem Generale de quadriennio in quadriennium. Dieta verò Congregationis Camaldulen. prædictæ demum biennio post celebrationem Capituli generalis hujusmodi respectivè haberi, & celebrari debeant, itaut primum quadriennium à Dominica tertia post pascha Resurrectionis Dominicæ proxime præteritum computetur, & tertia Dominica post Pascha ejusdem Resurrectionis Domi-

nicæ anni 1665. expiret; ac tàm moderni, quàm futuri ejusdem Congregationis Superiores, qui in Capitulo generali eligi solent in suis respectivè muneribus quadriennio durent, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, ac perpetuò statuimus, & ordinamus.

Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum Transumptis etiam impressis; manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Januarii 1662. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Motiva abrogationis præfatarum literarum.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Eremitarum Camalduleu. Nobis nuper exponi fecit, quæ in præinsertis literis Nobis exposita fuisse narrantur, veritati minimè nitantur, quandoquidem celebrationi Capituli Generalis ejusdem Congregationis non intersint, nisi Major, Visitatores, & Procurator Generalis, ac Priores Eremorum ipsius Congregationis, ex quibus Major, & Visitatores in loco Capituli hujusmodi commorantur, qui verè ejus rei causa iter agere debent pauci sunt, quorum aliqui senectute, vel infirmitate præpediti ad Capitulum non accedunt, & multi in locis ab Eremo Camaldulen. ubi Capitulum habetur parum distantibus degunt; Quinimò observatum fuerit, quod frequens Priorum mutatio minorem adferat familiarum mutationem, quod quidem præterito quadriennio usu venit, quo in aliqua Eremo, cum Prior mutari non posset, bonam partem illius Religiosorum mutari oportuit; Nec Eremus prædicta Camaldulen. onere considerabili ex causa paucorum Eremitarum, qui paucis diebus ibidem quolibet biennio morantur, gravetur, quippe quæ duodecies mille, & aliquando pluribus personis illuc confluentibus annuatim alimenta præbeat. Eremitæ autem Poloniæ non teneantur ex præscripto Constitutionum Congregationis prædictæ ad Capitulum accedere, nisi singulis quadrienniis eisque datus fuerit Vicarius Generalis, & concessa nominatio ad Prælaturas, ut minorem habeant iter agendi occasionem.

Cumque frequentia Capitulorum eidem Congregationi in spiritualibus, & temporalibus notabiliter prosit Prælatis, ibidem exactissimam actionum, & administrationum suarum rationem reddentibus, quod & illis intra debiti officii limites continendis non mediocriter conducit; & per opportunum est conservandæ regulari observantiæ, quæ novis subinde decretis, sicuti deficere videtur firmius stabilitur in Capitulo Generali, cui etiam reservata sunt multa magni momenti negotia, quorum resolutionem ad quadriennium differri quandoq; non expedit. Quin etiam ex quadriennali Capitulorum hujusmodi celebratione hoc sequatur incommodi, quod Visitatores, qui Visitationes suas intra biennium absolvunt, altero biennio cessarent à visitando, nec Eremi interea visitarentur, attento, quod Constitutiones dictæ Congregationis non permittant Visitationes ab eisdem iterari, unde si novæ Visitationis gratia post biennium officio renunciare deberent, prout re ipsa factum est in quadrienno proxime præterito, inde consequeretur, ut finito officio non possent Capitulo Generali cum voce intervenire, qui tamen interventus maximè necessarius est, ut ab ipsis Capitulares de statu Congregationis doceantur, ac demum considerandum sit, quod per Constitutiones Congregationis hujusmodi cavetur expresè, ne quis ultra sexennium in Prælaturis continuari possit, atque ita si Capitula de quadriennio in quadriennium celebrarentur, necesse foret in eorum quolibet omnes Prælatos mutare, quippe qui usque ad aliud subsequens Capitulum scilicet per octennium in Prælaturis hujusmodi contra earumdem Constitutionum dispositionem continuare non valerent.

Absolvit à censuris.

§. 3. Nobis propterea prædictus Procurator Generalis, tàm suo, quàm dilectorum pariter filiorum Majoris, & Diffinitorum dictæ Congregationis nominibus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur incommodis prædictis quantum Nobis ex alto conceditur occurrere, ac ejusdem Congregationis salubri directioni, & utilitati consulere cupientes, dictosque Majorem, & Diffinitores, ac Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorùm singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale de biennio in biennium, & Dieta anno post celebrationem Capituli hujusmodi respectivè haberi, & celebrari debeant; nec Prælaturæ dictæ Congregationis ultra biennium durent, quemadmodum per Constitutiones ejusdem Congregationis cautum reperitur, & antequam præinsertæ nostræ literæ emanarent fieri solebat: auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus.

Confirmat prout in rubrica.

Ac proindè easdem literas nostras præinsertas, omniaque, & singula in eis contenta auctoritate, & tenore prædictis ex nunc revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, & ex nunc revocata, cassata, irrita, & nulla, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacua esse: præsentes verò literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat. & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Non obstantibus literis præinsertis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cæterum volumus pariter, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.An 11. die 8. Janv.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Januarii 1666. Pontificatus nostri Anno undecimo.

CLXV.

Quod Fratres Trinitarii Provinciæ Castellæ, Aragoniæ, & Bethicæ, aliarumque Provinciarum Redemptionis Captivorum non possint uti Cappa nigra.

Edita A. D. 1666.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis officio controversias inter viros Religiosos exortas, ne pacis, fraternæq; charitatis serenitatem obnubilent, opportunis rationibus dirimere satagimus, quemadmodum omnibus maturè consideratis arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet dictus Ordo à S. Dominico fundatus proprio, & peculiari habitu decoretur, nempe tunica, & scapulari albis cum capucio pariter albo, & cappa nigra cum caputio item nigro, eumque habitum sub præscriptis forma, colore, modo, & dispositione, publicè, & privatim Fratres Prædicatores deferre consueverint, alioque ab aliis religionibus distinguantur, & ex speciali privilegio decem Romani Pontifices fel. rec. prædecessores nostri severissimè præceperint, ne aliquis sive sit in Ordine, sive extra Ordinem constitutus deferat habitum Fratrum Prædicatorum, aut ita consimilem, quód propter eum Frater Prædicator credi possit, absque speciali Apostolicæ Sedis mandato addito decreto irritanti, si quid in contrarium factum fuerit, & committendo Diœcesanis locorum, ut per censuras Ecclesiasticas, omni appellatione postposita, cum requisiti fuerint, compellant quemcumq; ad eum deponendam prout ex eorumdem prædecessorum nostrorum literis Apostolicis desuper expeditis constare dicitur.

§. 2. Nihilominus Provinciæ Castellæ, Aragoniæ, & Bethicæ Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum contra tenorem tot Constitutionum Apostolicarum, imò, & contra usum majoris partis Provinciarum suæ Religionis cum suo Capite Ministro Generali mutavere habitum album primitivum suæ Religionis, & deferunt cappas, & caputia nigri coloris in nullo dissimilia ab illis, quibus utuntur Fratres Prædicatores, præterquam in signo Crucis, quod minimè, aut parum discernit eos à Fratribus Prædicatoribus, nec facit quin habeantur pro Fratribus Prædicatoribus: contendentes usum cappæ, & caputii nigri coloris sibi esse licitum per modificationem Regulæ factam à rec. me. Clemente Papa IV. prædecessore pariter nostro sub dat. Viterbii 7. Idus Decembris anni 1267. & per concessionem factam per litteras Pœnitentiariæ Apostolicæ sub piæ mem. Pio Papa IV. etiam prædecessore nostro sub dat. Romæ 5. Nonas Julii Pontificatus ejus anno primo, in quibus (ut asserunt) concedatur color brunus in cappis. Et quoniam hoc est liberè dictum, quia talis permissio non solum non reperitur in prædicta modificatione, imò in eadem præcipitur contrarium, quia in illa solummodò leguntur hæc Verba, Vestimenta sint lanea, & alba, ut constat ex regesto originali in Archivio Apostolico Vaticano existente, & hoc aliàs à similis rec. Innocentio Papa III. in primitiva Regula dispositum erat per ejus literas, quarum initium, Operante divinæ dispositionis clementia, datas Laterani 6. kalen. Januarii 1198. Pontificatus sui anno primo; Et in præcitatis literis Pœnitentiariæ Apostolicæ permittitur Provinciæ tantùm Castellæ usus bruni coloris determinati illius, nimirum, qui in illis partibus vulgò dicitur, Buriel, in vim cujus assertæ permissionis, sive proprio arbitratu, sive alias prædicti Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis addiderunt Regulæ, & Constitutionibus in locis ubi tractatur de vestimentis Fratrum aliquas clausulas in grave dictorum Fratrum Prædicatorum præjudicium, & contra dispositionem tot Summorum Pontificum, & signanter in Reg. num. 6. §. Vestimenta ad illa verba, Excepta, & in eodem Text. relato cap. 14. titulo de vestitu, & honestate habitus, & in declaratione ejusdem Tex. cap citato §. 2. ad illa verba, Sed in modificatione usque ad fin. §. & in cap. 16. titulo de signis in habitu ponendis. Text. 8. §. primo, ad illa verba, Sed neque cappa.

§. 3. Nobis propterea memoratus Magister Generalis tàm suo, quam totius sui Ordinis Prædicatorum nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem de mandato nostro pluries partibus auditis, maturè discusserunt, & examinarunt, consilio, visisque per eosdem Cardinales Brevibus Apostolicis, & signanter Regesto Originali literarum prædicti Clementis IV. prædecessoris quarum initium, In Ordine vestro, sub Dat. Viterbii 7. Idus Decembris 1267. Pontificatus sui anno tertio, necnon privilegiis, scripturis, & instrumentis hinc inde exhibitis, aliisque videndis, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus non licere Fratribus Trinitariis, tàm dictarum, quàm aliarum quarumcumque Provinciarum uti cappa nisi albi coloris, excepta tamen Provincia Castellæ, in qua ad præscriptum litterarum Pœnitentiariæ Apostolicæ memorati Pii Quarti prædecessoris sub Dat. Romæ 5. Nonas Julii Pontificatus ejus anno primo, licere uti cappa coloris bruni ejus nimirum qui in illis partibus, vulgo dicitur Buriel, non autem nigri coloris, & ad tenorem præsentium literarum corrigendas esse Regulam, & Constitutiones dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis respectivè in locis, textibus, capitulis, & declarationibus in quibus tractatur de vestimentis Fratrum.

Executores deputat.

§. 4. Ut autem earumdem literarum executioni firmius consulatur, auctoritate prædicta committimus, & injungimus Ordinariis locorum, ut quoties pro parte dictæ Religionis Prædicatorum fuerint respectivè requisiti, seu quilibet eorum fuerit requisitus, Fratres dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, qui cappam nigri coloris, seu alia contra præsentium literarum formam deferre præsumpserint, ad ipsam deponendam per censuras Ecclesiasticas, aliaque juris, & facti remedia, omni appellatione postposita (invocato etiam quatenus opus sit brachii sæcularis auxilio) per se, vel per alios dicta auctoritate cogant, & compellant salva tamen semper in præmissis auctoritate

Con-

Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, & dicto Ordini Prædicatorum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus in contrarium deductis, etiam speciali expressione dignis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, ejusque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P. A. 11. die 8. Febr.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Februarii 1666. Pontificatus nostri Anno undecimo.

CLXVI.

Bulla, seu Literæ Decretales Canonizationis Sancti Francisci de Sales Episcopi Genevensis.

Vide ad Constit. 55. hujus Pontif. in qua habetur Canonizatio S. Thomæ de Villanova Archiepiscopi Valentini.

Edita An. D. 1666.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesia Catholica, etsi compluribus munita præsidiis, firmata propugnaculis, & armata militibus Inferorum insultantium portas non reformidat; eo tamen post Christi merita potissimum sustentatur auxilio, quòd Servorum Dei sanctitas assiduò subministrat: nam cum hoc veluti ingenitum mortalibus sit, ut exempla magis, quàm documenta sequantur, mirum est, quantum alterum ex his in Ecclesia Domini proficiat. Idcircò Christus JESUS verus Dei, verusque hominis filius unum atque alterum pro duplicis suæ naturæ hypostasi ineffabiliter adimplevit. Hinc illius verba, si quando doctrinam loqueretur, doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me Patris: & hæc alia si quando agenda proponeret, exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita, & vos faciatis.

Sancti habetur veluti lumen mundi.

§. 1. Quæ cùm ita se habeant, antecessores nostri Spiritu Sancto instructi laudabilem in Ecclesia morem induxere, nempè in excelso loco sanctitatem constituendi, ut veluti lumen illius lucis Vicarium, quæ de se dixit: Ego sum lux mundi, & qui sequitur me non ambulat in tenebris, non submodio absconditum, sed in candelabro elatum luceat coram hominibus, eosdemq; à veneratione ad imitationem via strata ad Cœlestis, & triumphantis Hierosolymæ nunquam interituras delicias dirigat, inferatque. Et sanè viros de Christiana Republica, morum sanctimonia, & fidei prædicatione benemeritos, debitis hoc est divinis honoribus non prosequi, quicquid sibi velit impietas indecorum, ac justitiæ absonum haberetur.

Franciscus de Sales inter Sanctos refertur.

§. 2. Nos igitur his de causis veterem Romanorum Pontificum consuetudinem secuti, post fusas ad Deum preces, auditasque Venerabilium fratrum nostrorum sententias inter nomina Catholicæ Ecclesiæ veneranda Franciscum de Sales Episcopum Genevensem doctrina celebrem, sanctitate admirabilem, ætatique huic nostræ contra hæreses medicamen, præsidiumq; referre Numine inspirante decrevimus.

Ejus infantia describitur.

§. 3. Natus est Franciscus duodecimo kal. Sept. Anno reparatæ salutis sexagesimo septimo supra millesimum, ac quingentesimum, ablutusque sacro Baptismatis fonte in Oppido Salesiano Ducatus Sabaudiæ Geneven. Diœces. suæ Domus hæreditario ab ipsis incunabulis nobilitate conspicuis pietatem hausit, infantiamque non more solito inter crepundia, sed agente pietatis spiritu inter Altariola, quæ sibi ipse adornaverat suæ præludens sanctitati angelicæ exegit; tantumque charitatis erga pauperes concepit, ut nisi aliquid illis erogaret, in lachrymas se effunderet. Ab infantia ad pueritiam per pietatis simul, ac sapientiæ gradus evasit, orationi vacabat inter studia literarum; non fora, sed templa solitus invisere, & effugiens commercia improbitatis, nonnisi semina probitatis, vel excipiebat, vel ferebat. Inde sacro Chrismate roboratus ad altiora tùm virtutis, tùm doctrinæ ornamenta complectenda se contulit, ut opportunius, atque utilius divinæ gratiæ instrumentum fieret. Sortitus enim animam bonam eandem optimam reddidit accuratiore studio: tùm literarum, tùm morum.

Pueritia insignis.

Humanioribus literis in Collegio Annessien. perceptis Philosophiæ, Theologiæque arcana in Academia Parisiensi, didicit, non sine ingenti virtutum, ac sanctimoniæ profectu; nam simul frequentabat Soliditatem Deiparæ addictam in Gymnasio Societatis JESU, ibique non solum octavo quoque die sacra Mensa animam reficiebat, sed omnia pietatis exercitamenta exhibebat, præsertim ea, quæ adcultum ejusdem Deiparæ pertinebant, adeò ut ante ejus simulacrum, quod in æde Sanctæ Mariæ Græcorum colitur, supplex votum perenne virginitatis nuncupaverit. Hoc voto veluti pharmaco salutari roboratus, ad Jurisprudentiam capessendam accessit Patavium, ubi non unam sensit voti opem elusis artibus nonnullorum condiscipulorum, qui per impudentiam illi obtulerant, impudicarum mulierum illecebras quas & saliva in illarum faciem conjecta, & mente constanter repugnante, dejecit. Absoluto studiorum curriculo Romam se contulit, ut antiquæ ibi vigentis pietatis vestigia recognosceret, atque novis moribus exprimeret, & nactus par suæ religioni, ac fidei theatrum, traxit è Cœlo incredibilem spiritum ad perficiendam omni ex parte molem sanctitatis ab infantia inchoatam, & in juventutis æstu, non modo conservatam, sed auctam.

Votum Virginitatis emisit.

§. 4. Igitur sui, & mundi victor in patriam remigravit, ut fructus legeret literarii laboris; nec spem fefellit, aut suam, aut Civium: certè Granerius id temporis Episcopus Genevensis, eo conspecto, illico præsensit messem, quam ejus adventus, afferebat, exclamavitque divinans non sine gaudio habere se jam successorem suum. Statim ei patuit liber campus, amplissimusque ad animas excolendas, quò sponte ferebantur, quamvis enim ut Parenti obsequeretur, Advocatorum supremorum partes susceperat, mox ubi sensit se ad nuptias per votum abdicatas vocari, abjecit Senatoriam togam, & Sacerdotio per omnes sacri ordinis gradus initiatus, majoris Ecclesiæ præpositus Annes-

Sacerdotio insignitur.

ssi renunciatus est, illud semper in ore, & mente repetens, quicquid pro æternitate non est, vanitas est, omne studium convertit ad æternitatem, ubique ferendam: Instituta Societate Sanctissimæ Crucis de pœnitentibus, adductis ad Ecclesiæ Catholicæ gremium magni nominis hæreticis: & præterea sumpto divini verbi gladio, quo armatus ac potens, Episcopo jubente, adorsus est hæresim Calvinianam in Caballicensibus, aliisque finitimis populis grassantem. Incredibile dictu, quo animi ardore, qua pectoris constantia, qua mentis alacritate, quam firma in Deum fiducia, quam robusta in proximum charitate pugnaverit, ac vicerit: Ferunt, eum ex vertice Arcis Allingianæ aliquando conspexisse enormem Catholicæ Religionis stragem, quam in subjectis circum terris hæresis ediderat, ac tanto fuisse pietatis studio agitatum, ut emisso cordis altissimo suspirio non potuerit sibi temperare, quin mox Tononum ejus Provinciæ caput se contulerit, ibique erecto veritatis vexillo per patientiam, & doctrinam omnibus omnia factus jacentem Religionem sustinuit, & dominantem impietatem fregit, ac dejecit, quasi alter David. Sed illud imprimis egregiè gessit, quod nusquam, nec unquam negotium fidei desperaverit, sed major laboribus impedimenta omnia si non poterat tollere vel effugiebat, vel eludebat. Prohibitus Tononi sacrum conficere, in Arcem Allingianam memoratam quatuor milliaribus distantem quotidiè ibat, ut ibi sacrificaret, atque eadem de causa flumen Druentiæ trajiciebat singulis diebus per trabem glacie concretam, manibus, ac pedibus repens. Vexatus calumniis, & ubique tanquam publicæ quietis perturbator, seductor populorum, & planè veneficus conclamatus, nullo infamiæ metu, nullo insidiarum strepitu, nullo vitæ discrimine adduci potuit, ut tentatam fidei catholicæ restitutionem, aliqua ratione omitteret, neque usquam adhibuit in consilium eam, quam prudentiam humanam, seu nominis æstimationem vocant, sed evangelici dicti memor, cum haud liceret, palam apertèque vivere, ac fidem contestari in obvias ubique latebras sese abdebat, ut post modicum silentium insurgeret adversus hæresim vehementiùs, nunc in furnis, nunc in maceriis, nunc in horroribus sylvarum, nunc in profundo, altissimoque gelu continebat impetum zeli, absconditus, velut in Domini Tabernaculo: quo insidiantibus hæreticis, incompertus validiùs insultaret.

Contra Hæreticos adorsus est.

§. 5. Indè animo excelso, sublimique manifesta mortis sibi intentatæ argumenta irridens abnuebat perfidia, & custodiam militum, adeò ut rogatus à Barone Ernanciano Arcis Allingianæ præfecto, ut nonnisi militari manu stipatus ex Arce prodiret, responderit non alio militum satellitio esse opus, quam eo quod divina providentia destinaverat, imo cum idem assereret hæreticos vi coercendos, ostentaretq; tormenta, bellica, & militare subsidium; quo posset Franciscus uti ad eosdem hæreticos, vel comprimendos, vel ad meliorem frugem revocandos ingenuè professus fuit, quàm altè de divini verbi potentia sentiret, affirmans, opus non esse machinis, ubi Deus ejus verbum audiri permitteret, neq; Deus tantam ejus fiduciam fraudavit: nam cum Sicarii complures immissi ad eum de medio tollendum, tandem Franciscum nacti strictis gladiis cædem facturi in eum irruissent, ejus præsentia, & lenitate permoti, dejecti, & exarmati fuere: nunquam enim Deus eos sinit cadere, qui spe divinæ providentiæ fidem sustinent. Proptereà de Cœlesti patrocinio jam ob innumera experimenta certus, maluit agere Dei causam, quam exequi imperium parentis, à quo jubebatur vitæ tot insidiis appetitæ consulere, suamque domum repetere, ubi per quietem ac securitatem fas erat Deo, superisque liberiùs vacare.

Sicarii immissi ad eum occidendum, ejus lenitate permoti, exarmati fuere.

§. 6. Quin studiosiùs, accuratiusque in Ecclesiæ defensionem incubuit, & cum voce prohiberetur, adjuvare populorum fidem, cœpit ex scripto, pluribus confectis libellis, evulgatisque thesibus intimè hæresim percellere, tantumque effecit, ut Tononi Parochiam erexerit, & paulòpost cum insigni Religionis Catholicæ incremento plures ad veritatis lumen viros doctrina celebres, quorum præcipuè auctoritate mendacium nitebatur, adduxerit. In hoc tamen fidei augumento prudentiæ modum retinuit, ne liberiùs agens aucta perderet: Itaque Curionis partes agens, & Eucharistiæ Sacramentum ad Catholicos in vitæ discrimine positos deferens, ne quid injuriæ Sacrosanctæ Eucharistiæ sectarii inferrent; eam gestabat argentea theca inclusam è collo pendulam; ipse interim pileo tectus, pallio circumvolutus, gravi passu neminem de via salutans, venerandus incedebat.

Parochiam Tononi erexit.

Eucharistiam infirmis in theca inclusa deferebat.

Hisce artibus præstans, jussus fuit à Clemente VIII fælicis recordationis prædecessore nostro adire Theodorum Bezam Calvinianæ hæresis acerrimum ministrum, ac propugnatorem, & cum solo solus agere, ut ea ove ad Christi ovile reducta complures alias revocaret, quod sanè eximiè Franciscus præstitit. Genevæ non sine vitæ periculo cum Beza congressus, qui tamen ut ex merito confutatus veritatem fassus est, ita ex scelere arcano Dei judicio, indignus fuit, ad Ecclesiam rediret.

Hæresim Bezæ confutavit.

§. 7. Interea Tononum, & circumjectam regionem dira lues invasit cum enormi Civium clade, in qua Franciscus tàm amanter, tàm constanter; tàm industriè corpora, animosq; tùm subsidiis, tùm documentis procuravit, ut omnibus, & stupori, & amori fuerit: præsertim cum omnia pecuniæ adjumenta, præcipuè ab Episcopo Granerio impartita recusasset. Quapropter Episcopus his certissimis sanctimoniæ indiciis compulsus, eum sibi Coadjutorem Episcopalis curæ destinavit, rogavitque memoratum prædecessorem nostrum Clementem, ut Franciscum, quem Romam ob Catholicæ fidei negotia mittebat, hujusmodi dignitate ornaret: quod idem Clemens libentissimè præstitit, cognitaque ejus doctrina per examen de more interrogata, eumdem ad pedes devolutum amplexans his verbis dimisit. Vade fili, & bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, in plateis aquas tuas divide.

Præficitur Episcopus.

§. 8. Igitur hoc ornamento tanquam novo, & potentissimo præsidio instructus, in omne studiū amplificandæ Religionis Catholicæ & hæresis imminuendæ sese effudit. Annesium regressus, omnia solus obire loco Episcopi absentis, instituere Seminarium, ac Sanctam Domum Tononi erigere artium officinam, & mercium emporium, ut Cives, & finitimos à Genevensium commercio averteret, gnarus populos maximè corrumpi per commercia cum impiis habita: neque illi nova exercenda constantiæ argumenta defuere. Inimicus zizaniarum sator excitaverat inter Gallos, & Sabaudos bellum, cujus occasione usi Genevenses hæretici, specie auxilii, quod Gallis afferebant, Chablasio, & Torniaco occupatis, indè Curiones Catholicos expellunt; ac præterea missis in Pagos, & finitima Oppida Calvinianæ hæresis Prædicantibus venenata semina ubique jaciunt, & Catholica sata excindunt: Quod ubi Franciscus advertit, non immemor illius divinæ sententiæ: si consistant adversum me castra non timebit cor meum, si insurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo; Fortiter, ac religiosè irrumpit in castra, ductusq; à militibus more bellico ad Vitriacum Regiarum excubiarum Præfectum, ab eo exceptus per quam honorificè fuit, ac dimissus cum regiis literis, quibus præcipiebatur, ne quicquam in religionis negotio innovaretur; quicquid verò novi inductum foret, in pristinum revocaretur.

Contra Calvinistas decrevit.

§. 9. Neque contentus hac victoria, per quam

Plurimos hæ

reticos Ecclesiæ subjecit.

amissa revocaverat, aliam retulit, per quam damna intulit hæresi, religioni verò incrementum attulit. Cum enim ager Gexensis sub Gallorum dominio esset, ad Regem Lutetiam se contulit, ab eoque literas obtinuit, quibus liceret ipsi eo in agro habere de catholica veritate conciones, quarum gratia, & efficacitate plurimos Ecclesiæ subjecit. Valebat enim summa, & efficacissima dicendi potentia, quam illi è Cælo conciliaverat, summa cordis innocentissimi sanctitas, adeò ut Christianissimus Rex neminem ad Jacobi Regis Angliæ animum conciliandum, atque ad veritatem flectendum aptiorem Francisco existimaverit, & Paulus V. prædecessor noster fælicis recordationis aliquot post annos eumdem allegaverit ad componendas discordias, quæ subortæ fuerant inter Albertum, & Claram Eugeniam Archiduces, & Clerum Comitatus Burgundiæ.

Defuncto Episcopo Granerio integras Episcopi partes suscepit.

§. 10 Quamvis autem ardentissimum fuerit ejus in procuranda re catholica studium, dum Coadjutor fuit, laxavit nihilominus universas habenas charitati, cum audita hinc parentis, Episcopi Granerii morte quorum primi potestas quotidie ad domestica revocabat, & alterius reverentia, ne quid nimium sibi arrogare videretur, cohibebat: concessam sibi eandem quocumq; pietas impelleret, eundi facultatem cognovit. Sic plena potius auctoritate, integras Episcopi partes suscepit, cavere ne grex, ac Diœcesis improborum, hæreticorumque more luporum insidiantium incursibus pateret, ordinare Clerum, statuere familiam religiosis moribus compositam, Sanctorum Patrum, veterumq; Episcoporum exempla sibi proponere, cuncta Episcopalis vitæ momenta suis virtutibus, functionibusque animare, Synodum cogere, Ecclesiasticæ disciplinæ leges, vel restituere, vel sancire, ac potissimum catholicæ religionis sinceritati consulere, qua mores catholicorum informando, qua sectariorum dogmata evertendo; qua deceptas oves, ad ovile reducendo: quod adeò offendit Calvinianos pseudoministros, ut cum duos nobiles viros Gexenses ad Ecclesiæ gremium evocasset, illi rabie, ac furore acti venenum ei propinaverint; quod tamen irritum fuit; implorata per votum Deiparæ ope, & tantum absuit, ut propterea incepto desisteret, ut constantius desudaverit in concionibus habendis, quarum vi Divione, Gratianopoli, Parisiis, & alibi plures insignes viros fidei catholicæ restituit, ac præcipuè Claudium Buccardum Lausannæ publicum Theologiæ Professorem, Franciscum Ducem Dignerianum Delphinatus Proregem, Barberium, & Jacobum Philippum celebres Calvinianæ sectæ pseudoministros. In his autem concionibus, ut constaret à se nonnisi animarum salutem quærit pecuniam, quæ esset vel loco alimenti, vel excellentiæ testimonio recusavit omnem, nullo principum offerentium respectu, & tàm generosè, ut Ducissæ de Longavilla peram aureis plenam impertienti palam, cum respueret, dixerit gratis dandum, quod gratis accipitur, nec ullam expetendam pro fidei præconio mercedem, præter pretiosam illam, quam cultoribus vineæ promisit Dominus.

Insignes viros fidei catholicæ restituit.

Eleemosynarius pauperũ fuit.

§. 11. Notum est enim cum magni Eleemosinarii munere apud Christianam Sabaudiæ Ducissam fungeretur nil præter hujus nominis dignitatem voluisse, & non solum quicquid honorariæ merce dis solitum erat dari modestissimè recusasse verum etiam pretiosissimum adamantem valoris quingentorum nummorum ab eadem Christina Ducissa dono acceptum pauperibus destinasse iis verbis usus:hoc pro pauperibus nostris Annessiensibus bonum erit.

§. 2. Sed ejus constantia debuit gravioribus ex experimentis muniri, ut fides probaretur. Duo enim sunt, quæ maximè fidem concutiunt, damnum, & lucrum: utrumque illi propositum roboravit, fidem non infregit.

§. 13. Jussus à Gallorum Rege Gexium ire, & cum Barone Luxensi Regio in Ducatu Burgundiæ Locum tenente de religionis catholicæ usu, exercitioque in eam Regionem inducendo agere, cum Rhodanus, qui trajiciendus erat, ut Gexium peteret imbribus exundans certum afferret vitæ discrimen Genevam intrepidè pertransiit, nec habitu Episcopi deposito, nec Episcopi Diœcesis nomine dissimulato, unica tantum orationis armatura munitus, atque inde post horam discedens, Gexium appulit. Impii homines, ut hoc religionis negotium turbarent, statim apud Ducem Sabaudiæ accusant Episcopum, quod de transferendis in Regem Gallorum Civitatis Genevensis juribus pertractaret, quæ calumnia primò locum non habuit, postea admissa Senatui suasit, ut vel ad pœnam, vel ad terrorem decreto edito bona Episcopi publicata in ærarium Principis referret; nihil tamen edicto commotus ipse hoc unum respondit non eam sibi, ut credebatur injuriam irrogari, sed ita à Deo admoneri, quod vellet undique spiritualem, quem temporalibus destitui permitteret. Quibus verbis Senatus concussus veniam petiit, eique omnia restituit. Hæc enim Dei lex est, ut fides dum damna patitur per damna nobilitetur. Neque minus lucri fulgorem, quamvis specie boni splendidum contempsit, dum Coadjutoris Parisiensis munus ea de causa illi oblatum, quod pinguiori redditu abundaret ad paupertatem sustentandam respuit, illud oraculum opponens Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi collocavit.

Amissio bonorum ejus fidem non infringit.

§. 14. Cum tale, ac tantum fidei fundamentum jecisset, mirum non fuit si perfectissimam, & omnibus virtutibus absolutam sanctitatis molem ad supremum usque apicem extulit, etsi Ecclesia communi consensu Sanctorum insignia, & prærogativas tanto viro attribuere non dubitet pauperum erat eximius amator, eorumque indicem secum deferebat, semper ad eos præsertim sublevandos maximè intentus, quos pudor, ac rubor deterrebant. Abstinentiam verò, ac frugalitatem, tàm in victu, quàm in vestitu severè retinuit, ut & sibi modum statueret, ac largius aliorum inopiæ subveniret; namque hoc veræ charitatis ingenium est sibi detrahere, aliis addere; sic mensæ imposita fercula ad pauperes ablegabat; subligacula, interula: similesque pannos sibi demptos ad aliorum operimentum traducebat, immò suppellectilem argenteam, candelabra, urceolos, annulum ipsum Pastoralem oppignoravit, ne pauperes dolerent, dotem puellis, quàm poterat amplam erogabat, ne ipsarum pudicitia periclitaretur. Peregrinos, ac Religiosos viros, tamquam fratres domi excipiebat, omnes demum egestate pressos non contracta manu solabatur, & tàm copiosè, ut cum regionem latè fames, ac alimentorum inopia invasisset, neminem stipe frustratum prætermiserit, singulis egenis familiis certa tritici copia attributa: & ex eo excrevit hæc juvandi cupiditas, ut cum nactus esset hominem mutum, ac surdum omni ope destitutum non modo eum recreaverit iis subsidiis, quibus vita sustentatur, sed domi suæ educatum, qua nutibus, qua gestibus (ingeniosa enim pietas est) informarit ad æternam salutem: Sicque cætera virtutum genera exercuit, charitatis æstu succensus, ut septuaginta hæreticorum millia Ecclesiæ Catholicæ subjecisse sit fama vulgatum.

Pauperum erat eximius amator.

Septuaginta hæreticorum millia Ecclesiæ Catholicæ subjecit.

§. 15. Ex hujus charitatis officina volumina prodierunt, quorum documentis irrigata populorum, ac nobilium virorum pectora affluentem Evangelicæ vitæ messem peperere. Ex hujus etiam charitatis altissima disciplina emanarunt leges tot sodalitatum ab ipso institutarum Augustissimi Sacramenti, Beatissimæ Virginis de Puritate, Eremitarum in Monte Vaironensi, præsertimque Or-

dinis

dinis Sanctimonialium Visitationis B. MARIÆ sub Regula Sancti Augustini, cujus splendor tantum illuxit, ut intra modicum temporis intervallum ad centum supra triginta Monasteria sit propagatus. Hujus demum charitatis stimulis planè perennibus agebatur ad suæ Diœcesis commoda, diu, noctuque omni sollicitudine procuranda, in qua lustranda, dum laborat, atque Annesium regreditur, Lugduni, sacro celebrato vehementi apoplexia correptus, atque Ecclesiæ Sacramentis per summam pietatem, humilitatemque refectus fidei professione emissa, repetitis non semel iis verbis, servus inutilis sum, voluntas Domini, non mea fiat. Deus meus, & omnia: Proximo die Sanctis Innocentibus sacro, dum in litaniis ipsi Sancti Innocentes invocabantur innocens ad regna cælestia translatus est anno ætatis quinquagesimo quinto, & reparatæ salutis vigesimo secundo supra sexcentesimum, & millesimum.

Varia sodalitia præcipuè Monialium instituit.

Obiit Lugduni.

§. 16. Placuit autem Altissimo, qui mirabilis est in sanctis suis tantæ Sanctitatis virum non modo per venerationem, cultumque populorum nobilitate, sed etiam compluribus signis, ac miraculis illustrare, ut vivens, ac mortuus humano generi prodesset. Itaque constat per acta publica auctoritate nostra, & Sacræ Rituum Congregationis confecta, & diligenter expensa Hieronymum Gemin aqua obrutum, cum jam ejus cadaver fœtens sindone involutum efferebatur revixisse, sustulisse brachia, & loqui cœpisse, magnificando Salesium, qui sibi tunc in ipso redeuntis vitæ momento Episcopali habitu indutus benigno, ac splendido vultu adesse visus est, non sine aliis ingentibus miraculi additamentis.

Sequuntur miracula.

Mortuum suscitavit.

Claudium Marmon cæcum natum septennem, cujus oculi facultate videndi prorsus destituebantur, cum novendiali prece absoluta ad ejusdem sepulchrum procumberet, usum luminis accepisse.

Cæcum natum illuminavit.

Joannam Petronillam Eurax quinquennem paralysi laborantem, quamvis coxis, cruribusque arida ad motum planè inepta crederetur, eamet hora, qua pater ad Francisci tumulum opem implorabat ad matrem incolumi corpore, & festivo gradu prorupisse.

Paraliticum sanavit.

Claudium Juliard paralysi pariter afflictum, sed innata, & decennali, usque utriusque coxendicis, ac cruris destitutum tertia vice à matre delatum ad Francisci sepulchrum deosculandum momento temporis, membris, quæ inhabilia erant, corroboratis surrexisse, stetisse, & ambulasse.

Mortuum suscitavit.

Franciscam de la Pesse demersam flumine vitæ restituisse, livore, tumore, deformitatisque notis mirabiliter detersis.

Jacobum Guidi nervis contractum, & planè ab ipso ortu impotentem subito sanatum.

Carolum Moteron etiam ab ipsa nativitate impeditum membris, ac toto corpore difformem subito exemptum, ac perfecta humani corporis forma accepta, gressum movisse.

§. 17. Quapropter ejus vitæ sanctissimæ meritis postulantibus, ac rogantibus charissimis in Christo filiis nostris Ludovico Galliæ Rege Christianissimo, & Anna ejus Matre Vidua, ac Enriquetta Maria Angliæ Reginis, & dilectis filiis nobilibus Viris Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce, & Pedemontium Principe, ac Christina ejus Matre Ducissa Sabaudiæ Vidua, ac Francisco Maria, ac Adelaida Duce, & Ducissa Bavariæ, necnon Clero, Principibus, & Magnatibus Regni Galliarum, ac universo Ordine Monialium Visitationis Beatæ MARIÆ Virginis post ejusdem Francisci de Sales Beatificationem die 28. Decembris anni 1661. publicè in Sacrosancta Basilica Principis Apostolorum Missæ sacro peracto celebratam annuimus, ut ejusdem Canonizatio haberetur. Et cum jam nihil deesset eorum, quæ huic Sacrosanctæ functioni necessaria sunt ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto: Tandem justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, hodie in Sacrosancta Vaticana Basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus; Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus nostris Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenimus post trinas pro Canonizationis decreto Nobis per dilectum filium nobilem Virum Carolum Ducem de Crequy apud Nos Regis Christianissimi Oratorem pro parte ejusdem Regis porrectas petitiones, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces Spiritus Sancti gratia ritè implorata.

Postulatio Canonica.

§. 18. Ad honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicæ, & christianæ Religionis augumentum auctoritate Domini nostri JESU Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Franciscum de Sales Episcopum Genevensem Sanctum esse decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum cathalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus, & adscribimus. Statuentes ab Ecclesia Universali quolibet Anno die 29. Januarii memoriam ejus inter Sanctos Confessores Pontifices pia devotione recoli debere, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Sanctorum Cathalogo adscribitur.

§. 19. Parique auctoritate omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis dicta die 29. Januarii sepulcrum, in quo ejus corpus asservatur visitaverint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Indulgentia.

§. 20. Quibus peractis gratias, laudesque Deo optimo maximo reddituri, quod Sancto Francisco de Sales Episcopo Genevensi cultum, præconia, & honores ab Ecclesia Sanctis Pontificibus, & Confessoribus præstari solita à Nobis decerni voluerit hymno Te Deum laudamus decantato, orationeque à Nobis recitata ad Altare Sancti Petri Missam de more solemniter celebravimus die Dominica secunda post Pascha additis secunda oratione propria de Sancto Francisco; & secreta, ac postcommunionem de communi Sacerdotis Pontificis, omnibusque Christi fidelibus ibidem præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concessimus.

Gratiarum actio.

Deum itaque, qui mirabilis est in Sanctis suis benedicimus, quia suscepimus misericordiam in medio templi ejus, dum novum Nobis in Ecclesia apud Divinam suam Majestatem patronum, & intercessorem concessit ad ejusdem Ecclesiæ tranquillitatem, Fidei Catholicæ incrementum, hæreticorumque à via salutis errantium lumen, & conversionem.

Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca ubi opus esset deferri: Volumus, ut earum exemplis etiam impressis manu tamen publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 21. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario

rario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat.P.An 12 die 12. Maii Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Tertiodecimo Kal. Maii Pontificatus Nostri Anno undecimo.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†
† Ego Franciscus Episc. Portuensis Card. Barberinus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Martius Episcopus Sabinensis Card. Ginettus.
† Ego A. Barberinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Antonius S. R. E. Camerarius.
†
† Ego Jo. Baptista Episcopus Albanen. Cardinalis Pallottus.
†
†
†
† Ego F. Maria tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Brancatius.
† Ego Uldericus tituli S. Mariæ Transtiberim Card. Carpineus.
†
† Ego Steph. tit. S. Laurentii in Pane Perna Card Duratius.
†
† Ego F. Vincentius Maculanus Ordinis Prædicatorum tit. S. Clementis de Florentiola Card. S. Clementis.
†
†
†
†
† Ego Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum Card. Ludovisius M. Pœnitent.
†
† Ego Federicus tit, Sancti Petri ad Vincula Cardinalis Sfortia.
† Ego Benedictus tit. Sancti Honuphrii Cardinalis Odescalcus.
† Ego Laurentius tit. SS. Quirici, & Julittæ Cardinalis Raggius.
† Ego Joannes Franciscus Paulus Gondus titul. Sanctæ Mariæ super Minervam Cardinalis de Rets.
† Ego Aloysius tituli S. Alexii Card. Homodeus.
† Ego P. tit. S. Marci Cardinalis Otthobonus.
†
† Ego Laurentius tit. S. Chrisogoni Cardinalis Imperialis.
† Ego Gilbertus tit. SS. Joannis, & Pauli Cardinal. Borromæus.
†
†
† Ego Jo. Baptista Spada tit. S. Marcelli Cardinal. S. Susannæ.
† Ego Franciscus tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Albitius.
† Ego Octavius tit. S. Ceciliæ Cardinalis de Aquaviva, & Aragonia.
† Ego Flavius tit. S, Mariæ de Populo Cardinalis Chisius.
† Ego Scipio tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalis Delcius.
† Ego Hieronymus tit. Sanctæ Agnetis Cardinalis Farnesius.
† Ego Julius tituli Sancti Sixti Cardinalis Rospigliosus.
†
†
† Ego Sfortia à Soc. JESU tituli S. Salvatoris de Lauro Tard. Pallavicinus.
† Ego Volumnius tituli Sancti Martini in Montibus Card. Bandinellus.
† Ego Petrus tituli Sancti Calisti Cardinalis Vidonus.
†
†
†
† Ego Carolus tituli Sanctæ Anastasiæ Cardinal. Bonellus.
†
†
† Ego Virginius S. Mariæ in Vialata Diaconus Card. Ursinus.
†
†
†
† Ego Franciscus S. Mariæ in Portic. Diaconus Card. Maidalchinus.
† Ego Fridericus Sancti Cæsarei Diaconus Card. de Hassia.
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Carolus Barberinus.
† Ego Carolus Sancti Eustachii Diaconus Card. Pius.
† Ego Decius S. Adriani Diaconus Cardinalis Azzolinus.
† Ego Odoardus SS. Cosmæ, & Damiani Cardin. Vecchiarellius.
†
† Ego Franciscus Maria SS. Viti & Modesti Diac. Card. Mancinus.
† Ego Angelus S. Georgii Diaconus Cardinalis Celsus.
† Ego Paulus S. Mariæ de Scala Diac. Cardinalis Sabellus.
†
†
†
†
†
†

CLXVII.

Indultum deferendi habitum Prælatitium pro Abbate Generali Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis Sancti Augustini.

Edita A.D. 1666.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. DEcet Romanum Pontificem, quem Altissimus universalis Ecclesiæ curæ præposuit, divina dispositione ad ea per quæ personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, præsertim insignium Congregationum Canonicorum Regularium regimini, & administrationi, ac ornamento, divinique cultus celebritati, & decori consulitur libenter intendere, ac in illis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum, & personarum hujusmodi circumstantiis debitè pensatis ad devotionis Christifidelium augumentum, & propagationem, necnon altissimi laude prospicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis Mariæ Lancii Canonici Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, dictæque Congregationis moderni Abbatis Generalis petitio continebat. Quod cum inter Congregationes Canonicorum Regularium Italiæ Congregatio Canonicorum Regu-

rium

larium S. Salvatoris Ordinis Sancti Augustini celebris, ac à Sede Apostolica pluribus favoribus, & gratiis decorata existat, illiusque Abbas Generalis Mitra, Baculo, & anulo Pastoralibus, cæterisque Pontificalibus insigniis utatur, potiatur, & gaudeat plurimum tamen decori, & dignitati Abbatis Generalis dictæ Congregationis videretur convenire ipsum, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales à nobis, & Sede prædicta aliqua digniori prærogativa decorari, & illustrari. Quare pro parte d. Joannis Mariæ moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis fuit nobis humiliter supplicatum quatenus ipsum specialis gratiæ favore prosequi, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolvit à censuris.

§. 2. Nos igitur qui Ecclesiarum quarumlibet & insignium Congregationum decorem, divinique cultus augumentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus eum dem Joannem Mariam modernum Abbatem Generalem, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Joanni Mariæ moderno ejusdem Congregationis Abbati Generali, ejusque successoribus Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus dictæ Congregationis S. Salvatoris prædictis, ut de cætero perpetuo futuris temporibus, tàm in Romana Curia, quàm extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Joannem Mariam, & pro tempore existentes Abbates Generales prædictos pro tempore residere, & morari contigerit, ac in quibusvis visitationibus, capitulis, sessionibus, ac quibusvis actibus, & processionibus, etiam coram nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in Cappellis Pontificiis Mozzettam, & Mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis, una cum Pileo, & Bireto Prælatitiis induere, gestare, & deferre, illisque uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium de speciali gratia perpetuo concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam facultatem, & auctoritatem desuper impartimur.

Concedit pro ut in Rubr.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsum Joannem Mariam, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos super delatione, gestatione, & usu Mozzettæ, & Mantellettæ, Pilei, & Bireti prædictorum, à quoquam, sub quovis prætextu, vel causa; aut occasione nullatenus impediri posse, præsentes quoque nostras literas semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, necnon sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt toties præsentes in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori data per Joannem Mariam, & successores prædictos Abbates Generales pro tempore existentes quandocumque eligenda concessas esse, & fore, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis prædictæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernimus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, & Provincialibus, ac generalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ordinis & Cõgregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus contrariis qui buscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis concessionis, Indulti, impartitionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat P. A 12 die 9. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, octavo Idus Augusti Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

CLXVIII.

Constitutio pro instauratione, ac Reformatione Ordinis Cistercien.

Edita A. D. 1666.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN suprema Sedis Apostolicæ specula dispositione divina constituti Dominicum gregem cælitus nobis commissum circumspicientes, mentis nostræ aciem convertimus in sacrum Ordinem Cisterciensem, cujus odor sicut agri pleni suavitas, cui Dominus benedixit, totam replevit Ecclesiam, & veluti fons hortorum irriguus cæteras irrigavit Religiones, & Ordines; Verùm volventibus annis, non sine magno animi nostri mœrore cognovimus, Ordinem memoratum à primævæ institutionis tramite ob temporum injuriam, & calamitatem non modicum deflexisse, & plurima passum esse in spiritualibus, & temporalibus detrimenta. Quare nos ex debito pastoralis officii singulari zelantes affectu, ad tanti Ordinis instaurationem ac reformationem, divino freti auxilio, nostræ sollicitudinis partes duximus impendendas; *Ut monastica disciplina ubi collapsa fuerit, restituatur, & constantius ubi conservata est, perseveret, unitas servetur in Ordine, & præcisis dissentionibus, ac dissidiis quæ in regno Galliæ inter communis, & strictæ Observantiæ Monachos jamdudum exorta sunt, sincera pax, & mutua charitatis officia benedicente Domino redintegrentur.*

§. 1. Aliàs siquidem per nostras literas in forma Brevis expeditas die 16. Januarii 1662. Pontificatus nostri anno septimo, de voto particularis Congregationis à nobis desuper deputatæ, *quæ scripturas hinc inde datas vidit, & examinavit*, causam ipsius reformationis in statu, & terminis in quibus tunc temporis reperiebatur, à quocumque Tribunali ad Nos avocavimus, ac dilecto filio Claudio Vaussin Abbati Cistercii totius Ordinis Generali, dedimus in mandatis, ut advocaret, seu moneret viros idoneos Ordinis sui tàm ex Gallia, quàm aliunde ad exhibendum infra tres menses dictæ Congregationi particulari deputatæ articulos concernentes dictam Reformationem à nobis institutam, & aliàs ut in memoratis literis pleniùs continetur: *Cumque prædictus Claudius nostris parendo mandatis, Reformationis articulos ad nos transmiserit, idemque præstiterint dilecti filii Abbates strictæ Observantiæ in Gallia multis ab hinc annis introductæ*; Nos hujusmodi articulos utrinque exhibitos Congregationi nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum à nobis desuper institutæ, sedulò, ac maturè examinandos, & expendendos commisimus, quorum quidem articulorum ad generalem reformationem Ordinis Cisterciensis conveniens restrictio, & ad capita

S. Be-

S. Benedicti Regulæ reductio talis est, videlicet.

Circa caput 2. Regulæ, Qualis debeat esse Abbas.

§. 2. Juxta Sacri Conc. Tridentini decreta summa cura satagant dicti Ordinis Abbates, & Superiores, ut à suis utriusque sexus subditis essentialia vota, quæ sunt bases, & fundamenta totius regularis disciplinæ, inviolabiliter observentur. Ipsi verò Abbates, & Superiores forma gregis facti, ex animo exemplum præbeant in omnibus, magistram sequentes Regulam.

§. 3. Habeant Abbates, & Conventus propria sigilla, & teneantur novi Abbates præstare juramentum de non alienandis, & impignorandis bonis Monasterii, ac de pecuniis, & redditibus illius inutiliter non expendendis: Et omnes Officiales idem juramentum præstabunt de suis muniis fideliter exercendis, ac de mutuis non contrahendis, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis.

§. 4. Cùm ad monasticam disciplinam restaurandam, & restitutam conservandam maximè visitationes regulares conducant, Capitulum Generale, Abbas Cistercii Ordinis Generalis, & quatuor primi Abbates, de Firmitate, de Pontigniaco, & Claravalle, & de Morimundo, provideant diligenter ut singulis annis sollicitè, charitativè, prudenter, & cum pietate fiant ad animarum salutem, cultum divinum, votorum essentialium observantiam, & alia quæ ad mores, correctionem, & personarum regularium ædificationem, necnon administrationem, & statum temporalem pertinent. Caveant verò maximè Visitatores ab omni donorum receptione, & etiam ne nimiùm numeroso comitatu, aut familia gravioribus quàm expediat expensis Monasteria onerent; & manducent tempore Visitationis in refectorio cum Fratribus, propter disciplinam servandam.

§. 5. Abbates Regulares etiam perpetui subjaceant visitationi, & correctioni Visitatorum etiam non Abbatum, & ab ipsis ad sufficientem numerum Monachorum debitè, & religiosè nutriendum, ædificiorum reparationes, annuas Ordinis contributiones solvendas, communia Ordinis, & Provinciarum onera substinenda, jurisdictionis suspensione, aliisque Ecclesiasticis pœnis, & censuris servato juris Ordine cogantur.

§. 6. Ad residentiam in suis propriis Monasteriis prout de jure teneantur; nec in Castellis, nec in Grangiis, aut alibi extra septa Monasteriorum suorum commorentur: neque quarumcumque Monialium alterius Ordinis regimen, & visitationem absque expressa Summi Pontificis licentia sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, suscipere audeant.

§. 7. Inter Abbates Regulares, & Conventus aut Officiales Monasteriorum nulla fiat partitio bonorum, fructuum, redditeuum, & proventuum eorum; sed communibus ipsorum usibus deputentur juxtà statutum Benedicti Papæ XII. nisi pro meliori regimine, & utilitate quorumdam Monasteriorum ad impediendas dilapidationes, à Capitulo Generali, vel à comitiis intermediis aliter judicaretur.

§. 8. Procurent tamen Superiores, & Visitatores Ordinis, ut in Monasteriis commendatis quantùm fieri poterit; pensiones Religiosorum, & famulantium in bonis stabilibus assignentur.

Circa caput 3. De adhibendis in consilium fratribus.

§. 9. Capitula Generalia quolibet triennio apud Cistercium celebrentur, eisque omnes Abbates, nisi legitimè impediti, aut ob justas causas excusati, simul, & Abbates à Congregationibus deputati, Procuratores Generales, Visitatores, & Syndici Provinciarum, Collegiorum Provisores, seu Rectores adesse teneantur, de sibi commissis muneribus actis, & per se gestis rationem reddituri & de agendis, aut reformandis in posterum in timore Dei juxtà regularia Ordinis instituta, & Constitutiones Apostolicas tractaturi.

§. 10. Licèt autem soli Diffinitores vocem decisivam in definitionibus condendis habeant, tamen omnes Abbates, & aliæ personæ idoneæ, & de Ordine bene meritæ, judicio Abbatis Generalis, & quatuor primorum Abbatum designandæ, & post electionem Diffinitorum nominandæ, vocem consultivam habebunt.

§. 11. Serventur quoque Constitutiones circa numerum eorum, quos Abbates d. Ordinis venientes ad Capitulum secum ducere olim poterant; nullusque qui non habet jus interveniendi; vel non fuerit vocatus, absque licentia petita, & obtenta ab Abbate Generali, ad dicta Capitula accedere audeat.

§. 12. Et quia in dies multa emergunt negotia, quæ matura deliberatione indigent, quolibet tempore intermedio inter duo Capitula die, & loco per Abbatem Cisterciensem designandis, ipse Cisterciensis, & quatuor primi Abbates conveniant cum aliis ex Visitatoribus Provincialibus Monasteriorum utriusque Observantiæ, Præsidibus Congregationum, Procuratoribus Generalibus, & Syndicis Provinciarum, qui negotia magni momenti agenda habebunt: Et ut celebratio d. Conventus sit omnibus nota, ipse Generalis Abbas eam more solito ante sex menses Præsidibus Congregationum, Visitatoribus Provinciarum, Procuratoribus Generalibus, & Syndicis indicere tenebitur, ut ad Dictam Congregationem accedant, vel mittant, certioresque faciant dictum Abbatem Generalem, & quatuor primos de statu Congregationum suarum: præter quem Conventum nullus alius in toto Galliæ Regno fiat sub quocumque prætextu, nisi à Capitulo Generali fieri concedatur.

§. 13. Visitatores Provinciarum Monasteriorum communis Observantiæ à Capitulo Generali, aut ipso cessante ab Abbate Cisterciensi, de consilio, & consensu quatuor primorum Abbatum, sicut alii publici Officiales, instituantur non solùm ex numero Religiosorum probatorum communis Observantiæ, sed etiam, si ita expediens judicaverint, ex numero Religiosorum strictæ Observantiæ, seù Abstinentiæ, quorum consilio, & opera uti poterunt ad præsentem reformationem instituendam.

§. 14. Item Provisor Collegii Parisiensis, Procurator, Doctores, Regentes, & alii Officiales secundùm Benedicti Papæ XII. Constitutionem, per Capitulum Generale Ordinis, aut eo cessante sicut consuetum est, ab Abbate Cisterciensi Authoritate Capituli Generalis fungente, instituantur, & destituantur usque ad Capitulum Generale, vel intermedium, sive sint ex communi Observantia, sive ex Strictiori.

§. 15. Similiter consultis Provinciarum Visitatoribus supermerita, vel demerita Religiosorum instituantur, & destituantur à dicto Abbate Generali, & quatuor primariis Abbatibus, & aliis filiationem habentibus, respectivè, Priores claustrales, & Confessores in Monasteriis Monialium ad nutum amovibiles, observato moderamine, ut in Monasteriis commendatis strictioris Observantiæ virorum, ac Monialium nullum instituere possint qui non profiteatur abstinentiam: & licèt omnes Ordinis Officiales, & Monasteriorum Priores sint ad nutum amovibiles, attamen quolibet triennio suorum officiorum, & Prioratuum voluntariam dimissionem in scriptis faciant Capitulo Generali, Abbati Cistercii, quatuor primis Abbatibus, & aliis Superioribus à quibus respectivè fuerint instituti, cum facultate tamen eos continuandi in officiis, & prioratibus quandiù ipsos repererint, & judicaverint idoneos.

Circa Caput 6. de Taciturnitate.

§. 16. Laudabilem morem servandi silentium à Completorio usque ad tempus Capituli diei sequentis in omni loco, & semper in locis Regularibus, puta in Claustro Regulari, in Ecclesia, in Dormitorio, in Refectorio, & in calefactorio omnes teneant, cum facultate tamen petendi necessaria, submissa voce absque conscientiæ scrupulo.

Circa caput 8. usque ad 20. inclusivè de forma divini Officii, & modo psallendi.

§. 17. Forma ista exactissimè observetur, & materia ab Ecclesiæ Romanæ usu ad Dei gloriam, & proximi ædificationem sumatur, prout hactenus consuevit Ecclesia Cisterciensis, *cui tanquam matri omnes aliæ Ecclesiæ dicti Ordinis ex charta charitatis, Eugenii III. & Pii V. definitionibus, & praeceptis conformari tenentur*; Ut autem hæc uniformitas in divino Officio persolvendo teneatur in omnibus Monasteriis Ordinis, iisdem ritibus, & cantu, & libris omnibus ad diurnas, & nocturnas horas, & Missas necessariis, secundum prædictam formam Cisterciensis Monasterii omnes utantur.

§ 18. Horis Canonicis, officio Beatæ Virginis, & Defunctorum juxta usus, & consuetudines laudabiles hujus Ordinis in Choro recitandis, & decantandis omnes, & singuli cum cucullis intersint & horas canonicas cum cantu Gregoriano juxta regulam persolvant.

§. 19. Diebus festivis solemnioribus surgent hora secunda post mediam noctem, aliis verò diebus temperatiùs, prout à Capitulo Generali determinabitur. Horis matutinis post Officium Beatæ Mariæ Virginis, & post Completorium, aut aliis horis competentibus vacent, per mediam horam qualibet vice meditationi, & per decem dies exercitiis spiritualibus semel in anno.

Circa caput 22. quomodo dormiant Monachi.

§. 20. Omnes tàm Abbates, quam Monachi, tàm Abbatissæ, quàm Moniales in communi dormitorio recumbant, illis exceptis, quos aut quas ratione officiorum suorum, aut negotiorum, aut ob alias justas causas ab eo excusari oporteat juxta Abbatis, aut aliorum Officialium judicium. Quamvis autem Regula jubeat, & etiam Benedicti Papæ XII. constitutio præcipiat, ut omnes in uno loco dormiant sine cellis separatis; tamen ob majorem modestiam, & vitæ honestatem, sicut longa experientia comprobatum est, & ad consulendum cujuslibet infirmitatibus, dictarum cellarum usus venit tolerandus, dummodo juxta Clementis Papæ VIII. decreta habeat Superior clavem, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit: Nullusque cellam etiam noctu ita claudat, quin à Superiore possit aperiri: Sit etiam in ostio foramen pendula, vel ductili tabula coopertum. Vestiti dormiant omnes cum parvo caputio albo: lectiternia secundùm Regulam in eis disponantur, & supellex talis sit, ut statui paupertatis quam professi sunt Monachi, conveniat: nihil superflui in ea sit, nihil etiam in ea necessarii desit.

Circa Caput 28. de his qui sæpius correcti non emendantur.

§. 21. Observentur Sacræ Congregationis Consilii decreta de Regularibus Apostatis, & ejectis, & juxta illa dumtaxat incorrigibiles è Monasteriis, & Ordine ejiciantur.

Circa caput 31. de Cellerario.

§. 22. Administratio bonorum temporalium secundum Concilii Tridentini decretum fiat per Officiales, prout scilicet eis injunxerit Abbas, ad nutum amovibiles, sicut de omnibus receptis, & expensis coram Abbate, seù Superiore, & senioribus domus fidelem teneantur reddere rationem, pecuniæ verò omnes ab uno Bursario per Abbatem, aut Superiorem de consilio Seniorum stabiliendo serventur in arca sub tribus clavibus, quarum una apud Abbatem, aut Superiorem maneat, aliam custodiat senior domus, tertiam verò ipse Bursarius. Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conventus, etiam nomine Conventus, per seipsum habere, seù exercere possit, sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tanquam Depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet, alius de pecuniis, ac rebus à Depositario acceptis Superiori, & Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Superiore, non secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam veluti bonus dispensator provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.

Circa Caput 33. si quid debeant Monachi proprium habere.

§. 23. Observetur ubique vita communis juxta Concilii Tridentini, Benedicti Papæ XII & Clementis VIII. decreta, nec cuiquam Regularium tam virorum, quàm mulierum d. Ordinis liceat aliqua bona tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, nec fas sit Superioribus alicui Regulari concedere bona stabilia, aut certi bladi, panis, vini, vel pecuniæ pensiones dare etiam prætextu contractuum initorum, vel ineundorum inter Monachos communis, & Strictioris Observantiæ, quos Sanctissimus Dominus noster Alexander VII. declaravit per suas in forma Brevis litteras de die octava mensis Martii anni 1660. nullos, irritos, illicitos, & paupertati religiosæ contrarios; sed omnia omnibus sint communia, & dentur unicuique secundum cujusque Monasterii facultates, regionum qualitates, omnia necessaria tùm ad victum, tùm ad vestitum, sive sano, sive ægro, sive seni, sive juveni, sine ulla personarum exceptione, & habita tantum ratione necessitatis.

Circa caput 39. de mensura ciborum.

§. 24. Qui abstinentiam à carnibus amplexi sunt, aut in posterum amplectentur, illam exactè retineant, & nemini illorum liceat ad communem ipsius Ordinis observantiam transire, nisi petita, & obtenta facultate à Summo Pontifice pro tempore existente, aut saltèm à Capitulo Generali, vel eo cessante, ab Abbate Cisterciensi. Nulli etiam communis Observantiæ professori propter Pacis, & charitatis custodiam liceat ad d. perpetuam abstinentiam transire, non petita licentia saltem à suo Patre immediato; ad quam Abstinentiam amplectendam Superiores nullum qui non fuerit in ea educatus possint cogere: ne ullus licentia utendi carnibus auctoritate Apostolica omnibus personis regularibus Ordinis etiam sanis, & bene se habentibus data, & ab eadem approbata, & denuò concessa frui possit, nisi tribus diebus tantùm in hebdomada extra tempus Adventus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, & aliud ab Ecclesia prohibitum.

Circa caput 41. quibus horis oporteat reficere fratres.

§. 25. Jejunia non solùm Ecclesiastica, sed etiam à Regula, & à Constitutionibus præscripta serventur Ecclesiastica moderatione. Circa tempus refectionis, & senum, juniorum, & infirmorum habeatur ratio: Insuper de jejuniis Regulæ aliquando possint dispensare Superiores, pro personarum, locorum, Regionum, & anni tempestatum consi-

deratione; & aliqui fructus, & alia id genus alimenta in collatione, seù refectiunculа concedi jejunantibus possint.

Circa caput 51. De fratribus qui non longè satis proficiscuntur.

§. 26. Laudabilis consuetudo introducta servetur.

Circa caput 53. De hospitibus suscipiendis.

§. 27. Ad hospitalitatem tantoperè commendatam sint ferventiores Monasteriorum Superiores; sed in hospitibus suscipiendis frugalitas appareat, nullusque excessus permittatur; nec Religiosis cum consanguineis, & aliis supervenientibus in dormitorio, in cameris privatis, nec extra loca à Superioribus designata manducare concedatur; sicut nec Monialibus ad crates, & in locutorio cum quibuscumque tàm sæcularibus, quàm regularibus. Circa verò lotionem pedum hospitum standum consuetudini.

Circa caput 54. Quod non debeat Monachus litteras accipere.

§. 28. Litteræ directæ non sine Superioris licentia aperiantur, nec dirigendæ mittantur; sitque unicum sigillum in Monasterio, quod penès Priorem maneat, eoque omnes litteræ sigillentur.

Circa caput 55. De vestimentis, & calceamentis Fratrum.

§. 29. Quia humilitas personas Religiosas maximè decet, & modestia omnium virtutum splendor, & ornamentum existit, Abbates omnes, & Monachi ejusdem Ordinis habitu uniformi modesto, atque decenti utantur, qui ejusmodi virtutes simul, & paupertatem redoleat. Abbates intra claustra Monasteriorum suorum pileos non ferant, sed Religioso more tegantur: Monachi verò tàm intra, quàm extra Monasteriorum septa numquam sine caputiis incedant; omnes etiam tàm Abbates, quàm Monachi pannis nigri, & albi dumtaxat coloris simplicibus, honestis tamen & mundis vestiantur, sic ut nihil appareat in eis quod novitates sæcularium sapiat, & quod possit offendere intuentes. Ab indusiis, & collaribus lineis abstineant, solisque laneis tàm intra, quàm extra Monasterium utantur sicut & femoralibus. Nullus Abbas, vel Monachus audeat Barbam, aut capillos nutrire, vel prominentes in superiori labro pilos alere, aut aliter quàm uniformiter, & æquali pectine capillos, vel barbam circumquaque tondere, relicto in capite eo circulo, quem monasticam coronam vocant, ut Religiosi Monasterii Cistercii deferre solent.

Circa caput 57. De artificibus Monasterii.

§. 30. Procurent Superiores ut juvenes, quos ad studia non satis propensos esse judicabunt, honestam aliquam artem edіscant, cujus exercitio otiositatem, & solitudinis tædium evitare possint.

Circa caput 58. De disciplina suscipiendorum Fratrum.

§. 31. Circa Novitiatus, & Professoria designanda servabitur quod statuitur in Litteris Sanctissimi Domini Nostri. Et circa receptionem & educationem serventur Regula, & Constitutiones Apostolicæ, maximè decreta sa. me. Clementis VIII. & recipiantur Novitii sufficientis litteraturæ, hoc est grammaticalibus, & si fieri possit, Philosophicis instructi, post aliqualem in habitu sæculari probationem in propriis domibus factam, cum sufficienti pensione à Visitatoribus, aut aliis Superioribus pro ratione locorum determinanda, & à Monasteriis pro quibus suscipiuntur solvenda, vel compensanda.

§. 32. Recipiantur autem à Visitatore Provinciæ, & à Novitiorum Magistro, & ab ipsis examinati, & idonei inventi vestiantur & probentur, atque in hac communi Observantia ita educentur, ut excepta sola à carnibus abstinentia ad omnia Regulæ capita, prout hìc sunt denotata, sese toto vitæ decursu teneri intelligant.

§. 33. Seminaria, seù Professoria simili ratione ad pietatis, & Religionis excolendæ opus erigantur, in quibus noviter Professi cum pensione sufficienti, aut compensatione maneant, & ad perfectionem Sanctæ Regulæ, & d. Ordinis Cisterciensis praxim acquirendam ita erudiantur, ut nullus ex illis ad studia, vel ad Ordines, vel ad gradus assumatur, qui probatæ vitæ, & sufficientiæ testimonia non dederit.

§. 34. Quia aliqui dicti Ordinis Monachi sub prætextu stabilitatis promissæ dum solemnem votorum professionem emiserunt, in aliquo certo, & determinato Monasterio prætendunt se etiam pro majori Monasteriorum ipsorum commodo, bono, & utilitate Ordinis, aut qualibet alia justa, & legitima ratione si ipsi renuant, in alia Monasteria transferri non posse, nisi ob grave aliquod crimen quod in eodem loco facilè emendari non possit, undè experientia ita comprobante multæ sæpè oriuntur dissentiones, inobedientiæ, rebelliones, lites & incommoda innumera. Renovatur Constitutio Pii II. de anno 1461 qua facultas datur Visitatoribus, & Superioribus Ordinis pro tempore existentibus, ut si eis ità expediens videatur, personas ipsas ad alia ejusdem Ordinis Monasteria transferant, & alias idoneas in earum locum usque ad sufficientem numerum substituant, in beneficium Novitiatuum, & Seminariorum communium, & faciliorem præsentis constitutionis, & reformationis executionem, ità ut qui in locis Novitiatuum & Seminariorum communium, & in aliis reformandis Monasteriis noluerint in omnibus præsenti reformationi sese submittere, cogantur sub pœna carceris sese transferre ad alia Monasteria per Visitatorem provincialem eis designanda, ibique commorari; Quæ Monasteria tenebuntur illos recipere, & eos tanquàm filios & professos habere, solo excepto jure electionis Abbatum sub pœna interdicti aliisque censuris contra renuentes, & huic Ordinationi sese opponentes.

Circa caput 61. De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur.

§. 35. Quilibet Visitator, seù Præses Provinciarum habeat sigillum Provinciæ ejus Visitationi commissæ; nec præter ipsum possit quisquam dare licentiam conveniendi Superiores majores, nec extra quatuor dietas ex Monasterio proficiscendi: quæ licentia in scriptis detur, & Provinciæ sigillo muniatur.

Circa caput 64. De ordinando Abbate.

§. 36. Nullus in posterum in Abbatem Generalem Ordinis Cisterciensis, qui eundem Ordinem non sit expresse professus, eligatur; & electio aliter facta, sit ipso jure nulla; & sic eligentes pœnam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso absque alia declaratione incurrant; præterea eligendus, iis dotibus, & virtutibus sit instructus, quas S. Benedictus in hoc capite & secundo hujus Regulæ in Abbate requirit: Vitentur autem in electionibus ejusmodi omnes inordinati ambitus & processus, & secundùm Canones fiant per scrutinium, in quibus omnes dicti Ordinis utriusque Observantiæ Monachi voce passivâ respectivè gaudeant, nisi aliundè intercedat impedimentum.

Circa caput 67. De Fratribus in via directis.

§. 37. Meminerint Superiores se, & Religiosos suos obligari ad solitudinem, nec ex illa debere &

& posse exire, nisi propter gravem, & necessariam causam, idque cum maximo tremore, ne conceptus devotionis fructus dissipetur. Unde sanctus Legislatora solitudinibus exeuntes ad orationem propter tantum periculum recurrendum esse jubet: Non ergo permittantur ire Religiosi ad oppida vel pagos viciniora, nisi contingeret gravis aliqua necessitas, & semper cum socio à Superiore designato.

Circa caput 70. Ut non præsumat quisquam alium cedere.

§. 38. Causæ merè regulares inter personas dicti Ordinis emergentes intra ordinem terminentur juxta antiquas illius Constitutiones, nec liceat alicui extra ordinem appellare, sub pœnis in ipsis contentis.

§. 39. Omnia supradicta respectivè ad Moniales pertinere volumus præcipiendo Abbati Generali & quatuor primis, & aliis Patribus Abbatibus, ut omnes sibi subditas ad clausuram à Bonifacio VIII. & à Concilio Tridentino ordinatam, utique reducant & cogant.

§. 40. Ut autem in posterum una regula, una charitate, similibusque moribus ubique vivatur, & omnes utriusque sexus Ordinis personæ sciant in quo strictior observantia excepta sola à carnibus abstinentia consistat, fiat brevis & dilucida compilatio & reductio omnium Constitutionum Apostolicarum & statutorum, quæ aut per usum contrarium, aut per aliquam aliam rationem non sunt abrogatæ, & per selectos ab Abbate Generali, & 4. primis Abbatibus viros in disciplina regulari, juribus, & privilegiis dicti Ordinis exercitatos, distribuantur in certa capita à Capitulo Generali approbanda & promulganda, & demùm typis mandanda, & in vernaculam linguam pro Monialibus vertenda, atque ad calcem Regulæ B. Benedicti apponenda, ut in Capitulis singulorum Monasteriorum post lectionem Regulæ, aliqua eorum capita successivè legantur.

§. 41. Cum verò in Congregatione Cardinalium & Prælatorum, ut suprà instituta præinserti reformationis articuli diligenter discussi & examinati, & qua parte opus fuit emendati, & aptati fuerint; *Nos de omnibus plenè instructi & informati competimus illos pro felici Monachorum dicti Ordinis statu, & salubri directione providè compilatos, ac perstrictos fuisse*, & cum B. Benedicti Regula quam primi Cistercienses in primævo instituto charta charitatis nuncupato à multis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbato tenendam, & intelligendam posteris reliquerunt, in omnibus esse congruentes, præterquam in aliquibus quæ vel ex rationabili inveterata consuetudine abrogata, vel ex legitima Sedis Apostolicæ dispensatione pro temporum varietate lenita, ac temperata fuere. Quocirca motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præsentium eosdem suprascriptos articulos reformationis in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, atque in universo Ordine Cisterciensi, tam in Regno Galliæ, quàm in aliis Regnis, & Provinciis, ab omnibus tam communis quàm strictæ Observantiæ Religiosis firmiter, & inviolatè servari præcipimus, & mandamus sub pœnis in Regula contentis.

§. 42. Cupientes autem, ut nostra hæc reformatio non sit verbotenus, sed divino auxilio realis, & cum effectu, eidem Claudio districtè injungimus, ut primo quoque tempore convocet Generale Capitulum apud Monasterium Cistercii celebrandum in mense Maio sequentis anni 1667. ad quod vocentur, & convenire teneantur omnes, & singuli Abbates, & Priores conventuales Monasteriorum totius Ordinis præpeditionem canonicam non habentes, & in eo Abbas Cistercii, & quatuor Primarii Abbates eligant de more generales Diffinitores: ita tamen ut unusquisque illorum eligere debeat saltem duos ex Abbatibus strictæ observantiæ: adeò ut in universum in diffinitorio vocem decisivam habeant Abbates 25. videlicet Abbas Cistercii, & quatuor primarii Abbates, item Diffinitores decem ex communi, & totidem ex stricta observantia: in Capitulo autem, seu Diffinitorio, ut præmittitur, congregato, diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & observantia regulari, deque aptiori modo exequendi, & ad praxim deducendi præinsertos Reformationis articulos, & quod deliberatum, ac statutum fuerit, inviolatè observetur.

§. 43. Ordinentur etiam in eodem Capitulo, seu diffinitorio Religiosæ, ac circumspectæ personæ, quæ singula Monasteria cujusque Provinciæ secundùm formam eis præfixam visitare studeant, corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere.

§. 44. Præterea fiat divisio, seu partitio Monasteriorum strictæ observantiæ in Regno Galliæ existentium, in duas saltem Provincias, & ab ipso Abbate Cistercii, & quatuor primariis Abbatibus & decem Diffinitoribus ejusdem strictæ Observantiæ per secreta Schedularum suffragia eligantur ex eadem Observantia duo Provinciales Visitatores nuncupandi usque ad sequens Generale Capitulum duraturi, quorum quilibet jurisdictionem ordinariam habeat in Monasteriis Provinciæ suæ.

§. 45. Item in singulis Provinciis Universis Ordinis etiam extra Galliam designentur duo Monasteria Monachorum communis observantiæ, unum scilicet pro Novitiatu, & alterum pro Professorio, seu secundo Novitiatu, una cum Magistris, pro educandis Novitiis, & noviter Professis, & cum familia selecta, quæ quidem designationes, unà cum actis Capituli in scripturam redactæ, atque ab eodem Abbate Cistercii, & quatuor primariis Abbatibus subscriptæ, & consueto sigillo obsignatæ transmittantur ad Procuratorem Ordinis in Urbe nostra existentem, qui statim illas nobis exhibeat, ut recognoscantur, & approbentur.

§. 46. Intereà verò motu, scientia, & potestate similibus prohibemus, & interdicimus tam prædicto Abbati Cistercii, & quatuor primariis Abbatibus, quàm cæteris Abbatibus, & Superioribus Monasteriorum communis Observantiæ, sive in Gallia, sive in aliis Regnis, & Provinciis existentium, ne quemquam ad habitum suæ Religionis recipiant, aut in posterum contra hujusmodi prohibitionem forsan recipiendos, ad professionem admittant, donec antedictæ designationes pro Novitiatibus & Professoriis, ut supra factæ, & ad Procuratorem Ordinis transmissæ nobis realiter, & cum effectu exhibitæ fuerint, atque ut præfertur, approbatæ: alioquin sic recipientes, vel admittentes, sententiam excommunicationis incurrant, à qua non per alium, quam per nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti absolvi possint.

§. 47. Ad hæc de voto ejusdem Congregationis Cardinalium, & Prælatorum, qui jussu nostro rationes, & motiva voce scriptoque proposita tam à Procuratore Ordinis, quàm à duobus Abbatibus strictæ Observantiæ, pro reformationis negotio ex Gallia ad Urbem ablegatis, iterum ac tertiò accuratè maturéque consideraruut, & discusserunt, nobisque plenam de omnibus relationem fecerunt; authoritate Apostolica præsentium tenore declaramus literas in forma Brevis datas diebus 10. Novembris 1657. & 8. Martii 1660. nec non 2. Julii 1661. respectivè nullo obreptionis, subreptionis, intentionis nostræ defectu, vel alio nullitatis vitio laborasse, nec laborare, ac proinde

omnino

omnino esse servandas, & executioni mandandas, prout servari, & executioni mandari jubemus, perpetuum desuper silentium imponentes sub pœnis contentis in primo dictis nostris literis editis die 16. Januarij 1662.

§. 48. Cæterùm ex hac nostra declaratione, quoad ea quæ memoratis literis nostris, & his præsentibus non adversantur Monasteriis Monachorum Reformatorum in Regno Galliæ, eorumque strictæ Observantiæ, aliquod præjudicium generare non intendimus, sed illam in sua firmitate, ac robore volumus permanere, perinde ac si eædem literæ non emanassent. Quin imò nostræ intentionis est eandem strictam Observantiam in sua laudabili vivendi ratione confovere, ac pro illius conservatione, & incremento pastoralis nostri officij partes gratiosè, ac favorabiliter impendere, unde Abbatem Cistercij, & primarios quatuor Abbates seriò in Domino monemus atque adhortamur, eisdem in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, ut ipsam strictam Observantiam non modò protegere, ac zelo charitatis complecti, verùm etiam diffundere, & propagare pro viribus studeant ut in dies benedicente Domino in Ecclesia militante fructus ferat uberiores.

§ 49. Similiter declaramus validas fuisse, & esse Professiones à Monachis strictæ Observantiæ in hanc usque diem emissas, necnon absolutiones cum actis hucusque gestis, quæ suum plenarium sortitæ sunt effectum, ita ut prædictarum ac præsentium nostrarum literarum vigore nullitatis vitio minimè subjacuisse, aut subjacere censeantur, nec propterea à quoquam impugnari, infringi, aut in controversiam adduci ullatenus possint, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito aliisque Apostolicis, ac universalibus Provincialibusque Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis ejusque Congregationum, Provinciarum, Monasteriorum, & locorum quorumcumque, aliisve quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam eidem Ordini ejusque Congregationibus, Provinciis, Monasteriis, & locis, ac illorum Superioribus, Abbatibus, Monachis, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & quantiscumque vicibus & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, servatis, & insertis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 50. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Aprilis 1666. Pontificatus Nostri Anno 12. Dat. P. A. 12. die 19. Apr.

Pro Fratribus Ordinis Prædicatorum Teutoniæ, ne videlicet in illa Provincia fiat ulla secessio, divisio, aut separatio, sub pœna excommunicationis &c. CLXIX.

ALEXANDER PAPA VII. Edita A. D. 1666.

Ad futuram rei memoriam.

In supremo militantis Ecclesiæ Solio, divina dispositione constituti, illa quæ ab Ordinum Regularium Superioribus ad conservandam unitatem, avertendasque scissuras, prudenti, salubrique disposita esse noscuntur concilio, ut firmiora semper atque stabiliora persistant, libenter cum id à Nobis petitur Apostolici muniminis præsidio roboramus. Exordium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Prior Provincialis Provinciæ Teutoniæ Ordinis Prædicatorum, quod alias videlicet die 7. Maii 1661. pro conservanda unitate, & indivisione dictæ Provinciæ emanavit à dilecto etiam filio Magistro Generali dicti Ordinis præceptum quo omnibus sibi subjectis, ubivis locorum intra vel extra Provinciam morantibus, aut moraturis, cujuscumque sint gradus, dignitatis, aut conditionis, prohibet ne quisquam per se, vel alium, seu alios, sive Religiosos, sive Sæculares directè, vel indirectè clam, vel palam apud Religiosos Ordinis prædicti, vel extraneos quacumque dignitate, fastigio, officio, aut honore fulgentes, sub ullo colore, prætextu, titulo, motivo tractet, vel tractari faciat, suadeat, procuret, aut quoquo modo sollicitet, vel cooperetur, ad hoc, ut in prædicta Provincia fiat ulla secessio, divisio, aut separatio, sive inter veteres Provinciæ partes, sive inter eandem, & partes quæ novissimè per incorporationem anno 1653. die 10. Martii factam accesserunt, sicque omne divisionis tentamentum excludit, ac vetat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, privationis utriusque vocis, graduum, & officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, aliisque pœnis arbitrariis ipso facto incurrendis, & alias prout uberiùs continetur in ipsius Magistri Generalis literis patentibus desuper expeditis, tenoris qui sequitur, videlicet. Præceptum Magist. Gen

§. 2. Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & servus. Quod apud Esaiam ipsemet Deus, hæc sibimet appropriet epitheta: Ego Dominus faciens pacem, & creans malum, nonnullis quidem captu sat arduum videtur, siquidem à Deo non creatur malum, nec nisi bonum esse potest quicquid à creatore tam bono producitur. At ex ipso creandi vocabulo nodum solvit Basilius Magnus, innuens malum creari quando ex ipso (utpotè nihilo) elicitur bonum. Tametsi igitur causæ Deo inferiores creare ne quidem ut instrumenta possint. Sicuti tamen conantur ex malo bonum elicere, optimum censentur imitari Creatorem. Hoc porro & Nos satagimus advigilantes, ut in grege Nobis commisso, si qua erumpant mala, ea ipsa transeant in bonam novi boni occasionem, ac suo modo creentur dum ex confusione ordo, ex remissione disciplina, ex turbatione tranquillitas formatur, ac re-

formatur. Nimirum hæc divini artificis quantulacumque Nos decet imitatio faciens pacem, & creans malum. Sanè ingenti commodo suo id Superioribus annis experta est Provincia nostra Teutoniæ, cujus hodierna quies, pax, unitas, in tanti corporis vasta amplitudine non utique gauderet, hac firmitate, nexu, munimento, nisi ex ipsismet ejus intestinis quibusdam motibus, rimis, ac nutu in rupturam propendulo tempestivè invigilassemus, ad faciendam pacem, & creandum malum, ex ipso dissidiorum hiatu educentes illud amicabile gluten quo in germanam concordiam denuò compaginata saluberrimam (qua & conservatur) conservat unionis suæ integritatem. Verùm, ut fluxæ sunt humanarum rerum vices, obstructo illic periculo alia (sed alibi, & ab aliis) erupit novæ scissuræ tentatio, dum nuper nonnulli ex nostris in Stiria, ejusque conterminis dictæ Provinciæ recentiùs, ac legitimè incorporati rursus ab illa separari, imò, etsi fieri posset notabiles ejus partes secum abstrahere quæsierunt. Quorum prætensionem postquam maturrimè per complures menses examinavimus, liquidò demum comperimus eam communi Religionis bono neutiquam cohærere, nisi quatenus occasionem Nobis præbet ex ea commotione novam eliciendi pacem, qua pristinum illud indivisæ Teutoniæ gluten securiùs corroboretur, & Provinciæ illius integritas etiam adversùs hujus extremi membri detruncationem, vel potius ipsummet hoc membrum à proprio interitu fortissimè præmuniatur, quod ubi præstiterimus, divino illo creandi artificio Nos probè perfunctos nemo prudens negabit.

§. 3. Proinde harum serie nostrique officii auctoritate omnibus, & singulis nostræ curæ subjectis ubicumque locorum morentur, aut impostetum moraturi sint intra, vel extra dictam Provinciam, ad eam pertinentibus, sive ab ea extraneis cujuscumque gradus, dignitatis, au conditionis existant in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, item sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, necnon privatione utriusque vocis, graduum, officiorum, perpetuaque inhabilitate ad ullam in Ordine promotionem, aut functionem honorificam obtinendam, vel obeundam, aliisque arbitrio nostro taxandis pœnis insimul cum omnibus jam taxatis ipso facto incurrendis prohibemus, ne quisquam per se, vel alium, aut alios, seù Religiosos, seù Sæculares directè, vel indirectè clam, vel palam apud nostros, vel extraneos quacumque dignitate fastigio, officio, aut honore fulgentes sub ullo colore, prætextu, titulo, aut motivo tractet, vel tractari faciat, suadeat, procuret, aut quoquo imaginabili modo laboret, cooperetur, vel sollicitet, quòd in prænominata nostræ Teutoniæ Provincia ulla fiat secessio, divisio, aut separatio, sive inter veteres Provinciæ partes, sive inter illam, & partes, quæ recenter ipsi per incorporationem anno 1653. die 10. Martii de nostra commissione factam accesserunt, eumque in finem præsentium tenore verbatim, ac de integro renovamus, & cum omnibus suis clausulis confirmamus patentes nostras eodem anno die 12. Aprilis desuper expeditas, quibus, & Provinciæ Teutoniæ indivisionem, & quinque Conventuum Styriæ cum ea incorporationem stabilivimus, & approbavimus, non secus ac dictæ patentes syllabatim repetitæ hic insererentur. Et ne horum ignorantia cuiquam suffragetur, mandamus universis per totam dictam Provinciam Prioribus, & Præsidentibus Conventuum sub eodem formali præcepto, ac pœna absolutionis ab officio, quatenus harum integrum tenorem intra biduum à receptione coram sua Religiosa Communitate publicè legi faciant, ac inviolabiliter observari. Confidimus bonos omnes huic nostræ enixæ voluntati ingenuè promptéque parituros, ex quo continua tot annorum serie tam experti sunt, quanta cum modestia susceperint, quàm Religiosa fide, ac tranquillitate hactenus observarint ambæ antiquiores illius Provinciæ portiones nostrum reparatæ unionis, & concordiæ salutiferum præceptum, adeò quod toto isthoc octennio nullus omninò ex iis partibus apud nos delatus fuerit qui, vel leviter gluten illud dissolvere, aut saltem verbulo arrodere attentarit, quod in illa constanti natione amare, atque laudare non desinimus. Idem incorporatis studium esto, quorum in hoc præcipuè spectamus utilitatem, & incrementum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum omnium fidem, ac robur his sigillo nostro munitis propria manu subscripsimus, Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die septima Maii 1661.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præceptum prædictum ubique in dicta Provincia ritè notificatum, & communi ejusdem bono salubre imò per necessarium agnoscantur, Nobis propterea dictus Prior Provincialis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Priorem Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio attentis narratis, ac visis per eosdem Cardinales literis patentibus Magistri Generalis Ordinis hujusmodi in authentica forma exhibitis tenoris præinserti, easdem literas auctoritate Apostolica tenore præsentium benignè approbamus, & confirmamus, & omnimodæ executioni demandari jubemus sub pœnis in ipsis literis contentis, ac perpetuum super præmissis silentium imponimus, salva tamen semper eisdem præmissis auctoritate Congregationis memeratorum Cardinalium. Confirmat præinsertum Præceptum.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictorum ordinis, & Provinciæ hujusque Conventuum quorumlibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, Transumptorum fides.

manu

manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An 12. die 9. Junii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 9. Junii 1666. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

CLXX.

Quibusdam locis Congregationis Somaschæ facta concessio sepeliendi Alumnorum Cadavera sine interventu Parochorum.

Edita A. D. 1667.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. DUdum pro parte tunc existentis Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Regularium Somaschæ, aliàs S. Majoli Papien. felic. record. Paulo Papa V. Prædecessori nostro exposito, quòd inter Rectores Collegiorum, ac Seminariorum, & Academiarum curæ, & administrationi dictorum Clericorum commissorum ex una, ac Parochos ex altera partibus, nonnullæ lites, seu controversiæ super jure sepeliendi in Ecclesiis Collegiorum, ac Seminariorum, & Academiarum, hujusmodi cadavera Scholarium, Clericorum, & Convictorum, qui pro tempore in Seminariis, Collegii, & Academiis hujusmodi decedebant, sæpiùs oriebantur, ad quas quidem lites, seù controversias, de cœtero evitandas dictus Præpositus Generalis plurimum desiderat, Rectoribus, & Clericis prædictis opportunè provideri.

§. 1. Idem Paulus Prædecessor, supplicationibus illorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Amerin. & Gallii nuncupati Comen. & Burgi Lugani Comen. Dioec. necnon Oppidi Trivultii Mediolanen. Dioec. Collegiorum, ac Ravennaten. & Patriarchalis Venetiarum Seminariorum, necnon Terræ Salodii Brixien. Diœcesi, ac Sancti Spiritus propè, & extra Portam Cumanam Mediolanen. & S.Majoli Papien. Academiarum Rectoribus respectivè, ut in S. Angeli, S. Mariæ de Rondineto nuncupat. S. Antonii, & Sanctæ Crucis, necnon S. Catharinæ, & Sanctissimæ Trinitatis, ac S. Benedicti, S. Spiritus, & S. Majoli eorum Ecclesiis respectivè, absque Parochorum interventu, Scholarium, Clericorum, & Convictorum prædictorum in Collegiis, Seminariis, & Academiis hujusmodi pro tempore decedentium Cadavera, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium Præjudicio, Ecclesiasticæ sepulturæ tradere liberè, & licitè valerent, ità tamen ut, antequam sepulturæ traderentur, Rectores prædicti Parochos certiores facere tenerentur, Apostolica auctoritate concessit, & indulsit, & aliàs, prout in ipsius Pauli Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 27. Octobris 1614. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Præpositus Generalis Congregationis prædictæ Nobis nuper exponi fecit, eadem Congregatio subinde Seminarium Ducale S. Antonii Venetiarum, ac Sanctæ Mariæ Scholarum Veronen. S. Bartholomæi Brixien. S. Leonardi Bergomen. Sanctæ Mariæ Lauden. S. Angeli Custodis Taurinen. & Sanctæ Mariæ Angelorum Fossanen. Civitatum, necnon S. Georgii Oppidi Novarum Derthonen. & S. Bartholomæi Oppidi Merati Mediolanen. Diœcesum Collegia acquisiverit, seù illa curæ, & administrationi Clericorum Regularium dictæ Congregationis commissa fuerint, dictus vero Præpositus Generalis litibus, & controversiis, quæ inter Rectores, & Clericos Seminarii, & Collegiorum hujusmodi, ac Parochos super jure sepeliendi Cadavera Scholarium, Clericorum, & Convictorum in eisdem Collegiis, & Seminario pro tempore decedentium pariter oriri possent, maturè occurri, illarumque materiam recidi plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut jam dictis Rectoribus, & Clericis opportunè in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in Rub. §. 3. Nos igitur pacem, & quietem inter Regulares, & Ecclesiasticas personas conservari cupientes, dictosque modernum Præpositum Generalem, ac Rectores, & Clericos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Seminarii Ducalis S. Antonii Venetiarum, ac S. Mariæ Scholarum Veronen. S. Bartholomæi Brixien. S. Leonardi Bergomen. S. Mariæ Lauden. S. Angeli Custodis Taurinen. & S. Mariæ Angelorum Fossanen. Civitatum, necnon S. Georgii Oppidi Novarum Derthonen. & Bartholomæi Oppidi Merati Mediolanen. Diœcesum. hujusmodi Collegiorum Rectoribus respectivè, ut in eorundem Seminarii, & Collegiorum Ecclesiis absque Parochorum interventu, Scholarium, Clericorum, & Convictorum in Seminario, & Collegiis hujusmodi, non electa sepultura, pro tempore decedentium Cadavera, sine præjudicio tamen quorumcumque jurium Parochialium, Ecclesiasticæ sepulturæ tradere, liberè pariter, & licitè valeant respectivè, ità, tamen, ut antequam sepulturæ tradantur, iidem Rectores Parochos certiores facere teneantur, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus similiter, & indulgemus.

§. 4. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat.P. An.12. die 10. Mart. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Martii 1667. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

CLXXI.

De non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus, exceptis Anniversariis ex dispositione Testatorum relictis.

Edita An. D. 1667.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. CReditæ Nobis cœlitus dispensationis officium salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, & quamplurima dubia in diversis mundi partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum deducta occasione decreti ejusdem Congregationis, die 5. Augusti 1662. editi, ac à Nobis approbati, de non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus tollere, atque dirimere cupientes.

Excipiuntur Anniversarii. §. 1. De memoratorum Cardinalium consilio auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus in primis aliud decretum. prædictæ Congregationis editum in una Novarien. die 22. Novembris 1664. quo declaratum fuit, Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum

obitus etiam in duplici majori contingentis non comprehendi in dicto decreto.

Altaria privilegiata non excipiuntur.

§. 2. Ulterius quoad Altaria perpetuo privilegiata, & in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ sint Missæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædictis declaramus per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari cum eisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratæ Missæ de Requiem ad formam privilegiorum: salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ Congregationis.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancelleriæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An 12. die 22. Janv.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Januarii 1667. Pontificatûs Nostri Anno duodecimo.

CLEMENS IX. PONT. CCXLII.

Anno Domini MDCLXVII.

CLEMENS IX. Italus Pistoriensis in Provincia Hetruriæ, Julius anteà dictus Hieronymi Rospigliosi Filius, S. R. E. Presbyter Card. tit. S. Sixti. Romæ die 20. Junii 1667. Summus Pontifex pronunciatus, & die 26. ejusdem mensis, die Domini co coronatus. Creavit Cardinales 12. triplici creatione, 1ª. trium, 2ª. duorum 3ª. septem. Obiit Romæ die 9. Decemb. 1669. Sepultusque fuit in Basilica S. Mariæ Majoris. Vacavit Sedes menses quatuor, & dies 20.

I. Indictio Jubilæi universalis ad divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Catholicæ Ecclesiæ regimine implorandum.

Edita An. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemium, & causæ indictionis Jubilei.

PLACUIT ineffabili Redemptoris, & Domini Nostri JESU Christi bonitati, cui proprium est infirma Mundi eligere, & dextræ suæ potentia facere fortia, vices suas in terris humilitati nostræ, meritis licet & viribus longè impari committere; Et Nos quidem Divinæ vocationi, ut par est, obsequentes, impositum Nobis Apostolici ministerii onus humiliter suscepimus, quamvis Angelicis humeris formidandum, freti tamen spe Divinæ misericordiæ, mittendum esse Nobis auxilium de Sancto, ut de Sion tueatur Nos. Verum dum seriò cogitamus quantum oneris, & laboris incumbat imbecillitati nostræ, cujus Nobis probè conscii sumus, quantisque, & quam gravibus hoc tempore Respublica Christiana malorum procellis agitetur, & graviorum periculis exposita sit, timemus ne cum propheta Regio exclamare cogamur: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Non tamen concedimus animo, sed omnem spem nostram in eum convertimus, qui sperantes in se confundi non patitur, & gratiæ suæ confortat auxilio. Quod ut cum omnium Ecclesiarum, quarum Nobis credita est sollicitudo, utilitate consequi benedicente Domino valeamus, ad vestrum omnium quibus curam pastoralem impendere debemus, preces ex more Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum confugiendum esse decrevimus: Firmiter confidentes, clementissimum Dominum nostrum ad Ecclesiæ militantis præsidium opportuna nobis cœlestia dona largiturum, si vos Nobiscum unanimes, scindatis corda vestra, & deposito peccatorum pondere, revertamini ad Dominum Deum nostrum, qui multus est ad ignoscendum, & orationes vestras, jejunii atque eleemosynæ viribus roboratas, ad altare Dei Patris misericordiarum jugiter offeratis per manus Sanctorum Angelorum, qui gaudent super peccatoribus pœnitentiam agentibus: Ut Deus pacis qui Reges in thronis collocat, & pauperes, è contra excitat, atque inopes de stercore erigit, qui diligit David servum suum, & de gregibus ovium sustulit, cum inter filios Jesse minimus natus esset, qui ad Evangelii perfectionem dat verbum evangelizantibus virtute multa, ipse confirmet quod operatus est in Nobis, omniaque consilia, & actiones nostras in Sancti ejus nominis gloriam, fideliumque, & animæ nostræ salutem dirigere, religionem Christianam propagare, fidem Catholicam protegere, & ab infidelium conatibus, atque insidiis tueri, hæreses extirpare, ac pacem, & veram concordiam inter Principes Christianos conservare, & sicubi exciderit, aut collabendi periculo obnoxia sit, eam suaviter restituere, atque firmiter solidare, ipsorumque Principum consilia, & vires ad Christiani nominis tutelam unire, sociare, augere, regere, & roborare dignetur. Hoc autem ut fructuosiùs fiat, ferventiorique spiritus ardore pergatur, Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem nobis credidit Deus, proferre, & liberali manu erogare decrevimus.

Indictio Jubilei cum concessione plenariæ Indulgentiæ.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemni processioni, quam feria quarta currentis hebdomadæ ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupat, de eadem Urbe una cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis

hebdo-

hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut suprà, Deum oraverint, ac quarta, & sexta Feria, ac Sabbatho alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, & quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam sanctissima communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intrà, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam Ecclesiasticis sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seù alio quocumque impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seù approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Libertas eligendi confessarium, ejusdemque facultas.

§. 2. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam laicis, quam Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & instituti tam in Urbe præfata, quam extrà eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum confessarium tam sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seù inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant; Et insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Jubileum ubique publicari jubet.

§. 3. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus atque mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existen. eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum, exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint; illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seù inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seù habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specifica, expressa, & individua; non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum, præmissorum derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant. Volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P An. 1. die 18. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Julii 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1667. Indictio e quinta, die verò decima octava mensis Julii, Pontificatus autem Sanctiss in Christo Patris, & D N. D. Clementis Divina providentia Papæ IX. Anno ejus primo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, &

& in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Joannes-Antonius Bertarelus Curs. Mag.

II. Confirmatio, & ampliatio indulti Sixti V. & Gregorii XV. de officio S. Jacobi Apostoli, & Patroni Hispaniarum sub ritu semiduplici recitando.

Edita An.D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. IN suprema Militantis Ecclesiæ specula meritis licet imparibus ab æterno Pastore collocati ad ea propensis studiis intendimus, per quæ Sanctorum in Cœlis regnantium præsertim gloriosissimorũ Domini Nostri Jesu Christi Apostolorum, quorum prædicatione Christiana Religio fimbrias suas à mari ad mare dilataverit veneratio in terris congrua suscipiat incrementa.

Motiva. §. 1. Dudum si quidem fœlicis record. Gregorio Papæ XV. prædecessori nostro pro parte tunc existentium Archiepiscopi, ac Capituli, & Canonicorum, necnon Cleri Ecclesiæ Compostellan. exposito, quod ipsi pro peculiari quem erga Sanctum Jacobum Apostolum, cujus venerandum corpus in eadem Compostellana Ecclesia quiescere, ac maxima peregrinorum ex omnibus orbis partibus illuc quotidie confluentium frequentia visitari asserebatur gerebant devotionis affectu, officium de eodem Sancto Jacobo qualibet secunda feria recitare, ac commemorationem fieri posse summoperè desiderabant.

§. 2. Idem Gregorius prædecessor eorum supplicationibus inclinatus, ut ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus de eodem Sancto Jacobo qualibet secunda feria non impedita festo novem lectionum, & quadragesimali, ac Dominici Adventus tempore, ac vigiliis etiam exceptis officium alias à recolendæ memoriæ Sixto Papa V. prædecessore pariter nostro sub die prima Februarii 1589. pro eadem Ecclesia approbatum liberè, & licitè in supradicta Ecclesia Compostellan. sub ritu semiduplici sumendo lectiones primi nocturni de scriptura occurrente recitari, necnon etiam de eodem Sancto Jacobo in tota Hispania, cujus Patronus existit commemoratio, quando juxta regulas Breviarii Romani aliæ fiunt commemorationes fieri posset, & deberet auctoritate Apost. licentiam & facultatem concessit, & indulsit, & aliàs prout in ipsius Gregorii prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis 30. Octobris 1621. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus uberius continetur.

Confirmat prout in rub. §. 3. Nunc autem nos piis precibus totius Hispaniarum Cleri nobis per dilectum filium Didacum de Colmenares Hurtado de Mendoza Archidiaconum de Campos, & Canonicum in Ecclesia Palentin. ac Agentem generalem Status Ecclesiastici Regnorum Hispaniarum in Alma Urbe nostra commorantem humiliter porrectis benignè annuentes, ipsorumque Cleri, & Didaci singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sacris Ritibus præpositorum consilio, indultum recitandi singulis diebus feriæ secundæ non impeditis festo duplici, vel semiduplici (Adventus, & Quadragesimæ temporibus, ac Vigiliis etiam exceptis) officium memorati Sancti Jacobi Apostoli unici, & singularis Hispaniarum patroni sub Ritu semiduplici Clero Civitatis, & Diœcesis Compostellan. à præfato Gregorio prædecessore concessum ut præfertur, ad universum Hispaniarum Clerum auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit quantumvis Ecclesiarum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Julii 1667. Pontificatus nostri Anno primo. Dat. P An. 1. die 25. Julii.

III. Privilegia, gratiæ, & indulta concessa Conclavistis, qui interfuerunt Conclavi, in quo ad summi Apostolatus apicem fuit evectus.

Edita An. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX
Urbis.

MOTU PROPRIO &c.

Causæ hujus Const. §. 1. Nos volentes dilectos filios Conclavistas, qui conclavi in quo, divina favente clementia, ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus uti familiares, & continui commensales inservientes interfuerunt, quique ea de causa labores, vigilias, & incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, & gratiis, & privilegiis pro cujusque meritis exornare.

Conclavistis decem millia scut. aur. & alia privilegia largitur. §. 2. Ipsosque Conclavistas, quibus hodiè, ac aliis participantibus descriptis in Rolo, seu divisione subscripto, vel subscripta per dilectum Filium nostrum Petrum tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem Otthobonum nuncupatum Prodatarium nostrum, summam decem millium scutorum auri in auro ex pretio tot officiorum vacabilium ad nos spectan. gratiosè donavimus, in veros, indubitatos, & non fictos familiares, & continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiæ clericali adscribi desiderant, quosque tres hujusmodi Cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores, gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint in nostros, & Sedis Apostolicæ notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum de numero participantium Notariorum, recipimus, & tam illos, quam alios Conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, & Milites, & tam illos, quam omnes, & quoscumque alios Conclavistas indistinctè, qui nobiles non sunt, nobiles quique Urbis, vel alicujus alterius, ex Civitatibus temporali dominio eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem tribus Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nulla prorsus differentia inter eos, & singulos alios veros, originarios, & antiquissimos etiam nobiles, & participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis, itaut ipsum jus Civilitatis ad quoscumque illorum hæredes eodem

modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & insigniis decoramus, aliorumque familiarium, & continuorum commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium . & bibentium, ac nostrorum, & Sedis prædictæ Notariorum Palatii, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujusmodi originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, & indubitatis, & non fictis familiaribus continuis Commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibus, Nobilibus Militibus, & Civibus deinceps haberi volumus, ac reputari mandamus, eisque ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, & litteris, tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernen.se familiares continuos Commensales, Nostrosque Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & litteræ hujusmodi subreptionis vitio subjaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus, & quibuscumque, ac prorsus similibus antelationum, antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus quibus alii Nostri familiares tempore dictæ Assumptionis Nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii etiam de numero Participantium existentes, etiamsi habitum, & Rocchettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique & Aulæ prædictorum Comites, Milites, Nobiles etiam originarii, ac antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut præfertur elegerint, quique ex utroque parente verè Nobili, & Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seù alias quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum etiam per quascumque litteras, seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, & extra, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus, & per omnia etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint perindè, ac si de verè nobili genere, & ex utroque parente nobili originario, ac antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, indulta, & jura, quæ pro aliis nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione nobilitatis & civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eisdem Conclavistis in specie emanassent, seu emanarent, & eis naturaliter de jure statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competerent, auctoritate & tenore similibus indulgemus.

A solutione decimarum liberat.

§. 3. Nosque Conclavistas prædictos à solutione, & exactione decimarum, & cujuscumque pedagii, subsidii, gabellæ, & cujuscumque oneris tam ordinarii, quam extraordinarii, ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentissima & inexcogitabili causa, & occasione etiam ad instantiam Imperatoris; Regum, & Rerumpublicarum etiam Venetiarum, & aliorum quorumcumque Principum, impositorum, & imponendorum pro tempore, ex nunc prout ex tunc, & è contra, & postquam casus hujusmodi impositionis, & solutionis evenerit, liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus; Districtiùs inhibentes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus Clericis, ac quibuscumque aliis Officialibus Cameræ prædictæ, & Exactoribus pedagiorum, decimarum, subsidii, gabellarum, & onerum hujusmodi, ac aliis personis, cujuscumque Ecclesiasticæ, vel sæcularis dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut super præmissis, eorumve usu, professione, vel quasi directè, vel indirectè, quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, vel alias quomodolibet impedire quoquomodo præsumant.

Absolvit à censuris propter conventiones incursis.

§. 4. Necnon omnes eosdem Conclavistas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quas quomodolibet propter contraventiones contentorum in Constitutionibus super creatione Romani Pontificis pro tempore editis, vel alias quomodolibet incurrerunt in foro conscientiæ tantum absolvimus, & liberamus, ac omnes, & quoscumque defectus, si qui fortè sint omnium provisionum, beneficiorum, dignitatum, ac permutationum eorumdem Conclavistarum tam ex multiplicitate titulorum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum, & irregularitatis, quam alias, ex quavis causa provenien. sanamus, ac hujusmodi provisiones vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiæ tantum perindè, ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, & quatenus opus sit omnibus, & singulis eorum de omnibus & singulis dignitatibus, & aliis cum cura, & sine cura Beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet qualificatis & nuncupatis etiam cujusvis ordinis Regularibus per eos respectivè obtentis, & de novo etiam respectivè providemus, ac omnes, & singulas pensiones eis, & eorum singulis super quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum, & nuncupatorum etiam alicujus Ordinis Regularium fructibus &c. respectivè reservatas similiter de novo reservamus.

Fructus, & redditus malè perceptos remittit.

§. 5. Ipsisque Conclavistis, eorumque singulis quoscumque fructus, redditus, & proventus Ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, Canonicatuum, & præbendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque & quarumcumque pensionum annuarum ipsis, & eorum cuilibet collatorum, & reservatarum, tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus, & occasionibus etiam, ratione omissionis recitationis horarum Canonicarum indebitè perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint, gratiosè remittimus, & condonamus, ac cum eis super inhabilitate, & irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam, ex eo quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum Clavium celebraverint, aut alias in divinis se immiscuerint, quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines alias ritè, & dummodo nullum aliud alicui eorum obstet Canonicum impedimentum, promoveri, & in illis, & in susceptis per eos alias ritè ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare etiam liberè, & licitè valeant, dispensamus.

§. 6. Ac eosdem Conclavistas, si qui eorum defectum Natalium patiantur, ex quocumque damnato, & illicito coitu etiamsi ex nobilissimis parentibus, & vilibus fœminis forsan procreati aut etiamsi, alias legitimati existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, & cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, & maternis, aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu alias de jure valida dispositione,

& præ-

& præterquam in bonis Eccleſiaſticis, & ab Eccleſia provenientibus ſuccedere, & illa donationis, vel alio quovis titulo conſequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis ſuccedere eos ad omnia jura, legitimas ſucceſſiones ex teſtamento, vel ab inteſtato hæreditates, legata, libertates reſtituendo, realiter, & cum effectu, ac ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia ſæcularia, publica, vel privata etiam aſſumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, per omnia, ac ſi de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obſtan. ſi aliud canonicum eis non obſiſtat impedimentum, ut Clericali caractere, qui illo nondùm inſigniti ſunt, inſigniri, ac ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus ordines, ſi nondum ad illos promoti ſint, promoveri, ac poſtmodum caractere, & ordinibus hujuſmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eiſdem ordinibus etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac quæcumque, & qualiacumque cum cura, & ſine cura Beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi perſonatus, adminiſtrationes, & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, ſeu ſi Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & præbendæ dignitates, non tamen majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, aut principales in Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi fuerint; ſi ſibi alias canonicè conferantur, aut ipſi eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eiſdem recipere, & dummodo plura ſimul non ſint quam quæ à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere liberè, & licitè valeant, ſimiliter diſpenſamus.

Jubet pro iiſdem expeditionem litterarum Apoſtolicarum gratis fieri.

§. 7. Quodque omnes, & quæcumque, gratiæ, proviſiones, & commendæ, & quævis aliæ litteræ Apoſtolicæ proviſionum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum hujuſmodi, prout noſtris Familiaribus continuis Commenſalibus, gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac etiam litteræ ipſæ in forma Brevis, tam de capienda poſſeſſione nomine dictæ Cameræ Apoſtolicæ, quam alias uti illis ſuper proviſionibus quorumvis Beneficiorum Eccleſiaſticorum dari poterunt, ſimiliter gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac dari, concedi, & expediri omninò debeant, etiam præcipimus, & mandamus.

§. 8. Ac Conclaviſtis prædictis, qui Sancti Joannis Hieroſolymitani, ſeu cujuſvis alterius militiæ regularis etiam expreſsè profeſſi ſunt, ut etiamſi ab eorum Conventu abſentes exiſtant, dum tamen quinquennalem, ſeu aliam debitam reſidentiam in Conventu fecerint, & conſueta ſervitia præſtiterint quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum; & quarumvis penſionum, & commendarum eorum militiæ, ſeu Religionis capaces exiſtant perinde, ac ſi in eadem militia, ſeu Religione Antianitatem de juſtitia conſequuti fuiſſent ſimiliter indulgemus.

§. 9. Eiſdemque Conclaviſtis, & eorum ſingulis, ut quicumque loci ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, vel Cathedralium, ſeu duarum inſignium Urbis Collegiatarum Eccleſiarum, aut perſonæ aliæ quæcumque Eccleſiaſticæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quam extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligen. ſeu eligendæ quaſcumque penſiones annuas eis, & eorum ſingulis ſuper quibuſcumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, certis, & incertis quarumcumque menſarum Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, & Abbatialium, ac etiam diſtributionibus quotidianis etiam ratione ſervitii, & mercedis dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum; cæterorumque aliorum quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum etiam per prædictæ S. R. E. Cardinales obtentorum, & in poſterum obtinendorum cum cura, & ſine cura Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, ſeu fructus, redditus, & proventus hujuſmodi Beneficiorum reſervatos, ſeu reſervandos, etiamſi ſemel, vel pluries tranſlatæ, ſeù tranſlati fuerint uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera ſimilium in toto, vel in parte, ac in una, ſeù pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, & poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint alias ſimiliter penſiones annuas, ſeù fructus, redditus, & proventus hujuſmodi uſque ad ſummam prædictam, uni vel pluribus aliis perſonis Eccleſiaſticis, vel etiam clericali caractere nunc temporis nondum inſignitis cùm clauſula tamen ex tunc prout poſtquam dicto caractere ritè inſigniti fuerint per eoſdem Conclaviſtas, & eorum ſingulos nominan. etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus alias tamen penſionum capacibus, ſimiliter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Conclaviſtis reſervatæ, ſeù reſervati erant etiam abſque Beneficia ipſa obtinentium conſenſu integrè perſolvendas, ac per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levan. aut percipiendos, exigendos, & levandos, reſervare, conſtituere, concedere, & aſſignare valeant, præfatique Tranſlatarii in quaſi poſſeſſione dictas penſiones exigen. in qua ipſi Conclaviſtæ tempore tranſlationis per eos præſentium vigore facien. exiſtebant, in omnibus, & per omnia ſubrogati eſſe cenſeantur, etiam concedimus pariter, & indulgemus. Etiamſi ſimilem gratiam à prædeceſſoribus noſtris alias forſan obtinuerint, ſeu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum Privilegiorum Conclaviſtarum, quam ex quocumque alio indulto, & Privilegio quorum effectum per hanc novam gratiam, & conceſſionem impedire nolumus, ſed cumulativè conceſſam, vel conceſſas eſſe volumus itaut quilibet eorum cumulativè, & ampliativè prædictis facultatibus præſentibus, & præteritis privilegiis, hac in re conceſſis, uti, frui, & potiri poſſint; Decernentes ipſas tranſlationes, & novas reſervationes, conſtitutiones, & aſſignationes penſionum, ſeu fructuum, redditium, & proventuum hujuſmodi, ut præfertur facien. ex nunc prout poſtquam factæ fuerint plenam roboris firmitatem obtinere; ipſoſque Beneficia ſuper quorum fructibus, redditibus, proventibus, aliiſque hujuſmodi reſervatæ fuerint obtinentes ad illas perſolven. efficaciter obligatos fore.

Diſpenſat ſuper delatione habitus clericalis.

§. 10. Ac cum eiſdem Conclaviſtis, quod ratione quarumcumque penſionum annuarum eis & eorum cuilibet ſuper quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis etiam Cathedralibus, & aliis Eccleſiis, ſeu Monaſteriis etiam à prædictis S. R. E. Cardinalibus obtentis, & ut præfertur obtinendis, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra ſummam ducatorum ducentorum parium pro quolibet nunc, & pro tempore reſervatarum, & reſervandarum habitum, & tonſuram Clericales geſtare, & in illis, dummodo alias ipſi habitum decentem, & honeſtum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam deſuper cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, cenſuras, ac etiam privationis, ſeu ceſſationis ipſarum penſionum, pœnas, occaſione præmiſſorum incurrere poſſint, ſed eaſdem penſiones, ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum aſcenden. & reſervatas, ut præfertur etiamſi matrimonium jam contraxerint, vel poſt hac contrahere voluerint cum unica tamen, & virgine recipere, & liberè retinere.

Spolia de ipſorum bonis fieri prohibet.

§. 2. Poſtremo quod bona quæcumque ad dictos Conclaviſtas, & eorum quemlibet ſpectan. & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum etiam Canonicatuum, & præbendarum, ac dignitatum quarumcumque

per

per eos alias obtentorum, & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seu eorum industria legitimè tamen, ac alias licitè acquisita, & acquiren. etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubique existentia Spoliis minimè subjaceant, sed Conclavistæ prædicti etiamsi Religioni alicujus Militiæ, etiam prædicti S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint de illis in favorem quarumcumque personarum de jure tamen capacium etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum, & cujuslibet ipsorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari, & alias disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum hæredes quicumque succedere liberè, & licitè valeant simili modo concedimus, & indulgemus.

Executores deputat.

§. 12. Præcipientes, & mandantes eisdem S.R.E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ nostræ prædictæ, & quibusvis aliis Spoliorum hujusmodi Collectoribus, & Subcollectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Prioribus, & quibusvis aliis personis, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque gradus, status, ordinis, & præeminentiæ etiamsi speciali nota digni existant, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum Conclavistarum desuper molestare audeant, seù præsumant; ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti, & codicillorum per ipsos Conclavistas de eorum bonis hujusmodi facien. semper, & perpetuo validas, & efficaces fore.

Registrationem in Cam. remittit.

§. 13. Nec eosdem Conclavistas eorumve aliquem ad præsentem Motum proprium, seu litteras super præsentibus si videbitur conficien. in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illum, seù illas etiamsi motus proprius, & literæ hujusmodi intra legitimum tempus insinuatus, admissus, & registratus non fuerit, seu illæ insinuatæ admissæ, seù registratæ non fuerint propterea minus validum, seu validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, ac Motum proprium, & literas hujusmodi, & in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, & Constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, seù moderarentur, quæ à nobis, & dicta Sede, & pro tempore, & de quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentũ etiam Consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenùs, vel inposterum emanaverint minimè comprehensum, vel comprehensas esse, sed quoties illæ emanabunt toties eum, & eas in pristinum statum restitutum, repositum, & reintegratum, seù restitutas, repositas, & reintegratas esse censeri.

Clausulas præservativ. apponit.

Procuratori Conclavistarum eadem privilegia indulget.

§. 14. Et insuper cum dilectus filius Antoninus de Flore Clericus Neocastren. Civitatis, vel Diœcesis I. V. D. ac Collegii eorumdem Clericorum Cameræ Apostolicæ prædictæ Secretarius, & Minutorum Servitiorum Generalis Collector tamquam dictorum Conclavistarum Procurator in præmissis sedulam pro eis operam navaverit propterea, & aliorum meritorum suorum, & obsequiorum Nobis, & dictæ Sedi impensorum intuitu, Volentes ipsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi eidem Antonino licet ipse in Conclavi prædicto non intervenerit, nihilominus omnibus, & singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, indultis, exemptionibus, cæterisque præmissis, non tamen quoad participationem decemmillium scutorum auri hujusmodi per Nos ut supra, dictis Conclavistis donatorum, & inter eos, ut præfertur distributorum, seu distribuendorum, tanquam Conclavista, frui, & gaudere liberè, & licitè possit, & valeat, perindè, ac si Conclavi hujusmodi verè, & realiter interfuisset Constitutionibus, & ordinationibus, cæterisque supradictis, & aliis contrariis nequaquam obstan. Motu, scientia, & auctoritate similibus de speciali gratia indulgemus. Sicque per quoscumque Judices etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet in quavis causa aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, Irritumque &c. attentari.

§. 15. Et insuper Venerabili Fratri nostro Francisco Episcopo Hostien. & Veliternen. Card. Barberino nuncupato ejusdem S. R. E. Vicecancellario, & literarum Apostolicarum Summatori, necnon dilectis filiis Secretariis Apostolicis Præsidenti Plumbi, aliisque Officialibus, ad quos literarum prædictarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat, & pertinet, sub pœna indignationis nostræ Motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine paribus etiam mandamus, ut prædictas literas super præmissis omnibus, & singulis tam conjunctim, quam separatim pro singulis, quibus concessa fuerint, ac seorsim, & separatim cum omnibus, & quibuscumque derogationibus, decretis, & clausulis in eis concessis. Gratis etiam quoad compositionem in Dataria nostra, & per eamdem viam secretam absque alio mandato expediant, & expediri faciant.

§. 16. Insuper omnia, & singula privilegia, gratias, & concessiones eisdem Conclavistis, & eorum cuilibet à diversis Summis Pontificibus prædecessoribus nostris huc usque concessa, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus confirmamus, & approbamus, ac de novo liberalissime concedimus.

Contrariis derogat.

§. 17. Non obstan. præmissis, ac de certo eorundem Notariorum numero etiamsi ad illum non sit deventum, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de præstan. consensu in pensionibus, & felic. record. Pii Papæ Quarti, de similibus, & dissimilibus gratiis in d. Camera infra tres menses præsentandis, & registrandis ac Pii Quinti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra illegitimos, necnon Pictaven. Concilii, ac nostris, & Cancellariæ prædictæ regulis, etiam in crastinum dictæ Assumptionis Nostræ ad Summi Apostolatus Apicem editis, & in prædicta Cancellaria publicatis, ac etiam in universalibus, & Provincialibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum etiam S. Joannis Jerosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, ac aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum Cameræ prædictæ, & quarumvis Universitatum etiam juramento &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, decretis, & novis reformationibus etiam legibus, tàm Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, ac Sacris Canonibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis illis eorumque Superioribus, & personis, ac locis quibuscumque in genere, vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam vim contractus, & statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & Consistorialiter, ac alias in contrarium concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis juribus omnibus, quibus omnibus &c. etiamsi de illis &c. eorum tenores &c. illis aliàs &c. permansuris hac vice dumtaxat specialem, & expressè motu pari derogamus. cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio I.

ET

ET cùm abſolutione à cenſuris ad effectum &c. & quod obſtantiæ etiam beneficiales Conclaviſtarum, & ab eis ſubrogati hujuſmodi, & diſpenſationes, ac indulta habeantur pro expreſſis, ſeù in toto, vel in parte exprimi poſſint in litteris, & in caſibus regulæ de inſordeſcen. cum opportuna illius necnon alterius regulæ de non tollen. jure quæſito derogatione, & quarumcumque aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Conciliorum etiam generalium, & ſtatutorum, ſtabilimentorum, uſuum, naturarum, Conſtitutionum ſinodalium, ſtatutorum, ac privilegiorum Populi Romani, & Cluniacen. Ciſtercien. S. Benedicti, S. Auguſtini, & aliorum Ordinum, & Militiarum etiam S. Jo. Hieroſolymitani, & Eccleſiis, Monaſteriis, Civitatibus, & locis, & perſonis, & Dominis temporalibus ſub quibuſcumque verborum formis, ac eum quibuſvis efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis, etiam Conſiſtorialibus, etiam contra alienigenas, & alias perſonas certis modis non qualificatas, aut alias quomodolibet conceſſis quorum tenores &c. latiſſimè, ac de verbo, ad verbum, prout ipſis Conclaviſtis magis placuerit exprimi poſſint, & cum ſuſpenſione quarumcumque gratiarum, indultorum quibuſvis ordinariis collatoribus conferendi Beneficia Eccleſiaſtica etiam reſervata ad eorum collationem &c. pertinentia, & in omnibus, aut certis expreſſis cauſis quomodolibet conceſſis latiſſimè extenden. ita ut omnia tollantur, & quod ſola præſentis Motûs proprii ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat, in judicio, & extra regula contraria non obſtan. & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum indultorum, conceſſionum, gratiarum, derogationum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in litteris ſi videbitur, in quibus ſingulorum Conclaviſtarum nomina, & cognomina, qualitates, ordines, gradus diœc. patria, & cætera requiſita exprimi, & deſcribi, ſeù pro expreſſis, & deſcriptis haberi poſſint inter eos Sacriſta, & Magiſtri Ceremoniarum Capellæ Noſtræ, necnon Secretarius Collegii eorumdem Cardinalium, & cœteri alii in notula per ipſos Magiſtros Ceremoniarum facta, & deſcripta adnotati, & deſcripti ſi alias ad penſiones, & beneficia hujuſmodi habiles & capaces fuerint, comprehendantur, & adnotentur ſimul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expedien.

Tranſumptorum fides. §. 18. Volumus autem, quod litterarum ſuper præſentibus conficiendarum, ſeù præſentis Motus proprii tranſumptis impreſſis, & ſigillo, ac manu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & ſubſcriptis etiam fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus litteris, ſeù præſenti Motui proprio originali adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, aut exhibitus vel oſtenſus foret. FIAT I.

Dat P. An. 4. die 1. Aug. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem quarto Nonas Auguſti Anno primo.

Nomina autem ipſorum Conclaviſtarum ſunt hæc, quæ ſequuntur.

REverendiſſ. D. Franciſcus Maria Phœbeus Urbevetanus, Archiepiſcopus Tarſenſis, Præceptor Archihoſpitalis Sancti Spiritus in Saxia, Canonicus Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, primus Cæremoniarum Magiſter. Reverendiſſ. D. Fr. Ambroſius Landuccius Senenſis, Epiſcopus Porphyrien. Sacriſta noſter. Carolus Vincentius Carcaraſius Presbyter Romanus, & perpetuus Beneficiatus Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Fulvius Servantius Presbyter de Sancto Severino, Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ in Via lata de dicta Urbe, Petrus Antonius de la Pedacchia, Presbyter Romanus, perpetuus Beneficiatus in Baſilica Principis Apoſtolorum de eadem Urbe, Magiſtri Cæremoniarum Abb. Auguſtinus Favoritus, Presbyter Lunen. Sarzanen. Canonicus Baſilicæ S. Mariæ Majoris de prædicta Urbe, Sacri Collegii Secretarius, Antonius Cappellinus Clericus Sabinenſis, Blaſius Egidius Laïcus de Palumbaria Sabinen. Diæc. Franciſcus Guillemus Laïcus Namurcen. Diæc. Noſtri, dum Cardinalatus honore fungebamur, Franciſcus Cerrus Romanus Clericus conjugatus, Agapitus Colorſius Presbyter Præneſtinus, perpetuus Beneficiatus in prædicta Baſilica Principis Apoſtolorum, Michaël Angelus Mazzola Presbyter Cluſinæ Diæc. perpetuus Clericus Beneficiatus in eadem Baſilica Principis Apoſtolorum, Franciſci Oſtienſis Barberini. Joſeph Mauccius Presbyter Romanus, Joan. Antonius Quaglinus Clericus Taurinen. Diæc. Martii Portuen. Ginetti. Antonius Simon Abbas Balleonus Presb. Piſauren. Fauſtus Turſius Clericus Spolet. Diæc. Joannes Veranus Laïcus Vintimilien. Antonii Præneſtin. Barberini. Adrianus Fracaleſſius Presbyt. Fanen. Diæc. Aſcanius Paganellus Presb. Camerinen. Michaël Angelus Tarinus Clericus Ravennaten. Jo. Baptiſtæ Tuſculan. Palloti. Angelus Dinus Presbyt. Sartheanen. Cluſinæ Diæc. Franciſcus Ciceri Clericus Mediolanen. Franciſci Mariæ Sabinen. Brancatii. Hieronymus Fabrius Clericus Ariminen. Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Anaſtaſiæ de prædicta Urbe, Jo. Baptiſta Sardineus Presb. Ulturarien. Diæceſ. Carolus Grillinus de Fabriano Presb. Camerinen. Diæc. Vlderici Albanen. Carpinei. Venerabil. Fratrum noſtrorum Epiſcoporum. Michael Orſuccius Presbyt Lucen. Coſmas de Agoſtinis Clericus Florentinus, Erneſti Adalberti S. Praxedis Harrach. Joſeph Maria Ceresola Presb. Januen. Vanninus de Gattis Presb. Urbanien. Julius Gaſparinus Laicus Aeſinus, Stephani S. Laurentii in Lucina Duratii, Julius Cæſar de Doctis Clericus de Burgo S. Sepulchri, Franciſcus Riccardus Clericus Aretinus, Julii S. Priſcæ Gabriellii. Vicinus Urſinus Romanus Laicus, Bartholomæus Ginus Clericus Sutrinæ Diæceſ. Gaudentius Santillus Spoletan. Laicus, Virginii S Mariæ Angelorum Urſini. Abb. Joan. Baptiſta Petramellara Presbyt. Bononienſ. Archidiaconus Cathedralis Eccleſiæ Spolet. Jo. Andreas Borbonius Presb. Senen. Cæſaris SS. Quatuor Coronatorum Fachenetti. Benedictus Lupertus Presb. Callien. Antonius Vigneul Clericus Meten. Hieronymi SS. Trinitatis in Monte Pincio Grimaldi. Jo. Franciſcus de Laurentiis Ripanus, & Eccleſiæ Ripan. Archidiaconus, Julius Cæſar de Cæſaris Clericus à Barbara Nullius Diæc. Caroli S. Silveſtri in Capite Roſſerti. Ferrantes Orſellus Clericus Forolivien. Jo. Baptiſta Carpanus Presbyter Vercellen. Joannes de Ognate Pampelonen. Laïcus, Nicolai S. Mariæ Tranſtyberim Ludoviſii. Marchio Claudius Pallavicinus Parmenſis, Jacobus Girod à Burgundia Mignovillaus Laïcus, Alderani S. Pudentianæ Cybo. Michaël de Setina Presbyt. Cæſarauguſtanus Canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ SS. Virginis de Pilar Cæſarauguſtan. Antonius Sinibaldus Clericus Romanus, Hiacynthus Fanciullus Viterbien. Laïcus, Federici S. Petri ad Vincula Sfortiæ. Franciſcus Maria de Alice Presbyt. Mediolanen. Joſeph Sanctes Flamma Comen. Laïcus, Benedicti S. Honuphrii Odeſcalchi. Michaël Imperialis Clericus Januen. Thomas Piſcius Presbyt. de S. Juſto Firmanæ Diæc. Laurentii SS. Quirici, & Julittæ Raggii. Dominicus de Malclerc à Sommervillers Clericus Tullen. Diæc. Carolus Fromentin Laïcus Sueſſionenſis, Joannes Zaraquiequi Clericus Tiraſonenſis; Joannis Franciſci Pauli S. Mariæ ſuper Minervam de Retz. Petrus Martyr Merizola Clericus Papien. Ferdinandus Colletta-Laïcus Signinus, Aloyſii S. Alexii Homodei. Vincentius Lucciolus Clericus de Mevania Spolet. Diæceſ. Petrus Paulus Pontinus de Setia Terracinen. Diæc. Petri S. Marci Otthoboni.

boni. Abbas Franciscus Tassius Clericus Ariminen. Joannes Felix Cameresius Presbyt. Spolet. Diæc. Laurentii S. Crysogoni Imperialis. Federicus Calistus de Monte Georgio Clericus Firmanæ Diæc. Franciscus Dominicus de Rubeis Presbyt. Prænest. Diæcef. Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Giberti SS. Joannis, & Pauli Borromæi. Abbas Marcus Antonius Guaschus Presbyt. Romanus perpetuus Beneficiatus in dicta Basilica Principis Apostolorum, Carolus Gallus Clericus Romanus, Marcelli S. Stephani in Monte Cœlio Sanctacrucii. Nicolaus Theobaldus Presbyt. Tullen. Joannes Ricchius Clericus Lucen. Joan. Baptistæ S. Marcelli Spadæ. Carolus de Marchis Presbyt. Asculan. Joseph Sfasciamontius Laïcus Montisalti Diæcef. Francisci S. Mariæ in Via Albitii. Abbas Joseph Spinvecius Presb. Firmanus, Honuphrius Corradinus Laïcus de Fabriano Camerinen. Diæc. Petrus Pantinus Laïcus Romanus, Octavii S. Cæciliæ de Aquaviva. Abb. Nicolaus Piccolomineus Clericus Senensis, Alexander Tosius de Monte Cassiano Lauretanæ Diæcef. Canonicus Basilicæ S. Mariæ Transtyberim de Urbe, Bernardinus Mancinus Laïcus Florentinus, Flavii S. Mariæ de Populo Chisii. Philippus Maria Ptolomæus Presbyt. Senens Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Senen. Joseph Montius Laïcus à Balneo, Burgi S. Sepulchri Diæc. Scipionis S. Sabinæ Delcii. Zenobius Casinus Presb Florentinus, Andreas Minder Clericus Avenionen. Laurentius Cabella Clericus Januen. Hieronymi S. Agnetis extra Mœnia Farnesii. Andreas Mansius Presbyter Lucen. Canonicus Cathedralis Ecclef. Lucen. Lelius Cerchius Lucen. Laïcus, Hieronymi S. Hieronymi Illyric. Bonvisii. Paulus Peccius Clericus Senen. Maffimilianus Uvamberchies à Binchio Clericus Cameracen. Diæcef. Antonii S. Augustini Bichii. Joseph Mondinus Presbyt. Lauden. ejusdem Laudensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, Joann. Franciscus Aggravius Clericus Prænestinus, Petri S. Calixti Vidoni. Abbas Marcus Antonius Zollius Presbyt. Bergomen. Henricus Gial Laïcus Frisingen. Diæcef. Gregorii S. Thomæ in Parione Barbarici. Flaminius Marionus Clericus Eugubinus, Joannes Claudius Tullen. Hieronymi SS. Marcellini, & Petri Boncompagni. Carolus Bozzolus Presbyt. Mediolan. Canonicus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Nazarii Civitatis Mediolani, Gabriel Gatticus Presbyt. Mediolanen. Joseph Vannarellus Laïcus de S. Gynesio Camerin. Diæcef. Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littæ. Franciscus Milonus Presbyt. Nicien. Stephanus de Castro Laïcus Florentinus, Nerii SS. Nerei & Achillei Corfini. Joann. Baptista Michelius Clericus Sarsinaten Horatius Fuschignonius Laïcus Romanus, Caroli S. Anastasiæ Bonelli. Joann. Baptistæ de Mitibus Presbyt. Firmanus, Petrus Sodus Pientinæ Diæcef. Cœlii S. Petri in Monte aureo Piccolominei. Abbas Franciscus Antonius Gallus de Austrimont Presbyt. à Latertia Acheruntinæ Diæcef. Joseph Cresconius Presbyt. Benevent. Diæcef. Caroli S. Susannæ Carafæ. Ludovicus Piccinus Clericus Aesinus, Michaël Angelus Zaccaria Clericus Romanus, Palutii SS. duodecim Apostolorum Palutii Albertonii. Carolus Rasponus Eques S. Stephani, Ravennas, Carolus Antonius Corradus Laïcus Callien. Cæsaris S. Joannis ante Portam Latinam Rasponi. Joseph de Molaria Clericus Romanus, Franciscus Titius Laïcus Aretinæ Diæcef. Nicolai S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus. Abbas Alexander Sozzinus Clericus Senen. Franciscus Cæsarinus à Civitate Theatina Clericus conjugatus, Jacobi S. Mariæ de Pace Nini. Abbas Benedictus de Rubeis Presbyt. Firmanæ Diæcef. Jacobus Spinelli Presbyt. Vintimillien. Diæcef. Caroli Roberti Victorii. Andreas Lisius Laïcus Urbinas, Joseph Zafonti Presbyt. Senen. Julii Spinulæ. Abbas Metellus Talpa Clericus de S. Severino, Silvius Vincentius Laïcus Senen. Innici tituli S. Clementis Caraccioli. Comes Virginius Maninus Presbyt. Aquileien. Decanus Ecclesiæ Utinen. Franciscus Cianus Laïcus Utinen. Aquileien. Diæcef. Joannis Delphini, Presbyterorum S. R. E. nuncupatorum, Marchio Franciscus Casatus Presbyt. Placentinus, Alexander Mazzinus Laïcus Regien. Petrus Scribò de Marcellinis Laïcus Parisien. Raynaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Esten. Antonius de Possentibus Presbyt. à Fabriano Camerinen. Diæcef. Abbas Carolus Bonaccius Clericus Romanus, Joann. Dominicus de Pasqualibus Clericus Imolen. Joann. Stephani S. Agathæ Donghii. Joann. Felix Binus Presbyt. Assisien. Joann. Antonius Stracchiccius Clericus de Canaria Assisien. Diæcef. Pauli Æmilii S. Mariæ in Cosmedin Rondinini. Hugo Maffeus Clericus conjugatus Volaterranus, Michaël Angelus Brunocchius Clericus de Capraola Civitatis Castellanæ Diæcef. Francisci S. Mariæ in Vialata Maidalchini. Carolus Eustachius Romanus Clericus conjugatus, Eques S. Jacobi de Spata, Franciscus Haim Laïcus Augustanus, Theodosius Hergodes Laïcus de Gramont Mallinensis, Friderici S. Cæsarei de Hassia. Carolus Albanus Urbinas Laïcus, Joannes Cesius Clericus Abbatiæ Sublacen. Nullius Diæcef. Caroli S. Angeli in foro Piscium Barberini. Jacobus Sorbolongus Forosempronien. Clericus conjugatus, Salvator Serra Presbyt. Ferrarien. Caroli S. Eustachii Pii. Comes Ranerius de Baschis Clericus Urbevetan. Antonius Sorreca Presbyt. à Monte Georgio Firmanæ Diæcef. Caroli S. Pancratii Gualterii. Canonicus Stephanus Ricciardus Presbyt. Firmanus, Matthæus Passanus Laïcus Tiburtin. Decii S. Adriani Azzolini. Abbas Joannes Senesius Presbyt. Perusin. Felix Orsellius Clericus Forolivien. Antonius Giansettus Laicus Romanus. Odoardi SS. Cosmæ, & Damiani Vecchiarelli. Joann. Vincentius Condivius Presbyt. Ripanus, Philippus Capriolus Laïcus Romanus, Jacobi S. Mariæ in Aquiro Fransoni. Abbas Hilarius Mazzocchius Clericus Romanus, Simon de Amicis Laicus de Camerino, Francisci Mariæ SS. Viti, & Modesti Mancini. Paulus Franciscus Scottus Laïcus Narnien. Hieronymus Benvignatus Clericus de Roccacontrada Senogallien. Diæcef. Angeli Sancti Georgii ad Velum aureum Celsi. Petrus Paulus Grappolinus Presbyt. Romanus. Paulus Racchellius Laïcus Spoletan. Pauli S. Mariæ de Scala Sabbelli Peretti, Abbas Franciscus Butus Presbyt. Romanus, Abbas Paulus de Machaut Clericus Parisienf. Paschalis de Fornier Clericus conjugatus Marticen. Ludovici de Vandosme. Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum. Ferdinandus Ximenes è Societate JESU, Florentin. Confessarius. Dominicus Cappellus Presbyt. Asculanus, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Anastasiæ de prædicta Urbe cum Reverendissimo D. Phœbeo Archiepiscopo Tarsen. Fr. Mag. Joann. Baptista Ursius Ord. S. Augustini cum Reverendissimo D. Sacrista. Valerianus Capriolus Clericus Romanus cum Secretario Sacri Collegii. Abbas Pompeius Scarlattus Clericus Florent. Custos Fontis, & aquarum Conclavis. Matthæus Parisius de Benaudis Materanen Diæcef. Joannes Tiracorda Firman. Medici Physici. Gabriel à Porta de Villafrança Sarzanen. Diæcef. Chirurgus. Joann. Petrus Paulutius Pisauren. Aromatarius. Franciscus Maria Servitius de Monte Baroccio Pisauren. Diæcef. Hieronymus Bilienus de Verchiano Spolet. Diæcef. ejus Auxiliatores. Dominicus Altimanus de Vignola Mutin. Diæcef. Petrus Galoppus Favent. Barbitonf. Antonius Rosellus Firmanus, Gaspar Mazzantes Fanen. eorum Auxiliatores. Franciscus Gualdus Faber lignarius. Donatus Corsius Faber Cementarius. Joannes Cecchettus de Penna Maceraten. Diæcef. Familiaris Magistrorum Cæremoniarum.

Antonius Felicettus. Jo. Dominicus Zonus. Franciscus Orlandus. Joseph Colettus. Antonius Comus. Benedictus Mugnanus. Antonius Julius. Carolus Antonius Guinettus. Petrus Zucconus. Salvator Brandolinus. Paulus Antonius Brunus. Jo. Jacobus Giaschettus. Jo. Franciscus Zonus. Dominicus Rubeus. Joseph Bernardini. Antonius Piscis. Andreas Jō. Sanctori. Petrus Brandus. Joannes Rossettus. Antonius Evangelista. Antonius Cambrunus. Fulvius Girottus. Jo. Maria Catenaccius. Augustinus Gabriellius. Jo. Paulus Guinettus, Scopatores Conclavis.

Confirmatio Decreti Cardinalis Palloti circa validitatem Capituli in Provincia Pervana à Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini celebrati.

CLEMENS PAPA IX.

Edita An. D. 1667.

Ad futuram rei memoriam.

Causa Indul.

ALias pro parte dilecti filii Dominici de Cifuentes Provinciæ Pervanæ Ord. Eremitarum S. Augustini Procuratoris specialis ad petendam confirmationem Capituli ejusdem Provinciæ ultimo loco celebrati, necnon Definitoris pro ferendo suffragio nomine ejusdem Provinciæ in Capitulo Generali Ord. hujusmodi tunc proximè celebrando Congregationi Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito quod dilectus pariter filius Ignatius de la Cerda Frater expresse professus Ord. prædicti præmissis se opponebat coram tunc existente Priore Generali d. Ord. necnon Venerab. fratre nostro Joanne Baptista Episcopo Tusculan. ejusdem S. R. E. Cardinale Pallotto nuncupato Ord. hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore; Et propterea d. Congregationi pro parte Dominici prædicti supplicato, quatenus præciperet, & mandaret, ut in hujusmodi causis procederetur ad præscriptum literarum, & decretorum Apostolicorum.

Decretum Sac. Congr.

§. 1. Emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris qui sequitur videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis narratis Oratoris preces remisit ad Eminentissimum Pallotum Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectorem qui supra expositis pro suo arbitrio, & prudentia decernat quod Juris erit ad præscriptum Apostolicarum, & ejusdem Ordinis Constitutionum. Romæ 13. Maii 1667. M. Card. Ginettus.

Decretum Card. protectoris.

§. 2. Cum autem sicut nomine dilectorum etiam filiorum Prioris, Provincialis, & Definitorii memoratæ Provinciæ Pervanæ Nobis nuper expositum fuit prædictus Joannes Baptista Cardinalis, & Protector vigore decreti præinserti subinde partibus auditis, decretum ediderit, tenoris sequentis, videlicet, Joannes Baptista Miseratione divina Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Pallottus nuncupatus totius Ord. Eremitarum S. Augustini auctoritate Apostolica Protector, & in Capitulo Generali ejusdem Ordinis Præses, in causa, seu causis coram Nobis etiam ex rescripto Sacræ Congregationis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ penden. super validitate electionum Definitoris, & Discreti fact. in Definitorio Provinciæ Pervanæ, necnon super confirmatione, seu annullatione Capituli Provincialis d. Provinciæ auditis partibus oretenus, & in scriptis, reque maturè considerata declaramus d. Capitulum validè celebratum, & proindè confirmandum esse, prout confirmamus, & nihilominus P. Mag. Ignatium de la Cerda in prædicto Definitorio ante tempus Capituli Provincialis in Definitorem Capituli Generalis electum, attenta bona fide, & consensu à Patre Lectore Fratre Dominico de Cifuentes in Definitorem ejusdem Capituli Generalis in d. Capitulo Provinciali electo pro bono pacis spontè præstito admittendum esse ad ferendum votum in Capitulo Generali mox celebrando, tamquam Deffinitorem; Patrem verò Magistrum Gabrielem Aqueva in prædicto Capitulo Provinciali in Discretum ad idem Capitulum Generale electum in eodem tanquam Discretum ad ferendum votum admittendum esse, & ità decernimus, & mandamus, non solum prædicto, verum etiam omni alio meliori modo. Datum Romæ die 26. Maii 1667. I. B. Card. Pallottus Protector, ac Præses, & Delegatus. Prædicti verò exponentes decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent.

§. 3. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati præinsertum memorati Joannis Baptistæ Episcopi Cardinalis, & Protectoris decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Quod modo hic confirm.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis & Provinciæ hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Augusti 1667. Pontificatus Nostri anno primo. Dat. P. A. 1. die 11. Aug.

Privilegia, Exemptiones, & Indulta, Dapiferis, qui in Conclavi suæ Assumptionis S.R.E. Cardinalibus inservierunt, concessa.

CLEMENS PAPA IX.

MOtu proprio, &c. Nos volentes dilectos filios nostros, dum Cardinalatus honore Causæ hujus Indulti.

funge-

fungebamur, & Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divina favente Clementia ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, Inservierunt, quique ea de causa labores, vigilias, & incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuscumque meritis exornare, ac eosdem Dapiferos, & eorum singulos.

§. 1. Motu proprio, non ad ipsorum Dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine in veros, indubitatos, & non fictos familiares continuos Commensales nostros, & eos, qui ex illis Clerici existunt, seù militiæ Clericali adscribi desiderant, quousque tres ex præfatis Cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, Nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in nostros & Apostolicæ Sedis Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium, tenore præsentium recipimus, & tàm illos, quàm alios Dapiferos singulos, qui singillatim ab eisdem Tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, & Milites, ac tàm illos, quàm alios omnes quoscumque Dapiferos indistinctè, qui Nobiles non sunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus, temporali dominio dictæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis, Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nulla prorsus differentia inter eos, & singulos alios veros Originarios, & antiquissimos, & nobiles participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis.

Jus civitatis in ipsorum hæredes trãsfert.

§. 2. Itaut ipsum jus Civitatis ad quoscumque eorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & insignibus decoramus aliorumque Familiarium continuorum Commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, & in illius Tinello comedentium, & bibentium nostrorum, & Sedis Apostolicæ Notariorum, Palatiique, & Aulæ præfatæ Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujusmodi Originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris indubitatis, & non fictis Familiaribus continuis commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibusque, Militibus, Nobilibusque, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eisque in quibuscumque impetrationibus, ac concessionibus, & literis, tàm gratiam, quàm justitiam separatim, seu utramque mixtim concernen. se Familiares, continuos commensales nostros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & literæ ipsæ subreptionis vitio subjaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuscumque, & prorsus similibus antelationibus antelationum, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictæ Assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantes, existentes, etiamsi habitum, & Rocchettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique & Aulæ prædictæ Comites, & Milites, ac Nobiles Originarii, & Antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut præfertur, elegerint quicumque ex utroque Parente verè Nobili, ac Cive Civili, & originario antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali Privilegio, seù alias etiam per quascumque literas, seù Constitutiones Apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extra, sine tamen eorundem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus, & per omnia etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint perinde, ac si de vero nobili genere ex utroque Parente Originario, & antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, Indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus Originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt pro eisdem Dapiferis in specie emanassent, seù emanarent, eidem naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, vigore præsentium indulgemus.

Comites, & milites creat.

A Gabellis, aliisque oneribus liberat.

§. 3. Ac singulos Dapiferos præfatos à solutione, & exactione Decimarum Ecclesiasticarum ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentissima, & inexcogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumque aliorum Principum impositarum, & imponendarum pro tempore liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus, ipsi Dapiferis, eorumque singulis quoscumque fructus, & proventus Ecclesiasticos tàm occasione Pensionum annuarum ipsis, vel eorum alicui reservatarum, quàm ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebitè perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint, gratiosè remittimus, & condonamus, ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censutis hujusmodi ligati Missas, & alia Divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in Divinis se immiscuerint, ut illa, & eisdem præmissis non obstantibus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines aliàs tamen ritè promovere, & illis etiam susceptis alias ritè per eos ordinibus etiam in Altaris Ministerio Ministrare etiam liberè, & licitè valeant, dispensamus.

Illegitimos, legitimis natalibus restituit.

§. 4. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum Natalium patiuntur ex quocumque damnato, & illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus, ac vilibus fœminis, forsan procreati sint etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniture hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis Natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, & maternis, & aliorum consanguineorum, seù Cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudalibus, & emphiteuticis, aut ecclesiasticis, vel ab Ecclesia acquisitis, ac sine præjudicio Venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de jure valida dispositione succedere, & illa donationis, seù alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditate, legata, libertates restituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu.

Ad dignitates, & officia admittit.

§. 5. Necnon ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia sæcularia publica, vel privata, etiam assumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ac clericali charactere, qui illo nondum

insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam sacros & Presbyteratus ordines, si ad illos nondum promoti sunt, promoveri, & post modum caractere, & Ordinibus hujusmodi, illorumque Privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, ac quæcumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura beneficia Ecclesiestica, etiamsi personatus administrationes, & Officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & præbendæ, non tamen in Cathedralibus post Pontificalem, majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in illis recipere, & dummodò plura simul non sint, quamque à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere liberè, & licitè valeant, similiter dispensamus.

§. 6. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, provisiones, Commendæ, ac præsentes, & quævis aliæ literæ Apostolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expediantur, tàm de capienda possessione nomine Cameræ Apostolicæ, quam in favorem literarum Apostolicarum: ubi illis super provisionibus quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris Familiaribus, & continuis Commensalibus etiam gratis dantur, ac conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus, ac Dapiferis præfatis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum, aut personæ quæcumque Ecclesiasticæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ quascumque Pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis certis, & incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum etiam per S. R. E. Cardinales obtentorum, & imposterum obtinendorum cum cura, & sine cura Sæcularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, seù fructus, redditus, & proventus aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas, seù reservatos, ac reservandas, seù reservandos, etiamsi aliàs semel, vel pluries translati fuerint usque ad summam centum ducatorum in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, aliàs similes Pensiones annuas, seù fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam, uni, vel pluribus aliis personis Ecclesiasticis per eosdem Dapiferos, & eorum singulos nominandis quotcumque, quæcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus; aliàs tamen Pensionum hujusmodi capacibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & forma, quibus eisdem Dapiferis reservatæ, seù reservandæ fuerint etiam absque beneficia hujusmodi Obtinentium consensu integrè persolvendas, seù persolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos, reservare, constituere, & assignare valeant, ipsique, Translatatii in possessionem dictas Pensiones exigendi, in qua ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ, existebant, in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur etiam concedimus, & indulgemus etiam si similem gratiam à Prædecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seù quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulativè eos gaudere, & potiri volumus.

De pensionibus dispensat.

§. 7. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, constitutiones, & assignationes Pensionum, seù fructuum, redditum, & proventuum aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus, & proventibus reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem Dapiferis, ut ratione quarumcumque Pensionum eis, & eorum cuilibet, super quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, tunc, & pro tempore reservatarum, ac reservandarum, habitum, & tonsuram clericales gestare, & in illis dummodò ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam cogi, seù compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seù cessationis ipsarum Pensionum ad prædictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, & reservatas, ut præfertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unica tantum, & virgine, recipere, & retinere.

Translationes pēsionum concedit eo modo de quo in const.

§ 8. Posttemò quòd bona quæcumque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum etiam Canonicatuum, & præbendarum, ac Dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum, & obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seù eorum industria, legitimè tamen & licitè acquisita, & acquirenda etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minimè subjaceant: sed ipsi Dapiferi etiamsi Religioni alicujus Militiæ, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque Personarum de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum hæredes quicumque succedere liberè, & licitè valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

Ad testandū habilitat.

§. 9. Præcipientes, & mandantes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ nostræ Apostolicæ, & quibuscumque aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Procuratoribus ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes dictorum Dapiferorum desuper molestare audeant, seù præsumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti, & Codicillorum per ipsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas semper, & perpetuò validas, & efficaces fore, nec eosdem Dapiferos eorumque aliquem ad literas super præsentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illas etiam si intra tempus legitimum insinuatæ, admissæ, seù registratæ non fuerint, propterea minùs validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque præsentes, & in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, Constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent aut moderarent, quæ à Nobis, & dicta Sede pro tempore, & de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in Divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus, vel imposterum emanaverint, minimè comprehendi, sed quoties illæ ema-

A molestiis liberat.

nabunt,

nabunt, toties in pristinum statum repositas, & reintegratas esse, & censeri. Sicque per quoscumque Judices etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Expeditionē gratiosam mandat.

§. 10. Et insuper dilectis filiis Rescribendario, & Computatori Collegii Scriptorum literarum Apostolicarum, & aliis, ad quos earundem litterarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna indignationis nostræ Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus mandamus ut easdem præsentes, & forsan alias litteras super præmissis omnibus tàm conjunctim, quàm divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis, Gratis de mandato nostro ubique in omnibus Officiis, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum Plumbi, & Registri absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis facien. omni contradictione, & dilatione cessantibus, signent, expediant, & expediri faciant.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus eisdem præmissis, ac de certo Notariorum numero, etiam si ad illum non sit deventum, quibus aliàs per præsentes non intendimus derogare, ac regula nostra de præstando consensu in Pensionibus, ac fœlicis recordationis Pii Papæ Quarti Prædecessoris nostri, de similibus, vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica infra tres Menses præsentandis, ac registrandis, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ V. etiam Prædecessoris nostri contra Illegitimos, ac Pictaven. Concilii, & aliis Apostolicis; ac etiam in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & Monasteriorum Ecclesiarum Ordinum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, aut Cameræ prædictæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, usibus, & naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tàm Pontificiis, quàm Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam Sacris Canonibus, Privilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis Superioribus, ac personis, & locis quibuscumque in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam vim contractus, & statuti perpetui continentibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus, ac etiam Consistorialiter, ac aliàs forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, inter alia disponen. quod beneficia Urbis nonnisi personis certis modo, & forma qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militiarum expressè professis conferri, & commendari soleant, quibus omnibus, etiam si alias pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè harum serie Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio I.

Et cum absolutione à censuris ad effectum &c. & in casibus regulæ de insordescentibus cum opportuna illius, necnon alterius regulæ de non tollendo jure quæsito, aliisque necessariis, & opportunis derogationibus, quatenus opus sit, & quod Indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliarumque præmissorum omnium, & singulorum major, & verior specificatio, & expositio fieri possit in literis, in quibus singulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, ordines, qualitates, gradus, Diœceses, Patriæ, & alia requisita exprimi, & describi, seù pro expressis, & descriptis haberi possint juxtà Notulam per ipsos, seù eorum Deputatos confectam simul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de illa, vel aliis, prout videbitur expedire expedien. &c.

§. 12. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, & sigillo, & manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, subscriptis eadem fides tàm in judicio, quam extra illud adhibeatur, quàm originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Volumus autem, quòd sola præsentis Motu proprii Nostri Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

Fiat I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Quartodecimo Kal. Septembris Anno primo. D. P. An 1. die 19. Aug.

Nomina autem ipsorum Dapiferorum sunt hæc, quæ sequuntur.

PAulus Strada Romanus Clericus Conjugatus noster dum Cardinalatus honore fungebamur. Gentilius Fidelis Clericus Camerinen. Francisci Ostien. Barberini. Joannes Gamba I. V. D. Sacerdos Ravennaten. Martii Portuen. Ginetti. Abbas Carolus Vainus Commendatarius Sanctorum Mauritii, & Lazari Romanus, Antonii Prænestin. Barbarini. Joannes Baptista Vannius Clericus de Caldaroa, Joannis Baptistæ Tusculan. Palotti. Baldus Corradus Clericus Maceraten. Francisci Mariæ Sabinen. Bancatii. Canonicus Guidus Mucciolus Sacerdos de Burgo pacis Urbanien. Ulderici Albanen. Carpinei. Antonius Talentius Canonicus Romanus, Ernesti Adalberti S. Pradexis Harrach. Franciscus Botius Sacerdos, & Canonicus Genuensis, Stephani Sancti Laurentii in Lucina Duratii. Joseph Lampanus Clericus I. V. D. à Monte Flascone, Julii Sanctæ Prisciæ Gabriellii. Paulus Nicola Vinerius Laicus Recanaten. Virginii Sanctæ Mariæ Angelorum Ursini. Cæsar Sega Clericus Bononien. Cæsaris Sanctorum quatuor Coronatorum Fachenetti. Alexander Libicinus Clericus, & Prior Sancti Siffoini Dioc. Aximo Hieronymi Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Grimaldi. Comes Joannes Baptista Laverchius Laicus Faen. & Eques Sancti Stephani, Caroli Sancti Stephani in Capite Rossetti. Antonius Maria Petronius I. V. D. Sacerdos à Monte Reale Diœc. Reatin. Nicolai S. Mariæ Transtiberim Ludovisii. Joannes Baptista Tamphanus Sacerdos Forosempronien. Alderani Sanctæ Pudentianæ Cibo. Hieronymus Lancettus Clericus Cesenaten. Federici Sancti Petri ad Vincula Sfortia. Fœlix Bonafides Clericus Firmanus, Benedicti Sancti Honuphrii Odescalchi. Joannes Baptista Pellegrinus Clericus Mediolanen. Laurentii Sanctorum Quirici, & Julitæ Raggii. Joannes Rennius Ambianen. Diœc. Laicus, Francisci Pauli S. Mariæ super Minervam de Retz. Carolus Vismara Laicus Mediolanen. Aloysii S. Alexii Homodei. Benedictus Mazzinus Clericus Romanus, Petri S. Marci Otthoboni. Fulvius Augustinus Venetianellus Clericus I. V. D. Urbinaten.

Laurentii S. Chrisogoni Imperialis. Angelus Clanellonus Laicus Reatinus, Giberti Sanctorum Joannis, & Pauli Borromei. Julius Guascus Clericus Romanus Marcelli S. Stephani in Monte Cælio Sanctacrucii. Joannes Baptista Buccata Clericus Bergomen. Joannis Baptistæ Sancti Marcelli Spadæ. Angelus Vignatus Laicus Lodegianus, Francisci S. Mariæ in Via Albici. Franciscus Horatius Speculus Clericus Romanus, Octavii Sanctæ Cæciliæ de Aquaviva, Antonius Theodosius Senensis Clericus, Flavii S. Mariæ de Populo Chisii. Thomas Claudius Clericus Conjugatus Pergulen. Scipionis S. Sabinæ Delcii. Franciscus Salundocius Clericus Florentin. Hieronymi Sanctæ Agnetis extra mœnia Farnesii. Michael Bizzottus Sacerdos Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Paulini, & Donati Lucen. Hieronymi S. Hieronymi Illycorum Bonvisi. Hieronymus Piccolomineus Clericus Senen. Antonii S. Augustini Bichii. Dominicus Venantius Clericus Nepen. Petri S. Calixti Vidoni. Hieronymus de Dominicis Sacerdos Belfortis Camerinen. Diæc. Gregorii S. Thomæ in Parione Barbarici. Franciscus Antonius Scarincius Clericus Romanus, Hieronymi SS. Marcellini, & Petri Boncompagni: Hieronymus Mucciolus Clericus Pisauren. Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Litte. Joseph Fiduccius Clericus de Monte Pulciano, Nerii Sanctorum Nerei, & Achillei Corsini. Philippus Argentus Laicus à Civitate Vetere, Caroli S. Anastasii Bonelli. Ludovicus Gabutius Sacerdos Firmanus, Cœlii S. Petri in Monte Aureo Piccolominei. Joannes Antonius Fiducius Clericus Conjugatus de Monte Pulciano, Caroli S. Susannæ Carafæ. Dominicus Minutius Sacerdos à Montealbotto Senogallien. Diœc. Palutii Sanctorum duodecim Apostolorum Palutii Albertonii. Petrus Franciscus Jandinus Sacerdos Forolivien. Cæsaris S. Joannis ante Portam Latinam Rasponi. Lelius Bertonus Clericus Rolan. Nicolai S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus. Comes Fabritius Torglionus Clericus Anconitan. Jacobi S. Mariæ de Pace Nini Petrus Valtronius Monsavinien. I. V. D. Clericus Diœc. Aretin in Etruria, Caroli Roberti Victori. Julius Puttius Sacerdos à Spetia Diœc. Sarsanen. Julii Spinulæ. Abbas Didacus Tabassus Diœc. Sulmonen. Iunici S. Clementis Caraccioli. Thoma Berterra Clericus à Saxoferrato, Joannis Delphini. Julius Florinus Regien. Conjugatus, Rinaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Estensis. Camillus Cerronius Canonicus Cathedralis Ferrarien. Joannis Stephani S. Agathæ Donghii. Adrianus Corromanus Clericus Conjugatus Perusinus Pauli Emilii S. Mariæ in Cosmedin Rondinini. Marcus Mellinus Romanus Clericus Conjugatus Francisci S. Mariæ in Vialata Maidalchini. Joseph Danzaert de Beveren. Clericus Flandren. Frederici S. Cæsarei de Hassia. Antonius Comes Clericus Camerinen. Caroli S. Angeli in foro Piscium Barbarini. Petrus Carolus Capellettus Clericus Conjugatus Reatinus, Caroli Sancti Eustachii Pii Franciscus Gentilucius Clericus Lauretanæ Diæc. Caroli S. Eustachii Gualterii. Antonius Favonius Canonicus Cathedralis S Severini, Decii S. Adriani Azzolini. Hieronymus Valentinus Sacerdos Horten. Odoardi SS. Cosmæ, & Damiani Vecchiarelli. Dominicus Ranconius Laicus Ferrarien. Jacobi S. Mariæ in Aquiro Fransoni. Gasparus Plantanidus Clericus Romanus, Francisci Mariæ SS. Viti, & Modesti Mancini. Joannes Hieronymus Rosolinus I. V. D. Romconus, Angeli Sancti Georgii ad velum aureum Celsi. Anibal Benignus Clericus Camerinen. Pauli S. Mariæ de Scala Sabelli Peretti. Pascasius de Fornerius Gallus Marsicen. Clericus Conjugatus, Ludovici de Vandosme Diaconorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nuncupatorum.

VI.

Constitutio super Reformatione Jurisdictictionis Tribunalis Burgi.

Edita An. D. 1667.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN hoc primo Nostri Pontificatus ingressu, id à Nobis nostri muneris ministerium exigit, ut in remotos æquè, ac proximos paternæ charitatis officium extendatur, nulli tamen invidiosum fore credimus, si à dilectis filiis Almæ Urbis nostræ habitatoribus, iisque potissimum, qui illius Regionem Burgi vocabulo nuncupatam nostro Vaticano Palatio propinquam sub oculis ferè nostris inhabitant, nostra beneficentia initium capere conspiciatur.

§. 1. Propterea cum fœl. rec. Julius Papa III. Prædecessor noster per suas sub Annulo Piscatoris die 22. Febr. anni 1550. Pontificatus sui Primo expeditas literas Gubernatori utriusque Burgi S. Petri privativam, & particularem Jurisdictionem civilem, & criminalem, merumque & mixtum Imperium, ac gladii potestatem concesserit, cum facultate deputandi Judices, Procuratorem Fiscalem, Notarios, & Exequutores, eaque Jurisdictio postmodum à non nullis ex Prædecessoribus nostris, in similium Gubernatorum electione, per alias eorum literas sub plumbo, seù Annulo Piscatoris, ut præfertur, expeditas, renovata, & declarata, & forsan consuetudine amplata extiterit.

Causas docet Clem. IX. cur ad reformationem procedat.

§. 2. Nos considerantes quod multa etiam ab initio maturè discussa, & ad optimum finem instituta tractu temporis diversimodè regenda, & gubernanda sunt, experientia, & successiva rerum mutatione sic docentibus, certioresque insuper facti, quod eidem Burgi Tribunali pro congrua Officialium ejusdem sustentatione non aliter provisum fit, quàm ex taxis majoribus, & gravioribus excedentibus taxas aliorum Tribunalium, & præcipuè Gubernii Urbis: atque hinc dispendia, & querimoniæ oriantur, illorum, quorum beneficio erectum fuit; Quodque ex Tribunalium multiplicitate frequenter contentiones super jurisdictione insurgunt, necnon intèr se se discrepantes processus, quæ omnia & Reis molestias aggravant, & causarum expeditioni impedimento sunt.

§. 3. Proindè subditorum nostrorum commodo, & recto Justitiæ cursui consulentes, nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad hoc à nobis specialiter deputatorum desuper auditis sententiis; hac nostra perpetuò valitura Constitutione præfatam Julii, aliasq; quascumque Prædecessorum nostrorum Constitutiones, ac literas (quarum tenores hic pro expressis, & insertis haberi volumus) ut præfertur emanatas, in ea tantùm parte, cui hæc nostra Constitutio adversatur, revocamus, & annullamus, quas tamen in reliquis in suo robore permanere volumus.; Et in futurum dilectum filium nunc, & pro tempore existentem Almæ Urbis nostræ Gubernatorem ejusdem Burgi Vicegubernatorem privatè pro causis civilibus, criminalibus, & mixtis, cum omnibus facultatibus sibi in aliis dictæ Urbis Regionibus, etiam vigore literarum, seù Chirographorum de quibus specialis, seù specialissima mentio habenda foret, competentibus, per præsentes deputamus, ac deputatum esse volumus, & decernimus; Ità quod pro Burgi causis hujusmodi nobis, successoribusque nostris tantùm, & non aliis rationem reddere, aut parere teneatur. Et cùm jam ex speciali nostro Chirographo indemnitati possessoris officii Notariatus d. Burgi consultum fit, mandamus eidem

Guber-

Gubernatori Vicegubernatori, ut præfertur deputato, quatenùs pro exercitio Jurisdictionis Burgi hujusmodi eisdem Judicibus, Exequutoribus, carcerumque Custodibus, quibus in gubernio Urbis utitur, ac iis Notariis, qui de mandato nostro pro prædictis causis ejusdem Burgi deputati fuerint, utatur, & ab omnibus supradictis, aliisque Officialibus in eisdem causis civilibus, criminalibus, & mixtis, Urbis gubernii taxas servari faciat.

Jubet Edicta Gubernatoris Urbis, ab habitatoribus Burgi observari.

§. 4. Declarantes, quod Edicta, Decreta, Sententiæ, & Acta, quæ ab ejusdem Urbis Gubernatore, sive ejus Locum tenentibus, aliisque Officialibus pro tempore emanabunt, in Burgo, & ab ejus habitatoribus (vigore Jurisdictionis, quam nos eidem Urbis Gubernatori, uti Vicegubernatori Burgi per præsentes tribuimus) observari debeant, etiamsi in edictis, decretis, sententiis, aliisque actis prædictis talis titulus non exprimatur, ac Locumtenentes, Substitutos, Exequutores, aliosque Officiales pro gubernio dictæ Urbis deputatos eo ipso, etiam pro eisdem causis Burgi deputatos esse, & censeri debere, privativam tamen Notario tàm criminali, quàm civili, ac Mandatario pro causis ad dictam Regionem Burgi pertinentibus deputandis reservantes.

§. 5. Injungentes eidem Urbis Gubernatori, ut omnes scripturas, omniaque acta usque in præsens in officio Burgi extantes, & extantia ad officium gubernii Urbis asportari, illasque, & illa, prout causas civiles, aut criminales concernunt, Notariis civilibus, & criminalibus pro causis Burgi deputandis separatim, & respectivè consignari faciat, prævio tamen illarum, & illorum Inventario, ad hoc ut de eisdem rationem reddere teneantur.

Recursum in civilibus A. C. reservat.

§. 6. Recursum autem in civilibus causis Burgi, Cameræ nostræ Apostolicæ Generali Auditori prout antea competebat reservamus.

§. 7. Injungimus prætereà eidem Urbis pro tempore Gubernatori, ut in Burgo pro bono ipsius gubernio, & Incolarum securitate tot Birruarios sub uno vigili Conductore, quot sibi prudentia prævia suaserit, & exegerit necessitas, morari curet.

Jurisdictioni Judicis Burgi derogare non intendit.

§. 8. Declarantes etiam in locis, & causis civilibus, & criminalibus, & mixtis, in quibus Burgi Judex jurisdictionem privativam habebat, nullam deinceps jurisdictionem acquirere, seu exercere posse alia Tribunalia, Judices, & Exequutores Urbis, quæ, & qui ante præsentium emanationem in eisdem eam non exercebant, Volentes, ut supra dictum est, quod præfata jurisdictio Urbis tantùm Gubernatori, tanquam Burgi Vicegubernatori, ejusq; Curiæ privativè concessa censeatur. Quodque in reliquis, iis tantùm exceptis, de quibus in præsentibus dispositum est, Burgi Gubernatori à nobis, successoribusque nostris pro tempore pariter eligendo, eædem prærogativæ honores, emolumenta, etiam ex pœnis, confiscationibus, ac Notariorum, & Mandatariorum responsionibus provenientia, commodaque omnia remaneant, quibus Burgi Gubernatores, qui pro tempore fuerunt, hactenùs fruiti sunt, & frui consueverunt. Cum Burgi gubernium nequaquam extinguere, seu supprimere, sed tantummodò normam, & quibus ministris illud regendum, & administrandum sit, præscribere intendamus.

§. 9. Verùm quia Conclavis Gubernator in Burgo Jurisdictionem exercere solitus est; Volumus, & ordinamus, quod idem Conclavis Gubernator à Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio pro tempore eligendus Sede Apostolica vacante in eodem Burgo, hoc est, in situ, qui à Burgi mœnibus includitur, & à flumine propè portam S. Spiritus incipiendo ad Portam Equitum levis armaturæ, ad portam Fabricam, & deindè ad Portam Angelicam, & portam Castelli, vulgò nuncupatam ad Pontem usque S. Angeli inclusivè decurrit, comprehensis ex parte Burgi ripis fluminis, earumque annexis, eandem jurisdictionem civilem, & criminalem, merumq; & mixtum Imperium habeat, prout in præteritis Sedis prædictæ vacationibus habebat; sed in aliis locis extrà Burgi mœnia hujusmodi remanentibus, in quibus Burgi Judex jurisdictionem privativam exercebat, eandem Urbis Gubernator prædictus, tanquam Burgi Vicegubernator, tàm plena, quàm vacante Sede hujusmodi exerceat. Declaramus insuper, quod jurisdictio præfata Conclavis Gubernatori concessa, causas tantùm comprehendit, quæ post ejus electionem incœperint, relictis aliis, quæ ante ejus electionem hujusmodi inchoatæ fuerint, absque ullâ suspensione, & impedimento, dictæ Urbis Gubernatori, ad quem & illæ devolvantur, quas prædictus Conclavis Gubernator, antequam expiret ejus jurisdictio, quam nos initio sequentis post Summi Pontificis electionem diei terminare decernimus, absolvere non potuerit.

§. 10. Volumus etiam, quod pro dicta jurisdictione exercenda Conclavis Gubernator in causis criminalibus deputet unum ex substitutis Locumtenentibus in Urbis gubernio, pro causis verò civilibus civilem Gubernatoris Urbis Locumtenentem, & in utrisque causis Exequutoribus Gubernatoris Urbis utatur, Notariosque, & respectivè Mandatarium assumat illos, per quos acta, & civiles, ac criminales causæ Burgi respectivè in futurum agentur, & ab omnibus servari omninò curet taxas, quibus utitur Urbis Gubernator; cui strictè præcipimus, & mandamus, ut eosdem Locum tenentes, Notarios, & Executores, & alios ministros necessarios Gubernatori Conclavis promptè, & sine difficultate subministret.

§. 11. Mandamus insuper Custodibus qualiumcumque Urbis carcerum, quod recipiant, custodiant, & relaxent delinquentes ad eorum carceres transmissos à Tribunali gubernii Conclavis juxtà illius Gubernatoris ordinationes, & mandata; Dantes facultatem eidem Gubernatori Conclavis mittendi ejus Locumtenentem criminalem, & Ministros ad actus opportunos faciendos, pro causis ad eum spectantibus, ad quoscumque carceres, & alia loca Urbis, ubicumque opus fuerit.

§. 12. Denique committimus dilecto filio nostro, & Cameræ nostræ Apostolicæ præfatæ Generali Thesaurario, ut pro eadem Camera vendat, seu vendere faciat domum, seu domos, quæ antea pro Officialibus Burgi, & carceribus ejusdem Tribunalis inserviebant, & venditione facta pretium recipiat, sive, si ipsi ità videbitur, eas ad visum privatarum domorum reductas locet, locandasque curet; cui proinde necessariam, & opportunam facultatem concedimus.

Venditionẽ domuum pro Officialib. s Burgi, & Carceribus Thesaurio Cameræ committit.

§. 13. Decernentes præsentes litteras semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec eas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis comprehendi, nec per eas revocatas esse, aut fore, vel censeri posse, sed quoties eas comprehendi, aut revocari contigerit, toties ex nunc, prout ex tunc in pristinum statum restitutas, & de novo concessas esse; Sicque & non aliter per quoscumq; Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatii nostri Apostolici, & dictæ Cameræ Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 14. Non obstantibus quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ præfatæ Regula, de jure quæ-

sito non tollendo, ac prædicta Julii Tertii, aliisque Prædecessorum hujusmodi Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Tribunalis Burgi, & Urbis hujusmndi, quatenus in aliquo obstent, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi: ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis. §. 15. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum revocationis, annullationis, voluntatis, deputationis, mandati, injunctionis, reservationis, declarationis, intentionis, commissionis, concessionis, ordinationis, derogationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat P. An. 1. die 1. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1667. Kal. Septemb. Pontificatus nostri Anno primo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta, die verò vigesima octava Septembris, Pontificatus autem Sanctiss in Christo Patris, & D.N.D. Clementis Divina Providentia Papæ noni, Anno primo. Supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Jo. Jacobus Felliccia Mag. Curs.

VII. Confirmatio quorumdam Decretorum editorum in Capitulo Generali Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Cappucinorum.

Edita An.D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Debitum Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, exigit, ut paternam Christi fidelium divinis obsequiis sub suavis arctionis Religionis jugo mancipatorum uberesque bonorum operum fructus benedicente Domino proferre jugiter satagentium curam gerentes, illa quæ pro fœlici prosperoque eorum regimine providè constituta esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant Apostolici muniminis patrocinio roboremus.

Causa approbationis decretorum. §. 1. Exposuit si quidem nobis nuper dilectus filius noster Hyeronimus S.R.E. Presbyter Cardinalis Farnesius nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappucinorum nuncupatorum, apud nos, & Sedem Apostolicam protector, quod in nupero Capitulo Generali d. Ordinis cum consensu, & approbatione omnium Vocalium in eo congregatorum facta, & stabilita fuerunt pro fœlici ejusdem Ordinis gubernio decreta, seù capitula tenoris qui sequitur, videlicet.

Decreta referuntur. §. 2. Primò. Cùm non possit Pater Generalis complere totam Religionis visitationem decursu sexennii expedit differre officium Generalatus usque ad septennium: & quod si durante septennio, non completa visitatione, decedat, primus Deffinitor sub nomine Vicarii Generalis perficiat visitationem, & maneat in officio usque ad complementum dicti septennii, ipso autem impedimento, vel non valente, succedat alius Diffinitor gradatim juxta Constitutiones. Secundo. Cùm Capitula Provincialia modo sint annualia, expedit, ut in posterum fiant tantùm de triennio in triennium, & singulis annis fiat Congregatio intermedia, in qua subrogentur novi Guardiani, illis, qui tempus jam compleverunt. Sicut etiam illis, qui licet tempus non compleverint, minùs tamen apti reputabuntur: in eadem etiam fiat Syndicatus Procuratoris Provincialis per quatuor Diffinitores, ad hoc specialiter in hoc Diffinitorio congregandos, ubi dicat suam culpam, consignet, & deponat sigilla in signum humilitatis, quamvis ipse non sit depositus, salva tamen facultate Patri Generali convocandi prædicta Capitula occasione suæ Visitationis, vel aliàs, si & quando judicaverit necessarium. Tertiò. Procurator Generalis non concurrat ad Generalatum in Capitulis in posterum celebrandis dumtaxat. Quartò. Diffinitores actuales in posterum (durante eorum officio) non possint eligi in Guardianos; habebunt tamen vocem in Capitulo Provinciali, dum actu sint Diffinitores, vel Custodes ad Capitulum Generale, etiamsi non concurrant ad Discretatum. Exprovincialis verò post annum poterit eligi in Guardianum juxta Constitutiones. Quintò. Diffinitores completo Diffinitoriatus officio nullam habeant præcedentiam, sed illum tantum locum obtineant, qui ipsis non ex officio jam completo, sed ex antiquitate professionis debetur. Sextò. Patres Generales, & Provinciales completo eorum officio, sedeant (durante Capitulo,) in ultimo loco Sacerdotum, & per aliquot dies abluant utensilia, similiter in Processionibus, quæ fiunt durante Capitulo, occupent ultimum locum Sacerdotum. Septimò. Guardiani tempore Adventus nullo modo concionentur extra locum suæ Guardianiæ, quod etiam servetur tempore Quadragesimæ, nisi agatur de Concionatoribus insignibus, vel urgens necessitas suaserit P. Generali eos in casibus particularibus dispensandi, & tunc idem Generalis provideat Conventui de Vicario gravi & idoneo. Concionatores verò prædicti non mittantur nisi ad Provincias, & loca viciniora. Octavò. Non prædicent Lectores tempore Quadragesimæ, sed per totum anni cursum lectionibus incumbant. Studentes non mutentur in aliam ab alia familia, in qua student: Nulli concedatur Lector particularis: studeant per septennium integrum, super quibus dispensari non possit. Nonò. Concionatores non concionentur extra suas Provincias, nisi sint Prædicatores insignes, & concionari debeant in Cathedralibus, seù aliis conspicuis Ecclesiis. Decimò. Confessores non admittantur ad audiendas confessiones Fratrum, & Lectores ad lecturam, nisi approbati fuerint prævio rigoroso examine, ac per vota secreta examinatorum. Undecimò. Diffinitores Generales resideant Romæ, quibus pro urgentibus, & gravioribus negotiis Religionis sit communis commissio Generalis facta Patri Procuratori Generali à P. Generali: itaut procedant insimul, & conjunctim usque ad Capitulum Generale, in quo singuli habebunt vocem electivam tanquam unus ex Custodibus suarum Provinciarum. Duodecimò. Provinciales qui nondum compleverunt triennium, durent donec compleant. Oratio mentalis quæ tempore æstivo fiebat post meridiem, fiet mane ad Primam. Hieronymus Cardinalis Farnesius Protector, Fr. Fortunatus Minister Generalis, Fr. Bonaventura à Recineto Procurator Generalis. Fr. Aloysius à Verona Diffinitor Generalis, Fr. Lucas Maringuis Diffinitor Generalis. Fr. Franciscus de Xeres Diffi-

nitor

nitor Generalis. Fr. Claudius Bituricensis Diffinitor Generalis.

Concedit prout in rub.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Hieronymus Cardinalis decreta, seù Capitula hujusmodi, quò firmius subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summoperè desideret; Nos piis ejusdem Hieronymi Cardinalis votis favorabiliter quantùm cum Domino possumus annuere cupientes, supplicationibus ipsius Hieronymi Cardinalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta, seù Capitula præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 4. Mandantes propterea, & præcipientes in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ pœna per transgressores ipso facto incurrenda omnibus, & singulis memorati Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut decreta, seu capitula præinserta inviolabiliter observent. Ac decernentes ipsas præsentes litteras, & Capitula, seù Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios,& delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis,ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus,cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 9. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Septemb. 1667. Pontificatus nostri Anno primo.

VIII.

Confirmatio Decreti Alexandri Papæ VII. approbantis nonnulla Capitula ad reformationem Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, inservientia.

Edita A. D. 1567.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Debitum pastoralis officii quo Ecclesiæ Catholicæ adstringimur, Nos admonet, ut paternam virorum Religiosorum curam gerentes, ea quæ pro fælici reformationis inter eos institutæ progressu providè facta esse noscuntur, ut firma atque illibata permaneant Apostolici præsidii robore muniamus

Causa Decreti.

§. 1. Exponi si quidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Reformati Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod aliàs circa transitum Fratrum Conventualium Ordinis hujusmodi ad reformationem facta fuerunt nonnulla Capitula tenoris qui sequitur, videlicèt.

Referuntur capitula ad reformationem conducentia.

§. 2. Primo che tutti quelli Conventuali quali vorranno passare à vivere in detta riforma siino tenuti, & obligati chiedere licenza, & ottenere l'assenso dal Padre Generale pro tempore, overo dal Padre Provinciale della sua Provincia di far tal passaggio, & essi Generale, e Provinciale conosciuto però che haveranno detto transito desiderarsi per buon fine siino tenuti concederlo à proportione però della capacità de Conventi tenuti da essi Riformati. Secondo, che quelli Conventuali che vorranno passare à detta riforma doppò ottenuto l'assenso del Generale, ò Provinciale della loro Provincia siino anco tenuti riportar l'assenso del Guardiano, ò Superiore locale di quel Convento dove vorranno intrare. Terzo, che à quelli Conventuali quali canonicamente cioè, osservare le sopradette conditioni saranno entrati à detta Riforma sia solo lecito uscire da essa Riforma à loro voglia per il tempo d'un anno cominciando dal loro Ingresso in essa Riforma, mà quello passato non possino uscire da detta Riforma senza licenza in scriptis del Padre Generale, e fede fattagli dal Superiore locale di quei Conventi dove saranno vissuti, che essi partano per causa legitima, e non per eccessi commessi in detta Riforma. Quarto, che se alcun Conventuale legitimamente entrato in detta Riforma passato un anno doppo il suo ingresso in essa uscirà, e tornarà alla detta Conventualità non osservate le sopradette conditioni sia irremissibilmente punito con la pena di un'anno di Carcere formale della privatione di voce attiva, e passiva nella quale non possa esser reintegrato se non dal Summo Pontefice. Quinto, che quelli Conventuali quali entraranno in detta Riforma per tutto il tempo nel quale viveranno in essa siino tenuti osservare l'Instituto de Riformati, & i Superiori locali possino forzarli all'osservanza in caso che premesse molte correttioni gli detti Superiori locali non riportassero dall'Inosservanti l'osservanza desiderata debbano auvisarne il Padre Generale quale conosciuta la verità punisca li transgressori con pene opportune, e persa ogni speranza all'emendatione possino punirli etiam con l'espulsione da detta Riforma rimettendoli alla Conventualità. Sesto, il Padre Generale ò per se stesso, ò richiestone da alcuni Provinciali volendo servirsi per publico beneficio d'alcuni Conventuali quali saranno passati à vivere tra Riformati, etiam che frà essi vi siano stati molti anni possa chiamare qualunque gli parerà atto per il suo fine, acciò passi à vivere come prima frà essi Conventuali in quel Convento che à esso Padre Generale piacerà, & il chiamato sii tenuto obedire, e ritornare frà Conventuali. Settimo, che il Padre Generale preso informatione del più zelante, & osservante che sia frà Riformati in ciascheduna Provincia, nelle quali si trovano i loro Conventi lo deputi per osservare con particolar cura il vivere dell'altri Riformati affinche auvisi subito trovando che alcuni di essi deviino dall'Instituto loro il P. Provinciale, accioche trovata l'inosservanza restino puniti, e non bastando per ridurli all'osservanza sia tenuto auvisarne il Padre Generale, e da esso aspettare il remedio opportuno. Ottavo, che nell'elettione de Guardiani nelli Conventi d'essi Riformati, si osservi nell'altre Provincie, quanto di presente, si osserva nella Provincia di Napoli cioè, che habbino facoltà i stanzianti in ciaschedun Convento di essi Riformati capitolarmente congregati con il loro Superiore locale proporre

al Defi-

al Definitorio in Capitolo, ô Congregatione Provinciale due de loro Riformati accio da esso Definitorio uno de due proposti sii eletto Guardiano per l'anno corrente.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat fœl. record. Alexander Papa VII. Prædecessor noster suprascripta Capitula ad se relata per Decretum die 21. Septemb. 1657. emanatum approbaverit, & ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari præceperit, dicti verò Exponentes eadem Capitula quo firmius subsistant, & serventur exactius etiam Apostolicæ nostræ confirmationis munimine roborari summoperè desiderent.

Confirmat prout in rub. §. 4. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita relatione status hujus Reformationis, ejusque Conventuum necessitate perspecta, omnia, & singula Capitula præinserta, emanatumque super eorum approbatione d. Alexandri Prædecessoris decretum hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes easdem præsentes literas, ac Capitula præinserta, & decretum hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum, quorumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis; manu alicujus Notarii publici, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 16. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Septembris 1667. Pontificatus Nostri anno primo.

IX. Quod Presbyteri Societatis JESU Officium cum Octava de præcepto, & Missam Conceptionis B. Mariæ Virginis recitare, & celebrare valeant.

CLEMENS PAPA IX.

Edita An. D. 1667.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Augustissimæ, atque Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ cujus virtutem, & pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, natura obstupescit, Infernus contremiscit, cultum, & venerationem in terris quanto possumus studio promovere satagentes, pia fidelium, eorum præsertim, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, aliis ad opera pietatis exemplo prælucent, & salubri directione viam monstrant, vota in id ipsum tendentia libenter exaudimus, ac favoribus, & gratiis prosequimur opportunis.

Concedit prout in Rubric. §. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Joannis Pauli Olivæ Præpositi Generalis Societatis JESU tàm suo, quàm totius Societatis prædictæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in eadem Societate ab omnibus illius Presbyteris, & Clericis Regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur cum lectionibus in octavario Romano à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum approbato contentis, & à die octava ad decimam quintam Decembris ritè dispositis auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus; Idemque Officium ad usum dictæ Societatis seorsim ab octavario Romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat. §. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo memorati Præpositi Generalis, aut alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadē prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 17. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Septemb. 1667. Pontificatus Nostri Anno Primo.

X. Confirmatio Privilegiorum omnium concessorum, tàm Guardiano Sacri Montis Sion, quàm Fratribus, necnon locis Terræ Sanctæ.

CLEMENS PAPA IX.

Edita A. D. 1667.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. PIIS Christi fidelium votis, ex quibus Sacrorum locorum venerationem, & animarum salutem provenire conspicimus libenter annuimus; & illa quantum Nobis ex alto conceditur favoribus Apostolicis confovemus.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Ludovicus à Justitia Frater expresse professus Provinciæ Granaten. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Prædicator Verbi Dei, necnon Commissarius, ac Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ Nobis nuper exponi fecit ipse ad ejusdem Terræ Sanctæ subsidium, eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini assiduè excolentium, sacraque loca veneran. subventionem, necnon ad spiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum omnia, & singula gratias, privilegia, & indulgentias hujusque sacris ejusdem Terræ Sanctæ locis Apostolica auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret.

Quæ omnia confirmat. §. 2. Nos desiderio hujusmodi annuere, ipsum-

que

que Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnia, & singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, cæterasque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, necnon dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degen. per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessa, quatenus sint in usus & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti defectus si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint supplemus.

Indulgentia in mortis articulo concedit. §. 3. Necnon insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethleem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo si verè pœniten. & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti, nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Rom. die 30. Sept. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Septem. 1667. Pontificatus nostri Anno primo.

XI. Quod Officium Sancti Ignatii Societatis JESU Fundatoris sub ritu duplici in posterum recitetur ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

CLEMENS PAPA IX.

Edita An. D. 1667.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. CReditæ Nobis divinitus dispensationis ratio postulat, ut Sanctorum in Cælis regnantium, quorum egregia constant in Ecclesiam Catholicam merita, cultum, & venerationem in terris condignis honorum incrementis ampliare studeamus.

Concedit pro ut in Rubr. §. 1. Itaque cultum, & venerationem S. Ignatii Societatis JESU Fundatoris de Universali Ecclesia adeò benemeriti, ubique terrarum augere volentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, ut ejus festum, quod sub ritu semiduplici ad hunc usque diem celebratum est, perpetuis futuris temporibus sub ritu duplici celebretur, Præcipientes propterea ut omnes tàm sæculares, quàm Regulares utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, eas in posterum de memorato S. Ignatio sub prædicto ritu duplici recitent. Ac ipsius S. Ignatii festum sic sub ritu duplici celebrandum in Romano Breviario apponi debere decernimus.

Contrariis derogat. §. 2. Non obstan. Constitutionibus, & Ordination. Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii d. Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Octobris 1667. Pontificatus Nostri Anno primo. Dat. P A. 1. die 11. Octob

---

XII. Confirmatio literarum Generalis Ordinis Prædicatorum pro Religiosis Provinciæ Hiberniæ, & aliarum ejusdem Ordinis sublevandis, novisque nationalibus Collegiis, & Domibus in Hispania, & alibi erigendis.

CLEMENS PAPA IX.

Edita An. 1. 1667.

Ad futuram rei memoriam.

NUper emanarunt à Nobis ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Hiberniæ Ordinis prædicatorum literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet.

Causa Indulti. §. 1. Clemens Papa IX. Ad futuram rei memoriam. Creditæ Nobis Cælitus dispensationis ratio exigit, ut paternam virorum religiosorum, eorum præsertim, qui Evangelicæ prædicationi addicti labores, & pericula pro fide Catholica alacriter subeunt curam gerentes illa, quæ pro eis sublevandis, piisque, & laudabilibus eorum studiis fovendis, & promovendis ab eorum Superioribus Regularibus, piè, prudenterque facta, & constituta esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant Apostolici muniminis patrocinio libenter roboremus.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod ipse pro manutentione instituti Evangelicæ prædicationis, cui dictus Ordo enixè incumbit, ac pro sublevandis Religiosis Provinciæ Hiberniæ & aliarum ejusdem Ordinis, qui laboribus, carceribus, minis, & opprobriis pro Catholica Fide vexantur literas patentes expedivit tenoris, qui sequitur, videlicet. Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus in Dei filio sibi dilecto R. P. Fr. Joanni Cnojur à Sancto Dominico ejusdem Ordinis, & Provinciæ nostræ Hiberniæ Procuratori Generali salutem.

Hibernia re, & nomine quondam floridissima SS. insula. Sed postremo hoc nostro sæculo avitæ Religionis tristi passim exilio miserrimè deformata tanto solicitiorem meretur omnium Christi fidelium ubique commiserationem, quanto periculosius hodie sub novo quodam persecutionis genere ibidem orthodoxa fides laceratur, neque hic nobis eundem per singula, dum in paradigma sufficiunt nostrorum illic fratrum, quas exposuisti calamitates, & clades, nimirum ipso eorum Provinciali ob fidem retruso in sequestrum, aliisque alibi in vincula conjectis missionariis dispersis, communitatibus dissipatis, &c. quibus nisi aliundè per novorum identidem operariorum quotidiana supplementa providè succurratur brevi de Provincia actum erit.

Porrò, ut prudenter suggessisti iis succurri non poterit, nisi extra insulam in aliis Catholicorum Principum Regnis ac ditionibus multiplicentur nationalia Religiosorum istorũ domicilia, & literarũ Collegia, in quibus tũ exules nostri missionarii ob fidẽ proscripti asylum inveniãt tum vernacula Hibernorũ juventus studiis controversiarum, & sacrarum linguarum jugiter ad Apostolicam missionem erudiatur. Hoc igitur extremum istius desolationis remedium, ut suo tandem potiatur usu, & effectu, in quem una tecum undique plurium magnatum vota instantiæ promissa, munifice, pientissiméque conspirant, ampliusq; in aliis pariter Regionibus conspiratura putantur.

Nos

Nos harum serie, ac suprema officii nostri auctoritate in primis tibi supra nominato tuisque in Officio Successoribus potestatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Matritum Hispaniæ, unicum tuæ nativæ Provinciæ Collegium, quale confidis illic ex piorum eleemosynis, ac liberali fundatione te obtenturum ad effectum præcipuè ibidem sub regulari disciplina educandi Missionarios Hibernicæ nationis indiscriminatim, ita tamen ut etiam Angli, & Scoti in eodem Collegio recipiantur, sustententur, & instruantur cum potestate etiam ibidem recipiendi ad habitum, & professionem juvenes supradictarum trium nationum, illosque educandi in proprio novitiatu sub exacta observantia regulari. Simili ratione; fine, ac modo in aliis quibuscumque locis tum Hispaniarum, tum cæterorum per Europam Catholicorum Regnorum, Statuum, ac ditionum ubicumque Patronos, fautores, ac fundatores potueris reperire, ad tantæ pietatis opus inducere, tibi, tuisque Successoribus in officio amodò liceat hujuscemodi Collegia procurare, suscipere eorumdem Regnorum nationalibus consignare ad effectum, ut suprà, & cum iisdem facultatibus.

Volumus autem, ac declaramus, quod omnia, & singula ejusmodi Collegia ubicumque Dei ope fidelium munificentia, tuaque, & Successorum industria excitabuntur ipso facto sint, & permaneant vera membra solius nostræ Provinciæ Hiberniæ, ita quod nulli alteri Ordini Superiori subsint præterquàm suo Provinciali Hiberniæ, & Magistro Ordinis pro tempore; interim donec fratres nostri proprias seorsim fundationes, ac domicilia, ut suprà possideant, ne stante hac eorum notoria paupertate adigantur ad solvendas in Provinciarum Conventibus, aut hospitiis taxatas contributiones, quas utique extorres, & egeni solvere nequeunt instar cæterorum, qui pacatas Provincias habent mandamus, quod præsides istorum Conventuum, & Hospitiorum in hujusmodi alienis Provinciis nihil à Fratribus nostris Anglis, Hibernis, Scotis apud se hospitaturis exigant, ultra quotidianæ Missæ celebrationem tantùm; ubicumque verò iidem Fratres in Hospitiis, aut Conventibus sub ea conditione non recipientur; licebit ipsis hospitari apud quoscumque alios benevolos Receptores Ecclesiasticos sive ii sint regulares, sive sæculares, ne ob temporales respectus ullibi sanctum istud procurandarum fundationum impediatur negotium, à quo tot animarum Salus dependet.

Denique in virtute Spiritûs Sancti, Sanctæ Obedientiæ sub formali præcepto, necnon sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque pœnis Nobis arbitrariis ex nunc strictissimè prohibemus universis, & singulis nostræ Curiæ subjectis quacumque dignitate, gradu, officio, aut qualitate censeantur, ne ullibi supradictas Collegiorum Hibernicorum pro nostris fundationes, acquisitiones, incrementa, per se, vel per alios directè, vel indirectè clam, vel palam sub quocumque motivo, colore, aut imaginabili prætextu impediant, retardent, aut disturbent; quin potiùs enixè hortamur A. RR. PP. tum Hispaniarum, tum cæterarum Provinciarum Priores, Provinciales quatenus per se, & suos ubique tàm Sanctum, & pium opus magno studio, & connisu promoveant, juvent, ac foveant Fratres nostros Hibernos in suis Provinciis, & Congregationibus libenter pater neque complectantur ipsorum solatio, & profectibus sincerè faveant, ipsos benefactoribus commendent, omnique opportuno subsidio, consilio, effectu eis opitulari non dedignentur, & quia charitati nulla præfixa est mensura, aut limes, hortamur eosdem Priores Provinciales in visceribus JESU Christi, quod his Fratribus ad missiones, & martyria pro fide auctoritatis spontè, ac liberaliter ex suismet propriis Conventibus unum, aut plures in suis Provinciis cedant, ac resignent; Tales autem Conventus hoc modo resignatos ex nunc pro tunc iisdem Fratribus, ipsorumque Provinciæ applicamus, & incorporamus Apostolicâ auctoritate speciali, qua in hoc fungimur.

Item supradictam facultatem procurandi, fundandi, acceptandi, & formandi hæc nationalia Collegia, Domos, atque Conventus pariter extendimus ad acquirenda Monialium Cœnobia, seù Monasteria pro Hibernis, Anglis, & Scotis Deo ubivis locorum consecrandis, siquidem hæ in propria sua Patria hanc relinquendi sæculi commoditatem sperare nullibi possunt.

Quod si etiam in aliarum missionum præsertim orientalium solatium tibi, vel tuis successoribus in officio placuerit, ac sine incommodo propriorum nationalium piè fieri videbitur concedimus pariter, quod in prædictis nostris Domibus, Collegiis, & Conventibus recipiantur etiam nostri Fratres Armeni, sive ad hospitandum, sive etiam ad commorandum pro studio, & instructione, idemque concessum esto quoad alios Religiosos nostros de terris Infidelium adventantes.

Porrò ut omnibus his, quæ sperantur novellis Cœnobiorum plantationibus de optima, & stabili forma regiminis prospiciatur ex nunc harum serie te, tuosque in hoc tuo Procuratoris generalis officio Successores omnibus hujusmodi Cœnobiis, Collegiis, ac Domibus præficimus cum titulo Vicarii Provincialis Hiberniæ pro tempore cumque omni in spiritualibus, ac temporalibus Jurisdictione, ac Potestate, quam Priores Provinciales in suis Provinciis habere debent, ac solent etiam cum facultate subdelegandi, itaut quando contigerit te, tuosvè Successores longiùs distare, aut alio impedimento detineri ab adeundo loco, ubi Collegium, seù Cœnobium, aut Fratrum, seù Monialium, plantandum, acceptandum, formandum, aut visitandum fuerit possis, iique successivè possint eo destinare Commissarium, ac Visitatorem quoties, & quando opus fuerit cum plena, aut limitatâ auctoritate prout videbitur, talemque seù Commissarium, seù Visitatorem à te, seù tuis Successoribus missum possis, (illique possint) revocare, aliumque subrogare ad effectum ea omnia, & singula agendi, disponendi, atque præstandi quæcumque ipsemet ageres, si personaliter eò accessisses. Item quantum in Nobis est tibi, tuisque Successoribus plenariam concedimus facultatem destinandi Prædicatores, & Missionarios ad terras Infidelium, & Hæreticorum pro conversione, & lucro animarum, seù pereuntium, seù periclitantium. Insuper tibi, & Successoribus tuis potestatem damus imponendi præcepta formalia, fulminandi censuras, condemnandi ad pœnam carceris, & exercendi omnes illos actus jurisdictionis, quos Provinciales ex ordinariâ suâ auctoritate exercere possunt in personas sibi subjectas.Prætereà, si contingat supradicta Collegia, Cœnobia, Monasteria, vel aliquod eorum ab ipso Provinciali Hiberniæ personaliter visitari ipso præsente quiescit ibidem tua, tuorumque Successorum auctoritas, verùm illo indè digresso eadem auctoritas ipso facto redibit ad usum, ut anteà, sic quod ea non censebitur expirasse per Adventum Provincialis, neque illam tunc, aut alias tibi possit auferre Provincialis Hiberniæ in toto, vel in parte, nisi de expresso consensu Magistri Ordinis, te verò per mortem sublato ad Provincialem Hiberniæ Pertineat subrogare alium Procuratorem Provinciæ cum iisdem facultatibus, ut suprà, & cum præfixione termini quoad durationem officii, quem tamen semel, ac pluries poterit prorogare, prout postularit necessitas. Ulteriùs ex Apostolica auctoritate Nobis specialiter indulta concedimus tibi, & tuis Successoribus plenariam facultatem, quæ in præmemoratis novis Conventibus, Col-

legiis,

legiis, ac Monasteriis instituas, & præficias Priores, Rectores, Priorissas, donec ad eum perveniant numerum personarum, qui ad electionem Canonicam sufficiat, eadem facultate possis electiones approbare, & confirmare, ipsis verò institutis, aut electis terminum officii sui quatenus expedire judicaveris semel,& pluries prorogare,vel ut reeligantur habilitare. Similiter possis ubique in domibus tibi subjectis instituere Subpriores, Vicarios, Præsides, Magistros Novitiorum, Lectores, Officiales, ac studiorum moderatores eadem proportionabiliter, ac respectivè circa Monasteria Monialium tibi concessa sunto, & quidquid facultatis, aut jurisdictionis tibi in his nostris literis patentibus conceditur, id totum pariter tuis in eodem officio futuris Successoribus concessum intelligatur.

Et ut omnia obstacula quantum fieri potest removeantur, denuò sub formali præcepto, & anathemate, quo supra, necnon sub pœna privationis utriusque vocis,& graduum perpetuaque inhabilitate ad ea recuperanda interdicimus universis, & singulis, tàm Superioribus, quàm subditis in quacumque Ordinis Provincia, aut Congregatione degentibus, ne huic per Nos tibi, & Successoribus tuis collatæ Jurisdictionis titulo, & facultati quisquam sese opponat, eamve judicialiter, vel extrajudicialiter impugnet, aut impediat, ipsis verò fratribus, & sororibus prædicta nova Collegia, Conventus, atque Monasteria respectivè inhabitaturis, aut in iis quoquo modo, vel occasione commoraturis præcipimus sub eodem formali præcepto iisdemque pœnis, quod tibi, & tuis Successoribus tamquam legitimis suis Prælatis, ac veris Superioribus exactam præstent obedientiam, reverentiam, & honorem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quibuscumque in contrarium non obstan. In fidem his officii nostri sigillo munitis propria manu subscripsimus. Romæ 6. Julii 1667.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat prædictis Magister Generalis literas hujusmodi quo firmius subsistant, ac serventur exactius Apostolicæ nostræ confirmationis præsidio communiri plurimum desideret. Nos ipsum Magistrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio attentis narratis, visisque, & diligenter per eosdem Cardinales consideratis literis patentibus præinserti tenoris easdem literas auctoritate Apostolica tenore præsentium benignè confirmamus, suumque effectum sortiri mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decernentes ipsas præsentes, & præinsertas litteras, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum,& inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum, & locorum Regularium quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis; manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Septembris 1667. Pontificatus Nostri anno primo.

§. 2. Nunc autem eosdem fratres amplioris favore gratiæ prosequi volentes, eorumque ac dilecti pariter filii Joannis Cnojur à Sancto Dominico Procuratoris dictæ Provinciæ Hiberniæ singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Supplicationibus ejusdem Joannis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Venerabili fratri Archiepiscopo Toletan. ac dilectis etiam filiis Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in quacumque Provincia, seu loco auctoritate Apostolica deputatis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte fratrum prædictorum, seu alicujus eorum fuerint requisiti, seu aliquis eorum requisitus fuerit ipsas præsentes, & præinsertas literas, ac in eis contenta quæcumque solemniter publicantes illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra alios, & eorum quemlibet earumdem literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permitten. eos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo legitimisque super his haben. servatis processibus, censuris, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravan. invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Extensio superioris Indulti.

§. 3. Non obstan.fel.rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessimus, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Cæterum volumus pariter, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides adhibeatur, ubique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P. A. 1. die 19. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Octobris 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

Constitutio ut Officium, & Missa Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ cum octava in Urbe, ac universa S.R.E. temporali ditione de præcepto recitetur.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sincera nostra erga gloriosissimam Virginem Dei genitricem Mariam: patronam, & advocatam nostram, devotio planè exigit, ut piis nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R.E. Cardinalibus, aliorumque Antistitum, qui Ecclesiis in temporali nostra & Sedis Apostolicæ ditione consistentibus præsunt, ac Christi fidelium tam Almæ Urbis nostræ, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assiduè promanant, quàm cæterarum Civitatum, Oppidorum, & locorum Nobis & dictæ Sedi in temporalibus subditorum votis paterno affectu annuentes, ejusdem Augustissimæ Cœli Reginæ venerationem in terris quantum Nobis ex alto conceditur, ampliare studeamus.

Concedit prout in Rubric. §. 1. Itaque ut tam in Urbe prædicta, quàm in cæteris Civitatibus, & Diœcesibus Oppidis, Terris, & locis, etiam nullius Diœcesf. Nobis & Sedi prædictæ in temporalibus mediatè, vel immediatè subjectis tùm à sæcularibus, tùm à Regularibus utriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur, cum lectionibus in Octavario Romano à Congregatione venerab. fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & à die octava ad 15.Decemb. ritè dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus.

Jubet imprimi. §. 2. Idemque Officium ad usum Cleri Urbis, ac Civitatum, Diæcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum prædictorum seorsim ab Octavario Romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat. §. 3. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 21. Oct. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Octobris 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

XIV.

Quod Provinciales Ordinis B.M. de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum in fine triennii sui Officii Provincialatus, administrationis, & gubernii rationem Vicario Generali reddere teneantur.

Edita A. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Causa hujus Const. Aliàs pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerab. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, exposito quod propter minus rectam administrationem quorundam Provincialium Provinciarum d. Ordinis interdum notabile Conventibus tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus præjudicium sequebatur; ipseque Procurator Generalis propterea cupiebat committi Vicario Generali ejusdem Ordinis, ut per se ipsum, vel per suos Commissarios, & Visitatores unumquemque Provincialem in fine sui triennii visitaret, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

Decretum Sac. Congr. §. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, attentis narratis, & ne Conventus Ordinis hujusmodi ex mala administratione, seù minus accurato gubernio in spiritualibus, aut temporalibus detrimentum patiantur, censuit committen. prout præsenti decreto committit Vicario Generali nunc, & pro tempore existen. ejusdem Ordinis ut in posterum singulos Provinciales in fine triennii eorum officii Provincialatus, per se, vel per suos Commissarios, aut Visitatores visitet, eosdemque Provinciales, & quemlibet eorum suæ administrationis, & gubernii rationem reddere compellat. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ prima Aprilis 1667. M.Card. Ginettus.

Approbat, & confirmat. §. 2. Cum autem sicut dictus Procurator Generalis, nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans. §. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 4. Non obstan. Constitut. & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 22. Oct. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Octobris 1667. Pontificatus nostri Anno primo.

XV.

Revocatio, & annullatio Constitutionis Urbani VIII. Eremitas Camaldulensium Hetruriæ, sive Provinciæ Aretinæ cum Congregatione Montis Coronæ ejusdem Ordinis incorporantis.

Edita An.D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Illius qui charitas est Deus pacis vices licet immeriti gerentes in terris ad ea peculiares vigilantiæ nostræ curas libenter convertimus, per quæ Religiosæ Christi fidelium qui abnegantes semetipsos divinis obsequiis, sese sub suavi arctioris atque severioris disciplinæ jugo devoverunt quieti consulitur, prout matura deliberatione adhibita salubriter expedire in Domino arbitramur.

Motiva.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus VIII. Prædecessor noster certis tunc expressis causis adductus Eremum Camaldulensem Etruriæ sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationem Montis Coronæ Ordinis Camaldulensium, eorumque respectivè Eremos Monasteria, membra, & alia loca Regularia ab eis dependentia invicem perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, ac ex eis omnibus sic unitis annexis, & incorporatis unicam dumtaxat Congregationem non amplius Montis Coronæ, sed Eremitarum Camaldulensium de cætero nuncupandam, cujus caput esset prædicta Eremus Camaldulensis Etruriæ similiter perpetuò erexit, & instituit, ac insuper idem Urbanus Prædecessor unionem, & incorporationem Eremi Camaldulensium in Montibus propè Civitatem Taurinensem sitæ, unà cum aliis Eremis, & Domibus, seù locis ab ea dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus prædictæ Congregationis Camaldulensium Montis Coronæ sub certis tunc expressis conditionibus factas auctoritate Apostolica approbavit, & confirmavit, & aliis (prout in binis ipsius Urbani Prædecessoris literis) desuper in simili forma Brevis die 8. Octobris 1633. & die 8. Augusti 1635. respectivè expeditis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberiùs continetur.

§. 2. Cum autem (sicut accepimus) subindè inter dilectos filios Eremitas Camaldulenses illos nimirum Nationis Etruriæ, qui militant sub nomine Congregationis Eremi sacræ ex una, & illos Nationum Status nostri Ecclesiastici Dominii Veneti, Regni Neapolis, Poloniæ, & Germaniæ, qui olim militabant sub nomine Congregationis Montis Coronæ ex altera, ac illos Nationis Pedemontanæ ex alia respectivè partibus variæ controversiæ, & differentiæ exortæ, ac suscitatæ fuerint.

Revocatio de qua in rub.

§. 3. Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis officii cura opportunum ejusmodi dissidiis remedium adhibere, ac fraternæ charitatis amœnitatem inter Eremitas prædictos quantum cum Domino possumus restituere atque firmiter solidare cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui controversias, & differentias prædictas ex commissione recol. mem. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris pariter nostri maturè, ac diligenter examinarunt, & perpenderunt consilio; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem Eremi Camaldulensium Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationis Montis Coronæ, eorumque respectivè Eremorum, Monasteriorum, membrorum, & aliorum locorum Regularium prædictorum invicem uniusque Congregationis ex illis sic unitus annexis, & incorporatis erectionem, & institutionem à memorato Urbano Prædecessore factas, necnon aliam unionem sive incorporationem Eremi Camaldulensis in Montibus propè Taurinum sitæ una cum aliis Eremis, domibus, & locis ab ea dependentibus sive quoquo modo ad illam pertinentibus ad prædictam Congregationem Camaldulensium Montis Coronæ factam, & ab eodem Urbano Prædecessore confirmatam, ut præfertur, & prout illas respectivè concernunt emanatas desuper ipsius Urbani prædecessoris litteras prædictas ex nunc tenore præsentium, revocamus, dissolvimus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac ex nunc revocatas, dissolutas, irritas, & annullatas, viribusque, & effectu vacuas esse, & fore decernimus, & declaramus, necnon Nationes prædictas ad invicem separamus, easque ad formam regiminis quo ante uniones respectivè gubernabantur reducimus.

Executorum deputat.

§. 4. Præterea dilecto filio nostro Petro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Vidomo nuncupato Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori per easdem præsentes motu pari committimus, & mandamus, ut cuilibet ex dictis Nationibus leges, & consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto auctoritate nostra Apostolica statuat exactéque observari faciat, Jus unicuique tribuat, causas, & lites decidat, & terminet, cœteraque faciat, quæ ad majorem Dei cultum, & gloriam, ac dictarum Nationum tranquillitatem conducere arbitrabitur. Nos enim ipsi Petro Cardinali, & protectori quamtumcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem; harum serie, motu scientia, & potestatis plenitudine paribus tribuimus, & impartimur.

Clausulæ præservantes.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod Eremitæ prædicti, & alii quilibet in præmissis interesse habentes, seu habère quomodolibet prætendentes etiamsi cujusvis status, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, aut alias speciali, & individua mentione digni existant illis non consenserint, seu ad ea citati, vocati, & auditi, aut causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis legitima pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliovè quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seù adversus illas aperitionis oris restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù impetrato, aut etiam motu scientia & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 6. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debe-

re, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 7. Non obstantibus prædictis Urbani prædecessoris literis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictarum Eremorum, & Congregationum aliisve quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam eisdem Eremis, & Congregationibus earumque personis quibusvis, & sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 8. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 24. Octo. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Octobris 1667. Pontificatus nostri Anno primo.

XVI.

Constitutio, in qua injungitur Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Officium, & Missam Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ex præcepto recitari, idemque Officium ad visum d. Ordinis seorsim imprimi posse conceditur.

Edita A. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. EXigit commissæ Nobis cœlitus dispensationis ratio, ut piis religiosorum virorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium votis ad augendam in terris Gloriosissimæ Virginis Deiparæ Mariæ, quæ super Choros Angelorum exaltata, pro populo Christiano sedula exoratrix apud Regem quem genuit, assiduè intercedit, venerationem tendentibus, favorabiliter annuamus.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Hieronymi Valvastorii Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini tam suo, quam totius Ordinis prædicti nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in eodem Ordine ab omnibus illius Fratribus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur, cum Lectionibus in Octavario Romano à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & à die octava ad decimam quintam Decembris ritè dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus.

§. 2. Idemque officium ad usum dicti Ordinis seorsim ab octavario Romano imprimi posse concedimus.

§. 3. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 31. Oct. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

XVII.

Constitutio revocatoria exemptionum à vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

Edita An. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Const. PAterna, quam de nostris & Apostolicæ Sedis in temporalibus subditis gerimus, cura Nos urget, ut in gravissimis rerum difficultatibus, quibus Camera nostra Apostolica, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Terrarum, & locorum nostræ, & dictæ Sedis ditionis temporalis propter multa onera ante hac imposita premuntur, aliquod eis levamen, sublatis immunitatibus, atque exemptionibus ab onerum publicorum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem prædictam, ac forsan illius de latere Legatos, aliosque earumdem Sedis, & Cameræ Officiales, & Ministros ad importunas supplicantium preces, & alias quomodolibet concessis, quæ dum aliquibus iisque ut plurimum locupletioribus faveant, & in cæterorum, & quidem plerumque pauperiorum detrimentum vergunt, eorumque inopiam prægravant, adferre satagamus, sicut publicæ utilitati, atque æquitati, & justitiæ rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Revocatio de qua in rub. §. 1. Itaque Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantum Nobis ex alto conceditur, æquè principaliter consulere cupientes, ac fel. record. Sixti Quinti Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, literarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis cedularum Motus proprii, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis prædecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum literarum, scripturarum desuper quomodolibet emanatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia, etiam speciali, ac individua expressione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes, Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione omnes, & quascumque exemptiones, & immunitates à solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adjuncti, quatrinorum carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettæ, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum, taxæ portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, colle-

ctarum, exactionum, & quorumlibet onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quæ per Communitates, & universitates directè, vel indirectè pro eorumdem onerum Cameralium solutione, publicorumq; munerum supportatione, ac pro viis, & pontibus construendis, instauran. munien. & manutenen. aliisque indigentiis, & usibus quibuscumque tam Cameræ, quam Communitatum, & Universitatum prædictarum, seù alias indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, necnon ab obligatione recipiendi, & hospitandi Milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Executores, aliosque Justitiæ Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria sub ministrandi per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quovis Sedis, & Cameræ, prædictarum Officiales, & Ministros, quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, etiam Camerarios, cœterosque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujusvis status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus, ac quavis dignitate, & auctoritate præditis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui castra, & jurisdictiones intra limites dictæ ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione castrorum, & jurisdictionum hujusmodi Sedi prædictæ annuatim, seu alias persolvunt, & tamen incolis, quam extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus, & tenentibus, seu possidentibus; omniumque supradictorum colonis, & laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & contemplatione, ac ex alia quacumque quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessitate specialiter exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiamsi in appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis promissum & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas, & datas, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, & innovatas, & inde etiam Judicis auctoritate sequuta quæcumque, necnon quasvis litteras, etiam Apostolicas sub plumbo, vel in simili forma Brevis Motus proprii cedulas, Chirographa, & scripturas hujusmodi ex nunc perpetuò revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque & effectu penitus ac omninò evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, & abrogata, irritata, & abolita, & annullata, viribusq; & effectu penitus ac omninò vacua esse.

Privilegia Ecclesiasticis quomodo intelligenda explicat.

§. 2. Nec ulli prorsus in petitorio, aut possessorio, etiam summariissimo, contra præsentium litterarum tenorem, & dispositionem suffragari posse, sed prædictos omnes, & singulos exemptos ad omnium, & singulorum onerum prædictorum solutionem, & supportationem pro rata eos tangente in posterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus, & per omnia perinde ac si dictæ exemptiones, & immunitates eis nullatenus concessæ fuissent, nec litteræ, ac cedulæ Motus proprii, Chirographa, & scripturæ hujusmodi unquam emanassent, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine prædictis decernimus, statuimus, & declaramus.

§. 3. Præterea omnia, & quæcumque privilegia, & indulta personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti ac Societatis, etiam JESU, regularibus super similibus immunitatibus, & exemptionibus per quoscumque Roman. Pontifices prædecessores nostros concessa ad limites juris communis motu scientia, deliberatione potestatis plenitudine, & tenore prædictis reducimus; Illa verò quæ nonnullis Collegiis in Alma Urbe nostra existentibus per dilectos filios Clericos regulares dictæ Societatis JESU, sive alios quoscumque administrari consuetis similiter à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum, & vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgò dicitur, à Fundaco & Magazzeno, prout ante hac observatum fuit, suffragari volumus, decrevimus.

Privilegia nepotibus prædecessorum data revocat.

§. 4. Ac demum similia privilegia, & indulta nepotibus, & aliis consanguineis, vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respectivè concessa itidem revocamus, & abolemus, ac revocata, & abolita esse, ac censeri debere volumus, & statuimus. Declarantes illa nemini eorumdem nepotum, sive consanguineorum, vel affinium à die nostræ ad summi Apostolatus apicem assumptionis suffragari posse, & debere, seù potuisse, ac debuisse.

Immunes declarat.

§. 5. Per præmissa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuscumq; personis Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam regularibus de jure competentes, neque Thesaurariis, Appaltatoribus, & conductoribus bonorum, introituum, & jurium dictæ Cameræ nostræ ab ipsa Camera, seu aliis illius nomine in appaltuum, & locationum Instrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque verè oneroso concessas. Ac insuper à revocationibus, & aliis supradictis excipimus & exceptas esse volumus, & declaramus immunitates, & exemptiones quibusvis Universitatibus, & personis datas, & concessas in vim contractus ex causa verè onerosa, videlicet congruæ, & effectualis pecuniarum solutionis, & non alias, eidem Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitimè factæ, vel ex aliis rationalibus causis per Nos cognoscen. & approban. ac etiam declaran. quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas, ac licitas, & honestas prout de jure approbare intendimus.

§. 6. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camera, citato dilecto filio ipsius Cameræ Commissario generali, verificare, & in ipsa Camera examinari & admitti facere teneantur, etiamsi concessiones, earumdem immunitatum, & exemptionum, ac litteræ, cedulæ Motus proprii, Chirographa, & aliæ scripturæ desuper emanatæ, & emanata alias in Camera prædicta admissæ, & admissa, ac in illa ejusque libris registratæ, & registrata fuerint, & sint; quatenus tamen causæ onerosæ hujusmodi pro verè onerosis, & legitimis ut supra alias in eadem Camera verificatæ, & approbatæ, ac prævia judiciali discussione non sint legitimæ habitæ: quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus, interim verò quamdiù non fuerint verificatæ minimè suffragari, & præsentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

§. 7. Præterea nostræ intentionis non est sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere immunitates, & exemptiones ejusdem S. R. E. Cardinalibu s ratione dignitatis Cardinalatus, necnon Cameræ prædictæ Clericis præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi seu admitti solitas; nec illas

quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui commensales nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis, in rotulo descripti, gaudent, & gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum à prædecessoribus nostris, & aliis suprà expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. mem. Pii IV. prædecessoris pariter nostri, & aliarum Constitutionum Apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum & pro tempore & personis, ac eo modo, & forma, quibus de jure communi illis competunt, ac alias juxta ipsius juris communis, ac supradictarum, & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionum reducimus, neque aliter quam ut præfertur sive in possessorio, sive in petitorio suffragari volumus, & decernimus.

Exemptiones Cardinalium, & aliorum Officialium ad terminos Const. Pii IV. reducit.

§. 8. Cæterum Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cœteris Agentibus, & Ministris dictæ Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum prædictarum earumdem serie præsentium districtiùs inhibemus ne contra ipsarum præsentium dispositionum, immunitates, & exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas quas ex causa verè onerosa concessas in Camera prædicta, ut præfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant: &, si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

§. 9. Postremò lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, necnon immunitatum, & exemptionum hujusmodi quomodolibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque & cognomina Judicum, & Collitigantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, à quibuscumque Tribunalibus hujusmodi ad Nos earumdem serie præsentium avocamus, illasque penitùs, & omninò perpetuò supprimimus, & extinguimus, & pro suppressis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Supradictis robur addit.

§. 10. Decernentes præsentes litteras, ac omnia & singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in præmissis, sive eorum aliquo interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, seù causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seù alias sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis nostræ vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in jus vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos Juris reduci, seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti seu se juvare posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac revocationum, & ordinationum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori data, quatenus opus sit de novo concessas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & quandocumq; spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 11. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales & Ministros, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 12. Quocirca dilectis filiis nostro, ac S. R. E. prædictæ Camerario, seù Procamerario, necnon Vicecamerario, Thesaurario, ac Clericis præsidentibus, Commissario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut præsentem nostram Constitutionem, & in ea contenta quæcumque in omnibus, & singulis firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

Contrariis derogat.

§. 13. Non obstantibus supradictarum litium pendentia, aliisque omnibus, & singulis præmissis, necnon nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, ac quatenus opus sit prædicti Pii Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernen. in eadem Camera præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes in ea præsentari, aut registrari numquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis, motuum propriorum, & aliis scripturis, & litteris etiam Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis etiam ut præfertur qualificatis, ac speciali nota, & mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendi, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibis, & aliis decretis, etiam inexcogitabilibus, & necessario exprimen. etiam contractus jurati cum Camera nostra Apostolica initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, seù factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi in eis caveatur expresè, quod nullo umquam tempore sub similium, vel dissimilium exemptionum, & immunitatum, revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus, & Constitutionibus pro tempore edendis comprehendatur, sed semper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam sub posteriori data per quascumque personas eligenda de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc

servan-

servandum foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari jubet.

§. 14. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant. Volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent, utque earumdem præsentium transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P A. 1. die 20 Dec.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Decemb. 1667. Pontificatus Nostri Anno primo.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1667. Indictione sexta, die verò 30. mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ Noni, Anno ejus primo, præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joseph Guicciardum Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Laurentius Barbigionus Mag. Curs.

XVIII.

Breve Beatificationis Rosæ de S. Maria Limanæ in Regno Pervano Indiarum Occidentalium, Tertii Ordinis S. Dominici.

Edita An. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ virgo casta uni viro desponsata est Christo, gloriosa fœcunditas, in omni quidem prole, quam per Dei gretiam quotidie profert, multipliciter gaudet, in sacris verò Virginibus, quæ studiosa charismatum meliorum æmulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornarunt, ineffabiliter exultat, atque floret, illarumque quæ accensis lampadibus exierunt obviam sponso, & intraverunt cum eo ad nuptias, sublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet: ut quæ sequuntur agnum quocumque ierit, luctanti cum sæculi tentationibus infirmitati nostræ, adjutorii cælestis opem atque præsidium à sponso jugiter impetrare dignentur. In hanc curam Nos ex debito pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ adstringimur propensiùs incumbentes, piis Catholicorum Regum, aliorumque Christi fidelium votis, quibus Ancillarum Dei in cælis regnantium veneratio in terris promovetur libenter annuimus, sicut matura deliberatione adhibita, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, Christianæ Religionis robur, ac spiritualem fidelium consolationem, atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

§. 1. Cum itaque diligentissimè discussis atque perpensis per Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum processibus, de Sedis Apostolicæ licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Rosa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem à Deo patrata fuisse asserebantur, Congregatio præfata coram nobis constituta unanimiter censuerit, quandocumque Nobis videretur ad solemnem ejusdem Servæ Dei Rozæ Canonizationem, juxtà Ritum ejusdem S. R. E. tutò posse deveniri, interim verò indulgeri, ut in toto Orbe terrarum Beata nuncupetur, hinc est, quòd Nos piis atque enixis Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac Charissimæ in Christo filiæ nostræ Marianæ Reginæ Viduæ ejus genitricis, & totius Ordinis S. Dominici supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati; De præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut memorata Dei Serva Rosa de S. Maria, in posterum Beatæ nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seù splendoribus exornentur, atque de ea sub duplici ritu recitetur Officium, & Missa celebretur de Virgine non Martyre singulis annis, juxtà rubricas Breviarii, & Missalis Romani die vigesima sexta Augusti, quæ prima est non impedita post diem vigesimam quartam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit: hæc verò in locis dumtaxat infrascriptis nempè in Civitate, & Diœcesi Limana, ac in Universo Ordine S. Dominici, tàm Fratrum, quàm Monialium, & quantum ad Missas attinet etiam à Sacerdotibus confluentibus.

Rosam Beatam nuncupari jubet.

§. 2. Præterea primo dumtaxat anno à datis hisce literis, & quoad Indias à die quo eædem præsentes litteræ illuc pervenerint inchoàndo in Ecclesiis Civitatis, & Diœcesis, ac Ordinis præfatorum, necnon in omnibus Cathedralibus, & Metropolitanis Hispaniarum, & Indiarum solemnia Beatificationis ejusdem cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis constituta, & intra sex menses promulganda, celebrandi facimus facultatem. Romæ, verò in Ecclesia S. Jacobi Nationis Hispanorum intra bimestre, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum celebrata fuerint eadem solemnia, pariter celebrari permittimus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac decretis super non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si fuerint exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1 die 12. Febr.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam sub annulo Piscatoris, die 12. Februarii 1668. Pontificatus Nostri Anno primo.

XIX

Decretum in quo Privilegia S. R. E. Cardinalium testandi de bonis, redditibus, & emolumentis Ecclesiasticis, etiam ad fructus inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos extenduntur.

Edita An. D. 1667.

CLEMENS PAPA IX.

Procœmium.

Motu proprio &c. Cum à prima nostræ Divina favente Clementia Assumptionis ad Summi Pontificatus Apicem die impenso cogitaverimus Sacrum Cardinalium S. R. E. Collegium quod uti Senatus Universalis Ecclesiæ in excolenda vinea Domini nobiscum assiduo collaborat, & singulos Cardinales tanquam membra ejusdem corporis, quorum consilio, industria, ac opere

tam

tàm in spiritualibus universi Orbis Christiani, quàm in temporalibus nostræ Ditionis, aliisque negotiis, & rebus quibuscumque Romani Pontificis uti & cuncta sedulo administrare consueverunt amplioribus privilegiis, & gratiis complecti, & communire, præquè aliis facultates, & privilegia testandi, & disponendi de bonis, ac Juribus ab ipsis dum vivant, quomodolibet acquisitis à bonis, redditibus, emolumentis, & Juribus Ecclesiasticis, eisdemque in illis succedendi, tàm suæ dignitatis intuitu, quàm in laborum congruam remunerationem per Sedem Apostolicam hactenus solitam concedi, gratiosè ampliare, & ad fructus etiam inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos, de quibus ante hac nullo modo disponere poterant, extendere.

Extensio de qua in rubr.

§. 1. Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & ex mera nostra, & Sedis Apostolicæ liberalitate, qua prædictos S. R. E. Cardinales prosequi volumus, privilegia, & facultates testandi prædictorum Cardinalium ad illos etiam fructus extendimus, & ampliamus, qui si naturales sint, à solo in quo sunt producti legitimè juxta rei naturam fuerint sublati, & à manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium Bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati, reperiantur. Si verò civiles sint, postquàm dies solutionis advenerit, fuerint per quoscumque debitores quomodolibet persoluti, & ad manus Cardinalium, vel ad eorum Ministros pervenerint, seu in aliquo loco publico ad eorum creditum fuerint depositati, quod etiam servari volumus in terminis quomodolibet debitis pro affictibus Bonorum, ac Jurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendi volumus, & mandamus, si modo quo supra fructus tàm civiles, quàm naturales Conductoribus, & Affictuariis locati, & concessi per illos erunt percepti, quamvis termini solutionis affictuum per locatores fuerint postcipatè conventi.

§. 2. Quare distinguendò inter ejusmodi facultates, & privilegia jam concessa Cardinalibus adhuc viventibus, & quandocumque aliis in futurum concedenda illa favorabiliter ampliamus, & extendimus, ut intelligantur, ac servari præcisè debeant, æquè ac si formaliter emanassent cum omnibus, & singulis extensionibus, & ampliationibus prædictis, eisdemque illa essent de verbo ad verbum inserta. Alia verò quæcumque in futurum concedenda ad eorum limites concipi omninò debeant, & pro ita conceptis intelligi, & observari, etiamsi diversimoda, & contra eorum tenorem extenderentur.

Decretum irritans.

§. 3. Nos enim ita servandum lege, ac perpetuò valitura statuimus, & mandamus. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam Legatos de Latere, & Camerarios, ac ejusdem Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarios, Præsidentes, & Clericos, Collectores, Subcollectores, Ministros, & Officiales quoscumque ipsius Cameræ, in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & quidquid inane secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, vel observari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra de Jure quæsito non tollendo, cæterisque aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, decretisque Cameralibus Apostolica etiam auctoritate confirmatis, & roboratis, necnon quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Julii Tertii, & Urbani Octavi, & aliorum quorumcumque nostrorum Prædecessorum concessis, etiam juramento, & quavis alia firmitate roboratis, statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione esset opus de illis, eorumque totis, ac integris tenoribus specialem, expressam, & individuam mentionem facere, seu quavis alia exquisita forma de necessario servanda foret, eorumque plenos, ac integros tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, perindè ac si re ipsa præsentibus individualiter, ac de verbo ad verbum expressa, insertaque forent, cæterisque contrariis quibuscumque specialiter, & expresse derogamus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1668. pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno primo. — Dat. P. A. 1. die 28. Febr.

Placet motu proprio I.

XX.

Confirmatio Congregationis super statu Regularium, ejusque facultatum.

Edita A. D. 1668.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

INjuncti Nobis cælitus pastoralis muneris ratio postulat, ut paternam virorum regularium, qui abnegantes semetipsos Altissimi Obsequiis se sub suavi Religionis jugo devoverunt, sollicitudinem gerentes, ea, quæ pro fœlici eorum statu conservanda, restituendaque, sicubi excidit, regulari disciplina, ac juvandis laudabilibus eorum studiis, atque progressibus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris provide constituta esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri præsidio roboremus, & alias desuper provideamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac spiritualem Fidelium ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Innocent. X. Congreg. instituit.

§. 1. Cum itaque dudum fœl. record. Innocentius Papa X. Prædecessor noster Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum super statu Regularium instituerit, ipsique Congregationi sic institutæ intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro Novitiatibus, & Professoriis Conventus, Monasteria, Collegia, ac Domos quorumcumque Monachorum, ac regularium virorum cujusvis Ordinis Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessario exprimendi, & hujusmodi Novitiatus, & Professoria mutandi, transferendi, suspendendi, & supprimendi, prout utilitas, & necessitas postularet, & exigeret, dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus sic deputatis Novitios ad habitum, & Professionem sub regulis, & formulis ab eadem Congregatione jam præscriptis, seù præscribendis, præfigendi, seù taxandi numerum Religiosorum in singulis Conventibus, Monasteriis, Collegiis, & Domibus Regularium virorum eumque pro modo redditutum augendi, & minuendi, exequendi Constitutionem ejusdem Innocentii Prædecessoris, quæ incipit Instaurandæ &c. editam Idibus Octobris Anno Incarnationis Dominicæ 1652. Pontificatus sui Anno nono, necnon ipsius Innocentii Prædecessoris decretum, quod incipit, ut in parvis &c. Editum die 10. Februarii 1654. & decidendi controversias emergentes inde, ac demum promovendi executionem, & observantiam Decretorum rec. mem. Clementis Papæ Octavi Prædecessoris pariter nostri super reformatione Regularium, & potissimum quæ per-

tinent

tinent ad institutionem, & educationem Novitiorum, & in præmissis omnibus etiam pœnis, & censuris Ecclesiasticis procedendi facultates attribuerit.

De paucitate Congreg. quæritur.

§. 2. Nos considerantes Congregationem prædictam strenuè quidem, & fideliter, ac magno cum fructu in Ecclesia Dei hactenus laborasse, sed ex Cardinalibus Congregationem ipsam constituentibus, de quorum numero antequam ad Supremi Apostolatus apicem divina dispositione assumeremur, eramus, solos de præsenti superesse Venerabiles Fratres nostros Martium Portuen. Ginettum, ac Vldericum Tusculanum Episcopos Carpineum, & dilectum filium nostrum Marcellum Presbyterum S R. E. Cardinales Sanctacrucium nuncupatos, ex Prælatis autem nonnullos quidem ad Cardinalatus honorem promotos fuisse, alios verò ab humanis decessisse, solo superstite dilecto filio Magistro Prospero Fagnano in utraque signatura nostra Referendario, qui ejusdem Congregationis Secretarius existit; alios tùm Cardinales, tùm Prælatos sapientia, prudentia, doctrina, charitate, integritate, & Religionis zelo eximiè præditos in dictam Congregationem censuimus in Domino cooptandos.

§. 3. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum à memorato Innocentio prædecessore institutam, omnesque & singulas facultates illis attributas, ut præfertur tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac Apostolici muniminis præsidio corroboramus.

§. 4. Præterea prædictis Martio, ac Ulderico, & Marcello Cardinalibus dilectos filios nostros Nicolaum Ludovisium, Aloysium Homodeum, Petrum Otthobonum, Laurentium Imperialem, Gibertum Borromæum, Flavium Chysium, Petrum Vidonum, Hieronymum Buonvisium, & Jacobum Presbyteros Rospigliosum nostrum secundùm carnem ex fratre germano nepotem, ac Carolum Barberinum Diaconum ejusdem S. R. E. Cardinales Carolum respectivè nuncupatos, necnon Venerabiles Fratres Stephanum Ugolinum Patriarcham Constantinopolitan. Jacobum de Angelis olim Urbinaten. Franciscum Mariam Phœbeum Tarsen. Carolum de Vecchiis Athenarum, & Stephanum Brancaccium Adrianopolitan. Archiepiscopos, Marium Fanum Cyreron. & Camillum Piazzam Dragonien. Episcopos, ac dilectos filios Magistros Bernardinum Roccium Palatii nostri Apostolici Præfectum, Franciscum Mariam Baranzonum, Marium Albericium, Petrum Franciscum de Rubeis, & Stephanum de Augústinis in utraque Signatura nostra Referendarios harum serio adjungimus, eosque omnes, & singulos in Congregationem super statu Regularium prædictam adlegimus, & cooptamus.

Clausulæ præservativæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seù ad terminos juris reduci unquam posse: Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, & Congregationum, Societatum, ac Institutionum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, illorumque Superioribus, & personis, & aliis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, vel alias quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1 die 1. April

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11. Aprilis 1668. Pontificatus Nostri Anno primo.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESV Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, Indictione sexta, die verò 24 mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D.N Domini Clementis Divina Providentia Papæ IX. Anno ejus primo, supradicta C[...]rmatio affixa, & publicata fuit ad valvas [...]licæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jo. Jacobum Pelliciam D.N. Pap. Curs.

Hilarius Cantellus Curs. Mag.

XXI.

Privilegia, Indulta, Gratiæ, Facultates, & Exemptiones nonnullis Sanctitatis Suæ familiaribus concessa.

Edita An. D. 1668.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nomina Familiarium ad quos concessio privilegiorum spectat.

VEnerabilibus Fratribus Stephano Ugolino Constantinopolitan. & Jacobo Altovito Antiocheno Patriarchis, ac Francisco Nerlio Florentium litterarum nostrarum in forma Brevis ad Principes Secretario, Jacobo de Angelis olim Urbinaten. Francisco Mariæ Phœbeo Tarsen. & Bernardino Roccio Damasceno Archiepiscopis, Palatii nostri Apostolici, necnon Aemilio Alterio olim Camerinen. Cubiculi nostri, & Ambrosio Landucio Porphyrien. Episcopis, Sacrarii nostri respectivè Præfectis, ac dilectis filiis Magistris, Francisco Mariæ Antaldo Urbinaten, Joanni Muto de Papazurris Romano, Bernardino Casatio Romano, Honuphrio de Hippolytis Pistorien.

Nestori Ritæ Reatin. Auditori nostro, Jacobo Elephantutio Ravennaten. Cameræ nostræ Apostolicæ Commissario Generali, Francisco Bonuisio Lucan. Stephano de Augustinis Forolivien. Eleemosynario secreto, Joanni Baptistæ Rubino Veneto, Savo Millino Romano, & Christophoro ab Auria Januen. in utraque Signatura Referendariis, Prælatis domesticis nostris, necnon Silvestro Vannino Romano Pincernæ, Jo. Vincentio Arata Panormitan. Vestiario, Paulo de Strada Clerico conjugato Romano Architriclino, Jordano Hilling Rigen. & Ludovico Lentio Romano, Cubicularis intimis, ac Antonio Capellino Sabinen. Francisco Polino Camerinen. Joanni Nicolao Piccolaminæo Senen. libellorum supplicum Nobis porrectorum Secretario, Joanni Angelo ab Altemps Romano, Guilielmo Baroni de Furstenbergh Westphalo, & Mario Spinulæ Janven. Cubiculariis secretis nostris, ac Theodoro Cellesio Pistorien. Fratri Militi Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Armindo Riccio Firman. Subdatario, Joanni Gualtero Slusio Leodien. Officiali Brevium nostrorum secretorum, Benedicto Ritæ Clerico conjugato Reatin. Medio secreto, Riccardo Cruciano Camerinen. Caudatario, Petro Maffarino Firman. Crucifero, Gallieno Conocio Hydruntin. & Joanni Bissaiga Vercellen. Cappellanis secretis nostris, ac Aemilio de Cavaleriis, & Marchioni Antoni SanctaCrucio Romanis, Equitum levis armaturæ custodiæ corporis nostri Capitaneis, Francisco Ceriolo Cremonen. Magistro domus nostræ, Francisco Guilmio Namurcen. & Balsio Aegidio Sabinen. respectivè Civitatum, vel Diœcesum Clericis, seù Presbyteris, ac Evangelistæ Guidotto Romano Clerico conjugato, Cubiculi nostri Adjutoribus, & Federico Cavallo Aretin. Diœc. Subvestiario nostro, familiaribus continuis Commensalibus nostris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa concessionis.

§. 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, pro ut personarum qualitatibus conspicit convenire. Hinc est quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui Commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitæ, ac morum honestateam, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras, etiam familiari experientia, juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Notarios creat.

§. 2. Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vos, & quemlibet vestrum respectivè in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios, (sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolica auctoritate tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, necnon auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac

Comites & milites.

Civitatum Avenionen. Bononien. Ferrarien. & Beneventan. omniumque & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum Cives cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, ac constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumq; Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus.

§. 3. Vobisq; etiamsi habitum, & rochettum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus ceteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citrà tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino sublatas, ita ut ne dum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceatis Ordinariis, & citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios seù Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætensa, itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum, & inane existat, quicquid secus per vos, aut quemlibet vestrum respectivè attentari contigerit) necnon Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, ac sæcularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assecutione, & exercitio tàm in Urbe, quàm in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter acsi privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficien. vos Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroq; parente procreatos, necnon Roman. & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives prout libuerit inscribere, & vos illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque qualecumque illud fuerit cum iis subscriptionibus subreptitium, aut obreptitium, vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, necnon honoris causa insignia Gentis nostræ sivè integrè, sivè cum vestris respectivè composita gestare possitis, prout vobis placuerit concedimus.

§. 4. Et insuper vos, vestraque beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac se moventia, necnon actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujusvis, etiam annui valoris fructus, redditus, & proven. hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis vendenda, ac pro vestris, & familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quo-

Bona eorum ab oneribus eximit.

cumque

cumque alio nomine nuncupatis angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tàm urbanis, quàm rusticis ordinariis, & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis transitus, seù passus, & vecturæ, etiam in aliud territorium, seù Provinciam terrâ, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum, militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis, ita quod vos, & quilibet vestrum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seù vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores, quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos, aliàs quàm ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiù servitiis nostris institeritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Super residentia dispensat.

§. 5. Ad hæc vobiscum, & cum quolibet vestrum respectivè, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum, etiam Collegiatarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas, etiam major, & principalis, Canonicatus, & præben. personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique curà etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum aliàs canonicè conferantur, aut quisque vestrum eligatur, præsentetur, aut aliàs assumatur ad illa, & instituatur in eis, recipere, & dummodò illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere, necnon etiam quamdiù Nobis inservieritis tantùm in beneficiis Ecclesiasticis, etiam curatis, non tamen Parochialibus, nec Curatis cura animarum Parochianorum, per vos pro tempore respectivè obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis Majores, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earumdem Capitula, seù quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque & singulos vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus, & proven. durante servitio prædicto cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere, & levare.

Facultates recipiendi Ordines sacros cócedit.

§. 6. Ac interim, vel postmodum si volueritis hìc in Romanâ Curiâ, vel extra eam à quocumque quem malueritis Catholico Antistite gratiam, & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes, etiam sacros, & presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora à Jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis licentia desuper minimè requisita, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam oneramus promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare.

§. 7. Necnon, etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, leges, & jura civilia etiam publicè in Scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodò trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, &, si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque Jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis civilibus tantùm exercere liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus.

Licentia eligendi Confessarium.

§. 8. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrum aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vita cujuslibet vestrum comite vos, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seù consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum Officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicet à contentis in litteris die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantùm in vita, & mortis articulo; in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisve quibusvis casibus semel in anno confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio, auctoritate Apostolicâ absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem; necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum BB. Apostolorum Petri, & Pauli, castitatisque, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Indultum transferendi pensiones

§. 9. Vobisque ulteriùs, & cuicumque vestrum respectivè, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seù aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, tàm in dictâ Curiâ, quàm extra eam ad id per vos respectivè coram Notario, & testibus fide dignis eligendi, seù eligendæ quascumque pensiones annuas vobis super Mensarum Abbatialium, seù Capitularium, ac Episcopalium, & Archiepiscopalium, ac quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani prædicti, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proven. juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seù illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respectivè placuerit, simul, vel successivè in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo cessare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proven. juribus, obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seù illarum loco fructus, redditus, proven. jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quæcumque quot cumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica

obti-

obtinentibus, & expectan. Clericis, seù clericali charactere insigniri volentibus etiam eis quoad vixerint, seù eorum Procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo, & formâ, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seù assignata, & concessa fuerint respectivè etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo facien. facultatem non habueritis, ac pensiones, & fructus, redditus, proven. jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi etiam pluries cassata, & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam litteris Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, necnon cum surrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi in qua tunc eritis, integrè persolvendas, servatâ tamen formâ Constitutionis fel. rec. Urbani PP. VIII. prædecessoris nostri quoad excessum medietatis fructuum, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas testandi.

§. 10. Necnon etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint altaris, seù altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seù alicui speciali earumdem Ecclesiarum divino cultui, seù usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis, existentibus, ac juribus, & actionibus ad vos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forsan præesse contigerit, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Præposituratum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redditurum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proven. vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, & aliàs quomodolibet spectantibus, & pertinen. ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & pensionibus annuis, necnon vestra, & cujuslibet vestrum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen, acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & aliâ quavis occasione, vel causâ, seù contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, & localibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tàm in dicta Curia, quàm extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quæ generali appellatione bonorum, & supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus ac si specificè, & singillatim exprimerentur, & denominarentur pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, & proventibus, & pensionibus debitis, & debendis, (servatâ tamen formâ Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis tàm pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint; etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, ac aliàs pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrum absolutis testari, & testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm causa mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scriptura etiam minùs solemni coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula sola manu vestrâ scripta, vel subscripta, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout, & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsa Curia, & in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seù disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterùm, aut pluries disponere, statuere, & ordinare, itaut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seù aliàs dispositum à vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ earumdem tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Supplementū defectuū.

§. 11. Et insuper statuimus, & ordinamus, vobisque indulgemus, quod si vos ab intestato, & sine ulla, vel minùs valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, tàm continua, quàm interpolata inibi cujuslibet vestrum respectivè mansione, ac etiam extra beneficia vestra, vel alia loca debitæ à vobis residentiæ personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia, & singula bona, res, & jura etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex prædictis, & aliàs undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seù in dictis beneficiis Successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros arbitrio personæ, seù personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione vestrâ scriptura, etiam minùs solemni, secùs appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seù Executores, omninò exequi, & adimplere, illique sese conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominùs quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsan à vobis etiam nulla, aut minùs sufficienti facultate suffultis de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient ex nunc prout ex tunc, & è contrà pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint quod specialis, specifica, & expressa de illis mentio præsentibus habenda esset supplemus.

§. 12. Di-

Inhibitio cōtra molestantes.

§. 12. Districtiùs inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præsidentibus, & Clericis, ac eorum, necnon fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, ceterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ne Universitates, Collegia, ac loca, & legatorios, hæredes, & personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi Exequutores prædictos directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare audeant quoquomodo, vel perturbare.

Clausulæ præservativæ.

§. 13. Ac decernentes prædicta omnia, & singula, præsentesque literas, & testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque; necnon quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit, tàm vigore præsentis, quàm etiam aliarum concessionum vobis factarum, ac deinceps in genere, & in specie faciendarum cum inde sequutis, & sequuturis, etiamsi vos intrà Curiam in quacumque alia mundi parte extrà Ecclesias, & beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta etiam pro vestra sola voluntate, & nulla subsistente causa non resistendi ab humanis decedere contigerit, sub literis rec. mem. Pii Papæ IV. prædecessoris nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, necnon parochialium Ecclesiarum Rectores cæterosque residentiæ personali prædictæ adstrictos extrà illam quomodocumque decedentes septimo Kalend. Decemb. Pontificatus sui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & sub quibuscumque aliis Constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apostolicis, Cancellariæ Apostolicæ regulis ex quibuscumque causis quantumcumque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam à Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, sed semper ab illis excepta; & quoties emanata fuerint, toties in pristinum, & validissimum statum, & etiam sub data posteriori, etiam cum derogationibus, & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis per vos eligenda apponendis, & latissimè specificandis reposita, restituta, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa, validaque, & efficacia fore, necnon perpetua firmitate subsistere, suosque plenarios, & omnes effectus, qui de Jure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, & efficacis contractis inter vos ex una, ac Nos, & cameram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestræ mutationem, nec per similes, vel dissimiles gratias vobis concessas, & concedendas confundi, sed ipsis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & si quid in una ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seù quæ bona, jura, & actiones hujusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut Executores prædictos ad tertiam, seù aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem præsentium à Nobis, vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, seù confirmatione illius vobis quomodocumque concedenda, de præsenti mentionem aliquam faciendum minimè teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse.

Clausula sublata.

§. 14. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, necnon pro tempore existentes dictæ Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 15. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostien. & Portuen. Cardinalibus Episcopis, & dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seù alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earundem præsentium tenorem, quomodolibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari: Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitima super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis vigore præsentium ad judicium non trahatur, necnon Lateranensis Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac stylo in similibus hactenùs observato, ac rec. mem. Alexandri PP. VI. etiam prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem Bonifacii Papæ VIII. per quam concessiones fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papæ IV. prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita quod præsentes in eadem Camera nullo unquam tempore registrare teneamini, ac similis recor. Urbani PP. VIII. etiam prædecessoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterùm non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tàm Urbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in

quibus Cives Originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædictorum, necnon quorumvis Collegiorum, & officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliorum Civitatum, & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contrà ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel Procuratores vestros præstiteritis forsan hactenùs, vel vos in posterum præstare contigerit juramentum; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seù Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis; illorum Communitatibus, & Universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum Exactoribus, & Appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum statuti, & constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientiâ similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seù illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresse, vel tacitè, quod Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresse qualificatos obtineri non possint, & nulli Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum hujusmodi admitti, seù illorum privilegiis uti possint, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis per certum tempus habitaverint, seù etiam in illis bona, etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque præceptoriæ, & alia beneficia, quæcumque dicti Hospitalis, tàm ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione, pensionibus Clericis sæcularibus, & aliis personis, etiam Apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascumque litteras Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tùm demùm Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque litteræ derogationis hujusmodi, etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic fient, etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quòd illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo; quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis, exigere, & illos ad solutionem, seù contributionem cogere, & compellere possint, seù debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere, & in specie ad effectum præsentium sufficienter, & expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 17. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis ut supra facta perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constituta professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædicta propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini; Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Maii 1668. Pontificatus Nostri Anno primo. D. P. An. 1. die 23. Maii

---

XXII.

Moderatio Constitutionis Clem. VIII. locum ciborum Paschalium pro Fratribus S. Francisci de Paula ad Infirmarias Conventuum restringentis.

CLEMENS PAPA IX.

Edita An. D. 1668.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

INjuncti Nobis cælitus pastoralis officii ratio postulat, ut paternam Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis, sub austerioris vitæ Regula mancipatorum curam gerentes illorum necessitatibus, quantum cum Domino possumus benigna salubrique moderatione consistere studeamus.

Const. Clem. VIII.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus de Consentia, Zelosus, seù Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, quod dudum, videlicet Anno 1596. fel. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, peculiari Constitutione Fratribus d. Ordinis prohibuit, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per triennium, ne durantibus eorum infirmitatibus, in quibus dumtaxat eisdem licitum est vesci cibis Paschalibus, Conventibus egrederentur.

§. 2. Verum quotidiano experimento comprobatum est, ex Constitutionibus hujusmodi, optimo licet consilio emanatæ, observatione, multa oriri incommoda, cum Fratres prædicti talibus sæpissimè corripiantur Corporis infirmitatibus, ut ad aquas minerales, vel potandas, vel earum balneis utendi ergo se conferre cogantur; quæ remedia nullatenus adhibere valent, nisi cibis Paschalibus, juxta medicinæ regulas utantur, atque ità Constitutionem prædictam infringant, ac pœnis per eam latis se se exponant, si mortis periculum evadere velint. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissis attentis, Ordo prædictus Zeloso, seù Procuratori Generali ipsius Ordinis pluries injunxerit, ut me moratæ Constitutionis moderationem ab hac Sancta Sede impetrare curaret; Nobis propterea dictus Petrus, ejusdem Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos

Concedit prout in rub

§. 3. Nos igitur ejusdem Petri votis favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, à nobis super negotio hujusmodi specialiter deputatorum consilio, prædictam Clementis prædecessoris Constitutionem, per quam locus ejus ciborum Paschalium pro Fratribus dicti Ordinis, ad Infirmarias Conventuum restringitur, auctoritate Apostolica tenore præsentium ita moderamur, ut eisdem Fratribus liceat etiam extrà Infirmarias hujusmodi cibis Paschalibus vesci durante necessitate accessus, recessus, & moræ ad balnea, de Concilio Medici, & cum licentia Superiorum, quorum conscientiam oneramus; ita tamen ut in reliquis nihil relaxatum intelligatur disciplinæ regularis.

Contrariis derogat.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores Judicari, & definiri debere ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstante prædicta Clementis prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.An. 1. die 19. Junii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Junii 1668. Pontificatus nostri Anno primo.

XXIII.

Indultum Priori Generali Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo concessum, conferendi lauream Doctoratus in Collegio Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Urbe Fratribus ejusdem Ordinis, qui titulo Magisterii sunt insigniti.

Edita A. D. 1668.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

DUm fœl. rec. Urbano PP. VIII. prædecessori nostro pro parte quon. Theodori Stratii tunc temporis Prioris Generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo expositum quòd ipse juxta regularia d. Ordinis instituta Apostolica auctoritate confirmata, Ordinis hujusmodi professores, qui eos cursus lecturas, vel exercitia literarum peregerant, quæ secundùm earundem regularium Institutorum formam, & tenorem requirebantur, ejusdem Ordinis Magistros in Sacra Theologia creandi, & instituendi facultatem habebat, dummodo tamen iidem professores Magisterii, sivè doctoratum in eadem Sacra Theologia lauream in aliqua approbata Studii generalis Universitate susciperent.

§. 1. Quia verò in suscipienda Magisterii, sivè Doctoratus in Universitate generali hujusmodi laurea intolerabiles pecuniarum summæ expendendæ erant, in magnum pauperrimæ inter Mendicantes Religionis detrimentum, & Collegium S. Theresiæ Salamantin. ejusdem Ordinis semper habuerat, & in posterum habiturum sperabatur Regentes, & in eadem Sac. Theologia Magistros doctos, & in literarum exercitiis maximè versatos, per eundem Theodorum Priorem Generalem præfato Urbano prædecessori supplicato, ut, quo debitus virtutis honos ejusdem Ordinis Provinciarum Hispaniæ, & Lusitaniæ professoribus qui in artibus, & Sacræ Theologiæ hujusmodi studiis cursum perfecissent, & alias digni, & idonei essent, sublatis expensis hujusmodi haberetur, super præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Constitutio Urb. VIII.

§. 2. Idem Urbanus prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, præfato Theodoro, & pro tempore existenti Priori Generali d. Ordinis omnibus, & singulis ejusdem Ordinis, & Provinciarum præfatarum professoribus, quos absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum à Regularibus d. Ordinis institutis, ut præfertur requisitis, & servatis aliàs servan. Magistros in eadem Sacra Theologia crearet, & institueret, quod illi in præfato Collegio Salamantin. S. Theresiæ cum rigoroso examine, & approbatione Regentium, & aliorum Magistrorum ejusdem Collegii, ac servatis aliis conditionibus juxtà regularia Instituta hujusmodi necessariis à Superiore ejusdem Collegii Magisterii, sivè doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream suscipere liberè, & licitè possent, & valerent, concedendi, & indulgendi facultatem, auctoritate Apostolica concessit, & aliàs prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 26. Augusti 1634. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Cùm autem sicut pro parte dilectorum filiorum Mathæi de Orlando, ac Andreæ Lao Prioris, & Procuratoris generalium d. Ordinis respectivè Nobis nuper expositum fuit majori parti Fratrum ejusdem Ord. valdè incommodum sit lauream doctoralem hujusmodi consequen. ergò, ad memoratum. Conventum Salamantin. accedere, Nobis propterea dd. Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in Rub.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, præfato Matthæo moderno, & pro tempore existenti Priori Generali Ordinis præfati petitam facultatem conferendi lauream doctoralem illis Fratribus qui ex præscripto Constitutionum Ordinis hujusmodi magisterio insigniti fuerint auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus; Ità tamen, ut illa extra Collegium Salamantinum nonnisi in Collegio Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Urbe ejusdem Ordinis, uti possit, ac salva semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri

debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit d. Ordinis, ejusque Provinciarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & liter s Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 2. die 20. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1668. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XXIV.

Concessio Indulgentiarum pro Confraternitatibus B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captivorum cum Indulto erigendi, instituendi, & aggregandi similes Confraternitates.

Edita A. D. 1668.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN supereminenti Apostolicæ Dignitatis specula meritis licet imparibus à Domino sublimati ad universos in vinea Domini, quæ est ejus Ecclesia curæ nostræ divinitùs commissa, ad animarum salutem providè consitos, & Sedis Apostolicæ benigno favore alitos, Religiosorum hominum Ordines acies mentis nostræ inflectentes, & inter eos Ordinem Fratrum B. MARIAE de Mercede nuncupatæ, sicut nomine, & professione Captivorum, quos ex Christi fidelibus dura immanium Christiani nominis hostium servitus miseros premit, redemptioni addictum, ita in redimendis hujusmodi Captivis fratrum suorum pietatis studio, & vigilantia singulari cum fructuum ubertate pari coruscare contemplantes; Nos ei ea per quæ, non solum confoveri, sed multis cum incrementis sese efferre, & elatos ramos charitatis, & pietatis in miserorum hujusmodi sublevamen, pro talento sibi à Domino, qui omnibus dat prout vult, commisso latius diffundere, & expandere valeat, eo libentius, & liberaliori manu, apertis spiritualium gratiarum, quarum dispensatores facti fuimus, Thesauris elargimur, & erogamus quo magis id ad Dei gloriam, & animarum salutem judicamus in Domino successurum.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum Matthiæ Cubells antiquæ observantiæ, & Andreæ à Sancto Joseph familiæ Reformatæ Ordinis Beatæ MARIAE de Mercede nuncupatæ Redemptionis Captivorum Procuratorum Generalium petitio continebat; Quod cum à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris Religiosis, & Fratribus dicti Ordinis, diversas Confraternitates, seu Congregationes personarum sæcularium utriusque sexus erigendi, seù præfato Ordini, vel ejus singulis respectivè domibus regularibus, uniendi, & incorporandi, seù eidem Ordini aggregandi, ipsisque, & eorum sæcularibus personis, sibi competentia privilegia, Indulgentias, & gratias spirituales, facultates, & indulta sibi concessa communicandi attributa sit facultas, seu similes erigendi Confraternitates, & Congregationes, consuetudo usu recepta fuerit, & non solum Religiosi præfati Ordinis, sed utique etiam Confraternitates, & Congregationes, ac sæculares earum personæ hujusmodi Captivorum sub duro Barbarorum jugo languentium, redemptioni, & libertati sedulo incumbant. Quare ut Religiosi Ordinis, ac Confraternitatum, seù Congregationum hujusmodi sæculares personæ ad opus tàm pium, & necessarium efficaciùs incitentur, & ne indulgentiæ ipsi Ordini, & facultates, ut præfertur erigendi, & aggregandi, de cætero propter aliquas limitationes, seu revocationes; aliquorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum in dubium aliquando revocari possint; pro parte dictorum Matthiæ, & Andreæ Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Quæ omnia confirmat.

§. 2. Nos igitur, qui pia singulorum Ordinum Religiosorum, in Ecclesia Dei rectè institutorum, quibuscumque cum Domino possumus modis omnibus promovere studemus eosdem Matthiam, & Andream, ac Ordinis, & singularum Confraternitatum hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati & innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutos, ac absolutas fore censentes, hujusmodi suplicationibus inclinati ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis concedendis Præpositorum, Religiosis præfati Ordinis, ac singularum Confraternitatum, seu Congregationum, eidem Ordini, seu alicui, ex ejus Domibus Regularibus aggregatarum, illarumque personis utriusque sexus, qui Captivorum hujusmodi Redemptioni incumbunt, ubicumq; degentibus, cæterisque utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, qui aliquam ex Confraternitatibus prædicto Ordini, seù alicui ejus domui regulari annexam, aggregatam, seù unitam, de cætero ingredientur, die prima eorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint.

Indulgentia Confratribus largitur.

§. 3. Ac nunc, & pro tempore existentibus, dictarum Confraternitatum Confratribus, ubilibet dacedentibus etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione, si id commodè fieri potuerit, refectis, vel saltem contritis, in eorum mortis articulo, nomen JESU corde, si ore nequiverint, devotè invocantibus; Præterea ipsis Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac eadem sacra Communione refectis, qui aliquam Ordinis, vel Confraternitatum hujusmodi Ecclesiam, seù Oratorium ultima Dominica mensis Julii à primis Vesperis usq; ad occasum solis diei Dominicæ hujusmodi annis singulis devotè visitaverint; Quive scapularii, quæ singulis mensibus, ac duabus aliis solemnibus Processionibus, quarum prima tempore publicationis Missionis Religiosorum ipsius Ordinis, pro redimendis Captivis, altera verò post eorumdem Captivorum redemptionem, de more celebrantur, devotè interfuerint, & pias ad Deum preces pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, inter Christianos Principes concilianda, & fovenda pace, hæresum extirpatione, Infidelium conversione, ac Romani Pontificis salute, effuderint, qua Dominica, seù aliis diebus hujusmodi id pro tempore fecerint; Quive ad partes eorundem Infidelium pro miseris Christi fidelibus inibi sub misero servitutis jugo deservientibus redimendis progredientur, si ante illorum discessum, ac post illorum reditum; iis verò qui è Barbarorum servitute redimentur, si infra mensem à die illorum, Redemptionis computandum, idem SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & ut præfertur oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & elargimur. Ac etiam eisdem Confratribus, habitum dictarum Confraternitatum deferentibus, si

verè

in Domini Nostri JESU Christi, aut Beatissimæ Virginis MARIAE, vel Sanctorum ipsius Ordinis festivitatibus idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint. Quive quotidie per annum integrum ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, vel Symbolum Apostolorum pro impetranda fortitudine, ac patientia iis, qui apud Barbaros detinentur in Captivitate, ne nomen Domini JESU Christi, negent, sed fortiores in fidei confessione persistant, ac quantocitius ab eadem servitute liberentur. Præterea, eisdem Confratribus etiam confessis vel confitendi firmum propositum habentibus habitum præfatum deferentibus, qui singulis diebus septies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam præfatas, ad ipsius Deiparæ Virginis MARIAE gloriam, & honorem, aut ipsum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur associaverint, vel qui hoc facere impediti, Campanæ ad id dato signo genibus flexis septies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam hujusmodi pro eodem infirmo recitaverint, seu pauperes è Captivitate Redemptos, hospitio receperint, illosve ad Ecclesiam Ordinis, vel Oratorium Confraternitatis locorum, in quibus degent associaverint, septem annos, & totidem quadragenas. Postremò eisdem Confratribus, qui in Vigiliis festivitatum Domini Nostri JESU Christi, aut Deiparæ Virginis MARIAE, vel Sanctorum ejusdem Ordinis, sive singulis sextis feriis, ac diebus Sabbathi cujuslibet hebdomadæ ad Dei Omnipotentis, & Deiparæ Virginis MARIÆ laudem, & gloriam jejunaverint, quive sepeliendis mortuis officiosè, aut missis, & aliis divinis Officiis in Ecclesiis, seu Capellis Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi more Confratrum celebrandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis, earumdem Confraternitatum pro quocumque opere pio exercendo devotè interfuerint, aut pauperes peregrinos, vel Religiosos ipsius Ordinis hospitio exceperint, aut pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes Dei præcepta, & quæ ad salutem sunt necessaria docuerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam præfatas pro animabus Confratrum dictarum Confraternitatum in Christi charitate defunctorum recitaverint, aut pauperes puellas de suo proprio, non autem aliquo particulari legato pio ad id relicto, vel relinquendo matrimonio collocaverint, toties pro quolibet præmissorum posteriorum operum piorum exercitio tres annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino perpetuò dicta Apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium relaxamus. Ac eisdem Confratribus, ut Indulgentias, & peccatorum remissiones præfatas, fidelium in Christi charitate defunctorum animabus per modum suffragii applicare.

Indulget Confraternitates erigi posse.

§. 4. Ac ipsius Ordinis Magistro, & Familiæ Reformatæ præfatæ Vicario, necnon ambarum familiarum hujusmodi Procuratoribus generalibus, nunc & pro tempore existentibus, ut utriusque sexus Confraternitates, tàm sub præfatæ Beatæ MARIAE de Mercede, quam alia quacumq; invocatione, & denominatione, ubivis locorum erigere, & instituere, illasque sic erectas, & institutas illius Archiconfraternitatibus, servata tamen forma Constitutionis fælicis record. Clementis Papæ Octavi prædecessoris nostri, super dictarum Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ aggregare possint, & valeant, eadem authoritate etiam perpetuo earumdem ten. præsentium indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus præfata Clementis, ac piæ memoriæ Pauli Papæ V. etiam prædecessoris nostri similium gratiarum revocatoria, seu moderatoria, necnon nostra de Indulgentiis ad instar, non concedendis aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, & Indulti infringere; vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P An. 2. die 13. Sept.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, septimo Idus Septembris Pontificatus Nostri Anno secundo.

XXV.

Concessio Privilegiorum pro suis Cappellanis communibus.

Edita An.D. 1668.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Michael Angelus Lualdus Romanus Canonicus sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Marci de Urbe, Hieronymus Mainerius Aquen. Nicolaus Nocetus Romanus, Joannes Guadagnolus Aretin. Paulus Flanconius Romanus Clericus Beneficiatus in Basilica Principis Apostolorum, & Franciscus Agnellus Ripan. Canonicus sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctorum Celsi, & Juliani de eadem Urbe Presbyteri Moderni Capellæ nostræ Pontificiæ Capellani, familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tàm familiari experientia, quàm etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Capellanos suos Sedis Apost Notarios, Comites, Nobiles, & Cives creat.

§. 1. Hinc est, quod Nos volentes illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eosq; à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, & non ad supradictorum Michaelis Angeli, Hieronymi, Nicolai, Joannis, Pauli, & Francisci, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia Apostolica auctoritate tenore præsentium Michaelem Angelum, Hieronymum, Nicolaum, Joannem, Paulum, & Franciscum prædictos, & illorum singulos in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites (sine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio), nec non nobiles Romanos, & Urbis Romæ omniumque & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum S.R.E. mediatè, vel immediatè subjectorum cives creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ Comitum, ac nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Oppidorum prædictorum referimus, & conscribimus, ipsisque etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta decretum Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferant, aut Civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exem-

ptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & Indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri etiam de numero participantium, necnon Comites, & Nobiles, ac Cives Originali, etiam in dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, & sæcularium, etiam ex personis Romanorum Originariorum vacan. assecutione, & exercitio tàm in Urbe quàm Civitatibus prædictis, ac aliàs ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet infuturum, non solùm ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipsis emanassent, (citra tamen exemptiones à Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis Sedis Apostolicæ, & Comitibus Palatinis prætensa, ita ut illis supramemorari Capellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum, & inane existat, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari) uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps eorum nomine conficiendis, sese Notarios, Comites, & nobiles, ac de nobili genere ex utroq; parente procreatos, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum Cives, ut libuerit inscribere, & se illis subscribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, nobilibus, & civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, & per omnia censeatur, concedimus, & indulgemus.

Beneficia Eccles. ab omnibus oneribus eximit.

§. 2. Et insuper illos, eorumque Beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumq; illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, regionum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & Locis eidem Rom. Eccl. mediatè, & immediatè subjectis consistentia prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, & semoventia, necnon actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujusvis etiam annui valoris fructus, redditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque suarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupat. angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tàm Urbanis quàm rusticis ordinariis, & extraordinariis, realibus, & personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, & vecturæ etiam in aliud territorium, seù Provinciam, terra, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta nunc, & pro tempore impositis, ità quod illi, & cuilibet eorum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneantur, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seu vectigalium & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos, aliàs quàm ut præfertur valeant coarctari, quandiu servitiis nostris institerint dumtaxat eximimus, & liberamus.

Dispensat.

§. 3. Ad hæc cum eisdem, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis, quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas, etiam major, & principalis, Canonicatus, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi; eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si eis alias canonicè conferantur, aut eligantur, præsententur, aut alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & dummodo illa omnia uno excepto personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere.

Etiam à residentia.

§. 4. Necnon etiam quamdiù Nobis inservierint tantum in beneficiis Ecclesiasticis, non tamen Parochialibus, vel curam animarum Parochianorum haben. per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitatem in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, & in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, seù Ecclesiarum earumdem Capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque, & singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, & redditus durante servitio prædicto cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residerent, percipere, exigere, & levare, proviso tamen per eos, ut onera eisdem dignitatibus, & beneficiis quovis modo incumben. congruè supportentur.

Alia indulta.

§. 5. Necnon etiamsi Presbyteri fuerint, ac dignitates, & officia obtinuerint, leges, & jura civilia etiam publicè in Scholis, ac Universitatibus Studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum ætatis annum non excesserint, audire, ac si habiles, & sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaq; jura etiam publicè docere, atque Judicis Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantum exercere liberè, & licitè possint, & valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Confessariū eligere possint.

§. 6. Liceat quoque ipsis, & eorum singulis aliquem idoneum, & ab Ordinario loci approbatum Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis Regularem in suum eligere Confessorem, qui vita eis comite eos, & ipsorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per eos incursis, & quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, specialiter, vel generaliter reservata existat, ac quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas, non tamen Episcopos, vel alios superiores Prælatos, de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus, necnon recitationis horarum Canonicarum; aliorumq; divinorum officiorum, ac denique ab omnibus, & quibuscumq; aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet à contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis semel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodolibet reservatis, aliisq; quibusvis casibus semel in anno, confessioni-

bus

bus illorum diligenter auditis, sine tamen alicujus præjudicio prædicta auctoritate Apost. absolvere, & illis pro commissis Pœnitentiam pro modo culpæ injungere salutarem, necnon vota quæcumque (Ultramarino, Visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, castitatisque, & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Indultum transferendi pensiones.

§. 7. Ac etiam eisdem, eorumq; singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seù aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in dicta Curia, quàm extra eam, etiam ad id per eos, aut eorum singulos coram Notario, & testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ quascumque pensiones annuas eis, & eorum singulis super Mensarum Abbatialium, seù Episcopalium, aut Archiepiscopalium, & quorumcumq; aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumcumque Ordinum Regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proven. juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seù illorum loco, fructus, proven. jura, obven. distributiones, & emolumenta sibi nunc, & pro tempore assignata, & reservata quandocumque simul, vel successivè in toto, vel in parte usque ad summam centum ducatorum auri de Camera de eorumdem Cappellanorum, vel cujuslibet ipsorum consensu, in toto, vel in parte, etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obven. distributionibus, seù illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, & obventiones, & emolumenta hujusmodi etiam usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per eosdem Capellanos, & eorum singulos nominandis etiam quæcumq; quotcumq; & qualiacumq; Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectan. seù clericali charactere insigniri volentibus similiter eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus eisdem modo, & forma, quibus eisdem Capellanis assignatæ, aut reservari, vel assignari concessæ, seù concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones, & fructus, redditus, proven. jura, obven. ac distributiones,& emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatæ, & de novo assignatæ fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, ac alias cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, & privilegiis, decretis, & clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis integrè persolven. reservare, constituere, & assignare.

Facultas testandi.

§. 8. Necnon ut iisdem Capellani, & eorum quilibet de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, etiam jurisdictionalibus, cæterisque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seu Altarium, Ecclesiarum ipsis Capellanis nostris prædictis commissarum ministerio, seù alicui speciali earumdem Ecclesiarum divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione Ecclesiarum, etiam Cat[h]dralium, & Metropolitanarum, Monasterior[um], Prioratuum, Præposituraram, dignitatum, & aliorum quorumcumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac alias quomodolibet obtinuerint, & obtinent, ac obtinebunt, ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus eis reservatarum, & assignatorum, ac reservan. & assignandarum, quos, & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ curiæ Officiorum, ac aliàs quomodolibet spectan. & pertinentibus; ac etiam de dictis fructibus, redditibns, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industria, & labore quomodolibet, & undecumque licitè tamen acquisitis, & acquiren. ac alias etiam de muneribus, & officiis quæ exercuerint, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad eosdem perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numeratà, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta Curia, quàm extra eam ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates, & veros annuos valores, etiamsi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denotarentur pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis, ac debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit pro illa rata, quæ illis debita erit, constitutione declaratoria super fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare, & pertinere debeant, non obstante etiam accumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat tàm pro decentibus & honestis impensis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, & aliàs pro eorum arbitrio, & voluntate absolutis testari, ac testamento, codillis, fideimommissis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm causa mortis, & aliis quiqusumque modis, & titulis, scriptura, etiam minus solemni, etiam coram duobus, vel tribus testibus; aut etiam cedula sola eorum manu scripta, vel subscripta, ac alias in omnibus, & per omnia, prout, & quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa Curia (non tamen extrà residentiam) etiam in mortis articulo, & non facta mentione præsentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seù disponere velint, & intendant, semel atque iterum, & pluries disponere, statuere, & ordinare, itaut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seù alias ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & servari omninò debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta, etiam pluries, & toties quoties eis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere, etiam liberè, & licite va[le]at plenam, & liberam concedimus facultatem.

Omnes defectus supplet.

[§]. 9. Statuentes nihilominus, & ordinantes, eis[de]me pariter indulgentes, quod si contigerit ipsos ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia, aut alia loca, debitæ ab eis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedere, omnia, & singula eorum bona, res, & jura etiam ut præfertur qualificata, necnon spolia pro dicta summa etiam ex prædictis, & alias undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seù in

dictis

dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes sanguinis eorumdem integrè deveniant, & illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio personæ, seu personarum, quas ad id ipsi scripto nominaverint distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione eorumdem scriptura etiam minus solemni secus appareret, quàm tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seù Executores omninò exequi, & adimplere, illique sese conformare in omnibus, & per omnia debeant; & nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, & alia forsan alias ab ipsis, etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc, & è contra pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem etiamsi tales sint, vel fuerint quod specialis, & specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Contrariis derogat.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac Lateranen. Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam per nos, & Sedem prædictam quomodolibet editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & stylo in similibus hactenus servato, & piæ mem. Alexandri Papæ Sexti etiam prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponen. necnon ejusdem memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, & aliis etiam municipalibus, tàm Urbis quàm quarumvis aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati sunt, ac quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædicti, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum, Urbis, ac aliarum causarum, & locorum, ac prædictæ Cameræ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis litteris Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliis quomodolibet concessis utendo, ipsi Capellani per se, vel eorum Procuratores præstiterint forsan hactenus, vel in posterum eos præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitali S. Joannis Hierosolymitani, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus etiam antianis, Capitulis, & Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis, etiam ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac dictæ Cameræ Officialibus, illorumque Collegiis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, & de ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ac per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia paribus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ad Imperatoris, ac Regum, & Reginarum, Ducum, & Marchionum, ac aliorum Principum instantiam, seù illorum contemplatione in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis, & innovatis, & in posterum concedendis, confirmatis, & innovandis, etiamsi in iis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresè, vel tacitè, quod Urbis nonnisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis, aliarum verò partium beneficia nisi per personas illustres, seù nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresè qualificatos obtineri, aut conferri possint, & nullus in Civem Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seù illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, & locis per certum tempus habitaverit, seù etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, tàm ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam Commendatariorum revocabiliter concedi debeant, & sic pensionibus Ecclesiasticis sæcularibus, aut aliis personis Apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis præfatis etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascumque literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio dictorum Cardinalium fiat, & tum demum ad id Magistri, & Conventus præfatorum expressus accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magnum Magistrum subscriptæ, ac ei, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut aliàs diversas literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec ullo modo, & semper in hujusmodi literis, quæ sic fient, etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula, quòd illarum effectum sortiantur de consensu Magistri & Conventus præfatorum, & non aliàs, aliter, nec alio modo. Quibus omnibus, & eorum singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresè, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitæ derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in litteris exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore, & firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere, & in specie ad effectum præmissorum specialiter, & expresè Motu, & scientia similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 11. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis; manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus

ubique

ubique fides, tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 12. Quodque præfati antequam gratia Notariatus perfrui possint, & valeant in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede præfata propositos emittere, & solitum fidelitatis juramentum omninò præstare teneantur, & quilibet ipsorum teneatur.

Dat. P. A. 1. die 19. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Septembris 1668. Pontificatus nostri Anno primo.

XXVI. Suspensio Brevis Innocentii X. Generalem Congregationem in Societate JESU singulo quovis novennio celebrandam injungentis.

Edita A. D. 1668.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. Religiosorum virorum Ordines, quos tanquam fertilia agri Dominici cultorum plantaria sapiens Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum pietas instituit, in visceribus paternæ gerentes charitatis, Societatem Jesu viris pietate, religione, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum, scientia, ac propriæ, alienæque salutis studio eximiè præditis fulgentem, singularibusque in hanc Sanctam Sedem meritis conspicuam, peculiari Apostolicæ dilectionis affectu prosequimur. Et propterea fælici illius regimini, religiosæque tranquillitati libenter consulimus, sicut omnibus debitè consideratis, pietati atq; prudentiæ censemus esse consentaneũ.

Tenor Brevis Innocentii X. §. 1. Aliàs siquidem postquàm fel. rec. Innocentius PP. X. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die prima Januarii 1646. expeditas litteras, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, statuerat, mandaverat, præceperat, & ordinaverat, ut perpetuis futuris temporibus Congregatio generalis in prædicta Societate Jesu singulo quoq; novennio computando semper à celebratione ultimæ Congregationis generalis haberi, & celebrari omninò deberet, itaut illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causa, sive per Præpositum Generalem pro tempore existentem, sive per quamcumque Congregationem particularem, vel generalem impediri, vel ultra novennium hujusmodi differri, seù prorogari posset; utque quotiescumque haberetur, & celebraretur Congregatio generalis hujusmodi, toties novi assistentes ab illis planè diversi, qui præcedente novennio Assistentium muneribus functi fuissent, eligi, seù assumi, & deputari.

§. 2. Ac demum ut omnes, & singuli ejusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores locales, & alii Officiales jurisdictionem, seù superioritatem habentes quomodolibet nuncupati (exceptis Magistris Novitiorum) in eorum respectivè muneribus, superioritatibus, ministris, administrationibus, & officiis quomodocumque nuncupatis per triennium dumtaxat durare deberent, eaque, elapso triennio hujusmodi eo ipso vacarent, & vacare censerentur, ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis, munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia prædicta quomodolibet nuncupata, etiam Viceprovincialis, seù Vicepræpositi, vel Vicerectoris nullatenus eligi, seù assumi, vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem à fine dicti triennii computandum à prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessavissent: rec. mem. Alexander PP. VII. pariter prædecessor noster, certis ex causis tunc expressis adductus, statutum, & ordinationem dicti Innocentii prædecessoris circa triennalem tantum durationem munerum, superioritatum, ministeriorum, administrationum, & officiorum prædictorum, necnon sesqui-anni ab illis vacationem hujusmodi (firma tamen, & illæsa, ac in suo robore in reliquis omnibus remanente earundem Innocentii prædecessoris litterarum dispositione) perpetuò revocavit, & abrogavit, & aliàs prout in ipsius Alexandri prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die prima Januarii 1663. emanatis, quarum tenorem præsentibus itidem pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberiùs continetur.

(Alexand. VII. statutum circa triennale tantum durationem munerum abrogat.)

Supplicatio §. 3. Cum autem sicut dilectus filius Joannes Paulus Oliva Præpositus Generalis dictæ Societatis nobis nuper exponi fecit, postrema Congregatio Generalis ejusdem Societatis anno 1661. celebrata inter alia, unanimi plenè consensu decreverit, infimis precibus ab hac Sancta Sede petendam fore abrogationem prædictarum Innocentii prædecessoris litterarum, non solum in ea parte, in qua memoratus Alexander Prædecessor hujusmodi decreti conscius, illam subinde, ut præmittitur concessit, sed etiam in reliqua celebrationis Congregationis Generalis quolibet novennio, novorumque Assistentium à præcedentibus diversorum electionem, seu deputationem concernente: quippe quæ, & Constitutionibus Societatis prædictæ à S. Ignatio illius fundatore editis, quas quinque Romani Pontifices prædecessores nostri approbarunt, conformis non fit, & adversetur sensui sex Congregationum Generalium ipsius Societatis, quæ contrarium magno consensu expedire Societati judicaverunt. Accedit quod abundè jam est prospectum in Societate cuicumque necessitati, ob quam Congregatio Generalis cogi debeat, ideoque novennalis illa plenè inutilis futura fit; cum singulis trienniis celebrari soleat, & debeat Congregatio Procuratorum electorum ex omnibus Provinciis cum facultate convocandi Congregationem Generalem si sit opus. Tum etiam deterrent ingentes sumptus, quos necesse est fieri in convocanda quolibet novennio, & quidem sine necessitate Congregatione illa Generali. Deterrent quoque frequentia vitæ pericula, quibus exponuntur primarii Religiosi omnium Provinciarum ejusdem Societatis, iique plerumque Senes, quorum aliqui paucis ab hinc annis sublati naufragio, alii extincti febribus in itinere, alii in captivitatem ab hostibus abducti fuere. Quibus incommodis adjungitur relaxatio disciplinæ religiosæ in Provinciis, dum inde absunt Provinciales, & alii præcipui Religiosi, qui præsentes conservando illius vigori invigilarent. Nobis propterea memoratus Joannes Paulus Præpositus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ad quam examinandã Congregatio Cardinalium deputatur. §. 4. Nos igitur ipsius Joannis Pauli Præpositi Generalis desiderio, quantum cum domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac prospero fœlicique statui, atque incremento Societatis prædictæ de Catholica Religione multis nominibus optimè meritæ, animum nostrum pastorali providentia intendentes, ad suprascriptas preces ejusdem Joannis Pauli Præpositi Generalis examinandas specialem Congregationem nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus prudentia, & zelo præstantium deputavimus. Cujus Congregationis

audita

audita scientia, & Nobiscum reputantes valdè ad rem facere, ut per secreta suffragia constet, quid circa petitam abrogationem sentiat in Domino Societas universa, quæ per graviores religiosos ejus Instituto optimè imbutos, rerumque illius usu, atque experientiâ præditos, in Congregatione Generali coadunatos repræsentatur.

§. 5. Ideò auctoritate Apostolicâ tenore præsentium jubemus atque decernimus, ut in Congregatione Generali prædictæ Societatis, quæ prima ex præscripto illius Constitutionum celebrabitur, prævia inter prædictos religiosos maturâ rei discussione, & consultatione, per secreta postmodum suffragia disquiratur. An bono dictæ Societatis expediat, ut terminus novennalis ad celebrandas Congregationes Generales in allegatis Innocentii prædecessoris litteris statutus abrogetur; quæ quidem disquisitio si dicta Congregatio Generalis pro electione Præpositi Generalis celebranda sit, ante illius electionem fiat. Postquàm autem hujusmodi disquisitio peracta fuerit, illicò ad Nos, vel ad Romanum Pontificem pro tempore existentem distinctè referatur, quo numero suffragiorum ipsa Congregatio Generalis dicti novennalis termini, vel abrogationem, vel observantiam expetiverit, ut quid circa illum deinde observari debeat, Sedis Apostolicæ judicio statuatur.

Suspensio de qua in rubrica. §. 6. Propterea executionem dictarum Innocentii prædecessoris litterarum in ea parte, cui per supradictas Alexandri prædecessoris litteras derogatum non fuit, auctoritate & tenore prædictis interim suspendimus, illamque usque ad Congregationem Generalem ex præscripto Constitutionum Societatis prædictæ juxta prædicta primò celebrandam effectu carere volumus, atque decernimus.

Decretum irritans, & clausula sublata. §. 7. Decernentes pariter easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Remotio cōtrariorum. §. 8. Non obstant. prædictis Innocentii prædecessoris litteris, necnon omnibus & singulis illis, quæ memoratus Alexander prædecessor in suis litteris supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 9. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, seù alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P A. 2. die 20. Sept. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Septembris 1668. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

XXVII. Concessio Indulgentiarum pro Christi Fidelibus Status Ecclesiastici divinam opem implorantibus pro tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra Turcas, ac pro fœlici directione negotiorum Regni Poloniæ.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1668. Causa constitut. §. 1. CUM Nos Dominica proximè præterita Processioni ab Ecclesia S. Stanislai Nationis Polonorum ad Ecclesiam S. Marci de Urbe à Nobis institutæ, ac Missæ solemni, quæ in eadem Ecclesia S. Marci subinde celebrata fuit, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Prælatis, & Officialibus Cappellæ Nostræ Pontificiæ interfuerimus; ac omnibus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui Processioni, & Missæ prædictis interessent, vel utramque Ecclesiam hujusmodi eo die visitarent, ibique divinum auxilium tàm pro defensione atque tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra oppressiones Turcarum, quàm pro præsentibus necessitatibus, fœlicique directione negotiorum Regni Poloniæ implorarent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserimus; ac ejusmodi Indulgentiæ participes quoque fieri voluerimus regulares utriusque sexûs in clausura viventes, qui ad divinam opem similiter confugerent.

§. 2. Et in diversis ejusdem Urbis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicæ Fidelium venerationi exponi curaverimus, piasque ad Deum preces his diebus indixerimus, ut Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Ecclesiam suam Sanctam protegere, ejusque hostium impetus, & vires virtutis suæ potentiâ reprimere, atque confringere, prosperosque rerum eventus benignè largiri dignetur.

Processiones cum expositione S. Sacramēti fieri mandat extra Italiam. §. 3. Hinc est, quod Nos alios quoque Christi Fideles ad similia Christianæ pietatis opera spiritualium gratiarum muneribus incitare cupientes; Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Nobis & Apostolicæ Sedi in temporalibus mediatè, vel immediatè subjectorum, seù eorum Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium litterarum transumpta, seù exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, Processiones pariter in suis respectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis instituant, ac memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis per eos respectivè designandis Fidelium venerationi per totum mensem Octobrem proximè venturum similiter exponi curent, publicasque preces indicant: Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexûs Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui Processionibus hujusmodi respectivè interfuerint, vel Ecclesias à qua, & ad quam aliqua Processionum hujusmodi fiet, eo die devotè visitaverint, ibique divinum auxilium, ut præmittitur, imploraverint, necnon regularibus utriusque sexûs in clausura viventibus, qui similiter confessi, & sacrâ Communione refecti, pias ad Deum preces in suis respectivè Ecclesiis, seù Monasteriis pariformiter fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concedimus similiter, & elargimur. (Indulgent. plenar. concedit.) Ac præfatis, & aliis Christi Fidelibus, qui ante Sanctissimum Sacramentum, ut præfertur, exponendum per aliquod temporis spatium piè orando divinam opem, ut suprà invocaverint, quoties id egerint, toties septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Transumptorum fides. §. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis, etiam

impres-

impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 26. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Septemb. 1668. Pontificatûs nostri Anno secundo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1668. Indictione sexta, die verò 27. Mensis Septemb. Pontificatûs autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ IX. anno secundo, supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Macharatum SS. D. N. Papæ Curs. Carolus Melanus Curs. Mag.

XXVIII.

Concessio Indulgentiarum pro Christi Fidelibus Italiæ divinam opem implorantibus pro tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra Turcas, ac pro felici directione negotiorum Regni Poloniæ.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1668. Causæ continent.

§. 1. CUm Nos nuper, videlicet die 23. Sept. proximè præteriti processioni ab Ecclesia S. Stanislai Nationis Polonorum ad Ecclesiam Sancti Marci de Urbe à Nobis institutæ, ac Missæ solemni, quæ in eadem Ecclesia S. Marci subinde celebrata fuit, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Prælatis, & Officialibus Cappellæ nostræ Pontificiæ interfuerimus; ac omnibus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ communione refectis, qui Processioni, & Missæ prædictis interessent, vel utramque Ecclesiam hujusmodi eo die visitarent, ibique divinum auxilium tam pro defensione & tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra oppressiones Turcarum, quàm pro præsentibus necessitatibus, fœlicique directione negotiorum Regni Poloniæ implorarent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserimus, ac ejusmodi Indulgentiæ participes quoque fieri voluerimus regulares utriusque sexûs in clausura viventes, qui ad divinam opem similiter confugerent: Et in diversis ejusdem Urbis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicæ Fidelium venerationi exponi curaverimus, piasque ad Deum preces his diebus indixerimus.

§. 2. Ac similia Christianæ pietatis opera tàm in universo Statu Ecclesiastico Nobis mediatè, vel immediatè subjecto, quàm in Dominio Reipublicæ Venetorum, erogatis pariter Indulgentiarum muneribus, fieri voluerimus; ut Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Ecclesiam suam sanctam protegere, ejusque hostium impetus, & vires virtutis suæ potentiâ reprimere, atque confringere, prosperosque rerum eventus benignè largiri dignetur.

Processiones & preces per totam Italiã fieri mandat.

§. 3. Hinc est, quòd nos divini favoris præsidium in aliis quoque Italiæ Civitatibus, & locis pariformiter invocari, atque conjunctis Fidelium precibus postulari cupientes; Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum reliquæ Italiæ, seù eorum Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium litterarum transumpta, seù exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, Processiones pariter in suis respectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis instituant, ac memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis per eos respectivè designandis Fidelium venerationi per quindecim dies similiter exponi curent, publicasque preces indicant.

Concedit ut in rubrica.

§. 4. Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexûs Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui Processionibus hujusmodi respectivè interfuerint, vel Ecclesias à qua, & ad quam aliqua Processionum ipsarum fiet, eo die devotè visitaverint, ibique divinum auxilium, ut præmittitur, imploraverint, necnon regularibus utriusque sexûs in clausura viventibus, qui similiter confessi, & sacrâ Communione refecti, pias ad Deum preces in suis respectivè Ecclesiis, seù Monasteriis pariformiter fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concedimus similiter, & elargimur. Ac præfatis, & aliis Christi Fidelibus, qui ante Sanctissimum Sacramentum, ut præfertur, exponendum per aliquod temporis spatium piè orando divinam opem ut suprà invocaverint, quoties id egerint, toties septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 3. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Octobris 1668. Pontificatûs nostri Anno secundo.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1668. Indictione sextâ, die verò quartâ mensis Octobris, Pontificatûs autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ IX. Anno secundo, supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Carolus Melanus Curs. Mag.

XXIX.

Decretum ad favorem Magistrorum Cæremoniarum non participantium exigendi à singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatûs honorem triginta sex ducatos auri de Camera, & post eorum obitum ab eorum hæredibus viginti quinque.

CLEMENS PAPA IX.

Edita A. D. 1668.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor Brevis Pauli V.

DUdum felic. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster motu suo proprio, ac ex certa scientia Magistris Cæremoniarum centum, ac Secretario, & Clerico, ac Computistæ Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii septuaginta quinque à singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatûs honorem, necnon eisdem Magistris quinquaginta, ac Secretario, Clerico, & Computistæ similiter septuaginta quinque ducatos auri de Camera post obitum singulorum Cardinalium, etiamsi ad Cardinalatûs honorem promoti Romam nondum venissent, & sive illos in Romana Curia, vel extra eam, & ubicumque decedere contingeret, in supplementum mercedis ordinariæ eorumdem Officialium, seù Ministrorum deberi, illisque conjunctim per pro tempore existentes Cardinales prædi-

ctos

ctos, seù eorum Agentes, & hæredes respectivè absque mora solvi, & eis consignari debere, sine tamen præjudicio quorumcumque Jurium Cameræ Apostolicæ quomodolibet debitorum, ac solvendorum, auctoritate Apostolicâ perpetuò statuit, & ordinavit, & aliàs prout in ipsius Pauli Prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die 3. Januarii 1619. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Magistri cæremoniarum qui sint.

§. 2. Cùm autem præter prædictos Magistros Cæremoniarum, qui duo sunt, & participantes vocantur, alii sint Cæremoniarum Cappellæ nostræ Pontificiæ Magistri interdum duo, & quandoque prout de præsenti tres, qui non Participantes nuncupantur; ipsique Magistri Cæremoniarum non Participantes in quasi possessione accipiendi, & exigendi à singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatûs honorem triginta sex, & post eorum obitum ab eorum hæredibus viginti quinque ducatos auri de Camera pares ex laudabili consuetudine (ut accepimus) reperiantur.

Decretum de qua in rub.

§. 3. Nos attendentes Venerabiles Fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales horum quoque Magistrorum Cæremoniarum officio, atque ministerio egere & uti, dictaque emolumenta eis tanquàm mercedem, seù pro eorum mercede præstari consuevisse, & propterea illorum indemnitati consulere volentes. Motu simili, ac ex certa scientia nostra prædictis Cæremoniarum Magistris non Participantibus triginta sex in promotione ad Cardinalatûs honorem, & viginti quinque ducatos auri de Camera prædictos inter eos pro æquis portionibus respectivè dividendos pòst obitum singulorum Cardinalium hujusmodi, etiamsi ad Cardinalatûs honorem promoti Romam nondum venerint, & sive in Romana Curia, sive extra eam & ubicumque illos decedere contigerit, in supplementum mercedis ordinariæ eorumdem Magistrorum Cæremoniarum non Participantium pariter deberi, illisque conjunctim per existentes pro tempore Cardinales prædictos, seù eorum Agentes, & hæredes respectivè absque mora solvi & eis consignari debere, sine ullo tamen quorumcumque Jurium Cameræ prædictæ quomodolibet debitorum, & solvendorum, ac anterioritatis, & potioritatis Cæremoniarum Magistrorum Participantium, & trium Sacri Collegii Officialium supradictorum præjudicio, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium itidem perpetuò statuimus similiter & ordinamus.

Executores deputat.

§. 4. Injungentes propterea dilectis filiis nostro ejusdem S. R. E. Collegii Cardinalium moderno, & pro tempore existenti Camerario, necnon causarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori, quatenus intra mensem à die promotionis eorumdem Cardinalium computandum, etiamsi iidem Cardinales nondum, ut præfertur, Romam venerint per dicti Collegii Depositarium, vel alias prout meliùs expedire videbitur triginta sex, in obitu autem, seù post obitum prædictorum Cardinalium, sive in dicta Curia, seù extra eam, & ubicumque eos decedere contigerit, viginti quinque ducatos auri de Camera hujusmodi memoratis Magistris Cæremoniarum non Participantibus ab hæredibus eorumdem Cardinalium, quibusvis appellationibus, subterfugiis, & cavillationibus remotis, ut præfertur, persolvi curent, & cum effectu faciant, ac summarium, & expeditum jus illis administrent, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis etiam cum invocatione auxilii brachii sæcularis cogant, & compellant.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis quæ memoratus Paulus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 22. Novemb. 1668. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

Dat.P. A. 2. die 22.Nov.

XXX.

Suppressio & extinctio Congregationum Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum, & S. Hieronymi de Fæsulis.

CLEMENS PAPA IX.

Edita An. D. 1668.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex agri dominici curæ more seduli patris familias jugiter invigilans, ad evellendas indè Religiosorum Ordinum, atque Congregationum plantas, quæ deficiente primævo religiositatis vigore, atque spiritu, nullam seù valdè modicam in Ecclesia Dei utilitatem præstant, nonnunquam adducitur, sicut publico ejusdem Ecclesiæ bono conducibile in Domino arbitratur.

Suppressio Congregat.

§. 1. Hâc consideratione, aliisque gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adducti, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fæsulis, sub regula Sancti Augustini una cum omnibus earum respectivè dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentiâ, ac denominatione, tenore præsentium perpetuò, extinguimus, supprimimus, & abolemus.

Bona earum in opera pia convertenda.

§. 2. Ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respectivè bona mobilia, & immobilia tàm sacra, quàm prophana, Conventus, Collegia, Monasteria, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existant, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id à Nobis, & Sede præfata commissum fuerit, convertenda reservamus.

§. 3. Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respectivè professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in sæculo in habitu Clerici sæcularis sub jurisdictione, & obedientiâ Ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monetæ Romanæ, Laïcis verò, seù Conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seù aliundè sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respectivè per eosdem Ordinarios assignanda, tribuimus, & impartimur.

De Ecclesiis suppressis providet.

§. 4. Postremò, ne Ecclesiæ earumdem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur; prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, per præsentes committimus, & mandamus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur: utque dicti Ordinarii Inventarium tàm sacræ, quàm prophanæ supellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respectivè spectantis accuratè conficiant, ac provideant ne à quoquam occultari, occupari, aut indè amoveri

ullate-

ullatenùs possit, nisi, & donec à Nobis seù Sede prædictâ aliter provideatur.

Clausulæ præservativæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes litteras etiam ex eo quod Superiores, & alii Canonici, & Fratres, seù Religiosi Congregationum, suppressarum præfatarum, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quod in iisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore Juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causâ, etiam quantumvis justâ, rationabili, & privilegiatâ, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seù quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seù se juvare posse; sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 6. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorũ derogatio.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Congregationum suppressarum prædictarum, earumque respectivè Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, & Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, Canonicis, Fratribus, Religiosis, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatariarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Decembris 1668. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, Indictione sextâ, die verò 14. mensis Decemb. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D.N. Domini Clementis Divina Providentia Papæ IX. Anno ejus secundo, præsentes litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Gregorius Staggius Curs. Mag.

XXXI.

Declaratio incursus in excommunicationem, & anathema, aliasque pœnas canonicas, ac Excommunicatio, & Anathematizatio interfectorum bo. m. Jo. Francisci Episcopi Nicoterensis.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

CUM sicut non sine gravi animi nostri perturbatione accepimus, bon. mem. Joannes Franciscus dum vixit Episcopus Nicoteren. in ipsa sua civitate Nicoteren. à nonnullis iniquitatis filiis, qui ad præsens ignorantur, nefariè interfectus fuerit.

Excommun. ut in rubrica.

§. 1. Nos crimen adeò horrendum, & quod Nos sui atrocitate confudit, pœnis per sacros Canones, Conciliorum Generalium decreta, & constitutiones Apostolicas inflictis, & promulgatis pro officii nostri debito vindicare, & punire volentes: Ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra omnes & singulos, qui homicidium in persona dicti Joannis Francisci Episcopi commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seù factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium, vel favorem illis dederunt, seù illos scienter defensaverunt, vel receptaverunt, & generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices, & culpabiles, cujuscumque statûs, gradûs, conditionis, qualitatis, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis sive Ecclesiasticæ, sive sæcularis, etiam specialem, & individuam expressionem requirentis, existant, anathematis, & excommunicationis majoris, aliasque pœnas quascumque à Sacris Canonibus, Conciliorum Generalium decretis, & Constitutionibus Apostolicis, & speciatim illa quotannis in die Cœnæ Domini legi solita inflictas eo ipso damnabiliter incurrisse tenore præsentium declaramus, ipsosque & eorum quemlibet, & quoscumque scientiam de prædictis delinquentibus habentes & non revelantes anathematizamus, & excommunicamus, ac anathematizatos & excommunicatos publicamus, & nunciamus.

§. 2. Ab excommunicationis autem & anathematis hujusmodi sententiis, nemo prædictorum per alium quàm Nos, & Romanum Pontificem

Absolutionē ab excommunicatione sibi reservat.

pro tempore existentem (præterquàm in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, atque cum reincidentia eo ipso quo convaluerit) etiam vigore seù prætextu Jubilæi Anni Sancti, Cruciatæ Sanctæ, aliorumque Jubilæorum, Indulgentiarum, Indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel aliâ majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & Locis piis, necnon laïcis, etiam Regali, Ducali, & alia mundana præcellentia fulgentibus, per Nos & Sedem Apostolicam, ac cujusvis Concilii decreta verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & etiam pluries innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum; absolvi possit.

Publicationē fieri jubet.

§. 3. Et quia eo major erit ipsorum confusio quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem præstiterint, & absolutionis beneficium, ut supra se obtinuisse docuerint, omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Locorum Ordinariis ubilibet constitutis per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se vel per alium, seù alios per omnes Civitatum, & Diœcesum suarum Ecclesias quibuslibet diebus Dominicis, & festivis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis, & candelis accensis, prædictos sic excommunicatos, & anathematizatos solemniter publicent, seù publicari curent & faciant.

Cænam excommunicationis absolvere præsumentibus indicit.

§. 4. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Clausulæ præservativæ & decretum irritans.

§. 5. Decernentes præsentes litteras, etiam ex eo quod prædicti, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati & auditi fuerint, de subreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio seù intentionis nostræ, aut alio quopiam quantumvis substantiali defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, notari, impugnari, invalidari, redargui, seù rescindi, aut ad terminos Juris reduci, aut adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu proprio concesso quempiam in judicio vel extra illud uti seù se juvare nullo unquam tempore posse; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 6. Non obstan. quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus necnon quibuscumque etiam juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seù quibusvis aliis cujuscumque Ordinis, statûs, gradûs, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si ut præmittitur Pontificali, Regali, Ducali, seù quavis alia Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, à Sede prædicta ex quacumque causa etiam per viam contractûs, & remunerationis, etiam intuitu & contemplatione Regum, Ducum, Rerum-publicarum, & aliorum quorumcumque, ac sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari, & anathematizari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, Indulgentiis, & Indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, Locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus, & volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Sabinam sub annulo Piscatoris, die 23. Februarii 1669. Pontificatûs Nostri Anno secundo. Dat.P.An.2. die 23.Febr.

XXXII.

Decretum, in quo Conventus Liciensis, Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ Ordini Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci, cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis adjudicantur.

Edita An.D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis officio Religiosorum virorum statui, quantum cum Domino possumus salubriter providere cupientes, ac dilectum filium Antonium Latinum ab Ameria Commissarium, ac Vicarium Generalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium tantum consequendum: harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Suppressio Cong. Fratr. Conventual. Reformatorū ab Urbano VIII.

§. 1. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationis super statu Regularium deputatæ, qui litteras fælic. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, die 6. Februarii 1626. super extinctione, ac suppressione Congregationis Fratrum Conventualium Reformatorum ejusdem Sancti Francisci emanatas, necnon alias die 16. Septembris 1667.

super transitu Fratrum Minorum Conventualium dicti Ordinis ac prædictos Fratres Reformatos Conventuum, qui in eis post suppressionem remanserant.

Breve pro trã situ ad ordinem alium.

§. 2. Et alteras nostras in simili forma Brevis novissimè expeditas, quibus confirmando Decretum à Congregatione prædictorum Cardinalium editum die 15. Novembris 1668. tribuitur facultas antedictis Fratribus Reformatis degentibus in Conventibus Liciensi, & Oppidorum Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ, qui soli nunc superesse noscuntur, transeundi ad dictos Fratres Minores Conventuales sancti Francisci, aut ad quamcumque aliam Religionem parem, vel strictiorem à Sede Apostolica approbatam, in qua benevolos invenerint receptores.

§. 3. Eisque inhibetur ne de cætero quemquam ex Conventualibus antedictis, vel ex alia Religione, aut ex sæculo ad habitum, vel professionem admittant sub pœnis nullitatis actus, & excommunicationis latæ sententiæ, non obstantibus anterioribus Nostris literis prædictis aliaque videnda, & consideranda viderunt, & considerarunt.

§. 4. Auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus memoratos Conventus Licien. Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ, cum omnibus eorum bonis, juribus, & pertinentiis, sacraque, & profana supellectili ad prædictum Ordinem Fratrum Minorum Conventualium sancti Francisci spectare, & pertinere, ejusque Ordinis Superiores per Ordinarios locorum in possessionem Conventuum, ac bonorum hujusmodi esse immittendos.

Terminum duorum mẽsium ad aliã Religionem transeundi præscribit.

§. 5. Fratribus autem Reformatis legitimè in eodem Ordine professis, degentibus in dictis quatuor Conventibus per eosdem Ordinarios auctoritate Nostra injungi volumus, ut intra terminum duorum mensium transeant ad dictum Ordinem Fratrum Minorum Conventualium, vel ad aliam Religionem parem, vel strictiorem à Sede Apostolica approbatam, in qua, ut supra invenerint benevolos receptores.

Pœna contraventionis.

§. 6. Quod si neutrum præstiterint elapso termino per Ordinarios antedictos juris remediis compellantur à memoratis Conventibus discedere, & dimisso Habitu Reformatorum ad Religionem dictorum Fratrum Conventualium transire, ejusque habitum assumere, ut in eo quoad vixerint permaneant, nec indè abscedant sub pœna Apostasiæ.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis prædictis, concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P A. 2. die 9 Martii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno secundo.

XXXIII.

Super præcedentia Procuratoris Generalis in concursu aliorum Prælatorum Ordinis Canonicorum Regularium S. Salvatoris.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1669.

Causa Brevis.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Servalli Procurator generalis Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris, quod dudum, videlicet anno 1628. tunc in humanis agens Andreas Petraccoli Prior Generalis dictæ Congregationis à fel. record. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro deputatus Congregationem Generalem eorumdem Canonicorum Regularium in Monasterio Sancti Petri ad Vincula ejusdem Congregationis celebravit, in qua Visitatores, aliique Officiales Congregationis hujusmodi electi, & à dilecto filio Magistro Prospero Fagnano in utraque Signatura nostra Referendario, qui eidem Congregationi Generali jussu dicti Urbani prædecessoris præsidebat, confirmati fuerunt, ac inter alia factum fuit in dicta Congregatione Generali Decretum tenoris sequentis, videlicet.

Procuratori Generali locus primus post priorem assignatur.

§. 1. Procurator Ordinis, qui pro universa laborat Congregatione, eundem titulum Procuratoris Generalis obtinet, in Monasteriis Urbis, & extrà, locum semper teneat immediatè post Priorem.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, vertente inter dictum Angelum Procuratorem Generalem ex una, & dilectum pariter filium modernum Abbatem dicti Monasterii Sancti Petri ad Vincula ex altera partibus lite, seù controversia, de & super præcedentia inter ipsos habenda præsertim in Monasterio Sancti Laurentii extra muros ejusdem Congregationis, quam præfatus quidem Angelus Procurator Generalis vigore Decreti præinserti, dictus verò Abbas in vim Constitutionum ipsius Congregationis auctoritate Apostolica, & usu ipso (ut asseritur) comprobatarum sibi competere respectivè prætendebant.

§. 3. Decretum fuerit à Dieta Candianensi dictæ Congregationis quod prædictus Abbas Monasterii Sancti Petri ad Vincula manutenendus esset in sua quasi possessione præcedendi dicto Procuratori Generali in dicto Monasterio Sancti Laurentii extra muros, & ubique in pertinentiis Urbis præfatæ; reservato tamen eidem Procuratori Generali jure probandi supradictum Decretum Capitulare fuisse, & esse munitum confirmatione Apostolica, itaut ejus sit roboris, & momenti, ut vim habeat derogandi prædictis Constitutionibus præfata auctoritate, & usu comprobatis, & alias prout in ipso Decreto die 26. Aprilis proximè præteriti in dicta Dieta edito uberius dicitur contineri; Cumque Decreti hujusmodi fundamenta minimè subsistant, ac proindè primum dictum Decretum servari debeat; Nobis propterea præfatus Angelus Procurator Generalis, humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Decretum capitulare confirmatur.

§. 4. Nos igitur ipsum Angelum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio à Nobis specialiter deputatorum, qui partes audierunt, consilio, præinsertum Decretum Capitulare anni 1628. auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti de-

fectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Angelo Procuratori Generali, & aliis ad quos pro tempore spectabit plenissimè suffragari, Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria removet.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 2. die 16. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno secundo.

XXXIV.

Concessio Indulgentiarum pro Christi fidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium divinum auxilium implorantibus pro fælici electione Regis Poloniæ, ac liberatione Cretæ à tyrannide, & armis communis hostis.

Edita An. D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

NUper Nos ad divinam opem in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus implorandam, in omnibus almæ Urbis nostræ Patriarchalibus, & Collegiatis, ac Parochialibus, & aliis quibusvis sæcularium, & regularium utriusque sexus Ecclesiis campanam majorem hora secunda noctis quotidie, à die prima currentis mensis Aprilis donec aliter ordinaverimus, per spatium octavæ partis horæ pulsari jussimus. Ac omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui durante sono campanæ hujusmodi flexis genibus, vel aliter prout valerent quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam in honorem quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi devotè recitarent, ac divinam clementiam implorarent, ut quietam, ac communiter gratam, & acceptam, Ecclesiæque Dei utilem novi Regis Poloniæ electionem benignè largiri, necnon Cretæ Regnum à tyrannide, & armis communis hostis liberare dignetur, singulis diebus quibus id agerent, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavimus. Insuper iisdem Christi fidelibus, qui præmissa per integrum quindecim dierum curriculum peragerent, ac in uno eorundem quindecim dierum verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, Sancti Marci Collegiatam, & Sancti Stanislai Nationis Polonorum Ecclesias Urbis prædictæ devotè visitarent, divinamque clementiam ibidem similiter implorarent, plenariam quolibet curriculo quindecim dierum, quibus id egissent, peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Quid faciendum præscribit.

§. 1. Nunc autem, quod fideliter petimus, validiori conjunctarum precum intercessione ab Omnipotentis Dei misericordia impetremus, divinum auxilium in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus pariformiter invocari cupientes; Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seù eorum Vicariis in spiritualibus generalibus harum serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seù exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, campanas pariter diebus singulis per spatium octavæ partis horæ donec aliter ordinandum duxerint, in suarum respectivè Civitatum, & Diœcesium, Oppidorum Terrarum, & locorum, tàm sæcularium, quam regularium utriusque sexus Ecclesiis pulsari mandent, ac Ecclesias ut infra visitandas designent, seù designari curent.

Indulgentiã plenariam concedit.

§. 2. Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexùs Christi fidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pariter recitaverint, divinamque clementiam ut supra imploraverint, quocumque die id egerint, similem pœnitentiarum relaxationem; Illis verò qui continuata per quindecim dies ejusmodi devotione, in uno eorundem quindecim dierum verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti Ecclesias per memoratos Ordinarios, & Prælatos, seù eorum Vicarios respectivè, sivè illorum jussu designandas devotè visitaverint, ibique divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, quolibet curriculo quindecim dierum lucrifaciendam, concedimus pariter, & elargimur. Ceterùm regularibus utriusque sexus in perpetua clausura viventibus, necnon aliis Christi fidelibus prædictis in carcere, vel corporis infirmitate, aliovè quolibet impedimento detentis, qui Ecclesias ut præmittitur designatas, vel designandas visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seù approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit quæ ipsi pœnitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus.

Transumptorum fides.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ ipsis præsentibus ipsis haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 8. April.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Aprilis 1669. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1669. Indictione septimâ, die verò decima mensis Aprilis, Pontificatùs autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ IX. Anno secundo, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Matthiam Ricciardum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Franciscus Perinus Mag. Curs.

XXXV.

Quod Religiosi cujuscumque Ordinis, & ubicumque sint, nullo sub prætextu audeant mercaturam exercere.

Edita A. D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

SOllicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regi-

Exordium.

mini per ineffabilem Divinæ Sapientiæ atque Clementiæ abundantiam præsidemus, Nos stimulat, ut ea, quæ Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationi remoram, vel impedimentum injicere, ac in Virorum in sortem Domini vocatorum, & præsertim Religiosorum, qui semetipsos abnegarunt, & mundana omnia contempserunt, ut Christum lucrifacerent, ejusque obsequiis mundo corde, & mente tranquilla unicè intenderent, honestatis gloria maculam ponere possent salubri sanctione è medio tollere, atque radicitùs evellere studeamus.

Vrban. VIII. mercaturam Religiosis prohibuit.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster considerans per Sacros Canones, Conciliorum decreta, & Constitutiones Apostolicas omnibus Religiosis, ac etiam aliis Ecclesiasticis, præsertim in Sacris Ordinibus constitutis, mercaturam, & negotiationes sæculares districtè prohiberi, ac valdè damnosum, indecorum, & indecens existere hujusmodi personas divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum Sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatæ sunt, mercaturæ, & negotiationibus hujusmodi se immiscere, aut operam dare, per quandam suam in simili forma Brevis die 22. Februarii 1633. emanatam Constitutionem, inter alia, Religiosis omnibus cujuscumque Ordinis, & Instituti tàm non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis JESU, eorumque singulis tàm tunc in Insulis, Provinciis, Regionibus, & Regnis Indiæ Orientalis, ac Chinæ, & Japonum existentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem, & quamcumque mercaturam seù negotiationem quocunque modo ab eis fieri contingeret, sivè per se, sivè per alios, sivè proprio, sivè Communitatis nomine directè, sivè indirectè, aut quovis alio prætextu, causa, vel colore, interdixit, & prohibuit sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto incurrenda, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, & inhabilitatis ad ea, ac insuper amissionis mercium & lucrorum ex eis factorum, quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existerent, reservanda essent ad usum Missionum, quas eædem Religiones habebant, & in futurum habituræ erant, in Indiis prædictis, & non in alios usus; Ac eisdem Superioribus districtè præcepit sub eisdem pœnis, ut in hoc invigilarent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procederent, sublata eisdem facultate hujusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris quantumvis minimum, remittendi, aut condonandi, & aliàs prout in dicta Urbani Prædecessoris Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 2. Cum autem (sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus) multi ex iisdem Religiosis, & personis Ecclesiasticis, propriæ professionis, injunctique sibi gravissimi ministerii immemores, ab ejusmodi mercatura, & negotiationibus sæcularibus non abstineant, sed sese à debita prædictæ Constitutionis Urbani Prædecessoris observatione sub variis prætextibus, coloribus, & subterfugiis eximere conati fuerint, & satagant de præsenti, in deplorandam animarum suarum perditionem, perniciosum quoque exemplum, & scandalum plurimorum: Nos salutaribus Doctoris Gentium præceptis edocti, quod nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit, tam grande, tamque exitiosum ab Ecclesia Dei malum Apostolici zeli vigore propellere, scandalorumque inde nascentium occasiones recidere, ac saluti animarum, & Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationi, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulere, omnemque lucrorum mundanorum spem personis cœlesti militiæ adscriptis, præsertim ad Infidelium conversionem, & Evangelii prædicationem destinatis, & in futurum destinan. quas sicut bonos Christi milites laborare, & ministerium suum honorificare oportet, ut eò studiosiùs, ac impensiùs adspirante superni favoris auxilio horrea Domini novis semper frugibus locupletare satagant, omninò adimere decrevimus.

Quod innovat, & confirmat hic Pont.

§. 3. Itaque Sacris Canonibus, ac Decretis, & Constitutionibus prædictis inhærentes, illaque, & præsertim memoratam Vrbani Prædecessoris Constitutionem in iis, quæ præsentibus literis non adversantur, approbantes, & innovantes, & circa præmissa de novo disponentes, & statuentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque status, grdaus, conditionis, & qualitatis, ac cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tàm Mendicantium; quàm non Mendicantium, etiam Societatis JESU, & earum cuilibet, quæ ad Insulas, Provincias, & Regna Indiarum Orientalium, & præsertim in Provinciam Societatis JESU de Japone nuncupatam, ac in partes Americæ tàm Australes, quàm Septentrionales à Sede Apostolica, vel Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præpositorum, aut ab earum Superioribus sub nomine Missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missæ fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, dignitatum & graduum quorumcumque per eas obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque in posterum obtinenda, necnon amissionis mercium, & lucrorum omnium ipso facto incurrendis, ac aliis Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis, vel prædictæ Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis pœnis, tenore præsentium districtè prohibemus pariter, & interdicimus, nè mercaturis, & negotiationibus sæcularibus hujusmodi quovis prætextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione, & forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seù aliis personis subsidiariis, directè, vel indirectè, tàm nomine proprio, quàm suarum respectivè Religionum, seù Congregationum, aut Societatum, etiam JESU, vel aliorum quorumlibet, & aliàs quovis modo, & qualitercumque se ingerant, vel immisceant. Ac ex nunc prout ex tunc, & è contra postquam casus evenerit, merces, & lucra quæcumque, quæ ex hujusmodi mercaturis, & negotiationibus provenerint, & provenient, in usus, & commodum pauperum, Hospitalium, Seminariorum Ecclesiasticorum, ac Operariorum, non tamen Religionum, Congregationum, & Societatum, etiam JESU, seù Instituti eorum, qui in præmissis, vel circa ea deliquerint) sed aliorum non delinquentium hatum serie applicamus, qui teneantur consignare merces, & lucra hujusmodi locorum Ordinariis, seù eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seù Provicariis: Si verò tamquam dictæ Sedis Delegati illa ut præfertur, & non in alios usus distribuere, & erogare debeant; super quibus eorum conscientiam districtè oneramus. Et quia in præmissis, & circa ea delinquentes, ut plurimùm, prætextu necessitatis, pro eorum Missionibus se excusare præsumunt; excusationes hujusmodi eis, eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse, vel debere decernimus, & declaramus.

Pœnam Superioribus permittentibus injungit.

§. 4. Insuper eisdemmet censuris, & pœnis innodamus, & innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, & Generales

prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam JESU, qui eorum respectivè subditos in præmissis, vel circa ea, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes saltem per amotionem illorum à locis commissi per eos dolicti non puniverint; A sententia verò excommunicationis hujusmodi per Superiores, vel alium, seù alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex prædictis delinquentibus absolvi possit, præterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi priùs restitutis.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, & alii quilibet cujuscumq; status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seù aliàs specifica, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neq; causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacunq; quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù inipetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 6. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumq; Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalem & Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Cameræ præsidentes Clericos, Thesaurarium Generalem, Commissarium, aliosque Officiales, & Ministros, nec non S. R. E. prædictæ Camerarium, seu Procamerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, & d. Sedis Nuncios, ceterosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstan. quoad ea quæ præsentibus adversantur, prædicta Urbani prædecessoris, ac rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ita ut vigore præsentium etiam ultra duas, pluresve dietas quilibet in judicium trahi possit, & piæ mem. Pii IV. & Pauli V. aliorumq; Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum super spoliis Cameræ prædictæ applicandis, ac ejusdem Pii IV. prædecessoris de gratiis qualecumque interesse d. Cameræ concernentibus in ipsa Camera intra certum tunc expressum, tempus præsentandis & registran. itaut presentes literas ibidem præsentari, registrari, & insinuari nunquam necesse sit, necnon quatenus opus sit, de Jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, cœterisque Apostolicis, ac in Universali bus, Provincialibusq; & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac d. Cameræ, & Provinciarum, Regnorum, Regionum, Ordinum, Congregationum, Institutorum, Societatum, etiam Jesu, Domorum, & Collegiorum quorumcumque, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, licentiis, & litteris Apostolicis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, eorumque Superioribus, & personis etiam particularibus, & aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis, & de necessitate juris, vel facti omnino exprimendis etiam cum facultate eligendi posteriorem datam, quam nemini adversùs easdem præsentes litteras ullo modo suffragari unquam posse statuimus, & decernimus, ac sub aliis quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse, & censeri, illaque nemini adversus præsentes litteras suffragari volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Executores deputat.

§. 8. Cœterum volumus, & expresè mandamus, ut eædem præsentes litteræ, seù earum exempla etiam impressa, notificentur, & intimentur omnibus, & singulis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, hujusmodi Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut eorum, prædictorum Religiosorum eis respectivè subditorum nominibus illas accептent, & earum exempla transmittant ad illos cum arctissimis præceptis easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque plenariè, & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu exequendi, & observandi.

Ac insuper quibuslibet locorum Ordinariis, eorumque Officialibus, Vicariis in spiritualibus generalibus, ac Apostolicis, & Capitularibus Vicariis amplam & liberam concedimus, & impartimur facultatem præsentes literas in locis eorum cujuslibet respectivè jurisdictionis publicandi, ad hoc ut illarum ignorantia allegari nequeat, & allegata minimè suffragari debeat.

Transumptorum fides.

§. 9. Et quia difficile foret, præsentes litteras originales, ubique ostendi, & publicari, volumus pariter & decernimus illarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs in judicio, & extra ubique locorum fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus litteris, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Junii 1669. Pontificatus Nostri Anno secundo.

D P. A 2 die 7. Junii.

Erectio

XXXVI. Erectio Congregationis Indulgentiis, & sacris reliquiis præpositæ.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. IN ipsis Pontificatus nostri primordiis, cum multas Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E Cardinalium Congregationes ad certarum rerum & negotiorum in amplissimam Romanæ Curiæ alveum ex omnibus Mundi partibus assiduè confluentium tractationem, atque determinationem à fel. record. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ad Ecclesiæ Catholicæ, ac Ditionis temporalis ejusdem S. R. E. utilitatem prudenti, salubrique consilio institutas reperissemus, quæ incumbentem Nobis ingentem curarum molem pro sua quæque parte sublevarent; nullam tamen adhuc erectam videremus, quæ sacri Indulgentiarum thesauri curæ, & dispositioni, sacrarumque reliquiarum recognitioni, disquisitioni, & rectæ dispositioni peculiariter incumberet.

Erectio de qua in rubrica. §. 1. Nos eundem inæstimabilem thesaurum fideli dispensatione erogare, & omnia quæ sacras reliquias hujusmodi contingunt, rectè atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis Cardinalibus, ac aliquos Curiæ prædictæ Prælatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina, & rerum usu eximiè præditos selegimus, quorum consilio, opera, & industria tam gravem muneris nostri partem ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, ac spiritualem Christi fidelium ædificationem faciliùs implere valeremus. Hi verò subinde, prout rerum & negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, commissam sibi à nobis provinciam rectè, & fructuosè, atque ex animi nostri sententia hactenus administrarunt. Quapropter sperantes in Domino non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam; ac salubris consilii, quod authore Deo suscepimus, fructum, eodem adjuvante, atque incrementum dante, perennare desiderantes.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolica potestatis plenitudine Congregationem ejusdem S. R. E. Cardinalium, ac Prælatorum, & aliorum virorum prædictorum à nobis, ut præfertur, electorum, & deputorum, ac in futurum tam à nobis, quàm à Successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendorum, & deputandorum, cum, facultate omnem difficultatem, ac dubietatem in Sanctorum reliquiis, aut Indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat (nobis tamen, & Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora, difficilioraque consultis) expediendi; Ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, judicii forma planè postposita, corrigendi, & emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios Judices remittendi: Falsas apocryphas, indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, & examinandi, ac ubi nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra seu illius auctoritate rejiciendi; Reliquias de novo inventas, quas rec. mem. Innocentius Papa III. prædecessor noster in Generali Concilio Lateranen. publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque, & examinandi; Ac in concedendis Indulgentiis, Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque piè, sanctè, & incorruptè fieri curandi tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus.

Clausulæ præservativæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet, etiam substantiali, & formali, ac incogitato, & inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci ullo modo unquam posse.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata.

§. 5. Non obstan. quatenus opus sit nostra, & Cancell. Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisq; Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoq; Indultis, & litteris Apostolicis quibusvis personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo, ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tràdita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

§. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris die 6. Julii 1669. Pontificatus Nostri Anno tertio. Dat. P. A. 3. die 6. Julii.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1669. Indictione septima, die verò 10. mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N D. Clementis Divina providentia Papæ IX. anno tertio, supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Laurentium Barbigionum Sanctiss. D. N. D. Papæ Curs.

Alexander Albritius Curs. Mag.

Concessio

XXXVII.

Concessio Indulgentiæ plenariæ Christi fidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, divinam opem implorantibus pro liberatione Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ ab oppressione Turcarum.

Edita An. D 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

QUod jam pluries indictis publicè precibus, à Domino exercituum humili, devotoque cordis affectu poposcimus, ut Civitatem Candiæ Regni Cretæ Metropolim diutina, vehementiq; impiorum Christiani nominis hostium Turcarum obsidione pressam liberare dignaretur; id nunc præcipuè cum iidem Turcæ Christiani exercitus adventum antevertere satagentes, civitatem prædictam efferatiori quam umquam rabie expugnare moliuntur, ferventiori spiritus ardore, majorique animi contentione faciendum censemus: ut clementissimus Dominus Noster, in cujus manu est libertate in multis, & in paucis, Turcas prædictos in multitudine contumaci, & superbia nil nisi cædes, & excidia spirantes conterat, & disperdat potentia virtutis suæ, ac fortissimis Christi pugilibus gloriosa pro ejus honore, Sanctæque ejus Ecclesiæ defensione certamina alacriter subeuntibus robur, & fortitudinem, quæ de cœlo est, multiplicet, nostrosque labores, & curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate collocavimus, læta tandem victoria solari dignetur.

Indulgentias concedit.

§. 1. Nuperrimè siquidem omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis, seu Basilicis Sancti Joannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, in quarum prima, feria 6. ac Sabatho currentis hebdomadæ, & Dominica immediatè sequenti; in reliquis verò duabus, similiter feriis sextis, & Sabbatis proximè subsequentium hebdomadarum, ac Dominicis pariter immediatè sequentibus respectivè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quemadmodū in Orationibus quadraginta horarum fieri consuevit, publicæ venerationi exponi mandavimus, devotè visitaverint, ac aliquo ex dictis Sabbathis jejunaverint, & verè pœnitentes, ac confessi, idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Dominica subsequenti Sabbatum hujusmodi sumpserint, ibique ante Sanctissimum Sacramentum prædictum publicæ venerationi, ut præfertur, expositum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, ut copias christianas suo divino auxilio ad defensionem, & totalem liberationem civitatis Candiæ, & Regni Cretæ prædictorum ab oppressione Turcarum fovere, & protegere dignetur, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Easdem per totam Italiã largitur.

§. 2. Nunc autem divinam opem similibus pietatis operibus in universa quoque Italia, & Insulis adjacentibus implorari cupientes; Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum adjacentium hujusmodi, seù eorum Vicariis in spiritualibus generalibus præsentium serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium litterarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, in aliquibus suarum respectivè Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Ecclesiis per eos designandis memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum feriis sextis, ac Sabbatis, & Dominicis trium continuarum hebdomadarum publicæ pariter fidelium venerationi exponi curent. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis hujusmodi eo tempore, quo idem Sanctissimum Sacramentum publicæ venerationi ibidem sic expositum fuerit, devotè visitaverint, ac aliquo ex iisdem Sabbatis pariter jejunaverint, & verè pœnitentes, ac confessi, die dominica immediatè sequenti Sabbatum hujusmodi sacra Communione refecti fuerint, ac in eisdem Ecclesiis ante prædictum Sanctissimum Sacramentum per aliquod temporis spatium prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effundendo divinam opem pariformiter invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem similiter concedimus, & elargimur, Regularibus verò utriusque sexus in clausura viventibus, qui pariter uno ex dictis Sabbatis jejunaverint, eorumque respectivè Ecclesias in aliquo ex memoratis diebus visitaverint, ac verè pœnitentes, & confessi, sacraque Communione in aliqua ex Dominicis hujusmodi refecti, Deum ut supra oraverint, ut eandem plenariam Indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, indulgemus.

Transumptis fidem adhiberi jubet.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 3 die 17. Julii

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Julii 1669. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1669. Indictione septima, die verò 10. Mensis Julii, Pontificatûs autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ IX. anno tertio, supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Hilarium Cantellum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Alexander Albritius Curs. Mag.

XXXVIII.

Confirmatio, & extensio Decretorum Alexandri Septimi, & Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum de nonnullis abusibus Ecclesiasticorum in Insulis Orientalibus degentium tollendis.

Edita A. D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

IN excelsa Sedis Apostolicæ specula meritis, licèt imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis, abundantiam constituti, vigilantiæ nostræ oculos per universas Christiani Orbis partes jugiter circumferimus, & sollicitis studiis providere satagimus, ut divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur, & foveatur, ac omnium Christi fidelium præsertim in remotissimis partibus degentium quieti, & animarum saluti opportunè consulatur. Hoc consilio ea, quæ pro salubri illorum directione à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, eorumque jussu piè, prudenterque decreta, atque constituta fuisse comperimus, ut firmius subsistant, & serventur exactiùs Apostolici muniminis nostri patrocinio corroboramus, ac opportunè extendimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, spiritualemque eorumdem Christi fidelium ædificationem, & consolatio-

nem

Decreta Alexandri VII. referuntur.

nem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum si quidem emanarunt à felic. rec. Alexandro Papa VII. prædecessore nostro litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Sacrosancti Apostolatus officii, quo Divina disponente clementia Catholicæ Ecclesiæ muniminі, meritis licet imparibus, præsidemus, sollicitudo nos monet, ut noxia quæcumque è Dominico Grege, quantùm nobis ex alto conceditur, removere studeamus. Cum itaque ad aures nostras devenerint querimoniæ Christi fidelium Goæ, atque in adjacentibus Insulis degentium de nonnullis abusibus Ecclesiasticorum, eorum præcipuè penes quos ipsorum Christi fidelium spirituale regimen, ac cura residet. Nos prædictis abusibus, quatenus irrepserint, quandocitiùs occurri, aut saltem præcaveri, ne illi in posterum contingant, volentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ex Congregatione negotio propagandæ Fidei præposita, quibus querimonias hujusmodi discutiendas remisimus, consilio, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, præcipimus, & mandamus, sedulò, inviolabiliter, & exactè servari ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in posterum spectabit Decreta infrascripta, videlicèt.

Primò. Caveant Parochi, aut Ecclesiastici quicumque sive Sæculares, sive Regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas, seù laborem impendendum pro suis Ecclesiis non persoluta justa mercede, nisi id sponte, & ex pietate præstare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint.

Secundò. Cum iis, qui sacro, aut Catechesi doctrinæ Christianæ non interfuerint (si mos sit eos ut supponitur, aliqua pœna mulctare) ea moderatione se gerant, ut nonnisi verè contumacibus, & contemnentibus,eaque modica, nec crebrò erogetur.

Tertiò. Instruant populum omni qua decet lenitate, abstinentes omninò à ferula, & à verbis indecentibus, maximè si cum mulieribus, Viris nobilibus, seù ætate provectis agatur.

Quartò. Ad Seminarium (nisi ejus Institutio, seu fundatio obstet) locus etiam iis, qui ex nobili sunt genere & congrua (ni pauperes sint) persolverint alimenta, concedatur, ne à rectæ educationis beneficio prorsus excludantur, habita tamen prudenti distinctione à reliquis, ut quieti consulatur.

Quintò Ad scientias addiscendas, & Scholas quilibet admittatur nullo habito nobilitatis, seù generis discrimine nisi ex propria aliqua culpa quis indignus censeatur.

Sextò. Neophytos Deo sub Religionis jugo servire volentes sine rationabili causa Regulares non respuant, sed pari charitate omnes qui Spiritu Dei aguntur, & ad perfectionem anhelant, amplectantur.

Septimò. Presbyteri sæculares doctrina & moribus idonei à Beneficiis curatis, & à quolibet alio Ecclesiastico munere, sive prædicationis, sive ad ministrandi Sacramenta Pœnitentiæ minimè arceantur, attenta præsertim indigentia tot animarum millium, quibus longè impares sunt pauci Regulares illuc ex Europa adventantes.

Octavò. Caveant itidem Parochi Sæculares, & Regulares ullo modo sese ingerere in rebus spectantibus ad politiam Sæcularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior cæteris videatur, nec umquam intersint Comitiis, aut Conventibus ubi de rebus publicis agitur.

Nonò. Ut majori cum gaudio Verbum Dei suscipiatur, altiusque radices agat, & fructum afferat, concionentur omninò Regulares pluries in anno idiomate vernaculo, & patrio populorum, utque id ipsum faciliùs, & frequentiùs præstetur, curet omninò Vicarius Capitularis, aut Superior qui fuerit, ut etiam Clerus Sæcularis ejus Regionis in Verbi Dei prædicatione exerceatur.

Decimò. Deputet Vicarius plures ex Sacerdotibus sæcularibus indigenis, quos idoneos reperеris ad Confessiones excipiendas, quò faciliùs & libentiùs fideles Sacramentum Pœnitentiæ valeant frequentare, nec cogantur solis regularibus, aut exteris sese subjicere.

Undecimò. Ut autem radicitùs evellatur abusus, qui in prædictis Regionibus, ut præfatur, irrepsit, excipiendi Confessiones per interpretem, aut lecto pœnitenti Catalogo peccatorum ut nutibus innuat, si quæ fuerint ab eo commissa, districtè præcipitur Vicariis Capitularibus (graviter etiam onerando conscientiam ipsorum Regularium, & quorumcumque ad quos pertinet) ut in posterum id nullo modo permittant, sed ab iis tantùm audiantur Confessiones, qui illius idiomatis sensum sufficienter percipiunt, & ad ipsorum numerum pro rei exigentia augendum, promoveantur omninò Sacerdotes Sæculares ejus Regionis ad Confessiones Fidelium patrio idiomate excipiendas.

Duodecimò. Cumque audiatur maximum Catholicorum numerum contra præceptum Domini, qui voluit debiles, & claudos admitti, sub prætextu ignobilitatis, & rudioris ingenii rejici à Sacra Synaxi, id eadem Sacra Congregatio omninò vetat, ac prohibet, nisi prorsus ejus mysterii sint incapaces.

Decimotertiò. Ægrotis morti proximis cujuscumque sint conditionis, quamvis in sordido, ac vili degant loco, aut tugurio, Sacrum Eucharistiæ Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum, ac pro nostra salute non stabulùm, nec Crucis ignominiam exhorruerit.

Decimoquartò. Ne ob instructionis defectum, qui sacro Baptismate initiantur immaculatam Christi legem prophanis, ac gentilitiis institutis ex ignorantia fædent, ac idololatriam cum orthodoxa fide confundant, ut sæpe inibi evenire enunciatum est; caveant ii qui iisdem instruentis incumbunt, ne in posterum ullus ad Baptisma admittatur, qui veterem hominem, ac Gentilitios mores prorsus exutus, Christum plene non induerit, & in fide sit sufficienter instructus.

Decimoquintò Quoniam verò (ut veritas ipsa docet) nemo potest venire ad Christum, nisi Pater cœlestis eum traxerit, monentur Ecclesiastici tum Sæculares, tum Regulares, cæterique qui Ethnicorum conversionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, sed Verbi Dei prædicatione, & bonorum operum exemplo ad Baptismum inducant, perscrutantes præcipuè diligenter, quo fine, & spiritu ducantur qui baptisari postulant.

Decimosextò. Nihil prorsùs, ne quidem sub prætextu pietatis Parochi, tàm Sæculares, quàm Regulares à suis Parochianis quæstuent, etsi quid pro Festorum celebratione spontè ab iis tribuatur, integrè in eam causam insumant, & quidquid superest, pauperibus ejusdem Parochiæ dispensetur, itaut quamvis minima aviditatis suspicio à Viris Ecclesiasticis absit.

Decimoseptimò. Pro temporali regimine Confraternitatum existentium in Ecclesiis Regularium deputentur in posterum Officiales sæculares, qui reddituum administrationi incumbant, nullatenus Regularibus ea in re sese ingerentibus.

Decimooctavò. Cum Goæ, & in adjacentibus Insulis vetitum sit Ethnicis ritus Gentilitios publicè exercere, districtè prohibetur Ecclesiasticis, ne eisdem permittant, & maximè (quod nefas est) turpis lucri gratia cadavera Ethnicorum inde asportari, ut juxta prophanum eorumdem ritum comburantur.

Decimononò. Cadavera pauperum fidelium gratis omninò post hac à Parochis sepulturæ tradantur, nec ad extorquendam, aut emendicandam à vicinis, vel affinibus eleemosynam publicè exponantur.

Vigesimò. Districtè prohibetur, ne Ethnicis ullo pacto permittatur in Ecclesiis sacrificare, seriò Vicariis Capitularibus, injungendo, ut in contravenientes, & maximè ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in posterum ne Ecclesiis præficiantur Neophyti parum instructi.

Vigesimoprimò. Similiter Regularium Superiores sedulò curent, ut Parochi extra Conventus in prædictis Regionibus commorantes Regularis Observantiæ specimen cunctis ubique præbeant, eosque idcircò ad claustra, & regularem disciplinam aliquando revocent, ne Regulari Instituto paulatim exolescente, dum aliis incumbant, se ipsos amittunt, ac demùm in destructionem potiùs quam ædificationem Populorum missi videantur.

Decernentes ita in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Apostolicis, ac in Vniversalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus sit, Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, Institutorum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Jan. 1658. Pontificatus nostri Anno tertio.

Decreta Sac. Congreg. de Propag. Fide

§. 2. Et subinde Congregatio tunc existentium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita nonnulla Decreta die 22. Julii 1658. edidit tenoris sequentis videlicet: Ad meliùs & faciliùs occurrendum necessitatibus spiritualibus Christi fidelium in Indiis Orientalibus degentium Sacra Congregatio de propaganda fide decrevit. Primò, ut Parochi non naturales illarum partium, sive Regulares, sive Sæculares sint, teneantur omninò habere apud se Capellanum natalibus, & origine Indum pro Confessionibus audiendis, & diebus festis hortationibus ad Populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti in ea, qua initiati sunt, Orthodoxa fide langueant, ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione, & labore, ubi populus ipse id sponte non præstiterit congruum suppeditent stipendium. Secundò, Præcepit iisdem Parochis, cæterisque quarumcumque Ecclesiarum Superioribus, ut nedum Sacerdotes indigenas in eorum Ecclesiis celebrare volentes non arceant; verùm etiam perurbaniter accipiant, quo frequentiùs illuc redeant ad Omnipotenti Deo immolandum, sentiantque Christianam charitatem omnes æquis officiis amplexari. Tertiò. Ut verò fides adhuc in iis Regionibus pubescens literarum alimento coalescat, & pueri reddantur idonei ad res Ecclesiasticas percipiendas iisdem Parochis, & maximè Pagorum & Villarum injungit, ut eos vel per se, vel per Cappellanos naturales, si tales ipsi non sunt, ultra fidei Christianæ rudimenta Grammatices etiam Institutionem, cæterasque artes liberales quoad fieri potest, edoceant. Quartò. Decrevit, quoniam, ut auditum est, in Processionibus solemnibus etiam Sancti Corporis Christi ex Gentilium moribus ritus aliqui, sive actus irrepserunt, qui licet honoris, & majoris cursus gratia exhibeantur, Majestatem nihilominus Christianæ Religionis non minimum dedecent, Sacra Congregatio vetuit, ne in posterum permittantur, & arceatur omninò quidquid ludicri, aut minus gravis speciem aliquam habuerit, nullo modo autem liceat Ecclesiasticis, & præcipuè Regularibus prætextu dignitatis, gradus, aut officii umbellam in eis gestare, sed quo majori præfulgeant dignitate, eo demissius Divinæ Majestati obsequium præstare, aliosque Christianos humilitatis exemplo præire nitantur. Datum Romæ die 22. Julii 1658.

§. 3. Nunc autem nos spiritualibus Christi fidelium, non solum Goæ, & Insulis adjacentibus, sed etiam in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus degentium necessitatibus, prosperisque in via Domini progressibus pastorali sollicitudine, atque charitate salubriter consulere cupientes (de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, litteras Alexandri Prædecessoris, & subinde emanata Decreta præinserta, omniaque, & singula in eis respectivè contenta, & expressa auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa omnia & singula ad omnia Indiarum Orientalium Regna, Provincias, & Regiones extendimus, & ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quascumque personas etiam Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam Societatis Jesu Goæ, & in Insulis adjacentibus, ac in universis Indiarum, Orientalium, Regnis, Provinciis, & Regionibus hujusmodi nunc & pro tempore degentes cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ existant ad unguem inviolabiliter, & exactè observari eadem auctoritate harum serie itidem perpetuò præcipimus, volumus, & mandamus. *Prædicta hic Pont. confirmat.*

§. 4. Decernentes pariter ita in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 5. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Alexander Prædecessor in suis literis præinsertis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contrariis derogat.*

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. *Transumptis fidem addit.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Septembris 1669. Pontificatus Nostri Anno tertio. *Dat. P. A. 3. die 13. Sept.*

XXXIX.

Extensio declarationis ab Alexandro VII. circa Altaria privilegiata perpetua editæ, ad Altaria ejusmodi privilegio temporaneo, nec omnibus hebdomadæ diebus decorata.

Edita An. D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Cum fel.rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster dubia in diversis mundi partibus occasione decreti Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum die 5. Augusti 1662. emanati, & ab ipso Alexandro Prædecessore approbati, de non celebrandis Missis defunctorum in Festis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejusdem Congregationis decretum in una Novarien. die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniversaria, & Missas defunctorum cantu ex dispositione Testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus hujusmodi in festum ritus duplicis majori incideret, non comprehendi in primo dicto decreto.

Declaratio Alex. VII.

§. 1. Ac ulterius quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ essent Missæ Defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas Animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari perinde, ac si celebratæ fuissent Missæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs prout in ejusdem Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 2. Cumque (sicut ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum literarum dispositio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrantur, locum habeat.

Extensio de qua in rubr.

§. 3. Hinc est, quod Nos dubitationes hujusmodi ex injunctæ Nobis cælitùs pastoralis sollicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, qui rem maturè perpenderunt, consilio, declarationem à memorato Alexandro Prædecessore sicut præmittitur editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seù aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus. Et proinde, ut Missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, itaut animæ Christi fidelium pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus, & per omnia, perinde, ac si Missæ Defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Clausula præservativa.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorū derogatio.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 3. die 23. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Septembris 1669. Pontificatus nostri anno tertio.

XL.

Confirmat Decretum Sac. Congregationis rebus Consistorialibus Præpositæ editum in Causa Dismembrationis à Metropolitana Ecclesia Burgensi ejus partis Diœcesis, quæ vulgò dicitur le Montagne basse ad effectum erigendi novum Episcopatum in Collegiata Ecclesiæ Oppidi de Santander.

Edita A. D. 1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum Sac. Congr.

Cum Congregatio Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium rebus Consistorialibus præposita in causa Dismembrationis à Metropolitana Ecclesia Burgen. ejus partis Diœcesis, quæ vulgò dicitur le Montagne basse, ad effectum erigendi novum Episcopatum in Collegiata Ecclesia Oppidi de Santander, visis, & maturè discussis probationibus tàm pro dismembratione, quàm contra legitimè factis, & una cum aliis documentis, utraque parte informante, latissimè deductis, censuerit non esse locum dismembrationi ejusmodi, prout in ipsius Congregationis Decreto desuper die 27. Septembris proximè præteriti emanato continetur.

§. 1. Et sicut Venerabilis frater Archiepiscopus Burgen. ac dicti filii Capitulum, & Canonici dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Burgen. Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communi summoperè desiderent.

§. 2. Nos specialem ipsis Archiepiscopo, ac Capitulo, & Canonicis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum super expressum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictæ Cardinalium.

Quod confirmat hìc Pontifex.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere,

tinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 3. die 7. Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Octobris 1669. Pontificatus Nostri Anno tertio.

CLEMENS X. PONT. CCXLIII.

ANNO DOMINI MDCLXX.

CLEMENS DECIMUS, Romanus Æmilius Bonaventuræ antea dictus, Laurentii de Alterii filius. S. R. E. Presbyter Cardinalis. Antequam titulum consequeretur, summus Pontifex Romæ est pronunciatus die 29. Aprilis 1670. & die 11. Maii coronatus. Creavit Cardinales 20. obiit Romæ die 22. 1676. Julii, sepultusque est in Basilica Vaticana, sedit menses duos, dies 6.

I.

Canonizatio Sancti Petri de Alcantara Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum.

Edita An. D. 1670.

Hunc Petrum Clemens IX. Sanctorum Catalogo adscripserat, una cum Sancta Maria Magdalena de Pazzi, sed morte præventus Bullam expedire non potuit, & ideò hic Pontifex illam expedivit.

CLEMENS EPISCOPUS

Procemium.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANORUM gesta Pontificum (præsertim majorem Dei gloriam, ac Sanctorum ejus laudes, & honorem concernentia) super quibus illorum superveniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerunt recenseri justum reputamus, & rationi consonum, ut illa universis Christi fidelibus imotescant. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor noster devotæ considerationis indagine perscrutans, quod inter cælestes Heroes, quorum eximia vitæ sanctitas ritè comprobata promeretur singularem Christianæ Reipublicæ cultum, illis præcipuè Sancti nominis immortalitatem Apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum omnia sit Populorum utilitate conjunctus. Hinc illi, qui peculiari alicui vitæ Instituto idæam sanctitatis exhibuerunt, & sacrorum præsertim Ordinum Fundatores insigni virtute, ac prodigiis Illustres, libentissimè sacras ad Aras accipiuntur, quibus junguntur ii, qui Religiosas familias jam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, & ad sanctioris institudi studium ab excelsa virtute commendati invitarunt; quorum merita exigunt, ut Sanctorum Albo adscribantur: magna siquidem haud dubium est in sacram eorum militiam, atque in universam Ecclesiam commoda profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt. Quamobrem cum sanctissimus, Deoque gratissimus vir Petrus de Alcantara, optimè meritus sit de Christiana Republica, eo quod

S. Petrus de Alcantara de Christiana Repub. optime meritus.

inculpatam Religione, & doctrina Sancti Francisci familiam, fœtu novæ prolis adauxerit, eamque jam per Hispaniæ, & Indiarum Regna dilatatam, per semitas strictissimæ paupertatis ambulare docuerit, & omnibus Christi fidelibus præbuerit exemplar incredibilis pœnitentiæ cum summa innocentia conjunctæ deesse illi non debeat Sancti nominis gloria, & Populo Christiano insigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutum incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens Prædecessor, qui sibi hanc mentem inspirasset decernendi supremos honores huic viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur, & à quo salutarem opem in maximis hisce infœlicium, temporum discriminibus, præsertim contra superbiam, & ferociam Turcarum implorabat. Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, & ejus eximias virtutes universis Christi fidelibus imitandas exhiberet, ac illius in Terris admiratione dignam, & laudabiliter transactam vitam explicaret, sic proponere decreverat. Exortus in lucem erat Sanctissimus hic Vir Norbæ Cæsareæ, vulgò Alcantaræ in Bæturia Hispaniarum Regione anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, ex Parentibus genere, ac pietate Nobilibus, Petro Garabito, & Maria Villela, idemque Petri nomen, quod in sacra familia perpetuum illi fuit, sacro è fonte susceperat. Ab ineunte ætate ambulans in innocentia, vitans lubrica, & voluptatibus obnoxia, & hominum commercium fugiens: contemplandis rebus divinis ità vacabat, ut amore Cœlestium incensus, aliquando extrà se raperetur; Ideóque sapientia crescens, & gratia, mensuram ætatis moribus senilibus excedebat. Studium literarum ingressus acri ingenio, ingentem spem suis Parentibus, & Magistro indidit: Quia verò noverat sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, Religiosorum Virorum consortio delectabatur, ac Divinæ præsertim inhians sapientiæ, sacros avidissimè quærebat libros, à prophanis abhorrens. Et quoniam ab infantia secum creverat misericordia, omnibus se Charitatis operibus assiduè dabat: Infirmos proindè, in carcere positos, & egenos quantum poterat, sublevabat. Cum autem in alios pius esset, & misericors sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus, nam non solum singulari abstinentia sensuales appetitus frænare, sed & levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

Clemens IX. eum venerabatur.

Vita admiratione digna

S. Petri nativitas.

Ejus parentes.

Ab ineunte ætate rebus Divinis vacat.

In operibus Charitatis assiduus.

Abstinentia.

§. 1. Licet autem etiam dum in sæculo versaretur animo Cœlum recoleret; magis tamen, ac magis abundans in scientia, & in omni sensu probavit potiora; & annum ætatis sextum decimum ingressus, in Custodia sancti Evangelii, seù Extremaduræ (quæ nunc Sancti Gabrielis Provincia dicitur) Fratrum Minorum Discalceatorum habitum, & Evangelicam vivendi formam suscepit.

Conversatio ejus in Cœlis.

Anno 16. FF. Min. habitum suscepit.

§. 2. Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus: cum enim festinanti ad Religiosi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc fortè imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset; effusus in preces in altera se ripa divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In Cœnobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tyrocinii emeritis Christi militibus emineret; ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se.

In alteram fluvii Tietar ripam divinitus trajicitur.

§. 3. Præcinxit illum Deus virtute, & posuit immaculatam viam ejus paupertate, religiosæ disciplinæ rigore, rara oculorum modestia, incredibili siti cruciatum magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

Virtutes eximiæ in tyrocinio Religionis.

§. 4. Solemnem professionem, expleto tyrocinii anno emisit, & sese elevans supra se, humana omnia transcendens, & anhelans ad Cœlestia: oculis tamen

Rara oculorum modestia.

men in terram semper dejectis, ignorabat an Chorus Ecclesiæ (quem perpetuò adibat) fornice obductus esset, aut laqueari; an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret: Et exactis in quodam sui Ordinis Cœnobio tribus annis Fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens, per triennium quosdam in ore lapillos detulit; ut vel sic loquendi pruritum coerceret.

Silentii rigor.

§. 5. Senili prudentia juventutem supergressus, vigesimo ætatis anno præter sacri Ordinis morem, Custos Cœnobii Sanctæ Mariæ Angelorum renunciatus est; ubi tot Charismatum dona cœlitùs illi collata sunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim Annona omnis defecisset, ac Fratres egredi ad petendam eleemosynam prohiberentur (altissima nive Conventum obsidente) conqueri de Petro cœperunt, qui etiam rigente Hyeme ipsis cogitare de crastino vetuisset; quidquid mensæ superat, quotidiè in pauperes distribuere consuetus: at ille certò sciens enutriendos esse, qui jactant cogitatum suum in Domino, jussit ad ostium puerulos pergere, ubi super acervum nivis postibus hærentem, prægrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, & itinere alta nive obsito, nonnisi ab Angelis eo delatum: quam divinæ providentiæ curam aliis quoque vicibus est expertus.

Anno ætatis 20 renunciatur Superior

Prodigiis coruscat adhuc juvenis.

§. 6. Sed mirabilior erat Petri vita, quæ ut viva lex perfectionis Alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis præconio sufficeret referre illa, quæ de hoc viro sanctissimo dixit Sanctissima pariter Virgo Theresia Carmelitarum Reformatorum Parens; videlicet ne momento quidem diei, ac noctis Petrum ab oratione cessasse, & ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Theresia teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeóque depressa erat, ut flexis genibus, & curvis semper humeris in illa hærere cogeretur.

Alios ad sanctitatem provocat.

Oratio assidua.

Cellæ angustia.

§. 7. Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum somno concessit. Jejunium amavit, adeo ut ad triduum ordinariè, & ad octo aliquando dies inediam protraxerit: asperrimo præterea cilicio armatus, bractea ferrea per viginti annos præfixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissimè animadvertens, itinera quamvis longissima, atque asperrima capite semper detecto, nudisque pedibus per æstus, & frigora suscipiens; ita ut cùm nudum caput imbribus, & nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, & æstate præfervida, exurentibus Solis radiis, capite vehementissimè cruciaretur: respondere solitus interrogantibus, cur detecto capite semper incederet; nefas esse coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetustum, ac vilem saccum abluebat madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente Hyeme sese, plerumque injiciebat. Præter hæc, familiare illi erat Hyeme summa, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram, & januam Cellæ reserare, ut frigidissimo excepto aere, & gelu, acrius torqueretur, caro mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram clausisset, & januam. Eo devenit hac sæva maceratione membrorum, ut ex narratione Sanctæ Theresiæ arido, & exangui corpore, radicum arboris speciem exhibuerit: oculis autem in caveam recedentibus, & sulcatis perpetuò lacrymarum imbre genis, mirabile Pœnitentiæ simulacrum videretur.

Dominus altissimus.

Bractea ferrea corpus dilanians.

Detecto capite semper incedit.

Sæva membrorum maceratio.

§. 8. Ex hac eximia vitæ sanctitate vires hausit ad egregia quævis præstanda in honorem Divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit Latere ille quidem præoptasset, & paternam Sancti Francisci humilitatem secutus, Regale Sacerdotium formidasset accipere; nisi ad illud Superiorum imperio coactus fuisset: Itaque non sumens sibi honorem, sed vocatus, à Deo tanquam Aaron Sacrum quotidiè peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus viderentur fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

Amor in Deũ. Sacrum semper celebrat cũ lachrymis

§. 9. Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi Divini panem ex tempore Populis esurientibus frangere: cumque de ore ejus erumperent quasi sagittæ potentis acutæ innumeros fœlicissimè sauciatos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filii Dei. Præterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi, & populares; sed etiam Nobiles, ac Principes viri, quos mira suavitate, & efficacia verborum ad salutarem pœnitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V. Cæsarem declinavit, captus amore solitudinis, & demissionis, ac metu discriminum Aulæ Regalis.

Prædicationis uberes fructus.

Plura Cœnobia sui Ordinis sanctissimè temperavit, videlicet illud Sancti Honuphrii in Provincia Sancti Gabrielis, Sancti Michaelis Placentiæ, aliaque: subindè Provinciæ Diffinitor, & Custos, ac deinde omnium suffragiis in Provincialem electus est Provinciæ Sancti Gabrielis; cujus regimini sedulò incumbens exemplis, & verbis, quasdam edidit Constitutiones, quibus strictioris Observantiæ nitor in ea refloreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Artabidorum Provinciam juvaret, & promoveret.

§. 10. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigere desideraret, & longiùs extendi, superatis gravissimis difficultatibus, Divino munitùs præsidio, & Apostolica fretus auctoritate, primum novæ reformationis Cœnobium augustissimum, & pauperrimum sub Immaculatæ Conceptionis titulo prope Pedrosum Cauriensis Diœcesis in Bæturia, vulgò Extremadura Oppidum construxit; ubi cum paucis sociis, Apostolicam sui Patris Francisci vitam renovavit. Hinc à Paulo IV. Summo Pontifice ejusdem Clementis, ac nostro Prædecessore Commissarius Generalis novæ Reformationis institutus, alios ædificavit, Conventus; ex quibus, & quibusdam aliis ejus se regimini ultrò subdentibus, Provinciam Sancti Josephi fundavit: mox destinatis ad Regnum Valentiæ sociis, Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ fundamenta fecit. Ac tandem illud strictissimum vitæ genus in varias Hispaniæ Provincias ac Indias, & Japonium usque fœliciter dilatatum est, ubi ex ipsa Reformatione multi martyrio coronati sunt.

Zelus paupertatis.

Augustissimũ Reformationis Cænobiũ construit.

A Paulo IV. Cõmissarius Generalis reformationis institutus.

§. 11. Sanctam quoque Virginem Theresiam in stabilienda Carmelitarum reformatione indefessus adjuvit, itaut ipsamet testante, recentis illius propaginis sit præcipuus promotor existimandus. Et revera multas pro re tanta peregrinationes suscepit, & labores tulit; immò & absenti opem, & consilium laturus aliquando miraculosè apparuit.

§. 12. Quam gratum acciderit Deo studium hoc observantiæ strictioris, & quanto haberi vellet in pretio Seraphicum zelum hujus viri, Deus ipse prodigiis ingentibus comprobavit: Cum non solum rapidissimas Tagi, & alterius fluminis aquas siccis ipse pedibus aliquando transivit; sed & puer qui asello insidens canistrum panibus refertum ad illum, & Fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato jumentum impulit in flumen, quod solidum, ac tutum supra suas aquas ingressum eidem præbuit.

Siccis pedibus transit flumina.

Cum Joannes de Neira Petri in itinere socius, inedia, & siti confectus penè decideret, in loco, ubi ad orandum Sanctus hic vir se composuerat; fons illicò erupit, & panis cum pisce ad esum paratus apparuit.

Cibum, & potum divinius socio præbet.

Infixus ab eo terræ aridus baculus, in viridem ficulneam excrevit, cujus fructus etiam nunc ægris salutem redonant.

Baculum aridum plantat, & in ficulneã crescit.

Atrocem pertinacis mulieris injuriam non modo patientissimè toleravit; verum etiam flexis

Patientia. Humilitas.

coram ea genibus pro culpa, quam non patrarat, humillimè deprecatus est.

Raptus in aere radios ex oculis emittit in cruce.

Semel Crucem in horto Pedrosi devotis oculis contemplans sursùm ferri, & in aere coram ipsa suspendi, & lucidissimos quoque ex oculis radios, in eamdem crucem emittere visus est, candidaque nube caput ejus circumdari.

Prophetia.

§.13. Quendam adolescentem benedictionem suam, enixè efflagitantem, cum ab Urbe, quam primum recedere decrevisset, de gravi discrimine, quod illi imminebat, in hæreticam quandam opinionem incidendi præmonuit.

Scholarem alium respiciens, Mundo quamprimum renunciaturum, sacrumque Religionis habitum suscepturum divinitus agnovit.

Imbrem à Deo obtinet.

In magna siccitate, precibus suis copiosum à Deo imbrem obtinuit.

Per flammas innoxius incedit.

Accensum ignem in quodam Conventu, per flammas ipsas innoxius incedens sine mora extinxit.

Demersum in aquis mirabiliter extraxit.

Demersum in puteo infantem, corda qua cingebatur in eum locum demissa, mirabiliter extraxit.

Visum constituit.

Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, data ei benedictione protinus illuminavit.

Fœminum à consuetudine Dæmonis liberat.

Fœminam quandam à Dæmone per multum temporis deceptam, de prava illa consuetudine, quam cum maligno Tentatore habuerat; commonefecit, & liberavit.

Nives in aere pendulæ.

In reditu ad Conventum de Arenas à Civitate Abulæ, obrutus fuisset nivibus, quarum vis ingens è Cælo devolvebatur; nisi ejus precibus coercitæ, in aere pendulæ constitissent, & prodigiosum tabernaculi genus artificioso fornice composuissent, quo inclusus Petrus ab aliarum læsione nivium prohibebatur.

A copiosissimis imbribus non madefactus.

Imbres quoque copiosissimi eum madefacere non sunt ausi, quod etiam dum augustum Missæ sacrificium offerret, ipsi & circumstantibus semel evenit.

Procul distātibus corporaliter apparet.

Corporaliter videndum se præbuit plurimis procul distantibus: Prophetico lumine remotissima locorum, ac temporum spatio prædixit. Demum usque adeò fuit in deliciis Divinitatis, ut omnium vota, quando Petrus intercessorem exhiberet se, implenda esse professus fuerit Sanctæ Virgini Theresiæ, ut ipsamet sibi semper accidisse fatetur.

Inter orandū in altum, elevatur.

§ 14. Et illius quidem preces adeò incensæ erant igne Divino, ut inter orandum brachiis in modum Crucis expansis in altum sæpissimè ferretur; ac dum Sacrum faceret elevari in sublime coram Populo aliquoties conspectus fuerit: immò tanta ejus erat assiduitas orationis, ut nunquam ab ea cessaret, & intuentibus ipsum, homo alterius sæculi videretur.

Mortalis Infirmitas.

Mortis horā prædicit.

Extasis.

Edoctus ergo etiam, dum in Terris agebat, ad Cœlum evolare, tandem meritis plenus, ætatis anno sexagesimo tertio in febrim, ac dolores molestissimos incidit. Augebatur simul cum ægritudine hilaritas Petri, prohibentis Religiosam suam familiam à lachrymis, in quas ob amittendum amantissimum Parentem agebatur. Ecclesiæ Sacramentis ritè susceptis, ac prædicta mortis hora, non jacens, sed humi erectus in genua in altissimam extasim diripuit; ac deinde sensibus restitutus: Lætatus sum (inquit), in his quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus. Et manu Fratribus benedicens; ità illos est allocutus: Non intuemini Fratres mei, Sanctissimam Trinitatem, & Dominam meam gloriosissimam Virginem Mariam, & Sanctum Joannem Evangelistam. Quibus dictis adhuc excepto genibus corpore, migravit animo in cœlum, & Sancta Theresia procul distans ab Oppido de Arenas, in quo Petrus decesserat, illum vidit rectò, & lucido tramite delatum ad sempiternam fœlicitatem; ac sæpè postea eidem oranti apparuit plenus immensa gloria & purissimæ lucis radiis circumfusus. Corpus verò pulcherrimum Cœlesti quodam colore perfusum, oculis apertis, & miro splendore radiantibus, suavissimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni satisfieret, in eminentiori extrà portam loco expositum fuit, ad cujus conspectum Populus suspiriis, ac vocibus Sanctum inclamabat, auxilium ab eo petebat, vel minimam habitus particulam pro summo quilibet bono reputabat. Indè processum est ad funus, numeroso Populo cum facibus, ac candelis accensis sacrum depositum comitante. Contigit autem inter cætera notabilis, quòd Cœlum imbre, ac vento furens, delato in medium corpore subito placaretur, dum in circuitu omnia streperent, & inundarent, ita ut à Valetudinario, in quo decesserat, usque ad Conventum duobus miliaribus distantem, quieto Cælo omnes immadefacti processerint, & ceram pro funere honorando accensam in tanta spatio nihil imminutam repererint. Ejus corpus in Ecclesia Fratrum Minorum Discalceatorum depositum, singulari Populorum veneratione invisitur.

In genua erectus lucidè migrat in cælum.

Plenus gloria apparet S. Theresiæ.

Splendor ex oculis, & o-dor manat è membris.

Sanctum inclamat populus.

Mirabilia in funere.

Sepultura.

Annus, & dies obitus.

§.15. Excessit Ann. salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, xviij. die Octobris.

Post mortem miracula.

Plurimis etiam post mortem miraculis coruscavit.

Gressum restituit.

Alphonsus Sanchez faber lignarius, fracti cruris integrandi mortalem omnem spem projecerat; sed ad sepulchrum Petri, momento temporis convaluit.

Ab exitiali morbo liberat.

Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo, & à Medicis desperatam, haustus aquæ reliquiarum Petri contactu sacræ, dicto citiùs integræ sanitati restituit.

In extremis laborantem sanat.

Sacramento Extremæ Unctionis munita jam erat Maria Velasquez, quæ Petri opem exposcens illicò surrexit incolumis.

Pedibus contractum reintegrat.

Franciscus Ramirez sexennis puer cruribus contractus; oleo lampadis ante Petri sepulchrum lucentis injunctus, repentè sanatur.

Fracta crura sanat.

Balthasari Rodriguez sexenni puero, fracto utroque latere, ac defluentibus intestinis penè confecto; effusæ ante Petri sepulchrum preces, saluti fuerunt.

Gressum reddit.

Francisca Martinez triennio claudicans, quæ desperata fracti pedis salute, genibus, & manibus reptaverat ad Petri sepulchrum, incolumis, & solido pede innixa, regressa est domum.

Auditum restituit.

Utraque aure surdus Bartholomæus Garzia, contactu aquæ, cui fuerant admotæ Petri reliquiæ, recuperavit auditum: & eodem contactu visum momento recepit Isabella Gonzalez à tribus mensibus cæca, & fœdo apostemate laborans in dextero genu Joannes puer bimus, repentè convaluit.

Ad sepulchrum concursus.

Liquor à corpore distillat.

§.16. Jacuit autem Petri corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat, sed cum undique ad illud ex tota confluerétur Hispania; Episcopi Abulensis auctoritate, in locum decentiorem à Religiosis Conventus de Arenas translatum est, & oleo similem liquorem distillans repertum, candidis velis fuit involutum retenta quadam reliquiæ particula, & in Arca prope Altare majus iterum muro inclusum.

§. 17. Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens Prædecessor, & in illo cor suum exultabat, quod nullis ejus suffragantibus meritis; sed altitudine divitiarum sapientiæ, & scientiæ suæ, hanc Servi sui Petri de Alcantara Canonizationis solemnitatem, per ejus humilitatis ministerium ad sui nominis gloriam, & Catholicæ fidei exemplum voluerit celebrari. Cum enim præter eximia prodigia, quibus Petri vita effulsit, post mortem etiam quamplurimis aliis miraculis, ut ejus sanctitatem testaretur Deus, aditus aperiebatur ad sacros honores Petro deferendos.

Fama sanctitatis.

§.18. Propterea crebrescente fama ejus sanctitatis, venerationis, & miraculorum, editi super his fuere Processus auctoritate Apostolica, & ordinaria: & accedentibus precibus claræ mèm. Philippi III. & IV. Catholicorum Hispaniarum Regum, necnon

ferè

ferè omnium Hispaniæ Regnorum, cæterisque de more peractis, Sacra Rituum Congregatio, cui supradictorum Processuum revisionem injunxerat Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster, tunc suus, respondit referente bon. mem. Marco Antonio tituli Sancti Eusebii Presbytero Cardinali Gozadino, juxta seriem relationis trium causarum Palatii Apostolici Auditorum pluries examinatam fuisse causam Servi Dei Petri de Alcantara, ac plenissimè constare de validitate Processuum, fama sanctitatis, fidei puritate, cæterarum virtutum excellentia, reliquiarum, ac sepulchri veneratione, & plurimis tandem miraculis: ac propterea posse, si Summo Pontifici placuisset, eundem Petrum Sanctum, ac in cælis regnantem, omnibus fidelibus solemni Canonizatione proponere venerandum; dum interim Episcopus Abulensis in Capellam quandam novam à se dedicatam, sacrum ejus corpus odorem suavissimum spirans solemniter transtulisset, præsentibus nonnullis Hispaniæ Magnatibus, qui ferendis reliquiis nobiles humeros submiserunt.

Validitas processuum.

Corporis translatio.

§. 19. Quapropter idem Gregorius XV. fel. recor. Prædecessor noster, tunc suus annuit precibus ejusdem Philippi IV. Regis, & Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum; atque Petrum Beati titulo insignivit die decima octava Aprilis anno salutis, millesimo sexcentesimo vigesimo secundo; ac de eo tanquam de Confessore non Pontifice die decima nona Octobris, qua ipsius memoriam celebrandam esse statuit ubique Terrarum ab universo Ordine Minorum Observantium utriusque sexus: In Oppido verò de Alcantara, ubi natus est, atque in altero de Arenas, ubi corpus ejus requiescere acceperat, ab omnibus tam Regularibus, quam Sæcularibus Clericis recitari Officium posse, & Missam celebrari, datis desuper literis in forma Brevis concessit. In Provincia verò S. Josephi, cujus Auctor extitit Petrus, à Fratribus Discalceatis de illo veluti de Patrono etiam cum Octava Officium, ac Missam celebrari posse.

Beatificatio.

§. 20. Deindè verò novus Processus conditus est ob nova Decreta ab Urbano VIII. edita, & fama sanctitatis præservans, & crescens fidelium veneratio reperta est.

Processus alius ob decreta Urb. VIII.

§. 21. Alia deindè miracula à fel. rec. Innocent. X. Prædecessore nostro, tunc suo, comprobata sunt die octava Martii 1650. cum Processus novi super his, quæ post Petri Beatificationem formati fuissent, instantibus in primis iteratis supplicationibus Episcoporum, Principum, ac Civitatum totius Hispaniæ.

Innocent. X. comprobat miracula.

§. 22. Repetito voto sac. Rituum Congregatio die 12. Aprilis Anno 1660. censuit posse tutò deveniri ad solemnem Petri Canonizationem, ac in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis assiduus labor planè ad prodigii genus accedens, argumentum insigne perfectissimæ charitatis in Deum cum salubri animarum profectu sanè admirabili Christi fidelibus colendus, & imitandus omninò proponeretur.

§ 23. Sed interim succedente interitu fel. rec. Alexandri VII. prædecessoris nostri, tunc sui, quo annuente Decretum supradictum emanaverat ab eadem Sacra Rituum Congregatione, & eodem Clemente ad Sancti Petri Cathedram evecto priores diligentiæ fuerunt instauratæ, & accedentibus novis Principum Catholicorum instantiis, præsertim verò Regis Catholici Caroli II. secretum Consistorium fuit habitum die 18. Martii Anno 1669. in quo per venerabilem Fratrem nostrum, tunc suum, Martium Episcopum Portuensem S. R. E. Cardinalem Ginettum status Causæ Beati Petri relatus fuit; & omnium Cardinalium, qui adfuerunt, suffragia dixerunt placere eis, ut idem Clemens ad solemnem Canonizationem deveniret.

Alexand. VII. obitu remorata Canonizatio.

Carolus II. Rex Hispaniarum instat pro Canonizatione.

§. 24. Quapropter sequente publico Consistorio, in quo de Canonizatione dicti Beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Capraria, nostræ, tunc suæ Consistorialis Aulæ Advocatus, & nomine præfati Caroli Regis, necnon Regnorum prædictorum, ac Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum eidem Clementi Prædecessori fuit humiliter supplicatum.

§. 25. Idem Clemens Prædecessor noster, in tam gravi causa orationibus, & jejuniis publicè indictis, & concessa pro hoc fidelibus Indulgentia, Divinæ voluntatis beneplacitum explorare sategit.

Clemens IX. jejunia indicit & Indulgentiam concedit.

In semipleno postmodum Consistorio Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, (de quorum numero tunc eramus) scripta suffragia Canonizationis solemnitatem approbantium, eidem Clementi Prædecessori diem Dominicum in Albis unanimiter innuerunt.

Dies Canonizationis Indicitur.

§. 26. Tandem cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrarum Canonum Decretis, S.R.E. antiqua consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, dicta die Dominica in Albis, quæ erat quarto Kalendas. Maii, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, Pontificatus sui Anno secundo; in Sacrosancta Beati Petri Apostolorum Principis Basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus suis, Clero sæculari, & Regulari, & maxima Populi frequentia manè convenit, post repetitas pro Canonizationis Decreto petitiones, nomine ejusdem Caroli Regis à dilecto etiam filio nostro, tunc suo, Jacobo tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali Rospigliosо nuncupato: post sacros Hymnos, Lytanias, aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augumentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac ejus matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de venerabilium, Fratrum nostrorum, tunc suorum, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Petrum de Alcantara Sanctum esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesia quolibet anno decima octava Octobris, illius obitus die memoriam ejus inter Sanctos Confessores non Pontifices, pia devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Canonizatio.

§. 27. Postea idem Clemens Prædecessor noster, ejusdem Sancti festum die decima nona Octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis universi Ordinis Sancti Francisci tam Fratrum, quam Monialium, tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis; & ubicumque locorum existentibus visitaverint, Indulgentiam plenariam perpetuam concessit.

Sancti festum decernitur.

Indulgentia plenaria perpetua.

Deo igitur Optimo Maximo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum gratias agere eundem Clementem Prædecessorem decebat, qui benedixit hunc Servum suum in omni benedictione spirituali, ut esset Sanctus, & immaculatus coram ipso, & curreret in via mandatorum Divinorum, dilatato corde ab eximia charitate: cumque illum Divina pietas huic nostro sæculo indulserat, qui antiquæ prodigia sanctitatis instauraret; eundem singulari cultu prosequeretur, ejusque auxilium in hisce Christianæ Reipublicæ necessitatibus enixius imploraret.

Pontificis gratiarum actio.

§. 29. Ne autem de Decreto, Definitione, Adscriptione, Statuto, Concessione, aliisque præmissis, pro eo quod ipsius Clementis Prædecessoris

Decreti confirmatio.

soris literæ ejus superveniente obitu confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari; volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod Decretum, Definitio, Adscriptio, Statutum, Concessio, aliaque præmissa à dicta die quarto Kalendas Maii suum consequantur effectum; ac si super illis ipsius Clementis Prædecessoris literæ sub Data ejusdem diei confectæ fuissent, pro ut superius enarratur. Quodque præsentes literæ ad probandum plene Decretum, Definitionem, Adscriptionem, Statutum, Concessionem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Publicatio, & fides.

§. 30. Cæterum quia difficile foret præsentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset deferri; Volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 31. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 5. Maii.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, Quinto Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Franciscus Episc. Ostien. Card. Barberinus S.R.E. Vicecancellarius.
† F. M. Episcopus Tusculanus Cardinalis Brancatius.
†
†
† Ego Uldericus Episcopus Albanensis Card. Carpineus.
†
† Ego Virginius tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Vrsinus.
†
† Ego Cæsar.tit. SS. Quatuor Coronator. Presbyt. Card. Facchenettus.
†
†
† Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyt. Cardin. Cybò.
† Ego Fridericus tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Sfortia.
† Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presb. Cardin. Odescalcus.
†
†
† Ego Aloisius tit. S. Alexii Presbit. Cardinalis Homodeus.
† Ego P. tit. Sancti Marci Presb. Card. Otthobonus.
† Ego Laurentius tit. S. Chrisogoni Card. Imperialis.
†
†
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb Card. Santacrucius.
† Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Cardin. Spada.
† Ego Franc.tit. SS. Quatuor Coronator. Cardin. Albitius.
† Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Aquaviva, & Aragonia.
† Ego Carolus tit. Sanctæ Priscæ Presbyt. Cardin. Pius.
† Ego Carolus tit. S. Eusebii Presbyt. Cardinalis Gualterius.
† Ego Flavius titul. S. Mariæ de Populo Presbyter. Card. Chisius.
†
† Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presbyt. Card. Franzonus.
†
† Ego Petrus tit. Sancti Calixti Presbyt. Cardinal. Vidonus.
†
†
†
†
† Ego Nerius tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Card. Corsinus.
† Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presb. Cardinalis Bonellus.
†
†
† Ego Carolus tit. S. Susannæ Presbyt. Cardinalis Caraffa.
† Ego P. tit. SS. XII. Apostorum Presb. Card. de Alteriis.
† Ego Cæsar tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.
†
†
†
† Ego Carolus tit. S. Mariæ de Aracæli Presbyt. Card. Robertus.
†
†
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Sixti Presbyt. Cardinal. Rospigliosus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Fridericus tit. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hassia.
† Ego Carolus Sancti Cæsarei Diac. Card. Barberinus.
† Ego Decius Sancti Eustachii Diac. Cardinalis Azzolinus.
† Ego Franciscus Ma. SS. Viti, & Modesti Diac. Card. Mancinus.
†
† Ego Paulus tit. Sancti Georgii Diac. Cardinalis Sabellus.
†
†
†
† Ego Sigismundus S. Mariæ in Dominica Diac. Card. Chisius.
†

II.

Indulta gratiæ, & Privilegia, Conclavistis, qui in Conclavi adfuerunt, quando ad Pontificatum fuit evectus, concessa.

Similia Privilegia, & Indulta Conclavistis concessere plures Summi Pontifices, inter quos Clemens IX supra Const. 3. Nos volentes.

CLEMENS PAPA X.

Causa Indulti.

Motu proprio, &c. Nos volentes dilectos filios Conclavistas, qui Conclavi, in quo di-

vina

vina favente clementia, ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus uti familiares, & continui commensales inservientes interfuerunt; quique ea de causa labores vigilias, & incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujusque meritis exornare.

§. 1. Ipsosque Conclavistas, quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in Rolo, seu divisione subscripto, vel subscripta per dilectum filium Magistrum Gasparem de Carpineo Datarium nostrum, summam decem millium scutorum auri in auro ex pretio tot officiorum vacabilium ad nos spectan. gratiose donavimus, in veros, indubitatos, & non fictos familiares, & continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis clerici existunt, seù militiæ clericali adscribi desiderant, quosque tres hujusmodi Cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores, gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum de numero participantium Notariorum recipimus, & tàm illos, quàm alios Conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, & Milites, & tam illos, quàm omnes, & quoscumque alios Conclavistas indistinctè, qui nobiles non sunt, nobiles quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem tribus Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nulla prorsus differentia inter eos, & singulos alios veros originarios, & antiquissimos etiam nobiles; & participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis; Itaut ipsum jus civilitatis ad quoscumque illorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & insigniis decoramus, aliorumque familiarium, & continuorum commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium, & bibentium, ac nostrorum, & Sedis prædictæ Notariorum Palatiis, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujusmodi originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, & indubitatis, & non fictis familiaribus continuis Commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibus, Nobilibus, Militibus, & Civibus deinceps haberi volumus, ac reputari mandamus, eisque in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, & literis, tàm gratiam, quàm justitiam separatim, seu utramque mixtim concernen. & familiares continuos Commensales, nostrosque Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & literæ hujusmodi subreptionis vitio subjaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus, & quibuscumque ac prorsus similibus antelationum, antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii Nostri familiares tempore dictæ Assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus Apicem, ac quibus aliis ejusdem Sedis Notarii etiam de numero Participantium existentes, etiamsi habitum, & Rocchetum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ prædictorum Comites, Milites, Nobiles etiam originarii, ac antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quàm, ut præfertur, elegerint, quique ex utroque parente verè Nobili, & Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seù alias quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcumq; beneficiorum Ecclesiasticorum etiam per quascumque literas, seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum ubiq; locorum in judicio, & extrà sine tamen eorundem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter & integrè in omnibus, & per omnia etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint perinde, ac si de verè nobili genere, & ex utroque parente nobili originario, ac antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, indulta, & jura, quæ pro aliis nobilibus, & Civibus originariis, emanarunt & quæ ratione nobilitatis, & civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eisdem Conclavistis in specie emanassent, seu emanarent, & eis naturaliter de jure statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, auctoritate, & tenore similibus indulgemus.

Donatio sc. 10. mil. auri pro Concl.

Receptio in familiares.

Notarios.

Comites.

Cives.

Nobiles creat.

§. 2. Nosque Conclavistas prædictos à solutione, & exactione decimarum, & cujuscumque pedagii, subsidii, gabellæ, & cujuscumque oneris tàm ordinarii, quàm extraordinarii ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentissima, & inexcogitabili causa, & occasione etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, & Rerumpublicarum etiam Venetiarum, & aliorum quorumqumque Principum, impositorum, & imponendorum pro tempore, ex nunc prout ex tunc, & è contra, & postquam casus hujusmodi impositionis, & solutionis evenerit, liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus; Districtiùs inhibentes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Thesaurario, Præcedentibus Clericis, ac quibuscumque aliis Officialibus Cameræ prædictæ, & Exactoribus pedagiorum, decimarum, subsidii, gabellarum, & onerum hujusmodi, ac aliis personis, cujuscumque Ecclesiasticæ, vel sæcularis dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut super præmissis, eorumve usu, possessione, vel quasi directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, vel aliàs quomodolibet impedire quoquomodo præsumant.

Exemptio à gabellis, decimis, & aliis oneribus.

§. 3. Necnon omnes eosdem Conclavistas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quas quomodolibet propter contraventiones contentorum in Constitutionibus super creatione Romani Pontificis pro tempore editis, vel aliàs quomodolibet incurrerunt in foro conscientiæ tantum absolvimus, & liberamus, ac omnes, & quoscumque defectus, si qui forte sint omnium provisionum, beneficiorum, dignitatum, ac permutationum eorumdem Conclavistarum tàm ex multiplicitate titulorum, ac ob incursionem, quarumcumque censurarum, & irregularitatis, quàm alias, ex quavis causa provenien. sanamus, ac hujusmodi provisiones vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiæ tantum perinde, ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, & quatenùs opus sit, omnibus, & singulis eorum de omnibus, & singulis dignitatibus, & aliis cum cura, & sine cura beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet qualificatis, & nuncupatis etiam cujusvis Ordinis Regularium per eos respectivè obtentis, de novo etiam respectivè providemus, ac omnes, & singulas pensiones eis, & eorum singulis super quorumvis benefi-

Absolutio à censuris.

 ciorum

ciorum Ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum, & nuncupatorum etiam alicujus Ordinis Regularium fructibus, &c. respectivè reservatas similiter de novo reservamus.

Remissio fructuum malè perceptorum.

§. 4. Ipsisque Conclavistis, eorumque singulis quoscumque fructus, redditus, & proventus Ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, & quarumcumque pensionum annuarum ipsis, & eorum cuilibet collatorum, & reservatarum, tàm ex antedictis, quàm ex aliis defectibus, & occasionibus etiam ratione omissionis recitationis horarum Canonicarum indebitè perceptos cujuscumque quantitatis fuerint, gratiosè remittimus, & condonamus, ac cum eis super inhabilitate, & irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam, ex eo quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia divina Officia dummodò tamen non in contemptum Clavium celebraverint, aut aliàs in Divinis se immiscuerint; quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, aliàs rite, & dummodò nullum aliud alicui eorum obstet Canonicum impedimentum promoveri, & in illis, & in susceptis per eos aliàs ritè ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare etiam liberè, & licitè valeant, dispensamus.

Legitimatio illegitimorum.

§. 5. Ac eosdem Conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur, ex quocumq; damnato, & illicito coitu etiamsi ex nobilissimis parentibus, & vilibus fœminis forsan procreati sint, etiamsi alias legitimati existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, & cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis Paternis, & Maternis, aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seù aliàs de jure valida dispositione, & præterquam in bonis Ecclesiasticis, & ab Ecclesia provenientibus succedere, & illa donationis, vel alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere eos ad omnia jura, legitimas successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo, realiter, & cum effectu, ac ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia sæcularia publica, vel privata etiam assumi, illaq; gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstan. si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut Clericali charactere, qui illo nondum insigniti sint, insigniri, ac ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum charactere, & ordinibus hujusmodi, illorumque Privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, ac quæcumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura beneficia Ecclesiastica, etiamsi personatus administrationes, & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ; vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, dignitates, non tamen majores post Pontificalem in Cathedralibus, aut principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur; vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in eisdem recipere, & dummodò plura simul non sint, quam quæ à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere liberè, & licitè valeant, similiter dispensamus.

Expeditio literarum Apostolicarū gratis.

§. 6. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, provisiones, & commendæ, & quævis aliæ literæ Apostolicæ provisionum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum hujusmodi, prout nostris Familiaribus continuis Commensalibus, gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac etiam literæ ipsæ in forma Brevis, tàm de capienda possessione nomine dictæ Cameræ Apostolicæ, quàm aliàs uti illis super provisionibus quorumcumq; beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, similitèr gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac dari, concedi, & expediri omninò debeant, etiam præcipimus, & mandamus.

Concessio antianitatis Equitibus Hierosolymitanis, seu alterius militiæ.

§. 7. Ac Conclavistis prædictis, qui S. Joannis Hierosolymitani, seù cujusvis alterius Militiæ regularis etiam expressè professi sunt, ut etiamsi ab eorum Conventu absentes existant, dum tamen quinquennalem, seù aliam debitam residentiam in Conventu fecerint, & consueta servitia præstiterint quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, & quarumvis pensionum, & commendarum eorum Militiæ, seu Religionis capaces existant perindè, ac si in eadem Militia, seu Religione Antianitatem de justitia consequuti fuissent similiter indulgemus, Eisdemque Conclavistis; & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, vel Cathedralium, seu duarum insignium Urbis Collegiatarum Ecclesiarum, aut personæ aliæ quæcumque Ecclesiasticæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum singulos eligen. seu eligendæ quascumque pensiones annuas eis, & eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis quarumcumque mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis etiam ratione servitii, & mercedis Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque aliorum quorumcumq; beneficiorum Ecclesiasticorum etiam per prædictæ S. R. Ecclesiæ Cardinales obtentorum, & in posterum obtinendorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, seù fructus, redditus, & proventus hujusmodi beneficiorum reservatos, seu reservandos, etiamsi semel, vel pluries translatæ, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum auri de Camera similium in toto, vel in parte, ac in una, seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, & postquam cassatæ, & extinctæ fuerint alias similes pensiones annuas, seù fructus, redditus, & proventus hujusmodi usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis Ecclesiasticis, vel etiam clericali charactere tunc temporis nondum insignitis cum clausula tamen ex tunc prout postquam dicto charactere ritè insigniti fuerint per eosdem Conclavistas, & eorum singulos nominan. etiam quæcumque quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus,& expectantibus aliàs tamen pensionum capacibus,similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & forma, quibus eisdem Conclavistis reservatæ, seu reservati erant etiam absq; beneficia ipsa obtinentium consensu integrè persolvendas, ac per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas, aut percipiendos, exigendos, & levandos, reservare, constituere, concedere, & assignare valeant; præfatiq; Translatarii in quasi possessione dictas pensiones exigen. in qua ipsi Conclavistæ tempore translationis per eos præsentium vigore facien. existebant, in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus pariter, & indulgemus. Etiamsi similem gratiam à Prædecessoribus nostris alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tàm vigore aliorum Privilegiorum Conclavistarum, quàm ex quocumque alio indulto, & privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam, & concessionem impedire nolu-

mus,

mus, sed cumulativè concessam, vel concessas esse volumus, itaut quilibet eorum cumulativè, & ampliativè prædictis facultatibus præsentibus, & præteritis privilegiis, hac in re concessis, uti, frui, & Potiri possint.

Ampliatio.

§. 8. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, constitutiones, & assignationes Pensionum, seù fructuum, reddituum, & proventuum, hujusmodi, ut præfertur facien. ex nunc prout postquam factæ fuerint plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia super quorum fructibus, redditibus, proventibus, aliisq; hujumodi reservatæ fuerint obtinentes ad illas persolven. efficaciter obligatos fore: Ac cum eisdem Conclavistis, quod ratione quarumcumque pensionum annuarum eis, & eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis etiam Cathedralibus, & aliis Ecclesiis, seù Monasteriis etiam à prædictis S. R. E. Cardinalibus obtentis, & ut præfertur obtinendis, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducatorum ducentorum parium pro quolibet nunc, & pro tempore reservatarum, & reservandarum habitum, & tonsuram Clericales gestare, & in illis, dummodò alias ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam desuper cogi, seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras, ac etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum, pœnas occasione præmissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad prædictam summam ducentorum ducatorum ascenden. & reservatas, ut præfertur, etiamsi Matrimonium jam contraxerint, vel post hac contrahere voluerint, cum unica tamen, & virgine recipere, & liberè retinere.

Exemptio à spoliis, & facultas testandi.

§. 9. Postremò, quod bona quæcumque ad dictos Conclavistas, & eorum quemlibet spectan. & per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum etiam Canonicatuum, & præbendarum, ac dignitatum quarumcumque alias obtentorum, & obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seù eorum industria legitimè, tamen, ac alias licitè acquisita, & acquiren. etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubique existentia Spoliis minimè subjaceant: sed Conclavistæ prædicti etiamsi Religioni alicujus Militiæ, etiamsi prædicti S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint de illis in favorem quarumcumque personarum de jure tamen capacium etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum, & cujuslibet ipsorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari, & alias disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum hæredes quicumque succedere, liberè, & licitè valeant simili modo concedimus, & indulgemus, præcipientes, mandantes eisdem S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ nostræ prædictæ, & quibusvis aliis Spoliorum hujusmodi Collectoribus, & Subcollectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Prioribus, & quibusvis aliis personis, tàm sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque gradus, status, Ordinis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota digni existant, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum Conclavistarum desuper molestare audeant, seu præsumant. Ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti, & codicillorum per ipsos Conclavistas, de eorum bonis hujusmodi facien. semper, & perpetuò validas, & efficaces fore.

Ab insinuatione in Camera.

§. 10. Nec eosdem Conclavistas, eorumve aliquem ad præsentem motum proprium, seu literas super præsentibus, si videbitur confícien. in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illum, seù illas etiamsi motus proprius, & literæ hujusmodi intra legitimum tempus insinuatus, admissus, & registratus non fuerit, seu ille insinuatæ admissæ, seu registratæ non fuerint propterea minus validum, seu validas censeri, sed suos plenarios, effectus sortiri debere; ac Motum proprium, & literas hujusmodi, & in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, & Constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, seu moderarentur, quæ à Nobis, & dicta Sede, & pro tempore, & de quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum etiam Consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel in posterum emanaverint minimè comprehensum, vel comprehensas esse, sed quoties illæ emanabunt toties eum, & eas in pristinum statum restitutum, repositum, & reintegratum, seu restitutas, repositas, & reintegratas esse censeri.

Comprehensio procuratoris in privilegiis.

§. 11. Et insuper cum dilectus filius Abbas Joannes de Spinosa Vicarius clericus Toletan. seu alterius Civitatis, vel Diœcesis tanquam dictorum Conclavistarum Procurator in præmissis sedulam pro eis operam navavit propterea, & aliorum meritorum suorum, & obsequiorum Nobis, & dictæ Sedi impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi eidem Joanni licet ipse in Conclavi prædicto non intervenit nihilominus omnibus, & singulis supradictis, gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, indultis, exemptionibus, cæterisque præmissis (non tamen quoad participationem decem milium scutorum auri hujusmodi per Nos ut supradictis Conclavistis donatorum, & inter eos, ut præfertur distributorum, seù distribuendorum) tanquam Conclavista, frui, & gaudere, & liberè, & licitè possit, & valeat, perindè, ac si Conclavi hujusmodi verè, & realiter interfuisset Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque supradictis, & aliis contrariis nequaquam obstan. motu, scientia, & auctoritate similibus de speciali gratia indulgemus. Sicque per quoscumque Judices etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet in quavis causa aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere. Irritumque &c. attentari.

Expeditio gratiosa, & per viam secretam.

§. 12. Et insuper Venerab. Fratri nostro Francisco Ostien. & Veliternen. Card. Barberino nuncupato ejusdem S. R. E. Vicecancellario, & Literarum Apostolicarum Summatori, necnon dilectis filiis Secretariis Apostolicis Præsidenti Plumbi aliisque Officialibus, ad quos literarum prædictarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat, & pertinet, sub pœna indignationis nostræ Motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine paribus etiam mandamus, ut prædictas literas super præmissis omnibus, & singulis tam conjunctim, quam separatim pro singulis, quibus concessæ fuerunt, ac seorsim, & separatim cum omnibus, & quibuscumque derogationibus, decretis, & clausulis in eis concessis gratis etiam quoad compositionem in Dataria nostra, & per eamdem viam secretam absque alio mandato expediant, & expediri faciant. Insuper omnia, & singula Privilegia, gratias, & concessiones eisdem Conclavistis, & eorum cuilibet à diversis Summis Pontificibus prædecessoribus nostris huc usque concessa, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus confirmamus, & approbamus, ac de novo liberalissimè concedimus.

Derogatio contrariorũ.

§. 13 Non obstantibus præmissis, ac de certo eorumdem Notariorum numero etiamsi ad illum non sit deventum, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de præstan. consensu in pensionibus, & fel. record. Pii Papæ IV. de similibus, & dissimilibus gratiis in d. Camera infra tres menses

præsen-

præsentandis, & registrandis, ac Pii V. Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum contra illegitimos, nec non Pictaven. Concili, ac nostris, & Cancellariæ prædictæ regulis, etiam in crastinum dictæ Assumptionis Nostræ ad Summi Apostolatus Apicem editis, & in prædicta Cancellaria publicatis, ac etiam in universalibus, & Provincialibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, ac aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum Cameræ prædictæ, & quarumvis Universitatum etiam juramento &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, & decretis, & novis reformationibus etiam legibus, tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, ac Sacris Canonibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis illis eorumque Superioribus, & personis, ac locis quibuscumque in genere, vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusq; & aliis decretis etiam vim contractus, & statuti perpetui continentibus, ac etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & consistorialiter, ac alias in contrarium concessis, confirmatis approbatis, & innovatis juribus omnibus, quibus omnibus &c. etiamsi de illis &c. eorum tenores &c. illis alias &c. permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio E.

ET cum absolutione à censuris ad effectum &c. & quod obstantiæ etiam beneficialibus Conclavistarum, & ab eis subrogati hujusmodi, & dispensationes, ac indulta habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in literis, & in casibus regulæ de insordescen. cum opportuna illius necnon alterius regulæ de non tollen. jure quæsito derogatione, & quarumcumq; aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum etiam generalium, & statutorum, stabilimentorum, usuum, naturarum, Constitutionum Synodalium, Statutorum, ac Privilegiorum Populi Romani, & Clunacien. Cistercien. S. Benedicti, S. Augustini, & aliorum Ordinum, & Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, & Ecclesiis, Monasteriis, Civitatibus, & locis, & personis, & Dominis temporalibus sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, etiam Consistorialibus, etiam contra alienigenas, & alias personas certis modis non qualificatas, aut alias quomodolibet concessis quorum tenores &c. latissimè, ac de verbo ad verbum, prout ipsis Conclavistis magis placuerit exprimi possint, & cum suspensione quarumcumque gratiarum, indultorum quibusvis ordinariis collatoribus conferendi Beneficia Ecclesiastica etiam reservata ad eorum collationem &c. pertinentia, & in omnibus, aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissimè extenden. ita ut omnia tollantur, & quod sola præsentis Motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat, in judicio, & extra, regula contraria non obstan. & quod præmissorum omnium, & singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis si videbitur, in quibus singulorum Conclavistarum nomina, & cognomina, qualitates, ordines, gradus Dioec. Patria, & cætera requisita exprimi, & describi, seu pro expressis, & descriptis haberi possint inter eos Sacrista, & Magistri Cæremoniarum Capellæ Nostræ, necnon Secretarius Collegii eorumdem Cardinalium, & cæteri alii in notula per ipsos Magistros Cæremoniarum facta, & descripta adnotati, & descripti si alias ad pensiones, & beneficia hujusmodi habiles, & capaces fuerint, comprehendantur, & adnotentur simul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis prout videbitur expedien.

§. 14. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum, seu præsentis Motus proprii transumptis impressis, & sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & subscriptis eadem fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus literis, seu præsenti Motui proprio originali adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, aut exhibitus vel ostensus foret. FIAT. E. Transumptorum fides.

Dat. Romæ apud S. Petrum Quinto Kal. Junii Anno primo. Dat. An. 1. die 28. Maii

Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc quæ sequuntur.

REverendiss. D. Franciscus Maria Phœbeus, Urbevetanus, Archiepiscopus Tarsen. Præceptor Archihospitalis S. Spiritus in Saxia, Canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Primus Cæremoniarum Magister.

Reverendiss. D. Fr. Joseph Eusanius Aquisanus Episc. Helenopolitanus, Sacrista noster.

Carolus Vincentius Carcarasius canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe Presbyter Romanus.

Fulvius Servantius presb. de S. Severino canonicus insignis Collegiatæ Eccles. S. Mariæ in Via lata de Urbe.

Petrus Antonius de la Pedacchia presb. Romanus perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apost. de Urbe.

Petrus Paulus Bona presb. Romanus; Magistri Cæremoniarum.

Abb. Franciscus Polinus presbyt. Camerinen. Basilicæ Lateranen. canonicus, Sacri Collegii Secretarius.

Abb. Ascanius Paganellus presb. Camerin.

Nicolaus Gentilis laicus Camerin. nostri dum Cardinalatus honore fungebamur.

Abb. Jo. Baptista de Palagio presb. Romanus Canonicus insignis Colleg. Eccles. S. Laurentii in Damaso de Urbe.

Agabitus Colorsius presb. Prænest.

Philippus Balthassarrus presbyt. Romanus, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apost. de Urbe. Francisci Ostien. Barberini.

Benedictus Caccia presb. Callien. Joannes Antonius Quaglinus clericus Taurinen. Dioec. Andreas Giojettus Romanus laicus. Martii Portuen. Ginetti.

Antonius Simon Abb. Ballebnus, presb. Pisauren. Faustus Tursius clericus Spoletanæ Dioec. Ugo Purrà clericus Lugdunen. Antonii Prænestin. Barberini.

Dominicus Magrus presb. Meliten. canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiæ Viterbien. Dominicus Paglia presb. de Vetralla Tuscanen. Dioec. Franciscus Ciceri clericus Mediolanen. Francisci Mariæ Tusculan. Brancatii.

Federicus Bonaventura Clericus Urbinas, Zenobius Casinus presb. Florent. Jo. Baptista Sardineus presbyt. Ulturarien. Dioec. Vincentius Ghirellus Clericus Eugubinus Ulderici Albanen. Carpinei.

Joseph Lampanus clericus de Monte Falisco. Joannes Sbardella de Monte Roseo null. Dioec. Franciscus Maria Santandrea laicus de Brisighella Faventinæ Dioec. Julii Sabinen. Gabriellii. Venerab. Fratrum nostrorum Episcoporum S. R. E. Cardinalium.

Paulus Nicolaus Venerius clericus Recineten.

Hieronymus Miletus Clericus Civitatis Plebis, Laurentius Copellus laicus Camerinen. Virginii S. Laurentii in Lucina Ursini.

Marchio Carolus Pallavicinus Presb. Parmen. Alexander Mazzinius Clericus Regiensis, Guillelmus Caraneus laicus Mutin. Raynaldi S. Pudentianæ Estensis.

Jo: Andreas Borbonius Presb. Senen. Abb. Octavius Pierizzius cleric. Bonon. Joannes Michelinus Presb. Aretinus. Flaminius Justus Clericus Tiburtinus, Cæsaris Sanctorum quatuor Coronatorum Fachenetti.

Paulus à Lamma Presb. Favent. Dominicus Padoua Cleric. Ferrarien. Caroli S. Silvestri in Capite Rossetti.

Ferrantes Orsellus cleric. Forolivien. Nicolaus Augustinus Forolivien. Joannes de Ognatte laicus Pampilonen. Nicolai S. Mariæ in Transtyberim Ludovisii.

Marchio Claudius Pallavicinus cleric. Parmen. Jacobus Girod à Burgundia Mignovillars clericus Diœcesf. Bisuntinæ. Alderani Sanctæ Praxedis Cybo,

Antonius Simbaldus cleric. Rom. Hiacinthus Fanciullus laicus Viterbien. Franciscus Beltram minus laicus Bononien. Federici S. Petri ad Vincula Sfortiæ.

Franciscus Maria de Alice Presb. Mediolan. Joseph Sanctes Flamma laicus Comen. Benedicti S. Honuphrii Odescalchi.

Michael Imperialis cleric. Januen. Thomas Piscius Presb. de S. Justo Firmanæ Diœc. Horatius Bonellus Presb. Romanus Canonic. Cathed. Eccl. Burgi S. Domnini, Laurentii SS. Quirici, & Julittæ Raggii.

Dominicus de Malclerc à Sommervillers clericus Tullen. Carolus Fromentin. laicus Diœc. Suessionen. Joannes Gobin laicus Nannetten. Joan. Francisci Pauli S. Mariæ super Minervam de Retz.

Abb. Vercellius Bigarolus cleric. Mediolan. Nicolaus Antonius à Frusinone Verul. Diœc. laicus. Aloysii S. Alexii Homodei.

Abb. Vincentius Lucciolus cleric. de Mevania Spoletan. Diœc. Petrus Paulus Pontinus clericus de Setia Terracinen. Diœc. Petri Sancti Marci Otthoboni.

Gregorius Lizzolius Presb. de Carraria Null. Diœc. Jo. Jacobus Lanzettus cleric. à Sancta Barbara Null. Diœc. Laurentii Sancti Chrysogoni Imperialis.

Federicus Calistus Clericus de Monte Georgio Firmanæ Diæc. Angelus Chiavellonus clericus Reatinus, Giberti Sanctorum Joannis, & Pauli Borromei.

Carolus Guallus cleric. Romanus, Augustinus Vulpianus Presbyt. de Aquaviva Ripanæ Diœcesis. Marcelli S. Stephani in Monte Cœlio Sanctacrucii.

Joannes Ricchius Lucanus, Nicolaus Theobaldus Presbyt. Tullen. Carolus de la Porta Militen. Diœc. Laicus, Jo: Baptistæ Sancti Marcelli Spadæ.

Carolus de Marchis Presb. Asculanæ Diœc. Joseph Sfasciamontius laicus Montis alti Diœc. Francisci S. Mariæ in Via, Albitii.

Abb. Honoratus Tondutus cleric. Nicen. Honuphrius Corradinus cleric. de Fabriano Camerin. Diœc. Petrus Pantinus Romanus laicus, Octavii S. Cæciliæ de Aquaviva.

Petrus Carolus Cappellettus Reatinus clericus conjugatus, Salvator Serra Presb. Ferrarien. Caroli S. Priscæ Pii.

Antonius Franciscus Passerinus Presb. Firmanus, Petrus Joannes Bernardus cleric. de Sancto Paulo Vencien. Diœcesis, Caroli Sancti Eusebii Gualterii.

Comes Alexander Marescottus Roman. Abb. Benedictus de Rubeis Presb. Firmanæ Diœc. Dominicus Viva cleric. Urbevetanus, Canonicus Collegiatæ Eccles. S. Mariæ ad Martyres de Urbe, Flavii S. Mariæ de Populo Chysii.

Andreas Mansius Presb. Lucen. Canonicus Cathedr. Eccl. Lucen. Lelius Cerchius cleric. conjugat. Lucen. Hieronymi S. Hieronymi Illyricorum Bonvisii.

Abb. Joseph Paulutius cleric. Pisauren. Octavius Maria Leopardus laicus Camerin. Diœc. Antonii S. Augustini Bichii.

Joseph Palectonius cleric. Spoletanus, Julius Durantus laicus Callien. Petri Sancti Calixti Vidoni,

Gualterus de Leto cleric. Aberdonen. Prior sæcularis Eccl. Beatiss. Virginis de la Motte de Beamont Rupellen. Diœc. Franciscus de Magistris Presb. Camerin. Henricus Gial Rosenhemensis Bavarus Frisingen. Diœc. Gregorii S. Thomæ in Parione Barbarici.

Jo: Vincentius de Cæsaris cleric. Roman. Jo: Claudius laicus Tullen. Hieronymi SS. Petri, & Marcellini Boncompagni.

Abb. Decius Coccus cleric. Mediolan. Paulus Fossatus Presb. Mediolan. Jo: Franciscus Agliaudus laicus Taurin. Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littæ.

Abb. Franciscus Milonus Presb. Vintimillien. Diœc. Michael Turrius cleric. Papien. Nerii SS. Nerei, & Achillei Corsini.

Jo: Baptista Michelius cleric. Sarsinat. Matthæus Fatius Presb. Asten. Diœc. Horatius Fulchignonus clericus Romanus, Caroli Sanctæ Anastasiæ Bonelli.

Augustinus Felix Rugginus clericus Ravennaten. Joannes Maria Marabinus laicus Imolen. Cœlii Sancti Petri in Monte Aureo Cardin Piccolominei.

Abb. Franciscus Antonius Gallus de Austrimont Presb. à Laterria Acheruntinæ Diœc. Stephanus Miliner laicus Viennen. Caroli S. Susannæ Carafæ.

Abb. Ludovicus Pissinus cleric. Aesinus Horatius Fortunatus Presb. de S. Archangelo Anglonen. Diœc. Palutii SS. XII. Apostolorum Palutii Albertonii, nunc Alterii.

Carolus Rasponus Eques S. Stephani Ravennas, Carolus Antonius Corradus cleric. Gallien. Antonius Porta cleric. Bonon. Cæsaris S. Jo. ante Portam Latinam Rasponi.

Joseph de Anibaldensibus à Molaria clericus Roman. Julius Cæsar de Cæsaris cleric. à Barbara null. Diœc. Nicolai Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Comitibus.

Abb. Alexander Sozzinus cleric. Senen. Paulus Cyprianus laicus de Tolentino, Franciscus Cæsarinus cleric. conjugat. Theatin. Jacobi S. Mariæ de Pace Ninii.

Joseph Zafonti Presb. Senen. Michael Brachler Brizellen. laicus Diœc. Malines. Julii S. Martini in Montibus Spinulæ.

Comes Philippus de Marsciano Urbevet, Dominicus Antonachius laicus de Scarpa Tiburtinæ Diœc. Caroli S. Mariæ in Ara Cœli Roberti Victorii.

Josephus de Crappellis à Frusinone cleric. Verulanæ Diœc. Vincentius Placentinus Laicus Papien. Vitaliani S. Agathæ extra mœnia Vicecomitis.

Joseph Crispinus Presb. de Rocca Guglielma, Aquinaten. Diœc. Silvius Vincentius cleric. Senen. Innici S. Clementis Carraccioli.

Paulus Maronus Canonic. Metropolit. Ecclesiæ Aquileien. de Portu Naonis Concordien. Diœcesf. Carolus Bertoncinus laicus de Vangelitia Null. Diœcesf. Joannis Sancti Salvatoris in Lauro Delphini.

Octavius Riarius cleric. Savonen. Jo. Theodo-

rus Jacquet Presb. Rupeforten. Leodien. Diœcef. Canonic. Metropolitanæ Ecclefiæ Cameracen. Amadeus Capitanei Laicus Vercellen. Diœc. Jacobi S. Sixti Rofpigliofi.

Valentinus Bigorre cleric. Diœcef. Tolofanæ Prior S. Mariæ de Gondrecuria Tullen. Diœcef. Decanus Nannetten. & Abb. SS. Trinitatis Lucernæ Abricen. Diœc. Abb. Attus Melanus cleric. Piftor. Francifcus Herbet cleric. Sueffonen. Theodofii Emanuelis Buglioni.

Hieronymus Martiney de Alarion cleric. Matritenfis Toletan. Diœc. Joannes Roman à Fonte Presbyt. Ofcanus Toletanæ Diœc. Chryftophorus Martinez laicus Cæfarauguftanus. Ludovici de Porto Carrero.

Vincentius Piotus Presbyter Typhernat. Philippus Baronius laicus Roman. Carolus Francifcus Gandulphus Laicus Mediolanen. Francifci Nerlii.

Jo: Dominicus Corradus clericus Firmanus, Marcus Antonius Perfectus laicus Sarzan. Diœc. Caroli Cerri.

Abb. Carolus Tinellus Presb. Arimin. Joannes Aloyfius laicus de Monte Caufario Firman. Diœc. Francifcus Abbundantius laicus Fanenfis, Lazari Pallavicini.

Jo: Baptifta Carpanus Presbyter Vercell. Diœc. Nicolaus Salleveranus cleric. Taurinen. Diœcef. Joannis Bonæ, Presbyterorum S. R. E. Cardinalium.

Ugo Maffeus clericus conjugat. Volaterranus, Sanctinus Fanciolus Presb. Roman. perpetuus Beneficiat. Bafilicæ S. Mariæ Majoris de Vrbe, Aegidius Brunacchius laicus de Caprarola Civitatis Caftellanæ Diœc. Francifci S. Mariæ in Via lata Maidalchini.

Jo: Moffovius Outrelouxhe clericus Leodien. Ferdinandus Fridericus Baro de Hogenech laicus Munguntinus. Francifcus Haim laicus Auguftanus, Jo: Fridericus Ganfer laicus Conftantien. Diœc. Friderici Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Haffia.

Carolus Albanus laicus Urbinas, Jo: Cecius clericus Abb. Sublacen. null. Diœc. Caroli S. Cæfarei Barberini.

Canonicus Stephanus Ricciardus Presb. Firmanus, Matthæus Paffanus laicus Tiburtinus, Decii S. Euftachii Azzolini.

Jo: Vincentius Condivius Presb. Ripanus, Philippus Capriolus laicus Roman. Jacobi S. Mariæ in Cofmedin Franfoni.

Abb. Hilarius Mazzocchius Presb. Romanus, Simon de Amicis laicus de Camerino, Francifci Mariæ SS. Viti, & Modefti Mancini.

Paulus Francifcus Scottus cleric. Narnien. Hieronymus Benvignatus clericus de Rocca Contrada Senogallien. Diœc. S. Angeli in Foro Pifcium Celfi.

Cicccolinus de Ciccolinis Eques S. Jacobi de Spata, Maceraten. Paulus Racchellius cleric. Spoletanus, Pauli Sancti Georgii ad Velum Aureum Sabelli.

Hieronymus Ugurgerius Eques S. Stephani, Senen. Fabritius Cecinus Presb. Florent. Canonicus Collegiatæ Ecclefiæ Sancti Frigdiani ejufdem Civitatis Florentiæ, Paulus Cenninus laicus Florentinus, Leopoldi SS. Cofmæ, & Damiani Medices.

Abb. Guido Paffioneus cleric. Forofemprion. Bernardinus, Guerrinus laicus Perufinus, Sigifmundi S. Mariæ in Dominica Chifii.

Fatinellus de Fatinellis clericus Lucenfis, Jofeph Blafius Laicus Ferrarienfis, Nicolai Acciaioli.

Abb. Anibal Simonettus cleric. Auximan. Bernardinus Felicius cleric. Callienenfis. Bonaccurfii. Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum.

Carolus Vienius Presb. Senen. Sebaftianus Vetonicus Presb. de Corinalto Senogallien. Diœcef. Jofeph Montius cleric. à Balneo S. Sepulchri Diœc. bo. me. Scriptionis tit. S. Sabinæ Card. Ilcii nuncupati defuncti.

Ferdinandus Ximenes è Societate Jefu Florentinus Confeffarius.

Abb. Dominicus Cappellus de Accumulo Presb. Afculanus, Canonicus Collegiatæ Eccl. S. Anaftafiæ de Urbe, cum prædicto Reverendiff. D. D. Phœbeo Archiepifc. Tarfenfi.

Frater Mag. Carolettus Bonettus Ord. S. Augustini cum dicto Reverendiff. D. Sacrifta.

Vincentius Checchius Presb. Ripanus cum dicto Secretario Sac. Collegii.

Joannes Veranus laicus Vintimillien. Cuftos Fontis, & Aquarum Conclavis.

Cæfar Manuccius Perufinus, Cæfar Macchiatus, Firmanus Medici Phifici.

Gabriel à Porta de Villafranca Sarzan. Diœc. Jo: Baptifta Pierius è Scrofiano Pientinæ Diœc. Chirurgi.

Jo: Petrus Paulutius Pifauren. Aromatarius. Blafius Manfuetus Laicus Narnien. Diœc. Jo. Francifcus de Nicolis de Terra S. Jo: Imperficeti Bonon. Diœc. ejus Auxiliatores.

Gafpar Mazzantes Fanen. Jofeph Tiberius de Quadris Romanus, Barbitonfores, Antonius Rofellas Firmanus, Dominicus Altimanus de Vignola Mutinen. Diœc. eorum Auxiliatores.

Francifcus Gualdus Faber Lignarius, Donatus Corfius Faber Cæmentarius.

Laurentius de Laurentiis à Petra Sancta Lucen. Diœc. familiaris Magiftrorum Cæremoniarum.

Antonius Comus, Jofeph Coletta, Pafqualis Honorantes, Jofeph Honorantes, Leonardus Chriftianus, Antonius Cavallonus, Jo: Antonius Brufchettus, Jo. Francifcus Zonus, Jo: Dominicus Zonus, Paulus Antonius Brunus, Jo: Maria Rè, Jo: Lufettus, Antonius Felicettus, Jo: Baptifta Chriftophorus, Gafpard Baldus, Carolus Antonius Gunettus, Antonius Pifcis, Francifcus Catenacius. Jo: Maria Catenacius, Bartholomæus Onginus, Bartholomæus Tognattus Petrus Euftachii, Jo: Brunellus, Paulus Barrocius Scopatores Conclavis.

Confirmatio Privilegiorum & Indulgentiarum pro Fratribus Ordinis Minorum S. Francifci de Obfervantia in Terra Sancta, aliifque qui dictam Terram incolunt, aut eo devotionis caufa peregrinantur. III.

Similem confirmationem habes fupra in Conftitut. 5. Alex. VII. & Clem. IX. Conftit. 10. Piis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Piis Chrifti fidelium votis ex quibus facrorum locorum venerationem, & animarum falutem provenire confpicimus libenter annuimus, & illam quantum nobis ex alto conceditur favoribus Apoftolicis confovemus.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque ficut dilectus filius Jacobus à Jefu Maria Frater exprefsè profeffus Provinciæ Valentin. Ordinis Minorum Sancti Francifci de Obfervantia nuncupatorum, ac Commiffarius, & Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ Nobis nuper exponi fecit ipfe ad ejufdem Terræ Sanctæ fubfidium eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini affiduè excolentium facraque loca venerantium fubventionem, necnon ad fpiritualem Catholicorum in illis partibus degentium eoque devotionis caufa peregrinantium confolationem, & profectum omnia, & fingula gratias, privilegia, Indulgentias huc ufque facræ ejufdem Terræ Sanctæ locis Apofto-

lica

lica auctoritate concessa, & confirmata per Nos eadem auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret.

Confirmat prout in rub.

§. 2. Nos desiderio hujusmodi annuere ipsumque Jacobum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Omnia, & singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, caeterasque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, nenon d. Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, quatenùs sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur Apostolicâ auctoritate tenore praesentium, confirmamus, & approbamus, ac perpetuae, & inviolabilis Apostolicae firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos tam juris quàm facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint supplemus.

Indulg. plen. in mortis artic. conced.

§. 3. Necnon insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè poeniten. & confessi, ac sacrâ Communione refecti, vel quatenùs id facere nequiverint, saltem contriti nomen JESU ore si potuerint, sin minùs corde devotè invocaverint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Contraria removet.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 11. Jun.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Junii 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo.

IV.

Privilegia, Exemptiones, & Indulta, Dapiferis, qui in Conclavi suae Assumptionis S. R. E. Cardinalibus inservierunt, concessa.

Similia Privilegia indulsit supra Clemens IX. Constit. 3. Nos volentes.

Edita An. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Causa Indult.

Motu proprio, &c. Nos volentes dilectos filios nostros, dum Cardinalatûs honore fungebamur, & Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divina favente Clementia ad Summi Apostolatûs apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique ea de causa, labores, vigilias, & incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, & privilegiis, pro cujuscumque meritis exornare, ac eosdem Dapiferos, & eorum singulos.

Dapiferi creantur Commensales, & Notarii Apostol.

§. 1. Motu proprio, non ad ipsorum Dapiferorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine in veros, indubitatos, & non fictos familiares continuos Commensales nostros, & eos qui ex illis Clerici existunt, seù militiae Clericali adscribi desiderant, quousque tres ex praefatis Cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, Nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in Nostros, & Apostolicae Sedis Notarios, sine tamen praejudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, & tàm illos, quàm alios Dapiferos singulos, qui sigillatim ab eisdem Tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerunt, Sacri Palatii, & Aulae Lateranen. Comites, & Milites, ac tàm illos, quàm alios omnes quoscumque Dapiferos indistinctè, qui Nobiles non sunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus, temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediatè, vel immediatè subjectis Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nulla prorsùs differentia inter eos, & singulos alios veros Originarios, & antiquissimos, & nobiles participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis.

Nobiles, & Cives.

Jus Civitatis ad haeredes transfert.

§. 2. Itaut ipsum jus Civitatis ad quoscumque in eorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & insigniis decoramus, aliorumque Familiarium continuorum commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, & in illius Tinello comedentium, & bibentium nostrorum, & Sedis Apostol. Notariorum, Palatiique, & Aulae praefatae Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujusmodi Originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris indubitatis, & non fictis Familiaribus continuis commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibusque, & Militibus, Nobilibusque, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eisque in quibuscumque impetrationibus, ac concessionibus, & litteris, tàm gratiam, quàm justitiam separatim, seù utramque mixtim concernen. se Familiares, continuos commensales nostros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & Originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & litterae ipsae subreptionis vitio subjaceant, sed validae & efficaces existant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuscumque, prorsùs similibus antelationibus antelationum, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, & declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, Indultis, ac juribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictae Assumptionis nostrae ad Summi Apostolatûs apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantes, existentes, etiam si habitum, & Rochettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique & Aulae praedictae Comites, & Milites, ac Nobiles Originarii, & Antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut praefertur, elegerint quicumque ex utroque Parente verè Nobili, ac Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali Privilegio, seù aliàs etiam per quascumque litteras, seù Constitutiones Apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in Judicio, & extrà, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium praejudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus, & per omnia etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint perindè, ac si de vero nobili genere ex utroque Parente originario, & antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, Indulta, & jura, quae pro aliis Nobilibus, & Civibus Originariis emanarunt, & & quae ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & origina-

riæ aliis competunt pro eisdem Dapiferis in specie emanassent, seù emanarent, & eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione vel alias competerent, vigore præsentium indulgemus.

A gabellis liberentur.

§. 3. Ac singulos Dapiferos præfatos à solutione, & exactione Decimarum Ecclesiasticarum, ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentissima, & inexcogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumque aliorum Principum impositarum, & imponendarum pro tempore liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus, necnon ipsis Dapiferis, eorumque singulis quoscumque fructus, & proventus Ecclesiasticos, tàm occasione pensionum annuarum ipsis, vel eorum alicui reservatarum, quàm ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebitè perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint gratiosè remittimus, & condonamus, ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum clavium celebraverint, aut aliàs in Divinis se immiscuerint, ut illa, & eisdem præmissis non obstantibus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines aliàs tamen ritè promoveri, & in illis etiam susceptis aliàs ritè per eos Ordinibus etiam in Altaris Ministerio ministrare etiam liberè, & licitè valeant, dispensamus.

Illegitimos legitimis natalibus restituit.

§. 4. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum Natalium patiuntur ex quocumque damnato, & illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus, ac vilibus fœminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniture hujusmodi maculam; sivè notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis Natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, & maternis, & aliorum Consanguineorum, seù Cognatorum, vel aliorum quorumcumque non tamen feudalibus, & emphiteuticis, aut Ecclesiasticis, vel ab Ecclesia acquisitis, ac sine præjudicio Venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seù aliàs de jure validâ dispositione succedere, & illa donationis, seù alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu.

Ad dignitates admitti jubet.

§. 5. Nec non ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia sæcularia publica, vel privata, etiam assumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ac clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus ordines, si ad illos nondum promoti sunt, promoveri, & postmodum charactere, & Ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, ac quæcumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura beneficia Ecclesiastica, etiamsi personatûs administrationes, & Officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seù si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & præbendæ, non tamen in Cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus post Pontificalem, majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in illis recipere, & dummodò plura simul non sint, quamque à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere liberè, & licitè valeant similiter dispensamus.

Expeditionē literarū gratis fieri mandat.

§. 6. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, provisiones, Commendæ, ac præsentes, & quævis aliæ litteræ Apostolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expediantur, tàm de capienda possessione nomine Cam. Apostolicæ, quàm in favore litterarum Apostolicarum ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris Familiaribus, & continuis Commensalibus etiam gratis dantur, ac conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus, ac Dapiferis præfatis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum, aut personæ quæcumque Ecclesiasticæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seù eligendæ quascumque Pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis certis, & incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatuum, & Præbendarum cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum etiam per S. R. E. Cardinales obtentorum, & imposterum obtinendorum cum cura, & sine cura Sæcularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, seù fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas, seù reservatos, ac reservandas, seù reservandos, etiamsi aliàs semel, vel pluries translatæ, seù translati fuerint usque ad summam centum ducatorum in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquàm cassatæ, & extinctæ fuerint, aliàs similes Pensiones annuas, seù fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam, uni, vel pluribus aliis Personis Ecclesiasticis per eosdem Dapiferos, & eorum singulos nominandis quotcumque, quæcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, aliàs tamen pensionum hujusmodi capacibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & formâ quibus eisdem Dapiferis reservatæ, seù reservati erant etiam absque beneficio hujusmodi Obtinentium consensu integrè persolvendas, seù persolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos, reservare, constituere, & assignare valeant, ipsique Translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ, existebant, in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur etiam concedimus, & indulgemus, etiamsi similem gratiam à Prædecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, illius effectu cumulativè eos gaudere, & potiri volumus.

§. 7. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, constitutiones, & assignationes pensionum, seù fructuum, redditnum, & proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus, & proventibus, reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem Dapiferis, ut ratione quarumcumque pensionum eis, & eorum cuilibet, super quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, nunc, & pro tempore reservatarum, ac reservandarum, habi-

tum,

tum, & tonsuram clericales gestare, & in illis dummodo ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam cogi, seù compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seù cassationis ipsarum Pensionum ad prædictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, & reservatas, ut præfertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unica tantùm, & virgine recipere, & retinere.

Bona ipsorũ à spoliis liberat.

§. 8. Postremò quod bona quæcumque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum etiam Canonicatuum, & præbendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum,& obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seù eorum industria, legitimè tamen, & licitè acquisita, & acquirenda etiam in Urbe, ejusque Districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minimè subjaceant: sed ipsi Dapiferi etiamsi Religioni alicujus Militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum de jure tamen capacium,etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & alias disponere,eisque ab intestato decedentibus eorum hæredes quicumque succedere liberè, & licitè valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

Eximit à mo ...itiis.

§. 9. Præcipientes, & mandantes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ nostræ Apostolicæ, & quibuscumque aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Procuratoribus ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes dictorum Dapiferorum desuper molestare audeant, seù præsumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti, & Codicillorum per ipsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas semper, & perpetuò validas, & efficaces fore, nec eosdem Dapiferos, eorumque aliquem ad literas super præsentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illas etiamsi intra tempus legitimum insinuatæ, admissæ, seù registratæ non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque præsentes, & in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, Constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ à nobis, & dicta Sede pro tempore, & de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in Divini cultus augumentum, etiam consistorialiter, vel aliâ quavis auctoritate hactenùs, vel imposterum emanaverit, minimè comprehendi, sed quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum repositas, & reintegratas esse, & censeri; sicque per quoscumque Judices etiam Commissarios quavis auctoritate fungen. in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & diffiniri debere, irritum quoque, inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter,vel ignoranter contigerit attentari.

Expeditionẽ gratiarum mandat.

§. 10. Et insuper dilectis filiis Rescribendario, & Computatori Collegii, Scriptorum literarum Apostolicarum, & aliis, ad quos earumdem literarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna indignationis nostræ Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem præsentes, & forsan alias literas super præmissis omnibus, tàm conjunctim, & quàm divisim, &c pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis, Gratis de mandato nostro ubique in omnibus Officiis etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum Plumbi, & Registri absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis facien. omni contradictione, & dilatione cessantibus, signent,expediant, & expediri faciant.

Contrariis derogat.

§. 11. Non obstantibus eisdem præmissis, ac de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus aliàs per præsentes non intendimus derogare, ac regula nostra de præstando consensu in Pensionibus, ac fœlicis recordationis Pii Papæ IV. prædecessoris nostri, de similibus, vel dissimilibus gratis in Camera Apostolica infrà tres menses præsentandis, ac registrandis, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ V. etiam prædecessoris nostri contra Illegitimos, ac Pictaven. Concilii, & aliis Apostolicis, ac etiam in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis specialibus vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, & Monasteriorum Ecclesiarum Ordinum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, aut Cameræ prædictæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, stabilimentis, usibus, & naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tàm Pontificiis, quàm Imperialibus, Regiis,& Ducalibus, etiam sacris Canonibus, Privilegiis, quoque Indultis, & literis Apostolicis Superioribus, ac personis, & locis, quibuscumque in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam vim contractus, & Statuti perpetui continentibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis inter alia disponen. quod beneficia Urbis nonnisi personis certis mod., & forma qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militiarum expressè professis, conferri, & commendari soleant, quibus omnibus, etiamsi aliàs pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expressè harum serie Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio E.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, &c. & in Casibus Regulæ de insordescentibus cum opportuna illius, necnon alterius regulæ de non tollendo jure quæsito, aliisque necessariis, & opportunis derogationibus, quatenus opus sit, & quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliarumque præmissorum omnium & singulorum major, & verior specificatio, & expositio fieri possit in literis, in quibus singulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, ordines, qualitates, gradus, Diœceses, Patriæ, & alia requisita exprimi, & describi, seù pro expressis, & descriptis haberi possint juxtà Notulam per ipsos seù eorum Deputatos confectam simul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expedire, & expedien. &c.

Transfumptorum fides.

§. 12. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, & sigillo, & manu alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & subscriptis eadem fides, tàm in judicio, quàm extrà illud adhibeatur, quàm originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Volumus autem, quod sola præsentis Motus proprii Nostri Signatura sufficiat, ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

Fiat E.

Dat. P. An. 1. die 14. Jun.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem decimo octavo Kal. Julii Anno primo.

Nomina Eminentissimorum Dominorum Cardinalium, & Dapiferorum sunt hæc, quæ sequuntur.

AEMILIUS ALTERIUS nunc CLEMENS X. Rom. Joseph Barbius Sacerdos Terræ S. Genesi Camerinen. noster dum Cardinalatus honore fungebamur.

EPISCOPI VI.

Franciscus Episcopus Ostien. S. Collegii Decanus Card. Barberinus S.R.E. Vicecancellarius, & Summista, Florentinus. Abbas Carolus Franconus Neapolit.

Martius Episcopus Portuen. Card. Ginettus S. D. N. Papæ Vicarius, Veliternus. Joseph Crucius Tiburtin.

Antonius Barberinus Episc. Prænestin. Cardin. Antonius nuncupat. Archiep. Rhemensis S. R. E. Camerarius Signat. Brevium Præfectus Roman. Gaspar Marcaccionus Rom.

Franciscus Maria Episc. Tuscul. Card. Brancaccius Episc. Viterbien. Neapolitanus. Archangelus de Paulis Clericus Eugubinus.

Uldericus Episc. Albanen. Card. Carpineus Urbinatensis. Uldericus Nardi de Poppi Aretinæ Diœc.

Julius Episcop. Sabinen. Card. Gabriellus Episc. Reatinus, Romanus. Joseph Liberatorus Clericus Asculanus.

PRESBYTERI XLVIII.

Virginius tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyterorum Card. Ursinus, Rom. Robertus Ursinus Clericus Rom.

Raynaldus tit. S. Pudentianæ Cardin. Estensis Mutinen. Joannes Baptista Mozzarellus Canonicus Mutinen.

Cæsar tit. SS. Quatuor Coronatorum Card. Facchenettus Episc. Spoletanus, Bononien. Nicolaus Sega Clericus Bononien.

Hieronymus tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Card. Grimaldus Archiepisc. Aquensis, Genuen.

Carolus tit. S. Silvestri in Capite Card. Rossettus Episc. Faventinus, Ferrarien. Abbas Benedictus Bartolus Potignani in Terra Bari Nullius Diœc.

Nicolaus tit. S. Mariæ Transtyberim Card. Ludovisius Major Pœnitentiarius, Bononien. Joseph Messina Clericus Conjugatus Vrbevetanus.

Alderanus tit. S. Praxedis Card. Cybo Episcopus Aesinus. Innocentius Serenus Sacerdos Avenionen.

Federicus tit. S. Petri ad Vincula Card. Sfortia, Romanus. Angelus Dominicus Sinibaldus Clericus Rom.

Benedictus tit. S. Honuphrii Card. Odescalchus Comensis. Felix Bonafide Clericus Firman.

Laurentius tit. SS. Quirici, & Julittæ Cardin. Raggius, Genuensis. Cinthius Guarinus Terracinen.

Jo. Franciscus Paulus Gondus tit. S. Mariæ super Minervam Cardin. de Retz nuncup. Gallus. Franciscus Causeus della Chausse Lotaringus Virdunen.

Aloysius tit. Sancti Alexii Cardinalis Homodeus, Mediolanen. Jo. Baptista Coraduccius Clericus Anconitanus.

Petrus tit. Sancti Marci Cardinalis Otthobonus, Venetus. Sertorius Ursinus Rom. Clericus Conjugatus.

Laurentius tit. S. Chrysogoni Card. Imperialis, Genuen. Valerius Zacchæus Spoletinus.

Gibertus tit. SS. Joannis, & Pauli Card. Boromeus, Mediolanen. Alexander Hostilius Layaro J. V. D. de Urbania.

Marcellus tit. Sancti Stephani in Monte Cœlio Card. Sanctacrucius Episc. Tiburtin. Romanus. Thomas Botta Sacerdos Camerinen. Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ Sancti Clementis Terræ Serte Petrone.

Jo. Baptista tit. S. Marcelli Card. Spada, Lucen. Michaël Priolius Clericus de Meldola I. V. D. Ravennaten.

Franciscus tit. S. Mariæ in Via Cardin. Albitius, Cœsenaten. Joseph Herculanus de Sestino Nullius Diœc.

Octavius tit. S. Ceciliæ Card. Aquaviva, Neapolitanus. Jacobus Pegna Rom.

Carolus tit. Sanctæ Priscæ Cardinalis Pius, Ferrarien. Ludovicus Cantarinus Clericus Lucensis.

Carolus tit. S. Eusebii Card. Gualterius, Urbevetanus. Eques Tiberius Simoncellus de Comitibus Baschi Urbevetan.

Flavius tit. S. Mariæ de Populo Cardin. Chisius Archipresb. Basilicæ Lateranen. S. R. E. Bibliothecarius, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, Senensis. Franciscus Baciocchi Presb. Adjacensis S. Theol. ac I. V. D.

Scipio tit. S. Sabinæ Cardin. de Ilcio Archiep. Pisarum, Senen. Fr. Fortunatus de Vecchis Eques Hierosolymit. Senen.

Hieronymus tit. S. Hieronymi Illyricorum Cardinalis Bonvisius Archiepiscopus Lucæ, Lucensis. Julianus Biscottius Civis Lucen. Conjugatus.

Antonius tit. S. Mariæ Angelorum Card. Bichius Episc. Auximanus, Senen. Alexander Bonus Urbinaten.

Petrus tit. S. Calixti Cardin. Vidonus Cremonensis. Paulus Guiglielmus Clericus Patritius Lucen.

Gregorius tit. S. Thomæ in Parione Card. Barbadicus Episc. Patavinus, Venetus. Thomas Raggiolus Cleric. Rom.

Hieronymus tit. SS. Marcellini, & Petri Card. Boncompagnus Archiep. Bononiæ, Bononien. Jo. Thomas Sabatinus Camplen.

Alphonsus tit. S. Crucis in Hierusalem Card. Litta Archiep. Mediolani, Mediolanen. Hieronymus Archangeli Terræ S. Quirici Camerinen.

Nerius tit. SS. Nerei, & Achillei Card. Corsinus Legatus Ferrarien, Florentinus. Franciscus Battistinus Clericus de Regio Lombardiæ.

Carolus tit. S. Anastasiæ Card. Bonellus, Romanus. Jacobus Rinaldus à Pergola Cleric. Eugubinus.

Cœlius tit. S. Petri in Monte Aureo Cardin. Piccolomineus, Senen. Nicolaus Abbas Finettus I. V. D. Patritius Senen.

Carolus tit. S. Susannæ Card. Carafa Legatus Bonon. Neapolit. Petrus Jacobus Tassius Cleric. Sabinen.

Palutius Albertonius tit. Basilicæ SS. XII. Apostolorum Cardin. Alterius Episcopus Montis Falisci, Rom. Antonius Ghislerius Romanus.

Cæsar. titul. S. Joannis ante Portam Latinam

Card.

Card. Rasponus Legatus Urbinatensis, Ravenat. Eleuterius Brescianus Civis Rom.

Jo. Nicolaus tit. S. Mariæ Transpontinæ Card. de Comitibus Episc. Anconitanus, Rom. Abbas Joannes Jordanus Beneventanus.

Jacobus tit. S. Mariæ de Pace Card. Ninus, Senen. Christophorus Boldrinus Fosumbronen. Clericus.

Julius tit. S. Martini in Montibus Card. Spinola, Genuensis, Propertius Aloisius Montis Alti.

Carolus tit. S. Mariæ de Aracœli Card. Robertus Legatus Romandiolæ, Romanus, Dominicus à Lega Sacerdos Faventinus I. V. D.

Vitalianus tit. S. Agnetis Cardin. Vicecomes, Mediolanensis. Philippus de Philippis de Appignano Auximan.

Innicus tit. S. Clementis Cardin. Caracciolus Archiepiscop. Neapol. Angelus Turchius Fulginaten.

Joannes tit. S. Salvatoris in Lauro Card. Delphinus, Patriarcha Aquilegensis, Venetus. Joseph Felicius ab Aposita Clericus Reatinæ Diœc.

Jacobus tit. S. Sixti Card. Rospigliosius Archipresbyter S. Mariæ Majoris, Legatus Avenion. Signaturæ Gratiæ Præfectus, Pistorien. Joannes Franciscus ex Comitibus Gudis à Balneo Mantuanus

Emanuel Theodosius tit. S. Laurentii Panisperna Card. Buglionus Gallus. Renatus le Saunage Presbyter Diœc. Constantien. S. facultatis Parisien. Doctor Theologus, ac Socius Sorbonicus Abbas Commendatarius S. Petri de Bello loco Ordinis S. Benedicti in Diœc. Lemovicen.

Ludovicus tit. S. Sabinæ de Porto Carrero, Hispanus. Desiderius Philippus Oddi Romanus Clericus Conjug.

Franciscus tit. S. Bartolomæi Insulæ Card. Nerlius Archiep. Florentiæ, Florentinus. Julianus Martinus Lucen.

Carolus tit. S. Adriani Card. Certus, Romanus. Carolus de Rubeis Clericus Rom.

Lazzarus tit. S. Mariæ in Aquiro Card. Pallavicinus, Januen. Gaspar Trullius Rom.

Joannes tit. S. Bernardi Card. Bona Congregationis D. Bernardi Ordinis Cistercien. Pedemontanus. Thomas de Julio à Phara S. Martini Nullius Diœc.

DIACONI XII.

Franciscus tit. S. Mariæ in via lata Primus Diaconus Card. Maidalchinus, Viterbien. Prior Stephanus Stephanuccius Urbevetan.

Fridericus S. Agathæ Card. de Hassia, Germanus. Nicolaus Dencovit Talancourtinus Diœc. Treveri.

Carolus Barberinus S. Cæsarei, Card. Carolus nuncup. Archipresbyter Basil. S. Petri. Roman. Fr. Vincentius Rinalduccius Eques Hierosolymitanus Fanen.

Decius S. Eustachii Card. Azzolinus, Firman. Petrus Bellonius Camerinen.

Jacobus tit. S. Pancratii Card Fransonus Episcopus Camerinen. Genuensis. Sigismundus Zanellus Faentin.

Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Cardin. Mancinus, Rom. Franciscus Ant. Vitalis Clericus Romanus.

Angelus S. Angeli in foro Piscium Card. Celsus, Rom. Fabius Celsus Romanus Eminentiss. Frater.

Paulus S. Nicolai in Carcere Cardin. Sabellus Perrettus, Rom. Angelus de Massimis Clericus Conjug. Roman.

Leopoldus S. Mariæ in Cosmedin. Card. Medices, Florentinus. Eques Joannes Giraldus Florentinus.

Sigismundus Chisius S. Mariæ in Dominica Card. Sigismundus, Senensis. Abbas Franciscus Ridolphius Canonicus Floren.

Nicolaus SS. Cosmæ, & Damiani Card. Acciaiolus, Florentinus. Sperandeus Riccionius Clericus Sabinen.

Bonacursius S. Mariæ de Scala Card. Bonacursius, Maceraten. Cæsar Rubertus Clericus Recanaten.

V.

Indultum de Officio S. Francisci Xaverii in Breviario sub Ritu Duplici apponendo, & ab omnibus qui ad horas Canonicas tenentur, de Præcepto recitando.

Ne otiosè repetam pluries dicta, vide quæ sunt notata ad Constit. 3. Ratione Urb. VIII. & augendo devotionem erga eundem ad Const. 47. Aliàs Innoc. X. ubi ad materiam aliqua videre poteris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1670.

Exordium. IN eminenti Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut Sanctorum in cœlis regnantium, illorum præcipuè, quibus annunciantibus, Evangelicæ prædicationis sonus usque ad extremos Orbis terrarum fines penetravit, cultum, & venerationem in terris, quantùm Nobis ex alto conceditur, augere satagamus. Itaque pro peculiari nostra erga S. Franciscum Xaverium Societatis JESU, qui Apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum Gentium Apostolus, unanimi totius Christiani Orbis consensu meruit appellari, devotione, ejus venerationem condignis honorum incrementis, ampliare cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium jubemus, ut ejus Officium de Mandato fel. rec. Alexandri Papæ VII. prædecessoris nostri in Calendario Romano sub ritu Semiduplici appositum, in posterum sub ritu Duplici de præcepto in eodem apponatur, ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, tùm Sæcularibus, tùm Regularibus utriusque sexus ubique de præcepto recitandum.

Contrariis derogat. §. 1. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 2. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 14. Junii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 14. Junii 1670. Pontificatus nostri anno primo.

VI.

Indictio Jubilæi universalis ad implorandum divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.

Hujusmodi Jubilæum indixere plures Summi Pontifices initio Pontificatus inter quos Innocent. X. Const. 1. Immensa & Alexander VII. Const. 1. Unigenitus, & demum Clemens IX. Constit. 1. Placuit.

CLEMENS PAPA X.

Universis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Edita A. D. 167 .

Causæ continetur. CUm inscrutabilis divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei altitudo humilitatem nostram his

calamitosis temporibus ad supremum Apostolicæ dignitatis fastigium vocare, nobisque vicariam sui in terris potestatem committere dignata sit: Nos licet nihil magis desideraremus quàm ut immensam illam curarum Pontificiarum molem, cui ferendæ infirmitatem nostram longè imparem agnoscimus, defugere possemus; nihilominus ne divinæ voluntati nimium obluctari videremur, imposito nobis jugo collum ex charitatis necessitate humiliter supposuimus: omnem spem nostram collocantes in ineffabili bonitate Salvatoris & D. N. Jesu Christi, cujus auxilium pro catholicæ Ecclesiæ regimine quotidiè privatis nostris sacrificiis, & precibus supplices invocamus. Id ipsum ut & vos, quibus Apostolica sollicitudo à nobis impendenda est, conjunctis precibus nobiscum pariter faciatis, ac divinam misericordiam per jejunia, & eleemosynas, aliaque pietatis opera demereri studeatis, paternè requirimus & hortamur: ut Deus patrum nostrorum, & Dominus misericordiæ, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, det Nobis sedium suarum assistricem sapientiam, mittatque illam de cœlis sanctis suis, & à sede magnitudinis suæ, ut nobiscum sit, & nobiscum laboret ad divini nominis gloriam, Ecclesiæque sanctæ utilitatem, & spiritualem omnium fidelium ædificationem; imbecillitatem nostram roboret, omniaque nostra consilia, & actiones dirigat secundùm beneplacitum voluntatis suæ; hæreses extirpet, fidem catholicam protegat, & propaget, Principum Christianorum pacem & concordiam conservet, magisque & magis in dies solidet, & nomen Christianum ab Infidelium incursionibus, & insidiis potentia virtutis suæ tueatur. Hæc autem ut ardentiori spiritu, uberiorique fructu fiant, Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Deus, proferre, & prudenti liberalitate largiter erogare decrevimus.

Indictio de qua in rubr.

§. 1. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui solemni processioni, quàm feria quarta currentis hebdomadæ ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam S. Mariæ Majoris nuncupat. de eadem Urbe una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi alteram spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seù Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, & quarta, & sexta feria ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Concessio plenariæ Indulgentiæ.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tàm laïcis, quàm Ecclesiasticis sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seù alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seù approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quæ ipsi pœniten. efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Libertas eligendi confessarium.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tàm laïcis, quàm Ecclesiasticis sæcularibus & regularibus cujusvis Ordinis, & Congregationis, & Instituti tàm in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tàm sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Eccleclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seù inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quamtumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sivè nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant; & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare injuncta tamen eis & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Jubilæum ubique publicari jubet.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, atque mandamus omnibus & quibuscumque venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existen. eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque seù Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quo-

quomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seù Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù aliàs in sententias & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictatum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis adinstar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sivè Institutorum regularium, etiam jutamento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc sevanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim & expresse ad effectum præmissorum derogamus ceterisque contrariis qnibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§. 6. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ muniris, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ.

D P. A. 1. die 16. Junii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Junii 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1670. Indictione octava, die verò 16. mensis Junii Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ X. Anno ejus primo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Apost. Curs.

Petrus Macheratus Mag. Curs.

VII.

Constitutio in qua Regularium privilegia quoad prædicationem Verbi Dei & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.

Edita A. D. 1670.

De hac materia vide Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. & sess. 24. cap. 4. & Gregorii XV. Constit. Inscrutabili ubi plura ad rem videre poteris.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Superna magni Patrisfamilias præordinatione creditum Nobis universalis Ecclesiæ mysticum agrum circumspecta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes animum in eas curas libenter intendimus; quibus valeant dissidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi; ut quibus una fides; Una Mater Ecclesia, & unus Dominus; qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes; fiat etiam cor unum, atque anima una; sic etenim evulsis opportunè zizaniis, dum plantamus, & rigamus; incrementum dabit Deus; Quo benedicente messis multa fructu centesimo cæleste in horreum congregabitur.

Statutum Conc. Trid. de Regularibus.

§. 1. Sanè cum Sacri Concilii Tridentini decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur; Sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus sæcularis, sivè Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis possit confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur; Et approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionen, examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diæcesibus excitatas fuisse; ex quibus controversiæ, & dissensiones permultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quoad aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; Ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, & in posterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat; pro summo, quo fungimur Apostolatus officio novis Apostolicis litteris muniendas duximus, & roborandas; Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia; hac generali, & perpetuo valitura Constitutione decernimus, & declaramus.

Regulares ab Episcopo benedictionem petare teneantur.

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano bonedictionem petere; Prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; Eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. record. Gregorii XV. prædecessoris nostri, incipientis, Inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere, Et hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere; si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum

Jurisdictioni subjectarum licet clausis januis & nullus Sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint; quoad doctrinam examinare; si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, qui in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

Quid de Cõfessariis ab uno Ordinario approbatis.

§. 4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquàm censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatus pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire. Sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxtà Regularia instituta vivitur, posse tàm Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seù Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos. Quoad ceteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: Sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Constitutioni omnis utriusq; sexus in quantum satisfieri censendum sit, declaratur.

§. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint; Constitutioni, quæ incipit Omnis utriusq; sexus, quoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari; aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi; seù licentias illi concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

Regulares approbati ob scandalũ possunt suspendi.

§. 6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant; vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad Confessionis Ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliavè privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares, à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse; Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere Pœnitentes, à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimmò Censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur; Si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, & ambigua; non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere: dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris nostri felic. rec. Clem. IV. statutum fuit, esse requirendum.

Decretum irritans.

§. 8. Decernentes, sic & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. Romanæ Ecclesiæ Card. etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quosvis alios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque quorumvis Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum etiam Jesu, ac cujusvis alterius Instituti etiam necessario, & in individuo exprimendi, Monasteriorum

Con-

Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tàm Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis etiam in corpore Juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis. Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Constitutionem jubet publicari.

§. 10. Cœterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant mandamus illas ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ affigi, & publicari.

Transumptis fidem adhiberi jubet.

§. 11. Volentes quod earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Decreti, Declarationis, Derogationis, Mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. P. A. 1. die 21. Junii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1670. Undecimo Kalendas Junii Pontificatus Nostri Anno primo.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo. Indictione octava, die verò secunda mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ Decimi, Anno ejus Primo. Præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, locis solitis, & consuetis Urbis, per me Hilarium Centellum Sanctiss. D.N Papæ Curs.

Petrus Marcheratus Mag. Curs.

VIII.

Confirmatio Decretorum S. R. E. Cardinalis Barberini, in favorem Pictorum, & aliorum Academiæ Sancti Lucæ legitimè aggregatorum emanata, pro exactione taxæ, ejusdemque pro annatis decursis, & non solutis reductione.

Edita A. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales Ecclesiæ, & Academiæ Sancti Lucæ Pictorum, Sculptorum, & Architectorum de Urbe, quod Venerabilis frater noster Franciscus Episcopus Ostien. S. R. E. Cardinalis Barberinus nuncupatus, Sacri Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decanus, cui fel. recor. Clemens Papa IX. Prædecessor noster in signatura suæ Gratiæ commiserat, ut super exactione taxæ juxtà ordinationem rec. mem. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri à publicis venditoribus picturarum, & sculpturarum in Urbe prædicta solvendæ arbitrio suo, provideret, nonnulla decreta edidit tenoris, qui sequitur, , videlicet.

Decretum Card.

§. 1. Fidem facio per præsentes ego Notarius publicus infrascriptus qualiter die 7. Octob. 1669. coram Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Francisco Barberino Judice Commissario pro Venerabili Ecclesia, Confraternitate, & Academia S. Lucæ Urbis DD. Pictorum, Sculptorum, & Architectorum principalibus contra infrascriptos exadverso principales videlicet DD. Josephum Constantinum, Joannem Petrum Berrettam, Laurentium Castruccium, Joannem de la Riviera, Aloysium Pileport, Peregrinum Perium, Joannem Andræam Magnesium, Carolùm Pratam, Vincentium Felicium, Georgium Perannum, Paulum Plinecesnem, Andream Scottum, & Franciscum Persichellum, hos duos exadverso principales, ac Procuratores Deputatos Universitatis Regatteriorum Urbis exadverso principalium, Nicolaum Patronum, & D. Nicolaum Gallum Procuratorem prædictorum Josephi Constantini, Joannis Petri Berrettæ, & omnium aliorum litis consortium exadverso principalium Segnius Sanctiss. D.N. Papæ Cursor retulit in scriptis se die 5. hujus personaliter supradictos D. Nicolaum Gallum, Andream Scottum, Franciscum Persichellum, Nicolaum Patronum, Aloysium Pileport, Joannem Petrum Berrettam, Josephum Constantinum, & Laurentium Castruccium, ac domi dimissa copia alios citasse ad comparendum coram Eminentissimo Domino die prima Juridica hora solitæ audientiæ & audiendum ejus voluntatem, & loco voluntatis videndum per eundem Eminentissimum Dominum capi quamcumque provisionem, seù quodcumque decretum necessarium, & opportunum fieri, & interponi ad primam diem instantibus eisdem principalibus sive &c. Relatione facta comparuit D. Franciscus Chiriacus Procurator, & petiit, ut supra omni &c.

Taxæ pro annatis decursis & non solutis reductio.

§. 2. Ex tunc Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus pluries partibus auditis utendo facultatibus sibi à Sanctissimo Domino Nostro in commissione de qua in actis concessis Taxam annuorum scutorum decem in Brevi sa. me. Urbani VIII. contentam quoad Coronarios pro annatis decursis, & non solutis reduxit, & reducit ad annua scuta tria monetæ pro quolibet, qui picturas vendiderit, & pro qualibet apotheca, & in futurum mandavit, & mandat solvi per eosdem Coronarios, qui picturas vendunt collectivè annua scuta viginti quinque monetæ inter eos dividenda, & ratam semestruatim solven. cum hoc tamen quoad teneantur, & obligati sint constituere collectorem, qui onus exigendi prædicta scuta

viginti quinque in se suscipiat, illaque seù ratam scutorum duodecim cum dimidio Ecclesiæ, & Academiæ prædictæ solvendi, & quatenus hujusmodi collectorem constituere, vel creare noluerint, seù neglexerint, vel idem Collector non solverit, tunc & eo casu teneantur, & obligati sint in solidum pro dicta solutione annuorum scutorum viginti quinque, vel teneantur solvere pro dicta taxa scuta tria quolibet anno, & pro qualibet apotheca arbitrio Academiæ prædictæ hac tamen lege, quod dicti Coronarii retineant, & vendant solummodo picturas adaptatas ornamentis per ipsos fieri solitis, & non alterius qualitatis, seù magnitudinis.

Reductio pro Regatteriis, eorumque in casu trāsgressionis pœna.

§. 3. Quo verò ad Propalas, qui picturas, seù sculpturas cujusvis generis retinuerint, & vendiderint, pro annatis decursis, & non solutis, eandem taxam annuorum scutorum decem reduxit, & reducit ad annua scuta tria pro quolibet, & qualibet apotheca, & in futurum pro eadem taxa mandavit solvi per universitatem Regatteriorum, ac respectivè per Camerarium, & Officiales pro tempore annua scuta quinquaginta, & sic scuta viginti quinque pro quolibet semestri inter eos dividen. & exigen. à quolibet Regatterio picturas, seù sculpturas vendente, dummodo tamen dicti Propalæ, seù Regatterii, vel quilibet illorum non retinuerint, nec vendiderint, ac in futurum non retineat, nec vendant picturas, seù sculpturas novas illasque ad effectum vendendi emant, vel fieri curent. Etsi dicti Coronarii, & Regatterii, vel quilibet eorum circa venditionem picturarum, seù sculpturarum non se continuerint, & in futurum non se contineanr modo, & forma præmissis, eo casu voluit, & mandavit, ac vult, & mandat per quemlibet transgressorem (salvis taxis collectìve, ut supra stabilitis) solvi scuta sex quolibet anno, & pro qualibet apotheca.

Reductio pro lapicidis calceariis, stuccatoriis, &c.

§. 4. Quo verò ad alios nempè lapicidas, calcearios, colorum venditores, barbitonsores, sutores, stuccatores onus depingi faciendi in se suscipientes, miniatores, & alios cujuscumque artis, seù professionis, ac alterius cujuscumque conditionis, & qualitatis apothecas picturarum, seù sculpturarum cujusvis generis retinentes, vel illas quovis alio modo venales exponentes, seu etiam privatim vendentes eandem taxam annuorum scutorum decem in prædicto Brevi san. mem. Urdani VIII. contentam, tàm pro annatis decursis, & non solutis, quàm in futurum decurrendis reduxit, & reducit ad annua scuta sex pro qualibet apotheca. Ad quam summam annuorum scutorum sex Monetæ ad formam consensus Congregationis Generalis teneri voluit, & declaravit, ac vult, & declarat etiam ipsos Academicos in nobili Academia prædicta descriptos, ac quoscumque alios ejusdem S. Lucæ Archiconfraternitati quomodolibet aggregatos, qui apothecas picturarum, vel sculpturarum retinuerint, vel dictas picturas, seu sculpturas venales exposuerint, ac in futurum retineant, vel illas quovis modo venales publicè exponant, & ita &c. non solum &c. sed & omni &c. Franciscus Cardinalis Barberinus Protector.

Aliud decretum Card de annatis decursis, & non solutis.

§. 5. Item qualiter die 4. Decembris 1629. coram eodem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Francisco Barberino pro Venerabili Ecclesia, & Academia S. Lucæ DD. Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Urbis principalibus contra infrascriptos ex adverso principales videlicet DD. Laurentium Castruccium, Joannem de la Rivieta, Vincentium Felicium, Georgium Perannum, Joannem Petrum Berrettam, Peregrinum Perium, Joannem Andream Magnesium, Carolum Pratam, Paulum Plincesnem, Aloysium Pileport Nicolaum Patronum, D. Nicolaum Gallum Procuratorem dicti Joannis Petri Berrettæ, & aliorum litis consortium ex adverso principalium Segnius Sanctiss. D. N. Papæ Cursor retulit in Scriptis se die III. hujus do. dim. copia eosdem citasse ad comparen. coram Eminentissimo Domino die Martis loco solitæ Audientiæ, & deducen. quicquid volunt, & possunt, & informan, necnon viden. per Eminentissimum Dominum fieri quodcumque decretum necessarium, & opportunum instan. eisdem principalibus sive &c. Relatione facta comparuit D. Franciscus Chiriacus Procurator supradictarum Ecclesiæ, & Academiæ Sancti Lucæ, & petiit, ut suprà omni, &c. ex tunc Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus taxam annuorum scutorum decem in Brevi san. mem. Urbani VIII. demandatam, & in Decreto per Eminentiam suam facto sub die 7. Octobris proximi præteriti in vim commissionis Sanctissimi ex plena Signatura gratiæ sibi directæ redactam ad annua scuta sex tam pro annatis decursis, quàm in futurum decurren. quoad pictores, seù alios legitimè Academiæ S. Lucæ aggregatos, qui apothecas sculpturarum, seù picturarum retinuerunt, & retinent pro annatis decursis, & non solutis, tantummodo reduxit, & reducit ad julios quatuor cum dimidio pro quolibet, & qualibet Apotheca, & concessit facultatem Congregationi Secretæ ejusdem Academiæ cum aliis omnibus circa annatas decursas, & non solutas concordandi, seù R. P. D. Carpineo, prout ei videbitur, circa dictas annatas decursas, & non solutas providendi, in reliquis, & quoad alios in omnibus, & per omnia confirmavit, & confirmat supradictum decretum, & taxam ut supra moderatam in futurum mandavit solvi de semestri in semestre. Et quoad Regatterios, quatenus eorum Universitas recuset solvere pro dicta taxa annua scuta quinquaginta collectivè mandavit, & mandat per eorum quemlibet, & pro qualibet apotheca solus annua scuta tria de semestri in semestre, quatenus non vendant picturas novas, nec se diversimodè contineant, quàm in prædicto decreto fuit provisum, & ita &c. non solum &c. sed omni &c. & aliàs prout latiùs in supradicto decreto per dictum Eminentiss. D. Cardinalem subscripto in folio, quod mihi Notario consignavit tenoris &c. & aliàs prout latiùs in actis meis &c. ad quæ &c. In quorum fidem &c. Datum hac die 19. Dec. 1669. Ita est Joseph Morus Curiæ Capitolii Not.

Eorum reductio.

Pontifex supradicta Decreta approbat & confirmat.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes decreta hujusmodi, quo firmiùs subsistant, & serventur exactiùs Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta à memorato Francisco Cardinale facta, ut præfertur Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes literas, ac decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à

quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenoribus, pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

D. P. A. 1 die 3. Julii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Julii 1670. Pontificatus Nostri Anno tertio.

IX.

Extensio Concessionis Officii, & Missæ B. Rosæ de Sancta Maria tertii Ordinis Sancti Dominici pro universo Clero Regnorum Poloniæ, Ducatu Lituaniæ &c.

Beatarum Albo adscripsit Rosam eique Officium, & Missam decrevit Clemens IX. Const. 18.

Indultum Clem. IX. §. 1. ALiàs fel. record. Clemens Papa IX. sub data 14. Septembris 1668. concessit Universo Americæ, & Indiarum Clero tùm Sæculari, tùm Regulari utriusque sexus cujuscumque Provinciæ, seù districtus, quod perpetuis futuris temporibus, die 26. Augusti, quotannis sub Ritu duplici recitetur Officium, & Missa celebretur de Beata Rosa à S. Maria Limensi Virgine Tertiæ Regulæ S. Dominici juxta rubricas Breviarii, & respectivè Missalis Romani.

Illius ampliatio. §. 2. Anno deinde sequenti 1669. die 10. Octobris idem Pontifex hoc suum Indultum benignè extendit in perpetuum ad universum Sæcularem pariter, ac Regularem Clerum Hispaniarum. Denique post acceptam notitiam, quod præmemorata Virgo Rosa jam omnium ubique populorum solemni plausu devotissimè honorata utrumque tàm veterem, quàm novum Orbem in dies odoris sui fragrantia magis, magisque implebat, idem Sanctissimus hoc ipsum Indultum clementer ampliando, die 9. Novembris ejusdem Anni 1669. Universo Sæculari, & Regulari Clero utriusque sexus in omnibus Augustissimo Imperatori, Regi Catholico, Domuique Austriacæ subjectis Regionibus, Provinciis, Regnis, atque Dominiis ubivis locorum constituto Paternè concessit ut supra, quod nempè singulis annis die 26. Augusti perpetuis futuris temporibus sub præfato Ritu duplici recitetur officium, & celebretur Missa de eadem Beata Rosa.

Extensio concessionis de qua in rub. §. 3. Porrò Sanctiss. D. N. Clemens Papa X. habita pariter notitia communis illius devotionis, qua totius Regni Poloniæ, magni Ducatus Lithuaniæ, Ditionum Russiæ, atque Borussiæ, aliarumque dictæ Coronæ subditarum Regionum Fideles venerationi ejusdem B. Rosæ afficiuntur, instantiis Eminentiss. D. Card. Ursini exoratus illud ipsum Prædecessoris sui Indultum benignissimè extendit ad universum pariter utriusque sexus, tàm Sæcularem, quàm Regularem Clerum Poloniæ, Lithuaniæ, Russiæ, Borussiæ, cæterorumque Dominiorum ad Poloniæ Coronam pertinentium, concedens eidem universaliter, & in perpetuum, quod quotannis die 26. Augusti sub ritu duplici peragat Officium, & Missam de B. Rosa à S. Maria juxta rubricas Missalis, & Breviarii Romani. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hac die 26. Julii 1670.

Contrariis derogat.

M. Episc. Portuensis Card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius S. Rit. Congr. Secr.

Edita An. D. 1670.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Alia extensio ejusdem Officii &c. pro Regnis, & Dominiis Serenissimo Regi Catholico subjectis, necnon Aug. Imper. & Domui Austriacæ.

Exordium. QUæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad augendam in terris venerationem Sacrarum Virginum, quas cœlestis sponsus virtutum omnium splendore fulgentes ad æternæ beatitudinis nuptias evexit, rectè atque ordine facta esse noscuntur, ea nos Pastoralis charitatis studio libenter ampliamus, sicut pia orthodoxorum Regum vota flagitant, & nos re maturè perpensa Dei gloriæ, ipsarumque Sacrarum Virginum honori, & spirituali fidelium ædificationi conducibile fore in Domino arbitramur. Aliàs siquidem emanarunt à felici rec. Clemente Papa IX. Prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis tenoris qui sequitur, videlicet.

Tenor Brevis Clem. IX. §. 1. Clemens Papa IX. Ad perpetuam rei memoriam Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui sacras Virgines, Sponsas suas, floribus, multipliciter virtutum decoratas, immarcessibilis Gloriæ præmiis donat in Cœlis, vices (licet immeriti) gerentes in terris, pia, fidelium, præsertim Catholicorum Regum vota, ad augendam illarum venerationem, laudabili studio tendentia, libenter exaudimus, ac favoribus, & gratiis prosequimur opportunis. Aliàs siquidem diligentissimè discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum processibus de Sedis Apostolicæ licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus in gradu heroi co quibus Serva Dei Rosa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter c aruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem à Deo patrata fuisse asserebantur, cum Congregatio prædicta coram nobis constituta unanimiter censuisset quandocumque nobis videretur ad solemnem ejusdem Servæ Dei Rosæ Canonizationem, juxta Ritum ejusdem S. R. E. tuto posse deveniri, interim verò indulgeri, ut in toto orbe terrarum Beata nuncuparetur, non piis, atque enixis charissimi in Christo filii Nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, ac charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ Reginæ Viduæ ejusdem Genitricis, & totius Ordinis S. Dominici supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de prædictorum Card. consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica indulsimus, ut memorata Dei Serva Rosa de S. Maria in posterum Beatæ nomine nuncupetur, ejusque corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponerentur; Imagines quoque radiis, seù splendoribus exornarentur; atque de ea sub ritu duplici recitaretur Officium, & Missa celebraretur de Virgine non Martyre singulis annis juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani die 26. Augusti, quæ prima est non impedita post diem 24. ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit: hæc verò in locis dumtaxat infrascriptis, nempè in Civitate, & Diœcesi Limana, ac in universo Ordine S. Dominici tàm Fratrum, quàm Monialium, & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus confluentibus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis, die 12. Februarii proximè præteriti expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem sicut prædictorum Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ nomine per dilectum filium nobilem virum Modernum Marchionem de Astorga ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem nobis nuper expositum fuit, ipsi Carolus Rex, & Marianna Regina pro peculiari

eorum erga B. Rosam prædictam devotionis affectu ac ut spirituali Populorum Americæ, unde novus ille Flos Ecclesiam universam suavi Christi odore, recreans prodiit, consolationi, atque ædificationi per amplius consulatur indultum prædictum opportunè à nobis extendi, & ampliari plurimum desiderent: Nos laudabilia eorumdem Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ erga res sacras studia plurimum in Domino commendantes, piisque eorum precibus favorabiliter annuere Paterna benignitate cupientes, ut de cætero perpetuis futuris temporibus ab universo Clero tàm Sæculari, quàm Regulari, quarumcumque Provinciarum, & Regionum Americæ, & Indiarum d. Carolo Regi subjectarum, Officium, & Missa de eadem B. Rosa, servata tamen in omnibus, & per omnia prædictarum litterarum nostrarum forma, & dispositione recitari, & celebrari respectivè liberè, & licitè possit & valeat dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut ipsis præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Septemb. 1668. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Extensio de qua in Rubr. §. 3. Cum autem sicut prædictus Marchio de Astorga d. Caroli Regis pariter apud nos, & Sedem Apostolicam Orator, memoratorum Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ viduæ nomine nobis nuper exponi fecit prædicta Rosa de S. Maria jam omnium ubique populorum solemni plausu devotissimè honorata, utrumque tàm veterem, quàm novum Orbem sui odoris fragrantia in dies magis, magisque impleat, cupiantque propterea d. Carolus Rex, & Marianna Regina pro singulari eorum erga eandem B. Rosam devotione, indultum à prædicto Prædecessore per literas præinsertas concessum ad confovendam, promovendamque fidelium pietatem opportunè à Nobis extendi, & ampliari. Nos enixis, devotisque eorumdem Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ precibus nobis super hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, ac memorati Clementis prædecessoris vestigiis inhærentes, ut de cætero perpetuis futuris temporibus ab universo Clero tàm Sæculari, quàm Regulari utriusque sexus per omnes Provincias, Regna, Status, Regiones, & Dominia ubivis locorum dictis Carolo Regi, & charissimo in Christo filio nostro Leopoldo Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo Domuique Austriacæ subjecta, Officium, & Missa de memorata, B. Rosa Virgine Limana Ord. S. Dominici quotannis die 26. Augusti sub ritu duplici, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani, recitari, & celebrari respectivè liberè pariter, & licitè valeat, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, similiter, & indulgemus.

Derogatio contrariorū. §. 4. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ dictus Clemens prædecessor in suis literis prædictis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Augusti 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo. Dat. P. An. 1, die 11. Aug.

Concessio, ut in toto Orbe Terrarum celebrari possit Missa Beatæ Rosæ ex voto, vel devotione.

CRescente in dies mirabili Populorum devotione erga Beatam Rosam de S. Maria Virginem Limensem ex Tertio Ordine S. Dominici, ac virtutum illius fragrantia sese latiùs quaquaversus diffundente, Sanctissimus D. N. Clemens Papa Decimus admissis Excellentissimi D. Oratoris Marchionis de Astorga instantiis ex nomine Catholicæ Majestatis sibi porrectis, Universo tàm sæculari, quàm regulari Clero per totum Terrarum Orbem benignè indulsit pro futuris perpetuis temporibus, quod de prædicta B. Rosa possit ubique in Ecclesiis quorumcumque tùm Regularium, tùm sæcularium celebrare Missam per anni circulum, sive ex voto, sive ex libera devotione juxta Rubricas, ac dispositionem Missalis Romani, tametsi nondùm prædicta B. Rosa solemni Canonizationis ritu fuerit ab universali Ecclesia inter Sanctas relata. Et ad hunc effectum specialiter dispensavit in Decretis tùm fæl. rec. Urbani Octavi, tùm Sac. Congregationis Rituum, & quibuscumque aliis huic Indulto quomodocumque obstantibus. Hac die 27. Augusti 1670.

M. Episc. Portuensis Cardinalis Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius S. Rit. Cong. Sec.

Confirmat Decretum electionis B. Rosæ in Regni Peruani Patronam à Clemente IX. emanatum, quod ad singulas Provincias, Regna, & Regiones Terræ firmæ totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum extendit. X.

Rosam Beatæ titulo insignivit, eique Officium, & Missam decrevit Clemens IX. Const. 18.

CLEMENS PAPA X, Edi.a An. D. 1670.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus cura, quam inscrutabilis divinæ sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ meritis licet & viribus longè impari, imponere dignata est, Nos urget ut piis orthodoxorum Regum votis ad augendam in terris Sacrarum Virginum cum cælesti Sponso in beata æternitate regnantium venerationem tendentibus favorabilem assensum paterno affectu præbeamus. Exordium.

§. 1. Aliàs siquidem fæl. rec. Clemens PP. IX. prædecessor noster Beatam Rosam de Sancta Maria Virginem Limanam tertii Ordinis S. Dominici in Patronam principaliorem Civitatis Regum, seù Limanam, totiusque Regni Peruani cum omnibus prærogativis, quæ Patronis Principalioribus debentur, auctoritate Apostolica elegit, & declaravit, & aliàs prout uberius continetur in ipsius Clementis prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet. Indultum Clem. IX.

§. 2. Clemens Papa IX. Ad perpetuam rei memoriam. Orthodoxorum Regum de Ecclesia Dei multis nominibus optimè meritorum studia quibus Christianorum Populorum erga Beatos Regni Cœlestis incolas, devotio, atque pietas fovetur, Apostolico favore libenter prosequimur, sicut spirituali eorumdem populorum consolationi, atque præsidio conducibile in Domino arbitramur. Cum itaque Nos per nostras in simili forma Brevis die 12. Februarii proximi præteriti emanatas literas Beatam Rosam de Sancta Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici, multiplici virtutum decore florentem, inter Bea- Cujus tenor hic refertur.

tas Apostolica auctoritate juxta hujus Sanctæ Sedis ritum retulerimus, aliaque ad ejusdem Beatæ Rosæ honorem, & venerationem statuerimus, & indulserimus, prout in eisdem litteris continetur; Et sicut pro parte Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ Reginæ Viduæ ejus genitricis per dilectum filium nobilem virum modernum Marchionem de Astorga ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem prædictam Oratorem Nobis nuper expositum fuit, ipsi Carolus Rex, & Marianna Regina, ut eidem Beatæ Rosæ, quam cœlestis Sponsus tot charismatum decoravit monilibus, tot virtutum ornavit floribus, tantaque, & tàm latè sparsa de unguentorum suorum odore imbuit fragrantia, ut ex Dei servis, quos Occidentales Indiæ protulerunt, prima publici cultûs honore per hanc Sanctam Sedem decorari meruerit, venerationis fiat accessio, & ex illius intercessione, tantò potentiùs partium illarum populi patrocinium sperent, quantò populi ipsi illam crebriori, interiorique devotione colere, atque honorare studuerint, ipsam Beatam Rosam in Patronam principaliorem Civitatis Limanæ, seù Regum, totiusque Regni Peruani eligi, & declarari summoperè desiderent: Nos quamvis Constitutiones Apostolicæ, & Decreta Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum vetent Beatorum hujusmodi nondum canonizatorum electiones in Patronos principaliores, ac requisita necessaria pro ejusmodi electione valida desint; nihilominus piis, enixisque eorumdem Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ, magno in Ecclesiam Dei meritorum splendore fulgentium precibus Nobis super hoc humiliter porrectis pro præcipuo paternæ nostræ in eos charitatis affectu duximus annuendum. Itaque memoratam Beatam Rosam de Sancta Maria in Patronam principaliorem Civitatis Regum, seù Limanæ, & totius Regni Peruani prædictorum, cum omnibus prærogativis, quæ Patronis principalioribus debentur, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium eligimus, & declaramus; Ipsiusque Beatæ Rosæ festum in universo Regno hujusmodi de Patrona principaliori ab omnibus utriusque sexûs Christi Fidelibus illic degentibus de præcepto servari, & sicut alia festa de præcepto celebrari, ejusque Officium ab universo Clero tùm sæculari, tùm regulari, de principaliori Patrona juxta rubricas Breviarii Romani inibi recitari auctoritate, & tenore prædictis mandamus. Non obstan. quibusvis Decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Januarii 1669. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

§. 3. Cùm autem sicut prædictus Marchio de Astorga dicti Caroli Regis pariter apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator, eorumdem Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ Viduæ nomine Nobis nuper exponi fecit, ipsi Carolus Rex, & Marianna Regina fovendæ, & propagandæ Fidelium erga eamdem Beatam Rosam devotioni laudabili pietate studentes, præinsertas Clementis prædecessoris litteras ad universa Americæ, & Indiarum, loca à Nobis extendi plurimùm desiderent: Nos gloriosæ Beatæ Rosæ prædictæ, quæ Ecclesiam universam bono Christi odore longè, latèque perfundit merita magno cum spirituali animi nostri gaudio, recolentes, piisque, & devotis dictorum Caroli Regis, & Mariannæ Reginæ supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, ac memorati Clementis prædecessoris vestigiis inhærentes, eamdem Beatam Rosam de Sancta Maria in universam, principaliorem Patronam omnium, & singularum Provinciarum, Regnorum, Insularum, & Regionum Terræ-firmæ totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum, cum eisdem prærogativis dicta auctoritate tenore præsentium eligimus pariter, & declaramus; Ipsiusque Beatæ Rosæ festum ibidem tamquàm de Patrona principaliori ab omnibus utriusque sexûs Christi Fidelibus illic degentibus de præcepto servari, & sicut alia festa de præcepto celebrari, ejusque Officium, & Missam ibidem ab universo Clero, tam sæculari, quàm Regulari, de principaliori Patrona, juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani recitari, & celebrari eadem auctoritate harum serie similiter mandamus; firmis tamen simul remanentibus particularibus Patronatibus, si qui sint pro aliqua, vel aliquibus Civitatibus, aut locis prædictarum Regionum aliàs legitimè constitutis. Non obstan. omnibus, & singulis illis, quæ prædictus Clemens prædecessor in suis litteris præinsertis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. (Et modo hic Pontifex cõ firmat prout in rub.)

§. 4. Cæterum volumus pariter ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. (Transumptorum fides.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Augusti 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo. (D. P. An. 1. die 11. Aug.)

XI.

Confirmat Sententiam Ordinarii Giennen. latam super cultu ab immemorabili tempore exhibito S Petro Paschasio de Valentia Martyri Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, Episcopo Giennen. ac Decretum Sac. Rituum Congregationis illam approbans.

CLEMENS PAPA X.

(Edita An. D. 16,0.)

Ad futuram rei memoriam.

Ecclesiæ Catholicæ regimini meritis licèt imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam præsidentes, illa quæ à Catholicis Antistibus in partem sollicitudinis nostræ vocatis super cultu, & veneratione Beatorum Martyrum, qui bono certamine peracto victores coronam Justitiæ ab Agonotheta Christo JESU Domino nostro in Cœlis acceperunt, rectè atque ordine facta esse noscuntur Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus. (Procemium.)

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod aliàs à Venerabili Fratre Ferdinando de Andrade, & Castro olim Archiepiscopo, tunc Episcopo Giennen. super cultu immemorabili Beato Petro Paschasio de Valentia Martyre ex Ordine prædicto Episcopo Giennen. exhibito, & casu excepto à decretis fel. rec. Urbani Papæ Octavi prædecessoris nostri in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis, adversùs hæreticam pravitatem auctoritate Apostolicâ instituta super non cultu editis, emanavit Sententia definitiva tenoris, qui sequitur, videlicet. (Expositio.)

§. 2. CHRISTI Nomine invocato, pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam Sententiam,

quam

Tenor sententiæ.

quam de Jurisperitorum consilio ferimus in his scriptis in causa, & causis Servi Dei Beati Petri Paschasii de Valentia Martyris ex Ordine Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum Episcopi Giennensis inter admodùm R. P. Magistrum Fratrem Melchiorem de Torres pro Bethica Provincia Electorem, atque Procuratorem in hac causa à Reverendissimo Patre Magistro Fratre Ildefonso de Sotomayor totius Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum Magistro Generali legitimè constitutum, & Petrum Verbel Presbyterum, & Promotorem in hac causa de, & super cultu immemorabili, & extra centum annos ipsi Beato exhibito, ac casu excepto à decretis fel. rec. Urbani Octavi in Sanctissima Inquisitione super non cultu editis. Visis litteris deputationum sub die vigesima mensis Junii anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio à Nobis factis, & relaxatis in personis Doctoris D. Didaci Domedel, & Quesada Magistri Scholarum, & Portionarii Sanctæ Nostræ Cathedralis Giennensis Ecclesiæ Judicis delegati, & D. Ferdinandi de Nava in Sac. Theologia Doctoris, & ejusdem Sanctæ Ecclesiæ Canonici Pœnitentiarii, & Don Nicolai de Adarve in Jure Canonico licentiati, & ejusdem Giennensis Canonici Doctoralis adjunctorum, ac Petri Verbel Promotoris, & aliis nostris, & eorumdem deputatorum decretis visis deputationibus testium coram ipsis delegatis legitimè inductorum, juratorum, & examinatorum, visis scripturis, ac juribus productis, & compulsatis, visâ constitutione Procuratoris: viso toto processu, & visis videndis, atque examinatis examinandis. CHRISTI nomine repetito. Dicimus, decernimus, declaramus, & pronunciamus, & diffinitivè sententiamus, constare Servo Dei Beato Paschasio de Valentia Martyre, ex Ordine Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum Episcopo Giennensi cultum exhibitum esse à centum annis, & supra, & ad præsens exhiberi, & hoc scientibus ac tolerantibus Ordinariis Giennensibus, & Granatensibus, & eamdem causam istam versari in casu excepto à decretis fel. recor. Urbani Octavi super non cultu editis, & propterea in hac causa dictis Decretis nullo modo esse, vel fuisse contraventum, & ita dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, & diffinitivè sententiamus, non solùm præmisso, sed omni meliori modo pronunciavi Ego Ferdinandus Archiepiscopus Episcopus Giennensis. Lata, & lecta fuit præsens sententia per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum D. Ferdinandum de Andrade, & Castro Archiepiscopum, Episcopum Giennensem pro Tribunali sedendo, in suo loco solitæ audientiæ, & per me infrascriptum Notarium causæ promulgatæ, citato, præsente, ac intelligente Petro Verbel Presbytero Fiscali Promotore, die trigesimo primo mensis Martii Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto præsentibus etiam ibidem multis, & nominatim D. Gabriele de Flores, & Antonio de Espinosa Presbytero testibus vocatis, & rogatis. Actum fuit prædicta die trigesima prima mensis Martii hora tertia post meridiem. Et Ego Notarius hujus causæ publicus, & Apostolicus fidem facio. Ludovicus à Delgado Notarius publicus, & Apostolicus.

Confirmat prout in rub.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat prædictus Procurator Generalis sententiam prædictam quo firmius subsistat Apostolicæ approbationis nostræ præsidio communiri, & alias opportunè in præmissis à Nobis provideri plurimùm desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hoc jure quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum, qui proposito dubio; An sententia præinserta esset confirmanda, vel infirmanda in vim processus ab Ordinario Giennen. peracti causam maturè discusserunt, & priùs inscriptis, & in voce dilectum filium Promotorem Fidei audiverunt, ac quasdam anonymas, scripturas contra dictam causam eorum Congregationi porrectas viderunt, & consideraruut consilio præinsertam Ordinarii sententiam auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus. Ideoque constare de cultu immemorabili eidem B. Petro Paschasio Episcopo Giennensi Ord. B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum exhibito, & casu excepto à Decretis dicti Urbani prædecessoris, ac ad ulteriora in causa ad formam Decretorum ejusdem Urbani prædecessoris, & Sanctissimæ Inquisitionis procedi posse, auctoritate, & tenore præsentis declaramus, & decernimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Et secundùm eam judicari mandatur.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorũ.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat P. A. 1. die 14. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Augusti 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo.

XII.

Indultum de Missa, & Officio in Polonia, Lithuania, & alibi à Patribus Societatis JESU, & aliis in honorem Beati Stanislai Kostkæ, die 13. Novemb. recitandis.

Edita An. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Apostolicæ dignitatis fastigio, ad quod ineffabilis Divinæ Clementiæ abundantia humilitatem nostram nullo meritorum nostrorum suffragio evehere dignata est, pastoralem sollicitudinem Ecclesiæ Catholicæ Nobis creditæ omni studio, quantum Nobis ex alto conceditur repræsentare jugiter satagentes, pia fidelium, præsertim sublimium Principum præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, & Religiosorum virorum propriæ alienæque saluti laudabiliter incumbentium vota ad augendam in terris Beatorum in Cœlis regnantium venerationem tendentia, libenter exaudimus, sicut ad omnipotentis Dei, & Patris Domini Nostri JESU Christi, qui electos suos devotione supra ætatem, & virtute supra naturam instruit, gloriam, sanctæque Ecclesiæ de-

cus,

cus, & spiritualem fidelium ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Indulget prout in rub.

§. 1. Itaque gloriosa B. Stanislai Kostkæ Poloni Societatis JESU merita, devota consideratione, magnoque cum spirituali animi nostri gaudio recolentes, ac piis, enixisque Charissimi in Christo filii nostri Michaëlis Poloniæ Regis Illustris, & dilectorum filiorum Præpositi Generalis, & Presbyterorum dictæ Societatis precibus Nobis humiliter porrectis favorabilem assensum præbere cupientes, ipsorumque Præpositi Generalis, & Presbyterorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut de dicto Beato Stanislao Kostka quotannis die 13. Novembris in universo Regno Poloniæ, & magno Ducatu Luthuaniæ, necnon in Ecclesia Sancti Andreæ in Monte Quirinali hujus Almæ Urbis nostræ, ubi ejusdem Beati Stanislai corpus requiescit, ac omnibus, & singulis Ecclesiis dictæ Societatis JESU Missa, etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesias hujusmodi confluentibus, & à Religiosis ejusdem Societatis, ubicumque terrarum existentibus celebrari, & Officium recitari de Communi Confessorum non Pontificum, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Præpositi, aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 1. die 16. Aug.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Aug. 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

XIII.

Feria 5. die 21. Augusti 1670.

Decretum emanatum in Congregatione generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro D. CLEMENTE, Divina Providentia Papa X. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Exordium.

CUM aliàs per Sacram Congregationem S. Officii iteratis Instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658. & 1665. locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut præscriptis Interrogatoriis faciendis Testibus, qui ad probandum statum liberum, contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsùs secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero Conjuge, aut aliàs impediti ad secunda illicita vota transire satagebant: Videns nihilominùs Sanctiss. D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas testium depositiones, necnon Parochos, & Notarios in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earumdem Instructionum tenorem; Et licèt aliquandò plenè observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus.

Decretum Pont. ad ung.

§. 1. Ideò volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re maturè consideratâ cum Eminentissimis, & Reverendiss. Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, præsenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo, iterùm injungit omnibus Vicariis, seù Deputatis pro examinandis Testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium; necnon Parochis, Notariis, & quibuscumque aliis respectivè, sub pœnis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sac. Congreg. Ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Jubet publicari.

§. 2. Ut autem præsens Decretum, & Instructio ad omnium notitiam faciliùs deveniant, decrevit, illa ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio Sancti Officii ejusdem Urbis per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis Suæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes, & singulos, quos concernunt, post duos menses à die publicationis in Urbe faciendæ numerandos, perindè afficere, ac arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificata, & intimata fuissent.

INSTRUCTIO.

Pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tàm in Curia Eminent. & Reverendissimi Domini Cardinales Urbis Vicarii, quàm in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

IN primis Testis moneatur de gravitate juramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, & humana Majestas læditur, ob rei, de qua tractatur importantiam, & gravitatem, & quod imminet pœna Triremium, & fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An sit Civis, vel Exterus, & quatenùs sit exterus, à quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit spontè, vel requisitus: Si dixerit accessisse spontè à nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax. Si verò dixerit accessisse requisitum. Interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore; in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si responderit negativè, Testis dimittatur: si verò affirmativè.

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint Cives, vel exteri: si responderit esse exteros: supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet, usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur Testes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant

sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò responderit contrahere volentes esse Cives.

9. Interrogetur sub qua Parochia hactenùs contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti.

Item an ipse) Testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel Maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata; vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum; vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium.

Si verò Testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra.

10. Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum &c. & quod ipse Testis nesciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur, nisi ex aliis Testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum &c.

Si verò responderit negativè.

11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deindè Judex colligere petatur, an Testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos.

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse Testis sciat fuisse Conjuges, & nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico à Rectore Hospitalis, in quo prædicti prædecesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest, à Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodò sint legitimæ, & sufficientes.

13. Interrogetur, an post mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negative.

14. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse Testis sciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur in licentia donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si verò negativè.

15. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel nè.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. Multi, sess. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, & sigillum, & attentè consideretur quod fides, seù testimonia benè, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quàm extranei; quia præsumuntur melius informati, & Cives magis, quàm Exteri: nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio; Et Notarius exactè describat personam Testis, quem si cognoscit, utatur clausula, mihi benè cognitus: sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe ultrà Notarium, Officialis specialiter deputan. ab Eminentissimo Vicario: & extrà Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputanda: aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicatioaes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum Tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, &c.

Contravenientes autem severè punientur.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo. Indictione octava, die verò 30. mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ Decimi, Anno Primo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, de Urbe, ac Palatii S. Officii ejusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium, ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Curs.

XIV.

Confirmatio nonnullorum Decretorum Capituli Generalis Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, de conditionibus circa electionem, & administrationem officii Procuratoris Generalis observandis.

Ne pluries dicta otiosè repetam te remitto ad ea, quæ notavi ad Const. 233. Nuper Urb. VIII.

CLEMENS PAPA X.

Edita An. D. 1670.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Ex injuncti nobis divinitùs pastoralis officii debito illa, quæ à Congregationibus Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitæ monasticæ Jugo mancipatorum pro fœlici earum regimine, & gubernio providè facta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolabilia persistant libenter cum id à nobis petitur Apostolici muniminis nostri Præsidio roboramus.

Decretum Capituli Generalis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, quod in Capitulo Generali, d. Congregationis mense Maio proximè præterito Mantuæ celebrato, edita, & facta fuerunt nonnulla Decreta, & ordinationes, seù conditiones, tenoris qui sequitur videlicet: Primò. Cum à Patribus Capituli Generalis celebrati in Monasterio S. Benedicti de Mantua unanimi consensu sancitum sit, ut ad evitandas expensas, ac itinerum incommoda, Capitulum Generale, quod à Constitutionibus nostris singulis annis celebrandum mandatur, imposterum altero quoque anno ad mentem fœl. record. Alexandri PP. VII. cogi debeat: Idcircò quo præfato Patrum Decreto majus robur accedat Patri Procuratori Generali injungimus, ut cum primum Romam accesserit à S.D. N. ejusdem Decreti confirmationem

per

per Breve speciale impetrare solerter studeat.

De Procuratore Generali eligendo.

§. 2. Secundò. Et quoniam Eminentissimus Cardinalis Protector prævio Sanctissimi D. N. Beneplacito facultatem Patribus Capituli Generalis concessit, ut pro suo arbitrio idem Capitulum pro hac vice tantùm ad Procuratoris Generalis munus unum ex Abbatibus Regiminis eligere posset: cognoscentes Patres summoperè Congregationi expedire, ut hoc ipsum in perpetuum (sub certis tamen conditionibus, ac limitationibus inferiùs exprimendis) inviolatæ executioni demandetur; Omnes unanimiter decreverunt, quòd in futurum ad prædictum Procuratoris generalis officium nonnisi unus ex Abbatibus Regiminis, (prout ab aliis novem Congregationibus Monasticis servatur) assumi possit. Propterea prædicto Patri Procuratori Generali mandamus, ut hujusce Decreti confirmationem per Breve speciale a Sanctiss. D. N. studeat impetrare.

Conditiones circa electionem, & administrationem officii Proc. Gen.

§. 3. Conditiones servandæ circa electionem, & administrationem officii Procuratoris Generalis, si Sanctissimo D. N. placuerit, quod Procurator Generalis ex Abbatibus de Regimine eligatur: Primò. Procurator Generalis sit alius Abbas ab Abbate S. Pauli de Urbe inter quos servandam mandamus Provinciatum alternativam proindè ac ad prædictum Procuratoris Generalis officium unus ex Prioribus claustralibus promoveretur: Secundò. Idem Procurator in quolibet generali Capitulo Secretis Patrum calculis exponi debeat, ac per secreta Abbatum suffragia confirmari, prout in Constitutionibus: Tertiò. Ad officium Procuratoris Generalis nullus assumatur, qui per integrum biennium Abbas de Regimine non fuerit: Et quousque in officio Procuratoris Generalis permanserit, eligi non possit in Diffinitorem nec in Visitatorem, nec ullo modo ad Dietam celebrandam admitti valeat: Quartò. Eligatur dictus Procurator per secreta omnium Abbatum, qui Generali Capitulo intererunt suffragia, eo prorsus modo, eaque forma, quibus Diffinitores eliguntur; itaut quilibet Abbas prædicti officii capax sigillatim totius Capituli scrutinio subjaceat: Quintò. Procurator in eo Capitulo Generali, in quo Procuratoris officium expleverit, aut ab eo se abdicaverit, vel quoquo modo absolutus fuerit, ad Diffinitoris, atque Visitatoris munus assumi non possit, neque eligi in Abbatem sivè Administratorem Sancti Pauli de Urbe. Quemadmodùm firmiter statuimus, quod Abbas S. Pauli immediatè postquàm prædictæ Abbatiæ Regimen reliquerit nullo pacto in Procuratorem Generalem eligi possit: Sextò. Durante Procuratoris Generalis officio ipse Procurator nullam Abbatiam de Regimine administret, sed Titulari tantùm Abbatia sit insignitus: Septimò. Prædicens Generalis, & Procurator in Curia non possint esse unius, & ejusdem Monasterii professi; Nec duo Abbates ejusdem Monasterii professi, possint immediatè unus post alium ad Procuratoris officium promoveri: Octavò. Quantò tempore, quis Procuratoris officio functus fuerit, tantò etiam ab ipso cessare debeat, ut iterum ad idem munus assumi possit: Nonò. Sivè ob mortem, sivè ob alias causas quis ab officio Generalis Procuratoris vacaverit, aut amotus fuerit, ejus vices exequatur Abbas S. Pauli usque ad proximum Capitulum Generale; Inviolato tamen perseverante statuto, quod Abbas S. Pauli de Urbe ad Procuratoris officium eligi nequeat: Decimò. Procurator Generalis more solito Juramentum in manibus Diffinitorum præstet, quod nullas dispensationes ad gradus, dignitates, officia, aliaque nostris Constitutionibus repugnantia, tàm pro se, quàm pro aliis quibuscumque nostris Religiosis cujuscumque conditionis fuerint, impetrabit, aut impetrare, sivè obtinere tentabit: Quod si contigerit ad prædictum Procuratoris officium eligi Abbatem à Capitulo Generali absentem hoc ipsum Juramentum cum primum Romam pervenerit infra octo dierum terminum in manibus Abbatis Sancti Pauli præstare, & de hujus Decreti executione P. Præsidem certiorem facere teneatur: Undecimò. Bis in anno Procurator Generalis rationem dati, & accepti Abbatibus Sancti Pauli de Urbe, ac S. Mariæ de Farfa, & computa in scriptis reddere, & exhibere teneatur cum assistentia unius Computatoris à Diffinitorio designandi. Quod si hoc exequi neglexerit graviter in ipsum à Capitulo Generali, vel Dieta animadvertendum esse mandamus: Duodecimò. Cum Patres Visitatores Monasterium S. Pauli de Urbe visitabunt, Procurator Generalis annua computa, ac dati, acceptique rationes ad procuratoriam generalem pertinentes ipsis Visitatoribus reddere teneatur; Libros verò, in quibus prædicta computa continentur ad Capitulum Generale deferat quo à Diffinitoribus diligenter examinari valeant: Decimotertio. Capsa Procuratoria penès computatorem minimè sit, sed penes alium à Diffinitoribus designandum: Decimoquartò. Computator Congregationis nullam audeat pecuniæ summam expendere, aut Creditoribus exsolvere sine mandato in scriptis P. Procuratoris Gen. manu signato: Decimoquintò. Quotiescumque contigerit, aliquam reductionem ad minus interusurium, sivè æris alieni extinctionem fieri; Computator Congregationis pro tempore existens, talis reductionis, sivè extinctionis Instrumentum infrà mensem ad Monasterium, ad cujus beneficium fuerit facta reductio, vel extinctio transmittere teneatur pœna depositionis, & inhabilitatis ad omnes gradus, si secus exegerit puniendus: Decimosextò. In computatorem Congregationis nemo inposterum eligatur, qui Decania de Regimine actu non sit insignitus. Horum omnium, & singulorum, ut supra Confirmationem Procurator Generalis per Breve speciale nomine totius Congregationis à Sanctissimo D. N. impetrare curet, in quo Brevi declaretur nulla, & invalida electio Procuratoris Generalis, in qua hæc omnia, & singula servata minimè fuerint. Volumus tandem, quod præsens Procurator Generalis juramentum in manibus Diffinitorum præstet, quod quantum sua interest prædictum Breve à Sanctiss. Domino nostro omni meliori via, & forma obtinere solerter studebit.

Confirmat prout in rub.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Procurator Generalis præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula præinserta decreta, & ordinationes, seù conditiones auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes præinserta Decreta, ac ordinationes, seù conditiones, ac easdem præsentes literas semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum

Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.7. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 1. die 22. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Aug. 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

XV.

Privilegia, Indulta, Gratiæ, & Exemptiones nonnullis Sanctitatis Suæ familiaribus concessæ.

Similia Privilegia concessit Clemens IX. Constit. 21. Venerabilibus.

CLEMENS PAPA X.

Nomina Familiarium.

VEnerabilibus fratribus Stephano Ugolino Constantinopolitan. Federico Borromæo Alexandrin. Secretario Status, Jacobo Altoviro Antiocheno, & Camillo Maximo Hierosolymitan. Patriarchis, cubiculi nostri Præfecto, ac Jacobo de Angelis olim Urbinaten. Francisco Mariæ Phœbæo Tarsen. Bernardino Roccio Damascen. Palatii nostri Apostolici Præfecto, Stephano de Augustinis Heracleæ Eleemosynario secreto, Gaspari Carpineo Nicæno, Datario, & Nestori Ritæ Sebasten. Archiepiscopis, necnon Camillo Piazza Dragonien. Honuphrio de Hippolytis Porphyrien. & Josepho Eusanio Helenopolitan. Episcopis, Sacrarii nostri Præfecto, ac dilectis filiis Magistris Francisco Mariæ Antaldo Urbinaten. Joanni Muto de Papazurris Romano, Bernardino Casalio Romano, Joanni Baptistæ Rubino Veneto, Joanni Gualterio Slusio Leodien. Secretario Brevium nostrorum secretorum, Prospero Bottinio Lucan. Auditori, & Aeneæ Pio Ferrarien. in utraque ignatura nostra Referendariis, Prælatis Domesticis nostris, ac Josepho Vellemanio Pincernæ, Francisco Polino, Nicolao Gentilii Camerinen. Architriclino, Carolo Balduccio Tusculan. Vestiario, Ascanio Paganello, Venantio Benignio, Octaviano Cambio Camerinen. Antonio Simoni Bagliono Pisauren. notarum arcanarum Secretario, Florido Salvatorio Civitatis Castelli, Medico secreto, Alexandro Caracciolo Neapolitan. Dominico Panti Pisauren. Pomponio Cavallio Ravennaten. Joanni Angelo ab Altaemps Romano, Mario Taddæi Ilcien. Mario Spinulæ Januen. literarum nostrarum in formâ Brevis ad Principes Secretario, Nicolao Piccolomineo Senensi, libellorum supplicum Nobis porrectorum Secretario, Octavio Falconerio Florentin. Petro de Joanne Syracusan. Nicolao Antonio Fili de Altamura, Cubiculariis secretis nostris, ac Pompeio Roccio Romano Forerio majori, & Theodoro Cellesio Pistorien. fratri militi magnæ Crucis Hospita is Sancti Joannis Hierosolymitani, itidem Cubiculario secreto, Sancti de Pilastris Cæsenaten. Subdatario, necnon Riccardo Cruciano Camerinen. Caudatario, Antonio Mariæ Martorello Tusculan. Crucifero, Josepho Barbio Camerinen. & Ferdinando Gonsalvio Auximan. Capellanis secretis nostris, Marchioni Octavio Mariæ Lancellotto militum utriusque custodiæ Corporis nostri, & Angelo Maximo Romano Triremium Pontificiarum respectivè Præfectorum Locumtenentibus Generalibus, Marchioni Antonio Sanctacrucio, & Francisco de Cavaleriis Romanis, Equitum levis armaturæ custodiæ Corporis nostri Capitaneis, Francisco Ceriolo Cremonen. Magistro Domûs nostræ, Brunoni Bellozzio Asculan. Petro Baios Tornacen. Evangelistæ Cæsaris Romano, Simoni de Amicis Camerinen. Sebastiano Mirolio Civitatis Castellan. & Bartholomæo de Leone Corduben. respectivè Civitatum, vel Diœces. Clericis, seù Presbyteris, vel Laïcis Cubiculi nostri Auditoribus familiaribus continuis Commensalibus nostris salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Pontifex supranominatis privilegia subsequentia concedit.

§. 2. Hinc est, quòd Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui Commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenus impendistis; & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras, etiam familiari experientia, juvari, percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras, peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vos & quemlibet vestrum respectivè in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios, (sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolica auctoritate tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, necnon auratæ Militiæ, Equites, & Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen. Bononien. Ferrarien. & Beneventan. omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum Cives cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, ac constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus.

§. 3. Vobisque etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferatis,

Ipsorum privilegiis etiamsi habitum non deferant donantur.

aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citra tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceatis Ordinariis, & citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, seù Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætensa; itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum, & inane existat, quicquid secus per vos, aut quemlibet vestrum respectivè attentari contigerit.

Etiam in assecutione Bonorum Ecclesiasticorum.

§. 4. Necnon Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, ac sæcularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assecutione, & exercitio tàm in Urbe, quàm in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficien. vos Notarios, Comites, Equites, & nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Roman. & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives, prout libuerit inscribere, & vos illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque qualecumque id fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeantur, necnon honoris causa insignia Gentis nostræ sivè integrè, sivè cum vestris respectivè composita gestare possitis, prout vobis placuerit concedimus.

Exemptio à Decimis, & aliis impositionibus.

§. 5. Et insuper vos, vestraque beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia, prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac se moventia, necnon actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscumq; qualitatis, & quantitatis,& naturæ,& cujusvis,etiam annui valoris fructus, redditus, & proven. hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis vendenda, ac pro vestris, & familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis, angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tàm urbanis, quàm rusticis ordinariis, & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumq; generis, transitus, seù passus, & vecturæ, etiam in aliud territorium, seù Provinciam, terra, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis, ita quod vos, & quilibet vestrum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seù vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos, aliàs quàm ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiù servitiis nostris institeritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Dispensatio

§. 6. Ad hæc vobiscum, & cum quolibet vestrum respectivè, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum, etiam Collegiatarum. Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas, etiam major, & principalis Canonicatus, & Præben. personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum alias canonicè conferantur, aut quisque vestrum eligatur, præsentetur, aut alias assumatur ad illa, & instituatur in eis, recipere, & dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere.

Necnon à residentia durante servitio pontif.

§. 7. Necnon etiam quandiù Nobis inservieritis tantum in beneficiis Ecclesiasticis, etiam curatis, non tamen Parochialibus, nec curatis cura animarum Parochianorum, per vos pro tempore respectivè obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis majores, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earundem Capitula, seù quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis; omnesque & singulos vestrorum beneficiorum obtentorū fructus,redditus,& proven. durante servitio prædicto cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperitis, si in eisdem Ecclesiis sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere, & levare.

Facultas recipiendi ordines sacros.

§. 8. Ac interim, vel postmodum si volueritis hic in Romana Curia, vel extra eam à quocumque, quem malueritis Catholico Antistite gratiam & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes, etiam sacros, & presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora à jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentia desuper minimè requisita, si alias ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam oneramus, promoveri; & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare.

Indultum docendi leges.

§. 9. Necnon etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, leges, & jura civilia etiam publicè in scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, & si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis civilibus tantum exercere liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus.

Licentia eligendi Confessarium.

§. 10. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrum aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vita cujuslibet vestrum comite vos, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspen.

& interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seù consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicet à contentis in litteris die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis, sine tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apostolica absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem; necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, castitatisque, & religionis, votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Indultum transferendi pensiones.

§. 11. Vobisque ulteriùs, & cuicumque vestrum respectivè, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seù aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in dicta Curia, quàm extra eam ad id per vos respectivè coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seù eligendæ quascumque Pensiones annuas vobis super Mensarum Abbatialium, seù Capitularium, ac Episcopalium, & Archiepiscopalium, ac quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum regularium, etiam Hospitalis S. Jo. Hierosolymitani prædicti, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seù illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera quoad singulos vestrum, quandocumq; alicui vestrum respectivè placuerit, simul, vel successivè in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo, cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, aliàs similes Pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proven. juribus, obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seù illarum loco fructus, redditus, proven. jura obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quæcumque quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus Clericis, seù Clericali charactere insigniri volentibus etiam eis quoad vixerint, seù eorum procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, eisdem modo, & forma, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seù assignata, & concessa fuerint respectivè, etiam absque consensu easdem Pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac Pensiones, & fructus, redditus, proven. jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi etiam pluries cassata, & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, necnon cum surrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integrè persolvendas servata tamen forma Constitut. fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri quoad excessum medietatis fructuum, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratia indulgemus.

Facultas testandi.

§. 12. Necnon etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint altaris, seù altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem Ecclesiarum divino cultui, seu usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad vos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forsan præesse contigerit, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac alias quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redditutum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proven. vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperitis, & percepietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ curiæ officiorum, & alias quomodolibet spectantibus, & pertinen. ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & pensionibus annui, necnon vestra, & cujuslibet vestrum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen, acquisitis, & aquirendis, ac alias etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seù contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta Curia, quam extra eam, ubiq; locorum, etiam penès beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros, etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quæ generali appellatione bonorum, & supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denominarentur pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus & proventibus, & pensionibus debitis, & debendis, (servata tamen forma Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque priorum locorum favorem, & usum, ac alias pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrum absolutis testari, & testamentis, co-

dicillis,

dicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quam causa mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scriptura etiam minus solemni coram duobus, vel tribus Testibus, aut etiam cedula sola manu vestra scripta, vel subscripta, & alias in omnibus, & per omnia, prout, & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsa Curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterum, aut pluries disponere, statuere, & ordinare, itaut quicquid testatum gestum, aut ordinatum, seu alias dispositum à vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluries, ac toties, quoties vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Supplement. defectuum.

§. 13. Et insuper statuimus, & ordinamus, vobisque indulgemus, quod si vos ab intestato, & sine ulla, vel minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, redditUum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, tam continua, quam interpolata inibi cujuslibet vestrum respectivè mansione, ac etiam extra beneficia vestra, vel alia loca debitæ à vobis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedatis, omnia, & singula bona, res & jura etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex prædictis, & alias, undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros arbitrio personæ, seù personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione vestra, scriptura, etiam minus solemni, secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seù Exequutores omninò exequi, & adimplere, illique, sese conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsan à vobis etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & alias quomodolibet facta cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient, ex nunc prout ex tunc, & è contra pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omnesque & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, specifica, & expressa, de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus.

Inhibitio contra molestantes.

§. 14. Districtiùs inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præsidentibus, & Clericis, ac eorum, necnon fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ sanctæ, & aliis Collectoribus, & subcollectoribus, cæterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ne Universitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi Exequutores prædictos directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare audeant, quomodo, vel perturbare.

Clausulæ præservatuiæ.

§. 15. Ac decernentes prædicta omnia, & singula, præsentesque litteras, & testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit, tam vigore præsentis, quam etiam aliarum concessionum vobis factarum, ac deinceps in genere, & in specie faciendarum cum inde sequutis, & sequuturis, etiamsi vos intra Curiam, aut in quacumque alia Mundi parte extrà Ecclesias, & benficia personalem residentiam requirentia qualitercumq; qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro vestra sola voluntate, & nulla subsistente causa non residendi ab humanis decedere contigerit, sub litteris rec. me. Pii PP. IV. prædecessoris nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterosque residentiæ personali prædictæ adstrictos extrà illam quomodocumque decedentes septimo Calend. Decemb. Pontificatus sui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & sub quibuscumque aliis Constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apostolicis, Cancellariæ Apostolicæ regulis ex quibuscumque causis quantumcumque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam à Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in pristinum, & validissimum statum, & etiam sub data posteriori, etiam cum derogationibus, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis per vos eligenda apponendis, & latissimè specificandis reposita, restituta, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa, validaque, & efficacia fore, necnon perpetua firmitate subsistere, suosq; plenarios, & omnes effectus, qui de jure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, & efficacis contractus inter vos ex una, ac Nos, & Cameram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestræ mutationem, nec per similes, vel dissimiles gratias vobis concessas, & concedendas confundi, sed ipsis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & si quid una ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seù quæ bona, jura, & actiones hujusmodi devenerint, vel quibus reliquentur; aut Executores prædictos ad tertiam, seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum; ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam; sive indultum, aut confirmationem præsentium à Nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, seu confirmatione illius vobis quomodocumque concedenda, de præsenti mentionem aliquam faciendum ullatenus teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse.

Clausula sublata.

§. 16. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, necnon pro tempore

existentes

existentes dictæ Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 17. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostien. & Portuen. Cardinalibus Episcopis, & dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seù alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacificè frui, gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem præsentium tenorem, quomodolibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 18. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium ad judicium non trahatur, necnon Lateranensis Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus; & quibusvis aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac rec. mem. Alexandri PP. VI. etiam prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem Bonifacii PP. VIII. per quam concessiones fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii PP. IV. prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ità quod præsentes in eadem Camera nullo unquam tempore registrare teneamini, ac similis rec. Urbani PP. VIII. etiam prædecessoris nostri de pensionibus alias translatis iterum non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tàm Urbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædictorum, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel Procuratores vestros præstiteritis forsan hactenus, vel vos in posterum præstare contigerit juramentum, privilegiis, quoque indultis, & literis Apost. dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis, illorum Communitatibus, & Universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum Exactoribus, & Appaltoribus, & aliorum onerum redemptoribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, & de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seù illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresè, vel tacitè, quod Urbis, nisi Originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expressos qualificatos obtineri non possint, & nulli Cives Urbis, ac Civitatum Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, seù etiam in illis bona, etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitails, tam ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis sæcularibus, & aliis personis etiam Apostolica auctoritate reservandis gravari non possint quodque stabilimentis privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimæ extendendæ, etiam per quascumque litteras Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatoriis, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demum Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi, etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic fient, etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo, quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis, exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere, & in specie ad effectum præsentium sufficienter, & expresè derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 19. Vo-

§. 19. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis ut supra facta perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædicta propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini; Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Augusti 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

Dat. P. An. 1. die 26. Aug.

XVI.

Ampliatio Indultorum Abbreviatoribus literarum Apostolicarum Majoris Præsidentiæ à fa. mem. Urbano VIII. concessorum.

Edita A. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Creditæ Nobis divinitùs dispensationis ratio postulat, ut illos, qui laudabilem in gravibus nostris, & Apostolicæ Sedis ministeriis operam impendunt, peculiari paternæ charitatis affectu prosequentes, gratias, & privilegia eis in præmium laborum suorum à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prudenti liberalitate concessa uberiori benignitate ampliemus, sicut eorum meritis convenire arbitramur.

Indultum Urbani VIII

§. 1. Dudum si quidem felic. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster tunc, & pro tempore existentibus Abbreviatoribus litterarum Apostolicarum majoris præsidentiæ in Cancellaria Apostolica perpetuò concessit, & indulsit, ut si & eorum singuli pensiones annuas Apostolica auctoritate eis super quibusvis fructibus Ecclesiasticis reservatas, & pro tempore reservandas, usque ad summam centum ducatorum auri de Camera ad favorem unius seu plurimum personarum Ecclesiasticarum, seù Clericorum, ac alias pensionum hujusmodi capacium, etiam in mortis articulo coram Notario, & Testibus, ac cum alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ interventu, dummodo tempore eorum obitus officia Abbreviatorum dictarum litterarum adhuc obtinerent, transferre, necnon in Oratoriis, seu Capellis in eorum ædibus benè ac decenter constructis, ac rebus omnibus ad Missæ Sacrificium requisitis instructis, & ab omnibus domesticis usibus liberis, Missam per se ipsos celebrare, seù per alium quemcumque Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis regularem ab Ordinario approbandum, quandiù tamen officia hujusmodi obtinerent, non autem illis dimissis celebrari facere, necnon dimissis officiis hujusmodi habitum prælatorum Romanæ Curiæ coloris violacei perinde ac si sua Abbreviatorum officia adhuc retinerent, quamdiù viverent, dummodo tamen per decennium officia hujusmodi obtinuissent, etiamsi illa elapso decennio dimisissent, & non aliter deferre liberè, & licitè valerent, & aliàs prout in ipsius Urbani prædecessoris litteris sub plumbo desuper Anno Incarnationis Dominicæ 1623. tertio decimo Kal. Aprilis expeditis litteris quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberiùs continetur.

Innovat, & confirmat prout in Rub.

§. 2. Nunc autem Nos ad præclara dilectorum filiorum modernorum Abbreviatorum litterarum Apostolicarum majoris præsidentiæ hujusmodi merita paternæ diligenter considerationis intuitum, ac benignè perpendentes quantum ex eorum Collegio Romanæ Curiæ decoris, quantumve ex sedulo illorum labore Ecclesiæ Catholicæ proveniat utilitatis, eosque proindè, ac illorum successores, ut eo alacrius fidem, operam, industriam, atque sedulitatem in hujus Sanctæ Sedis obsequium adhibere studeant, amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & ipsorum modernorum Abbreviatorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspen. & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & mera liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictis modernis, & pro tempore existentibus litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus majoris præsidentiæ in Cancellaria supradicta, ut ipsi dimissis Abbreviatorum hujusmodi officiis dummodo tamen illa per quinquennium exercuisse, seu obtinuisse reperiantur, facultate transferendi pensiones annuas usque ad summam centum ducatorum auri de Camera, ac licentia celebrandi, seù celebrari faciendi Missas in privatis eorum Oratoriis, seù Cappellis à memorato Urbano prædecessore per suas litteras prædictas, ut præfertur concessis uti, frui, & gaudere, necnon habitum prælatitium violacei coloris hujusmodi deferre, & gestare liberè pariter, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia perindè, ac si eorum officia Abbreviatorum hujusmodi adhuc obtinerent, & usque ad eorum obitum retinerent, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; Neque ipsas præsentes litteras sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus; etiam per Nos, vel Romanos Pontifices successores nostros, & Sedem prædictam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet, & quandocumque faciendis comprehendi, vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit eligenda concessus intelligi, firmasque validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

Clausulæ præservativæ apponit.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosve quolibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquā quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans apponit.

§. 5. Quo circa dilectis filiis nostris ejusdem S.R.E. Vicecancellario, ac Camerario, & Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per

Executorum deputatio.

præsentes

præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædictorum Abbreviatorum, seu alicujus eorum, vel aliorum interesse in præmissis pro tempore habentium desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra ipsas præsentes litteras, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ipsosque modernos, & pro tempore existentes Abbreviatores, & alios quos eædem litteræ concernent in futurum præsentium literarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos, seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri; Contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisq; super his haben. servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariorũ derogatio. §. 6. Non obstan. quoad ea quæ præsentibus adversantur supradictis Urbani prædecessoris litteris, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 30. Aug. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo.

Nomina Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Abbreviatorum sunt quæ sequuntur.

R.P.D. Nicolaus Oregius è S. Sophia Decanus Proregens admissus 3. Decembris 1644.

R.P.D. Joannes Augustinus Vincentinus Reatinus admissus 20. Januarii 1656.

R.P.D. Ludovicus Arbona Mediolanen. admissus 22. Aprilis 1659.

R.P.D. Petrus Alberinus Romanus S. Consultæ Ponens admissus 20. Aprilis 1660.

R.P.D. Joannes Bussius Romanus S. Congregationis Avenionen. votans, & Sac. Congr. Aquarum Secretarius admissus 11. Aprilis 1661.

R.P.D. Franciscus Filicaia Florentinus admissus 30. Maii 1661,

R.P.D. Joannes Dominicus Thomatus Pedemontanus admissus 23. Decembris 1665.

R.P.D. Jacobus Lombardus Ferrarien. admissus 29. Decembris 1665.

R.P.D. Fœlix à S. Petro Romanus Protonotarius Apostolicus de numero Participantium admissus 28. Junii 1668.

R.P.D. Dominicus Parracianus Romanus admissus 17. Maii 1670.

R.P.D. Joannes Franciscus Rota Cremonen. admissus 19. Junii 1670.

R.P.D. Joannes Baptista de Silva Mediolanen. admissus 28. Junii 1670.

XVII.

Confirmatio, & extensio litterarum Gregorii XIII. & Urbani VIII. de Monachis Ordinis S. Benedicti ad favores Principum, & aliorum pro assequendis Prælaturis, Dignitatibus, & aliis officiis recurrentibus.

Consimilem materiam habes supra in Constit. 236. Quoniam Urbani VIII. & Constit. 3. Aliàs Alexand. VII. & Constit. 31. Exponi, & Const. 46. hujus Pont.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edi a An. D. 1670. Exordium. Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præsidentes, illa, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ad recidendam, & excludendam à Religiosis viris, quos in humilitatis spiritu Deo servire decet, ambitiosam honorum, & dignitatum cupiditatem piè prudenterque constituta esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio, libenter constabilimus, novisque præsidiis, ut serventur exactius, corroboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Greg. Papa XIII. Prædecessor noster, per quasdam suas in simili forma Brevis die 17. Aprilis 1574. Expeditas litteras, inter alias omnes, & singulos Monachos Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, cujuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ existentes, & quacumque dignitate præfulgentes, qui ad Prælaturas, & alia Officia dictæ Congregationis assequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum de gremio dictæ Congregationis non existentium, favores recurrerent, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis, directè, vel indirectè, palam, vel occultè, ad Dignitates, seu officia in Congregatione præfata, obtinenda aspiravissent, vel aliis minùs legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quæsivissent, illorumque complices, & fautores ad quascumque Prælaturas, Dignitates, & officia spiritualia, vel temporalia, & præsertim in ipsa Congregatione obtenta, & obtinenda perpetuò inhabiles declaravit, ac obtentis Prælaturis, Dignitatibus, Administrationibus, vel officiis, eo ipso privavit ac privatos voce tùm activa, tùm passiva, carere decrevit, & declaravit.

§. 2. Et in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, omnibus dictæ Congregationis, Monachis, qui pro tempore regimini ejusdem Congregationis deputari essent, præcepit, districtèque mandavit, ne aliquos precibus, literis, vel favoribus Principum, vel Prælatorum, aut aliorum extra dictum gremium existentium adducti, ad cujusvis generis Prælaturas, Dignitates, officia, Administrationes, & gradus promovere præsumerent; Imò promovendorum meritis, & virtutibus tantùm inspectis, quod Dei causam agerent, memores essent, quo magis puro, & sincero corde, nulla privata, aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procederent; Decernens electiones, & promotiones ad Monasteria sic literis, aut aliis favoribus Principum, & Prælatorum, vel aliorum extra gremium, ut præfertur, existentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus injustè, ac indebitè extortas, nullas, invalidasque esse, & adversùs eos, qui his minùs legitimis rationibus ad regenda Monasteria, vel Prioratus, aut alia officia se eligi, aut assumi obtinuissent, per ejusdem Congragationis Superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita, eos condignis pœnis, tamquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores affici posse, & debere.

§. 3. Et subinde rec. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster, per quasdam suas pariter in forma Brevis literas die 11. Maii 1638. emanatas, præfatas Gregorii Prædecessoris literas, toto illarum tenore inserto, cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate confirmavit, & approbavit, ac quatenus opus esset innovavit. Necnon omnibus, & singulis quorumcumque Monasteriorum dictæ Congregationis Abbatibus, & Superioribus, quomodolibet nuncupatis, tunc & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunica-

tionis

tionis latæ sententiæ pœna præcepit, & mandavit, ne ad instantiam, preces, & requisitionem quarumcumque personarum, tàm Laicarum, quàm Ecclesiasticarum extra gremium dictæ Congregationis consistentium, etiam Cardinalatûs honore, & quacumque Sæculari dignitate, & excellentiâ, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, quosvis dictæ Congregationis Monachos, ad cujusvis generis Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & Officia quæcumque, tàm spiritualia, quàm temporalia singulorum Monasteriorum deputare præsumerent, eosdemque dictæ Congregationis Monachos, cujuscumque ætatis, gradûs, conditionis, præeminentiæ, & litteraturæ existerent, & quacumque dignitate præfulgerent, qui tàm ad Prælaturas, dignitates, gradus, & alia Officia à Prælatis pro tempore Regimini dictæ Congregationis deputatis, assequenda, quam etiam ad Rectorias, Vicariatus, Administrationes, & alia Officia quæcumque tàm spiritualia, quàm temporalia, à Prælatis, & Superioribus singulorum Monasteriorum impetranda, ad prædictarum Personarum, Principum, & Prælatorum, de gremio Congregationis præfatæ non existentium, favores, per se, vel interpositam personam, directè, vel indirectè, occultè, vel palàm, aut aliàs quomodolibet occurrerent, vel ad Prælaturas, Dignitates, Administrationes, & alia hujusmodi dictæ Congregationis, & Monasteriorum Officia aspiravissent, vel aliis minùs legitimis, & honestis rationibus ea obtinere conati fuissent, prædictas excommunicationis latæ sententiæ aliasque inhabilitatis, & privationis pœnas, in præfatis Gregorii Prædecessoris litteris contra similia perpetrantes comminatas eo ipso incurrere, & incurrisse decrevit, & declaravit.

Confirmat prout in rub.

§. 4. Voluitque ipse Urbanus Prædecessor, easdem litteras suas in generali dictæ Congregationis Capitulo singulis annis publicè legi, illasque in dicto Capitulo lectas, sic arctare, ac si legitimè unicuique personaliter intimatæ fuissent, & aliàs prout in præfatis Gregorii, & Urbani Prædecessorum litteris, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 5. Cùm autem sicut pro parte Dilectorum filiorum Monachorum præfatæ Congregationis Cassinen. Nobis nuper expositum fuit, licèt præmissa à memoratis Gregorio, & Urbano Prædecessoribus, saluberrimo fuerint constituta, & ordinata consilio. Illa nihilominus quorumdam ambitione cæcaque bonorum cupiditate non ita exactè & accuratè, ut par est in eadem Congregatione serventur. Hinc est quod Nos considerantes, quod nemo debet sibi assumere honorem nisi vocatus à Deo tamquàm Aaron, & proinde pravum hoc ambitionis malum omninò tollere, & à dicta Congregatione penitus excludere cupientes, ut Congregatio ipsa præclara semper humilitatis religiosæ laude floreat, illiusque munera, non mendicatis studiis procurentur, sed à viris, vitæ sanctitate, & virtutibus conspicuis obedienter suscipiantur, & humiliter administrentur, ac dd. Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Omnia, & singula præmissa à præfatis Gregorio, & Urbano Prædecessoribus constituta, ordinata, decreta, & declarata, ut præfertur, & quatenus illa concernunt prædictas eorumdem Prædecessorum litteras, auctoritate prædicta, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus sit innovamus, & de novo constituimus, ordinamus, decernimus, & declaramus. Illaque omnia & singula inviolabiliter, & inconcussè in præfata Congregatione perpetuò servari mandamus, & præcipimus.

Bis in anno legi publicè præsentes jubet.

§. 6. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, easdem præsentes litteras perpetuis futuris temporibus, bis quolibet anno in Refectorio unius cujusque Monasterii dictæ Congregationis nempè proxima post Festum S. Benedicti, & Dominica itidem proximè subsequenti post Festum S. Placidi, Ordinis ejusdem S. Benedicti publicè legi, illasque semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ præfati Gregorius, & Urbanus Prædecessores in litteris supradictis respectivè voluerunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§. 8. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis manu Scribæ Capituli Generalis dictæ Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo Præsidentis ejusdem Congregationis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P An. 1. die 9. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Septembris 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo.

XVIII.

Statutum in quo declaratur omnes generaliter Montis debitores in forma Cameræ esse obligatos, & tamquàm tales ad eidem Monti satisfaciendum teneri.

CLEMENS PAPA X.

Edita A. D. 1670.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

ÆQuitatis, & Justitiæ ratio exigit, & plurima quæ ex Monte Pietatis de Urbe in publicum assiduè proveniunt, utilitates suadent, ut illius indemnitati quantum cum Domino possumus consulere studeamus.

Causa hujus Const.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Provisores, & Deputati dicti Montis, quod ex dispositione quarumdam fel. rec. Gregorii Papæ XIII. Prædecessoris nostri bona d. Montis ad favorem illorum, qui pecunias in Bancho ipsius Montis deponunt pro restitutione depositorum efficaciter obligata sunt, perinde ac si cum unoquoque Cameralis obligatio intercessisset. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, interdum eveniat ut Montis prædicti debitores remaneant aliqui privati, ac etiam nonnulla loca pia, æquum verò videatur illos, & illa ad satisfaciendum eidem Monti pari Cameralis obligationis vinculo adstringi: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut ipsi Monti in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Decreta ut in rubr.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis, prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si

quibus

quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulos memorati Montis ex quacumque causa debitores præsentes, & futuros cujuscumque status, gradûs, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, ac etiamsi Ecclesiæ, Monasteria, Conventus, Collegia, Hospitalia, Archihospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, & alia loca pia quæcumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna existant, ad satisfaciendum eidem Monti de eorum debitis respectivè efficaciter obligari, ac obligatos, & obligata existere, & fore in omnibus, & per omnia perinde, ac si ab eorum singulis Cameralis obligatio ad favorem ipsius Montis facta fuisset, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus & ordinamus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Monti, illiusque Provisoribus, & Deputatis, aliisque Officialibus, & Ministris in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata. §. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, ac Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem, necnon Vicarium, Gubernatorem, & Senatorem dictæ Urbis, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ Præsidentes, Clericos, Thesaurarium Generalem, & alios Officiales, & Ministros, nunc & pro tempore quandocumque existentes sublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §. 5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Urbis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, cõfirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 3. Oct. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Octobris 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo.

XIX.

Declaratur Statutum Alexandri VII. & Clementis IX. circa Reformationem Ordinis Cisterciensis, non afficere, nec obligare Monasteria dicti Ordinis, in quibus Monachi perpetuam stabilitatem promittunt.

Quid statuerit Alexander VII. Habes supra Constit. 111. Nuper, & Constit. 117. Aliàs, ubi ad materiam Reformationis hujusmodi videre poteris.

Edita An. D 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor Brevis Alex. VII. §. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbates Monasteriorum Germaniæ, Poloniæ, Helvetiæ, Belgii, Patriæ Leodiensis, & Hispaniæ Ordinis Cisterciensis, quod aliàs postquàm fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster per suas super Reformatione Generali dicti Ordinis, die 19. Aprilis 1666. in simili forma Brevis expeditas litteras inter alia statuerat, & ordinaverat, ut in singulis Provinciis universi Ordinis hujusmodi, etiam extra Galliam, designarentur duo Monasteria communis observantiæ, unum scilicet pro Novitiatu, & alterum pro Professorio seu secundo Novitiatu, una cum Magistris pro educandis Novitiis, & noviter Professis, & cum familia selecta, rec. mem.

Clemens IX concessio. §. 2. Clemens Papa IX. etiam Prædecessor noster per quasdam suas itidem in forma Brevis, die 20. Decembris 1667. emanatas litteras ipsis Abbatibus Exponentibus concessit, ut proprios Novitios educare possent in illis dumtaxat Monasteriis in quibus viginti quinque Religiosi existerent.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio injungebat, hæc dispositio tàm Abbates præfatos, qui minorem Religiosorum numerum habent, quàm Novitios, qui stabilitatem in illis minoribus Monasteriis servant, multùm gravet; Abbates quidem quippè qui proprios quos per professionem suis Monasteriis incorporare, & cum quibus usque ad mortem vivere debent, probare, eorumque mores, inclinationes, & defectus, si alibi educarentur explorare nequirent; Novitios verò, utpotè qui incommoda locorum, aëris, & onerum personalium illorum parvorum Monasteriorum, in quibus perpetuò stabilitatis voto astricti, absque spe commutationis, seù translationis ad alia Monasteria, permanere tenentur, experiri non possent. Accedit quod pleraque ex præfatis Monasteriis, vel ex fundatione, vel ob bellorum, & temporum injurias, nonnisi duodecim Religiosos sustentare possunt, in quibus tamen juxta primævas Ordinis præfati Constitutiones, & usum tàm in Choro, quàm extra Chorum vigent observantiæ, quibus satisfieri non posset sine subsidio Novitiorum, qui ab Ordinis primordio, etiam si familiæ numerum duodenarium non excederent in hujusmodi Monasteriis educari, & probari soliti fuerunt, Nobis propterea Abbates prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Declarat, ut in rubrica. §. 4. Nos igitur ipsos Abbates specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supra expressum Statutum, seù Ordinationem dicti Alexandri Prædecessoris non afficere, nec obligare Monasteria Ordinis præfati, in quibus Monachi perpetuam promittunt stabilitatem, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus.

Clausula præservativa. §. 5. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apo

stolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio Contrariorũ.

§. 6. Non obstantibus præfati Alexandri, & Clementis Prædecessorum litteris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat.P.An. 1. die 3.Oct.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Octobris 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

XX.

Concessio Privilegiorum pro suis Cappellanis communibus.

Similia privilegia concessit Innoc.X.Constitut. 27. & Clemens IX.Constit.25.Grata.

CLEMENS PAPA X.

Edita A. D. 1670.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Michaël Angelus Lualdus Romanus, Canonicus sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Marci de Urbe, Paulus Brancondius Romanus, Barnabas Berardus Reatin. Carolus Jacobellus Verulan. Vincentius Dinus Civitatis Castelli, & Philippus Baldassinus Aesin. respectivè Civitatum, vel Diœcesum Presbyteri, moderni Capellæ nostræ Pontificiæ Cappellani, familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tàm familiari experientia, quà etiam fide dignorum testimoniis juvari, percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Nobiles, & Cives.

§. 1. Hinc est, quod Nos volentes illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eosque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad supradictorum Michaëlis Angeli, Pauli, Barnabæ, Caroli, Vincentii, & Philippi, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia Apostolica auctoritate tenore præsentium Michaëlem Angelum, Paulum, Barnabam, Carolum, Vincentium, & Philippum prædictos, & illorum singulos in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, (sine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio,) necnon Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum Cives creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ Comitum, ac Nobilium Romanorum, alio rumque Civium Civitatum, & Oppidorum prædictorum referimus, & conscribimus.

Ipsorum privilegiis etiā habitum nō deferant donantur.

§. 2. Ipsisque etiamsi habitum, & Rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta decretum Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferant, aut Civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, necnon Comites, & Nobiles, ac Cives originarii, etiam in dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, & sæcularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium, assecutione, & exercitio tàm in Urbe, quàm Civitatibus prædictis, ac aliàs ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipsis emanassent, (citra tamen exemptiones à Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradùs promovendi, ac Notarios, seù Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis Sedis Apostolicæ, & Comitibus Palatinis prætensa, itaut illis supramemorati Cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum, & inane existat, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari) uti potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps eorùm nomine conficiendis sese Notarios, Comites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum Cives, ut libuerit inscribere, & se illis subscribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Nobilibus, & Civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, & per omnia censeatur, concedimus, & indulgemus.

§. 3. Et insuper illos eorumque beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, Regionum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia, prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, & se moventia, necnon actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujusvis, etiam annui valoris fructus, redditus, & proven. hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque suarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis, angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tàm urbanis, quàm rusticis ordinariis, & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis, transitus, seù passus, & vecturæ, etiam in aliud territorium, seù Provinciam, terra, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis, ita quod illi, & quilibet eorum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneantur, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seù vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facul-

Exemptio à Decimis, & aliis impositionibus.

tate suffultos, aliàs quàm ut præfertur, valeant coarctari (quamdiù servitiis nostris institerint dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Dispensatio.

§. 4. Ad hæc cum eisdem, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedraliū, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas, etiam major, & principalis, Canonicatus, & Præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personarum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit, quis per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si eis alias canonicè conferantur, aut eligantur, præsententur, aut alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere. Necnon etiam quamdiù Nobis inservierint tantum in beneficiis Ecclesiasticis, non tamen Parochialibus, vel curam animarum Parochianorum, haben. per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, & in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, seù Ecclesiarum earundem Capitula aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque & singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, & redditus durante servitio prædicto cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere, & levare, proviso tamen per eos, ut onera eisdem dignitatibus, & beneficiis quovis modo incumben. congruè supportentur.

Indultum docendi leges.

§. 5. Necnon etiamsi Presbyteri fuerint, ac dignitates, & officia obtinuerint, leges, & jura civilia etiam publicè in scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum ætatis annum non excesserint, audire, ac si habiles, & sufficientes reperti fuerint, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantum exercere liberè, & licitè possint, & valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Licentia eligendi Confessarium.

§. 6. Liceat quoque ipsis, & eorum singulis aliquem idoneum, & ab Ordinario loci approbatum Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis regularem in suum eligere Confessorem, qui vita eis comite eos, & ipsorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspen. & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per eos incursis, & quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, ac quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seù consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus necnon recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum officiorum, ac denique ab omnibus, & quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet à contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio) prædicta auctoritate Apostolica absolvere, & illis pro commissis pœnitentiam pro modo culpæ injungere salutarem; nec non vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, castitatisque & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Indultum transferendi pensiones.

§. 7. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seù aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in dicta Curia, quàm extra eam, etiam ad id per eos, aut eorum singulos coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seù eligendæ quascumque Pensiones annuas eis, & eorum singulis super Mensarum Abbatialium, seù Episcopalium, aut Archiepiscopalium, & quorumcumque aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumcumque Ordinum Regularium etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani quomodocumque & qualitercumque aliorum qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seù illorum loco fructus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta sibi nunc, & pro tempore assignata, & reservata, quandocumque simul, vel successivè in toto, vel in parte, usque ad summam centum ducatorum auri de Camera de eorumdem Capellanorum, vel cujuslibet ipsorum consensu in toto, vel in parte etiam in mortis articulo, cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, aliàs similes Pensiones annuas super fructibus, redditibus proven juribus, obventionibus, & distributionibus, seu illorum loco, fructus, redditus, proven. jura, obven. & etiam usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per eosdem Capellanos, & eorum singulos nominandis, etiam quæcumque quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, seù Clericali charactere insigniri volentibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus eisdem modo, & forma, quibus eisdem Capellanis assignatæ, aut reservari vel assignari concessæ, seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem Pensiones, & fructus, redditus, proven. jura, obven. ac distributiones, & emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatæ, & de novo assignatæ fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, integrè persolven. reservare, constituere, & assignare.

Facultas testandi.

§. 8. Necnon ut iidem Capellani, & eorum quilibet de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, etiam jurisdictionalibus, cæterisque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seù Altarium Ecclesiarum ipsis Capellanis nostris prædictis commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem Ecclesiarum divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorū quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorū cum cura, & sine cura sæculariū, & quorumvis Ordinum regularium, quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam,

administrationem, ac alias quomodolibet obtinuerint, ac obtinebunt, ac fructuum, redditum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus eis reservatarum, & assignatorum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, alias quomodolibet spectantibus, & pertinen. ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen, acquisitis, & aquirendis, ac alias etiam de muneribus, & officiis, quæ exercuerint, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seù contemplatione ad eosdem perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta Curia, quam extra eam, ubique locorum, etiam penès beneficia ipsa existentibus, (quorum omnium qualitates, & veros annuos valores, etiamsi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denotarentur pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis ac debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiamsi eorum solutionis aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illa rata, quæ illis debita erit, Constitutione declaratoria super fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare, & pertinere debeant, non obstante, etiam accumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, & alias pro eorum arbitrio, & voluntate absolutis testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quam causa mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scriptura etiam minus solemni etiam coram duobus, vel tribus Testibus, aut etiam cedula sola eorum manu scripta, vel subscripta, ac alias in omnibus, & per omnia, prout, & quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa Curia, (non tamen extra residentiam) etiam in mortis articulo, & non facta mentione præsentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod vim illarum testari, seu disponere velint, & intendant, semel, atque iterum, & pluries disponere, statuere, & ordinare, itaut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu alias ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & servari omninò debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta etiam pluries, ac toties, quoties eis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere etiam liberè, & licitè valeant, plenam, & liberam concedimus facultatem.

Supplement. defectuum.

§. 9. Statuentes nihilominus, & ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod si contigerit ipsos ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, redditum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia aut alia loca debitæ ab eis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedere, omnia, & singula eorum bona, res, & jura etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia pro dicta summa etiam ex prædictis, & alias, undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes sanguinis eorumdem integrè deveniant, & illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio personæ, seù personarum, quas ad id ipse scripto nominaverint, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione eorumdem scriptura etiam minus solemni, secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seù Executores omninò exequi, & adimplere, illique sese conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, & alia forsan alias ab ipsis, etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & alias quomodolibet facta cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc, & è contra pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, & confirmamus, omnesque & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, & specifica, de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac Lateranen. Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus & quibusvis aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ regulis, & stylo in similibus hactenus servato, ac piæ memor. Alexandri PP. VI. etiam prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem Bonifacii PP. VIII. etiam prædecessoris nostri, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, & aliis etiam municipalibus, tam Urbis, quam quarumvis aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives Originarii creati sunt, ac quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædicti, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac prædictæ Cameræ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodolibet concessis utendo ipsi Capellani per se, vel eorum Procuratores præstiterint forsan hactenus, vel in posterum eos præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam antianis, Capitulis, & Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, etiam ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac dictæ Cameræ Offi-

Contraria omnia removet.

cialibus, illorumque Collegiis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, & de ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ac per modum statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia paribus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & Marchionum, ac aliorum Principum instantiam, seù illorum contemplatione in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis; & in pristinum concedendis, confirmandis, & innovandis, etiamsi in iis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresse, vel tacitè, quod Urbis nonnisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis, aliarum verò partium beneficia, nisi per personas illustres, seù nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri, aut conferri non possint, & nullus in Civem Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seù illorum privilegiis uti possit, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, & locis per certum tempus habitaverit, seù etiam in illis bona, etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, tàm ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in Commendam ad vitam Commendatariorum revocabiliter concedi debeant, & sic pensionibus Ecclesiasticis, sæcularibus, aut aliis personis Apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis præfatis, etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissimæ extendendæ, etiam per quascumque litteras Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatorio hujusmodi de consilio dictorum Cardinalium fiat, & tùm demùm ad id Magistri, & Conventus præfatorum ad id expressus accedat assensus, sintque litteræ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magnum Magistrum subscriptæ, ac ei, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in hujusmodi litteris, quæ sic fient, etiam de simili consilio, derogationis sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus præfatorum, & non aliàs, nec alio modo. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitæ derogationis in rescripto, etiam motu proprio emanato apposita aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore, & firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere, & in specie ad effectum præmissorum specialiter, & expresse Motu, & scientia similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides, tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

§. 12. Quodque præfati antequam gratia Notariatus perfrui possint, & valeant in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede præfata propositos emittere, & solitum fidelitatis juramentum omninò præstare teneantur, & quilibet ipsorum teneatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Octobris 1670. Pontificatus Nostri Anno primo. Dat. P. An. 1. die 6. Oct.

XXI.

Constitutio revocatoria exemptionum à vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

Hujusmodi revocationem habes supra Const. 25. in sublimi Alex. VII. ubi alia ad materiam annotata reperire poteris.

Edita A. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN gravissimis rerum omnium difficultatibus, maximisque angustiis, in quibus Camera nostra Apostolica, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Terrarum, & locorum temporalis S.R.E. Ditionis propter tot sumptus ante hac in causam publicam, & nuper in subsidium belli contra Turcas Apostolicæ charitatis zelo factos, graviaque onera propterea imposita versantur, nemini mirum videri debet: si præcipuam æquitatis, atque justitiæ, publicæque utilitatis rationem habentes, dum eisdem Cameræ, ac Communitatibus, & Universitatibus quacumque opportuniore, atque æquiore ratione sublevandis, omnem operam, atque industriam nostram assiduo labore, & studio, quantum Nobis ex alto conceditur, adhibemus, illis aliquod etiam levamen adferre studeamus, sublatis immunitatibus, & exemptionibus ab onerum publicorum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices, & Sedem Apostolicam, ac forsan illius de Latere Legatos, aliosque earumdem Sedis, & Cameræ Officiales, & Ministros, ad importunas supplicantium preces, & aliàs quovis modo concessis; ne illud quod per eas aliquibus, iisque ut plurimum locupletioribus remittitur in cæteros, & quidem plerumq; pauperiores subditos nostros refundi necesse sit, atque ita eorum inopia prægrevetur.

§. 1. Itaque Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantùm cum Domino possumus, æque principaliter consulere cupientes, ac fel. rec. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis IX. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, necnon quarumcumq; concessionum immunitatum, & exemptionum hujusmodi, litterarumq; Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum motus proprii, & chirographorum cujusvis Romani Pontificis prædecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum litterarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, plu- Revocatio de qua in Rubr.

riesque

riesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia etiam speciali, ac individua expressione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes; Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione omnes, & quascumque exemptiones, & immunitates à solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adjuncti, quatrinorum carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettæ, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum, quarumcumq; taxæ portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, & quorumlibet aliorum onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorumcumq; ac etiam eorum, quæ per Communitates, & Universitates directè, vel indirectè pro eorundem onerum Cameralium solutione, publicorumq; munerum supportatione, ac pro viis, & pontibus construendis, instauran. munien. & manutenen. aliisque indigentiis, & usibus quibuscumque tàm Cameræ, quàm Communitatum, & Universitatum prædictarum, seu aliàs indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, necnon ab obligatione recipiendi, & hospitandi Milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Executores, aliosque Justitiæ Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos etiam Camerarios, cæterosque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujusvis status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus, ac quavis dignitate etiam Ecclesiastica, & auctoritate præditis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui castra, & jurisdictiones intra limites dictæ ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione castrorum, & jurisdictionum hujusmodi Sedi prædictæ annuatim, seù alias persolvunt, & tàm incolis, quàm extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia vel se moventia habentibus, & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis, & laboratoribus etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & contemplatione, ac ex alia quacumque quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessitate specialiter exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiamsi in appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas, & datas, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, & innovatas, & inde etiam Judicis auctoritate sequuta quæcumque, necnon quasvis literas etiam Apostolicas sub plumbo, vel in simili forma Brevis, motus proprii, cedulas, chirographas, & scripturas hujusmodi ex nunc perpetuò revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusq; & effectu penitus, ac omninò evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, & abrogata, irrita, abolita, & annullata, viribusque, & effectu penitus, ac omninò vacua esse.

§. 2. Nec vili prorsus in petitorio, aut possessorio, etiam summariissimo, contra præsentium literarum tenorem, & dispositionem suffragari posse, sed prædictos omnes, & singulos exemptos ad omnium, & singulorum onerum prædictorum solutionem, & supportationem pro rata eos tangente in posterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus, & per omnia, perinde ac si dictæ exemptiones, & immunitates eis nullatenus concessæ fuissent, nec literæ, ac cedulæ motus proprii, chirographa, & scripturæ hujusmodi unquam emanassent, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine prædictis decernimus, statuimus & declaramus.

Privilegia Ecclesiasticis concessa quomodo intelligenda.

§. 3. Præterea omnia, & quæcumque privilegia, & indulta personis Ecclesiasticis, tàm sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Congregationis, & Instituti, ac Societatis etiam JESU, regularibus super similibus immunitatibus, & exemptionibus per quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores nostros concessa ad limites juris communis motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis reducimus; Illa verò quæ nonnullis Collegiis in alma Urbe nostra existentibus per dilectos filios Clericos regulares dictæ Societatis JESU, sive alios quoscumque administrari consuetis similiter à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum, & vestitum dumtaxat, non autem ut vulgo dicitur, à Fundaco, & Magazzeno, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus, & decernimus.

Privilegia Nepotibus Pontif. revocat.

§. 4. Ac demum similia privilegia, & indulta nepotibus, & aliis consanguineis, vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respectivè concessa itidem revocamus, & abolemus, ac revocata, & abolita esse, ac censeri debere volumus, & statuimus. Declarantes illa nemini eorumdem nepotum, sive consanguineorum, vel affinium à die nostræ ad summi Apostolatus apicem assumptionis suffragari posse, & debere, seu potuisse, ac debuisse.

Immunes à revocatione declarat.

§. 5. Per præmissa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuscumque personis, Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm regularibus de jure competentes, neque Thesaurariis, Appaltatoribus, & conductoribus bonorum introituum, & jurium dictæ Cameræ nostræ ab ipsa Camera, seu aliis illius nomine in appaltuum, & locationum instrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque verè oneroso concessas. Ac insuper à revocationibus, & aliis supradictis excipimus, & exceptas esse volumus, & declaramus immunitates, & exemptiones quibusvis Universitatibus, & personis datas, & concessas in vim contractus ex causa verè onerosa, videlicet congruæ, & effectualis pecuniarum solutionis, & non aliàs, eidem Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitimè factæ, vel ex aliis rationabilibus causis per nos cognoscen. & approban. ac etiam declaran. quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas, ac licitas, & honestas prout de jure approbare intendimus.

§. 6. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camera, citato dilecto filio ipsius Cameræ Commissario Generali, verificare, & in ipsa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earumdem immunitatum, & exemptionum, ac literæ, cedulæ motus proprii chirographa, & aliæ scripturæ desuper emanatæ, & emanata aliàs in Camera prædicta admissæ, & admissa, ac in illa, ejusque libris registratæ, & registrata fuerint, & sint, quatenus tamen causæ

onerosæ hujusmodi pro verè onerosis, & legitimis, ut supra alias in eadem Camera verificatæ, & approbatæ, ac prævia judiciali discussione non sint legitimè habitæ, quo casu ad indicationem tantum non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus, interim verò quandiù non fuerint verificatæ minimè suffragari, & præsentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Exemptionis Cardinalium ad terminos Constit. Ap. reducit.

§. 7. Præterea nostræ intentionis non est sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere immunitates, & exemptiones ejusdem S. R. Eccl. Cardinalibus, ratione dignitatis Cardinalatus necnon Cameræ prædictæ Clericis præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi, seu admitti solitas; nec illas, quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui commensales nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis, in rotulo descripti, gaudent, & gaudere consueverunt; neque illas ob numerum duodecim filiorum à prædecessoribus nostris, & aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. mem. Pii IV. prædecessoris pariter nostri, & aliarum Constitutionum Apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro tempore, & personis, ac eo modo, & forma, quibus de jure communi illis competunt, ac aliàs juxta ipsius juris communis, ac supradictarum, & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter quàm ut præfertur sive in possessorio, sive in petitorio suffragari volumus, & decernimus.

Inhibitio pro exequutoribus.

§. 8. Cæterum Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris Agentibus, & Ministris dictæ Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum prædictarum earumdem serie præsentium districtius inhibemus, ne contra ipsarum præsentium dispositionem, immunitates, & exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas, quas ex causa verè onerosa concessas in Camera prædicta, ut præfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant: &, si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis, seu rationibus, per eamdem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

§. 9. Postremo lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, necnon immunitatum, & exemptionum hujusmodi quomodolibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & collitigantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes) à quibuscumque Tribunalibus hujusmodi ad Nos earumdem serie præsentium avocamus, illasque penitùs, & omninò perpetuo supprimimus, & extinguimus, & pro suppressis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Supradictis roborandis.

§. 10. Decernentes præsentes literas, ac omnia, & singula in illis contenta, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis, sive eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seù aliàs sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensu, aut alio quovis quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in jus vel controversiam revocari, suspendi, limitari aut ad terminos Juris reduci seù adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concesso quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori data, quatenus opus sit de novo concessas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & quandocumque spectabit inviolabiliter observari.

Sic & non aliter judicari mandata.

§. 11. Sicq; in præmissis per quoscumq; Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquàm quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§. 12. Quocirca dilectis filiis nostro, ac S. R. E. prædictæ Camerario, seu Procamerario, necnon Vicecamerario, Thesaurario, ac Clericis præsidentibus, Commissario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut præsentem nostram Constitutionem, & in ea contenta quæcumque in omnibus, & singulis firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

Contrariis derogat.

§. 13. Non obstan. supradictarum litium pendentia, aliisque omnibus, & singulis præmissis, necnon nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, ac quatenus opus sit prædicti Pii prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernen. in eadem Camera præsentandis, & registran. ita ut præsentes in ea præsentari, aut registrari numquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoq; Indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis scripturis, & litteris etiam Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis etiam ut præfertur qualificatis, ac speciali nota, & mentione dignis etiamsi nominatim essent exprimendi, sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam inexcogitabilibus, & necessario exprimendis etiam contractus jurati cum Camera nostra Apost. eniti, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cantela firmatis editis, seù factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi in eis caveatur

expresse,

expressè, quod nullo unquam tempore sub similium, vel dissimilium exemptionum, & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus, & Constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam sub posteriori data per quascumque personas eligenda de novo concessa sint, & esse censeantur, necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicari mandat.

§. 14. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Transumptis fidem adhiberi mandat.

§. 15. Utque earumdem præsentium Transumptis, seu exemplis etiam impressis; manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P. A. 1. die 9. Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 9. Octobris 1670. Pontificatus nostri anno primo.

Anno à Nativitate D. N. J. C. 1670. Indictione octava, die verò 11. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ X. anno ejus primo, præsens Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, locis solitis, & consuetis Urbis per me Laurentium Signum Sanctiss. D.N. D. Papæ Curs. Joseph Pizzardus Curs. Mag.

XXII.

Innovatio declarationum nonnullorum Pontificum de Curialibus meretricibus, & Cortesanis, in qua Census Vitalitii, & contractus cum earum vita perituri in præjudicium Monasterii Monialium S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia in Urbe ipsis prohibentur.

Edita An. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Statutum Leonis X.

§. 1. Dudum fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor noster Monasterio Monialium S. Mariæ Magdalenæ de Pœnitentia in Urbe per ipsum erecto, pro illius oneribus supportandis, omnia, & singula bona, ac spolia Curialium Meretricum ex illicito quæstu, & extrà matrimonii claustra, & pudorem viventium in eadem Urbe pro tempore ab intestato, & absque condendi Testamenti facultate decedentium perpetuò applicavit & incorporavit, reservata tamen eisdem Curialibus facultate testandi, dummodò prædicto Monasterio quartam, vel quintam partem eorundem bonorum reliquissent.

Quod Clem. VII. ad Corte sanas extendit.

§. 2. Et huic dispositioni inhærens rec. mem. Clemens Papa VII. pariter Prædecessor noster, decrevit, ut tàm Cortesanæ nuncupatæ, quàm quæ palam in prostibulis quæstum faciunt, & aliàs ex quocumque turpi quæstu viventes, & quomodolibet etiam in domibus propriis, vel alibi ad instantiam certarum personarum sæcularium, vel Ecclesiasticarum tentæ, vitam impudicam agentes mulieres quartam, vel quintam partem (quam piè mem. Innocentius Papa X. etiam Prædecessor noster ad tertiam auxit) eidem Monasterio verè, & cum effectu non relinquentes, careant omni facultate disponendi de propriis bonis, nedùm per viam testamenti, sed etiam donationis causa mortis, vel inter vivos, aut alterius dispositionis, adeò ut tali casu earum bona quæcumque d. Monasterio applicata, ac perpetuò appropriata esse intelligerentur, & aliàs prout in eorundem Leonis 14. Kal. Junii 1520. & Clementis Idibus Augusti 1525. ac Innocentii Prædecessorum die 31. Maii 1649. expeditis literis quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Causa declarationis.

§. 3. Cum autem (sicut accepimus) ante dictæ mulieres sæpenumero suas pecunias investiant in censibus vitalitiis, & aliis contractibus cum earum vita perituris, & ex hoc mens, & finis earundem literarum eludatur non sine gravi dicti Monasterii detrimento, quod à multo tempore, ob tales contractus in obitu dictarum mulierum nihil ferè ex earum bonis consequi potuit, & hoc subsidio destitutum, ingenti ære alieno gravatum reperitur.

§. 4. Hinc est, quod Nos ejusdem Monasterii indemnitati quantum cum Domino possumus consulere cupientes, de consilio particularis Congregationis nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui jussu similis me. Clementis Papæ IX. idem Prædecessoris nostri, rem maturè discusserunt, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus, & decernimus, ut in posterum memoratæ mulieres hujusmodi census, & contractus facere nullatenùs possint, nisi priùs obtenta in scriptis licentia à Protectore unà cum aliis pro tempore deputatis ad regimen ipsius Monasterii.

§. 5. Quam quidem licentiam iidem Deputati impartiri nequeant, nisi eodem contextu prædictæ mulieres, vel tertiam partem, quæ illi ex pecunia investienda obventura esset, vel aliam certam summam per eosdem Deputatos congruè arbitrandam, Monasterio prædicto tradiderint, aut saltèm pro dicta tertia parte specialitèr alia bona hypothecaverint, aut venditor census in forma juris valida se obligaverit, ad eam eidem Monasterio solvendam, itaut statim sequuta illarum morte, Monasterio acquiratur; aut alio modo pro eorum arbitrio, & prudentia provideant, ut ex hujusmodi contractibus, nullum præjudicium eidem Monasterio inferatur. Quatenùs verò ipsum Monasterium pecunia, ut præfertur investienda indigeret, vel quavis alia ratione, aut causa ipsi expediret eandem pecuniam in proprios usus convertere, tunc Monasterium, in censibus, & contractibus hujusmodi celebrandis cum iisdem pactis, & conditionibus præferatur omnibus aliis cujuscumque sint status, gradus, & conditionis, etiam si esset Ecclesia, vel alius locus pius, & eo casu dictæ mulieres ad traditionem, vel assecutionem tertiæ partis, vel alterius summæ, ut supra minimè teneantur. Quod si census, & contractus hujusmodi sine dicta licentia, ut præfertur obtenta fuerint celebrati, Monasterium prædictum post obitum mulierum sive contrahentium procedere possit, & valeat, non quidem contra alios contrahentes, aut bona ipsorum, sod contra alia bona earundem mulierum defunctarum perindè, ac si

tales

tales censûs, & contractus cum eis initi non fuissent.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Monasterio in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari, nec de subreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliovè quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù impetrato etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seù se juvare, ullo modo unquam posse. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memorati Prædecessoris in suis respectivè litteris supradictis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumq;

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum &c. Transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P An. 1. die 11. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Octobris 1670. Pontifiatus Nostri Anno primo.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1670. Indictione octava, die verò 24. Octobris, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ X. anno ejus primo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Franceschinum Apost. Curs. Joseph Pizzardus Mag. Curs.

XXIII.

Breve in quo dispensatur cum Clericis, & Laicis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei &c. qui in dicta Congregatione tanquam in statu Regulari, & sub titulo Religionis solemniter profiteri non intendunt.

De horum Clericorum Congregatione, vide quæ indicavi tibi ad Const. 92. Cum sicut Alex. VII.

Edita An. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Clemens IX qu. d fecerit.

§. 1. Cum fœl. rec. Clemens Papa IX. Prædecessor noster Congregationem sæcularem Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatam, in quo vota simplicia dumtaxat cum juramento perseverantiæ ad præscriptum litterarum rec. mem. Alex. PP. VII. Prædecessoris pariter nostri in simili forma Brevis die 24. Januarii 1656. expeditarum emittebantur ad primævum statum Regularem, & titulum Religionis, in quo illam præ mem. Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster olim per suas itidem in forma Brevis die 18. Novemb. 1661. emanatas litteras constituerat, auctoritate Apostolica restituerit, ac reintegraverit, prout in ipsius Clementis Prædecessoris litteris pariter in forma Brevis die 23. Octobris 1669. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Causa decreti.

§. 2. Nonnulli verò tùm Clerici, tùm Laici, qui ante prænarratam reintegrationem vota simplicia, & juramentum perseverentiæ hujusmodi in d. Congregatione emiserant, suplices à Nobis petiverint, ut quando ad professionem solemnem in hoc novo Religionis statu emittendam minimè se vocari sentiunt, & inter solemniter professos ipsi non solemniter professi quietè, ac sine regiminis perturbatione degere non satis valeant, eosdem à prænarratis votis simplicibus, & juramento in prædicta Congregatione emissis prorsùs eximere, atque ab eorum vinculis absolvere de benignitate Apost. dignaremur.

Dispensat de qua in Rubr.

§. 3. Nos illorum ac dictæ Congregationis statui, & quieti quantum cum Domino possumus providere cupientes, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio à nobis specialiter deputatorum, qui rem semel atque iterum examinarunt, & maturè perpenderunt, ac etiam dilectum filium Procuratorem Generalem dictæ Religionis audiverunt, consilio, dilecto pariter filio Præposito Generali ejusdem Religionis harum serie præcipimus, & mandamus, ut omnibus tùm Clericis, tùm Laicis, qui aliàs in statu d. Congregationis vota simplicia, & juramentum perseverantiæ emiserunt, & adhuc solemniter juxta enarratam reintegrationem professi non sunt, terminum intra Italiam quidem existentibus duorum mensium, intrà Insulas verò Italiæ adjacentes trium, extrà Italiam autem, & Insulas adjacentes quatuor mensium respectivè auctoritate nostra Apostolica statuat ad declarandum, an velint supradictæ reintegrationis beneficio utentes, solemniter profiteri: & ad ipsam professionem solemnem emittendam.

Laici & Clerici professione non sequuta à voti Vinculo absolvuntur.

§. 4. Quo termino elapso, & solemni professione non secuta, Laici quidem, & Clerici minoribus tantùm Ordinibus initiati dimittantur, & à suorum votorum simplicium, & juramenti vinculo per dictum Præpositum Generalem eximantur, & absolvantur.

§. 5. Clerici verò sacris Ordinibus initiati si patrimonium, aut Beneficium Ecclesiasticum congruæ sustentationi ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini sufficiens obtineat pariter dimittantur, sub Ordinarii loci obedientia permansuri: Iis verò qui patrimonio, aut beneficio caruerint, permittatur, ut in Domibus, sivè Conventibus dictæ Religionis una cum solemniter professis, voce tamen activa, & passiva cariturі, permaneant. Quod si discedere malint etiam dimittantur, itidem sub Ordinarii loci obedientia permansuri, & ab exercitio suorum Ordinum donec, & quousque patrimonium, aut beneficium sufficiens obtineant., suspensi.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus,

privi-

Privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 1. die 18. Oct. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Octob. 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

XXIV. Confirmatio, & extensio Indultorum, Gratiarum, & Privilegiorum Congregationi Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ab Urbano VIII. concessorum.

Vide, quæ notavi de his Fratribus ad Const. 61. In supremo, & ad Const. 111. Ex clementi Urb. VIII.

Edita A. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Redemptoris, & Domini Nostri Jesu-Christi, qui se ipsum exaniens formamq; servi accipiens pretiosi sui sanguinis profusione Nos redemit, exempla assidua meditatione pensantes, continuis excitamur stimulis, ut tantæ liberalitatis memores, gemitus maximè filiorum Ecclesiæ in vinculis compeditorum, misericordiam à nobis postulantium audientes, paterna sollicitudine ad opem illis, quam possumus ferendam, eò promptiùs excitemur, quò illos apud gentes barbaras, & incultas durior servitus premit, vincula coarctant perdita patria, & amissi parentes affligunt; necnon eorum, quos frequens Sacramentum Ecclesiæ participatio non recreat, imò spiritualis perditionis evidentiùs terret periculum, saluti quantum cum Domino possumus libenter consulamus, illosque ab illa miserabili servitute sublevemus, ac operarios illi messi, quæ utique non pauca existit, ex professo invigilantes, adjuvemus, eorumque pium exercitium quo ipsi labores expeditius suscipiendo, tàm pium opus alacriùs continuent, & promptiùs exequantur, gratiis, & favoribus quibus possumus, amplissimis confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa indulti. §. 1. Cum itaque sicut dilectus filius, Franciscus à S. Stephano Procurator Generalis Congregationis Fratrum Discalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres, & Religiosi ejusdem Congregationis in Captivorum Redemptione pro viribus occupentur, & longos, ac tœdiosos labores in transfretando mari, & apud ipsos infideles dietim sustineant, & non modo in Redemptione ipsa, quæ ad omnes captivos numquam extendi potest, sed etiam exhortationibus, concionibus, & admonitionibus ad reliquos, qui dictam duram servitutem continuant, ne fides eorum deficiat, occupentur; proprias facultates libenter exponant, discrimina quælibet, & pericula alacriter indefessi subeant, & ut tam pium opus eo alacrius fratres ipsi continuent, & utilius exequantur, promptioresque ad id reddantur, plurimum cupiant aliarum Religionum, & Ordinum, gratias, & privilegia à Sede Apostolica concessa, quæ fel. rec. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster per quasdam sub plumbo, Anno Incarnationis Dominicæ 1634. quinto Kal. Aprilis Pontificatus sui Anno undecimo expeditas litteras Congregationi Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum concessit, & communicavit, Congregationi primodictæ, illius Fratribus, & locis per Nos, & Sedem eandem pariter concedi, & communicari. Nobis propterea idem Franciscus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat prout in rub. §. 2. Nos igitur primodictam Congregationem firmissimis præsidiis vallare desiderantes, ipsumque Franciscum Procuratorem Generalem, & singulares Congregationis hujusmodi personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem diligenter examinarunt, atque discusserunt, & ea omnia privilegia, & Indulta Apostolica, quibus Religio Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum fruitur, & gaudet, competere posse, & esse itidem proportionata suprascriptæ Religioni de Mercede Redemptionis Captivorum censuerunt, consilio, eidem Congregationi Fratrum Discalceatorum prædicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, & regularibus locis sub illa comprehensis, necnon Superiori Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessori, Superioribusque Provincialibus, & Conventualibus, aliisque cujuscumque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in ea professis, fratribus pro tempore ad Captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus, Personis Regularibus, Novitiis, Conversis, donatis, oblatis, ministris, famulis, cunctisque tàm officiariis, quàm domesticis, & eorum Domibus inservientibus, & cæteris primodictæ Congregationis, ac Domorum, & Regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis, ac Christi fidelibus illorum Ecclesias, seù Cappellas pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque prærogativis, & gratiis universis, & singulis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac personis, tàm Canonicorum, quàm Clericorum Regularium, ubivis existentium institutis, & non solùm Ordinibus Monasticis, Regularibus Mendicantium, & non Mendicantium, tàm pro redimendis captivis, quàm aliàs quomodolibet Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, necnon Ordini Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ac etiam omnibus, & quibuscumque Congregationibus Regularibus, & præcipuè Clericorum Regularium infirmis ministrantium, & Canonicorum Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, Sancti Salvatoris de Bononia, ac etiam S. Ruffi Valentiæ, & Sanctæ Crucis Colimbriæ, Clericorum Regularium de Somascha, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum piarum; Ipsisque Monasticis Congregationibus etiam Cassinensi, aliisque Monachis, & Monasteriis S. Benedicti, S Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui Beatæ Mariæ de Guadalupe, necnon Societati JESU, ipsisque Carthusiensium, Præmonstratensium, & Reformatorum Cistercensium, Servitarum, Oli-

vetarum

vetarum Ordinibus, aliisque familiis, & Societatibus Regularibus, Militiis, Hospitalibus quibuscumque, & piis locis Regularibus, ac quibuscumque personis, nunc & pro tempore existentibus prædictorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, & Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices, necnon ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales de latere Legatos, & quosvis Sedis prædictæ nuncios; vel etiam tàm Apostolica prædicta, quàm Ordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritatibus respectivè, aut aliàs quomodolibet quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter, tàm per modum communicationis, & ampliationis, quàm simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi, tàm in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solùm per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instar; sed speciatim, & nominatim; pariformiter, & æque principaliter in omnibus, & per omnia absque ulla prorsus differentia, perindè ac si illa primodictæ Congregationi, illius Capitulis Generalibus, Superiori Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis prædictis specialiter, expresè, & nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent, quatenùs tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant. Ita quòd omnes, & singuli primodictæ Congregationis, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, & Ministri quocumque nomine apellati, eosdem favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis JESU, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regularium, & familiarum Generales, Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores, Conventuales, aut Claustrales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocumque nomine, titulo, aut dignitate, insigniti debent, similiter, ut supra habeant, Fratresque, & personæ Regulares primodictæ Congregationis Generales, Superiores, Ministri, & cæteri alii cujuscumque appellationis Præpositi, & præfecti in primodicta Congregatione expresè professi, & in ejus gremio, & observantia viventes Fratres, & personas Regulares primodictæ Congregationis cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum hujusmodi perpetuò secundum observantiam Regularem, & Canonicum institutum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum regere, & gubernare, & respectivè visitare valeant, neque primodicta Congregatio super prædictis omnibus, & singulis à quoquam quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in judicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes, semper & perpetuò tanquam ad divini cultus, & bonorum operum augmentum, & Religionis propagationem tendentes, validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere; nec ab illis ullo umquam tempore, quovis prætextu, occasione, vel causa recedi, aut resiliri; easdemque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus; etiam per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque prædictam, sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis minimè comprehendi, vel confundi, sed semper, & perpetuò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, atque validissimũ statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda concessas esse, & fore, primodictæque Generalis Superioris, & Fratrum Discalceatorum hujusmodi Congregationi suffragari.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque & non aliàs per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstan. præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Synodalibus, Provincialibusque, & Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus necnon regularium Domorum, locorum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis primodictæ Congregationi, illiusque Superioribus, & personis, in genere, vel in specie, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, quod ipsarum præsentium exemplis, seù transumptis, etiam impressis, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obsignatis, stetur, eademque prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 1 die 22. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Oct. 1670. Pontificatus Nostri Anno primo.

XXV.

Quod Privilegia Fratribus Discalceatis B. Mariæ de Monte Carmelo concessa intelligantur etiam ad favorem Fratrum Calceatorum ejusdem Ordinis emanatæ.

Ne otiosè repetam, quid pluries dicta sunt, te remitto ad ea, quæ notavi de his Fratribus ad Const. 164. Romanus; Et ad Const. 194. Inter cæteras Urb. VIII.

Edita An. D. 1670.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD uberes bonorum operum fructus, quos dilecti filii Fratres Calceati nuncupati Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, adspirante superni favoris auxilio, in Ecclesia Dei proferre assiduè satagunt, paternè dirigentes considerationis intuitum, rationi consentaneum reputamus, ut religiosa eorum studia, felicesque progressus, spiritualium gratiarum, atque privilegiorum muneribus confoveamus, atque decoremus.

Clem. VIII. declaravit Ord Carmelit. Discalc. unum ex quatuor Mendicant.

§. 1. Cùm itaque, sicut dilectus filius Matthæus Orlandus Prior Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, dudum fel. record. Clemens Papa VIII. prædecessor noster, per quasdam suas die 23. Martii 1594. & die 20. Augusti 1503. expeditas litteras, quæ subindè à fel. mem. Paulo Papa V. Prædecessore pariter nostro confirmatæ fuerunt, Congregationem Fratrum Discalceatorum nuncupatorum ejusdem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo esse unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem scilicet Carmelitanum, ipsisque Congregationi, & Fratribus Discalceatis omnia, ad prædictum Ordinem tàm de jure, quàm ex privilegiis attinentia, tamquàm propria competere, ac ejusdem Congregationis Præpositum Generalem, Fratres, & Moniales, Domos, Conventus, & Collegia, cæteraque eisdem pertinentia respectivè privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis dicto Ordini concessis, & concedendis, uti, potiri, & gaudere debere declaraverit, & aliàs prout in prædictis litteris uberiùs continetur. Licèt autem Fratres Carmelitæ Calceati omnibus privilegiis, indulgentiis, & gratiis, prædictæ Congregationi Fratrum Discalceatorum concessis, hactenus fruiti sint, in vim dictæ declarationis, qua, ob identitatem ejusdem Congregationis cum Ordine Carmelitano, decernitur id quod uni est concessum, alteri quoque tamquàm proprium competere, nonnulli tamen circa hoc scrupulum subindè patiuntur, eo quod non adsit expressa declaratio pro Fratribus Carmelitis Calceatis, sicuti est pro Discalceatis: Nobis propterea dictus Matthæus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Confirmat prout in Rub

§. 2. Nos igitur ipsius Mathæi Prioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tàm prædictarum, quàm aliarum quarumcumque litterarum Apostolicarum ad favorem memoratorum Fratrum Discalceatorum, eorumque Congregationis quomodolibet, & quandocumque emanatarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicto Ordini, ejusque Fratribus Calceatis, & Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, cæterisque ad eosdem quomodolibet pertinentibus respectivè, ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, Indulgentiis, & gratiis, quæ dictæ Congregationi Fratrum Discalceatorum, ejusque Fratribus, Monialibus, Domibus, Collegiis, cæterisque ad ipsam Congregationem quomodolibet pertinentibus, hactenus per Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam cum clausula prohibitiva communicationis, concessa fuerunt, & in futurum quandocumque concedentur, dummodò tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si eidem Ordini, ejusque Fratribus Calceatis, & Monialibus, ac Domibus, Conventibus, Collegiis, cæterisque ad ipsum Ordinem pertinentibus hujusmodi nominatim, & expressè concessa fuissent, & in futurum concedentur, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio. Contrariorũ.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis, adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis litteris Apostolicis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 31. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1670. Pontificatûs Nostri Anno primo.

XXVI.

Confirmatio Decretorum S. R. E. Cardinalium de revocandis attentatis à Fratribus Excalceatis Eremitarum Ordinis S. Augustini in Lusitania circa Jurisdictionem Procuratoris Generalis, & novorum Conventuum erectionem.

Declarationem Decretorum circa materiam, de qua in rubrica editorum, habes Constitut. hujus Pontif. 33. Ex injuncto infrà.

Edita An. D 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs emanarunt à Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium à Nobis specialiter deputatorum Decreta tenoris, qui sequitur videlicèt.

Referuntur decreta Cardinalium.

§. 1. Cùm Fratres Excalceati Ordinis Eremitarum S. Augustini in Regno Lusitaniæ Monasteriorum Sanctissimæ Conceptionis, in quo degunt, erectum pro cura Monialium ejusdem Ordinis à jurisdictione Patris Prioris Generalis totius Ordinis hujusmodi exemerint, & Congregationi Excalceatorum Hispaniæ subjecerint, Novitios ad habitum admiserint, & nova Monasteria ibidem erigere, ac fundare intenderent, pendente controversiâ super hujusmodi re in Sacra Congregatione Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita: Procurator Generalis totius Ordinis prædicti institit revocari præfata omnia, utpotè attentata, & hujusmodi novas erectiones, ac fundationes dictis Fratribus Excalceatis interdici, ac prohiberi. Quapropter Congregatio nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ad supradictas preces examinandas à Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputata, auditis plu-

ties rationum momentis tàm in facto, quàm in jure per utramque partem allatis, die 26. Septembris 1670. censuit revocanda esse attentata prædicta; nullum jus competere Fratribus Excalceatis Hispaniæ super illo Monasterio Ulyssipone erecto pro cura Monialium; neque esse locum dismembrationi à Religione. Et die quinta Decembris ejusdem anni 1670. censuit, non esse locum erectioni novorum Conventuum Fratrum Discalceatorum Ordinis Sancti Augustini in Regno Lusitaniæ: ac propterea illos erigi aut fundari, tenore præsentis Decreti prohibuit. Et prædictis Fratribus Excalceatis circa suprascriptam controversiam perpetuum silentium imposuit, M. Card. Ginettus.

Quæ Pontifex approbat & confirmat

§. 2. Cùm autem sicut dilectus filius Hieronymus Valvasorius Prior Generalis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini nobis nuper exponi fecit, ipse Decreta hujusmodi, quo firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsius Hieronymi Prioris Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 5. Quocirca Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Sidonien. moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, aut alios, ipsas præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte in præmissis interesse habentium, seù alicujus eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostrâ illos, & eorum quemlibet præsentium litterarum, & in eis contentorum eorumdem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus fœlicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis authoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis Fratrum Excalceatorum Hispaniæ, & Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Januarii 1671. Pontificatûs Nostri Anno primo. Dat. P.An. 1. die 28.Jan.

XVII.

Confirmatio Declarationis S. R. E. Cardinalium de cultu immemorabili Beatæ Ludovicæ, & casu à Decretis Urbani VIII. excepto, uti & de Missa, & Officio in honorem dictæ Beatæ, die 31. Januarii in Ecclesia S. Francisci Fratrum Minorum Transtyberina recitandis.

Consimile Indultum concessit in honorem Ferdinandi III. Regis Castellæ hic idem Pont. infra Constit. 29. Gloriosissimos.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

AGrum Ecclesiæ, quem excolendum ab æterno Agricola accepimus, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam Conjugii fructibus redundantem pio mentis affectu considerantes gloriosa Sanctarum Viduarum, quæ non humanum, sed Divini Spiritûs depromptum infusione Apostolicum consilium secutæ cogitarunt, quæ sunt Domini, ut essent sanctæ corpore, & spiritu, ac in Deum sperarunt instantes obsecrationibus, & orationibus die, ac nocte merita condignis honoribus celebranda esse censemus, & proinde tendentia in id ipsum Christi fidelium præsertim hujus Almæ Urbis nostræ, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assiduè promanant vota libenter exaudimus; sicuti matura deliberatione prævia spirituali fidelium consolationi, atque ædificationi conducibile fore in Domino arbitramur.

Causa Indult.

§. 1. Cùm itaque sicut dilecti filii Senatus, Populusque Romanus Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Beatam Ludovicam Viduam Concivem suam Tertii Ordinis Sancti Francisci ex vetustissima Albertoniorum gente claris natalibus ortam, non minùs pietate, quàm munificentiâ pretiosum, Calicem, & Cereos quotannis die 31. Januarii, qua obdormivit in Domino Ecclesiæ Sancti Francisci in Regione Transtyberina dictæ Urbis sitæ Fratrum Minorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, in qua Venerabile ejusdem Beatæ Ludovicæ corpus requiescit, offerendo per longissimi temporis decursum coluerint, & in ipso Pontificatûs nostri primordio Nobis humiliter supplicaverint, ut causam Canonizationis memoratæ Beatæ Ludovicæ ad effectum probandi ejus cultum immemorabilem Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum committere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

§. 2. Nos verò eorumdem Exponentium desiderio paterna clementia annuentes commissionem causæ hujusmodi manu nostrâ signaverimus, & in illius

vim

vim peculiaris processus in Curia servatis servandis fabricatus fuerit, eoque per dilectum filium nostrum in Urbe prædicta Vicarium in spiritualibus generalem recognito emanaverit ab eodem Vicario sententia super casu excepto, ac deindè prædicta Cardinalium Congregatio re acritèr, & maturè discussa sententiam hujusmodi confirmaverit, ac de cultu immemorabili dictæ Beatæ Ludovicæ, & casu excepto à Decretis felic. record. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri constare declaraverit.

Declarat, ut in rubrica.

§. 3. Hinc est, quod Nos piis, enixisque Senatus, & Populi prædictorum precibus favorabilem assensum quantum cum Domino possumus præbere cupientes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,& absolutas fore censentes, declarationem à memorata Cardinalium Congregatione factam, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ Beatæ Ludovicæ, & casu excepto à Decretis prædicti Urbani Prædecessoris constet Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 4. Præctereà ut de eadem Beata Ludovica quotannis die 31. Januarii in prædicta Ecclesia Sancti Francisci de Urbe Officium recitari, & Missa etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesiam hujusmodi confluentibus celebrari de Communi, nec Virginum, nec Martyrum juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani liberè, & licitè possint, & valeant auctoritate, & tenore prædictis perpetuò concedimus, & indulgemus.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 1. die 28. Jan.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Januarii 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXVIII.

Indultum de celebranda Missa, & officio in honorem Ferdinandi III. Regis Castellæ, & Legionis per Regna Hispaniæ,& omnes ejus ditiones, uti & in Ecclesia SS. Jacobi, & Ildephonsi de Urbe nationis Hispanorum die 30. Maji sub ritu duplici recitando.

De materia hujusmodi indultorum, vide supra ad Constitut. 27. Agrum Ecclesiæ hujus Pontificis.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

GLoriosissimos cœlestis Hierusalem Cives; illos præsertim, qui in diebus peregrinationis suæ, tametsi in rerum humanarum sublimitate positi essent, non sperarunt in lubrico divitiarum, nec in Regiæ potentia dignitatis, sed magna illa virtute humilitatis, qua fit, ut omnia terrena cacumina temporali nobilitate nutantia non humana usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo trascendat, solidati bellarunt bella Domini, & unico illi fundamento, quod est Christus Jesus, innixi, superædificarunt aurum, argentum, lapides pretiosos, manentisque operis mercedem in æternæ salutis stabilitate accipere meruerunt, congruis honorum, laudumque præconiis in terris celebrandos esse meritò censemus, ac proindè flagitantia ad ipsum Regum orthodoxorum non minus pietatis, aliarumque Christianarum virtutum, quàm Regii fastigii splendore fulgentium vota paterno affectu exaudimus, sicut ad Ecclesiæ Catholicæ decus, spiritualemque fidelium populorum ædificationem, atque devotionem fovendam, & promovendam conducibile in Domino fore arbitramur.

Sac. Congreg. Cardinalium quid declaraverit.

§. 1. Cum itaque aliàs, videlicet, die 29. Maji 1655. Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum ex deductis in processu auctoritate Apostolica confecto super casu excepto declaraverit, de illo constare ex cultu exhibito servo Dei Ferdinando III. Regi Castellæ, & Legionis cognomento Sancto per immemorabilem temporis cursum excedentem metam centum annorum ante Decreta fel. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri cum scientia, vel tolerantia Ordinariorum, & emanatum desuper dictæ Congregationis Decretum recolen. mem. Alexander Papa VII. etiam prædecessor noster die 1. ejusdem mensis approbaverit, & inter alia plenissimè constiterit de celebratione Missarum in honorem prædicti Servi Dei, prout de Sanctis celebrari solent, tam in Sacrario veteri, quam in Capella Beatæ Mariæ Regum nuncupata Metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis ubi extat illius sepulchrum.

Indultum, de quo in rubrica.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, enixisquè charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ earumdem Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ ejus Genitricis, precibus nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia Ducem Segorbiæ, Cardonæ Regni Neapolitani Proregem, ac ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem ad præstandam Nobis ipsius Caroli Regis nomine obedientiam missum super hoc humiliter porrectis favorabilem assensum, quantum cum Domino possumus, præberè cupientes, ut in omnibus Regnis Hispaniarum, & Ditionibus eidem Carolo Regi subjectis, & in Ecclesia SS. Jacobi, & Ildephonsi de Urbe nationis Hispanorum de memorato Servo Dei Ferdinando Tertio Rege, Missa, & Officium de communi Confessorum non Pontificum sub ritu duplici juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani quotannis in perpetuum die 30. Maji, qua idem Servus Dei obdormivit in Domino, celebrari, & ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari liberè, & licitè possint, & valeant respectivè, autoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, ac Decretis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis,seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. A. 1. die 7. Februar.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Februarii 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Concessio, & extensio Indulgentiarum Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii concessarum, ad omnes etiam non Confratres, aut Consorores, dummodò Missæ, & Processioni de Rosario celebrandæ, & quolibet mense faciendæ intersint.

Plures Summi Pontifices Indulgentias similes huic Confraternitati concesserunt, ut videre poteris in Repertorio verbo Confraternitas Rosarii.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COElestium munerum Thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus fideli, prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium personarum regali fastigio, ac multiplici virtutum decore splendentium, eximiaque in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione conspicuarum vota postulant, & Nos ad augendam, fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Supplicatio.

§. 1. Itaque piis, & devotis Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariannæ earumdem Hispaniarum Reginæ Catholicæ Viduæ ejus genitricis, nomine Nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia Ducem Segorbiæ, & Cardonæ Regni Neapolis Proregem, ac dicti Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem ad præstandam Nobis ejusdem Caroli Regis nomine obedientiam missum humiliter porrectis supplicationibus paterno affectu annuere cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Sacerdotibus secularibus, vel regularibus, quibus Missam de Sanctissimo Rosario juxtà Constitutiones, & Decreta dictæ Sedis celebrare licet, Missam hujusmodi de cætero celebraturis, nec non omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, etiam Tertiariis Ordinis Prædicatorum, seù Sancti Dominici, ac Confratribus, ac Consororibus quarumcumque Confraternitatum ejusdem Sanctissimi Rosarii, tam hactenus erectarum, quam in futurum quandocumque erigendarum, & ubicumque locorum existentium, qui verè pœnitentes, & confessi, vel saltem confitendi propositum habentes Missæ de Rosario hujusmodi, ut præfertur celebrandæ devotè interfuerint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice id egerint, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas Confratres, & Consorores dictarum Confraternitatum totum Rosarium recitando ex concessione dictæ Sedis consequuntur auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Prætereà omnibus, & singulis præfatis, qui Missam de Rosario sicut præmittitur celebrare, vel audire consueverint, si verè pœnitentes, & confessi ac Sacra Communione refecti, ut præfertur oraverint, ut quolibet mense easdem pariter Indulgentias, ac peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequuntur Confratres, & Consorores præfatarum Confraternitatum, qui processioni Sanctissimi Rosarii hujusmodi prima Dominica cujuslibet mensis intersunt, utque omnes, & singulæ Indulgentiæ, ac peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes hujusmodi animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari possint auctoritate, & tenore præfatis concedimus pariter, & indulgemus.

Innovat, & confirmat prout in Rub.

Contrariis derogat.

§. 2. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transsumptorum fides.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in Judicio, & extrà illud, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 1. die 16. Februarii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Februarii 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Indultum de celebrando festo, & recitando Officio Sancti Didaci Confessoris die 13. Novembris, ob impeditam diem 12. ejusdem mensis, in quo idem festum, & Officium celebrari, & recitari consueverat.

Sanctorum Catalogo adscripsit Didacum, eique Officium, & Missam decrevit Sixtus V. Const. 82.

Edita An D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Causa indulti.

CUM sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, dudum fel. rec. Sixtus V. & Clemens VIII. Romani Pontifices prædecessores nostri Officium, & Festum Sancti Didaci Confessoris dicti Ordinis professoris quotannis die 12. Novembris celebrari, & recitari concesserint, prout in eorum litteris desuper expeditis uberiùs continetur; dicta verò dies 12. Novembris Officio Sancti Martini Papæ, & Martyris impedita reperiatur. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultum in quo in rubrica.

§. 2. Nos igitur ad ea, quæ Sanctorum venerationem concernunt favorabiliter intendentes, ac prædicti Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benignè annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Necnon prædictorum Sixti, & Clementis prædecessorum litterarum hujusmodi tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero festum, & Officium Sancti Didaci Confessoris annis singulis die decima tertia ejusdem mensis Novembris sub ritibus, & formis, ac à personis, quibus id per litteras prædictas concessum fuit, & alias in omnibus, & per omnia juxta earumdem litterarum formam, & tenorem celebrari, & recitari respectivè liberè, & licite possint & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari.

§. 4. Sic-

Clausula sublata.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus, quoad eas, quæ præsentibus sunt contraria prædictis Sixti, & Clementis prædecessorum litteris, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in eis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. I. die 27. Febr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Februarii 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXI.

Confirmatio Constitutionum Pii IV. & Gregorii XIII. de pœnis Monachis Montis Oliveti, Ordinis Sancti Benedicti infligendis, qui munus Abbatis postulant, aut ad idem, vel alia munera publica per favores Principum, aut aliorum aspirant.

Ne pluries dicta otiosè repetam; vide, quæ annotata sunt ad Const. 17. Ecclesia infra hujus Pontificis.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.
Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

Exponi Nobis fecit dilectus Filius Procurator Generalis Congregationis Montis Oliveti Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, quod licet per Constitutiones dictæ Congregationis caveatur expressè, *ut qui munus Abbatis postulaverit, eo censeatur ipso jure exclusus, similiter & ii, pro quibus postulatum fuerit, in pœnam inhabilitationis incurrant*, juxta quasdam fel. record. Pii Papæ Quarti Prædecessoris litteras in forma Brevis die 2. Junii 1565. expeditas, multaque alia in dictis Constitutionibus ad excludendum ambitum disponantur; Et in eisdem Constitutionibus insertæ reperiantur quædam rec. mem. Gregorii Papæ XIII. prædecessoris nostri Litteræ, quarum initium, *Cum nihil ita alienum &c.* per quas sub pœna excommunicationis ac privationis officiorum, perpetuæque ad illa inhabilitatis prohibetur cuicumque Monacho cujusvis gradus, & præeminentiæ existat, ne favores exterorum ac Prælaturas, aliavè quæcumque majora, vel minora d. Congreg. munera assequenda procuret. Nihilominus nonnulli ejusdem Congregationis Monachi, & Abbates aditum sibi ad Prælaturas, & munera publica Congreg. hujusmodi exterorum favoribus facere satagunt, non sine maxima ipsius Congreg. perturbatione. Quare dictus Procurator Generalis de consilio, & assensu dilecti filii nostri Cæsaris titul. SS. Quatuor Coronatorum S.R.E. Presbyteri Cardinalis Fachenetti nuncupati, & Congregationis prædictæ apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio de qua in rubrica.

§. 2. Nos igitur considerantes, quod nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus à Deo tanquam Aaron, ac proinde ambitionis hujusmodi perniciosum malum à prædicta Congregatione omninò excludere cupientes, dictumque Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones memoratæ Congregationis ad excludendum ambitum, sicut præmittitur factas, ec non prædictas Pii, & Gregorii prædecessorum litteras Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Præceptum de observando.

§. 3. Ut autem præmissa firmius, atque inviolabilius observentur; Volumus ut dilecti filii moderni, & pro tempore existentes Abbas Generalis, & alii ex Defintorio, ac Procurator Generalis dictæ Congregationis pœnas in Constitutionibus, & litteris sicut præmittitur, confirmatis, & innovatis impositas contra transgressores irremissibiliter exequantur, alioquin si ea in re negligentes fuerint; postquam eis clarè constiterit, ambitiosos hujusmodi Monachos, vel Abbates favores extra eamdem Congregationem procurasse; pœnam privationis suorum respectivè officiorum eo ipso incurrant.

Clausulæ præservativæ.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum remotio.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. I. die 27. Febr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Febr. 1671. Pontificatus Nostri Anno primo.

XXXII.

Indultum pro creatione duodecim Abbatum titularium Abbati Generali una cum Definitorio Congregationis Ordinis Sancti Benedicti Montis Oliveti concessum.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex commissæ Nobis divinitus dispensationis officio cupientes ut debitus virtuti honor in Congregatione Monachorum Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti rependatur, ac ipsius Congregationis Monachos, ut in vinea Domini strenuè laborare studeant, aliquo honorificientiæ præmio incitare, nec non dilectum filium Procuratorem generalem dictæ Congregationis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à qui-

quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Urban. VIII. aliqua ut in Const. prohibet.

§. 1. Ac quarundam fel. rec. Urb. PP. VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis Litterarum die 26. Januarii 1627. expeditarum incipien. *Apostolatus Officium* &c. per quas Abbatum titularium in præfata Congregatione creatio sub certis, modo, & forma tunc expressis prohibita fuit, tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes, supplicationibus ejusdem Procuratoris generalis nomine Nobis, de consilio, & assensu dilecti filii nostri Cæsaris tituli SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis Fachenetti nuncupati, dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Abbati Generali memoratæ Congregationis, una cum Definitorio ipsius Congregationis, duodecim Abbates titulares, nempè duos pro qualibet Provincia ejusdem Congregationis, qui tamen sint ætate quinquagenarii, & saltem 20. annorum spatio lecturam, aut verbi Dei prædicationem, vel Vicarii, aut Magistri Novitiorum, aut œconomica officia exercendo, Congregationi præfatæ laudabiliter inservierint; ita tamen ut ejusmodi Abbates titulares, nec gubernium Monasteriorum, nec votum, sive suffragium in Capitulis generalibus, nec ullam aliam prærogativam, vel exemptionem, quæ Monasteriis onerosa sit prætendere valeant sed in Ecclesia, saltem diebus festivis, Missæ Conventuali, & vesperis, ac diebus singulis mane orationi mentali interesse teneantur, auctoritate nostra Apostolica creandi, ac in defunctorum pro tempore locum alios ex eadem Provincia, usque ad complementum numeri duodenarii hujusmodi, & non ultra, subrogandi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Hic Pont. indulget ut in-[illegible] rub.

Alternationes acceptandi facultatem in certa forma permittit.

§. 2. Et quia nonnunquam accidit ut aliquis Abbas regiminis dictæ Congregationis, vel proprii levamenti studio, vel alterius Monachi merito gratificandi ergò, regimen sive gubernium Monasterii sibi commissi alternis vicibus cum illo gerere sit contentus, auctoritate præfata harum serie permittimus memorato Abbati Generali una cum Definitorio præfato ejusmodi alternationes acceptare, & ad usum deducere, dummodo tamen Abbas ad id sponte consentiat, ac in Monacho concurrant qualitates ad Abbatiam juxtà præscriptum Constitutionum dictæ Congregationis necessariæ, & non aliter.

Votum in Capitulo generali Abbati gubernanti solum concedit.

§. 3. Porrò unus tantum eorum, nempè ille, qui Monasterium actu gubernabit, votum sive suffragium in Capitulo generali congregationis prædictæ habeat; Vacans autem à gubernio, in alterius gubernantis Monasterio degat; nec plus prætendere possit, quam Monachus Ordinarius, præter titulum Abbatis, & uno illorum defuncto, alter solus remaneat Abbas regiminis quamdiu vixerit, vel donec renunciaverit.

Clausulas præservativas apponit.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari.

[illegible] judicari mandat.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præfatis Urbani Prædecessoris litteris, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenùs opus sit, dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum ac Monasteriorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

D. P. A. 1. die 27. Februarii.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Febr. 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXIII.

Declaratio, in qua omne Jus prætensum super Monasterio Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini Ulyssipone erecto Fratribus Excalceatis Hispaniæ tollitur, & erectio novorum Conventuum d. Ordinis in Regno Lusitaniæ prohibetur.

Nonnulla circa materiam, de qua in rubrica emanarunt decreta Sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, quorum confirmationem habes supra in Const. hujus Pontificis 26. Alias,

Edita An D. 1661.

CLEMENS PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Pastoralis solicitudinis munere enatas inter Religiosos viros controversias, ne fraternæ charitatis serenitatem conturbent, dirimere studemus, sicut æquitati, & justitiæ consentaneum esse in Domino arbitramur.

Causa declarationis.

§. 1. Cùm itaque (sicut accepimus) dilecti filii Fratres Excalceati Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Regno Lusitaniæ Monasterium Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in quo degunt, erectum pro cura Monialium ejusdem Ordinis à jurisdictione dilecti etiam filii Prioris Generalis totius Ordinis hujusmodi exemerint, & Congregationi Excalceatorum Hispaniæ subjecerint; Novitios ad habitum admiserint, & nova Monasteria ibidem erigere, ac fundare prætenderint, pendente controversia super hujusmodi re in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, dilectus verò filius Procurator Generalis totius Ordinis prædicti institerit, revocari prædicta omnia, utpotè attentata, & hujusmodi novas erectiones, & fundationes dictis Fratribus Excalceatis interdici, ac prohiberi.

Omnia gesta per hos Fratres attentata revocantur.

§. 2. Hinc est, quod Nos, habita relatione sententiæ Congregationis nonnullorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super hoc negotio à nobis specialiter deputatorum, qui rationum momenta tàm in facto, quàm in jure per utramque partem allata pluries audiverunt, controversiæ hujusmodi finem imponere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura

delibe-

deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine attentata prædicta revocanda esse, nullumque jus competere Fratribus Excalceatis Hispaniæ super illo Monasterio Vlyssipone erecto pro cura Monialium; neque esse locum dismembrationi illius à Religione, nec esse locum erectioni novorum Conventuum Fratrum Discalceatorum Ordinis Sancti Augustini in Regno Lusitaniæ tenore præsentium decernimus, & declaramus; ac propterea illos erigi, aut fundari, harum serie prohibemus; & prædictis Fratibus Excalceatis circa suprascriptam controversiam perpetuum silentium imponimus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd præfati Fratres Excalceati, seù alii quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, seu ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seù in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudvè quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari, & illis respectivè in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

Ita judicari mandat.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorem deputat.

§. 5. Quocirca Venerabili Frati Francisco Archiepiscopo Sidoniensi moderno, & pro tempore existenti nostro, & dictæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio per præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel per alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seù alicujus eorum, desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium litterarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere. Non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria removet.

§. 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis autoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationis Fratrum Excalceatorum hujusmodi aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 27. Febr.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Febr. 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXIV.

Literæ Processus S. D. N. Clementis Papæ X. lectæ die Cœnæ Domini. Anno 1671.

De hac materia vide quæ notavi ad Const. 16. Pastoralis Alexand. VII.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Excommunicentur.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda, maximè elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam Deo auctore, tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes,

Hæretici cujuscumque sectæ & eorum fautores libros regentes. tenen. & imprimen.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Wichelephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, & cujuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sive auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seù quomodolibet defendentes ex quavis causa publicè, vel occultè, quovis ingenio,

vel colore, nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Appellantes à Pont. ad futurum Conc.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerint; Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à monte Argentario uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

§. 4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque Navibus, tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cujuſcumque maris Regionibus, & littoribus, ſurripuerint; ita ut nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris ſuis nova pedagia, ſeù gabellas, præterquam in caſibus ſibi à jure, ſeù ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeù imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Falſarii litt. Apoſt. ab habente auctorit. ſignatar.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeù gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum, necnon falsò publicantes litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſivè hujus ſanctæ Sedis ſententias expreſsè, & nominatim declaratos, deferunt ſeù tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canabem, funes, tàm ex ipſo canabe, quàm alia quacunque materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenùs conceſſis, de hujuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

Perturbantes eos, qui victualia Romam adducunt.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeù invadentes eos, qui victualia, ſeù alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt ſeù perturbant, ſeù hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeù Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel Noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeù Peregrinos ad Vrbem cauſa devotionis, ſeù peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeù Dominiis ejicientes; Necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeù præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

Offendentes ad S. R. E. Cardinales.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſeculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, Advocatos, Procuratores, & agentes, ſeù etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeù quoquomodo percutiunt; bonis ſpoliant, ſeù qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur cujuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Appellantes a gravamine seu futura executione liter. Apoſt. etiam in forma Brevis ad Cur. ſecul.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Eccleſiaſticos, quàm ſeculares cujuſcumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione liter. Apoſt. etiam in forma Brevis, tàm gratiam, quàm juſtitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum monitoriorum, proceſſuum executorialium, & aliorum Decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, ſeù Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatii noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi literarum, et proceſſuum exequutione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeù eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & ſubſequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, quivè alias quibuſcumque perſo-

nis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seù gratiis, vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recursum habeant, seù gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seù impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seù mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seù tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant; illorumvè cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt. Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compellunt, vel exequutionem literarum Apostolicarum, seù exequutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seù etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii, Ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seù Vicarii fuerint.

Judices seculares trahentes personas Ecclesiast. ad sua Trib. vel alios Ecclesiasticam libertatem quomodolibet lædentes.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia, Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seù quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, & ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, undè libertas Ecclesiastica tollitur, seù in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seù nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præjudicatur.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines, aut alias impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seù dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Auxilium præstan. usurpantibus Sedis Apost. vel Ecclesiarum jurisdictiones.

§. 17. Quivè jurisdictiones, seu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

§. 18. Qui collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seù Principes, Duces, Comites, Barones, & alii potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tàm in Lateranensi novissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Officiales seculares se interponentes in causis capitalibus contra Ecclesiasticas personas.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, exequutores, subsequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seù criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo seù sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seù alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè subjecta: necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seù illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes. Volentes præsentes Nostros processus, ac omnia, & quæcumque his literis contenta, quousque alii hujusmodi

Hæc Const. quoscunque liget.

processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.

§. 21. Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, & Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis, piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

§. 22. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus processuri.

Papæ absolutio non comprehendit eos qui à præmissis non destiterint.

§. 23. Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint; Ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, Constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seù capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, cum etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedis Apost. ac S. R. E. undecumque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse, aut debere.

§. 24. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seù aliquibus aliis cujuscumque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi ut præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, seù quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate: vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, & nominibus propriis, cognominibus & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel uti.

§. 25. Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 26. Ut vero præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, & præsentes Litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta, eo fiant notiora, quò in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus; ut per se, vel per alium, vel alios præsentes Literas postquam eas receperint, seù earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Quicunque audiunt confessiones apud se has literas habeant.

§. 28. Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis auctoritate deputati, transsumptum præsentium Litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

Transsumptorum fides.

§. 29. Volentes earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 30 Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 26. Mart.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, septimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Die, mense, & anno, quibus supra supradicta Bulla affixa fuit ad valvas Basilicæ Apostolorum SS. Petri, & Pauli, S. Jo. Lateranen. S. Mariæ Majoris, & alia loca solita, & consueta Urbis per me Matthæum Bertarellum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Egidius Felicius Curs.

XXXV.

Monasteria aliqua pro studiis Generalibus Fratrum Ordinis S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria, Polonia, Austria, Croatia, & in Suevia, & in Urbe Roma statuit, & deputat.

Privilegia hisce fratribus à Summis Pontificibus concessa habes supra in Constit. 51. In supremo *Alexand. VII.*

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Pastoralis sollicitudinis munere, sacrarum bonarumque litterarum studia, præsertim inter Christi fideles divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo addictos opportunis rationibus fovemus, & promovemus, ac ut debitus virtuti honor rependatur, libenter providemus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis decus, & incrementum, ac Catholicæ fidei præsidium, & propagationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Petitio.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sancti Pauli Primi Eremitæ, Nobis nuper exponi fecit, ut Sacrarum eisque ancillantium bonarum literarum studia, in eodem Ordine, magis in futurum vigeant, & fratres ipsius Ordinis, congruis honorum præmiis, ad illa amplectenda, atque prosequenda alacriores, & ferventiores reddantur: ipse Procurator Generalis, opportunè à Nobis provideri, & ut infra indulgeri summoperè desideret.

Decernit, ut in Rub.

§. 2. Nos ejusdem Procuratoris Generalis votis, hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut deputentur pro studiis generalibus dicti Ordinis, in Hungaria; Monasteria Tallense, & Vyheliense; in Polonia Clari Montis Czestochoviense, & Cracoviense S. Stanislai: in Austria Neostadiense; in Croatia Lepoglavense; in Suevia Lagnoviense: quibus accedat Monasterium ejusdem Ordinis in Alma Urbe nostra nuper erectum, cum sufficientes reditus, & ædificia necessaria arbitrio Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum habuerit. Lectores idonei, & Scholares in his constituantur, qui studiis sedulò incumbant ad præscriptum Constitutionum dicti Ordinis.

Studio uno ab hostibus occupato aliud substituit.

§. 3. Porro si aliquod ex prædictis Monasteriis ab Hæreticis, vel à Turcis occupatum fuerit, aut alio casu occurrente, non potuerint in eo studiorum curricula peragi, dilectus filius modernus, seu pro tempore existens Superior Generalis Ordinis præfati, cum beneplacito memoratæ Congregationis Cardinalium, aliud vicinum substituat.

Ad Doctoratus gradum promoveri posse indulget.

§. 4. Ut autem eorum, qui studia peregerint, labores, debitis honoribus decorentur, præfato moderno, & pro tempore existenti Superiori Generali, fratres expressè professos dicti Ordinis peractis studiis hujusmodi, ad Magisterii, seu Doctoratus, aliosque gradus Scholasticos, dummodo tamen prævio rigoroso examine, ad id reperti fuerint idonei, per ipsum, vel si aliquo impedimento detentus fuerit, per alium, seù alios ad hoc idoneos, ab ipso delegandos, promovendi, seù promoveri, eisque solita graduum hujusmodi insignia, servatis aliàs servandis, conferendi, seù conferri faciendi, ita ut sic promoti, & graduati, omnibus, & singulis gratiis, prærogativis, ac privilegiis fruantur, & gaudeant, quibus gaudent, & fruuntur, qui in publicis Universitatibus ad ipsosmet gradus promoti sunt, facultatem, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & impartimur.

Prælaturas nullum nisi Doctor obtinere posse decernit.

§. 5. Præterea ut nemo deinceps ad Prælaturas, & Officia dicti Ordinis, videlicet, ad Generalis, Vicegeneralis, Definitoris, Secretarii, Procuratoris Generalis, Provincialis, & Superioris localis, munera, assumi possit, qui non fuerit Doctor Sacræ Theologiæ, nisi fortè Definitorium cum aliquo, vel aliquibus vitæ probatæ Religiosis, justis de causis dispensaverit, dicta auctoritate harum serie decernimus. Hoc tamen decretum demum locum habere volumus, cùm judicio Capituli Generalis Ordinis præfati, tot numero Doctores fuerint, qui possint omnibus Officiis Religionis, sufficere. Interim verò, qui nunc Doctores sunt, & successu temporis erunt, cæteris præferantur.

Doctorum numerum statui madat.

§. 6. Cæterùm ne Doctorum numerus nimium augeatur, in proximo Capitulo generali ejusdem Ordinis, certus eorum numerus stabiliatur, quem præterire nefas sit.

Clausula præservativa.

§. 7. Decernentes præsentes litteras semper firmas, valida, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia, plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 8. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantib. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides

§. 10. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in judicio, & extra, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. I. die 3. Apr

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Aprilis 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXVI.

Erectio Universitatis Studii generalis in Civitate Urbini.

Simile erexit Studium in Civitate Ferrariæ Bonifac. IX. ut videre est in ejus Constit. 2. In supremo, *eique deinde privilegia concessit Clemens VIII. Constit.* 94. Sanctæ Romanæ.

CLEMENS PAPA X.
Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D. 1671.

Exordium.

AEternæ sapientiæ consilio speculatores Domus Israel, quæ est Sancta Dei Ecclesia, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, excitandis, promovendisque bonarum literarum, & laudabilium disciplinarum studiis, quæ Catholicæ fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, ac Justitiæ administrationi, aliisque in publicum commodis magnopere conducibilia sunt, & depulsa ignorantiæ caligine, mentes luce veritatis illustrant, peculiarem pastoralis muneris nostri sollicitudinem propensa charitate adhibemus, sicut omnibus maturæ considerationis

trutina

trutina perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ac ad hujus Sanctæ Sedis dignitatem, nostrorumque, & ejusdem Sedis in temporalibus subditorum decorem, commodum, & utilitatem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causæ Constitutionis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, & homines Civitatis nostræ Urbinatensis, quod cùm Collegium Doctorum ejusdem Civitatis ex antiqua consuetudine publicam in ea Institutionum Juris Civilis lectionem haberet, ibique Philosophia, & Sacra Theologia à Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum publicè quoque prælegerentur, in utilitatem studiosorum, ut peractis studiorum curriculis, ad Doctoratus lauream provehi valerent; dilectus filius noster Alderanus S. R. E. Presbyter Cardinalis Cybo nuncupatus tunc temporis in illis partibus Sedis Apostolicæ Legatus, probè cognitum, perspectumque habens quantum eidem Civitati decoris, atque utilitatis accedere poterat, si instituto ibidem studio hujusmodi, quo parentes eorum liberos studiorum causa alibi sustentandi onere, atque impensa liberabantur, incrementum, atque norma traderetur, lecturas prædictas in aliquot mansiones remotas, nec ulli alii usui applicatas Palatii Pontificii dictæ Civitatis insimul redegit, aliasque ordinarias Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, ac aliarum scientiarum, seù facultatum, & præsertim mathematicarum disciplinarum, quæ in eadem Civitate ante hac eximiè floruerunt, lectiones, sive Cathedras instituit, ut ibidem, tàm indigenæ, quàm exteri credita sibi à Domino talenta docendo exercere valerent, & juventus ad ingenuas artes, atque scientias addiscendas, atque excolendas ardentiori stimulo incitaretur; huicque studio nonnullos paucos reditus, sub Vexilliferi pro tempore existentis & sex nobilium prædictæ Civitatis superintendentia, assignavit.

Innocent. X. & Alex. VII. studio reditus assignant.

§. 2. Ac fel. rec. Innocentius Papa X. prædecessor noster cognita grandi utilitate, quæ inde resultabat, in favorem ejusdem studii quædam bona stabilia duorum Conventuum suppressorum Congregationis Monachorum Cœlestinorum, & Ordinis fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virgini respectivè concessit, & subindè rec. mem. Alexander Papa VII. etiam prædecessor noster publici pariter commodi consideratione adductus, proventum annuum Sphæristerii, qui priùs ad existentem pro tempore in eisdem partibus Sedis prædictæ Legatum spectabat, eidem studio applicavit.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, emolumenta quidem ex pr[illegible] n issis proventia, stipendiis, quæ Lectoribus dicti studii annuatim præstantur sufficiant; Si verò studium hujusmodi in Universitatem studii generalis cum privilegiis, & indultis ad instar illorum, quæ à piæ mem. Clemente Papa VIII. prædecessore pariter nostro Vniversitati studii generalis Civitatis nostræ tunc suæ Ferrariensi concessa fuerunt, erigeretur, & institueretur, inde numerus studiosorum, tàm provincialium, quàm exterorum ibidem excresceret, & non solum dictæ Civitatis Urbinatensis, quæ à mari remota, commercio non admodum floret, sed victualibus abundat, & quieti quam literarum studia desiderant, colendæ peropportuna existit, decori, & ornamento, sed etiam illius Civium, & incolarum compendio, utilitati, & levamento magnoperè consuleretur.

§. 4. Cùmque dicti exponentes hujusmodi erectionis, & institutionis gratia procuraverint, ut idem studium, ac memoratum Doctorum Collegium, quod ante hac à dicto studio divisum fuit, & (ut asseritur) vigore quarumdam similis rec. Pii Papæ IV. etiam prædecessoris nostri literarum per similis mem. Urbanum Papam VIII. prædecessorem pariter nostrum confirmatarum facultate conferendi Lauream Doctoralem in quibuscumque facultatibus, ac creandi equites, & legitimandi spurios fruitur, nec non ex privilegio per piæ pariter mem. Julium Papam II. & dictum Pium prædecessorem concesso, de causis appellationum in secunda, & tertia instantia, tàm civilibus, quàm criminalibus, Ecclesiasticis, & profanis in illo statu, & Provincia cognoscit firma, stabilique unione inter se conjungerentur; Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur ad constantis fidei, & sinceræ devotionis affectum, quem dicti exponentes erga Nos, & Sedem prædictam gerere comprobantur, paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque votis in præmissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio à similis rec. Clemente Papa IX. prædecessore pariter nostro deputatorum consilio, in præfata Civitate Urbinatensi ex Collegio Doctorum, & studio hujusmodi, sicut præmittitur inter se unitis, & conjunctis unam Universitatem studii generalis, in qua Sacra Theologia, Jus Canonicum, & Leges Civiles, Philosophia, Mathematicæ, aliæque ingenuæ disciplinæ scientiæ, & artes publicè doceantur, & prælegantur, & qui peracto studiorum curriculo habiles, & idonei reperti fuerint ad Baccalaureatus etiam formati, ac Magisterii, & Doctoratus, aliosque gradus Scholasticos, servata tamen in omnibus forma, & dispositione Viennensis, & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promoveri liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, prout in aliis studiorum generalium Universitatibus per Sedem Apostolicam prædictam erectis fieri solet, auctoritate Apostolica tenore præsentium sine alicujus præjudicio perpetuò erigimus, & instituimus.

Erigit studium de quo in rubrica.

§. 6. Ac ipsi Universitati studii generalis sic erectæ, & institutæ, ejusque Rectoribus, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, & gratiis quibuscumque, quæ tàm per prædictum Clementem VIII. quàm alios quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros præfatæ Universitati studii generalis Ferrariensis, ejusque Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis respectivè, etiam per viam communicationis, & aliàs quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, pari modo, & absque ulla prorsus differentia, uti, frui, & gaudere liberè pariter, & licitè valeant, sine ullo tamen præjudicio exactionum Cameralium, circa quas nihil innovatum sit, auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuò concedimus, & indulgemus.

Officialibus privilegia concedit.

§. 7. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium erectionum, & gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & successo-

Clausulæ præservativæ.

res

res nostros Romanos Pontifices, ac Sedem prædictam quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriore data per eos, ad quos pro tempore spectabit eligenda de novo concessas intelligi, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, & illis respectivè in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari.

Clausula sublata.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. prædictæ Cardinales etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam qvavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quatenus opus sit dictæ Civitatis Urbinatensis aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibuscumque personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. An. 1. die 6. Apr.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXVII.

Canonizatio S. Rosæ de S. Maria Virginis Limanæ tertii Ordinis S. Dominici.

Istam Sanctam primus Sacras promovit ad Aras, de eadem Officium, & Missam recitari posse decrevit Clemens IX. Constit. 18. Sanctæ Matris.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cœlestis Paterfamilias, cujus natura, bonitas, voluntas, potentia, & opus misericordia est, ubi ad Magnam Divinitatis Cœnam invitatos Judæos se ipsos, ut indignos eximentes conspexit, ad vicos, & plateas Civitatis accersentem hinc indè alios atque alios Convivas servum fidelem transmisit; Verùm nec pauperum multitudine, nec debilium cœcorum, aut claudorum copia, nec his qui propè, nec his, qui longè erant contentus, ad regale epulum, in quo non pauca, sed omnia parata erant, & ad Cœlestem domum implendam in ulteriores gentes destinatum Nuncium progredi jussit. Undique ex Asia, Africa, & Europa Sanctorum Virorum, atque Mulierum cujuscumque ætatis, conditionis, & gradus agmina collecta fuere, sola esuriens languebat America, nec Domini volentis salutem omnium arcani mysterii conscia, nec Ministri vocantis voces audire valens, donec venit plenitudo temporis, & per ministros fideles sedentium in tenebris, & umbra mortis auribus vox Patris insonuit, illatumque est Evangelium ultra Indum, & Gangem, & Aequatorem, & per omnes compitorum angulos famelici quæsiti Gentiles, ut in parato Convivio pinguium, ac medullatorum cum Deo Abraham, Isaac, & Jacob in Regia sua recumberent. Tandem ultra totius antiqui Orbis extremos fines longè, latèque usque ad ultimas Atlantici Oceani metas, & usque ad extimas Occidentalium Indiarum oras, quæ maris (quod pacificum dicitur) sepiunt immensa littora: iterum atque iterum fideli Servo, (per quem Prædicatorum Ordo maximo hujus S. R. E. Doctore, & prædecessore nostro Gregorio testante significatur) excurrendum fuit, donec ad Peruviam perveniret, in quam una cum iis, qui Regionem illam felici introitu, ac successu Deo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecerunt, primus ille penetravit Ordo, qui singulari hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ privilegio Prædicatorum titulo jam diù insignitus fuit, & antè alios Peruvianæ gentilitati Sanctum JESU Christi Evangelium annunciavit. primusque ibi salutiferæ prædicationis verbum suo sanguine obsignando universam illam Gentem ad Cœnam Agni providi efficaciter invitavit, cujus voce, labore, & cruore aurifera illa terra exculta ad exhilarandam universæ, tàm militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ Cœnam inter cæteros Christianæ pietatis illius Regionis flores Deo, Angelis, & Hominibus suaveolentem protulit Rosam totius Evangelicæ perfectionis exemplar, & primum ex Orbe novo in Sanctorum albo reponendum ornamentum, cum enim ad hoc nata, & data fuisset, eam omnium impartitor bonorum spiritu sapientiæ, & intellectus implevit, adeoque suæ charitatis igne inflammavit, ut non tantùm odore recrearet, sed etiam fulgore luceret in ea Domus Dei parte, quæ in tenebris latebat, ut quasi Stella matutina in medio nebulæ, quasi Luna plena in diebus nostris, & quasi Sol refulgens in perpetuas æternitates splendesceret.

Ordo Prædicatorum primus in Indus Orientalibus Evangelium infert.

Aequum igitur, & summoperè rationi consentaneum judicamus, ut quàm Dominus Noster JESUS Christus, (cujus vices in terris gerimus) singulariter in dilectissimam à se sponsam assumptam monilibus, & Coronis suis ornatam demonstrare dignatus est, Nos quoque pro muneris nostri in universa Ecclesia debito: (cui licet immeritò præsidemus) ut Venerandam à Deo prælectam, Sanctamque colendam Apostolica auctoritate decernamus, ut à Solis ortu usque ad occasum omnis lingua, & omnes populi confiteantur, quod Magnus Dominus in omnibus operibus, & laudabilis valde in mirabilibus suis, quoniam etiam in diebus nostris non defecerunt misericordiæ ejus super nos, & licet paternè culpis nostris exigentibus corripiat, non tamen in perpetuum obliviscitur, sed in angustiis nostris multiplici nos electorum, & amicorum suorum præsidio custodire non desinit, qui meritorum, & suffragiorum suorum patrociniis nos muniat, & defendat, utque Christi Domini fideles intelligant, quàm sit eximium hoc pietatis exemplum, quod in novo Orbe in præsentibus calamitatibus, & periculis toti illuxit Ecclesiæ, illustriora ejus charismata, virtutes, & gesta ex multis Magnatibus, quæ contulit illi Dominus his nostris literis proponenda duximus, ut ejus Sanctitas Apostolicæ hujus Cathedræ testimonio comprobata in universo Mundo perpetuò magis illucescat.

Limæ Rosa nascitur.

§. 1. Limæ, quæ est Meridionalis Americæ in Regno Peruano Metropolis anno à reparata salu-

te 1586.

te 1586. duodecimo Kalendas Maji Parentibus honestis Gaspare de Floribus, & Maria ab Oliva orta est hæc mystica Rosa in vico Sancti Dominici juxtà S. Spiritus ædem & in ipsa solemni Pentecostes die, quam Rosarum Pascha dicimus, Sacro-Baptismatis fonte purificata, ut penè videantur omnia fuisse infantis hujus futuræ Sanctitatis indicia. Primævum illi nomen ab Avia Elisabeth fuit, quod postea divinitus non solùm à Matre propter cœleste prodigium rosæ in facie ejus illico apparentis, sed etiam à Turibio Archipræsule Limæ dignissimo: (non absque cœlesti, ut creditur afflatu) in Sacri Chrismatis unctione in Rosæ nomen commutatum, & à Deipara Virgine agnomine à Sancta Maria auctum fuit, ut hoc etiam testimonio abundantiùs comprobaretur, eximia Sanctorum merita à Deo nomina sortiri.

§. 2. Infans sæpè visa est humi jacens fixis ocellis jucundè Cœlum intueri, quasi jam peregrina in terris, in Civem Cœlestis Hierusalem eloquenti silentio [quo ex tunc prædita erat] adscribi postularet, jamque popula intelligens meliorem esse patientem viro forti, suavis, lepida, & serena semper apparuit, nec unquam vagitibus, aut voce querula ædium audita est turbare silentium, aversata solùm in publicum efferri. Ea fuit in teneris annis constantia, ut diros Chirurgi cruciatus in pollice, aure, & naribus sine querela, & capitis pœnalem corrosionem ex impositis ad medicamen pulveribus ortam sine querela invicto animo sustineret, ut ejus indoles, jam ex tunc patientiæ nata esse crederetur.

In Infantia constans.

§. 3. Vix quinquennis erat cum à Spiritus Sancti unctione interiùs edocta, Virginitatis votum emisit, & ex fratris admonitu vanitatis seculi conscia facta ipsamet sibi comas ad vivam usque cutem inscia Matre præscidit, ne quid funium superesset, quibus adversus devotam puritatem, aut traheret, aut traheretur ad nuptias; Insignem illam Heroinam Catharinam Senensem æmulata, quam sibi in ipso rationis diluculo in Sanctitatis exemplar, & magisterium delegerat, quam subindè Magistram appellare non destiterit. Addit in præsidium primo alterum perpetuæ à carnibus abstinentiæ votum, quò cautiùs obstrictam Deo Virginitatem custodiret; optimè intelligens sobrietatem docere sapientiam, & virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus: Quapropter jejunium adhuc parvula sic servavit, ut omni se fructuum esu interdiceret, quos sibi donatos mox aliis largiebatur. In hebdomarum spatia protrahebat inediam, quæque in puerilibus annis insignem exercuerat abstinentiam, Monialis postea eam sibimet jejunandi legem indixit, quæ planè supra naturam esset: nam integras Quadragesimas transigebat sine pane, dietim quinis dumtaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Christi sese reficiebat; septem verò mensium ex Ordinis sui præscripto jejunium à festo Sanctæ Crucis exaltatæ usque ad Pascha sic observabat, ut nonnisi ad vesperam exigua panis vilioris bucella, haustuque frigidæ aquæ sedaret famem. Sæpè, ac præcipuè sextis feriis palatum, & viscera cruciabat felle vervecino, quod in hunc usum potabile servabat, ut Christi sui in Cruce sitibundi gustaret spongiam. Interdum, ut Matri videretur lautiùs obsonare amarissima Granadillæ folia, vel alias è sylva extremæ amaritudinis herbas injectis ad speciem paucis uvarum siccarum acinis in pulmentum adhibebat. Quando obedientiæ vi ad Carnis esum cogebatur, duris symptomatibus torqueri visa est, nec quietem primam reparabat, donec ad pristinam abstinentiam læta redire permitteretur. Sic denique assueta jejuniis erat, ut ejus creberrimis infirmitatibus nullum aliud prodesset medicamentum quam panis, & aqua, sic enim divina gratia curat, & sanat.

Virginitatem vovet.

Et abstinentiam à carnibus.

Rosæ Jejunium.

§. 4. Ut loqueretur victorias, mirabilis fuit in Rosa obedientia, tum in sequendis Divini Sponsi tractibus, quibus eam per arcanas Sanctitatis semitas in unguentorum suorum currentem odorem trahebat, tum in duræ, & rudis Matris præceptis adimplendis, quibus eam ex adverso ad seculi nugas, & vanos corporis ornatus impellebat, in tanta enim oppositorum mandatorum diversitate arte excelluit plusquàm humana non aberrando, neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Et Obedientia.

§. 5. Hinc novit in florigero serto vera filia Hierusalem jussa illud capiti imponere, celare acum tempora figentem, non solùm intuita, sed imitata verum Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. Chirothecarum suaveolentium in manibus obtemperans admisit amictum, è quibus adustionem veram experta, dum eas abjicit, vidit promicare flammas, & totum collucere cubiculum. Pellibus ab ipsa genitrice pro reparanda valetudine circumligatis summè cruciata silens, & patiens sustinuit, vitam potiùs, quàm obedientiam perdere parata; in omnibus enim, & per omnia à Confessariis parentum, & majorum nutibus pendens, mundi, & sui victrix etiam in minimis omnes obtemperantium palmas obtinuit: & quod magis mirandum est, etiam vita functa in Cœnobio Sanctæ Catharinæ Luciæ Præfectæ illius obedientiam præstitit.

In summo dolore patientia.

§. 6. Sciens etiam Deo, Parentibus, & Magistris nunquam reddi æquale eximiis prosequuta est Genitores reverentia, pietate, & charitate, labore manuum eorum, inopiam levem reddebat, prudens, & providens in removendo quidquid eis ingratum, aut inquietum esse posset, in pacandis contentionibus, & sedandis animis mirificè discreta, Infirmæ eorum valetudini semper promptè, & providè assistens, & ministrans visa fuit. Ad hoc per singulas noctes in operibus elaborandis vigilias protrahebat ad instar fortis illius mulieris, quæ de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis; debilis enim, languens, & sæpè ægrotans, ac orationibus, & aliis exercitiis detenta, & aliarum artificum opera, & celeritate, & perfectione, quàm longè superabat; Nec prætereundum, quod in hac pietate erga parentes cursum vitæ suæ feliciter clausit, Matrem enim prævidens pro sui obitus adventu summo mœrore afficiendam, Sponsum suum enixè precata tantam divinarum consolationum sensibilem affluentiam ei obtinuit, ut post modum jurejurando deposuerit se in tam dilectæ filiæ præmatura morte expertam fuisse cor suum nimis angustum, & incapax ad Cœlestia illa gaudia capessenda.

Erga parentes reverentia.

§. 7. Humilis Virgo sibi videbatur nil agere, aut pati in Sponsi famulatu, seipsam redarguebat supinæ ignaviæ, vociferabatur se indignam communi aëre, mirabatur se vivam terræ hiatu nondum absorberi: ad pedes Confessariorum lachrymis plena singultiebat, minimos quosque defectus ita exagerans quasi atrocissimorum scelerum cumulatim rea foret, publicas Urbis, aut regionis calamitates suis imputabat demeritis, ægritudines creberrimas, & acutissimas acceptabat, & amabat, seu vindices, ac justa supplicia suæ in Deum perpetuæ ingratitudinis, provocabat in se omnia mundi elementa ad vindicias injuriarum, quas eorum Creatori à se illatas querebatur, credebat firmiter, & ita ab omnibus credi satagebat, omnium se creaturarum esse abjectissimam, & pestilentissimam, nævum execrabilem infelicis seculi, Orbis maculam, humani generis ultimum carcinoma. Hinc si deprehenderet de virtutibus se tantillum commendari, cruciabatur misera, expallescebat, diffluebat lachrymis, dehiscebat illicò se mergens in abyssum humilitatis. Accidit, quòd è vicino ædium conclavi obiter audiret personas graves de Rosæ tanquam absentis mirabili vita honorificè, ac secretò confabulantes: expavit, & adtremuit exanguis virgo, angore, fletu, & mœrore dista-

Humilitas.

bu-

buit, ac seipsam durissimè objurgans; ter, quater illisit pugnum aculeatæ capitis sui Coronæ, fluxerunt sub velo sanguinis rivi, ut acrimonia doloris ingratissimum alienæ laudis obtunderet auditum. Familiaribus suis ingenuè profitebatur humilis Rosa plectendis suis criminibus haud sufficere communem gehennæ rogum, alium sibi deberi singularem infernum, ac veteri profundiorem, longèque deteriorem.

§. 8. Ducebatur inter hæc virtutum exercitia à Sponso, tàm ad exteriorem corporis quàm ad intimam spiritus solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor ejus, obsistentibus ex adverso importunis genitricis conatibus quibus eam ad connubia terræ parare satagebat, ad quæ non solùm verbis durioribus, sed etiam verberibus impellebatur: sed vicit invictus Rosæ animus, prius enim Cantæ, ubi cum suis morabatur per quadriennium semel tantùm à matre jussa domo exivit, post exemplo suæ Magistræ rigidiore inedia vultus venustatem imminuere, veste humili, & despecta corporis agilitatem celare, hominumque prospectum quoad poterat declinare curavit. His sanctis artibus spes omnes nuptiarum elusit, non tamen quancumque pugnam evasit. In statu enim vitæ deligendo diù, multumque luctandum fuit. Tandem obtinuit vigesimo ætatis anno, ut consentiente matre cooptaretur palam in filiam S. Dominici, assumpto S. Catharinæ Senensis habitu, quo candent Sorores tertii Ordinis vulgò de pœnitentia Eam namque severioris Instituti S. Claræ primæ Virgines Monasterii Limensis in fundationis sodalem habere totis viribus conabantur. Sanctimoniales postmodum S. Doctoris Ecclesiæ Augustini illam jam domo ad hoc egressam præstolabantur sacro hoc amictu, & nec frustra, ni ante Aram Beatissimæ Virginis Sanctissimi Rosarii immobilem vis divina tandiù detinuisset, quoad cœptum itineris propositum retractaret; Unde cœlitùs admonita Ordinem Prædicatorum esse in Sancta Ecclesia Paradisum voluptatis Divinæ in quo ipsa velut Rosa cœlestis cæteris ibi liliorum, & rosarum vernantibus plantis socianda, & inserenda erat, quod postea ex intimis præcordiis optans petebat, & voti compos facta ante prædictam sibi summè gratissimam Sanctissimi Rosarii Aram Alphonso Velasquez ejusdem Ordinis tunc à Confessionibus ipsius Virginis dante anno Domini sexto supra millesimum, & sexcentesimum in clara Sancti Laurentii celebritate habitum suscepit. Verum nec adhuc integra pax; suadebat enim postea Quæstor Gundisalvus vir optimus, qui apud Virginem Rosam sibi concreditam authoritate, & domestico imperio plurimum valebat, reformatam Excalceatarum Virginum Sacri Carmeli Regulam in clauso Cœnobio potius subire, quàm inter postremas Sancti Dominici Tertiarias extra septa Monasterii militare, se non tantum protectione, sed & opera, & opibus adjumento futurum pollicebatur, Theologorum scrutiniis in hoc causa anceps sententia stetit, donec ipsa cœlitùs roborata constantissimè status religiosi delectum non humanæ, sed divinæ inspirationis opus esse demonstravit, sibique vivendum usque ad extremum spiritum sub Sanctæ Catharinæ Senensis Magisterio, & tandem futurum tempus, quo ibi Limæ exurgeret hujus nominis, & Instituti Monasterium quod prophetico spiritu pronunciatum fuisse, eventus ipse postea comprobavit. His omnibus superatis eo gravior, quò intimior adhuc difficultas emersit; importunè enim se ingerebat in humillima sui cognitione molesta cogitatio, quod ipsa peccatis sordida illo niveo, & sacro amictu, nimis esset indigna, nec destitit pugna, donec antè ipsam Sanctissimi Rosarii Aram in placidissima extasi rapta, & pallens, & rubens, ac splendoribus fulgida apparens, & post sensibus reddita, in jubilum grati animi ob tantæ victoriæ erupit.

Habitum S. Dominici suscipit.

Extasis.

Tantæ molis erat pacificè Seraphicæ suæ Magistræ habitu, & Instituto potiri, quam postea sic adamussim expressit, ut non solum ab exteris altera Senensis Catharina non sine magno humillimæ Virginis angore animi diceretur, sed & ipsi Confessario in lineamentis, gestu, & vultu, sic in illam mirabili divini amoris methamorphosi commutata appareret, ut jam non similis, sed eadem prorsùs esse videretur.

§. 9. Oraculum illud divinum sponsabo te mihi in fide etiam cum hac dilecta, & electa Dei eximio privilegio impletum fuisse dignoscitur, ad quod eam per mirabiles favores evehere dignatus est. Singularis fuit, quo speciosus forma præ filiis hominum habitu marmorum cædendorum peritissimi Artificis festivus, & amans in somnis apparuit, ut Virginem illic sponsam quæsiturus. Ubi Rosa in tanti connubii fœdus consensit arduos ei cædendorum marmorum labores imposuit, & brevem terminum ad perficiendum opus, dum peregrè rediret, indixit; erubuit virgo in Sponsi reditu omninò impar suis viribus opificium adhuc infectum inveniri, cui dolenti reseravit ille amplam lapidariam officinam, in qua innumeræ electæ Virgines cædendis, & poliendis marmoribus viriliter insudabant, sponsas esse ex nuptiali veste, & fulgore deprehendit; suarum lacrymarum stillicidiis saxa ad incisionem emollientes, & una cum illis consimili veste circumamicta novit se ad tanti sponsalitii gradum per ardua præparari; his igitur, & eo virginali candore nitens, ut nunquam nec venialis impuritatis macula eam aspersam fuisse, omnes ejus à confessionibus jurati testes probaverint; apertius ad mysterium ventum est. Dominica erat Palmarum, cum in ipso Rosarii sacello in sui nihili abysso demersam sic affatus est. Rosa cordis mei tu mihi sponsa esto; Contremuit Virgo ad dulces tam divini Sponsi voces, & simul audivit gratulantem sibi Deiparam, & dicentem, en Rosa, quali te dignatur honore meus hic filius. Inæstimabiles divini amoris Thesauri, & connubialia tanti Sponsi maxima in Rosa munera tam largiter depluerunt, ut ad ea imposterum occultanda humilioribus adhuc exercitiis continuo vacando, & de se abjectissimè sentiendo, ac in omnibus sui contemptum sibi comparandum esse cognoverit, & reipsa opere compleverit.

JESUS Rosæ apparet.

Et sponsam vocat.

§. 10. His donis aucta, & charismatibus cumulata ferventiùs Virago ista accinxit adhuc arctius fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum, deficientibus enim ad suæ fidei martyrium Tyrannis, & tortoribus, se ipsa fortior, utriusque in se explevit ministerium. Saxa enim, & Cruces quibus parvula usus flagellorum ignara à Mariana Ancilla suarum mortificationum ferè sola conscia ad orationem, vel ad hortum pergens onerabatur, in ferreas catenas commutavit, quas aptavit in flagra, quibus ad sancti Dominici exemplum singulis noctibus usque ad rivulorum sanguinis copiosam effusionem, vel pro ærumnis Sanctæ Ecclesiæ, vel pro periclitantis Regni, aut Urbis Limensis necessitatibus, vel pro compensandis peccatorum injuriis, vel pro expiandis defunctorum animabus, vel ad impetranda divina subsidia in extremo agone constitutis, cruentam se Deo victimam ad ejus justam iram avertendam offerebat, horrescentibus quandoque domesticis ad tam diros catenarum ictus, quarum usu in interdicto, earum una sic triplicato ductu lumbos latenter diu præcinxit, ut numquam nisi maximorum cruciatuum Ischiadis vi apparere potuerit, quæ postea nonnisi interveniente miraculo soluta fuit; cujus annulos post Virginis obitum miram, & peregrinam suaveolentiam spirare compertum est. Ne qua verò pars innocentis corpusculi vacaret à supplicio; pœnalibus vinculis brachia, & lacertos torqueba, urticarumque manipulis, ac minutulis sentibus pectus, axillas, ac

Mira fortitudine se flagris cædit

Vinculis lacertos torquet.

Cilicium induit.

latera arctabat, ut suo lilio inter spinas constituto omninò configuraretur hæc Rosa cilicii postea à collo infra genua protendentis asperitatem acubus perm xtis a xit, quo conpluribus annis usa est, donec ob frequentem sanguinis vomitum exuere jussa fuit, cujus supplicii jacturam alia veste minori valetudinis damno, sed non leviori molestia compensavit; sub ea enim pœna erat ei quicumque motus, solæ plantæ ab his doloribus vacabant, quas tamen aut saxorum collisione, aut fornacis adustione à cruciatibus immunes, esse non sinebat & quod ferè singulare est in divinarum consolationum affluentiam, quibus solet sanctitas etiam in terris abundare, & piorum caro in Deum vivum jucundatur, & exultat, ab eis corpus suum alienum, & jejunum esse cogebat. Memor ulterius non decere sub capite spinoso membrum delicatum inveniri, compuncta obtutu piæ imaginis muto præconio dicentis: Ecce homo, primam coronam capiti suo ex stamno peracutis claviculis infixit, & per aliquot annos non sine vulneribus cinxit, cui in majoribus annis successit secunda, nonaginta & novem aculeis armata, quam in dies diversimodè semper magis pœnalem arte familiaribus occultam reddebat, eamque nonnisi cum vita dimisit.

Plantas saxorum collisione cruciat.

Ac coronam ex stamno peracutam capiti imponit.

§. 11. Neque enim videbatur ei seraphicæ magistræ plenè induisse habitum, nisi & spineam illius assumpsisset coronam. Hujus diadematis triplici jactu in Sanctissimæ Triadis reverentiam Dæmonum suggestiones illicò fugare consueverat, satis instructa tales spinas non violare, sed vallare has Rosas: strati sui duritiem eam esse voluit, quæ somnum magis abigeret, quam conciliaret, ita ut dormituræ idem esset lectulus, & equuleus, cervical aut impolitus truncus, aut lapides in hunc usum absconditi, quod cubile præacutis posteà tegularum fragmentis, testarumque fractarum triquetris sic implevit, ut singularum pars mucronata obverteretur corpori, nec ante se ad somnum componebat, quam fellis haustu fauces amaricasset, sic floridus erat hujus sponsæ lectulus, & sponso divino adeò gratus, ut eam quandoque propter hæc penè exanimem visibiliter apparens consolatus fuerit, proponendo ei duriorem, & angustiorem suum lectulum Calvariæ. His artibus somnum suum intra duarum horarum angustias coërcuit, & quandoque etiam minus spatii importuno exactori concessit, diurnum enim, nocturnumque tempus sic distribuebat, ut ex utroque duodecim integras horas orationi seponeret, alias decem labori manuum, quo Parentes sustentaret, impendebat, reliquas duas brevi quieti, somnoque deputabat, adversùs cujus insidias clavum parieti infixerat, cui capillitium, quod ad tegendam coronam reservarat, strictissime implicabat, eoque tormento somnolentiam fugans ad preces recitandas vigilias accrescere consueverat.

Qua Dæmonis suggestiones fugat.

Lectulum testis struit.

§. 12. Aemulata Sanctorum Anachoretarum secessus, qui in eremi solitudine Christum Dominum receperunt, adhuc infans solitarios domi angulos quærebat, puellarum nugas fugiens, ut sola cum Deo suo delitesceret, grandiuscula ex umbrosis arborum ramis Oratoriolum cum Altariolo construxit, illudque à mensa, & à lectulo surgens, ut ad orandi asylum properabat. Proverbium erat. Hortum adeas si Rosulam quæris. Domi in cubiculo sola in oratione pernoctabat. Exitus è domo pœnis etiam sibi, vel in pede saxo, vel in oculis mordacissimo pipere indico inflictis vitabat, tolerabilius judicans excæcari, quam vanitates seculi prospicere. Pro arctiori recessu non sine magna lucta, & prævio mirabili ostento Deiparæ, & Pueri JESU in Sanctissimi Rosarii Sacello, tandem obtinuit à matre in extremo horti angulo cellulam quinque pedum longitudinis, & quatuor latitudinis, ubi non solum manuum labori, sed potissimum collectioni spiritus, & contemplandi studio vacaret, tantum ibi solum inesse spatii gaudens quantum sibi, & sponso cœlesti sufficeret, in hac felici eremo ascensiones in corde suo disponebat, & supra se elevata videbatur potius extrà corpus, quam in corpore degere (sub specie stellæ probatæ perfectionis matronæ in visu apparuit. Civitati enim Regum qualis dicitur Lima suum debebatur sydus, quod ad Christum Dominum Regem Regum Dux esset) divinitùs prospectum fuit, ut ibi residens complures distantes missas audiret, videretque non secùs, ac si corpore præsens fuisset, innumeri culices hanc Anachoreticam cellulam intrabat, nec tamen, vel unus fuit, qui eam morderet, aut attingeret, esto etiam religiosas personas accedentes hostiliter invaderent hujusmodi bestiolas ad Dei laudes pro suo modulo personandas sic incitabat, & mirabiliter regebat, ut Rosa propè attigisse imperium statui innocentiæ reservatum, & in ea solitudine velut in Paradiso morari crederetur. In hujus tugurioli recessu cum sola erat, aut à nemine se observari putabat tenerius simul, ac liberius Prosa, Versu, Colloquiis, & Cantu in solemnia quæque Seraphici Amoris laudes erumpebat eo fervore, & impetu, ut audientium corda ad charitatem, & compunctionem ignara commoveret. Ex ipsa Divini amoris ignita pharetra jaculatorias collegerat in formam Precatiunculas, quæ legentibus placuere, & multis usu profuerunt. His interpellabat. Verum Deum, & sponsum animæ suæ lætitiam cordis sui, ac benignissimum JESUM amore illo perfectissimo, quo simul universi Cives Empirei eum diligunt se prosequi, & consumi toto corde protestabatur. Adventante hujus sui dilecti in Bethleem natali, cum eum parvulum, & nudum cum inope Matre contemplaretur, piorum operum singulari, ac pretiosa consutura dignas amore infantulo vestes pluries præparabat, indusioli enim panniculorum temporis, quo delituerat stragulæ fasciæ fimbriarum, & limborum, ac crepundiarum loco substituerat Rosaria, stationes ad Sanctiss. Eucharistiam, jejunia, coronas Domini orationes Dominicas, Salutationes Angelicas, Symboli Apost. recitationes, & plurium aliarum precum, flagellationes, lacrymas, interventus Missarum, & Sanctissimæ Communionis sumptiones; quæ omnia frequentissimè repetebat. Hisque Sancti Amoris exercitiis sic animam, & cor suum illi sacraverat, ut tota ipsius, veluti dilectissima Sponsa esset, & nihil sibi reservaret, quod Sponsus ejus omnino non possideret. In cōnubiali annulo, quem in tanti sponsi mnemosinon cum ipsius infantis JESU effigie laborari mandaverat; fratri ejus dum in eo delineando incumbit, quamvis tanti mysterii penitùs ignaro pro lemmate divino instinctu illa eadem Regis Regum sponsalitia verba occurrerunt; Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Annulus iste eam ab ipso Christo Domino vim supernam obtinuit, ut eum vir probatæ virtutis attrectans eximias divini amoris immissiones, excelsa lumina, & insuetos Spiritus Sancti ardores usque ad animæ deliquium expertus fuerit, corpore prorsùs immobili, nec nisi annulo deposito potuerit surgere liber, qui sensibiliter in captivitate, tam sanctæ nuptialis lætitiæ tenebatur. Quod si tantum in aliena, quantum in ipsa sponsæ anima divinæ illæ nuptiæ valuerant.

Solitudinem quærit.

Ut sollicitius adorationem surgeret.

Annulus ejus Divini Amoris ignes excitat.

§. 13. Habitavit igitur hæc amantissima Domini confidenter, & quasi in thalamo tota die morabatur in eo: edocta enim in ipsa infantia interiùs ab ipso ferventer orare etiam dormiens deprehensa fuit ore diurnas proferre preces, & cor ejus in oratione vigilare. Anno ætatis suæ duodecimo elevata fuit ad sublimem illum contemplandi gradum, quem mystica Theologia unitivum appellat. Inter manuales labores intellectus aciem immobiliter in Deum figebat, ita ut nec in vigilia, nec in somno mentis ejus oculum Cœlesti sponsi

Dormiendo orat.

elabe-

elaberetur præsentia, quæsita suaviter occubat interiores animæ illius vires, ut loquendo cum ipso Deo intus, simul etiam alia quæque necessaria expedite foris pertractaret. Per horas immota ante aras, nec prætereuntes vidit, nec ad repentinos strepitus animum deflexit. A mane feriæ quintæ usque ad Sabbatum quandoque etiam usque ad Dominicam sic genibus flexis invariata mansit ut nec è pavimento surgere potuisse, sincerè jussa, aperuerit. Attributa divina distributa in numerum centum quinquaginta per decades ad exemplum Sanctissimi Rosarii recitando Dæmonibus terrori fuisse cognovit. Familiares ipsius sermones vim orationis, ut plurimum continebant: A canora Avicula excitata ad Dei contemplationem tribus ante prandium horis, & in extasim rapta ab ea nonnisi ad vesperam se explicuit. Ad orationis, & præcipuè mentalis exercitium proximos allicere studebat. Confessarios exorabat, ut ad eam omni arte pœnitentes inducerent, ipsosque divini verbi præcones frequentissime hortabatur, ut ad ejus studium, veluti ad magnam adversus omnia peccata pharmacopæam suos Auditores inflammarent, ac piarum meditationum usum populariter inveherent. Parthenici Rosarii recitationem cum innexa decadatim mysteriorum consideratione, prout Sanctus Dominicus instituerat, singulariter diligebat, eo quod in ea coalescant mentalis, & vocalis simul orationis affectus, petitiones, laudes, gratiarum actiones, & plurimis hæc Rosæ incitamenta profuisse re ipsa compertum fuit.

Et ad orationem allicit.

§. 14. Prope obitum per Quadragesimam cum Avicula mire canora, quæ sole occiduo ante suum cubiculum advolabat, alternavit Rosa cantica, & laudes Dei quotidie per horam integram tanto ordine, ut canente avicula virgo sileret, & virgine modulante avicula attentissimè nec pipiret, quin, & ipsas insensibiles plantas exemplo prorsùs singulari ad laudes, & ad orationem Dei, eo versiculo prolato: Benedicite universa germinantia in terra Domino, invitavit, & visibiliter sic inclinavit, ut arborum summitates terram attingerent, ac veluti solemni venerationis ritu Creatorem suum adorarent, usque adeò verum est, quod is, qui adhæret Domino, unus spiritus est, & ei quoque obediant omnia.

§. 15. Ut probaretur, an spiritus ejus ex Deo esset subtili virorum, tum doctrina, tum pietate, & spirituum discretione excellentium examini pluries subjecta fuit, ex quo claruit, ejus lumina, & dona divina fuisse, & ab ipso rationis diluculo nihil ei dulcius occurisse, quam de Deo cogitare, & supernis ejus beneplacitis inhiare. A duodecimo anno expeditissimè introrsum ejus animam à Domino cum suis spiritualibus potentiis attractam divinæ pulchritudini inhæsisse; ut nulla re creata à charitate Christi unquam separari potuerit, ab infantia ex magno Dei munere faciles ad virtutes propensiones sine passionum tumultu sensisse, à prima Dei notitia repletam fuisse timore Dei, & horrore peccati: nulla re creata potuisse recreari, totum suum levamen fuisse sentire Deum in anima sua præsentem; Acerbiùs omni jactura, & gehenna ipsa videri ei, si vel ad momentum è conspectu eum perderet: Tunc ex obedientia aperuit, quod certamen fortè dedit illi Deus, ut vinceret, & sciret, quod potentior omnium est sapientia; Horrendas enim visiones, pavores, & spiritus derelictiones, quas per quindecim annos summa constantia pertulit, enarravit, quæ veluti pœnales animarum in Purgatorio lugentium dilationes, & quidem ipsius Inferni typus videbantur, cum nulla ei spes evadendi affulgebat, tunc patuit inter has derelictiones repentè in ipso pristinæ unionis meridie, veluti in Sponsi brachiis se deprehendisse restitutam, sensisse quoddam donum inexplicabile, solidum, & fundamentale, quo videbatur sibi reddita impeccabilis, ut ille, qui dicebat, quis nos separabit à charitate Christi, plerumque etiam post illas tenebras apparuisse ei humanitatem Christi Domini, nec non & Sanctiss. Virginem Deiparam, intellectuales etiam visiones, quibus in se præsentiam Dei experiebatur per terminos remotionis, eminentiæ & causalitatis, aliasque circumstantias explicavit idque non à libris acceptum, sed Spiritu Sancto interius docente assecutam fuisse mirificè innotuit.

Rosæ cogitationes.

Quæ in horrore constans.

Christi, ejusque matris visione recreatur.

Mortificationis etiam, & pœnitentiæ exercitia, & in his non suo, sed Confessariorum arbitratu modum constituisse: suarumque virium diffidentiam fidei ardorem, spei securitatem, divini amoris incendia sic dilucidè explicavit, ut sinceram, ac tutam esse viam, quà hæc electa Dei Virgo incedebat censores disparatis colloquiis, scrutiniis, & censuris unanimi spiritu, voto, & sententia concluserint.

Pœnitentiam exercet.

§. 16. Spiritu Dei agere, & agi Rosam, ut Dei filiam fuit constans opinio omnium, qui tunc Limæ perfectionis, & sanctimoniæ fama celebres erant, eamque dono sapientiæ abundare, & scientia cœlitus infusa gubernari judicarunt; Difficillimas enim de arcano Sanctissimæ Trinitatis mysterio, hypostatica Verbi Divini unione, Sanctissimo Altaris Sacramento, profundo prædestinationis abysso, natura gratiæ, cæterasque Theologicas quæstiones sacrarum literarum Professoribus proponentibus, tam sublimibus conceptibus, profundis sententiis, & verbis adeò propriis explicavit, ut laudarent omnes cum Servatore nostro Patrem omnipotentem Dominum Cœli, & Terræ, quod tanta sapientibus, ac prudentibus, abscondita humillimis parvulis, & indoctis revelaret.

Arcana Theologica explicat.

§. 17. Conversatio hujus Virginis magis in Cœlis, quam in Terris erat, & ubicumque Sanctissimum nomen JESU legendo occurrisset, tantisper immorabatur, inde enim amoris ignes in corde sentiebat, & ipse JESUS sæpè amanti Rosæ in paginæ planitie apparuit, eique suavi obtutu ablandiebatur, ut verbum attenta lectione talis animæ dignissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, sic etiam cum occuparetur in telæ consutura, pulvillo ipsius sæpè quietissimè insidebat, & ad cor hujus dilectæ tacitis nutibus loquebatur, omnique gestu suum divinum protestabatur amorem. Frequentes, & ferè quotidianæ erant hujus sanctæ animæ deliciæ istæ, & interdum moram faciente Sponso querulis vocibus lamentabatur, donec veniret, ludens cum eo, cujus guttur suavissimum est, obtinuit vincens curari à doloribus gutturis; perdens verò, iterum doloribus cum patientia donata fuit, quæ dum matri obediens narraret, visa est vultu Angelico radiare. Illi jam languenti, & viribus deficienti, omnique humano auxilio destitutæ occurrit idem ipse, qui est adjutor in opportunitatibus, & tribulatione, & pretioso vulnerati lateris Myrothecio, eam benignè applicatam ad hauriendam aquam salutis de fontibus Salvatoris illicò ægram sanavit, Ab innocentibus Virginibus visa est cum ipso JESU sistere, quandoque etiam deambulare, & secretissima miscere colloquia tali cum Majestate, ut quocumque pedem fixisset ille, pavimentum fulgenti lumine splenderet, utque talis Rosa nulli alteri plantæ adhæreret, quam ei, qui est Flos campi, & Lilium Convallium invenit basilicum seu ozimum, quem studiosiùs colebat reservatum, ut plantam Regiam ipsi Regi Seculorum siccum & eradicatum, cui de hoc dolenti ipse Christus apparens dixit, se suis manibus illum eradicasse, & projecisse, ut ipse solus esset ejus verus basilicus.

Conversatio ejus cum Jesu

§. 18. His ostendit verissimum, quod in extasi cuidam dixerat, idest se Rosam gestare in intimo sui divini cordis penetrali, cum sciret vicissim in ejus Virgineo corculo se solum tranquillissimè inhabitare.

§. 19. Adstitit etiam sæpè Regina Cœli à

Ejusque genitrice Maria.

dexteris ejus, itaut ab undecimo ætatis suæ anno usque ad extremum non defuerit ei hoc pretiosum familiaritatis contubernium : in Rosariano enim Sacello ex sedulò ministerio mutua cum illa erat ei conversatio, eoque honore hanc suam famulam dignata est, ut cubiculariæ ipsi exhiberit ministeria excitando eam illis vocibus, *Surge ad orationem filia, surge, nam instat hora.* Illique experrectæ se præbebat videndam facie ad faciem, Majestate decoram, & gloriæ cœlestis Paradisum, exclamanti cum altera Elisabeth: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini ad me.*

Angelus tutelaris sæpè Rosæ inservit.

§. 20. Misit etiam Dominus Angelum suum, qui præcederet Rosam, & visibiliter custodiret, ac introduceret eam in locum, quem illi paraverat; fuit enim tam domestica fiducia hujus Virginis cum eo, ut habuerit illum non solum ut amicissimum, sed etiam ut pararium, aut veredarium, quotiescumque hora consueta Sponsus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus misit eum ad Mariam de Usatigui, ut nuntiaret ei se egere remedio, quod per famulum statim illa transmisit, vidente, & agnoscente hoc à filia per obedientiam Matre.

§. 21. Ab eodem etiam ab horti cellula aperiente ipso seras portarum ad genitricis cubiculum incolumis ducta fuit. Aliis etiam Angelis mandavit Deus de illa; Adstiterunt enim propter ejus preces cuidam Religioso in periculoso itinere, donec iste in deterius mutatus fuit, cui cum ipsa Virgine de hac derelictione conquerenti revelavit mysterium, & arcana singularia ipsi soli, & Deo nota, & quæ à tanta distantia solum ipso Domino, aut Angelo revelante Virgini innotuisse potuerunt.

Et Catharina Senensis apparet.

§. 22. Sæpè etiam ex quo fuit ei à Christo Domino data in Magistram Sancta Catharina Senensis hæc eam visibiliter conveniebat in terris, præsertim cum ejus regulam scrutaretur, adeòque crebra, & amica fuit inter has Virgines conversatio, ut ex vultu Beatæ Catharinæ in faciem Rosæ transierint lumina, itaut, & vivens, & defuncta per oris lineamenta hæc eam omninò repræsentaret; præter innumeras delicias, favores, officia & virtutes, quibus ab ea ornata, & aucta fuit.

A Dæmone varie vexatur.

§. 23. Probavit Pater Cœlestis inter has spiritualis vitæ delicias hanc suam electam, ut aurum in fornace igne tentationum, afflictionum, persecutionum, & plurium, ac gravium infirmitatum; luctabatur enim quam frequentissimè cum Dæmonibus, multisque illorum molestiis vexabatur, ex quibus sub terra specie Molossi unus eam orantem latratu horrisono terrere, & rabido morsu per solum illam raptans tentavit discerpere, donec clamavit ad Sponsum, ne tradas bestiis animas confitentes tibi; aliàs colaphum impegit, quandoque saxum rude in eam libravit, quod solotenus Rosam, nec læsam, nec territam prostravit, libros ejus spirituales laceravit, sub gigantea mole alias hanc inexpugnabilem fœminam tremente cellula corripuit, adeoque contorsit, ut ejus ossa comminuta, & nervi distracti viderentur; sed invictus Virginis animus insaniam hujus furentis hostis pluribus horis frustra certantis repressit, & irrisit, donec victoriæ desperabundus evasit. Ad hortum oratura procedens in Angelum lucis transformatum obvium blandè habuit hunc Antagonistam, quæ à nobili fuga victoriam mendicavit, cùm de castitate certamen esset, arreptaque ferrea catena acerbissimis ictibus nudas scapulas cruentavit, & inter sanguinis, lacrymarumque rivos conquerenti de absentia Sponsi, conspicuus ille ostendit, quod nisi cum ea ipse fuisset, nunquam victoriam reportasset. A primordiis pueritiæ spirituum discretionem obtinuerat, agnoscebatque (docente sua sancta Magistra, quæ olim à Christo Domino hauserat illustrationes à Deo esse, cum in anima sequitur humilitas, reverentiæ affectus, propriæ utilitatis cognitio, ordo, & unitas cordis, & gaudium in Deo. Ex adverso his oppositas impressiones, timorem, divisi cordis confusionem, sui complacentiam, & inquietudinem redolere.

A domesticis persecutiones patitur.

§. 24. In ærumnis ab infantia fuit, nono enim mense ætatis suæ lacte destituta est, cujus defectus nonnisi cibo valdè inepto compensari potuit : vix fari cœperat cum propter nominis controversiam virgis cædebatur ab Avia, si Rosa, à Matre, si Elisabeth vocata respondisset; Virginis hujus virtutes, & mortificationes Matri aliud intendenti mera delicta videbantur, quibus castigandis non solum durissima verba, sed persæpè etiam sæva verbera adhibebat, præsertim cum rutilam cæsariem deprehensa fuit sibi præscidisse. Nec mitiores in eam fuere domestici, quando ejus virtutes, & cœlestia dona innotuerunt, vano timore correpti ne cum magno familiæ dedecore, ut de imposturis suspécta ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal raperetur. Accessit in cumulum tribulationis quorumdam Confessariorum incredula vel oscitantia, vel ruditas, vel inscitia, dum ei conabantur suadere non esse rectum, aut tutum illud virtutis iter, vertigine, vel alia noxia intemperie laborare, illusiones esse, quas ipsa illustrationes divinas credebat. Suadenti fœminæ precibus impetrare à sua Seraphica Magistra eripi ab his ærumnis constanter renuit; pudebat enim Crucifixi Sponsam, vel per momentum extrà Cruces reperiri, à quibus nunquam vacavit; feriatam enim ab exteriori gravior, occupabat interior, & cessanti foris persecutioni, ægritudinum agmina succedebant.

Inter corporis dolores constantior evadit.

§. 25. In Canta ex dira nervorum attractione per triennium lecto decubuit cruciatu intenso, gemitu nullo; sæpè acutissima eam angina, Asthma, per molesta Ischias, Pleuritis, stomachi, Pericardii, & intestinorum dolores sine numero, & sine lege frequentes convulsiones invadebant, Medicis, ut plurimum stupentibus, quomodo in tam arido corpusculo vires essent ad perferenda, quæ prosternendo cuilibet robustissimo satis fuissent, Rosa optimè penetrante non tam ab intemperie, quam à benevola sponsi manu hæc sibi agonalia festa provenire, febres ephimeras, ac etiam reliquas contumaciores ipsa consuetudine jam penè in jocum verterat. Chiragræ, Podagræ, & Arthritis morbi frequenter eam occupabant, quos cum invicta constantia toleravit. Hæc omnia inter illustriores à Deo sibi collatos favores recensebat. In sublimi enim, & singulari mentis elevatione viderat Christum Dominum dividentem lance ex Cruce facta, gratias, & dona ad mensuram pœnarum, audivitque dicentem, sine pondere afflictionum, ad gratiæ cumulos non perveniri, unicam veram scalam Paradisi esse Crucem, nec præter eam superesse aliam, per quam in Cœlum ascendatur.

Orantem Rosam radii circumdant.

§. 26. Languens, & æstuans Divini Amoris ignibus in nocte orans visa fuit ab alia virgine magnis luminibus coruscans veluti igniculis per os, oculosque evibratis, protestantibus quantum incendium intus ferveret, quod alias pluries ea inscia coram diversis contigisse innotuit. Cæteras virtutes studiosè celavit, magnam charitatis flammam tegere non valuit, ejus enim colloquia, salutationes, & responsa continuò Divini amoris memoria condiebantur. Singularum creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris gradatim compellebat, tum ignitis vocibus, tum pulsu citharæ, quem non didicerat, ut omni ritu, gestu, actuque suo se dilecto ostenderet amantem.

Suus erga Deum zelus.

§. 27. Eadem vi charitatis acta, ut vera sponsa Domini zelavit honorem; irreverentiam enim Ecclesiarum detestabatur, loquentes ibi otiosè humiliter, & suaviter corripiebat. Domestici cavebant, ne coram ea ineptias proferrent; verebantur enim Rosæ adhuc parvulæ censorium supercilium: immenso gaudio perfundebatur, quoties Dei honorem

norem

norem insigni aliquo successu promoveri videbat. ut accidit in insigni peccatricis conversione.

Et erg proximum

§. 28. Eodem zelo precibus transtulit in se Confessarii sui febrim, ut Concionatoris officio in percelebri solemnitate fungeretur, quo convalescente torquebat Rosam febris non sua, nec tamen à sermone abesse voluit, febrilem enim ardorem facilè superabat exæstuans divinæ gloriæ desiderium.

A Christi Icone sudorem manante compensatur.

§. 29. Obsignavit hanc Dei Amoris sollicitudinem dilectæ suæ ipse Christus Dominus hoc insigni miraculo, Anno salutis 1617. decimo septimo Kalendas Maji, Rosa vehementibus amoris divini stimulis excitata sonorè, & fervidissimè venerabilem Salvatoris effigiem in Oratorio Quæstoris alloquebatur, cum statim totum vultum imaginis guttulæ sudoris operuerunt; convocati testes arte, & doctrina celebres, qui omnibus seriò expensis censuere supernaturale esse, quod in Icone gerebatur, quatuor horis duravit pium ostentum cunctis adstantibus admiratione, & sancto horrore stupentibus, cujus sudoris vestigia per aliquot lustra conspicua mansere. Hoc est tantummodo indicium, quam enixè cupiat Servator noster ab omnibus redamari testata est ipsa Virgo Rosa Divini conscia secreti, timentibus domesticis, ne impendentis Divinæ ultionis præsagium esset. Sudor ille brachio ipsius Rosæ ex Confessarii imperio applicitus, quod antea solo collisum sic graviter læsum erat, ut Chirurgorum judicio ex ea parte Virgo manca mansura esset, sanum, & flexibile reddidit stupente Chirurgo, qui pridiè censuerat omnem curam esse vanam cum brachium omnino intractabile appareret.

Frequenti Eucharistia recreatur.

§. 30. Nondum pueriles annos excesserat, quando jam Confessarii spiritu jam grandem agnoscentes manducandi frequenter Panem illum Angelorum, qui præbet delicias Regibus, facultatem dedere.

Puritatem, & devotioni ardorem experitur Sacerdos Sacramento ipsam reficiens.

§. 31. Erat in ejus spiritu limpida mundities, nitida innocentiæ puritas, ac robustus devotionis calor, & nihilominus cum tanto immaculatæ conscientiæ candore, quoties ad Divinum Epulum accedendum erat, toties summè gemebunda, & lacrymis perfusa Sacramentalem Confessionem præmittebat. Hanc Sacerdotes communicaturi totam flammeam, & vultum ipsius cœlesti, & vehementi splendore radiantem conspexere, quin & Presbytero Sacram Communionem porrecturo videbatur flammescens aperiri clibanus, dum removebat pallium, ut Divinam reciperet Hostiam & vim erumpentis repentini ardoris adeò sentiebat pavidus Sacerdos; ut sæpe manum retraxerit præ subito metu adustionis. Idem experiebatur in se Minister Sacrificantis, dum ex more scyphum ablutionis ei porrigebat, ut hoc etiam testimonio probaretur, hoc esse Sacramentum illud, quo Deus ipse venit ignem mittere in terram. Jussa aperuit ex Virginea Dei carne diffundi in anima sua mirabilem Cœlestis Agni mansuetudinem, vegetari spiritum suum inusitato robore, instaurari, ac refici vires per quamdam veluti novam transformationem sui spiritus in hoc divinum alimentum, interea clarere in corde suo placidam altioris sphæræ serenitatem, pacem, temperiem, gaudii immensitatem ex arcta unione cum Sponso Divino, fruitionis altitudinem, & spiritualem saporem veræ dulcedinis, quæ nulla prorsùs comparatione explicabilia erant. Sacra communione refecta jejunia usque ad vesperam, subindè usque in sequentem diem, quandoque per octavam integram ea sola contenta ab omni alio cibo abstinuit. Veneratio ejus erga venerabile mysterium fuit adeò eximia, ut semel se accinxerit, videntibus aliis ad subeundum martyrium, quod imminere rumor sparserat; defuitque tunc Hostiæ Martyrium, non Hostia Martyrio. Summo etiam cultu prosequebatur Sanctæ Crucis signum ubicumque

Quo munita in dies jejunia protrahit

illud reperisset, ita ut ex plantis horti impressionem illius formaret, quarum una Proreginæ dono data paulò post exaruit. Rosæ reddita post quatuor dies revixit, quod totum virtuti ejusdem Sanctæ Crucis Virgo tribuit. Ergà Imagines Beatissimæ Virginis miro fervebat devotionis affectu, & maximè circa eam, quæ Augustissimam Rosarii Reginam exprimit, in cujus Sacello habitum sui Ordinis suscipiens ploranti Matri visa fuit blando favore Deiparæ in Cœlum elevari. Fama erat Limæ Rosam impetrare quæcumque apud Sanctam illam imaginem postularet, tranquillitatem cujusdam Communitatis, in qua invaluerat discordia non sine lacrymis, & aliorum admiratione biduo orans obtinuit, plurimisque aliis ibi dignata fuit favoribus, alloquiis, & visionibus, quæ in examine obtemperans aperuit.

Sanctæ Crucis.

Et Iconis Virginis Rosarii amantissima.

A qua gratias sæpissimè obtinet

Catharinam Senensem miro amore, & honore prosequitur.

§. 32. Electa ut aptior, & dignior ad exornandum simulachrum Sanctæ Catharinæ Senensis, quam ut matrem ex intimis præcordiis colebat, à lacrymis, osculis, & alloquiis in eo obsequio non cessabat, & miro modo tantæ pecuniæ litterulas accepit, quantum ipsa pro veste ejus paulò ante optarat, prædixit præsignatam Virgulam nulla fœcunditatis nota tunc turgidam in honorem Sanctissimæ Trinitatis tres flores gariophylorum producturam, quibus Sacram Imaginem condecoraret eo tempore, quo tali florum genere regio illa careret, quod frustrà diù quæsitum fuerat, & oraculo correspondit eventus, mirantibus, & diffidentiæ veniam petentibus sodalibus.

Cujus intercessione fœminas ægrotantes.

§. 33. Adjuverat eam in hoc munere Euphemia de Pareja, cujus famula Francisca sui infantis nutritia graviter ægrotabat, Rosa apud Sanctam Catharinam precante, ista depulso periculo ita convaluit, ut postridiè permissa fuerit à Medico nutritias infanti, quas prohibita fuerat, præbere mammillas.

§. 34. Franciscæ quoque de Montoya ab eadem Sancta obtinuit, ut sulphuratum missilium ignium crepitaculum, quod vultum petiit, & supercilium impegit, non noceret, isto adhuc resiliens valido ictu alterius fœminæ vestes læserit, & succenderit.

Et semetipsam manu acerbiter læsam sanitati reddit.

§. 35. Eadem Rosa Anno Domini 1616. mense Augusti, cui post processionem delata fuerat Imago devestienda horrenda arthriti in dextera laborabat, quæ immani cruciatu invaserat articulos omnes, ita ut prædicto operi prorsus redderetur inutilis, procubuit ante Imaginem Sanctæ Catharinæ in die D. Laurentii, & brevi oratione peracta accinxit se operi, mirantibus adstantibus, Quæstore ipso vidente, manum paulò antè acerbissimè læsam, tunc validam, & agilem; Medico ipso testante evidentiam miraculi, cui beneficio accessit, quòd exinde nunquam in posterum arthritis manum illam invasit, quod mirum non fuit ipsi Rosæ, quæ ab ipsa seu à matre penè quotidiana ex mutuis consortiis solatia hauriebat.

Salutem animarum zelatur.

§. 36. Zelata est etiam pro Domo Dei salutem animarum, ipsa enim charitate, qua verum Christi Domini Corpus mysticum quoque diligebat, quoties ad interiora Meridionalis Americæ montana oculos vertebat, cruciabatur medullitùs illacrymans perditioni tot Barbarorum, qui inaccessas illas post nivosa juga valles populabant; sic etiam jugis planctus materies ei erant quæcunque aliæ Infidelium Nationes, Viros Religiosos, & præsertim sui Ordinis Fratres, quotquot aptos noverat, ad Gentilium conversionem hortabatur, & per JESU Christi viscera obsecrabat, ut huic se operi accingerent. Unius ex suis Confessariis Missioni deputati animum ad maturandum opus inflammare studuit, & cum eo convenit, ut medietas omnium fructuum, quos interea ipsa ex toto bonorum operum exercitio se cumulaturam sperabat, ei adscriberetur, & vicissim ille transcriberet ipsi Virgini fructus conversionis anima-

rum; quas sua prædicatione in viam salutis erat attracturus. Hoc animo excogitavit inopem parvulum quasi in filium assumere, quem Christianæ vitæ rudimentis imbueret, & piis eleemosynis ad virtutes, & Sacrarum litterarum plenam instructionem se evecturam sperabat eo pacto; ut is idoneus factus, & Sacerdotio insignitus ad Apostolicas Missiones pro conversione gentium properaret, ut quod per se præstare non poterat; per alium suppleret; quod nisi immatura morte præventa fuisset, perfecisset. Pro periclitantibus Christianis, qui per culpam lethalem à statu Divinæ amicitiæ infeliciter exciderant, nulli lacrymarum sumptui parcebat, & quotidiè cruenta sibi vulnera infligebat, ut his verè miseris vitæ feria emendatio à Deo concederetur. Concionatores ipsos vehementer hortabatur, ut flagitiosas animas ab ima vitiorum charybdi ne perirent, ad securum pœnitentiæ littus toto conatu evocarent.

Et ... cor... plo.at.

§. 37. Divinitus edocta de pravo desiderio, quo Vincentius nomine juvenis nobili genere oriundus ad eam fictè accesserat, tanta eum charitate corripuit, ut fateretur, se agnoscere Christum Dominum in ea loquentem, & totus mutatus ab illo, qui paulò ante fuerat, fretus, & adjutus precibus ejusdem Virginis juvenilibus desideriis, & culpis valefaciens sanctam vivendi rationem instituit. Prodigium erat, si qua persona cuicumque vitio obnoxia Rosam accederet, & melior ab ea non recederet. Mariam de Mesta impatienti, ac præcipitis iracundiæ pugnaci morbo jam sibimet ipsi ex diuturna consuetudine factam intolerabilem, patientiæ, ac mansuetudinis aphorismis sic instruxit, ut ab illa die emendatior, ac mitior visa fuerit: eoque brevi in patientiæ gymnasio profecit, ut jam à Deo ultrò plus, ac plus adversitatis postularet. Religiosum cum mortis angoribus trepidè, ac periculosè luctantem urentibus scrupulis vexatum sic juvit promissione suarum precum, & exhortatione, ac sponsione participationis suarum satisfactionum, ut confestim pavor, lætæ spei locum cesserit, qui postea salutaribus Sacramentis munitus ingenti salutis fiducia placidum, & serenum spiritum reddidit Creatori, de cujus anima postea Rosa nunciavit, cum ea feliciter; ac benignè agi, jamque illam Regioni lucis adscriptam frui perenni Sanctorum felicitatis refrigerio.

Impatientem mansuetudine instruit

Religiosi cujusdam animam salvam asserit.

Rosæ charitas.

§. 38. Ordinavit etiam Dominus in ea charitatem in corporalibus misericordiæ operibus, quibus proximos juvare studuit, nam inops hæc Virgo sibimet necessaria subtrahens dispersit, deditque pauperibus, ut enim occultæ cujusdam necessitati subveniret, octo dierum alimoniam solo pane, & aqua contenta sibi pro egentis subsidio detraxit. Telam à Genitoribus ejus pro suis ægritudinum necessitatibus concessam, illicò inter duas Virgines virtute, & genere nobiles extremè tamen egenas, divisit. Dono dedit Montoiæ pauperrimæ Virgini alterum ex palliis, quæ Mater possidebat, prædicens ei fore, ut aliis novis loco veteris provideretur, quod mirabiliter re ipsa, ut Virgo prænunciaverat, evenit. Divinitus admonita Joannam de Bobadilia Virginem nobilem, sed derelictam esse, quam vorax sub mamilla cancer torquebat, & tardante remedio exitium minabatur domi recepit menstruum locationis sumptum, & medicaminum pretium ei providit, & post aliquot menses integrè sanam restituit, hoc unum dolentem; quod non posset (obstante fide data) Virginis beneficium in grati animi obsequium ea vivente palam referre. Nihil ei jucundius contingere poterat, quam si à Matre permitteretur, cujusque conditionis egenas, aut morbis afflictas mulieres paternis inferre ædibus; ut illic suis manibus assiduè ministraret languentibus; quibus de quacumque re ad victum, & medicamen necessaria exactè providere studuit. Inter has mendicas nulla erat, tàm intolerabilis aspectu, aut fætore horribilis, quàm Rosa dedignari, vel præ nausea aversari posset. Omnibus medelam, famulatum, & curam afferebat.

Minister infirmor.

§. 39. Indignanti Matri propter graveolentiam mucidi putoris à Rosa in vestibus ex cura infirmæ contractam respondit: Christi bonus odor sumus, dum ministramus infirmis. Charitas delicata non est, nec proximum fastidit. Invicto animo vix imitabile suæ Sanctæ Magistræ exemplum secuta in ædibus Isabellæ de Maxia nauseam stomachi heroico actu superavit. Noverat Joannes de Tineo Almanza Quæstorem Gundisalvum Rosæ precibus, & meritis pluries à gravissimis infirmitatibus liberatum; Ille ex cruciatibus stomachi periculosè ægrotans obtinuit, ut Virgo ista post auditum sacrum decenter associata eum inviseret; in cujus vultu majestatem Angelicam intuitus spem indubiam incolumitatis concepit, statimque omnis dolor evanuit, somnus, qui omnino diffugerat, blandè corripuit infirmum (citissimè illa abscessit, ut plausum effugeret) iste verò sanus evigilavit. Usque ad bruta animalia clemens Rosæ suavitas, & tenera se ostendebat, & juvabat commiseratio.

Spes ejus in Deo.

§. 40. Tota hujus Sanctæ Virginis spes in Deo erat, qui prævenerat eam in benedictionibus dulcedinis; hinc frequentissimè decantabat Davidicum illud Sanctis Patribus, & Eremicolis familiare: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Quæsivit sæpè horum verborum emphasim: sed nullus unquam profundiorem ei attulit explicationem ea, quam ipsa intimè Deo docente in animo conceperat. Interrogata cur unicè hunc præ cæteris versiculis amaret; Respondit, totum solatium Seraphicæ Suæ Matris eo contineri, & singulas illius syllabas arcano quodam familiaris in Deo confidentiæ succo turgere, nec suo palato aliud his propriis verbis sapidiùs posse occurrere. Cœlitus data fuit ei fiduciæ certitudo assequendi tria maxima munera, æternam videlicèt Beatitudinem, perpetuam, & nunquam interpolandam Dei amicitiam, & infallibilem ex alto succursum in quibusvis tùm necessitatibus, tùm repentinis periculis. Angebatur quondam innocens hæc anima recogitans pavida formidine prædestinationis suæ arcanum omni animæ tremendum, quam Dominus ad adjuvandum festinus, sic est affatus: Filia ego neminem condemno nisi volentem condemnari, ex nunc tranquillo animo esto. Aliàs in mentis excessu adfuit illi parvulus Jesus purissimæ Genitricis ulnis innixus, eamque blandè alloquens jussit sparsas per solum Rosas in sinuosæ vestis laciniam colligere; inde Divinus Infans una petita, & gratanter accepta subintulit; hæc Rosa tu es, hujus providam curam mihi assumo, tu de reliquis, ut magis volueris disponito. His agnovit se teneri in dextra Salvatoris, velut Rosam electam; quam non raperet quisquam de manu ejus. De reliquis rosis subitaneum sertum contexens tremendo Jesu capiti imposuit, qui Virgini arridens, eamque benedicens disparuit. Cæteris rosis indicari novit pias Virgines Limenses, quas post suum obitum in novellum S. Catharinæ Senensis Monasterium colligi oportebat. Eadem vi confidentiæ in Deum à prima ætate Rosa adversus quascumque mortalis vitæ difficultates, & incommoda stetit impavida. Cujus fidem, constantiam, & nutus visi sunt immanes Tauri in extremam aliundè rabiem extimulati revereri, nam adstupentibus quotquot spectabant ad invictæ Virginis conspectum eminùs, & repentè innocentibus parcere didicerunt. Cum enim esset duodecim annorum in quodam Pago obvium habuit ferocissimum Taurum illuc ruentem, & fugam meditantibus his, qui cum ea erant, fixis in Cœlum oculis, dehortata est à fuga, necdum verba finierat, cum

Reciproci Divini Amoris pignus recipit.

Rosæ fides.

Taurorum ferociam frenat.

ferox animal terrifico mugitu in alias procul personas impetum fecit, Rosa cum suo comitatu incolumi manente, quæ adhuc post periculum paventes socias monuit, sperandum firmiùs in adjutorium Altissimi, & tunc maximè cum periculi vicinitas omne effugium interclusit. Sic & alia vice Taurus alter recta via in quadrigam, qua Rosa vehebatur cum Matre & aliis, cursum libravit, cæteris fugam tentantibus sola Rosa oculis in Cœlum jactis prædixit Taurum usque ad rhedam non percursurum. Dixerat, & respondit eventus stupentibus universis, non tàm reditum Tauri, quàm Virginis animum omni metu superiorem, quæ in summis periculis Cœlesti Sponso occinebat, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Minor non erat ejus fiducia in sperandis à Divina providentia necessariis vitæ subsidiis. Defecerat olim in paternis ædibus numerosæ familiæ panis, nec erat unde emerent, illa brevi labiorum motu rem Deo commendavit, mox magna fide arcam panariam aperiens plenam azymis, ac saporosis panibus reperit, testante illorum figura peregrina à domestico panificio non prodiisse. Pernecessarium in Regionibus illis condimentum mel domi omninò defuerat: descendit ipsa in nomine Domini secretissimo instinctu jussa optimè sperare de Dei protectione, cupam invenit usque ad summitatem recenti melle plenam tota Domo stupente, eoque magis, quod novo prodigio mel Cœlitus datum integris octo mensibus toti familiæ sat fuit in usum quotidianum. Infirmabatur Gaspar Flores Virginis Genitor mœrens etiam ob quinquaginta librarum debitum, qui præ inopia solvendo non erat; tristabatur perplexa Mater importunitate creditoris augente angustias: Filia Templum adit, preces fundit, eique domum redeunti vir planè ignotus occurrit, simulque involutum strophiolo argentum porrigit, & jubens, præsentem Parentum necessitatem illo sublevari, statim abscessit. Rosa involucrum explicante ipsa librarum quinquagena, cujus Pater debitor erat, apparuit, quod Gaspari narratum in somnium videbatur, donec filia nummos uti acceperat, adnumeravit. Hæc sunt subsidia, quæ Sponsus divinus Parentibus ipsius sub specie Cœlestis lapicidæ huic novellæ sponsæ inter parafrenalia, & antidota se ministraturum olim pollicitus erat.

Annonam auget.

Et tantum gignit.

Prophetiæ dono illustris.

§. 41. Testimonio etiam Domini Nostri Jesu Christi, quod est spiritus Prophetiæ, fuit illustris, nam integro ferè decennio ante fundationem, quandoque per symbola, & figuras, aliàs manifestè, & in proprio typo non solum fuit illi divinitùs demonstratum Monasterium, quod Limæ sub S. Catharinæ Senensis patrocinio numeroso Sacrarum Virginum Collegio dicandum erat, sed etiam primam ibi futuram Monialium Præfectam, & Cœnobii fundatricem Luciam Guerram à Daga ex vultu agnovit, spiritu suo imbuit, & osculo pacis quodammodo initiavit, dicens ei: Euge Mater ingenti suo te operi Deus reservavit. Ex Virginis spiritu hausit felix Matrona divinos sensus, & religiosi status cœleste desiderium; Sed obstabant superstes Maritus, & numerosa familia, quos omnes paulò post Deus ab hac luce evocavit, nec non innumera, & potentissima alia fundationis post obitum Virginis impedimenta sustulit, durosque animos olim aversos ad favorem pii operis flexit. Quibus sublatis Lucia amplissimis suis facultatibus Cœnobium fundavit, dotavit, ac denique se ipsam dedit; cum sacro velo nomen Sororis Luciæ de Sanctissima Trinitate assumens, ac prima novelli sui asceterii præfecturam gessit, Religionis spiritum mirificè propagavit, demùmque sanctimoniæ fama celebris obdormivit in Domino. Ipsa Maria Oliva Rosæ genitrix, quæ antea hoc ei vaticinanti filiæ acerbè contradixerat, Anno Domini 1629. post mariti obitum in novello Monasterio sexagenaria devotè filiabus S. Patris Dominici aggregata fuit, & assumpto cum habitu nomine Mariæ de S. Maria, emissa postmodum professione optimo fine quievit. In quo etiam promissa sponsi providentia affulsit, carente enim illa dote necessaria, unus ex reservatis ab ipsa fundatrice gratuitè receptioni pro dignioribus, sed egenis personis locus ei obtigit, cæteraque omnia ad amussim etiam minima ut Virgo prædixerat, evenerunt. Joannes Villaloos Societatis Jesu jurata fide testatus est, suo se experimento spiritum propheticum in ea deprehendisse, aperiente illi Virgine arcanum negotium quod aliter, ac Cœlitus innotuisse non poterat. Simillimum quid cum eadem Antonius à Vega ejusdem Societatis Vir integerrimus sibi evenisse narravit. Secretam cogitationem quam nulli unquam aperuerat, neque aperitura erat filia Quæstoris accuratè ei Rosa recitavit, & saluberrima documenta præscripsit. Mariæ de Messa Vxoris Medori Angelini Pictoris consilium, quod occultissimè inierant de profectione in Hispanias commemoravit, summam pecuniariam quam pro arbitratu constituerant, dixit ambobus sat esse mirante Muliere, & attestante plus à Virgine dici non potuisse, si in amborum colloquio tertia stetisset. Joanni Miguel Ordinis Sancti Dominici Limam revertenti seriatim, & exactè narravit ea, quæ illi in aliena regione acciderant, quæque humanitùs non potuerant in Rosæ notitiam pervenisse, quin & abditissimas suæmet conscientiæ latebras Virgini patuisse evidenter agnovit. Plurima alia hujusmodi, ac etiam mirabiliora commemorantur hujus Sponsæ Christi vaticinia, quibus omnibus correspondebat eventus, comprobans in ejus animam plenitudinem gratiæ, non tantùm sanctificantis, sed etiam gratis datæ Spiritum Sanctum inhabitare.

Postremum sibi diem vaticinatur.

§. 42. Præscia diei quo ad Sponsi thalamum properare ex hac lacrymarum valle debebat, (quod matri celare nequivit) quotannis festum D. Bartholomæi Apostoli, quod erat terminus suæ mortali peregrinationi constitutus, singulari devotionis studio colebat, & in ejus pervigilio suo non contenta jejunio, aliquos innocentes pueros, ut secum jejunarent adduxit, in eo etiam post ejus obitum persevérantes, eò quòd sic à Rosa instituti fuissent. Triennio ante discessum gravi morbo decubuit, ut jam extremo funeri matura, & deficiens cum à Confessario, ac domesticis collacrymaretur, quam intrepida jussit intempestivum abigere mœrorem, & certum esse tunc se non morituram, quo dicto innotuit sui transitus terminum divina revelatione compertum habuisse. Quin & quatuor ante obitum mensibus Quæstoris Gundisalvi uxori atrocissimos suæ extremæ infirmitatis dolores futuros narravit, & immanissimum eorum ardentissimam sitim instare prænunciavit. Locum etiam integro anno antea eidem Matronæ prædixerat in eodem cubiculo, in quo mortalitatis debitum persolvit, rogans ne alteri fœminæ præter ipsam, & genitricem suam corpusculum vestiendum, & feretro imponendum committeret. Triduo ante suum extremum decubitum cellam hortensem adiit, & Cygni more exorsa modulos decantando commendabat Deo, & Sancto Dominico genitricem suam quam desolatam relinquebat. Credidit Mater audiens lusus esse metricos, sed Kalendis Augusti prophetice ea prænunciata fuisse cognovit. Sub noctis enim medium audita fuit miserè ejulare, & corpusculo super solum extensa rigentibus membris inventa. Rogata velletne medicum; Respondit, Cœlestem. Frigidus stagnabat sudor, & in omnibus membris, & juncturis arctabatur doloribus, & pœnis, quas olim ei Sponsus in visione ostenderat futuras multò graviores cæteris omnibus, quas in vita pertulerat. Jussa semel à Confessario, aliàs à Matre enarrare suos dolores,

Lecto decumbit.

Gravibus arctata doloribus.

licet omnium ferè ægritudinum vim, & nomina per experientiam cognovisset, hunc tamen non nisi per similitudines candentis ferri tempora adigentis, & pugionis igniti à sinistro latere meditullium corporis transverberantis, in quo Crucifixi erat expressio, & candentis galeæ caput includentis explicare non potuit, simulque singulos nervos, juncturas, ossa, ac medullas contundi, resolvi, & aruisse dixit, ac denique non habere nomen, nec nosse tormentum, cui eos compararet. Aperuit insuper Confessario, frustrà Medicos in exploranda hujus infirmitatis specie laborare, quam nec pulsus, nec aliud extrinsecum signum indicaret, ac proindè non alia, quàm immedicabilis Jobi patientia sibi opus esse, ut quoquomodo singulos Crucifixi Sponsi sui dolores membratim experiretur. Rogavit & obtinuit per aliquot dies solitariam quietem, & silentium, ut intimiùs suos dolores intingeret extremis cruciatibus Crucifixi amoris, cui se membratim confixam in Cruce sentiebat. Augebantur in dies hujusmodi supplicia, ut mirùm fuerit eam, tam potenti, varia, & cumulata dolorum caterva, citiùs deficiendo, non succubuisse, sed paulatim resolvebatur, quia gloriosissimum Martyrii genus ei erat lentè, & articulatim mori. Certa enim erat has pœnas æternæ gloriæ pondus in ipsa operaturas; sciebat hunc esse calicem, quem Sponsus biberat, & ipsi, ut Sponsæ miscuerat, ac tandiù ante ei præmonstraverat, undè constanter, & jucundè, velut è manu Christi Domini porrectum totum ebibit, blanda, & devotissima cum dilecto miscebat colloquia, tantùmque cum domesticis Dominum rogavit, ne dolores ei mentis liberum usum impedirent. Sitis immanissima præ cæteris, ut prædixerat intimè eam cruciabat, nec aquæ potus sitienti dabatur, obsistente Medicorum præscripto, undè pœnaliter arescenti Virgini hoc etiam cum moriente Sponso tolerandum, superfuit clamare: Sitio. Propiùs accedente acceptabili tempore, quo Rosa ista è terris in Sponsi Paradisum, depositis mortalitatis exuviis transferenda erat, pluries advocatis Confessariis tenerrimam conscientiam, & semel generaliter de tota vita exomologesi purgavit semper cum pœnitudinis singultibus, & lacrymis, ita ut compuncti audientes mirarentur in sævissimis cruciatibus non flentem, levissimas imperfectiones tàm altè deflere. Triduo ante felicem obitum supplex voce flebili Divinum viaticum, & extremam petiit unctionem, delato Eucharistico Epulo instar coruscantis auroræ gratiosè tubuit, & gaudio suo impar in altissimam extasim rapta fuit. Sacerdoti tamen Sanctissimam Hostiam porrigenti, & de more roganti aptè, & expeditè respondit, sic, & alacri omnium sensuum officio oleum infirmorum moribunda accepit, quo potiùs ad triumphum, quàm ad agonem sensit se animari. Sæpiùs etiam coram adstantibus voce clara orthodoxæ fidei professionem emisit, protestans se ut vixerat ita mori Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ filiam, Sacrum sui Ordinis scapulare, ut proprium suæ religiosæ militiæ vexillum, quo Deipara Virgo nascentem Prædicatorum Ordinem insigniverat, expansum super stragulas videre voluit. Invisente eam Priore Dominicani Cœnobii Limæ, cui per quinquennium aliàs suæ conscientiæ latebras aperuerat humilibus precibus ab eo obtinuit perlegi formulam exactam, qua jam moriens veniam à Deo exoraret pro omnibus, qui eam quocumque modo in suæ vitæ decursu læsissent, cujus verba voce sequebatur Virgo Crucifixum stringens, nec satiari poterat illis tenerrimis vocibus: Pater ignosce illis. Anima verè tanto Sponso digna, quæ ut esset plenè Cruciformis Divinum in Cruce Agnum pro suis adversariis extremè deprecantem est imitata. A domesticis Quæstoris Gundisalvi voce humili, & flebili oravit condonari, si qua in re ulli unquam nocuerat, lacrymantibus omnibus, qui ejus innocentiam, & puritatem tot experimentis comprobaverant. Oblato Chirographo, in quo sepulchrum apud suos Religiosos postulabat, cum omni animi submissione, nihil minus, quàm de sui corporis cura sollicita subscripsit. Sponsum rogabat, ne cessaret eam exquisitis ardoribus excoquere, donec ei maturesceret in fructum qui ejus mensæ inferri mereretur. Sub hoc fine vitæ crebriora fuere raptuum dulcissima intervalla, in quibus excelsa, & jucunda de suavitate Dei, ac læta de Regione Aeternitatis libamina prægustasse innotuit. Ultimam utriusque Parentis benedictionem summè exoptavit, eamque venerabunda recepit: Sic & à Quæstore Gundisalvo, ejusque Uxore, quos veluti parentes coluerat, benedici voluit. Duobus germanis suis fratribus inter salutaria monimenta parentum curam, & reverentiam seriò commendavit, ac si diceret, unicuique illorum ad imitationem Crucifixi Sponsi: *Ecce Mater tua.* Ambas etiam Quæstoris filias ob innocentiam ab ea summè dilectas, ad virtutes, & præcipuè Genitorum amorem, & venerationem hortata est: reliquosque domesticos officii, ac Christianæ pietatis admonuit, ut jam non fœmina, sed Apostolus prædicare videretur; à Joanne de Lorenzana postremo ejus Confessario paranti se in nocte pervigilii S. Bartholamæi ad matutinarum officium accedere, sciens sibi non superesse ampliùs, nisi quatuor horas, supremam benedictionem ex corde efflagitavit, monens ea ipsa nocte, ineunte festivitate se ad festa sempiterna abituram. Quod vultu adeò sereno, & læto protulit, ut appareret verè Virgo prudens, & sapiens in vestibulo Paradisi expectans cum lampade, ut dilectus ejus Sponsus veniret, cujus in intimo cordis vocantis vocem sentiens, candelam benedictam nutu petens Crucis signaculo frontem, os, & pectus communivit; mandavitque subtrahi cervical, ut capite ad nudum lignum inclinato sentiret in Cruce se mori. Spiritum denique suum in manus Patris commendans fixis in Cœlum oculis, ut cum Sponso intraret pronuncians Jesus Jesus Jesus mecum sit; quietissimè expiravit. Hæc verba quemadmodùm illi fuerant in infantia prima orandi formula, ita his ipsis in suæ infantilis innocentiæ testimonium decedens Limæ ad Limen supernæ Patriæ evolavit, ætatis suæ trigesimo secundo, mense quinto vix inchoato.

§. 43. Virgineum Rosæ cadaver cum spirare desiisset adhuc ex vivido vultus colore, & rubentibus labiis respirans credebatur, donec innotuit haud ampliùs inesse halitum ex applicito ori ejus speculo, cujus sicut fuit hic ultimus usus, sic etiam fuit primus. Repentino prodigio omnes invasit arcanus lætitiæ sensus, ut Mater ipsa aptans cadaver [sicut ei vivens filia obtinuerat] & tota domus hilariter non exequiis defunctæ, sed nuptiali gaudio interesse viderentur; sic etiam extraneis quotquot aderant intimè, & secretè inhæsit jucunditatis stimulus. Mendicorum tantummodò Limensium ejulatibus, & lacrymis publicis fuit celebratum hoc funus, conquerente egenorum turba veram pauperum nutricem, & matrem fato acerbissimo immaturè sibi ereptam fuisse.

§. 44. Visa fuit Angelorum numerosa caterva & ante obitum circa grabatum decumbentis, & post circa feretrum defunctæ alternante concentu festivè tripudiare. Quæstoris conjux aulam, in qua exposuerant Virginis corpus, undique luminoso illapsu cœlestis gloriæ totam micare conspexit. Sic implebatur, quod Cristus Dominus futurum esse revelaverat, mortem scilicet Rosæ & sepulturam ejus forte gloriosam. Devotæ fœminæ sacrorum hymnorum sonoro cantu per vices exultabant, protestantes non næniis, sed festis

Quas immedicabiles prædicit.

Et summa siti laborans.

Eucharistico convivio, & Oleo Infirmorum roborari petit.

Benedictionem à Parentibus quærens.

Ad parentum amorem adstantes adhortans.

Et Jesum invocans expirat.

Mortuam mendici lugent.

Splendores circumdant.

ibi locum esse debere. Mirabili consensu, & occulto instinctu maxima hominum multitudo clarescente jam die implevit Quæstoris Palatium. Confessarii coram feretro in voces jubilationis, & benedictionum eruperunt, testantes cuncti baptismalem gratiam nulla unquam lethali noxa ab ea interpunctam fuisse, sed immaculatam totius vitæ innocentiam,& virginei candoris infantilem puritatem Cœlo ad sequendum Agnum quocumque ierit, intulisse.

Innumera multitudo ad exequias convenit.

§.45. Ad exequias vulgatâ jam fama innumerabilis utriusque conditionis hominum multitudo convenit, & pia variorum titulorum sodalitia spontè, & religiosorum Mendicantium Ordines processere. Mox & Metropolitanum Collegium, & Regius Senatus cum omnibus Magistratibus Sacrum Corpus deferebant insueto honore Ecclesiæ Cathedralis Canonici,succedentibus in hoc munere certatim Religionum Superioribus. Ad Ecclesiæ Valvas visus est vultus Virginis vividiori, & venustiore colore rutilare, ut etiam de hac dictum à Christo Domino appareret,non est mortua puella, sed dormit. Visum est etiam à pluribus simulacrum Deiparæ Sanctissimi Rosarii luce, & splendoribus coruscare. Quo evulgato plures alii advenientes, prodigium non solùm eminùs, sed etiam cominùs sic se habere conspexerunt. Certatim omnis ætas, & sexus Coronis Rosariis, & quacumque re devota, quæ ad manus fuisset sacrum corpus contingere supplicirer conabatur. Resonabat undequaque Ecclesia valdè ampla continuis vocibus Rosam Beatam, & Sanctam acclamantibus, donec sepulturæ pretiosum depositum mandatum fuit. Post quæ crescente devota Populi frequentia ob eximia curationum beneficia,quæ in dies crebrescebant solemniores exequiæ celebratæ fuerunt,quibus Prorex, & major multitudo interfuit festivis applausibus & publicæ lætitiæ signis, tàm Incolis, quàm Advenis novæ Cœlorum Civi acclamantibus: paulò post instantissimè postulantibus Primatibus Civitatis Sacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum, decreto Archiepiscopi Limensis extractum, inventum fuit corruptioni non subjacuisse, & æquè ex eo cœlestem illum odorem prodire, quemadmodùm quando primo repositum fuit. In hac celebritate nemo erat, quem sub virginei cadaveris præsentia recens gestorum memoria medullitùs non compungeret, multis lacrymis devotionis fluebant, nomen ipsum Rosæ ab omnibus aperto reverentiæ signo recipiebatur. Depositum fuit decentissimè corpus à dextera Aræ Majoris, verum ob copiosam multitudinem offerentium ibi vota, alius locus sacris exuviis collocandis eligendus fuit, ipsum videlicèt Sanctæ Catharinæ Senensis Sacellum. Debebatur enim tàm simili filiæ sinus Seraphicæ suæ Matris ad quietem.

Et Rosam Sanctam inclamat.

Cujus corpus tandem tumulatur.

§. 46. Intereà Limam pervenere literæ hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ, ut ex formula à Congregatione Rituum præscripta examinarentur Testes de vita, & gestis hujus Ancillæ Dei, quod cœptum anno Domini 1630. ob multitudinem Testium, qui fuere numero centum octuaginta tres, non potuit absolvi nisi in mense Majo anno 1632. Fuere pro visitatione Reliquiarum Rosæ de more deputati inspectores, qui aperta arca lignea repererunt Virgineum Corpusculum post quintum decimum expletum ab obitu annum consumptis indumentis, ossibus integris, & adhuc sicca hinc indè carne obductis, quæ odorem rosarum exhalabant.

Quod post 15. annos incorruptum Rosas olet.

§. 147. Maximis signis ostendere voluit Omnipotens Deus, quàm sublimem gloriæ gradum in Cœlis obtineat Rosa, quorum illa celeberrima, & cebra fuere, quæ Cœli, Terræque creationem excedunt, conversiones scilicèt peccatorum, quæ à Deo precibus hujus Virginis obtentæ insignes fuerunt, ad solum enim virginei corpusculi contactum in feretro quamplurimi repentinis compunctionis stimulis ita fuere perculsi, ut statim elatis vocibus detestati fuerint sua scelera, prorumpentes in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante, & mirante maxima circumstantium turba. Mater Virginis Maria de Oliva coram Judicibus recensuit, post exequias filiæ compl res ad se devotas accessisse personas, etiam Re g sas anteà ignotas liberali subsidio suam egestatem sublevantes, & profitentes se tributa pendere virgini Rosæ, cujus intercessionibus vitæ suæ optimam mutationem debere sciebant.

Et solo contactu pœnitentiam inducit.

§. 48. Bartholomæus Martinez quondam hujus Virginis Confessarius ex certa scientia aperuit in judicio, quemdam profligatæ vitæ hominem, longissima annorum serie sacrilegè frequentantem Sacramenta, Rosæ jam tumulatæ precibus commendatum fuisse, & mox illum sensisse divinæ gratiæ motionem, qua cor ejus liquescens generalem totius vitæ exomologesim amarissimè perfecit, & adeò conscientiam ejus timor Domini pervasit, ut postmodùm quoscumque defectus tanquàm pergrandes excessus eluere festinaret. Constat etiam, duas probrosæ vitæ peccatrices ad Rosæ hujus odoriferam famam compunctas jugum impuritatis feliciter excussisse, & in calle virtutis constanter fixisse pedem.

Rosæ tumulatæ intercessione plures convertuntur.

§. 49. Limenses, & alii in universa Peruana Regione Sacramentalis pœnitentiæ Ministri communicatis indiciis generatim stupuere de tanta mutatione morum in Populo à die, qua Rosa in Sponsi sui Paradiso recepta fuit; Nam certatim fœminæ abjecto vestium luxu simplicioris modestiæ habitum ubique sumpserunt, Regularium claustra cruentis flagellorum ictibus undique pœnitentiam resonabant. Fuitque tàm publicè notum hoc prodigium, ut in Tribunali jurejurando assertum fuerit à tempore, quo Peruvia nostris detecta fuit, nullum unquam ibi claruisse concionatorem, qui tot ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit, & tàm universalem pœnitentiæ spiritum, & devotionis incendium excitarit, ut Rosa suis aspectibus, contactibus, & precibus.

Ejusque concives [illegible] amplectuntur.

§. 50. Francisco, & Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera erat Maria de Xuara mulier opulenta, sed animo implacabiliter in cognatos quamvis pauperrimos adverso, & implicato, quorum primus alebat suis impensis sex consobrinas, & duos consobrinos omnes in parva ætate constitutos. Impendebat utrique necessitas proficiscendi, & relinquendi parvulos in summa egestate. Franciscus Sacerdos era, Rosæ patrocinium implorat, postridie Matertera illum accersit, quem toto decem, & octo annorum spatio videre abnuerat, consobrinos calamitosos jubet adducere, & advocato Notario, rescisso priori inofficioso testamento, gratificato Francisco instituit parvulos consobrinos ex asse hæredes, & Rosæ debitæ grates persolvuntur.

Alii temporalia b na assequuntur.

§. 51. Ludovica Barba audierat à Confessario Rosam vaticinatam fuisse se assecuturam habitum Religiosum Sancti Dominici, quem ipsa horrescebat, diù parvi fecit dictum Virginis, imò adversabatur eventum hujus Oraculi, tandem Cœlestis Religiosæ vitæ inspiratio eam invasit, Rosæ sepulchrum adiit, ei causam supplex commendat, repentè illius cordi ignitum Sacri habitus Dominicani desiderium immittitur, in numerum Sororum Tertiariarum adscribitur, divinis solatiis repletur, hoc unum dolens, quod tamdiù corde obstinato tantam felicitatem respuisset.

Ejus vaticinia confirmantur.

§. 52. Ludovica de Mendoza encomia Sanctitatis hujus Virginis nec credere, nec concipere esse

Incredula Sanctitatem Rosæ asserens sanatur.

esse vera poterat, aut volebat; repentino angore correpta in manibus, & pedibus summè dolens, sensit, spiritum suum caligine, & pavore concuti, evidenter agnovit, ab unica sua incredulitate hæc provenire, supplex protestatur se credere, & toto corde fateri, quòd Rosa verè Sancta sit, & repentè conquievit tempestas, & sensit recedere atroces illos paroxismos.

§. 53. Præter prædicta spiritualia beneficia multa alia, & insignia miracula in curandis corporibus patrata narrantur, quibus Sanctitas, & merita hujus Virginis satis superque comprobata sunt; ex Processibus enim autoritate Apostolica confectis, & formiter à Sacra Congregatione Rituum discussis referente dilecto filio nostro Decio Cardinali Azzolino hujus Causæ Ponente non solùm constat de fama Sanctitatis, & virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus cum annexis in gradu heroico, sed præterea ex concludentibus probationibus tanquam ritè, & rectè admissa fuere sequentia miracula.

Morbus immedicabilis.

§. 54. Maria Sanchez aliàs de JESU novennis puella, quæ cum sexennis esset, fortuitò in terram prolapsa, ita nervis, & ossibus offensa fuit, ut contractis cruribus, eorumque sensu deperdito, omni prorsùs standi, & ambulandi potentia deperdita continuò immobilis affixa lectulo per triennium; crescente ætate, magis viribus destituebatur; frustratis omnibus adhibitis naturalibus remediis, ejus Parentes humili corde voverunt eam in sepulchro prædictæ Virginis ad obtinendam ei salutem per novenam ponere, & in ultima novennarii die, dum votum persolverant, infantula supra sepulchrum statim in pedes surrexit cunctis admirantibus, tàm expeditè deambulans, ac si nunquam hujusmodi læsionem passa fuisset.

Brachium aridum repente sanatur.

§. 55. Isabellæ Duran apoplexia in paralysim terminata brachium exsiccarat, omnemque illius usum à quinque circiter mensibus cruciabiliter ademerat, quoad ad inutile pondus, & continuos tantummodò dolores gestabatur ab humero prædensis fasciis obvolutum; applicavit illud corpusculo Rosæ jamjam tumulando, mox fascias explicuit, palam clamitans, integerrimè se curatam, publicèque in miraculi fidem robustè jactavit brachium gestu, motuque expeditissimo, ac si nunquàm languisset.

Idem Aethiopi exporrigitur.

§. 56. Aethiopi cuidam servo Didaci de Ayala ex nervorum attractione, & tenaci plica, brachium dextrum, ac manus à pluribus annis denegabant officium. Itaque ad famam defunctæ Rosæ cum reliqua turba penetravit in Ecclesiam Divi Dominici, commendavit se Sanctæ Virgini exporrexit illicò sanatum brachium, illudque in sublime elatum magnis vocibus ostentavit multitudini circumfusæ. Qui servum familiariùs noverant, accessere propiùs gratulabundi, nec dedignati osculis fatigare manum beneficio Rosæ jam patulam, & redivivam.

Attractam Rosæ vestes salui reddunt.

§. 57. Magdalena Chimisso Nobilis Inda (vtpotè de stirpe Regulorum Chincensium) ab umbilico deorsum corporis attractione, ariditate crurium, & pedum miserè per plures languebat annos, & nonnisi alimentorum manibus huc, & illuc poterat deferri, omnibus frustra adhibitis medicamentis in illo deploratæ salutis statu cor erexit ad superna, devote se commendavit dictæ Virgini; & ejus vestium allatis particulis tetigit partes læsas, atque in instanti perfectam recuperavit salutem, omnibusque admirantibus propriis pedibus adiit immediatè Prædicatorum Ecclesiam, ibique publicas gratias d. Virgini reddidit.

Moribunda statim vires recuperat.

§. 58. Maria de Vera dysenteria, febri maligna, dolore stomachi, & lethali vomitu per octo dies laborabat in extremis, susceptis Ecclesiæ Sacramentis se commendavit prædictæ Rosæ intercessioni, cujus amplexa est imaginem, & statim sana visa est cum totali virium recuperatione, atque è lecto exiliens illicò Altare ornavit, ibique apposuit Imaginem, & ob recuperatam sanitatem gratias egit.

Clemens IX. primus ad Aras extulit, & in Peruani Regni Patronam elegit.

§. 59. His igitur, & plurimis aliis signis coruscante per Orbem Rosæ sanctitate, & ejus exigentibus meritis, felicis recordationis Clemens Papa Nonus Prædecessor noster indulsit, vt hæc Dei Serva ubique terrarum Beatæ nomine nuncuparetur, & celebrata solemni ritu ejus Beatificatione eam Civitatis Limæ, & totius Regni Peruani principaliorem Patronam autoritate Apostolica decrevit, & declaravit, ejusdem festum ab omnibus illic degentibus de præcepto servari mandavit, & ejus nomen apponi in Martyrologio Romano. Nos quoque videntes eam ubique omnium Populorum solemni plausu devotissimè honoratam, hujusmodi Patronatum pro omnibus Provinciis, Regnis, Insulis, & Regionibus terræ firmæ totius Americæ, atque Philippinarum, & Indiarum, fecimus extensum, formatisque autoritate Apostolica Processibus de his, quæ supervenerant, eorumque validitate approbata, & percrescentibus venerationis, & devotionis Populorum piis affectibus, novis ostentis, & miraculis accedentibus, ex quibus post maturam discussionem quatuor admissa fuere; duo scilicèt ex processu Suessano, & duo alia ex processu Panormitano.

Clemens X. ad totam Americam, & Philippinas, & Indias extendit.

In extremis laborans illicò sanitatem recipit.

§. 60. Primum. In persona Joannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter præservati; hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiæ speciei progressa in exquisitum marasmum cum ulcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, ac rosione gutturis pariter ulcerati, quibus accesserat febris putrida, & maligna; Undè æger susceptis Ecclesiæ Sacramentis ad extremum vitæ fugientis agonem perductus jacuit sine motu, cessavit arteriarum pulsus, & consona trium Medicorum voce jam in faucibus mortis hærere conclamabatur: Sed implorato Beatæ Rosæ potenti auxilio, modicum pulveris è sepulchro ejusdem Beatæ hausit è cochleari aqua resolutum, & illicò salutem cum pristino vigore integerrimè recuperavit. Alterum in Candida Rosetta, Vexilliferi Aloysii il secondo de Carvajal Hispani uxore, cui in præmortui fœtus miserabili partu nimius pro secundarum emissione conatus per triduum adhibitus unà cum illis matricem foras extruserat, quæ deindè frigoribus in statu marmoris obduruit, nigra, visuque horrida, & prægrandis: utpotè trium librarum pondere gravis molestissimo cruciatu sic permansit foris per octennium, donec Beatæ hujus (cui impensè Candida se commendarat) imagine papyracea ventri applicita sensit in continenti ægra, matricem in alvum rediisse: Unde confestim sana, & robusta lecto exsiliit, ac per domum visa est præ gaudio saltitare.

Patiens imagine Rosæ ventri applicita sana in continenti redditur.

§. 61. Alia itidem bina miracula ex Processu Panormitano; videlicet unum in sanatione mirabili Fr. Seraphini Puglisi ex Ordine Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Vir iste Religiosus maligna febri lethaliter exustus, ac decimo septimo suæ infirmitatis die omninò derelictus à Medicis constanter asseverantibus, hora quinta, aut sexta noctis proximè insequentis expiraturum, jamque missa loquela, & visu luctans cum ultimo agone mox ut opem Beatæ Rosæ toto corde imploravit eamdem habuit manifestè conspicuam, subitoque valens, incolumis, vegetus cum stupore omnium evasit.

A Medicis derelictus ope Rosæ incolumis evadit.

§. 62. Novissimum denique in Angela Gibaja quæ duplici febri tertiana continua, & maligna, cum ingenti capitis, ac stomachi dolore, flatuumque copia per dies 27. dirè excruciata, demùm à Medico palam conclamata properabat ad mortem, perque sex horarum spatium laborans in

A mortis agone ad vitam statim revocatur.

agone

:gone, hortatu matris invocavit opem B. Rosæ, oleoque ex lampade coram istius Altari pendula desumpto in stomachi regione, collo, pectore peruncta, statim & incontinenti pristinæ saluti cum omnimoda fractarum virium reparatione fuit restituta.

Quare ad Regum, & aliorum supplicationem.

§. 63. Cum igitur jam nihil deesset eorum, quæ Sacrosanctæ functioni Canonizationis hujus dilectæ Christi Domini Sponsæ Rosæ necessaria erant, ex Sanctorum Patrum autoritate, Sacrorum Canonum Decretis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto: rogantibus Charissimis in Christo filiis nostris Regina Marianna Regente, ac etiam Carolo II. itidem Hispaniarum Rege, toto Ordine Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici, Regno Peruano, & omnibus Provinciis Americæ, accedentibus etiam precibus Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum Regnorum Hispaniæ, & Indiarum, justum & debitum esse censuimus, ut prædictam Beatam quam ipse Dominus de die in diem magis clarificat è Cœlis; Nos quoque venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, propterea annuimus, ut hodierna die publicè in Sacrosancta Basilica Principis Apostolorum Missæ Sacro peracto ejus Canonizatio haberetur, eademque die in prædicta Sacrosanctæ Vaticana Basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus nostris, Clero Seculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia manè convenimus, repetitis ter pro Canonizationis Decreto Nobis per dilectum filium Ludovicum tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalem Portocarrero post Sacros hymnos, Litanias, aliasque preces Spiritus Sancti gratia ritè implorata.

Rosa Sanctarum Virginum Albo adscribitur.

§. 64. Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, & fidei Catholicæ exaltationem autoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum Apostolorum, ac Nostra de Venerabilium Fatrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscorum, & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio, ac unanimi consensu, Beatam Rosam de Sancta Maria Virginem Limanam, de cujus vita, & Sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum excellentia plenè constat, Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum Virginum Catalogo adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus, & adscribimus, statuentes ab Ecclesia Vniversali quolibet anno die trigesima mensis Augusti memoriam ejus inter Sanctas Virgines recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Ad illius sepulchrum accedentibus indulgentiam elargitur hic Pont.

§. 65. Eadem authoritate omnibus, & singulis verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ipsius Sanctæ Rosæ ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit visitandum accesserint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

§. 66. His peractis Deum Patrem Aeternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & Sanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerati, sacroque hymno: Te Deum solemnitèr decantato peculiari in honorem Sanctæ Rosæ oratione precati sumus per ejusdem merita: atque ad Altare Sancti Petri Apostoli Missam celebravimus cum ejusdem Sanctæ commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessimus.

Ejusdem ratigarum actio.

§. 67. Cum omni igitur humilitate pro tàm insigni beneficio benedicimus, & glorificamus Deum Patrem Omnipotentem, cui benedictio & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum: assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem Electæ suæ à peccatis nostris faciem avertens misereatur nostri, & respiciat nos quibus ostendit misericordiam suam in medio Templi sui, dum novum nobis propugnaculum totius Americæ contra antiquas Diaboli insidias, & infidelitatis errores dedit, & omnibus apud Divinam Suam Majestatem Protectricem, & Advocatam concessit ad Sanctæ Ecclesiæ tranquillitatem, fidei Catholicæ incrementum, & infidelium lumen, & conversionem.

Transsumptorum fides.

§. 68. Cæterùm, quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri: volumus eorum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem ubique fidem haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostesę.

Sanctio pœnalis.

§. 69. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri Decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. P. An. 1. die 12. Apr.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1671. pridie Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Franciscus Episc. Ostien. Card. Barberinus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego F. M. Episcopus Portuensis Cardinalis Brancatius.
†
† Uldericus Episcopus Tusculanus Cardin. Carpineus.
†
† Ego Virginius Episcopus Albanensis Cardin. Ursinus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Cybo.
† Ego Fridericus tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Sfortia.
† Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presb. Card. Odescalcus.
†
†
† Ego Aloysius tit. S. Alexii Presbyt. Cardinalis Homodeus.
† Ego P. tit. Sancti Marci Presb. Card. Otthobonus.
† Ego Laurentius tit. S. Chrisogoni Card. Imperialis.
† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presb. Card. Santacrucius.
† Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Cardinal. Spada.
† Ego Franc. tit. SS. Quatuor Coronator. Cardin. Albitius.
† Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Presb. Card. de Aquaviva, & Aragonia.
† Ego Carolus tit. S. Sanctæ Priscæ Presbyt. Card. Pius.
† Ego Carolus tit. S. Eusebii Presb. Cardinalis Gualterius.

† Ego

† Ego Flavius titul. S. Mariæ de Populo Presbyt. Card. Chisius.
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presbyt. Card. Franzonus.
†
† Ego Petrus tit. Sancti Calixti Presbyt. Cardinal. Vidonus.
†
†
†
†
†
† Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presb. Cardinalis Bonellus.
†
† Ego Carolus tit. S. Susannæ Presbyt. Cardinalis Caraffa.
† Ego P. tit. S.S.XII. Apostolorum Presb. Card. de Alteriis.
† Ego Cæsar. tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.
†
†
†
† Ego Carolus tit. S. Mariæ de Aracœli Presbyt. Card. Robertus Vitor.
†
†
†
†
† Ego Jacobus tit. S. Sixti Presbyt. Cardinal. Rospigliosus.
† Ego Ludovicus tit. S. Sabinæ Presb. Card. Portocarrerus.
†
†
† Ego Joannes tit. S. Bernardi Presb. Cardinalis Bona.
† Ego Camillus tit. S. Mariæ in Dominica Presb. Card. Maximus.
† Ego Gaspar tit. S. Pudentianæ Presb. Card. Carpineus.
†
† Ego Fridericus tit. S. Agathæ Diaconus Cardin. Hassia.
† Ego Carolus Sancti Cæsarei Diac. Card. Carolus Barberinus.
† Ego Decius Sancti Eustachii Diac. Cardinalis Azzolinus.
†
†
† Ego Paulus tit. Sancti Nicolai Diac. Cardinalis Sabellus.
†
†
† Ego Sigismundus S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Sigismundus Chisius.
†
† Ego Bonacursius S. Mariæ de Scala Diaconus Card. Bonacursius.

XXXVIII. Constitutio, ut Romanis, aliisque Nobilibus Status Ecclesiastici liceat exercere commercia sine præjudicio Nobilitatis.

Edita Anno 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Decet Romanum Pontificem omnium Christifidelium patrem, & pastorem, non solum spiritualibus Dominici gregis sibi divinitus commissi utilitatibus jugi vigilantia consulere, sed etiam temporalibus suorum, & Apostolicæ Sedis, etiam quoad temporalia subditorum commodis paterno studio providere, sicut Reipublicæ conducibile fore in Domino arbitramur.

Causa const. §. 1. Cum itaque commerciis, & negotiationibus, honestarumque artium exercitio Respublicæ floreant, industria vigeat, segne otium, ex quo plurima mali seges surgere solet, exterminetur, omniumque rerum ad vitam necessariarum copia paretur; horumque commodorum intuitu in plerisque Italiæ, aliisque florentissimis Christiani Orbis ditionibus lege cautum, sive laudabili consuetudine introductum sit, ut nullum per commercia nobilitati præjudicium inferatur.

§. 2. Nos dignam munere nostro, paternæque erga nostros, & Sedis prædictæ subditos charitati congruentem rem facturi Nobis videmur, si Romanæ quoque, quam peculiari dilectione prosequimur, cæterarumque Civitatum, & locorum temporalis S.R.E. Ditionis nobilitati operam, atque industriam honestè, utiliterque exercendi, ac patrimonium sine cujusquam injuria augendi parem tribuamus potestatem. Motu itaque proprio non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis tàm Romanis, quàm Bononiensis, Ferrariensis, Avenionensis, Anconitanæ & Beneventanæ, cæterarumque Civitatum, Provinciarum, Oppidorum, Terrarum, & locorum quorumque Nobis, & dictæ Sedi tàm mediatè, quàm immediatè subjectorum nobilibus præsentibus, & futuris, cujuscumque status, gradus, præeminentiæ, & dignitatis existant, ut lanificii, & serici artes, ac argentariam, seu nummulariam, necnon mercaturas, negotiationes, & commercia quæcumque terra, mari, vel flumine exercere, nostraque, & Sedis præfatæ, ac Almæ Urbis nostræ, & Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum prædictorum vectigalia conducere, omniaque, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna facere, & exequi liberè, & licitè possint, & valeant, dummodò tamen merces minuatim per se ipsos minimè vendant; ita ut propterea nullum omninò eorum nobilitati, dignitati, gradui, conditioni, titulis, præeminentiæque & prærogativis præjudicium inferatur, aut illarum quoque modo dici, censeri, prætendi, vel intelligi unquam possit, sed ipsis omnes, & singuli, eorumque filii, posteri, & descendentes, quicumque in eodem omninò nobilitatis, & dignitatis gradu sint, & remaneant, etiam ad effectum consequendi habitum, & crucem fratrum Militum de Justitia Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac Sancti Stephani, aliarumque Militiarum, & Ordinum Militarium quorumcumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignorum, eorumque privilegiis, prærogativis, præeminentiis, honoribus, juribus, & gratiis fruendi, & gaudendi, ac quoad alia omnia, & singula tam Ecclesiastica, quàm profana, sivè secularia, ad quæ nobiles quomodolibet admitti, & recipi consueverunt, seu possunt, & debent, non secus ac si nihil prædictorum unquam exercuissent, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Statuit, ut in rubrica.

Clausulæ præservativæ. §. 3. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac in-

cogitato;

cogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris, seu statutorum, stabilimentorum, & ordinationum Capitularium, consuetudinum, & usuum, ac privilegiorum Hospitalis, aliorumque Ordinum militarium hujusmodi reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, nec non Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, aliosve Officiales, & Ministros, ac memorati Hospitalis, aliarumque Militiarum, & Ordinum Militarium hujusmodi Magnos Magistros, seù Administratores, Conventus, Consilia, & Tribunalia quæcumque, cæterosque quoslibet quacumque pæeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, ac fel. rec. Pii Papæ IV. prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera intra certum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non legibus etiam Imperialibus, & Municipalibus, ac Urbis, & quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum, nec non dicti Hospitalis, aliarumque Militiarum, & Ordinum Militarium, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, & locorum piorum quorumvis, aliisve quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus, capitularibus, stylis, etiam quantumvis inveteratis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Urbi, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis, ac Hospitali, aliisque Militiis, & Ordinibus militaribus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Congregationibus aliisque locis quibusvis, illorumque respectivè Communitatibus, & Universitatibus, Magnis Magistris, & Administratoribus Conventibus, Capitulis, etiam generalibus, Fratribus, Militibus, Equitibus, Nobilibus, & aliis personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac exactissimè, & accuratissimè expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Constitutionem publicari mandat.

§. 6. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè afficere, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Transumptorum fides.

§. 7. Utque ipsarum præsentium literarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 2. die 15. Maji.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 15. Maji 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1671. Indictione nona, die vero 20. mensis Maji, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X. anno ejus secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per Laurentium Signium Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Agabitus de Magistris Mag. Curs.

XXXIX.

Confirmatio Brevium Urbani VIII. & Innocentii X. quibus duabus vicibus quolibet anno mandatur Prædicatoribus Verbi Dei Commendatio locorum Terræ Sanctæ.

Specialiter hoc decrevit Urbanus VIII. Constit. 177. Salvatoris, *Innocentius X. Constitut.* 11. Salvatoris *confirmavit.*

CLEMENS PAPA X.

Edita A.D. 1671.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Salvatoris, & Domini nostri, qui pro humani generis redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas in eam præcipuè pastoralis solicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni qua fieri poterit majori honorificentia recolantur.

Breve Urbani VIII quid constituat.

§. 1. Cum itaque fel. recor. Urbano Papa VIII. prædecessori nostro alias exposito, quod Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia ferè diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum tyrannidem, & pro sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis conservatione contracto, admodum gravata reperiebantur; Idem Urbanus

prædecessor, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, nec non omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, & Congregationum, & Institutorum Regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus, & Quadragesimæ temporibus tam per verbi Dei Prædicatores in suis sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & aliàs prout in ejusdem Urbani Prædecessoris litteris in simili forma Brevis die 3. Februarii 1624. desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Ab Innoc. X. confirmatur.

§. 2. Et sicut pro parte dilectorum Ludovici à Justitia pro Italia, & Simonis Garciæ pro Germania, ac Andreæ à Fonte majore pro Hispania, & Petri Meron Fratrum expressè professorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum pro Gallia, respectivè Commissariorum ejusdem Terræ Sanctæ, Nobis nuper expositum fuit, ipsi quo præfatæ Urbani prædecessoris litteræ, quæ à rec. mem. Innocentio Papa X. prædecessore pariter nostro confirmatæ fuerunt exactius observentur illas per Nos pariter confirmari, & innovari desiderent.

Confirmat prout in rub.

§. 3. Nos eorumdem sacrorum monumentorum conservationi, & manutentioni consulere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negocio Propagandæ Fidei Præpositorum consilio, prædictas Urbani prædecessoris litteras Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus; salva semper auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Præcipit Ecclesiasticis Superioribus observantiam.

§. 4. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi prædicti in relatione status suarum Ecclesiarum, quando visitabunt Limina Apostolorum facienda, referant se prædictis Urbani prædecessoris, & præsentibus nostris litteris paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Transsumptis fidem addit.

§. 5. Volumus insuper, quod earundem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. A. 2. die 19. Junii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XL.

Extendit, & ampliat Indultum Cardinalis, & Nuncii in Regno Portugalliæ de recitando Officio, & Missa celebranda in tota ditione illius Regis in honorem Beati Gundisalvi de Amarante Ordinis Prædicatorum ad universam Sancti Dominici Religionem.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ divinitùs commissum salubriter exequi adjuvante Domino satagentes, pia sublimium, Religiosarumque personarum vota, ad augendam in terris Beatorum in Cœlis cum Domino nostro Jesu Christo regnantium venerationem laudabili studio tendentia libenter exaudimus sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, spiritualemque Christifidelium consolationem, atque ædificationem expedire in Domino arbitramur.

Causa hujus Const.

§. 1. Alias siquidem commisso per felicis recordationis Pium PP. IV. Prædecessorem nostrum ad preces claræ memoriæ Sebastiani dum vixit Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris bonæ memoriæ Henrico tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Portugalliæ nuncupato, & Prospero Episcopo Rossanensi tunc Sedis Apostolicæ in Regno Portugalliæ cum potestate Legati de Latere Nuncio, quatenus examinato per ipsos Processu antea confecto de mandato recolendæ memoriæ Julii PP. III. prædecessoris pariter nostri, vel alio, desuper servata forma Sacrorum Canonum de novo conficiendo conjunctim procedentes, constito priùs de crebris miraculis quæ Omnipotens Deus intercessione Beati Gundisalvi de Amarante Sacerdotis expressè professi Ordinis Prædicatorum in Regno Portugalliæ nati, & vita functi, tàm in illius vita, quam post felicem illius obdormitionem operari dignatus fuerat, concurrente ad Ecclesiam ubi requiescit corpus illius à claræ pariter memoriæ Joanne Rege Portugalliæ illustri ipsius Sebastiani Regis prædecessore magnificè extructam, & dotatam ex diversis Regnis, & Provinciis incredibili frequentia Christifidelium, eorumque in eumdem Beatum Gundisalvum devotione in dies magis invalescente, concederent, ut in omnibus, & singulis Ecclesiis, tam secularium, quam regularium Regnorum ipsi Sebastiano Regi subjectorum officium, horæ canonicæ, & missa de dicto Beato Gundisalvo ad instar aliorum Sanctorum Confessorum in die obitus ipsius liberè, & licitè recitari, & celebrari possent, prout in ipsius Pii Prædecessoris litteris desuper in forma Brevis die 3. Septembris 1560. expeditis latius continetur.

Indultum Card. & Nuncii.

§. 2. Idem Henricus Cardinalis, ac Prosper Episcopus Nuncius in executionem litterarum hujusmodi constito priùs de præmissis juxta Sacrorum Canonum dispositionem per eorum sententiam latam die 16. Septembris sequentis anni 1561. auctoritate Apostolica, qua fruebantur in hac parte concesserunt, & indulserunt, ut ex tunc in omnibus, & quibuscumque Ecclesiis, & Monasteriis etiam Secularium omnium Regnorum, & Dominiorum Portugalliæ possent liberè, & licitè recitare officium, & horæ canonicæ, ac Missæ celebrari in honorem dicti gloriosi Gundisalvi de Amarante eodem prorsùs modo, & forma quo, & qua recitantur, & celebratur in honorem aliorum Sanctorum Confessorum.

Ad preces Principis Portugalliæ.

§. 3. Cum autem sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri Principis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris per dilectum filium nobilem virum modernum Marchionem de las Minas Coronæ Portugalliæ apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem ordinarium Nobis nuper expositum fuit, crescente in dies populi erga præfatum Beatum Gundisalvum devotione, tam idem Petrus Princeps, quam dilectus filius Joannes Thomas de Roccaberti Magister Generalis dicti Ordinis pro singulari, quem erga memoratum Beatum Gundisalvum gerunt, devotionis affectu indultum præfatum ad universum Ordinem Sancti Dominici, tam Fratrum, quam Monialium extendi summoperè desiderent Nobis propereà idem Petrus Princeps, & Joannes Thomas Magister Generalis, tam suo, quàm universi Ordinis prætati nomine humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ampliatur ut in rubr.

§. 4. Nos igitur laudabili dicti Petri Principis pietati favorabilem assensum paterno affectu præbere cupientes, ac præfatum Joannem Thomam Magistrum Generalem speciali favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet in-

nodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum qui rem maturè perpenderunt consilio, Indultum recitandi officium, & horas Canonicas, ac celebrandi Missam de dicto Beato Gundisalvo, tanquam de Sancto Confessore non Pontifice concessum, ut præfertur ad universum Ordinem, tam Fratrum, quam Monialium Sancti Dominici, modo, & forma præmissis auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P.A. 2. die 10 Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Julii 1671. Pontificatus nostri anno Secundo.

XLI.

Quod Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, & Moniales Capuccinæ, cujuslibet mensis die non impedita Officium S. Claræ recitare valeant.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncto Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis officio pia Christifidelium, illorum præsertim, qui Altissimi obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipati, bonoque Christi odore de bona conversatione fragrantes uberes bonorum operum fructus in Ecclesia Dei adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagunt, vota ad augendam in terris cœlestis regni incolarum venerationem tendentia libenter exaudimus, illaque favoribus, & gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatio.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, tam Fratres dicti Ordinis, quam Moniales Capuccinæ nuncupatæ pro singulari eorum erga Sanctam Claram devotionis affectu Officium de illa singulis mensibus recitare plurimum desiderent.

Concedit ut in rubrica.

§. 2. Nos piis eorum votis favorabilem assensum hac in re præbere volentes, dictumque Ministrum Generalem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis tam Fratribus, quam Monialibus prædictis, ut officium de eadem Sancta Clara singulis mensibus aliqua die non impedita officio novem Lectionum, sub ritu semiduplici recitare, liberè. & licitè possint, & valeant, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos, & quas spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia, plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis fidem addit.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, in judicio, & extra illud, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. P. A. 2. die 20. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLII.

Quod electiones Priorum, Subpriorum, Sacristarum, & Procuratorum à Communitatibus Conventuum Provinciarum in Brevi expressarum non fiant, sed in Definitoriis Capitulorum Provincialium, earumdemque electionum abrogationes à Priore Generali approbari debere statuit.

Dilecto filio Matthæo Orlando Priori Generali Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Motiva.

Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, septem Provinciæ Ultramontanæ tui Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, nempè Germaniæ inferioris, Aquitaniæ, Provinciæ, Tolosæ, Germaniæ Superioris, Vasconiæ, & Flandro-Belgicæ, ut factionibus, aliisque malis, quæ ex electionibus Priorum, per Communitates Conventuum fieri solitis, in detrimentum observantiæ regularis, ac salutis animarum, & religiosæ quietis promanabant, occurerent, easdem electiones abrogaverint, easque in Definitoria earundem Provinciarum respectivè transtulerint; Tu verò etiam Subpriorum, ac Sacristarum, & Procuratorum singulorum Conventuum Provinciarum hujusmodi electiones abrogari eorumdem Conventuum quieti, & regulari observantiæ conducibile fore existimes, per Constitutiones autem Ordinis præfati à fel. rec. Urbano VIII. & Innocentio X. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris confirmatas, pro Provinciis Reformatis ordinatum reperiatur, ut hujusmodi electiones Priorum, Subpriorum, Sacristarum, & Procuratorum à Communitatibus Conventuum fiant. Nobis proptereà humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit ut in rubr.

§. 1. Nos igitur votis tuis, ad promovendum regularis observantiæ, religiosæque tranquillitatis bonum laudabiliter tendentibus, favorabiliter annuere volentes, Teque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi abrogationes electionum Priorum à memoratis septem Pro-

vincus Ultramontanis factas, ut præfertur, auctoritate nostra Apostolica confirmandi, & approbandi, ac ut in posterum in prædictis septem Provinciis Priores, Subpriores, Sacristæ, & Procuratores singulorum Conventuum, non amplius per Communitates ipsorum Conventuum, sed in Definitoriis Capitulorum provincialium, & quatenus aliquod ex dictorum officialium muneribus extrà tempus ejusmodi Capitulorum vacaverit, in Congregatione annua Definitorii uniuscujusque Provinciæ respectivè eligantur, dicta auctoritate statuendi, & ordinandi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate, tenore præsentium, concedimus, & impartimur.

Præceptum de observ.

§. 2. Statutum autem sic à te faciendum ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari mandamus.

Contrariorum derogatio.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ac Provinciarum, & Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P.A 2. die 31. Julii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLIII.

Statuit, quod Fratres exteri Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum in Conventibus Sancti Francisci ad Ripam Tyberis, & Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe ultrà quindecim dies morari non valeant.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ Const.

Cum fel. record. Alexander VII. & Clemens IX. Romani Pontifices Prædecessores nostri, ut incommodis, quæ Conventus Sancti Francisci ad Ripam Tyberis, & Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe Fratrum Minorum Ordinis ejusdem Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, ex diuturna in eis Fratrum exterorum mansione patiebantur, occurrerent, Guardianis seù Superioribus eorumdem Conventuum mandaverint, ut in posterum Fratres exteros dicti Ordinis ad Urbem prædictam ex devotione, vel ad negotia pertractanda accessuros, aut tunc in ea forsan degentes, non permitterent in dictis Conventibus, nec in eorum quolibet respectivè ultra quindecim dies commorari, sub pœnis tam dictis Guardianis, & cuilibet illorum pro tempore, quam iisdem Fratribus si Sacerdotes forent, privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum ipso facto, si autem Laici, carcerationis, aliisque ipsorum Alexandri, & Clementis Prædecessorum respectivè arbitrio infligendis; Procuratori verò Generali ejusdem Ordinis, & ab iis qui negotia intra dictum tempus absolvere nequirent, scripturas ea concernentes sibi consignari, eademque negotia sedulò pertractari, ac expediri curaret: Et (sicut accepimus) prænarratæ ordinationes non ea qua par est, cura serventur, sed illis fraus fiat, Fratribus exteris prædictis post moram quindecim dierum in dictis Conventibus respectivè peractam, ad Conventus extrà Urbem non sine horum quoque Conventuum gravamine, secedentibus, & paulò post ad eandem Urbem redeuntibus, quasi eis non esset interdictum in Conventibus supradictis, seu eorum altero per alios quindecim dies moram trahere.

Statuit ut in rub.

§. 1. Hinc est quod Nos eorumdem Conventuum indemnitati, & levamento quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ac memoratorum Alexandri, & Clementis prædecessorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero quicumque Fratres exteri dicti Ordinis ad Urbem prædictam devotionis, vel negotiorum causa pro tempore accessuri in supradictis S. Francisci, & S. Petri in Monte Aureo Conventibus seù eorum altero ultra quindecim dies commorari, nec ipsorum Conventuum Guardiani, seù Superiores respectivè nunc, & pro tempore existentes id permittere ullo modo audeant, seù præsumant, sub pœnis quoad Fratres Sacerdotes, seù Clericos, ac Guardianos, seù Superiores prædictos, eorumque quemlibet privationis vocis activæ, & passivæ, ac officiorum per eos obtentorum ipso facto incurrendæ, quoad Laicos verò, seù Conversos, carcerationis, aliisque nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis tenore præsentium prohibemus, & interdicimus.

Ab exteris quid agendum declarat.

§. 2. Præcipientes sub eisdem pœnis, ut Fratres exteri, qui in eisdem Conventibus, seù eorum altero moram quindecim dierum spatium traxisse de præsenti reperiuntur, statim atque præsentes litteræ ibidem publicatæ fuerint, inde discedant ad proprias Provincias reversuri. Quod si negotia habuerint quæ tàm citò nequeant expediri scripturas illa concernentes consignent dilecto filio eorum Procuratori Generali, qui eadem negotia sedulò pertractari, & quamprimum fieri poterit expediri curet.

Eludentibus pœnas addit.

§. 3. Porrò si quis præsentem prohibitionem eludere tentaverit, ad Conventus extrà Urbem tantisper secedendo, & in eandem Urbem regrediendo, quasi sibi in Conventibus præfatis, seù eorum altero per alios quindecim dies commorari liceat; tàm ipse, quàm Guardiani, seù Superiores prædicti, qui ejusmodi elusoriis conatibus non obstiterint pœnis supradictis omninò subjaceant.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 2. die 26. Julii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Quod

Quod Clerici Regulares Congregationis Theatinorum Officium de Purificatione Beatæ Virginis Mariæ cum Octava quotannis recitare valeant.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

AD Pastorale fastigium, nullo licet meritorum suffragio per ineffabilem Divinæ Clementiæ abundantiam evecti, pia Christifidelium, eorum præsertim qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbunt, ad augendam in terris Gloriosissimæ Virginis Deiparæ Mariæ Patronæ, & Advocatæ nostræ venerationem tendentia libenter exaudimus, eaque favoribus, & gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatio.

§. 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Officium de Purificatione ejusdem B. Mariæ Virginis, quam in Patronam elegerunt, cum Octava recitare posse plurimum desiderent.

Indulget prout in rub.

§. 2. Nos eorum desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus etiam dilecti filii nobilis Viri Petri de Aragonia Ducis Segobricæ, & Cardonæ, Regni Neapolis Proregis, dum Oratoris munere pro Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico ad præstandam Nobis ejusdem Caroli Regis nomine obedientiam fungebatur, ac dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Ducissæ Feriæ ejus conjugis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Clericis Regularibus prædictæ Congregationis Theatinorum, ut ipsi Officium de Purificatione memoratæ Virginis Gloriosissimæ Mariæ quotannis die secunda Februarii cum Octava recitare liberè, & licitè possint & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 3 Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

An. 2. die 20. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Quomodo sit intelligendum indultum de Officio B. Stanislai Societatis JESU recitando, & Missa in Poloniæ Regno, & Magno Ducatu Lithuaniæ celebranda, nimirum in Ecclesiis prædictorum Regni, & Magni Ducatus quibuscumque etiam non Societatis JESU, extrà verò dicta loca ad solam ejusdem Societatis Religionem recitari Officium, & Missam celebrari posse declarat.

Indultum de quo in rubrica habes supra in Const. 12. In Apostolico, *hujus Pont.*

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

ALiàs piis, enixisque Charissimi in Christo filii nostri Michaelis Poloniæ Regis Illustris, ac dilectorum filiorum Præpositi Generalis, & Presbyterorum Societatis JESU precibus Nobis humiliter porrectis favorabilem assensum præbere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum consilio, ut de Beato Stanislao Kostka Polono ejusdem Societatis quotannis die 13. Nov. in universo Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, nec non in Ecclesia Sancti Andreæ in Monte Quirinali hujus Almæ Urbis nostræ, ubi ejusdem Beati Stanislai corpus requiescit, ac aliis omnibus, & singulis Ecclesiis dictæ Societatis JESU, Missa etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesias hujusmodi confluentibus, & à Religiosis ejusdem Societatis ubicumque terrarum existentibus celebrari, & Officium recitari de Communi confessorum non Pontificum, juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani liberè, & licitè possent, & valerent, auctoritate Apostolica concessimus, & indulsimus, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 16. Augusti 1670. expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, continetur.

§. 1. Cum autem sicut pro parte Presbyterorum Societatis præfatæ, Nobis nuper expositum fuit, à pluribus existimatum fuerit, Missam, & Officium hujusmodi non potuisse, neque posse celebrari, nisi in Ecclesiis dictæ Societatis, nec extrà eas in prædictis Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ, attentis verbis dictarum Litterarum, per quæ in omnibus, & singulis Ecclesiis dictæ Societatis, Missam etiam à Sacerdotibus eo die ad Ecclesias hujusmodi confluentibus celebrari posse indulgetur: Nobis propterea dilectus filius Procurator Generalis ejusdem Societ. humiliter supplicari fecit, ut ad tollendum omne dubium, de opportunæ declarationis gratia, in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Constitutionem quomodo intelligendam declarat.

§. 2. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, Litteras nostras præfatas, quoad Regnum Poloniæ, & magnum Ducatum Lithuaniæ, de omnibus Ecclesiis, & Personis intelligi debere; ita nempè, ut in universo Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lithuaniæ hujusmodi omnes Sacerdotes tàm Seculares, quàm Regulares cujuscumque status, gradus, ordinis, ac Clerus universus, possint, & valeant eadem die 13. Novembris

Missam, & Officium de eodem Beato Stanislao Kostka in eorum propriis Ecclesiis, & Domibus religiosis, aliisque locis sacris celebrare, & respective recitare, in aliis verò locis extendi ad solas Ecclesias Presbyterorum Societatis præfatæ, juxtà facultatem in eisdem literis concessam, dicta auctoritate tenore præsentium declaramus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu Secretarii dictæ Societatis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Præpositi, aut Vicarii Generalis ejusdem Societatis pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P. An. 2. die 30 Sept.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30 Septemb. 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLVI.

Prohibet omnibus, & singulis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum pro quacumque re obtinenda recursum ad personas extra eundem Ordinem.

De hac materia vide quæ indicavi tibi ad Constitut. 110. Admonet. *Alexand. VII. ubi ad rem plura videre poteris, & ad Const.* 17. Ecclesiæ *hujus Pont.*

Edita An. 2. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis munere in eam præcipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut regularem observantiam, religiosamque tranquillitatem inter Religiosos viros, eos præsertim, quos suave Christi jugum sub arctioris vitæ instituto amplexos, cæteris modestiæ, atque humilitatis, & religiositatis exemplo prælucere decet, quantùm nobis ex alto conceditur tueri, atque conservare satagamus.

Supplicatio.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii moderni Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappucinorum nuncupatorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus præsentibus, & futuris, ne de cætero ad obtinendas obedientias, sivè permissiones visitandi eorum parentes, seù propinquos, aut loca sacra quæcumque, vel ut ad dignitates, officia, aut munera quælibet ejusdem Ordinis, aut ad studia promoveantur, sivè ut ab uno ad alium locum transire, vel in aliquo particulari Conventu permanere eis liceat, vel ut cum eis dispensetur, ad hoc ut ante peractum septennale studium in Concionatores assumi, munusve Concionatoris exercere, aut ut ante completum in eodem Ordine septennium ad sacrum Presbyteratus ordinem promoveri valeant, sivè ad alia similia consequenda tàm pro se, quàm pro aliis Ordinis præfati Fratribus ad quarumcumque personarum extra eundem Ordinem existentium etiam quavis Ecclesiastica, vel mundana dignitate, præeminentia, & potestate fungentium, aut aliàs specifica, & individua mentione, & expressione dignarum favores, suffragia, vel intercessiones, recurrere, illisve uti audeant quovis modo, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum quorumcumque per eas obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & quævis alia in posterùm obtinenda pœnis per contraventores ipso facto absque alia declaratione incurrendis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Prohibet ut in rub.

Clausulæ præservativæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentes litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorem præsentium deputat.

§. 3. Quocirca memorato Ministro Generali harum serie committimus, & mandamus, ut ipsas præsentes literas in omnibus, & singulis Ordinis præfati Provinciis, & Conventibus quamprimum publicari curet, ne quisquam illarum ignorantiam allegare possit.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumlibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. An. 2. die 2. Oct.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Octob. 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLVII.

Quod Abbas Generalis Congregationis Vallis umbrosæ pro tempore existens Mozzettam, & Mantellettam, Pileum, & Biretum Prælatitios etiam in Capellis Pontificiis deferre, & gestare possit.

Simile Indultum concessit alteri Congregationi Alex. VII. Const. 99. *& Const.* 167. Decet.

Edita A.D. 1671.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem ad ea, per quæ personarum Ecclesiasticarum quarumlibet præsertim Congregationum Monasticarum, quæ Sanctorum, & Romanorum Pontificum, aliorumque Virorum pietate, & doctrina præstantium numero decoratæ existunt ornamento, divinique cultus celebritati, & decori peramplius consulitur libenti animo intendere, ac in his sui Pastoralis officii partes favorabiliter impartiri, prout locorum, & temporum, ac personarum hujusmodi Dei servitio dicatarum qualitatibus, & circumstantiis debitè pensatis ad devotionis Christifidelium augumentum, & propagationem, nec non Altissimi laudem, & gloriam prospicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Theodori Baldini moderni Abbatis Generalis Congregat. Vallis umbrosæ Ordinis S. Benedicti petitio continebat, quod cum inter Congregationes Monachorum Italiæ d. Ordinis Congregatio prædicta duorum Summorum Pontificum, ac plurium Sanctorum numero, & Viris insignibus pietate, & doctrina præstantibus decorata, ac etiam ex antiquitate, & à Sede Apostolica diversis favoribus, & gratiis insignita existat, itaut illius Abbas Generalis Mitra, Baculo, & Annulo Pastoralibus, cæterisque Pontificalibus Insigniis utatur, & fruatur, ac potiatur, & gaudeat, plurimum tamen decori, & Dignitati Abbatis Generalis primodictæ Congregationis videretur convenire ipsum Theodorum, & pro tempore existentes primodictæ Congregationis Abbates Generales à Nobis, & dicta Sede aliqua digniori prærogativa decorari, & illustrari. Quare pro parte dicti Theodori, & pro eo dilecti filii nostri Leopoldi S. R. E. Cardinalis Medices nuncupati, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs ejusdem Congregationis Vallis umbrosæ, ejusque Abbatum generalium pro tempore existentium decori consulere, aliàque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui Ecclesiarum quarumlibet & Congregationum decorem, divinique cultus, & Christifidelium devotionis augumentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eumdem Theodorum, ac ejus Successores pro tempore existentes Abbates Generales prædictos, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac honestis ipsius Theodori votis hac in parte favorabiliter annuentes, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super Ritibus Ecclesiasticis Præpositorum, eidem Theodoro, & pro tempore existentibus Abbatibus Generalibus primodictæ Congregationis, ut de cætero perpetuis futuris temporibus tàm in Romana Curia, quàm extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Theodorum, & pro tempore existentes Abbates Generales prædictos pro tempore residere, & morari contigerit, ac in quibusvis Visitationibus, Capitulis, & Sessionibus, necnon quibusvis actibus, & Processionibus, etiam coram Nobis, & Romanis pro tempore existentibus Pontificibus successoribus nostris etiam in Capellis Pontificiis Mozzettam, & Mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis Vallis umbrosæ unà cum Pileo, & Bireto Prælatitiis induere, gestare, & deferre, illisque uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possit, & valeat, ac possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam facultatem, & auctoritatem impartimur; decernentes ipsum Theodorum, ac pro tempore existentes Abbates Generales prædictos super delatione, gestatione, & usu Mozzettæ, Mantellettæ, Pilei, & Bireti prædictorum à quoquam sub quovis prætextu, occasione, vel causa quantumvis juridica, & legitima, vel quæsito colore, & ingenio nullatenus impediri posse, neque debere.

Confirmat prout in rub.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Præsentes quoque semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Theodoro, & pro tempore existentibus Abbatibus Generalibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari debere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illas emanare contigerit, toties præsentes in pristinum, & validissimum statum restitutas repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori Data per dictum Theodorum, ac pro tempore existentes Abbates Generales prædictos quandocumque eligendos concessas esse, & fore.

Clausula sublata.

§. 4. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, & honore fulgentes, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, & Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & dictæ Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, & Provincialibus, ac Generalibus Conciliis editis, & edendis, specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis Vallis umbrosæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. P. An. 2. die 2. Oct.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, sexto nonas Octob. Pontif. Nostri Anno Secundo.

XLVIII.

Indulgentiam plenariam largitur omnibus Christifidelibus, qui Missæ de Nomine Beatissimæ Virginis Mariæ, die 17. Septembris quotannis celebrandæ in Ecclesiis Provinciarum, & Regnorum Regis Hispaniarum interfuerint.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita A. D. 1671

Exordium.

ALiàs emanarunt à Nobis ad supplicationem charissimæ in Christo filiæ nostræ Marianæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ Nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia Ducem Segorbiæ, & Cardonæ, & Regni Neapolis Proregem, qui tunc munere Oratoris ad præstandam Nobis charissimi in Christo filii nostri Caroli earumdem Hispaniarum Regis Catholici obedientiam apud Nos, & Sedem Apostolicam

Tenor alterius Brevis refertur.

fungebatur, humiliter porrectam litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicèt.

§. 1. Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam. Præclara charissimæ in Christo filiæ nostræ Marianæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ in Deum pietas, ac eximia omnique laudum præconio digna erga Gloriosissimam Virginem Deiparam MARIAM devotio, aliæque Christianæ virtutes singulari erga Nos, & hanc Sanctam Sedem observantiæ, & devotioni conjunctæ, quibus bonorum omnium largitor Altissimus eandem Marianam Reginam multipliciter insignivit promerentur, ut piis illius votis ad augendam in terris ejusdem Beatissimæ, atque augustissimæ Virginis Cœli Reginæ venerationem tendentibus, Apostolicæ benignitatis assensum libentissimè præbeamus. Cum itaque sicut dilectus filius nobilis Vir Petrus de Aragonia Dux Segorbiæ, & Cardonæ, Regni Neapolis Prorex, & charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator ad præstandam Nobis ejusdem Caroli Regis nomine obedientiam missus, pro parte prædictæ Marianæ Reginæ Nobis nuper exponi fecit eadem Mariana Regina pro singulari sua erga Sanctissimum MARIAE nomen pietate, ejus cultum ubique terrarum in dies propagari, ac proindè Officium de nomine ejusdem Beatissimæ Virginis MARIAE cum Lectionibus, & Officio in Toletana Diœcesi recitari solitis quotannis 17. Septembris recitandum ad universum Clerum tàm Secularem, quàm Regularem utriusque sexus per omnes Provincias, Regna, Status, Regiones, & Dominia ubivis locorum dicto Carolo Regi subjecta à Nobis extendi summoperè desideret, Nos piis ipsius Marianæ Reginæ votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, supplicationibus ejus nomine Nobis per memoratum Petrum Ducem Proregem, & Oratorem super hoc humiliter porrectis inclinati, petitam extensionem prædicti Officii de nomine Beatissimæ Virginis MARIAE quotannis die 17 Septembris recitandi universo Clero tàm Seculari, quàm Regulari utriusque sexus per omnes Provincias, Regna, Status, Regiones, & Dominia memorato Carolo Regi subjecta prædicta auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenus opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Januarii 1671. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Concedit ut in rubrica.

§. 2. Nunc autem ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, piisque memoratæ Marianæ Reginæ precibus Nobis pro parte prædicti Petri Ducis, & Proregis humiliter porrectis, uberiori paternæ charitatis benignitate annuentes, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Missæ solemni in quacumque Ecclesia Provinciarum, Regnorum, Statuum, Regionum, & dominiorum prædicto Carolo Regi subjectorum prædictorum dicta die 17. Septemb. quotannis celebrandæ interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transsumptorum fides.

§. 3. Cæterùm volumus pariter, ut præsentium literarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. P An. 2. die 7. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Octob. 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XLIX.

Reductio Officiorum Notariorum Sacri Palatii Apostolici.

De horum Notariorum materia plura videre poteri in repertorio verbo Notarii.

CLEMENS PAPA X.

Edita An. D. 1671.

Exordium.

Motu Proprio &c. Romanus Pontifex in supremo dignitatis Apostolicæ culmine Divina disponente clementia constitutus, illud in primis propensis, & indefessis studiis curare, & excogitare ut nimirum suis etiam futuris temporibus, quod non solùm incommodis publicis, sed etiam litigantium expensis, ac defatigationibus in quantum fieri potest consulatur, & obvietur, & illa interdum quæ à Prædecessoribus suis, temporum & rerum qualitate id tunc exposcente providè pro Cameræ nostræ Apostolicæ Jurium, redituum, & bonorum, recto & firmo regimine & nonullorum Sedis Apostolicæ Officialium indemnitate, & majori personarum ad Romanam Curiam pro Justitia consequenda confluentium sublevamine, & commoditate sancita sunt novis emergentibus rationibus revocare, & immutare, aliaque desuper disponere, & ordinare consuevit, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Sixtus IV. numerum Auditorum, & Locatenentium reducit.

§. 1 Dudum siquidem fel. rec. Sixtus Papa IV. Prædecessor noster postquam per quasdam suas litteras motu proprio, & ex certa scientia Apostolica auctoritate statuerat, & ordinaverat, quod Sacri Palatii Apostolici Causarum Auditorum, & eorum Locatenentium numerus, qui tunc quatuordenarius erat, ex tunc deinceps duodenarius existeret, quodque si qui supradictum statu

tum numerum nominatorum Auditorum, & Locatenentium, tales esse desinerent, & illorum officia in se ipsis extincta penitus essent: & esse censerentur, illisque aggregari, & ultrà dictum duodenarium numerum in Auditorem, vel Locatenentem admitti nemo posset, prout in dictis litteris pleniùs continebatur, attendens non minus rectè, quam prudenter, quod si quemadmodum Auditorum, & Locatenentium eorumdem numerus erat providè limitatus, ità Notarii Causarum ejusdem Palatii coram eisdem Auditoribus, & Locatenentibus scribentes certo determinato numero eorumdem Auditorum, & Locatenentium numero correspondente includerentur ipsique Collegium constituerent, & Apostolicæ Sedis Officiales essent, ac in processionibus, & aliis publicis actibus, ad quas alii ejusdem Sedis Officiales convocari consueverunt interessent, eorumque officia perpetua existerent, & ex tot proborum, & peritorum Virorum Collegio, Curia prædicta plurimum illustraretur, ipsique Notarii quamdam honoris, & dignitatis prærogativam se affecutos fore gauderent, mitioresque in exigendis debitis eorum salariis se litigantibus exhibere valerent, quod eatenùs absque eorum detrimento, & quod officia ipsorum magnis cum impensis acquisita temporibus, & brevi quodam tempore peritura erant, facere non potuerant, & exinde litigantes ipsi non modicum reportarent expensarum ublevamen, motu suo proprio, ac irrefragabili, & perpetuo valitura Constitutione sancivit, statuit, & ordinavit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus numerus dictorum Notariorum esset quadraginta octo numero videlicet dictorum Auditorum, & Locatenentium merito correspondens, qui ad instar aliorum Sedis prædictæ officialium Collegium constituerent, quodque ne illi, qui de Officiis Notariorum eorumdem disponere eatenùs consueverant illorum dispositione fraudarentur, aut ad quos ipsorum Officiorum dispositio pertinere debebat, dubium aliquod insurgere valeret, & in futurum ex singulis quatuor officiis singulorum quatuor Notariorum coram singulis ex duodecim Auditoribus, seù Locatenentibus prædictis pro tempore scribentium unum Romani Pontificis, & aliud Vicecancellarii, aliud verò Camerarii S. R. E. & reliquum Auditoris officia appellarentur, & decedentibus aliquibus ex Notariis supradictis illa ex officiis Notariorum sic decedentium, quæ Romani Pontificis per Romanum Pontificem, quæ Vicecancellarii per Vicecancellarium, ac quæ Camerarii per Camerarium, quæ verò Auditorum officia extitissent per Auditores prædictos pro tempore existentes aliis idoneis conferrentur, ac aliàs prout in litteris desuper confectis etiam pleniùs continetur.

Eisque correspondentes Notarios assignat.

§. 2. Cum autem ad aures nostras non sine gravi animi nostri displicentia pervenerit, quod à longæva annorum serie Collegium dictorum Notariorum Palatii Apostolici Auditorum ob defectum & diminutionem non modicam Causarum, litium, & negotiorum &c. temporum injuriis, & calamitatibus provenientem etiam ratione onerum eidem Collegio per piæ mem. Paulum Papam V. Prædecessorem nostrum motu simili prævia quarumcumque nonnullorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionum officiorum Notariorum hujusmodi scripturas non vacare disponentium revocatione, omnes, & singulas omnium officiorum prædictorum scripturas eatenùs factas, & in futurum conficiendas, etiam una cum titulo vacavisse, & vacare debuisse declarando ex voto tamen tunc Rotæ Auditorum impositorum, aliorumque eisdem Notariatuum officiis incumbentium, annuis, vel menstruis præstationibus per aliquot annos decursis, & forsan non solutis, per eosdem solvi solitis, in gravissimum dictæ Cameræ, aliorumque interesse habentium præjudicium, & detrimentum, dictique Collegii splendoris etiam damnosum vilipendium satisfacere, & correspondere non valeat, quodque scripturæ ultra continuas litigantium, & Curialium incommoditates, quas ipsi ob diversas Notariorum prædictorum in variis, & remotis ac ab invicem separatis Urbis partibus sitas mansiones per ipsos Notarios habitatas sæpenumero patiuntur in dictis Notariorum Domibus conservatæ, quandoque deperdi possint, ac etiam realiter nonnullæ non sine maximo litigantium præjudicio forsan deperditæ fuerint, propetereaque in Congregatione super præmissis à rec. mem. Alexandro Papa VII. similiter Prædecessore nostro deputata, quod attentis supradictis narratis numerum Notariorum hujusmodi ad minorem numerum reducendi in uno, & eodem loco cohabitare, & inibi in Archivio ad id destinando omnes, & singulas scripturas conservare tenerentur, salvis in reliquis erectionibus prædictis, licet frustrà, & absque ullo effectu decretum fuerit.

Alexan. VII. Notariorum reductionem decernit, sed non sortitur effectum.

§. 3. Nos igitur quibus cura, & sollicitudo Boni publici insidet, dicti Alexandri Prædecessoris vestigiis in hoc inhærendo non solùm prædictis, verum etiam pro majori, & publica Curialium, & litigantium utilitate, ac commoditate, illorumque minori dispendio, necnon aliis rationabilibus de causis in Congregatione novissimè per Nos particulariter deputata cum dilectorum filiorum nostrorum Prodatarii, ac Vicecancellarii, & Procamerarii S. R. E. necnon trium Apostolici Palatii hujusmodi Auditorum ab eadem Rota ad effectum hujusmodi deputatorum interventu, habita, maturè discussis adducti motu simili etiam ex voto posterioris Congregationis hujusmodi numerum quadraginta octo officiorum Notariatuum hujusmodi ad quatuor officia vacabilia Notariorum hujusmodi dumtaxat, reliqua quadraginta quatuor officia hujusmodi, & illorum titulos motu pari supprimentes, & annullantes perpetuò reducimus, Primi videlicet per Vincentium ad Nos, & successores nostros Romanos Pontifices, Secundi verò per Carolum ad Vicecancellarium, & Tertii per Jacobum Philippum ad Camerarium S. R. E. necnon quarti officiorum hujusmodi de cætero vacaturorum per Petrum infrascriptos respectivè possessorum collationes ad dictos Auditores pro tempore existentes respectivè spectare, & pertinere declaramus, ac in dictos quatuor Notarios unum Collegium constituentes ex voto ejusdem posterioris Congregationis Vincentium Cicellium, Carolum Bonamici, Jacobum Philippum Cæsarini, & Petrum Francisconium dilectos filios triginta septem officia hujusmodi respectivè ad præsens obtinentes, itaut ipsi reliqua undecim officia hujusmodi per Antonium Cartonium, & Hieronymum Aloysium Rosignanum, ac Aemilium Gottum, etiam dilectos filios respectivè ad præsens possessa, justo, & competenti, & per posteriorem Congregationem hujusmodi constituendo, & beneviso pretio, habita tamen ratione qualitatum præsentium temporum & consimilium officiorum hujusmodi hisce temporibus, & forsan non ita pridem factarum venditionum, & aliorum particularium, cum conditione, & pacto tamen omnia, & singula onera aliàs quadraginta octo Notariis hujusmodi incumbentia supportandi à dictis Antonio & Hieronymo Aloysio. & Aemilio emere, dd. verò Antonius, & Hieronymus Aloysius, ac Aemilius præd.cti dd. undecim officia sic suppressa vendere respectivè teneantur motu simili nominavimus.

Quam executioni mandat hic Pont. ad 4. reducens.

Quique sint declarat, eisque officia suppressa emere jubet.

§. 4. Volumus autem, quod Antonio, & Hieronymo Aloysio, ac Aemilio prædictis, aut a i-

Suppressis vendere recusantibus quid agendum statuit.

quo illorum dicta undecim officia, seù illorum aliqua, ut præfertur suppressa vendere recusantibus, seù recusante, statim facto deposito pretii ut præfertur benevisi penes Sacrum Montem Pietatis Urbis in creditum illorum venditio legitimè facta censeatur eo ipso, & quod de cætero ipsi Antonius, & Hieronymus Aloysius, ac Aemilius Notarii tàm scribendo, quàm in causis dicti Tribunalis se ingerendo, aut immiscendo denominari, aut appellari nullatenus possint prohibemus.

Ipsosque ad consignationem scripturarum sub certis pœnis compellit.

§. 5. Quinimò ipsi in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, & aliis arbitrio infligendis pœnis, quatenus ipsi statim facto deposito pretii hujusmodi omnes, & singulos libros, scripturas, & registra, cæteraque singula Notariorum hujusmodi officia concernentia dd. quatuor Notariis, ut præfertur nominatis respectivè consignare debeant, præcipimus, & mandamus.

Privilegia ad 4. Notariorum favorem confirmat.

§. 6. Cæterum pro dd. quatuor Notariorum, dictique illorum Collegii, honoris, & dignitatis prærogativa conservanda, ut ipsi omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, indultis, prærogativis, concessionibus, gratiis, præeminentiis, & antelationibus, quibus aliàs dicti quadraginta octo Notarii ante suppressionem, & reductionem prædictas quomodolibet utebantur, fruebantur, & potiebantur pari modo, & absque aliqua prorsus differentia frui, potiri, & gaudere possint, & valeant, supportatis tamen oneribus prædictis motu pari concedimus, & indulgemus.

Clausulæ præservativæ.

§. 7. Præsentes quoque, & desuper conficiendas litteras etiam ex eo, quod singuli nominati prædicti præmissis non consenserint, nec forsan ad ea omnia, & singula vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, vel alio quovis etiam quantumvis magno, & inexcogitato, & substantiali defectu, etiam ex eo quod super præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex alio quolibet capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seù etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso, seù occasione, vel causa quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis prædictorum specialiter, ac individuè exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, vel aliis superius expressis, seù illatis nihil ullibi appareret, seù aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductioi is ad viam & terminos juris, aut aliud quodcumque Juris, facti, gratiæ, seù justitiæ remedium impetrari, seù etiam motu, & potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, aut concesso, quempiam uti, seù juvari in judicio, & extrà posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodòlibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Clausula sublata.

§. 8. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices, etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, & inanè, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, perpetuum silentium super litibus, & controversiis aliàs per dictos Notarios contra quosvis alios in dicti Sacri Palatii Apostolici Auditorio, aut alio Tribunali coram quovis Judice præmissorum occasione quomodòlibet suscitatis imponendo motu simili Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstantibus præmissis, & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & indultis, privilegiis supradictis Collegio, illiusque singularibus personis quomodòlibet concessis, nec non piæ mem. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri gratias Cameram prædictam concernentes in eadem Camera registrari debere, disponen. ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus desuper in genere, vel in specie editis, etiam Motu proprio, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & quibuscumque etiam quantumvis efficacissimis clausulis, & decretis etiam irritantibus roboratis, & aliàs in contrarium prædictorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seù quævis exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat motu, & potestatis plenitudine similibus derogamus, ac derogatum esse volumus, & declaramus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio E.

Solam signaturam fidem facere statuit.

Et quod singulorum officiorum hujusmodi concessorum, & litterarum tenores, etiam veriores habeantur pro expressis, seù toto, vel in parte exprimi possint in litteris, & de ipsius suppressione, reductione, annullatione, concessione, voluntate, indulto, declaratione, & derogatione, aliisque præmissis ut supra, quæ hic pro sufficienter, & ad partes repetitis habeantur, ut supra in litteris, & cum clausula *Ad perpetuam rei memoriam* latissimè extentenda, & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam denominationes, qualitates, nuncupationes, invocationes, aliorumque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in litteris. Volumus autem, quod sola præsentis motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat judicio, & extrà, regula contraria, D. F. cæterisque contrariis quibuscumque, ut supra non obstantibus, seù si videbitur per Breve nostrum, seù Officium de Curia expediri possint.

Fiat E.

Dat. P. An. 2. die 23. Oct.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Decimo Kal. Novemb. Anno Secundo.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1671. Indictione nona, die verò 31. mensis Octobris Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. CLEMENTIS divina Providentia Papæ X. anno ejus secundo, Supradicta cedula Motus proprii Sanctissimi affixa, & publicata fuit ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est per me Joannem Antonium Bertarellum Apost. Curs.

Joseph Pizzardus Mag. Curs.

Con-

L.

Confirmatio, & Renovatio Constitutionum à Summis Pontificibus editarum super solutione Communium, Annatarum, & Quindenniorum, ac Indicatione unionum, cum revocatione privilegiorum, ac Congregationis deputatione.

Similem confirmationem, & renovationem Constitutionum Pii, & Sixti V. habes in Constit. 18. Urbani, Alias, *ubi multa circa materiam annotata videre poteris.*

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Causæ Constitut.

Motu proprio, &c. Postquam nonnullæ à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris Cameræ Apostolicæ, & Collegii Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac dilectorum filiorum Cancellariæ Apostolicæ Officialium de Communibus, Annatis, & Quindenniis participantium indemnitati consulere, imò illorum jura manutenere, necnon illorum damnis plerumque ex incuria illorum jurium Exactorum provenire solitis obviare cupientibus super solutione communium, Annatarum, & aliorum jurium prædictorum eisdem Cameræ, Collegio, & Officialibus ratione unionum Monasteriorum, Prioratuum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum certis modo, & forma tunc expressis qualificatorum Constitutiones editæ emanaverant.

Paulus IV. Quindennia non solventes de præterito absolvit.

§. 1. Fel. rec. Paulus Papa IV. prædecessor noster singulas literas piæ mem. Eugenii Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, nonnullas Congregationes Regulares à sententiis, censuris, & pœnis, quibus ob non solutionem mediorum, seu integrorum fructuum primi anni Monasteriorum, & Beneficiorum per ipsum Eugenium prædecessorem hujusmodi, vel Sedem Apostolicam eorum Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, & Beneficiis, sivè locis eatenus unitorum innodatæ erant per suas literas absolvit, & quascumque obligationes per eas d. Cameræ propterea factas, ac medios, seu integros fructus hujusmodi eis liberaliter remisit, de illis, ac aliis quibuscumque, quæ prædictæ Cameræ eatenùs solvere quomodolibet obligatæ erant, generalem quietantiam fecit concernentes pro eo quod per literas prædictas successoribus suis Romanis Pontificibus, & per consequens Collegio Cardinalium hujusmodi, & Officialibus Romanæ Curiæ Causam ab ipsis Romanis Pontificibus habentibus præjudicare non potuisset, ac rec. mem. Leonis X. & Clem. VII. Rom. Pontificum similiter prædecessorum nostrorum tamquam contra ordinationes, statuta, decreta, & declarationem san. memor. Pauli, & Julii II. pariter prædecessorum nostrorum, ac causa non cognita, & non vocatis, nec auditis, quorum intererat, emanatas, ad viam, & terminos juris reducens, & reductas esse decernens, Motu simili, &c. omnes, & singulas uniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones de quibusvis Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura secularibus, & quorumvis Ordinum, seu Militiarum regularibus, quibuscumque Collegiatis Ecclesiis, seù earum mensis Capitularibus vel Collegiis, Universitatibus, & utriusque sexus Congregationibus, etiam secularibus, necnon Domibus, Fabricis, Hospitalibus, & aliis piis locis, etiam illis à solutione hujusmodi exemptionem habere præsumentibus, quæ ex eorum perpetuitate non vacant per quoscumque Pontifices prædessores suos quocumque tempore etiam ante san. me. Martinum Papam V. etiam prædecessorem suum, & ipsum Paulum IV. prædecessorem hujusmodi sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis perpetuò factas, & de cætero per successores suos Romanos Pontifices similiter perpetuò faciendas sub literis Pauli II. prædecessoris hujusmodi, includi, & comprehendi.

Sed quia successorib. Pont. & Officialib. Curiæ præjudicare non potuit.

In futurum vult omnes sub Pauli II.

§. 2. Et propterea tam quascumque Congregationes, quàm quosvis alios, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones hujusmodi facta fuerant, etiamsi se superindè in Camera non obligavissent ad solutionem communium, & minutorum servitiorum, ac annatarum, & aliorum jurium prædictorum eisdem Cameræ, Collegio, & Officialibus ratione earumdem unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & submissionum singulis quindecim annis à die, quo illæ suum effectum sortitæ fuissent alias juxta tenorem literarũ Julii III. Prædecessoris hujusmodi, faciendam teneri, & obligatos esse, & ad id, necnon ad se communibus, & minutis servitiis, ac Annatis, & aliis juribus prædictis de quindecim annis in quindecim annos realiter, & cum effectu solvendis in forma solita obligandum etiam per sententias, censuras, & pœnas, etiam privationis, & dissolutionis unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, & submissionum prædictarum in literis Pauli, Julii II. ac Julii III. prædecessorum hujusmodi contentas, cogi, & compelli posse, necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, & Beneficia unita hujusmodi onus solutionis Communium, & minutorum servitiorum, ac Annatarum, & aliorum Jurium prædictorum semper habuisse, & habere decrevit, & declaravit, mandans propterea bon. mem. Joanni Michaeli Sanctæ Mariæ Saraceno, & Virginio Sancti Simeonis tituli de Spoleto nuncupatis Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, tunc in humanis agentibus, ut omnes, & singulas causas coram eis inter Procuratorem Fiscalem d. Cameræ, Officiales prædictos ex una, & quascumque Congregationes, seu alias personas ex altera partibus, super solutione Communium, & minutorum servitiorum, ac Annatarum, & aliorum jurium prædictorum, vel eorum occasione pro tempore pendentes juxta ejus Constitutionis tenorem terminarent, & deciderent, quodque omnes, & singuli, in quorum favorem uniones, aliaque prædicta emanassent, infra terminum eis à dictis Joanne Michaële & Virginio Cardinalibus præfigendum, omnia, singula Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica unita hujusmodi, una cum illorum fructuum annuo valore Joanni Michaeli, & Virginio Cardinalibus prædictis notificasse, & intimasse debuissent, & ad id per sententias, censuras, & pœnas in literis ejusdem Pauli Prædecessoris contentas cogi, & compelli possent, decrevit, statuit, & ordinavit, irritanti decreto desuper apposito, & aliàs prout in dictis literis sub dat. 10. Kalend. Februarii Pontificatus sui anno quarto plenius continetur.

Et Julii Tertii literis comprehendi.

§. 3. Et successivè san. mem. Pius Papa V. etiam prædecessor noster providè considerans, quod Annatarum, Communium, & aliorum jurium Cameræ Apostolicæ debitorum exactio in recognitionem universalis dominii introducta esset antiquissima, & Quindenniorum usus, & solutio ideò adinventi fuerant, ne Cameræ prædictæ ex Monasteriorum, aliorumque beneficiorum unionibus, quæ amplius vacare non sperabantur, detrimentum aliquod induceretur, volens propterea prædictæ Cameræ, & eorumdem Cardinalium Collegio, necnon Cancellariæ Apostolicæ Officialibus de Communibus Annatis, & Quindenniis participantibus jura præservare, illorumque indemnitati consulere invigilans Motu pari, &c. omnia, & singula Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum, Ecclesiarumque

Pius V.

Capitula, Congregationes, Universitates, Collegia, Hospitalia, ac Pia loca, & quosvis alios, in quorum favorem tàm Secularium, quàm quorumvis Ordinum Regularium, & Monasteria, Prioratus, Præposituræ, necnon dignitates, & alia quæcumque Beneficia Ecclesiastica unita, annexa, & incorporata, seù applicata existerent, & illorum uniones eis factæ reperirentur quantumcumque exempta, & privilegiata existerent, etiamsi superindè in Camera Apostolica se non obligassent, dummodò Monasteria, seu Beneficia ipsa possiderent, ad solutionem Communium, Annatarum, & aliorum jurium prædictorum eisdem Cameræ, Collegio, & Officialibus ratione unionum, annexionum, seù applicationum prædictarum singulis quindecim annis à die, qua illæ suum sortitæ fuissent effectum, faciendam teneri, & obligatos esse, & ad id per sententias, censuras, & pœnas in singulis Pauli II. & aliorum Prædecessorum suorum Summorum Pontificum literis contentas cogi, & compelli posse decrevit, & declaravit, mandans propterea bon. mem. Hieronymo tunc Episcopo Maceratensi Cameræ Apostolicæ Clerico, Annatarumque Judici tunc existenti, ut pro faciliori indagatione unionum prædictarum omnia, & singula Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, Collegia, necnon tàm virorum, quàm mulierum seculares, & quorumvis Ordinum Regulares Congregationes, seù Collegia, & Pia loca hujusmodi eorumdemque Prælatos, & Procuratores ad indicandum, & profitendum medio juramento omnia, & singula Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Parochiales Ecclesias, & alia quæcumque Beneficia Ecclesiastica, quæ ipsa Capitula, Congregationes, & alia loca prædicta possiderent, & quo titulo illa possedissent, illorumque annexos valores sub privationis, & aliis in literis in forma Motus proprii Pii V. prædecessoris hujusmodi contentis, sententiis, censuris, & pœnis in Romana Curia, & extrà eam moneret, & requireret, prout in literis Pii Quinti prædictis hujusmodi etiam pleniùs continetur.

Et Sixtus V. solutionem Quindenniorum fieri præcipiunt.

§. 4. Et deindè etiam san. mem. Sixtus Papa Quintus etiam prædecessor noster attendens, quod tantumdem detrimenti Cameræ, Collegio, & Officialibus prædictis ex unionibus, quæ ab Ordinariis locorum, & aliis fiebant, proveniebat, ac propterea æquum esse censuerat, quod in unionibus per Sedem Apostolicam factis locum obtineret, illud idem, & fortiùs in unionibus per ipsos Ordinarios factis, & faciendis observaretur, & licet in Constitutionibus, & literis prædecessorum suorum comprehendi viderentur, tamen, ut cuivis disputandi occasio præcideretur Motu pari, &c. statuit, & declaravit, quod uniones, annexiones, incorporationes, submissiones de quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, tàm secularibus, quàm Regularibus, etiamsi Monasteria Monialium, & Hospitalia fuissent, quæ tamen tempore ipsarum unionum Cura, Conventu, & Hospitalitate caruissent, & quorum singulorum, vel si plura Beneficia unicis literis comprehensa essent, quorum quodlibet annuum valorem viginti quatuor ducatorum auri de Camera sec. com. æst. val. ann. num. excessisset, dummodò tamen omnium insimul illum transcenderet, cuicumque Ecclesiæ, Monasterio, Collegio, Domui, Societati, Congregationi, Ordini, Militiæ, Hospitali, Seminario, aut alio loco Pio, tàm per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos, necnon per Sedis Apostolicæ Legatos, Nuncios, & alios quoscumque subdelegatos, aut aliàs quomodolibet Apostolica auctoritate, per quemcumque loci Ordinarium in qualibet mundi parte eatenùs factæ, & in futurum faciendæ, etiamsi manualia, & de jure Patronatus Ducum, Marchionum, Baronum, Comitum, & aliorum Nobilium, & Illustrium Beneficia illa fuissent, sub dictorum Prædecessorum Constitutionibus, & Ordinationibus omninò comprehendi, & includi, & ab omnibus comprehensas, & inclusas esse censeri voluit, & ad solutionem Quindenniorum teneri, & obligatos esse, & ad id cogi, & compelli posse declaravit, mandavitque bon. mem. Alexandro Glorierio, Cameræ Apostolicæ Clerico, & Annatarum tunc Judici, ut pro faciliori indagatione unionum prædictarum omnia, & singula Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, & alia loca Pia prædicta moneret, & requireret, ac profiterentur medio juramento omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ vigore similium unionum quomodolibet possidebant, illorumque annuos valores juxta prædicti Sixti V. prædecessoris Constitutiones, cum facultate citandi, & inhibendi, & aliis in literis in forma Brevis sub dat. 14. mensis Maji 1586. similiter pleniùs continetur.

Quod confirmat Urb. VIII.

§. 5. Postremò fel. rec. Urbanus Papa VIII. etiam prædecessor noster, cum sicut acceperat, & sicut ei etiam innotuerat, adessent quamplurimæ uniones, & applicationes à dicto tempore citrà factæ, quarum notitia à Camera, & Cancellaria Apostolica desiderabatur, volens propterea tàm Cameræ prædictæ, quàm eorumdem Cardinalium Collegio, ac Officialibus de Annatis participantibus consulere; Motu simili quascumque tàm sub plumbo, quàm in forma Brevis, & Motus proprii literas dictorum Pii V. & Sixti V necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum suorum, super solutione Annatarum, Communium, Quindenniorum, & aliorum jurium, tàm ratione provisionum, seù unionum perpetuarum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per Sedem Apostolicam factarum, & faciendarum editas, confirmatas, & innovatas cum omnibus clausulis, decretis, derogationibus, ac censuris, & pœnis in illis contentis, Necnon omnia, & singula per quoscumque Judices, Executores, & Commissarios in præmissis, & circa ea quomodolibet gesta, & executa, & indè legitimè secuta, quæcumque quorum tenores, ac si de verbo ad verbum illic inserti essent pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habens auctoritate Apostolica confirmavit, & approbavit, necnon illis opportunæ, & irrefragabilis firmitatis robur adjecit, omnesque & singulos juris, & facti, ac alios defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem supplevit, atque illas, & illa quatenus opus esset innovavit, mandans propterea bon. me. Magistro Hieronymo Raymundo dictæ Cameræ Clerico, cui antea piæ mem. Gregorio Papa XV. etiam prædecessore nostro omnes, & singulæ causæ inter d. Gasparem Rivaldum Cancellariæ Apostolicæ Generalem Subcollectorem ex una, & quascumque Congregationes, Capitula, Collegia, loca Pia, & quasvis alias personas ex altera partibus super solutione Annatarum, communium, & aliorum jurium Quindenniorum commissæ reperiebantur, & aliis in ejus locum per dictum Urbanum, vel ejus successores subrogandis Judicibus ut pro faciliori indagatione unionum, annexionum, incorporationum, seù applicationum prædictarum omnia, & singula Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, Societates, & alia loca pia prædicta, eorumque Prælatos, & Procuratores ad indicandum, & profitendum medio juramento omnia, & singula Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Parochiales Ecclesias, & alia quæcunque Beneficia Ecclesiastica, etiamsi manualia, & de Jurepatronatus, ut præfertur, fuissent quavis auctoritate Apostolica, seù ordinaria, aut subdelegata eis unita, & concessa, quæ ipsa Capitula, Collegia, Seminaria, Congregationes, & alia loca pia prædicta vigore unionum hujusmodi possidebant, illorumque annuos valores

sub privationis, & aliis in Literis dictorum Pii, & Sixti Prædecessorum hujusmodi contentis, sententiis, censuris, & pœnis in Romana Curia, & extra eam monerent, & requirerent, cum potestate dicta Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, Societates, Hospitalia, & alia loca pia prædicta, necnon Quindenniorum, & jurium debitores in Literis ejusdem Urbani Prædecessoris comprehensos etiàm per edictum publicum, constito summariè de non tuto accessu, tàm in dicta Curia, quàm extra eam citandi, monendi, & requirendi, ac eis, & aliis quibusvis, & quoties opus fuisset sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac pecuniariis eorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis, & applicandis, ac etiàm privationis beneficiorum unitorum, etiàm simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum Beneficia unita, & solvendum Quindennia decursa, etiamsi ad id in Camera Apostolica non se obligavissent, constito tamen de sortito effectu unionum, per similes sententias, censuras, & pœnas, etiàm per interdicti, tàm localis, quàm personalis appositionem, quoties opus fuisset per dictum Hieronymum, & illi subrogandos ferendas, & promulgandas, necnon fructuum, redituum, & proventuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ipsi debitores possidebant, pro quantitate eorum debiti, sequestrationem, & alia opportuna juris, & facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, cogendi, & compellendi, ac in præmissis omnibus, & singulis, etiàm summariè, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, & aliàs more Camerali procedendi, ac eos, qui sententias, censuras, & pœnas prædictas, ut præmittitur, incurrent, iisdem censuris, & pœnis prævia satisfactione absolvendi, & liberandi, aliaque faciendi, & gerendi, & exercendi, quæ in præmissis necessaria fuissent, seù quomodòlibet opportuna, ac aliis in Literis Apostolicis ejusdem Urbani Prædecessoris, sub dat. Idibus Junii anni Domini 1624. Pontificatus sui Anno Primo etiàm pleniùs continetur.

§. 6. Cum autem sicut accepimus, exactiones jurium ratione Quindenniorum hujusmodi decursorum, & eorumdem Cardinalium Collegio debitorum ob Procuratorum dicti Collegii incuriam non sine maximo illius damno, & præjudicio, non solum neglectæ fuerint, imò etiàm diversæ Regularium, & forsan secularium personarum Congregationes, &c. sub Literis prædictis minimè comprehendi contendant, & propterea, ac forsan aliis frivolis prætextibus, Communia, minuta, servitia, Annatas, & alia jura Cameræ, & Collegio, ac Officialibus prædictis ratione unionum eisdem Monasteriis, Prioratibus, & aliis Beneficiis Ecclesiasticis hactenùs factarum debita, licet solutio hujusmodi in recognitionem universalis Dominii introducta sit antiquissima, ut præfertur; censuras, & pœnas in singulis Literis prædictis contentas damnabiliter incurrendo in maximum animarum suarum periculum, & Cameræ, ac Collegii, Officialiumque prædictorum detrimentum, persolvere recusent, Nos verò Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærendo, nolentes Cameræ Nostræ Apostolicæ, cui diversa impensarum onera pro Ecclesiæ Romanæ statu conservando quotidie incumbunt, jura pro posse Nostro negligere, quinimò, tàm illius, quàm Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ R. Eccl. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Cancellariæ Apostolicæ Officialium de Annatis participantium, indemnitatibus de cætero obviare, necnon illorum commodis, & utilitatibus consulere, ac illorum jura illæsa, ut tenemur servare volentes, Motu simili omnia, & singula privilegia, immunitates, & exemptiones per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros quibusvis Congregationibus, & quibusvis aliis ratione solutionis Communium, Quindenniorum, aliorumque jurium prædictorum Cameræ, Collegio, & Officialibus prædictis faciendæ hactenus qu modòlibet concessa revocantes, & annullantes, revocataque, & annullata ex nunc esse, & fore decernentes, quascumque, tam sub plumbo, quàm in forma Brevis, & Motus proprii Literas eorumdem Pauli IV. & Pii, ac Sixti V, atque Urbani VIII. necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum super solutione Annatarum, Communium, Quindenniorum, & aliorum jurium, tàm ratione provisionum, seù unionum perpetuarum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per dictam Sedem factarum, & in posterùm faciendarum editas, confirmatas, & innovatas cum omnibus clausulis, Decretis, derogationibus, ac censuris, & pœnis in illis inflictis comminatis, & contentis, necnon omnia, & singula per quoscumque Judicès, Executores, & Commissarios in præmissis, & circa ea quomodòlibet gesta, & executa, & inde legitimè secuta quæcumque quorum tenores, ac si de verbo ad verbum hic inserti essent, pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, necnon illis perpetuæ, & irrefragabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos juris, & facti, & quosvis alios defectus, si qui desuper forsan quomodòlibet intervenerint in eisdem supplemus, atque illas, & illa quatenus opus sit innovamus, ac omnes, & singulas uniones de quibusvis Monasteriis, & aliis Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, quibuscumque Ecclesiis etiàm Parochialibus, & utriusque sexus Congregationibus, tàm secularibus, quàm Regularibus, & aliis Piis locis, nullis penitùs exclusis, quæ ex eorum perpetuitate non vacant, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & ante ipsum Martinum Prædecessorem, & Nos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis perpetuò factas, & de cætero, tàm per Nos, quàm successores Nostros similiter perpetuò faciendas sub Literis Pauli Prædecessoris hujusmo- comprehendi, & includi.

Confirmatio & approbatio, de quà in rubrica.

§. 7. Ideòque quascumque Congregationes, & quosvis alios, in quorum favorem uniones hujusmodi factæ fuerint, etiamsi se supermdè in Camera non obligaverint, ad solutionem Communium & minutorum servitiorum, Annatarum, aliorumque jurium prædictorum eisdem Cameræ, Collegio, & Officialibus ratione earundem unionum, ut præfertur, faciendam teneri, & ad idem, necnon de Communibus, & aliis juribus prædictis solvendis, obligandum, etiàm per sententias, censuras, & pœnas, etiàm privationis, & dissolutinonis unionum hujusmodi cogi, & compelli posse, omnia, & singula in contrarium disposita tamquam nulla, & irrita revocantes, nulliusque valoris, & momenti esse, & fore declarantes Motu simili &c. statuimus, & decernimus; & insuper ne de cætero in dubium revocari contingat utcumque per quæcumque loca pia, tàm secularia, quàm quorumvis Ordinum regularia Quindennia, & alia jura ratione pensionum perpetuarum hactenus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos in favorem dictorum locorum piorum, seù illorum fabricam super quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum quomodòlibet qualificatorum fructibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, ac etiàm Canonicarum, & præbendarum distributionibus quotidianis reservatarum, & imposterum per Nos, & successores Nostros reservandarum, & locis piis assignatarum, & assignandarum, summam tamen viginti quatuor ducatorum auri de Camera excedentium; Cameræ Apostolicæ, & Collegio, & Officialibus prædictis persol-

Congregationes omnes ad hujusmodi solutionem teneri statuit.

vere debeant, & teneantur Motu pari, &c.

Et compelli posse declarat.

§. 8. Ad quodlibet dubium è medio tollendum, & pro majori dilucidatione, litiumque remotiori occasione quascùmque Congregationes, Parochialia, cæteraque prædicta loca pia, in quorum favorem similes pensiones perpetuò, ut præfertur reservatæ fuerint, & in posterum reservari contigerit, etiamsi se perindè in Camera non obligaverint, ad solutionem Quindenniorum, aliorumque jurium ratione pensionum perpetuarum hujusmodi, licet à quibuscumque oneribus ordinariis, vel extraordinariis impositis, & in futurum imponendis liberarum, immunium, & exemptarum, eisdem Cameræ, Collegio, & Officialibus faciendam teneri, & obligata existere, & ad idem per supradictas pœnas, etiàm privationis, cassationis, extinctionis, & annullationis similium pensionum cogi, & compelli posse declaramus.

Executorem deputat.

§. 9. Necnon in securiorem, & faciliorem omnium, & singulorum prædictorum executionem, Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Annatarum Judici, ut pro faciliori indagatione unionum prædictarum omnia, & singula quarumlibet Ecclesiarum Capitula, Congregationes, Collegia, aliaque loca prædicta moneat, ut profiteantur medio juramento omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ vigore similium unionum & pensiones perpetuas hujusmodi quomodòlibet possident, ac percipiunt, illorumque annuos valores juxtà prædictorum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones cum facultate citandi, & inhibendi alia Cameræ Collegio, & Officialibus prædictis proficua, & necessaria faciendi mandamus, ut pro faciliori indagatione unionum hujusmodi omnia, & singula Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, Societates, & alia loca pia prædicta, eorumque Superiores ad indicandum, & profitendum medio juramento omnia, & singula Monasteria, & quæcumque alia beneficia Ecclesiastica quomodòlibet eis unita, & concessa, & pensiones perpetuas illis reservatas, & assignatas, quæ, & quas ipsa Capitula, Collegia, Seminaria, Congregationes, & alia loca pia prædicta vigore unionum hujusmodi possident, & percipiunt respectivè, illorumque, & illarum valores annuos sub privationis, & aliis in supradictis Litteris contentis sententiis, censuris, & pœnis in dicta Curia, & extrà eam moneat, & requirat, cum potestate dicta Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, ac Parochialia, & alia loca pia, necnon Quindenniorum, & jurium debitores etiàm per Edictum publicum, constito summariè de non tuto accessu, tàm in dicta Curia, quàm extrà eam, citandi, monendi, & requirendi, ac eis, & quibusvis aliis, & quoties opus fuerit sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac pecuniariis ejus arbitrio ferendis, statuendis, moderandis, & applicandis, ac etiàm privationis Beneficiorum unitorum, & extinctionis, & annullationis pensionum reservatarum hujusmodi, etiàm simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum Beneficia unita, ac pensiones reservatas hujusmodi, & solvendum quindennia decursa, etiàmsi in Camera prædicta non se obligaverint, constito tamen de sortito effectu unionum, & pensionum hujusmodi reservationum per similes sententias, censuras, & pœnas, etiàm per interdicti, tàm localis, quàm personalis appositionem, quoties opus fuerit per dictum Judicem, & illi subrogandos, ferendas, & promulgandas, necnon fructuum, redituum, & proventuum beneficiorum Ecclesiasticorum, & pensionum hujusmodi, quæ ipsi debitores possident, & percipiunt pro quantitate eorum debiti, sequestrationem, & alia opportuna juris, & facti remedia, etiàm cum invocatione auxilii Brachii Secularis cogendi, & compellendi ac in præmissis omnibus, & singulis, etiàm summariè, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, & aliàs more Camerali procedendi, ac eos, qui sententias, censuras, & pœnas prædictas, ut præfertur incurrent, iisdem censuris, & pœnis, prævia satisfactione, absolvendi, & liberandi, aliaque faciendi, gerendi, & exercendi, quæ in præmissis fuerint quomodòlibet opportuna.

Congregationem pro Quindenniorum exactione instituit.

§. 10. Necnon ut dilecti filii Nostri moderni, & pro tempore existentes S.R.E. Cardinales, qui illius honorabilia membra, & de negotiis in Consistoriis Nostris tractari solitis, apprimè informati existunt, quousque in partem Apostolicæ sollicitudinis evocavit Altissimus statum illorum juxtà Cardinalatus sublimitatem decentiùs tenere, & expensarum onera, quæ eos jugiter de necessitate subire oportet, faciliùs perferre valeant, particularem Congregationem in qua præ cæteris dilecti filii Nostri Petrus tit. S. Marci Otthobonus, & Carolus tit. S. Priscæ Pius, ac Carolus tit. S. Eusebii Gualterius, necnon Gaspar tit S. Pudentianæ de Carpineo, atque Angelus S. Angeli in foro Piscium Diaconus Celsus respectivè nuncupati etiàm S. R.E. Cardinales, & pro tempore existentes Sacri Collegii Camerarii illorumque immediati successores, ac Annatarum Judex Cameræ Apostolicæ Clericus, necnon etiàm d. Collegii Secretarius pro tempore existentes dictam Congregationem constituentes, aliique per Nos, & successores Nostros in locum illorum subrogandi, interesse possint, & valeant, pro exactione Quindenniorum omnium, & singulorum Beneficiorum, ut præfertur unitorum, & in libris Cameræ prædictæ taxatorum, & pensionum perpetuarum reservatarum hujusmodi per quascunque Congregationes, & alia loca pia hujusmodi debitorum, facienda motu simili &c. constituimus, & deputamus.

Eique privilegia elargitur.

§. 11. Necnon eidem Congregationi omnia, & singula privilegia, indulta, & facultates hactenus Annatarum Judici Apostolica auctoritate concessa, etiàm cum auctoritate, & potestate, prævia tamen avocatione cujuslibet causæ, seu causarum coram quocumque Judice super præmissis vertentis, seu vertentium dictas, & alias solutiones Annatarum, Communium, Quindenniorum, & aliorum jurium prædictorum concernentes, introductas, & imposterùm introducendas causas, juxtà Litterarum prædictarum formam, & dispositionem, etiàm cum facultate requirendi votum Sacræ Rotæ Auditorii, in causis tamen eidem Congregationi benevisis dumtaxat, causas, etiàmsi super juribus competentibus Collegio una, vel plures latæ fuerint sententiæ dicto Collegio non audito, audiendi, decidendi, cognoscendi, fineque debito terminandi necnon quascumque Congregationes, aliaque loca pia hujusmodi, in quorum favorem Monasteria, & alia Beneficia unita, ac pensiones perpetuæ hujusmodi reservatæ fuerint ad instantiam dictæ Congregationis ad librorum computorum exhibitionem, appellatione, recursu & reclamatione penitùs remotis compellendi facultatem motu pari &c. concedimus, & communicamus, etiàm cum potestate dd. Capitula, Collegia, Congregationes, Seminaria, Societates, Hospitalia, & alia loca prædicta, necnon eorumdem Quindenniorum, & jurium debitores in præsentibus Nostris Litteris comprehensis etiàm per Edictum publicum, constito summariè de non tuto accessu, tàm in dicta Curia, quàm extrà eam citandi, movendi, & requirendi, ab eis, & aliis quibusvis, & quoties opus fuerit sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac pecuniariis eorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis, & applicandis, ac etiàm privationis Beneficiorum unitorum, cassationis pensionum prædictarum etiàm simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum beneficia unita, & pensiones assignatas hujusmo-

di,

di, & solvendum quindennia decursa, etiamsi ad id in Camera Apostolica non se obligaverint, constito tamen de sortito effectu unionum, per similes sententias, censuras, & pœnas, etiam per interdicti, tàm localis, quàm personalis appositionem per eos, & in eorum loco subrogandos quoties opus fuerit ferendas, & promulgandas, necnon fructuum, redituum, & proventuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ipsi debitores possidebunt, pro quantitate eorum debiti sequestrationem, & alia opportuna juris, & facti remedia, etiàm cum invocatione auxilii Brachii secularis cogendi, & compellendi, ac in præmissis omnibus, & singulis, etiàm summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, sola facti veritate inspecta, & aliàs more Camerali procedendi, & eos qui sententias, censuras, & pœnas, ut præfertur incurrerint, ab eisdem censuris, & pœnis, prævia satisfactione, absolvendi, & liberandi, aliaque faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi, quæ in præmissis necessaria fuerint, seù quomodòlibet opportuna.

Clausul. præservativas apponit.

§. 12. Præsentes quoque, & desuper conficiendas Litteras, etiàm ex eo, quod Superiores Congregationum, & Monasteriorum, & cæteri quicunque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut quovis alio defectu, etiàm quantumvis magno, & inexcogitato, ac substantiali, sive etiàm ex eo quod in præmissis, seù eorum aliquo solemnitates, & quævis alia reservanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seù etiàm enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causa, etiàm in corpore juris clausa, seù occasione, vel causa etiàm quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiàm tali quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, & aliis superiùs expressis, relatis in Litteris ullibi appareret, seù aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illos restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seù quomodòlibet concesso, aut impetrato uti, seù se juvare in judicio, vel extrà posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus pro tempore quomodòlibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & pro tempore quomodòlibet spectabit inviolabiliter observari.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 13. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiàm de Latere Legatos, ac Nuncios, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet in quocumque judicio, & in quavis instantia aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque &c. Motu pari &c. decernimus.

Contrariis derogat.

§. 14. Non obstan. præmissis, ac quatenùs opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de jure quæsito non tollendo, necnon etiàm in Synodalibus Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon etiàm quatenus opus sit Congregationum, & Monasteriorum, & quorumvis aliorum locorum piorum statutis, etiàm juramento &c. roboratis privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis &c. sub quibuscumque tenoribus & formis etiàm Motu simili &c. & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiàm derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis innovatis. Quibus omnibus &c. etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seù quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expressè Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Papæ subscriptio.

Fiat Motu proprio E.

Præsentibus robur addit.

§. 15. Et quod dd. Litterarum, & inde secutorum quorumcumq; tenores etiàm veriores, ac Dat. earumdem, necnon litis, & causæ si quæ sint stat. & merita, nominaque & cognomina Judicum, & Collitigantium singulorum Monasteriorum, & Congregationum, & aliorum locorum piorum unitorum hujusmodi denominationes, & qualitates habeantur pro expressis, seù in toto, vel in parte exprimi possint, & de perpetuis confirmatione, approbatione, roboris adjectione, defectuum suppletione invocatione, statuto, Decreto, mandato, declaratione, deputatione, constitutione, concessione, communicatione, derogatione, & aliis præmissis, ut supra latissimè extensis, & quod præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in Litteris in forma gratiosa, cum clausula perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam, etiàm per officium Contradictarum, aut alias per Cancellariam, aut de Curia ut vocant, seù per viam secretam, absque aliquo alio signo, seù S. contrasigno expeditæ & relaxan. seù si videbitur sola præsentis Motus proprii Signatura sufficiat & ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

Transumptorum fides

§. 16. Volumus autem, ut præsentium transumptis manu Datarii Nostri subscriptis, & etiam impressis fides adhibeatur.

Fiat E.

D. P. A. die 26. Octob.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem septimo Kalendas Novembris Anno Secundo.

Publicatio.

Anno à Nativitate D.N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo septuagesimo primò, die verò 21. mensis Novembris, Indictione nona, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. CLEMENTIS Divinâ Providentia Papæ X. Anno Secundo, supradicta Confirmatio, & Renovatio Constitutionum affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Franceschinum Apost. Curs.

Jo. Antonius Bertarellus pro Mag. Curs.

LI.

Quod de cætero omnes, & singuli Definitores perpetui Provinciarum Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci post finitum lecturæ, prædicationis, vel Magisterii Novitiorum, aut Inquisitoratus tempus Exprovincialium præeminentiis fruantur, ac si Provincialatus munere functi fuissent, & alia circà præcedentiam inter eos declarat.

Vide ad præsentem materiam Constit. 86. Inscrutabili *ab Alexandro VII. editam pag.* 122.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

EX injuncto Nobis divinitùs Pastoralis sollicitudinis munere singularum merita æqua lance perpendentes, illorum, qui in Ecclesiæ, & Religionis obsequium operam, studiumque suum laudabiliter conferunt, honorificentiæ libenter consulimus, sicut rationi consentaneum esse arbitramur in Domino.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Magnus à Cantu Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in eodem Ordine reperiuntur Definitores perpetui qui Patres Provinciæ vocari solent in quinque species distincti, nempè aliqui propter gestum in propria, vel aliena Provincia Provincialatus officium, alii quia Lecturam duodecim annorum spatio in regentiis, inter quas sunt quæ primæ Classis vocantur & Collegiis, vel Universitatibus Studii Generalis exercuerint, alii ex eo quod verbum Dei eodem temporis spatio in pulpitis, seù Ecclesiis per Decreta d. Ordinis præscriptis prædicaverint, alii quia cum in Sacra Theologia Magistri essent, per annos duodecim Magistri Novitiorum munere functi sint, & reliqui ex Decreto fel. rec. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris Nostri, qui pariter Magisterii in Sacra Theologia gradu decorati per duodecim annorum decursum, Inquisitores hæreticæ pravitatis fuerint, seù partim Lecturam, ut supra, & partim Inquisitionis officium exercuerint. Inter præfatos autem Definitores perpetuos, sive Patres Provinciæ ea est differentia, quod qui propter gestum Provincialatum tales sunt, tametsi juvenes, cæteros Definitores perpetuos, seù Patres Provinciæ hujusmodi antea longè institutos, præcedant 5 Hac verò differentia à dilectis pariter filiis Ministro Generali, ac Definitoribus Generalibus perpetuis, & Assistentibus dicti Ordinis maturè considerata, simulque perpensis laboribus eorum, qui legunt, prædicant, Novitiorum institutioni præsunt, & Tribunali Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis inserviunt, qui plerumque non provehuntur ad Provincialatum, ad quem ut plurimum promoventur eorum discipuli, aut alii meritis, & qualitate inferiores, qui subindè eos præcedunt non sine eorum verecundia, & aliorum admiratione, ipsi Minister Generalis, ac Definitores Generales, & Assistentes, re cum dilecto filio nostro Giberto S. R. E. Cardinale Borromæo nuncupato Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore communicata, illoque assentiente censuerunt rem omnem ex Nostra, & hujus Sanctæ Sedis providentia ad æqualitatem fore redigendam, ne Fratres ejusdem Ordinis ad studiosos labores reddantur segniores, sed ad illos potiùs in Ecclesiæ obsequium, & dicti Ordinis decorem alacriter suscipiendos, atque peragendos animentur. Quarè dictus Ludovicus Procurator Generalis eorumdem Ministri Generalis, ac Definitorum Generalium, & Assistentium nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indulget, ut in rubr.

§. 2. Nos igitur ipsos Ministrum Generalem, ac Definitores Generales, & assistentes, necnon Ludovicum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero omnes, & singuli Definitores perpetui Provinciarum dicti Ordinis modo, & forma præfatis post finitum lecturæ, seù prædicationis, vel Magisterii Novitiorum, aut Inquisitoratus tempus per Constitutionem ejusdem Ordinis, seù præfatum Alexandri Prædecessoris decretum respectivè præscriptum, ab existente pro tempore Ministro Generali Ordinis hujusmodi per patentes ejus Litteras, cæteroqui Canonicè hactenus instituti, & in futurum instituendi illico Exprovincialium præeminentiis, prærogativis, & præcedentiis fruantur, potiantur, & gaudeant in omnibus, & per omnia, ac sine ulla prorsùs differentia perindè, ac si Provincialatus munere functi fuissent, atque ità inter eos, & Exprovinciales præfatos servetur æqualitas, & quoad Ordinem præcedentiæ sola prioritas, sive antianitas Definitoriatus, & Paternitatis Provinciæ attendatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, & validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiàm Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 6. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P.A.2. die 1. Decemb.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno secundo.

LII.

Exemptio nonnullorum familiarium suorum à spolio.

Simile privilegium inter alia concessit Dapiferis S. R. E. Cardinalium Clemens IX. Constit. 5. & hic idem Pont. Const. 4. Nos volentes.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex gratiarum Dispensator, suos, & Apostolicæ Sedis devotos, & fideles, præsertim illos, qui ei, & Sedi præfatæ grata familiaritatis obsequia jugiter impendunt, specialis benevolentiæ favoribus complecti solet, prout personarum qualitatibus debitè pensatis, censet rationi, & æquitati esse consentaneum.

Motiva.

§. 1. Hinc est, quod Nos quorumdam familiarium Nostrorum, quorum nomina infrà sunt expressa, indemnitati quantum cum Domino possumus consulere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares

perso-

personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiàm præter, & ultrà quascumque alias similes, vel dissimiles generales, vel speciales gratias, facultates, exemptiones, indulta, & privilegia eisdem familiaribus infrà nominatis hactenùs à Nobis, vel Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessas, & concessa, & imposterum, etiàm à Nobis, & Successoribus Nostris Romanis pariter Pontificibus concedendas, & concedenda, quas omnes, & singulas, ac omnia, & singula perinde ac si illarum, & illorum omnium tenores præsentibus expressi, ac de verbo ad verbum inserti forent, in suo robore, & firmitate remanere & esse, nec per illas, aut illa eisdem præsentibus, vel per præsentes illis in aliquo præjudicari, vel eas, seù ea invicem confundi, seù impediri, sed etiàm cumulativè procedendo, unam, seù unum per aliam, seù aliud coadjuvari, & suppleri posse, & debere decernimus, & declaramus, eisdem familiaribus Nostris infrà nominatis, & eorum cuilibet, quod eorum, & cujuslibet eorum hæredes, donatarii, legatarii, & successores tàm ex testamento, seù alia dispositione, quam ab intestato ratione sanguinis eis, & cuilibet eorum succedentes, sive alii ab eis, & eorum quolibet, eorumque, & cuilibet eorum hæredibus, donatariis, legatariis, & successoribus hujusmodi causam quomodòlibet habentes quicumque per Camerarium nostrum pro tempore existentem, Thesaurarium generalem, aut Commissarium, vel spoliorum, juriumque Cameræ Apostolicæ debitorum Collectores, & Subcollectores, sive alios quoscumque Officiales, & Ministros ipsius Cameræ, seù quoscumque alios, tam ratione quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum quomodòlibet nuncupatorum, & qualitercumque qualificatorum, etiàm personalem residentiam requirentium, per eos hactenùs obtentorum, & in posterum obtinendorum, cujuscumque valoris, & annui reditus, etiàm maximi, excessivi, & inexcogitabilis existant, quam etiam ratione quarumcumque pensionum annuarum super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis Apostolica auctoritate eis hactenùs reservatarum, seù in eos simili auctoritate translatarum, ac de cætero eadem auctoritate eis reservandarum, aut in eos transferendarum, ad quamcumque summam, etiam maximam, & inexcogitabilem ascendat, nullo unquam tempore super rebus, & bonis per eos, & quemlibet eorum respectivè pro tempore relictis, etiamsi ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum suorum dispensatione ipsi, & eorum quilibet respectivè ubivis locorum, in qualibet Mundi parte, tàm continua, quam interpolata illorum inibi mansione, ac etiàm extra loca debitæ residentiæ, ac etiàm iter agendo ab humanis decedant, molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus possint, nec debeant, itaut de omnibus, & quibuscumque rebus, & bonis suis, ac per eos, & eorum quemlibet acquisitis, & acquirendis, tam ex præfatis jam obtentis, & obtinendis beneficiis, quam etiàm ex præfatis eis jam reservatis, seù reservandis, ac in eos translatis, & transferendis pensionibus, ut præfertur tàm inter vivos, quam causa mortis, & in ultima voluntate, ac in favorem quorumcumque (non tamen personarum à jure prohibitarum, & incapacium) disponere, seù illa etiàm ab intestato transmittere liberè, & licitè valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Dispositionem bonorum suis familiaribus liberam concedit.

§. 2. Districtiùs inhibentes eisdem Camerario, Thesaurario, Commissario, aliisque Sedis, & Cameræ præfatarum Officialibus, & Ministris, seù aliis quibuscumque, ne in bonis, & rebus per eos, & eorum quemlibet respectivè pro tempore relictis beneficiorum, vel pensionum hujusmodi occasione, vel prætextu manus injicere, aut aliquam illorum descriptionem, seù inventarium, aut depositum, vel sequestrum, seù quid simile facere, vel attentare quoquomodo audeant, vel præsumant.

Inhibet Judicibus contra prædicta quid minimum attentare.

§. 3. Ac decernentes præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, illisque, & eorum cuilibet, ac hæredibus, & successoribus eorum, aliisque præfatis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon præfatos Camerarium, Thesaurarium, Commissarium, Præsidentes Clericos, & alios quoscumque Cameræ, & Sedis præfatarum Ministros, & Officiales, ac quosvis alios, etiàm S.R.E. Cardinales, etiàm de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 4. Non obstan. præmissis, ac quatenus opus sit Regula Nostra de non tollendo jure quæsito, necnon fel. record. Pii PP. IV. Prædecessoris Nostri de gratiis quæcumque interesse Cameræ præfatæ concernen. in eadem Camera præsentandis, & registrari faciendis, ità ut præsentes inibi præsentari, & registrari nullo unquam tempore necesse sit, & aliis etiàm Nostris, ac quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictæque Cameræ, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Cameræ, illiusque Officialibus, & Ministris, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, ac Decretis, etiàm Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiàm consistorialiter, ac ex causa, & titulo onerosis in genere, vel in specie, ac alias quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur in judicio, & extrà illud, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transsumptorum fides.

§. 6. Nomina autem familiarium Nostrorum sunt, quæ sequuntur, videlicet: Venerabiles fratres Alexander Crescentius Patriarcha Alexandrinus cubiculi Nostri, Bernardinus Roccius Archiepiscopus Damascenus, Palatii Nostri Apostolici respectivè Præfecti, Stephanus de Augustinis Archiepiscopus Heracleæ Eleemosynarius Secretus Noster, & Joseph Fusanius Episcopus Helenepoli-

Nomina familiarium.

tin. Sacrarii Nostri Præfectus, ac dilecti filii Magistri Joannes Gualterius Slusius Leodien. Secretarius Brevium Nostrorum Secretorum, & Prosper Bortinius Lucan. Auditor, in utraque Signatura Nostra Referendarii, Prælati Domestici Nostri, necnon Josephus Vallemanius Pincerna, Franciscus Polinus, Nicolaus Gentilis Camerinen. Architriclinus, Carolus Balduccius Tusculan. Vestiarius, Ascanius Peganellus, Venantius Benignius, Octavianus Cambius Camerinen. Antonius Simon Baglionus Pisauren. notarum arcanarum Secretarius, Floridus Salvatorius Civitatis Castelli Medicus secretus, Dominicus Panti Pisauren. Pomponius Cavallus Ravennaten. Joannes Angelus ab Altaemps Romanus, Marius Thaddæus Ilcinen. Marius Spinula Januen. Litterarum Nostrarum in forma Brevis ad Principes Secretarius, Nicolaus Piccolomineus Senen. Secretarius libellorum supplicum Nobis porrectorum, Octavus Falconerius Florentin. Petrus de Joanne Syracusan. Nicolaus Antonius Fdi ab Altamura, Hugo Hubertus de Servient Gratianopolitan. & Guilielmus Baro de Furstenbergh Colonien. Cubicularii Secreti Nostri, ac Sanctes de Pilastris Subdatarius Noster, Riccardus Crucianus Camerinen. Caudatarius, Antonius Maria Martorellus Tusculan. Crucifer, Josephus Barbius Camerinen. & Ferdinandus Consalvius Auximan., Cappellani Secreti Nostri, Franciscus Ceriolus Magister Domus Nostræ, Bruno Belozzius Asculan. Petrus Bajos Turnacen. Evangelista Cæsaris Romanus, Simon de Amicis Camerinen. Sebastianus Mirolius Civitatis Castellan. & Bartholomæus de Leone Corduben. respectivè Civitatum, vel Diœc. Clerici seù Presbyteri, vel Laici cubiculi Nostri Adjutores.

D. P. A. 2. die 11. Decemb. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LIII. Concessio Indulgentiarum Visitantibus Ecclesias Ordinis Sancti Augustini in diebus, quibus festivitates SS. Augustini, Monicæ, Nicolai Tolentinatis, & Thomæ de Villanova celebrantur.

Consimilem Indulgentiam Ecclesias Ordinis Sancti Benedicti visitantibus concessit hic idem Pont. Constit. 54. Commissæ.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemium. Unigeniti Dei Filii Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui è sinu Patris descendit in terram, & caducam humanæ carnis fragilitatem ineffabili clementia induens, ut genus humanum delaqueo servitutis eriperet, & ad primævam divinæ imaginis, atque similitudinis nobilitatem reformaret, saluberrimorum præceptorum, vitæque magisterio Nos instruxit, vices nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, gerentes in terris, gloriosos cœlestis Regni Incolas, illos præsertim qui tanquam splendidissimæ lucernæ super candelabrum in domo Domini positæ, divinorum eloquiorum arcana reserarunt, & Ecclesiam universam salutaris doctrinæ fluentis irrigarunt, fructuumque è charitatis radice surgentium copia locupletarunt, sincera devotione prosequimur, & fidelium ergà illos pietatem spiritualium gratiarum, quarum dispensatio Nobis à Domino credita est muneribus fovere atque incitare studemus, sicut ad ipsorum fidelium ædificationem, Ecclesiæque utilitatem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Causæ Constitut. §. 1. Itaque eximia, omnisque humanæ laudis præconium longè supergressa S. Augustini Episcopi, & Confessoris, Ecclesiæ Doctoris præcellentissimi, qui spiritu Dei plenus hæresum errorumque tenebras, tanquàm fulgentissimum Christianæ eruditionis jubar profundissimis, simulque Sole clarioribus scriptis profligavit, & hominum corda eo, quo ipse ardentissimè flagrabat, charitatis igne succendit, decora grato devotoque mentis affectu recolentes, Sanctæque Monicæ ejus genitricis, cujus piis lacrymis, & apud Deum gemitibus tanti tamque sublimis Doctoris conversionem debemus, ac Sanctorum Nicolai Tolentinatis, & Thomæ de Villanova Archiepiscopi Valentini, qui religiosam vitam in Ordine Eremitarum ejusdem Sancti Augustini professi, vitæ sanctitate, & miraculis, quæ Divina bonitas eorum intercessione operari dignata est, eximiè claruerunt, aliorumque Sanctorum dicti Ordinis professorum præclara merita, pia meditatione considerantes, necnon Venerabilis Fratris Josephi Eusanii Episcopi Helenopolitan. Sacrarii Nostri Apostolici Præfecti, qui in minoribus constitutus professionem regularem in Ordine prædicto emisit, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, benignè inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tàm Fratrum etiàm Excalceatorum, quam Monialium dicti Ordinis hactenùs erectis, & in futurum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus in eorumdem Sancti Augustini, & Monicæ, ac Nicolai Tolentinatis, & Thomæ de Villanova festis diebus, necnon die 13. Novemb. qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti commemoratio ibidem fieri solet, à primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex præfatis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris,

Transsumptis fidem adhib. §. 2. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D P. A. 2. die 18. Decemb. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LIV. Indulgentias elargitur illis, qui Ecclesias Ordinis Sancti Benedicti in diebus festis ejusdem, ac SS. Scholasticæ, Placidi, & Mauri, ac in die, quo commemoratio omnium Sanctorum Ordinis prædicti celebratur, visitabunt.

Ad materiam vide Constitut. 53. Unigeniti *hujus Pontificis.*

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.
Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemium. Commissa Nobis à Domino Nostro JESU Christo dispensationis ratio exigit, ut cœlestium munerum thesauros ad augendam in terris

Sanctorum in cœlis regnantium, qui tradita sibi talenta non defoderunt in terram, sed uberi bonorum operum fructu multiplicarunt, venerationem, fovendamque, & incitandam ergà illos fidelium devotionem fideli prudentia, quantum Nobis ex alto conceditur, erogare studeamus.

Motiva.

§. 1. Itaque præclara Sancti Benedicti Abbatis, qui despectis omnibus, quæ mundus amat, & colit, cœlestis gratiæ benedictione repletus, sanctæ conversationis studiis, miraculisque eximiè claruit, & Monachorum Regulam scripsit discretione præcipuam, sermone luculentam, sub qua numerosa Religiosorum Monachorum, Sanctimonialiumque agmina Deo hodieque strenuè militant; Sanctæ quoque Scholasticæ ejus Sororis, quæ speciosis virginitatis, pietatis, aliarumque virtutum monilibus exornata in amplexum Sponsi Cœlestis evolavit; ac Sanctorum Placidi, qui primus Monachorum Ordinis ejusdem Sancti Benedicti Martyrii gloria decorari meruit; & Mauri Abbatis Monastici Instituti in Galliis Propagatoris eximii; aliorumque innumerorum Sanctorum Ordinis præfati Professorum in Ecclesiam Dei merita pio devotoque animi affectu, recolentes: necnon dilecti filii Ildephonsi de Mier Monachi expresse professi, & Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ dicti Ordinis, in sacra Theologia Magistri, Supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum, tàm Monachorum, quàm Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium, hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in eorumdem Sanctorum Benedicti, & Scholasticæ, ac Placidi, & Mauri Festis diebus, necnon die decima tertia Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti commemoratio ibidem fieri solet, à primis vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex præfatis id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concedit ut in rubr.

Transsumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 2. die 19. Decemb.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Decembris 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LV.

Declarat Electiones duas Monachorum Cistercienfium Congregationis Hispaniæ in Abbatem non posse sibi immediatè succedere.

Cisterciensium Ordinis pro reformatione Constitutionem edidit Alexand. VII. 168. In suprema, pag. 244. ubi aliqua ad materiam reperies.

Edita A. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito Pastoralis officii quo Catholicæ Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidemus ad ea peculiares vigilantiæ Nostræ curas libenter convertimus, per quæ prospero Christifidelium sub suavi monastici instituti jugo vota sua reddere Deo laudabiliter studentium gubernio quietique religiosæ conducibilia fore in Domino arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit Dilectus filius Dionysius Mantilla Procurator Generalis Congregationis Sancti Bernardi Hispaniæ Monachorum Ordinis Cistercien. quod cum in ultimo Capitulo Generali dictæ Congregationis die 6. Maji proximi, & sequen. celebrato, tàm Nostræ die 14. Februarii itidem proximè præteriti, quam fel. record. Clementis PP. IX. Prædecessoris Nostri in simili forma Brevis Litteræ de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super Reformatione dicti Ordinis deputatorum die 14. Octobris 1669. respectivè ad restituendam, tuendamque in eadem Congregatione religiosæ tranquillitatis acceptatæ, & unanimi consensu executioni demandatæ fuerint, dilecti pariter filii Generalis Reformator, & Definitores dictæ Congregationis in eodem Capitulo congregati Nobis suppli andum esse censuerunt, ut earumdem Litterarum observantiam nonnullis salubribus statutis munire atque stabilire vellemus. Quare dictus Dyonisius Procurator Generalis, Generalis Reformatoris, & Definitorum prædictorum nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eorumdem Generalis Reformatoris, ac Definitorum, & Dyonisii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolven. & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut de cætero eorum Monachorum dictæ Congregationis, qui triennio immediatè præceden. fuerint Abbates aliquorum Monasteriorum ipsius Congregationis fieri non possint reelectiones in Abbates Monasteriorum aliorum ejusdem Congregationis, ita ut Monachus, qui in fine triennii proximi anteceden. functus fuerit munere dignitatis Abbatialis non possit triennio immediatè sequen. eligi in Abbatem, neque in Monasterio in quo fuerit Abbas in fine triennii proximè præceden. neque in alio Monasterio Congregationis prædictæ. Nolumus enim duas electiones ejusdem Monachi in Abbatem sibi immediatè succedere, unam scilicet triennio proximè anteceden. in uno Monasterio, alteram verò triennio proximè subsequen. in eodem Monasterio, vel in alio. Ab hac tamen lege excipimus Abbatiam Monasterii Palaziolencis, cujus Abbas est Generalis Reformator, & eligi debet, tàm ex Abbatibus, quàm ex aliis Monachis habilibus totius Congregationis prædictæ. Cæterum qui triennio anteceden. fuerit Generalis Reformator, & Abbas Palaziolencis non possit eligi in Abbatem alicujus Monasterii ejusdem Congregationis triennio immediatè sequen.

Declarat ut in rubr.

Excipit Abbatiam Palaziolencem.

Abbates, à quibus eligendi sunt.

§. 3. Porrò Abbates à Monachis Conventualibus Monasteriorum dictæ Congregationis amplius non eligantur, sed Abbatum hujusmodi electio in Definitorio celebretur hac forma videlicet, ut post electionem Definitorum, Visitatorum, Suppletorum, Secretarii Capituli, & Promotoris Con-

gregationis prædictæ eligantur Canonicè sex Electores, qui eo ipso, quod assument officium Electoris non habeant vocem passivam in ulla electione Abbatum celebranda in eodem triennio Hi autem sex Electores cum Generali Reformatore, & sex Definitoribus Canonicè eligant Abbates pro quibuslibet Monasteriis Congregationis prædictæ, itaut qui in electione Abbatis cujuslibet Monasterii ex tredecim prædictis vocalibus videlicet Generali Reformatore, sex Definitoribus, & dd. sex Electoribus majorem partem suffragiorum habuerit, sit electus Abbas illius Monasterii, cujus Abbatiæ celebratur electio. Prædicti autem Generalis Reformator, sex Definitores, & sex Electores debeant eligere Abbates, tàm pro Monasterio Matritensi Sanctæ Annæ, ac Collegiis Salmaticen., & Complutensi, quam pro cæteris Monasteriis totius Congregationis prædictæ. Et similiter omnes prædicti debeant eligere Procuratores Generales Curiæ Romanæ, Matriti, Vallisoleti, & Corumiæ.

Electores qui esse debeant.

§. 4 Ex dictis verò sex Electoribus tres debeant esse oriundi ex Terris sitis citrà montes, prout de Definitoribus decrevit memoratus Clemens Prædecessor; Et sicut ex eadem Domo Matrice non possunt eligi duo Definitores, ità nec duo Electores filii ejusdem Domus Matricis eligi possint.

Monachi quando eligere possunt Abbatem.

§. 5. Quod si morte, promotione, renunciatione, aut privatione aliqua Abbatia vacaverit, Monachi illius Monasterii cujus Abbas obierit, aut renunciaverit, vel privatus fuerit duorum dierum naturalium spatio, qui numerari debeant à defuncti morte, renunciatione à Generali Reformatore admissa, atque Conventui juridicè notificata, aut privatione per definitivam sententiam confirmata, & intimata cum suo Præsidente, vel Præposito in suo Capitulo congregati, ad electionem Abbatis ejusdem Monasterii procedant, & ex Monachis ejusdem Monasterii, si fuerint ex Domibus quæ vulgò nuncupantur Matrices, sive ex aliis Monasteriis dictæ Congregationis qui habiles sint, conditionesque requisitas juxta leges ejusdem Congregationis habeant, sibi liberè Abbatem eligant. Priorque aut Conventui Præsidens electionem factam canonicè confirmet. Si autem Monachus aliquis peregrè profectus sit, qui suffragium, & vocem activam habeat, vel longè à Monasterio degat pro fundi Monasterii ejusdem administratione, qui spatio prædictorum duorum dierum naturalium non possit interesse electioni, ad ipsam electionem vocari non debeat. Sed statim electio fiat intra spatium duorum dierum naturalium ab illis Monachis Conventualibus, qui intrà prædictum spatium in Monasterio fuerint præsentes. Si verò intrà prædicti temporis spatium Abbas electus non fuerit à Monachis Conventualibus Monasterii, ad Generalem Reformatorem provisio Abbatis ejusdem Monasterii devolvatur.

Observationem præsentium mandat.

§. 6. Cæterum si quis Monachorum Congregationis prædictæ, contrà præsentium Litterarum dispositionem quidquam facere, vel attentare præsumpserit, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso absque alia declaratione se noverit incursurum.

Volumus autem, & dicta auctoritate præcipimus ut in proximè futuro Capitulo Generali memoratæ Congregationis, omnes Capitulares antequam ad aliquam electionem procedant, jurent super Sancta Dei Evangelia observari omnia & singula per præsentes Litteras statuta, & ordinata. Ipsæque præsentes Litteræ inter Definitiones juratas collocentur, & in singulis Capitulis Generalibus in posterum quandocumq; celebrandis omnes Capitulares jurejurando se ad illarum observantiam adstringant antequam ad ullam electionem procedant; ut moris est jurare Definitiones quæ in Congregatione prædicta nuncupantur juratæ.

Decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. prædictæ Cardinales, & de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 9. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, ejusque Monasteriorum, seù Collegiorum, & ordinis prædictorum etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haben. illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 10. Demum volumus pariter, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiàm impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 2. die 24. Dec.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Decembris 1671. Pontificatus Nostri anno secundo.

LVI.

Confirmatio Indulgentiarum Confratribus, & Consororibus Confraternitatis B.M.V. de Monte Carmelo à Paulo V. concessarum.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causæ Constitut.

CUM, sicut accepimus, aliàs fel. recor. Paulus Papa V. Prædecessor Noster Confraternitati Sanctissimi Scapularis nuncupatæ sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, ejusque Confratribus, & Consororibus verè pœnitentibus, & confessis ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam, seù Capellam, vel Oratorium, in qua, seù quo Confraternitas hujusmodi Canonicè instituta fuisset, in festo principali Commemorationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis die decima sexta mensis Julii, aut juxtà ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediatè sequenti celebrari solito devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, Plenariam: ac eisdem Confratribus, & Consororibus etiàm verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui processioni, in una Dominica cujuslibet mensis per dictam Confraternitatem, de licentia Ordinariorum locorum fieri solitæ devotè interfuissent, & ut suprà oravissent, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, necnon alias pœnitentiarum relaxationes eisdem Confratribus, &

Consororibus certa pietatis,& charitatis opera peragentibus, misericorditer in Domino perpetuò concesserit, prout in Litteris Apostolicis dicti Pauli Prædecessoris desuper expeditis plenius dicitur contineri.

Confirmat ut in rubr. §. 1. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Matthæi Orlandi Ordinis ejusdem B.Mariæ Virginis de Monte Carmelo Prioris Generalis Nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes per dictum Paulum Prædecessorem dictæ Confraternitati, ejusque Confratribus, & Consororibus, ut præfertur, concessas animabus Christifidelium, quæ Deo charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii, servata in reliquis ejusdem Pauli Prædecessoris Litterarum desuper emanatarum forma, & dispositione, applicari posse, auctoritate Apostolica, tenore præsentium misericorditer in Domino, etiàm perpetuò concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transsumptorum fides. §. 2. Volumus autem, quod præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P.A.2.die 2.Januarii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LVII.

Confirmat Decretum Sac. Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ nimirum non licere Parochis occasione associationis cadaverum ingredi Regularium Ecclesias, sed teneri dimittere cadavera ad januam Ecclesiarum. Cætera vero munia in hujusmodi ministeriis per Regulares esse expedienda.

Consimilem Constitutionem habes suprà in Alexand. VII. Alias pro 93. *pag.* 131.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ Const. NUper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod eadem Congregatio die 16. Decembris 1661. super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentin., & Monachos Monasterii S. Sixti Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti occasione funerum erant exortæ inter alia decreverat servanda esse Decreta, & declarationes alias factas; scilicet Parochis in associatione, seù occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesiam Monachorum prædictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale, officia vero & munia quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent ab ipsis Monachis peragi debere, non autem à Parochis, atque ità in præmissis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari præceperat.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quòd eædem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, ideoque supplicato ut Congregatio præfata resolutionem sive decisionem hujusmodi extenderet ad associationem per Parochos fieri olitàm cadaverum defunctorum, quæ in Ecclesiis fratrum hujus Ordinis sepeliuntur, idque ad tollendas controversias, quæ in aliquibus Parochiis ea occasione inter Parochos, & Fratres Ordinis hujusmodi nascuntur non sine scandalo, ac fraternæ, & Christianæ charitatis detrimento: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit Oratoribus dandam esse infrascriptam declarationem alias editam nempè Parochis in associatione sive occasione associationis Cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale, Officia verò, & alia munia, quæ in hujusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis, atque ità in præmissis omninò deinceps fieri, & exequi præsentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuscumque non obstantibus Romæ 27. Novembris 1671. F.M. Cardinalis Brancaccius. Loco † sigilli.

§. 3. Cum autem sicut præfatus Procurator Generalis Nobis subindè exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summoperè desideret, Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Approbatio, de qua in rub.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo. D. A. 2 die 18. Januarii.

LVIII.

Approbat Decreta Sac. Congreg. consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ scilicet Parochos cujuscumque Dœc. majorum petere non posse eleemosynam ab hæredibus eorum, qui sepeliri volunt in Ecclesiis Regularium, quam si in eorum Ecclesia Parochiali sepeliri peterent, & functiones funeralium super cadavera defunctorum, in Ecclesiis Regularium sepelienda ad ipsos Regulares non ad Parochos spectare.

Ne jam dicta otiosè repetam, vide quæ annotantur ad materiam in Urban. VIII. Const. 22. Alias fel. *pag.* 59.

CLE-

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva. ALiàs pro parte tunc existentis Commissarii Curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ supplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terræ de Leverano Brundusin. Diœcesis, omnibusque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipsorum Parochorum, & Presbyterorum secularium Ecclesiis sepeliebantur: Emanavit die 7. Decembris 1640. ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis videlicet.

Decretum Sac. Cong. §. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad tollendas indebitas exactiones, quæ ut praponitur, in tumulandis Defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum, prout præsentis Decreti tenore injungit Archiepiscopo Brundusino, cæterisque locorum Ordinariis ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero seculari majorem post hac eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium prædictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent si in Parochiali, seù alia ipsius Cleri secularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus &c. Die 7. Decemb. 1640. Et subindè cum tunc existentes Fratres Provinciæ Dalmatiæ dicti Ordinis Congregationis præfatæ exposuissent, functiones funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturæ mandarentur facere ad eos, non autem ad Parochos spectare: Congregatio præfata die 31. Augusti 1657. aliud Decretum edidit tenoris, qui sequitur videlicet.

Aliud Decretum. §. 2. Sac. Cong. Eminentissimorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis juxtà aliàs resoluta censuit functiones funeralium super cadavera defunctorum quæ in Ecclesiis Regularium contigit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint ad ipsos Regulares non ad Parochos pertinere, ac proindè ità in oratorum Ecclesiis circa præmissa servandum esse prout servari mandat & præcipit, contrariis non obstantibus quibuscumque die 31. Augusti 1657.

Confirmat hic Pont. §. 3. Cum autem sicut pro parte dilecti filii Francisci Mariæ à Castro Sancti Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis præfati nobis nuper expositum fuit ipse Decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summoperè desideret: Nos specialem ipsi Francisco Mariæ Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium, inviolabilis, Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivé inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariorum derogatio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo. D. P. A. 2 die 18. Januarii.

LIX.

Subdit Ministro Generali Minorum de Observantia Conventum S. Bonaventuræ Lugdunensem ab ejusdem obedientia se subtrahere tentantem.

De his Fratribus plura annotata in Repertorio invenies in verbo Fratres.

Edita A. D. 1672.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ Constitutio. EXPONI Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria Rhini à Politio Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ante triennium tunc existentes Fratres Conventus Sancti Bonaventuræ Civitatis Lugdunen. Provinciæ ejusdem S. Bonaventuræ dicti Ordinis, ut malè ordinatæ eorum vitæ reformationem evitarent, se dictumque Conventum jurisdictioni Ministri Generalis Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum subjicere tentarent, Congregatio tunc existentium S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad quam super ejusmodi novitate recursus habitus fuerat, decrevit eundem Conventum sub jurisdictione Ministri Generalis dicti Ordinis Minorum de Observantia sicut antea remanere debere, idque executioni mandatum fuit, nec quidquam novi ultrà tentatum, præterquam, quod cum dictus Franciscus Maria Minister Generalis ad visitandas, reformandas Galliæ Provincias dicti Ordinis jussu Nostro profectus fuisset, Fatres Conventus præfati, & cum illis una eorum Guardianus, intercessione Venerabilis Fratris Archiepiscopi Lugdunen. Litteras commendatitias à Charissimo in Christo filio Nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo obtinuerunt ad hoc, ut eis Licentia assumendi statum Secularem, cum eorum Conventus, seù Ecclesiæ in Collegiatam Ecclesiam erectione ab hac Sancta Sede impetraretur.

§. 1. Verùm his ad notitiam dicti Francisci Mariæ Ministri Generalis deductis, ipse Franciscus Maria Minister Generalis, eundem Ludovicum Regem adiit, & ab ejus pietate obtinuit revocationem dictarum Litterarum, atque ita exclusa fuit novitas Religioni perniciosa, sublataque occasio mali exempli, quo Fratres aliorum Conventuum ad similia procuranda, reformationis, quam humana fragilitas aversatur, evitandæ causa, adduci potuissent.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dilecti filii Fratres dicti Conventus Lugdunen. pro majori eorum parte cum dilecto pariter filio Petro Quinton eorum Guardiano, & rebellionis antesignano uniti ad tantam devenerint insolentiam, ut sub prætextu, seù spe Litterarum Apostolicarum, per quas eorum professio annul-

annullaretur, obedientiam non solum eorum Ministro Provinciali, sed etiam Visitatori, & Commissario delegato Reformatori à Nobis nominato, negare præsumpserint; dictus verò Franciscus Maria Minister Generalis ne dictus Conventus, qui ex primariis Ordinis præfati existit, & in quo Sancti Bonaventuræ Ecclesiæ Doctoris, qui ibidem sanctæ conversationis meritis refulsit, & in Domino obdormivit caput (ut piè creditur) asservatur, in profundum malorum descendat, ac pernicioso exemplo alios quoque ejusdem, & aliarum Franciæ Provinciarum Conventus in ruinam trahat, opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infrà indulgeri summoperè desideret.

Declarat, ut in rubr.

§. 3. Nos ipsius Francisci Mariæ Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, inhærentes Decreto aliàs videlicet die 31. Maji 1669. edito, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus dictum Conventum Sancti Bonaventuræ Lugdunen. Civitatis perseverare debere, ut anteà sub omnimoda jurisdictione Ministri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum: Ac propterea strictè mandamus Guardiano, cæterisque ejusdem Conventus Fratribus, ut in omnibus eidem Ministro Generali, necnon Ministro Provinciali ipsius Provinciæ, ac Visitatori, itidemque Reformatori ad præscriptum Sacrorum Canonum, Sacri Concilii Tridentini, Apostolicarum Constitutionum, & Ordinis prædicti omninò pareant, atque obediant; Et adversus parere recusantes prout juris fuerit animadverti dicta auctoritate harum serie præcipimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, & validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia suffragari: Sicque jus respectivè inviolabiliter observari.

Nec aliter judicari posse decernit.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiàm Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus, Apost., necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Conventus, ac Ordinis præfatorum etiàm juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 1. die 7. Februarii.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Februarii 1672. Pontificatus Nostri Anno secundo.

LX.

Beatificatio Servi Dei Pii Papæ V. ejusque Missæ, & Officii certis in locis concessio.

CLEMENS PAPA X.

Edita A. D. 1672.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Unigenitus Dei filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, cum sanctos, atque electos suos, eos præsertim, quos gregis sui Pastores constituit secundum cor suum, creditæ dispensationis munere piè, fideliterque peracto, non solum æternæ beatitudinis præmiis donat in Cœlis, sed etiàm illorum sanctitatem sequentibus signis testatam, celebremque facit in terris, humilitati Nostræ, quam Ecclesiæ suæ sanctæ, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, præficere dignatus est, luculenta proponit exempla, quæ ipso donante, atque adjuvante pro modulo infirmitatis Nostræ humiliter sequi connitamur. Undè cum inter Dominici gregis Pastores Apostolici zeli atque vigoris gloria, pastoralisque charitatis & vigilantiæ laude, & sanctæ humilitatis, aliarumque omnium virtutum fulgore quasi stella matutina in medio nebulæ longè, latèque resplenduerit Dei servus fel. rec. Pius PP. V. Prædecessor Noster, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum: meritò adducimur, ut illius honorem, atque venerationem, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ decus, Catholicæque fidei præsidium, ac spiritualem fidelium ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur promovere studeamus.

Confectis processibus, & probatis virtutibus.

§. 1. Cum itaque maturè, diligenterque discussis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum processibus dudum de Apostolicæ Sedis licentia confectis, ac etiàm subindè repetitis super vitæ sanctitate, heroicisque virtutibus, & aliis charismatibus, quibus idem servus Dei Pius PP. V. Prædecessor Noster multipliciter claruisse, ac miraculis, quæ ejus intercessione, ac ad manifestandam illius sanctitatem à Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, præviis etiàm Consultorum suffragiis unanimiter censuerit, posse quandocumque Nobis placeret, memoratum servum Dei Beatum declarari, atque indulgeri, ut de eo tanquam de Confessore Pontifice in quibusdam locis officium, & missa recitari, & celebrari possint.

Pium PP. V. Beatum declarat.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis multorum Orthodoxorum Regum, aliorumque Principum, ac totius Ordinis Sancti Dominici, in quo præfatus servus Dei Pius PP. V. dum in minoribus constitutus erat, professionem regularem emisit, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei Pius PP. V. in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seù splendoribus exornentur, atque de eo sub ritu semiduplici in omnibus Ecclesiis tàm secularibus quam regularibus utriusque sexus recitetur officium, & missa celebretur de Confessore Pontifice singulis annis juxtà rubricas Breviarii, & Missalis Romani die quinta Maji, quæ prima est non impedita post diem primam ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit.

Officium & missam

§. 3. Hæc verò nempè recitationem officii, & missæ celebrationem fieri concedimus in locisdum-

taxat

eeri in locis designat.

taxat infrascriptis, videlicet in Alma Urbe Nostra ubi ejusdem Servi Dei corpus in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris requiescit; tum in Oppido Boschi Dertonen. Diœc. ubi natus est, necnon in Civitatibus, & Diœcesibus Montis Regalis Provinciæ Taurinen, ac Sutrin. & Nepesina, ubi sedit Antistes, ac in universo Ordine Sancti Dominici tam Fratrum, quam Monialium, & quantùm ad Missas attinet etiam à Sacerdotibus confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno à datis hisce Literis, & quoad Indias à die quo eædem Litteræ illuc pervenerint, inchoando in Ecclesiis Urbis, ac Civitatum, & Diœcesum, & Ordinis prædictorum respectivè solemnia Beatificationis ejusdem Servi Dei cum officio, & Missa sub ritu duplici majori die quoad Urbem à dilecto Filio Nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus Generali, extra illam verò ab Ordinariis respectivè constituta, & intra sex menses promulganda, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum dictæ Urbis celebrata fuerint eadem solemnia pariter celebrandi facimus potestatem Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§. 4. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis, etiàm impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsùs fides ab omnibus, & ubique tàm in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 2. die 27. Aprilis

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1672. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXI.

Declarat indulta per fel. record. Urbanum Papam Octavum concessa Fratribus oblatis, seù Servientibus Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, tunc temporis existentibus intelligantur emanata ad favorem, etiàm hodiernorum, & per subsequentia perpetua tempora futurorum hujusmodi Congregationis oblatorum, seu servientium prædictorum, quos suffragia ferre non posse, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis conditionis statuit.

Ne pluries dicta, otiosè repetam te remitto ad ea quæ notavi ad Constitut. 55. Decet Romanum. Innocentii X. pag. 503. ubi aliqua ad præsentem materiam reperies.

Edita An. D. 1671.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis cœlitùs Pastoralis officii sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui è fluctibus seculi in portum vitæ religiosæ confugerunt, curam gerentes, enatas inter eos controversias, quæ amabilis concordiæ, fraternæque charitatis serenitatem obnubilare possent, opportunæ provisionis remedio recidere, ac illorum statui, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur consulere studeamus.

Causæ Constitut.

§. 1. Dudum, siquidem fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster ad sedandas inquietudines, atque animi perturbationes, quas major pars tunc existentium Fratrum Oblatorum, seù Servientium Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ in suo hujusmodi statu patiebatur, per quasdam suas in simili forma Brevis die 26. Augusti 1641. emanatas Literas cum eisdem Fratribus Oblatis, seù Servientibus super quarto voto per eos emitti solito, de non procurando alio quam suo Fratrum Oblatorum, seù Servientium hujusmodi statu, ad effectum infrascriptum auctoritate Apostolica dispensavit, quartumque votum hujusmodi illis relaxavit; necnon eisdem Fratribus Oblatis, seù Servientibus tunc in dicto Ordine existentibus, quod ipsi postquam per septem annos continuos ab eorum professione numerandos, ac per alterius anni spatium in aliquo recollectionis loco à Ministris Provincialibus, & Definitoribus designato in dicto Fratrum Oblatorum, seù Servientium statu permansissent, ab ipsis Ministris Provincialibus, & Definitorio Provinciali ad caputium, & statum laicalem admitti, & inter ipsos Fratres laicos ejusmodi Ordinis juxtà eorum antiquitatem, necnon etiàm inter Clericos, qui nondum quatuor annos à sua professione expleverant juxtà Constitutiones præfatæ Congregationis Gallicanæ sedere possent, concessit, & indulsit. Ea tamen lege ut nec ejusmodi Fratres Oblati, seù servientes ad caputium, & statum laicorum assumpti, nec laici qui nondum suffragiorum jure potiti fuerant, nec denique alii, qui deinceps ad statum laicalem in dicto Ordine admitterentur, ullo suffragiorum jure gaudere valerent, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis status, & conditionis. Voluit insuper dictus Urbanus Prædecessor, & pariter indulsit, ut si quis ex dictis Fratribus Oblatis, seù servientibus hujusmodi post supradictos septem à sua professione annos suum hujusmodi statum immutare nollet, de Superiorum suorum consensu in eo permanere, necnon eisdem privilegiis, quibus alii gavisuri essent, qui accepto caputio statum suum mutavissent, gaudere liberè, & licitè posset, & alias prout in præfatis Urbani Prædecessoris Litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii Superiores dictæ Congregationis Gallicanæ Nobis nuper exponi fecerunt, super præmissis, seù eorum occasione subinde in eadem Congregatione variæ exortæ fuerint controversiæ, super quibus aliæ ab eodem Urbano Prædecessore die 25. Maji 1644. ac à rec. mem. Innocentio X. die 6. Aprilis 1648. & Alexandro VII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostris die 10. Decembris 1659. ac die 13. Septembris 1660. & die 11. Aprilis 1661. respectivè expeditæ fuerunt pariter in forma Brevis Litteræ, ac tandem die 4. Maji 1663. Decretum à Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposità emanavit, nec tamen exindè memoratæ Congregationis Gallicanæ tranquillitati sufficienter provisum reperiatur, sed prænarratæ perturbationes, & inquietudines denuò reviviscentes novum in præsens paternæ charitatis, & providentiæ Nostræ præsidium exposcant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportuné providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Declarat, ut in rubr.

§. 3. Nos igitur eorumdem Superiorum votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac aliarum Literarum, & Decreti præfatorum tenores præsentibus similiter pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, & nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super hoc negotio à Nobis specialiter deputatorum, qui dilectum etiàm filium Procuratorem Generalem, seù Commissarium Curiæ Familiæ Ultramontanæ Ordinis Sancti Francisci audiverunt, ac rem maturè examinarunt, consilio, dispensationem, relaxationem, & indulta, quæ memoratus Urbanus Prædecessor per suas Litteras primodictas præfatis Fratribus Oblatis tunc temporis existentibus sicut suprascriptum est concessit dilectis filiis hodiernis, & per subsequentia perpetua tempora futuris Fratribus Oblatis, seù Servientibus dictæ Congregationis Gallicanæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium pariformiter concedimus, Statuentes ut non solum Fratres Oblati, seù Servientes qui eo tempore quo primòdictæ Urbani Prædecessoris Litteræ emanarunt, in præfata Congregatione Gallicana erant, sed etiàm alii hodierni, & per subsequentia perpetua tempora futuri Fratres Oblati, seù Servientes Congregationis hujusmodi, necnon quicumque alii, qui ad statum laicalem in eadem Congregatione immediatè, seù in ingressu Religionis assumentur, nullo unquam tempore suffragiorum jure gaudere valeant, nisi in receptione Novitiorum ad professionem ejusdem cum eis status, & conditionis, ac super controversiis præfatis perpetuum partibus silentium eadem auctoritate harum serie imponimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus præfatis aliis Urbani, ac Innocentii, & Alexandri Prædecessorum Litteris, & Decreto memoratæ Congregationis Cardinalium, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apost., necnon præfatorum Ordinis, & Congregationis Gallicanæ, aliisque quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 6. Volumus autem ut earum præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis, etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. A. 3. die 12. Maji.

Datum Romæ apud S Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Maji 1672. Pontificatus Nostri anno tertio.

F I N I S.

INDEX.

VERBORUM OMNIUM,

Super quibus materiæ sequentis Repertorii sunt extensæ.

A

B

C

D

E

INDEX
RERUM, SENTENTIARUM, VERBORUM,
ET MATERIARUM OMNIUM,

quæ in hoc opere continentur.

ALPHABETICO ORDINE DIGESTUS.

A

Aperti-

Appro-

Arom-

Bona

C

Capi-

Clau-

Colle-

Conceptio-

Cuculla

Disponere, *& Dispositio.*

Distributio.

Doctor.

Doctrina Christiana.

S. Dominicus.

Domus.

Donatio.

Dos, *Dotare.*

Dux Medinæ Sydoniæ.

E

Ecclesia.

Ecclesia Majoricensis.

F

Facul-

Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ.

Fratrum

Fratres, & Religiosi.

Fructus.

G

Gabella.

Germanicum Collegium vide in verbo Collegium.

Grascia.

Gratia.

Gubernator, sive Judex Burgi.

Gubernator Conclavis. Vide in verbo Conclavo.

Gubernator Urbis.

B. Gundisalvus de Amarante.

Gymnasium Urbis.

H

Habitatio Habitator.

Habi-

Jura-

Licen-

in

Militum

N

Nico-

O

Paro-

Prædi-

Regu-

S

F I N I S.

APPENDIX
AD TOMUM VI.
BULLARII

Nonnullarum Constitutionum post ultimam Impressionem editarum,
Et aliquot aliarum, quæ adhuc desiderabantur,

ALEXANDRI VII. CLEMENTIS IX.
ET
S^{MI}. D. N. CLEMENTIS X.

Cum Duplici copiosissimo Indice Materiarum, & Verborum,

Et Rubricis, Summariis, Marginibus, & Paragraphis diligenter aptatis, & suis ubique locis dispositis.



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ. MDCLXXIII.

LUXEMBURGI,

Sumptibus ANDREÆ CHEVALIER, Bibliopolæ & Typographi.

MDCCXXVII.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

INDEX TRIUM ROMANORUM PONTIFICUM.

Quorum Conſtitutiones in hac Appendice Sexti Tomi ordinatim emanatæ extenduntur.

INDEX VERBORUM.

Patriarcha



APPENDIX

APPENDIX
ALEXANDER VII.

ANNO 1665.

Damnatio, & Prohibitio nonnullarum Propositionum.

Feria V. die 24. Septembris 1665.

I. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.



SANCTISSIMUS D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm suscitari, partim noviter prodire: Et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum Doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo umquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contrà hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulo incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

De actu fidei eliciendo. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

De duello. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

De Bulla Cœnæ. Sententia asserens; Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, & tolerata est.

De potestate Prelatorum Regularium. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

De denunciatione. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare si probare non possis.

De sollicitatione. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proindè non est denunciandus.

De denunciatione sollicitationis. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

De stipendio sacrificii missæ. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

De eodem. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

De eodem. Non est contrà justitiam pro pluribus sacrificium unum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

De confessione. Peccata in confessione omissa, seù oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

De Mendicantibus, & eorum facultate. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

De annua confessione. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

De præcepto confessitatis. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

De pœnitentia. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

De Parochis. Qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

De homicidio. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis Viris prædicta impingere nisi occidatur.

De eodem. Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

De eodem. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehensam.

De restitutione. Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

De obligatione Beneficiati. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

De Simonia. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

De jejunio. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

De Venereis. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

Et eorum circumstantiis. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens; commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem non explicando copulam.

De judicio & Judice.

Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

De opinione probabili.

Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, cum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

De obligatione Subditorum ad Principem.

Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Excommunicantur contrarium defendentes.

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit ediderit, aut, de eis etiam diſputativé, publicé, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus Sancta Romana, & univerſalis Inquiſitionis Not. &c.

Loco † ſigilli.

Anno à Nativitate D.N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, Indict. tertia, die verò 2. menſis Octob. Pontific. autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, D. N. D. Alexandri, divina providentia Papa VII. anno undecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilica Principis Apoſtolorum, Cancellaria Apoſtolica, ac in Acie Campi Flora, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papa, & Sanctiſſima Inquiſitionis Curſorem.

II. Damnatio, & Prohibitio nonnullarum Propoſitionum.

Feria v. Die 18. *Martii* 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſ. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D.N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

De Jejunio.

Propoſitio 29. in die Jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit non frangit jejunium.

De eodem.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

De eodem.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

De comeſtione ovorum, & lacticiniis.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

De reſtitutione.

33. Reſtitutio fructuum ob omſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque Eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

De officio.

34. In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

De ſatisfactione officii.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

De privilegiis Regularium.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

De indulgentiis.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè ſunt revalidatæ.

De præcepto confeſſionis.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium non præceptum.

De eodem.

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

De opinione probabili.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

De concubinatu.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

De uſura.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

De legatis.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat pluſquam per decem annos.

De cenſuris.

44. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto ejuſque contumacia ceſſante cenſuræ ceſſant.

De libris prohibitis.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Damnantur omnes, & prohibentur pœna excommunicationis.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus Sancta Romana, & univerſalis Inquiſitionis Not.

Loco † ſigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die 23. menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri, divina Providentia Papa VII. anno undecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilica Principis Apoſtolorum, Cancellaria Apoſtolica, ac in acie Campi Flora, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſſ. D. N. Papa, & Sanctiſſima Inquiſitionis Curſorem.

APPENDIX
CLEMENS IX.

ANNO 1669.

I.

Indulgentia Plenaria perpetua in Ecclesiis Fratrum, & Monialium S. Francisci pro festo Sancti Petri de Alcantara.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.



REDEMPTORIS, & Domini nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus sicut ad excitandam, & fovendam ergà eosdem Beatos cœli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Memoria canonizationis S. Petri de Alcantara.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in alma Urbe nostra tunc existentium consilio B. Petrum de Alcantara strictioris Observantiæ professorem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, auctoritate Nobis à Domino tradita Sanctum esse decreverimus, & definiverimus, illumque Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripserimus.

Indulgentia pro Conventibus, & Ecclesiis Franciscanæ Religionis.

§. 2. Hinc est quod Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Minorum de Observantia ac Reformatorum, Discalceatorum, & Recollectorum, necnon Conventualium, & Cappuccinorum nuncupatorum, ac Monialium Ordinis S. Francisci tàm hactenùs erectis, quam imposterum quomodocumque in generis & ubique locorum existentibus die festo ejusdem S. Petri de Alcantara, nempè die 19. mensis Octobris à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 3. Volumus autem ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Octob. 1669. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ANNO 1669.

II.

Reintegratio Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ad statum Religionis, ac ad fruitionem Privilegiorum Ordinibus Mendicantibus concessorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere Congregationes virorum in Ecclesia Dei piè, prudenterque institutas, eas præsertim, quæ pueris non solum Litterarum rudimentis, sed etiam pietate, moribusque Christianis maturè imbuendis laudabiliter incumbunt, peculiari favore prosequimur, illarumque felici statui, & prosperis progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studemus, sicut omnibus matura consideratione perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, ac Religionis, bonorumque operum incrementum arbitramur in Domino salubriter expedire.

Confirmatio super tribus solemnibus votis à Greg. XV.

§. 1. Dudum siquidem cum pro parte tunc existentis Præfecti Generalis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum prius auctoritate Apostolica erectæ fel. rec: Gregorio PP. XV. Prædecessori nostro expositum fuisset, quod Clerici ejusdem Congregationis, quia tria simplicia paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ vota emittebant, perfectioris vitæ studio ducti, simplicia vota hujusmodi solemnia declarari cupiebant, & tunc existentes S. R. E. Cardinales negotiis Episcoporum & Regularium præpositi, quibus dictus Gregorius Prædecessor negotium hujusmodi maturè examinandum, sibique referendum commiserat, prædictam Congragationem in Religionem trium votorum solemnium approbari posse censuissent, prout in Decreto desuper facto dicebatur contineri: Idem Gregorius Prædecessor Decretum prædictum Apostolica auctoritate confirmavit, & approbavit. Et subindè ipse Gregorius Prædecessor Congregationi prædictæ, illiusque Ministro, & Clericis, aliisque personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis, & indultis, tam spiritualibus, quam temporalibus Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, professoribus, necnon Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices dicti Gregorii Prædecessores, impsumque Gregorium Prædecessorem quomodolibet concessis, & quibus ipsi, necnon Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca hujusmodi, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quàm divisim, seù alias quomodolibet utebantur, fruebantut, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, & possent quomodolibet in futurum, dummodo tamen essent in usu, & non essent revocata, aut sub aliquibus revocationibus

bus comprehensa, nec Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnarent, pari modo non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter perindè, ac si nominatim, & in specie illis concessa fuissent, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valerent, dicta auctoritate perpetuò concessit, & indulsit, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias, & indulta eis communicavit, illaque ad eos extensit.

Reductio Innocentii X.

§. 2. Verum postmodum rec. memor. Innocentius Papa X. pariter Prædecessor Noster, Congregationem, sive Religionem prædictam in Congregationem similem Instituto Congregationis Oratorii in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe erectæ Sancti Philippi Nerii nuncupatæ absque ulla votorum emissione regendam, dirigendam, & gubernandam sub certis modo, & forma tunc expressis redegit, & reduxit.

Secularizatio Alex. VII.

§. 3. Et successivè piæ mem: Alexander Papa VII. etiam Prædecessor Noster reductionem eorumdem Clericorum à statu Regulari ad statum Secularem sub eadem denominatione Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum approbavit, & confirmavit, & quatenus opus esset de novo Congregationem hujusmodi ad statum Secularem sub denominatione prædicta reduxit; cum diversis statutis, ordinationibus, indultis, declarationibus, & decretis, & inter alia, quod quicumque in eandem Congregationem Secularem, tunc, & pro tempore quandocunque recepti, tria vota simplicia, nempè Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ cum juramento in eadem Congregatione perpetuò permanendi suo tempore emittere deberent, itaut cum ipsis super votis, & juramento hujusmodi, nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut illa commutari, vel relaxari respectivè nullatenus etiam prætextu, vel vigore quarumcunque facultatum, etiam Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilei universalis possent, sub pœnis apostasiæ in casum contraventionis.

Quandiù duret Præpositus Gener.

§. 4. Ac demum idem Alexander Prædecessor controversias in dicta Congregatione Seculari exortas dirimere, & bonum ipsius Congregationis promovere cupiens, statuit, & decrevit, ut Præpositus Generalis memoratæ Congregationis, & quatuor Assistentes, tàm in Capitulo generali tunc novissimè celebrato electi, quam deinceps in perpetuum eligendi durare deberent ad sexennium tantum; Ipsique Assistentes votum haberent decisivum cum eodem Præposito Generali in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcunque Superiorum; Item in causis, & sententiis criminalibus, nec non in quibuscunque aliis actibus, qui ex Constitutionibus ejusdem Congregationis, vel Decretis Capitulorum generalium fieri, seù expediri deberent à Præposito Generali, & Assistentibus. In reliquis verò iidem Assistentes votum haberent consultivum, & Præpositus Generalis, quoad ejus fieri posset eorum consilium sequeretur ad præscriptum Constitutionis ipsius Congregationis, & una omnes cum Præposito Generali residerent in Domo Sancti Pantaleonis de Urbe.

Instituta laudantur, & approbantur.

§. 5. Præterea inviolatè servari præcepit laudabile dictæ Congregationis Institutum præcipuè in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos; deferendi habitum qualitatis, & formæ à prædictis Constitutionibus præscriptæ, incedendi pedibus discalceatis; recipiendi ad Scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formulam dictarum Constitutionum, denominandi personas ejusdem Congregationis non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicujus Sancti, ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii hujus instituti profitentur; In cæteris verò servari jussit antiquas Constitutiones Congregationis hujusmodi, cum omnibus gratiis, indultis, & privilegiis à Sede Apostolica eidem concessis, in iis tamen quæ aptarentur, & congruerent statui Congregationis Secularis, & his statutis, atque decretis non adversarentur, & aliàs prout in binis Gregorii die 18. Novembris 1621. & die 15. Octobris 1622. ac unis Innocentii die 16. Martii 1646. nec non itidem binis Alexandri Prædecessorum prædictorum die 24. Januarii 1656. & die 28. Aprilis 1660. respectivè expeditis in simili forma Brevis Litteris, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Litteræ Apostolicæ.

§. 6. Cum autem sicut Dilecti Filii Præpositus Generalis, & alii Superiores dictæ Congregationis Secularis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi eandem Congregationem, quo majori perfectione in via Domini de cætero ambulare, ac in laudabili suo instituto constantius perseverare valeat, ad statum regularem & titulum Religionis cum emissione trium votorum solemnium quemadmodum à memorato Gregorio Prædecessore, ut præfertur constituta fuerat, nec non ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum Ordinibus Mendicantibus concessorum, quæ eidem Congregationi à dicto Gregorio Prædecessore per posteriores Suas Litteras præfatas communicata fuerunt, restitui, & reintegrari, ac ultimo dictarum Alexandri Prædecessoris Litterarum observantiam, circa tempus durationis Præpositi Generalis in officio, assistentium auctoritatem, usum associandi pauperes pueros ad eorum domos, habitus qualitatem, & formam, aliaque omnia per easdem Litteras, statuta, & decreta firmius constabiliri summoperè desiderent.

§. 7. Nos prospero felicique ejusdem Congregationis statui, & progressui, quantum cum Domino possumus salubriter providere, dictosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui rem maturè discusserunt, consilio, eandem Congregationem Secularem Clericorum paúperum Matris Dei Scholarum Piarum ad Statum regularem, & titulum Religionis, cum emissione trium votorum solemnium, ac ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum ordinibus mendicantibus quomodòlibet concessorum hujusmodi in omnibus, & per omnia ad limites supradictarum binarum Gregorii Prædecessoris Litterarum, &

juxta

Reductio ad statum Regularem cum tribus votis.

juxtà illarum seriem, dispositionem. & tenorem auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimus, restituimus, & reintegramus.

§. 8. Præterea ultimo dictas Alexandri Prædecessoris Litteras die 28. Aprilis 1660. expeditas cum omnibus, & singulis in eis contentis inviolabiliter, & inconcussè observari auctoritate & tenore præsentis præcipimus, & mandamus. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus prædictis Innocentii, & Alexandri Prædecessorum Litteris, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 10. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Octobris 1669. Pontificatus Nostri anno tertio.



APPENDIX
CLEMENS X.

I. Confirmatio Privilegiorum pro Priore Domus Regularis Militiæ, seù Ordinis Militaris de Calatrava Diœc. Toletanæ, ac extensio ad usum Pontificalium.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.



ECET Romanum Pontificem ad ea vota per quæ Militarium Ordinum quorumlibet, eorumque Prælatorum honori, necnon Divini cultus celebritati, peramplius consulitur, libenter intendere, ac in his Pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout ad Altissimi, laudem & gloriam prospicit, in Domino salubriter expedire.

Indultum Alexandri VI. §. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Dilecti Filii Moderni Prioris Domus Regularis, seù Conventus Majoris Militiæ, seù Ordinis militaris de Calatrava, nullius Diœc. Provinciæ Toletanæ Petitio continebat, quod licet ipse, & pro tempore existens, Domus, seù Conventus hujusmodi Prior, ex Indulto eidem Priori per fel. rec. Alexandrum Papam VI. Prædecessorem nostrum sub dat. octavo Kal. Decembris anni Domini millesimi quingentesimi primi concesso, quamplurimis præeminentiis, & prærogativis gaudeat, signanter in Domus, seù Conventus, & Domorum, seù Conventuum, ac locorum Militiæ, seù militari Ordini hujusmodi subjectorum, & ad eandem Militiam, seù eundem militarem Ordinem communiter, aut divisim spectantes, & pertinentes (quamvis pleno jure non subsint) Parochialibus, aut aliis Ecclesiis post Missarum, ac Vesperarum, & Matutinorum solemnia benedictionem solemniter Populo interessenti (dummodò inibi Antistes Catholicus, aut Sedis Apostolicæ Legatus præsens non sit, aut si præsens fuerit ejus ad id expressus accedat assensus) elargiendi, ac quibuscumque Fratribus, seù Militibus, & personis Militiæ, seù Militaris Ordinis hujusmodi quatuor minores ordines conferendi, Casulas quoque, & ornamenta, aliaque paramenta, & vasa Ecclesiastica pro Ecclesiarum prædictarum usibus benedicendi, ac denique easdem Ecclesias, & Altaria, ac Cœmiteria quotiescumque sanguinis, vel seminis emissione, vel suffusione polluta fuerint ac execrata, (aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem benedicta) reconciliandi, aliaque faciendi, & exercendi gaudeat. Nihilominus dictus Prior in Domo, seù Conventu majoris militiæ, seù militaris Ordinis hujusmodi veste Ecclesiastica cum bireto nigro, & chlamyde seu pallio albo militari cum cordulis floccis, ac Cruce rubea utitur, foris verò, & extrà illum in habitu Clericali tantùm cum Cruce militari incedit.

Caroli Hispaniarum Regis preces. §. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat indecorum sit, ut qui Pontificalia tractat, & exercet, Pontificalibus non utatur. Nobis propterea pro parte dicti Moderni domus, seu Conventus majoris hujusmodi Prioris per dilectum filium Ignatium Velarde Sacristam majorem dictæ Militiæ, seù dicti militaris Ordinis, uti à Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico ejusdem, ac S. Jacobi de Spatha, & de Alcantara militiarum, seù Militarium Ordinum hujusmodi in spiritualibus, & temporalibus tractandis Agentem, seu Procuratorem Generalem constitutum, humiliter supplicatum fuit, ut primo dictæ Militiæ, seù primo dicti Ordinis Militaris, & Domus, ac Conventus majoris hujusmodi, illiusque Prioris decori, & ornamento consulendo, ei ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur qui honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis dictum Modernum Priorem, ac Ignatium prædictum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis si quibus quomodòlibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati (& ex voto Congregationis Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super tribus Ecclesiasticis præpositæ) Moderno & pro tempore futuro Domus, seu Conventus majoris hujusmodi, Priori ut ipse de cætero perpetuis futuris temporibus tam in primo dicto, seu primodictis, quam aliis quibuscumque aliarum Militiarum, seu aliorum Ordinum Militarium hujusmodi Domibus, Ecclesiis, & locis, ac alias ubicumque locorum, & gentium Mozzetta, & habitu, aliisque insigniis, & indumentis Episcopalibus, quibus S. Jacobi de Ucles, & S. Marci de Leon Militiæ, seù Militaris Ordinis S. Jacobi de Spatha Domorum, seù Conventuum Priores pro tempore (ex plurimis Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum per rec. mem. Pium Papam V. etiam Prædecessorem nostrum, sub dat. Romæ quinto Idus Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto confirmatis, & approbatis privilegiis, & indultis quæ ad primo dictam Militiam, seù primo dictum Militarem Ordinem ad supplicationem claræ mem. Caroli V. Romanorum Imperatoris per piæ mem. Paulum Papam III. similiter Prædecessorem nostrum in ejus litteris sub dat. etiam Romæ anno ejusdem Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertiò, Non. Augusti, Pontificatus ejus sexto, extensa eidemque communicata fuerunt) gaudent, utuntur, & incedunt, uti ac cum illis, & in illis semper ubi, quando, ac quoties ipsi Priori libuerit incedere, & ea ubicumque, & quandocumque gestare liberè, & licitè valeat Apostolica auctoritate, (citrà tamen aliquam communicationis privilegiorum, & indultorum hujusmodi approbationem) concedimus, & indulgemus, ac plenam, liberam, & omnimodam facultatem licentiam, & auctoritatem impartimur.

Usus Pontificalium.

Ad libitum Prioris.

§. 4. Decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apo-

stolicis,

stolicis, necnon primo dictæ Militiæ; seu primo dicti Ordinis Militaris, ac quarumcumque illius Domorum, seù Conventuum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis indulti, infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1670. sexto non. Martii Pontificatus Nostri Anno Primo.

II. Indulgentia plenaria perpetua in Ecclesiis Fratrum, & Monialium Beatiss. Virginis Mariæ de Monte Carmelo pro festo S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Agni immaculati qui sacras Virgines sponsas suas spiritualium charismatum donis multipliciter decoratas æterno sibi consortio in cœlis sociavit, vices, licet immeriti gerentes in terris, cœlestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, libenter erogamus, ut fidelium erga easdem Beatas Virgines devotio, ejusmodi muneribus incitata, multipliciter in dies, benedicente Domino, proficiat incrementis.

Sanctificatio Mariæ Magdalenæ de Pazzis à Clemente Prædecessore

§. 1. Itaque gloriosa Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Monialis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, quam fel. rec. Clemens Papa IX. ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ Religionis incrementum, solemni ritu Sanctam esse auctoritate Apostolica decrevit, & definivit, ac Sanctarum Catalogo adscripsit, meria intra mentis nostræ arcana devota consideratione recolentes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus; & confessis, ac sacra communione, refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum (etiam Discalceatorum nuncupatorum) quam Monialium dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, nempè 25. Maji à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

III. Decretum, quod Procurator Generalis, seù Zelosus totius Ordinis Minimorum interveniat in Comitiis Generalibus, ubique locorum, & in illis suffragium ferat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Petrus de Consentia Procurator Generalis, seù Zelosus Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, quod in eodem Ordine singulis sexenniis Capitulum Generale plenissimum, pro eligendis Correctore Generali, ejusque Collegis, necnon Procuratore Generali Ordinis hujusmodi, quem vocant Zelosum celebrari solet: hujusmodi autem Procurator Generalis, sive Zelosus, ex præscripto specialis cujusdam regularis statuti, Generalibus Comitiis intervenire debet ad suffragandum in iis tamquam unus ex Capitularibus, dummodo tamen eadem Comitia in Alma Urbe, vel in circuitu celebrari contingat, prout in Correctorio dicti Ordinis cap. 10. num. 93. contineri dicitur.

§. 1. Porrò in primordiis ejusdem Ordinis, quando dictum Correctorium acceptatum fuit, sæpius Generalia Comitia Romæ celebrari consueverunt, ex libera designatione fieri solita in singulis Capitulis Generalibus, in quibus ex præscripto ejusdem Correctorii, locus proximè celebrandi Capituli Generalis assignari debet. Quomodo in desuetudinem abierit.

§. 2. Verum progressu temporis mos inolevit, quo in singulis Comitiis Generalibus alternatim assignari solet locus futuri Capituli Generalis, semel nimirum in Italia; & tunc in Civitate Januensi, semel in Gallia, & tunc in Conventu Massiliensi, & semel in Hispania, & tunc in Conventu Barchinonensi, ex quo fit, ut Procurator Generalis suo semper voto frustretur, cum numquam in Urbe, ex introducta jam consuetudine Capituli Generalis celebratio præscribi, & assignari soleat.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, plurimum referat Procuratorem Generalem Capitulis Generalibus dicti Ordinis interesse, ad dandam inibi informationem eorum, quæ in Romana Curia in sexennio sui officii erga Ordinem hujusmodi facta, & disposita sunt, eaque ad universalem Ordinis notitiam, & actibus Capitularibus inferenda, nec tamen à tempore, quo Capitula Generalia hujusmodi extra Urbem prædictam celebrata sunt, Procuratores Generales, sive Zelosi ad illa accedere consueverint, quippe voti, sive suffragii in illis ferendi prærogativa destituti; quod profectò inconveniens videtur, cum dictis Capitulis Generalibus intersint Collegæ Generales, quorum successores ibidem, quemadmodum, & successor Procuratoris Generalis eligi solent, & plerorumque aliorum Ordinum Procuratores Generales illorum Capitulis Generalibus interesse consueverint. Necessitas interessentiæ Zelosi.

§. 4. Nobis propterea d. Petrus Procurator Generalis, seù Zelosus humiliter supplicari fecit, ut sibi, suisque in officio successoribus opportunè in præmissis providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur ipsum Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censu-

ris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui dilectum filium Nostrum Flavium tit. Sanctæ Mariæ de Populo ejusdem S. R. E. Cardinalem Chisium nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem audiverunt, consilio, ut in posterum prædictus Petrus, ejusque successores Procuratores Generales, quos vocant Zelosos prædicti Ordinis Fratrum Minimorum, quibuscumque Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis ubicumque celebrentur, respectivè interveniant, & in illis suffragium ad instar aliorum Capitularium ferant auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 7. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate.

Derogatio Constitutionum in contrarium.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Augusti 1670. Pontificatus nostri anno primo.

IV.

Decretum pro Congregatione Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, quomodo possint egredi à suis Monasteriis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

UT in Congregatione Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ fervor orationis conservetur, nec per inconsultas Eremitarum vagationes tepescat, sed ipsi Eremitæ juxtà laudabile eorum Institutum, ac Constitutiones à felicis recordationis Clemente Papa IX. Prædecessore nostro specificè confirmatas in suis Eremis permanentes, divinis obsequiis eo studiosius incumbant, quominùs eorum spiritus rerum temporalium tractatione, Laicorumque conversatione distractus fuerit, ex commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito providere cupientes.

§. 1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine harum serie præcipimus, & mandamus, ut postquam à Capitulo Generali, vel Majore, & Visitatoribus dictæ Congregationis familiarum in singulis Eremis ipsius Congregationis assignatio facta, & illi, qui toto anni decursu cum debitis Priorum localium licentiis propter urgentem aliquam necessitatem Eremis per spatium quinquaginta milliarium juxtà præscriptum dictarum Constitutionum egredi possunt, deputati fuerint, nec ullis Prioribus localibus, nec ullis deputatis ad negocia, sine licentia Majoris, & Visitatorum prædictorum semel in anno obtinenda, intrà spatium quinquaginta milliarium hujusmodi, neque ullis dictorum Priorum subditis sine speciali eorumdem Majoris, & Visitatorum licentia, toties quoties impetranda, Eremis egredi, ac extrà illas pernoctare de cætero ullo modo liceat.

§. 2. Volentes, ut Major, & Visitatores prædicti serio invigilent, super quo eorum conscientiam oneramus, ne dicti Priores locales licentia hujusmodi abutentes, Eremis sine necessitate egrediantur, vel prædictos Deputatos ad negocia egredi permittant.

Licentiam adimant transgredientibus.

§. 3. Quod si aliquos hac in re minus observantes repererint, licentiam egrediendi eis concessam suspendant, aut etiam omninò adimant, & alios ad negocia prædicta deputent.

§. 4. Porrò ad eas res curandas, quæ per oblatos non Professos expediri possint, quales sunt, exempli gratia, provisiones rerum Eremis necessariarum, nec mittantur Deputati, ad negocia, nec ipsi Priores locales egrediantur.

Quibus detur licentia.

§. 5. Ipsis autem Prioribus localibus ex aliqua urgenti necessitate extrà Eremos existentibus, eorum Vicarii sive Superiores in Eremis remanentes, nullam habeant facultatem concedendi aliis, quam oblatis prædictis licentiam egrediendi, & pernoctandi.

§. 6. Præmissa verò omnia, & singula sub pœnis per Constitutiones prædictas contra illos, qui sine debita licentia Eremis egrediuntur, & extrà illas pernoctant, constitutis inviolabiliter, & inconcussè perpetuò observari volumus.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seù in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis, illiusque Eremorum hujusmodi; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis.

§. 9. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extrà illud ubique locorum adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Septembris 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

V.

Indulgentia pro Ecclesiis Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium in die secunda Augusti ubique locorum erectis, vel erigendis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad excitandam, favendamque fidelium religionem, atque devotionem, & promovendam animarum salutem profuturum speramus.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Laurentii Brancati à Lauræa Fratris expresse professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, in sacra Theologia Magistri, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis tàm hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die secunda Augusti, à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer inDomino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1670. Pontificatus Nostri anno primo.

VI.

Extensio Indulgentiarum in die Sancti Petri de Alcantara etiam in Ecclesiis Tertii Ordinis Sancti Francisci erectis, & erigendis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia à Clemente Papa IX. Prædecessore concessa prius. Extensio ad tertii Ordinis.

Aliàs fel. rec. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum, Discalceatorum, & Recollectorum, necnon Conventualium, & Capucinorum nuncupatorum, ac Monialium Ordinis Sancti Francisci, tam eatenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, die festo Sancti Petri de Alcantara, nempè die 19. mensis Octobris, à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi, annis singulis devotè visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & aliàs prout in ipsius Clementis Litteris desuper in simili forma Brevis die 2. Octobris 1669. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

§. 1. Nunc autem Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum, salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, necnon supplicationibus dilecti filii Antonii Cotoni Procuratoris Generalis Tertii Ordinis Sancti Francisci nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem à memorato Clemente Prædecessore concessam, ut præfertur, ad omnes, & singulas Ecclesias Tertii Ordinis hujusmodi, tàm hactenus erectas, quam in posterum erigendas, & ubicumque locorum existentes, itaut omnes & singuli utriusque sexus Christifideles, qui verè & similiter pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ex Ecclesiis hujusmodi eodem die festo à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, eandem plenariam indulgentiam, & remissionem consequantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 2. Volumus autem ut earumdem præsentium Literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extrà illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Octobris 1670. Pontificatus Nostri anno primo.

VII.

Indulgentia in Ecclesiis Clericorum Regularium Theatinorum in die festo Sancti Cajetani ejusdem Congregationis Fundatoris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam ergà eosdem Beatos cœli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1.

Sanctificatio B. Cajetani Clericorum Theatinorum Fundatoris.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe Nostra tunc existentium consilio Beatum Cajetanum Thienæum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum Fundatorem, auctoritate Nobis à Domino tradita Sanctum esse decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripserimus.

§. 2. Hinc est, quod Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, & de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Collegiorum, Domorum Regularium, & Monasteriorum tam Clericorum Regularium dictæ Congregationis, quam Monialium eorundem Clericorum Regularium curæ, & gubernio subjectarum hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, die 7. Augusti festo ejusdem Sancti Cajetani Thienæi, à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Junii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

VIII. Decretum de renunciatione, seu alternatione Abbatum Montis Oliveti qualis esse debeat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper emanarunt ad favorem Congregationis Monachorum Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti Litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam. Ex commissæ Nobis divinitùs dispensationis officio cupientes ut debitus virtuti honor in Congregatione Monachorum Montis Oliveti Ordinis Sancti Benedicti rependatur, ac ipsius Congregationis Monachos, ut in vinea Domini strenuè laborare studeant, aliquo honorificentiæ prœmio incitare, necnon dilectum filium Procuratorem Generalem d. Congregationis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac quarundam fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri in simili forma Brevis Litterarum die 26. Januarii 1627. expeditarum incipientium *Apostolatus Officium* &c. per quas Abbatum Titularium in præfata Congregatione creatio sub certis, modo, & forma tunc expressis prohibita fuit, tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes, supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis nomine Nobis, de consilio, & assensu dilecti filii nostri Cæsaris titul. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis Fachenetti nuncupati, dictæ Congregationis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Abbati Generali memoratæ Congregationis, una cum Definitorio ipsius Congregationis, duodecim Abbates Titulares, nempè duos pro qualibet Provincia ejusdem Congregat. qui tamen sint ætate quinquagenarii, & saltem 20. annorum spatio lecturam, aut verbi Dei prædicationem, vel Vicarii, aut Magistri Novitiorum, aut œconomica officia exercendo, Congregationi præfatæ laudabiliter inservierint; ita tamen, ut ejusmodi Abbates Titulares, nec gubernium Monasteriorum, nec votum, sive suffragium in Capitulis generalibus, nec ullam aliam prærogativam, vel exemptionem, quæ Monasteriis onerosa sit, prætendere valeant; sed in Ecclesia, saltem diebus festivis, Missæ Conventuali, & Vesperis, ac diebus singulis manè orationi mentali interesse teneantur, auctoritate Nostra Apostolica creandi, ac in defunctorum pro tempore locum alios ex eadem Provincia, usque ad complementum numeri duodenarii huhujusmodi, & non ultrà, subrogandi, plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

§. 1. Et quia nonnunquam accidit, ut aliquis Abbas regiminis dictæ Congregationis, vel proprii levamenti studio, vel alterius Monachi merito gratificandi ergò, regimen sive gubernium Monasterii sibi commissi alternis vicibus cum illo gerere sit contentus, auctoritate præfata harum serie permittimus memorato Abbati Generali, una cum Definitorio præfato, ejusmodi alternationes acceptare, & ad usum deducere, dummodò tamen Abbas ad id spontè consentiat, ac in Monacho concurrant qualitates ad Abbatiam juxtà præscriptum Constitutionum dictæ Congregationis necessariæ, & non aliter.

Permissio alterius socii Abbatis ad regimen.

§. 2. Porrò unus tantum eorum, nempè ille, qui Monasterium actu gubernabit, votum sive suffragium in Capitulo Generali Congregationis prædictæ habeat; Vacans autem à gubernio, in alterius gubernantis Monasterio degat, nec plus prætandere possit, quam Monachus Ordinarius, præter titulum Abbatis, & uno illorum defuncto, alter solus remaneat Abbas regiminis quandiù vixerit, vel donec renunciaverit.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4.

Derogatio statutorum in contrarium.

§. 4. Non obstantibus præfatis Urbani Prædecessoris Litteris, aliisque Constitutionibus; & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenùs opus sit, dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, àc Monasteriorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Februarii 1671. Pontificatus Nostri Anno primo.

§. 6. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Nobis subindè exponi fecit, dilecti pariter filii Superiores ejusdem Congregationis in Definitorio Capituli generalis ipsius Congregationis mense Aprili proximè præterito congregati, amplitudine gratiæ per præinsertas Litteras Nostras concessæ, in ea parte, quæ renunciationes, sive alternationes guberniorum concernit, maturè considerata, illam aliquibus conditionibus limitari, prospero, felicique præfatæ Congregationis regimini conducibile fore censuerint.

§. 7. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportuné providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio à censuris.

§. 8. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

§. 9. Quod illi Monachi, ad quorum favorem fient renunciationes, sive alternationes hujusmodi, quadraginta annis majores, nec Abbatum easdem alternationes facientium in primo, vel secundo gradu consanguinei esse; sed in Monasteriis, in quibus saltem viginti Monachi resideant, Officiales fuisse debeant; nec ejusmodi renunciationes, sive alternationes ab illis Abbatibus, qui sint actu Visitatores; neque in præjudicium Officialium actualium, aut eorum, qui fuerint Officiales Monasterii Montis Oliveti Majoris dictæ Congregationis, cæteris paribus fieri possint, auctoritate præfata tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 10. Decernentes pariter ipsas præsentes Litteras perpetua roboris firmitate subsistere, ac inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus quoad ea quæ præsentibus Litteris sunt, seu dici possent esse contraria præinsertis Nostris Litteris, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in eis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Cæterum volumus similiter, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Junii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

IX.

Indulgentia in Ecclesiis domorum, vel Collegiorum Societatis Jesu in die S. Francisci Borgiæ pro omnibus.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam ergà eosdem Beatos cœli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Sanctificatio S. Francisci Borgiæ.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe nostra tunc existentium consilio, Beatum Franciscum Borgiam dum vixit Præpositum Generalem Societatis Jesu, auctoritate Nobis à Domino tradita, Sanctum esse decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripserimus.

§. 2. Hinc est, quod Nos, ad augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris, pia charitate intenti, & de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Domorum, vel Collegiorum quorumcumque Societatis præfatæ hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, die 3. Octobris festo ejusdem Sancti Francisci Borgiæ, à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii memoratæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate consti-

tutæ

tutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Julii 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

X. Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum, pro electione Præfectarum, & Priorissarum Monialium per Provinciam Germano-Belgicam, & annexas.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Kellen Commissarius Generalis Provinciarum Germano-Belgicarum, & annexarum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis Vallisoleti novissimè celebrato, Definitorium Generale decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. Præcipit Definitorium Generale, quod juxtà Constitutiones generales, & praxim Religionis Ministri Provinciales Nationis Germano-Belgicæ dent liberam electionem Præfectarum, Priorissarum, vel quocumque nomine nuncupatarum in omnibus Monialium Monasteriis, idque singulis trienniis, quod decretum Constitutionibus fel. record. Leonis X. Sixti V. & Urbani VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, nec non Litteris recol. mem. Clementis Papæ IX. Prædecessoris pariter Nostri in simili forma Brevis die 20. Martii 1668. expeditis conforme est, eique insuper accessit decretum, seù mandatum Venerabilis fratris Nostri Francisci Episcopi Ostiensis S. R. E. Cardinalis Barbarini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, sub infrascripto tenore, videlicet:

§. 2. Attentis narratis prævia revocatione suppressoriæ alias à Nobis obtentæ, servari Constitutiones, & Statuta Ordinis, & Sacræ Congregationis Decreta, atque ad eorum præscriptum procedi ad electionem Abbatissæ, aliarumque Præfectarum etiam decernimus, & mandamus, in contrarium non obstantibus quibuscumque. In quorum &c. Datum Romæ in Palatio Cancellariæ Apostolicæ hac die 30. Aprilis 1671. F. Cardinalis Barberinus Protector, & infrà Joannes Baptista de Palagio Auditor.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut præinserta Decreta in tota Natione exactius serventur, & inviolabiliter ab omnibus observentur, & ne ullæ postmodum contentiones oriri possint, sed Decreta ipsa in omnibus Monialium tàm Clarissarum, Urbanistarum, & Colletanarum, quam quovis alio nomine nuncupatarum Monasteriis Nationis præfatæ exactissimè ad usum deducantur, prædictus Ludovicus Commissarius Generalis eadem Decreta Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, ac Ministris Provincialibus, & cunctis Monialibus præfatis, ut in omnibus dictæ Nationis Conventibus, seù Monasteriis Decretis hujusmodi se conforment, illaque executioni mandent sub pœnis arbitrio nostro, seù Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ infligendis præcipi, utque illi soli, & non alii electionibus intersint, qui de more, ac juxtà usum, & praxim Nationis præfatæ interesse consueverunt, ne ullæ insolitæ postmodum novitates cum notabili turbatione regiminis introduci, aut attentari possint, mandari, perpetuumque quibuscumque contradicentibus silentium imponi summoperè desiderent.

§. 4. Nos ipsum Ludovicum Commissarium Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui dilectum filium Commissarium Curiæ Ordinis præfati audiverunt consilio, attentis narratis, enarrata Decreta Francisci Episcopi Cardinalis, & Protectoris ac Definitorii Generalis præfatorum, ut supra petitur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Confirmatio decretorum a Sanctitate Sua.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus Nationis, ac Provinciarum, & Monasteriorum, seu Conventuum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 7. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Novembris 1671. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Extensio Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Fratrum, ac Monialibus Excalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ad omnes ejusdem Ordinis Calceatorum, ubique etiam in futurum existentes in die festo S. Petri de Nolasco. XI.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias Nos omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus

& con-

Indulgentia in Ecclesiis Exalceatorum.

& confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Exalceatorum, ac Monialium Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum tam eatenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem Ordinis Fundatoris à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi annis singulis devotè visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

§. 1. Et alias prout in Nostris desuper in simili forma Brevis die 28. Augusti 1670. expeditis Litteris, quas perpetuis futuris temporibus valere volumus, & quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habemus, uberius continetur.

Extensio ad Ecclesias Calceatorum ejusdem Ord.

§. 2. Nunc autem supplicationibus Dilecti Filii Matthiæ de Cardona Vicarii, & Procuratoris Generalis totius Ordinis prædicti nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, concessionem plenariæ Indulgentiæ, & peccatorum remissionis visitantibus Ecclesias supradictas à Nobis factam, ut præfertur ad omnes, & singulas Ecclesias Fratrum Calceatorum Ordinis prædicti tàm hactenùs erectas, quam imposterum quandocumque erigendas, & ubicumque locorum existentes, itaut omnes, & singuli utriusque sexus Christifideles verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, qui aliquam ex his Ecclesiis die festo ejusdem S. Petri Nolaschi, à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis pariter visitaverint, & ibidem, sicut præmittitur, oraverint, eandem plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus, Præsentibus itidem perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Decembr. 1671. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XII.

Indultum Indulgentiæ Pauli Quinti concessæ Confraternitati Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ut possit extendi ad animas Purgatorii per modum suffragii.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, alias fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor Noster Confraternitati Sanctissimi Scapularis nuncupatæ sub Invocatione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, ejusque Confratribus, & Consororibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam, seù Cappellam, vel Oratorium in qua, seù quo Confraternitas hujusmodi canonicè instituta fuisset; in festo principali Commemorationis ejusdem B. Mariæ Virginis die decima sexta mensis Julii, aut, juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediatè sequenti celebrari solito, devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent plenariam ac eisdem Confratribus, & consororibus etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Processioni, in una Dominica cujuslibet mensis per dictam Confraternitatem, de licentia Ordinariorum locorum, fieri solitæ devotè interfuissent, & ut suprà oravissent, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, necnon alias pœnitentiarum relaxationes eisdem Confratribus, & Consororibus certa pietatis, & charitatis opera peragentibus, misericorditer in Domino perpetuò concesserit, prout in Litteris Apostolicis dicti Pauli Prædecessoris desuper expeditis pleniùs dicitur contineri.

§. 1. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque Dilecti Filii Matthæi Orlandi Ordinis ejusdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Prioris Generalis Nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes per dictum Paulum Prædecessorem dictæ Confraternitati, ejusque Confratribus, & Consororibus, ut præfertur, concessas animabus Christifidelium, quæ Deo charitate conjunctæ de hac luce migraverint, per modum suffragii, servata in reliquis ejusdem Pauli Prædecessoris Litterarum desuper emanatarum forma & dispositione, applicari posse, auctoritate Apostolica, tenore præsentium misericorditer in Domino, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Concessio pro animabus Purgatorii.

§. 2. Volumus autem quod præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Januarii 1672. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XIII.

De Erectione, & Custodia manuscriptorum Archivii Datariæ in Ædibus ejusdem erigen.

CLEMENS PAPA X.

Motu proprio &c. Admonet Nos cura Pastoralis officii Nobis meritis licet imparibus Divina dispositione commissi, ut ad ea libenter intendamus per quæ Datariæ nostræ Apostolicæ à qua gratiæ nostræ moderantur administratio per illius Ministros, & Officiales facilius exerceatur, & ad id tum illius consuetudinis, & styli tum etiam de præterito sequutorum notitia, & documenta necessaria habeantur, eaque habita sub bona, & fideli custodia perpetuò præserventur, & ut id facilius subsequi possit quandoque nova loca, & administrationes quæ pro notitiarum, & documentorum hujusmodi conservatione opportuna esse cognoscimus erigamus, & instituamus, & alias desuper disponamus prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1 Cum itaque sicut accepimus plura manuscripta

Manuscripta

& documenta Datariæ penes multos.

nuscripta notitiæ, & documenta dictam administrationem concernentia, & alia hujus Sanctæ Sedis interesse respicientia, ac Datariis, seù Prodatariis pro tempore Prædecessorum nostrorum ab iisdem Prædecessoribus commissa laboribus & studio tum eorumdem Datariorum, seù Prodatariorum prædictorum, tum & aliorum pro tempore Ministrorum, seù Officialium ejusdem Datariæ, & forsan aliorum virorum sedulorum, & peritorum coacervata, & conscripta penes diversas particulares personas reperiantur illaque in eadem Dataria desiderentur, ex quo Datariis, seu Prodatariis pro tempore, ejusque Substitutis, seù Ministris continui labores pro notitiarum, & documentorum hujusmodi exemplaribus, & cognitionibus retroactorum exquirendis resultare dignoscuntur, ac etiam sicut accepimus Dilecti Filii Nostri Petrus tituli S. Marci Octobonus, qui fel. rec. Clementis Papæ Noni Prædecessoris Nostri Prodatarii munere functus fuit, & Jacobus tituli S. Pancratii Franzonus nuncupati Presbyteri S. R. E. Cardinales nonnulla manuscripta, & documenta hujusmodi eorum, & cujuslibet ipsorum studio, & laboribus perquisita, & per eos conservata eidem Datariæ nostræ Apostolicæ ex eorum laudabili liberalitate donare, & tradere libenti animo intendant.

§. 2. Nos quibus inter alias præcipué cordi est, ut Romanæ Curiæ Officiorum, & Tribunalium præsertim verò Datariæ nostræ prædictæ administratio facilitate, & tranquillitate, ac sedulitate semper, & perpetuo peragatur, & ut necessaria adhibeantur media ad illam consequendam in præmissis opportunè quantum in Nobis est consulere volentes.

Motus proprius Erectionis Archivii in Ædibus Eminentiss. Datarii.

§. 3. Motu proprio non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine unum Archivium Secretum Datariæ nostræ Apostolicæ nuncupandum; in ejusdem Datariæ ædibus, sub protectione, & suprema superintendentia Dilecti Filii Nostri Gasparis tituli S. Pudentianæ ejusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Carpineo nuncupati Nostri in Urbe, ejusque districtu Vicarii in spiritualibus Generalis, & de præsenti Prodatarii Nostri, & Successorum suorum pro tempore existentium Datariorum, seù Prodatariorum, ac cura, & administratione Dilecti Filii Sanctis de Pilastris Litterarum Apostolicarum per viam de Curia Abbreviatoris, ac Subdatarii, & successorum suorum pro tempore existentium Subdatariorum, ad quod, tàm prædicta si illa consequi contingat, quam quæcumque alia similia manuscripta, & documenta, seù notitiæ, aliaque, quæ idem Gaspar Cardinalis Prodatarius, & ejus successores prædicti pro servitio ejusdem Datariæ, & illorum conservatione transferri expediens putaverint transferri, & conservari, nec inde absque ejusdem Gasparis Card. & illius successorum prædictorum licentia in scriptis desuper obtinenda aliquo modo extrahi debeant auctorirate Apost. tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

§. 4. Statuentes, & mandantes, quod statim atque Petrus, & Jacobus Cardinales prædicti manuscripta, & documenta hujusmodi, ut præfertur donaverint, illorum inventarium modo, & forma ab eodem Gaspare Cardinale præscribendis confici, & in eventum in quem ab aliis similium manuscriptorum, & documentorum donationes, aut alias quoquo modo transportationes fiant etiam, ut præfertur donanda. & transportanda hujusmodi pro tempore in eodem Inventario pariter describi, & notari, quodque ejusdem Archivii duæ similes claves, una videlicet penes eumdem Gasparem Cardinalem, & Successores suos, altera verò penes dictum Sanctem, & pro tempore existentes Subdatarios pro commodiori, & faciliori in dictum Archivium cujuslibet illorum aditu, & ingressu tantummodò, & privativè quoad alios remanere debeant, & insuper casu quo licentia prædicta manuscripta, seù documenta hujusmodi extrahendi, ut præfertur concedatur à tergo ejusdem licentiæ manuscriptorum, seù documentorum hujusmodi extrahendorum propria manu illa recipientis receptionis confessio adnotari, & ulterius nota receptionis hujusmodi per pro tempore existentem in libro ad id desuper conficiendo, & destinando, ac in eodem Archivio asservando ad hoc, ut extractorum hujusmodi memoria quandocunque extet, & illa recipientes ad illorum reportationem compelli possint adnotari, & describi debeant.

Descriptio inventarii.

Licentia extrahendi manuscripta.

Augendi Inventarium.

§. 5. Et insuper, tam d. Gaspari Cardinali Prodatario, quam ejus successoribus prædictis quælibet, manuscripta documenta, & notitias, tam in Dataria, quam ubilibet existentia etiam ab aliis Officiis, & præsertim illo de Missis nuncupato ad idem Archivium pro eorum arbitrio transferendi, & illa in eodem Inventario augendi, & notandi plenam, & liberam, ac omnimodam facultatem, & auctoritatem Motu simili tribuimus, & impartimur.

§. 6. Et præterea quantum ex alto conceditur ejusdem Archivii conservationi, & manutenrioni consulere volentes Motu pari ne de cætero quisquam quavis auctoritate fungens absque dicta licentia, & supradicta forma non servata, ac alias, quam ut præfertur manuscripta, & documenta, ac notitias hujusmodi eorumque quinterna, libros, folia etiam impressa d. Archivio asservanda, & ad illud spectantia, & pertinentia extrahere, seù ut extrahantur permittere aut consentire sub quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio audeat, seù præsumat, sub excommunicationis, & etiam ab eodem Datario, seù Prodatario pro tempore illius arbitrio infligendis pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis eadem auctoritate Motu etiam pari perpetuo interdicimus, & prohibemus.

Pœna in contravenientes.

§. 7. Nihilominus cum rationi consonum, & æquum sit, quod manuscriptorum, & documentorum hujusmodi, tàm prædicti, quàm pro tempore donatores aliquo speciali privilegio gaudeant tàm Petro, & Jacobo Cardinalibus prædictis postquam donatio, ut præfertur per eos facienda secuta fuerit, quam aliis, qui eidem Archivio similia manuscripta, seu documenta, aut notitias, seù libros dono dederint, & documentorum hujusmodi, aliorumque per eos, ut præfertur donatorum usu relicta tamen schedula dictorum documentorum, seu, librorum receptionem continente (facta tamen per dictum Subdatarium in libro prædicto extractorum adnotatione) eorum manu subscripta, & in eodem Archivio asservanda quandocumque ad tempus gaudere, & frui possint, & valeant Motu similiter pari perpetuò concedimus, & indulgemus.

§. 8. Decernentes propterea præsentes, & desuper conficiendas Litteras etiam ex eo, quod quicunque forsan interesse habentes aut habere prætendentes adhoc vocati, & auditi non fuerint, vel ex eo, quod illæ nulla subsistente causa, vel etiam de facto processisse dici possent, sive etiam processerint, aut ex alia quavis juridica & legitima etiam necessario exprimenda causa,

vel quocumque prætextu de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos juris reduci, aut in jus, vel controverſiam revocari, ſeu adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam Motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus concedi, vel ſub quibuſcumque Conſtitutionibus, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis, & edendis, ac Litteris Apoſtolicis in contrarium etiam pari motu, & conſiſtorialiter emanatis, aut quibuſvis aliis ſimilium, vsl diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, & limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi nullo unquam tempore poſſe, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa erant validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacunque poſteriori data per modernos, & pro tempore exiſtentes Datarium, ſeu Prodatarium, ac Subdatarium prædictos quandocumque eligenda, conceſſas, validas, & efficaces, etiam ex eo quod in Camera Noſtra Apoſtolica nullo unquam tempore regiſtrarentur, aut præſentarentur fore, & eſſe, ſicque, & non alias per quoſcumque Judices etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Cameræ prædictæ Præſidentes, & Clericos, nec non ejuſdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales ſublata &c. judicari, & definiri debere, irritumque &c. attentari.

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit Noſtra de non tollendo Jure quæſito, aliiſque Cancellariæ prædictæ regulis, nec non etiam quatenus opus ſit, piæ mem. Pii Papæ IV. etiam Prædeceſſoris Noſtri ſub dat. videlicet octavo Idus Auguſti Pontificatus ſui anno ſexto edita, inter alia diſponente, quod omnes gratiæ qualecumquæ Cameræ prædictæ intereſſe concernentes infrà certum inibi expreſſum tempus in eadem Camera præſentari, & regiſtrari debeant, & quatenus in aliquo obſtet ſimilis mem. Sixti Papæ V. ſimiliter Prædeceſſoris Noſtri ſuper inſtitutione quindecim, aut aliarum Congregationum edita, aliiſque Apoſtolicis, & etiam quatenus opus ſit ejuſdem Datariæ, & aliorum ejus officiorum erectionibus, & inſtitutionibus, ac eorumdem officiorum Collegiis Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis &c. privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam Motu hujuſmodi, ac etiam conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, ac in futurum concedendis, approbandis, & innovandis.

§. 10. Quibus omnibus etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda aut aliqua alia exquiſita forma, ad id ſervanda foret tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat Motu itidem pari ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis.

Fiat Motu proprio E.

Subſcriptio Papæ.

ET cum abſolutione à cenſuris ad effectum &c. & de erectione, inſtitutione, ſtatuto, mandato, interdicto, prohibitione, conceſſione, indulto, decreto, derogatione, aliſque præmiſſis, ut ſupra latiſſimè extendendis.

§. 11. Et quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque neceſſariorum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in Litteris.

§. 12. Et cum decreto quod ſola præſentis Noſtri Motus proprii Signatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà illud, regula quacumque contraria non obſtante, ſeu ſi magis videbitur Litteræ deſuper in forma Brevis, ſeu etiam per viam de Curia in forma gratioſa, & cum clauſula *perpetuò*, & *ad perpetuam rei memoriam* expediri poſſint.

§. 13. Quodque ejuſdem præſentis Motus S. proprii, ſeu earumdem Litterarum tranſſumptus eadem prorſus fides adhibeatur, tam in judicio, quam extrà illud, quæ eidem præſenti Motui proprio, & ſeu Litteris ſuper illo conficiendis adhiberetur ſi foret exhibitus, vel oſtenſus, aut exhibitæ, vel oſtenſæ forent.

Fiat E.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem tertio Idus Januarii anno Secundo.

XIV.

Indulgentia pro Eccleſiis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in die feſto ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Andreæ Corſini, Angeli Martyris, & Alberti Confeſſoris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes Litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CŒleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem humilitati Noſtræ credidit divina dignatio, libenter erogamus, ſicut ad fovendam, incitandamque fidelium ergà Sanctos in cœlis cum Chriſto regnantes devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti Filii Matthæi Orlandi Prioris Generalis Ordinis Fratrum S. Mariæ Virginis de Monte Carmelo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi.

§. 2. Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tàm Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis hactenus erectis, & in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum exiſtentibus die 16. Julii, aut Dominica immediate ſequenti, qua feſtum Commemorationis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo celebratur, ac in S. Andreæ Corſini Epiſcopi, & S. Angeli Martyris, ac Sancti Alberti Confeſſoris, qui religioſam vitam in Ordine præfato profeſſi fuerunt, feſtis diebus à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex præfatis id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino con-

Pro Eccleſiis totius Ord.

cedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 3. Volumus autem ut præsentium literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Maij 1672. Pontificatus Nostir anno tertio.

XV.

Constitutio suppressionis controversiarum Fratrum Discalceatorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in Provincia S. Antonii Brasiliæ cum deputatione suorum Officialium.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatus officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque clementiæ altitudo humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, committere dignata est salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, exorta inter Religiosos viros animorum dissidia, ne fraternæ charitatis, religiosæque tranquillitatis serenitatem diutius conturbent, opportunis rationibus recidere, ac ipsorum religiosorum starvi, & quieti quantum Nobis ex alto conceditur providere studemus, sicut personarum, locorum, & temporum qualitatibus, maturè perpensis in Domino expedire arbitramur.

Origo controversiarum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Maria Rhini à Politio Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum in Provincia S. Antonii Brasiliæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis à pluribus retrò annis viguerint controversiæ non minus paci, ac charitati Religiosæ, quam regulari observantiæ, ac strictiori Instituto ejusdem Provinciæ plurimum adversæ ac præjudiciales; præcipuè quidem propter Capitulum quoddam ibidem anno 1668. celebratum, quod à tunc existente ejusdem Ordinis Ministro Generali dicti Francisci Mariæ Prædecessore annullatum fuit cum institutione alterius Ministri Provincialis, & Definitorii dictæ Provinciæ, ac propter delegationem cujusdam Commissarii Nationalis, qui adhuc in eadem Provincia manet cum obedientia majoris numeri Conventuum: Exadversò verò remanserint ex alia parte præfatum Commissarium recusantes Ministri, & Definitores annullati, qui non obstantibus censuris ab eodem Commissario fulminatis, novum Capitulum celebrarunt anno 1670. cum retentione paucorum Conventuum in districtu de Pernabuco, atque ità utraque pars in divisione perseveret.

§. 2. Idem Franciscus Maria Minister Generalis pro muneris sui obligatione subditorum sibi commissorum saluti, & quieti Religiosæ prospectum esse exoptans, opportunè in præmissis à Nobis provideri, & ut infrà indulgeri plurimum desiderat.

§. 3. Nos igitur ipsius Francisci Mariæ Ministri Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac ejus, & infra nominatorum Fratrum expresse professorum Ordinis præfati singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem Francisci Mariæ Ministri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulos qui pœnis, & censuris occasione prænarratarum controversiarum hinc inde latis, quovis modo innodati sunt, seù aliàs quomodolibet in præmissis, aut, rei, aut obnoxii existunt, à censuris, & pœnis hujusmodi, quas propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent auctoritate Apostolica tenore præsentium, in utroque foro absolvimus, & totaliter liberamus, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiosè remittimus, & condonamus.

Absolutio censuris incurrisse.

§. 4. Ac cum ipsis omnibus, & singulis super irregularitate si quam ex eo quod censuris hujusmodi, propter eadem præmissa innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebraverint, seù aliàs in suis ordinibus ministraverint, quovis modo contraxisse reperiantur, ad quemcumque effectum auctoritate, & tenore præfatis de specialis dono gratiæ dispensamus, eosque, & eorum quemlibet in pristinum, & eum in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus. Necnon super prænarratis controversiis perpetuum cunctis silentium imponimus.

§. 5. Præctereà utriusque partis præfatæ Ministris, & Definitoribus; qui de præsenti in memorata Provincia divisi gubernant, quos omnes, & singulos à gubernii munere respectivè absolvimus necnon illis, qui in præfato Capitulo anni 1667. ut præfertur annullato electi fuerunt, ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, gratiis, & indultis à Statutis dicti Ordinis, pro ipsorum instituto præscriptis, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia perindè, ac si legitimè electi munerum suorum tempus ab iisdem Statutis præfixum explevissent, dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus. Ac dilectum filium Antonium à Sanctam Clara Fratrem dicti Ordinis Commissarium nationalem in Provincia præfata delegatum à suo Commissariatus, hujusmodi Officio absolutum auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium declaramus, eique præcipimus ne amplius quidquam jurisdictionis in eadem Provincia exerceat, sed statim ad propria revertatur.

Annullatio Delegati.

§. 6. Porrò felici, prosperoque dictæ Provinciæ S. Antonii Brasiliæ regimini, & gubernio salubriter providere cupientes, ac de infrascriptorum Ordinis præfati professorum fide, prudentia, vigilantia, charitate, integritate & Religionis zelo, plurimum in Domino confisi dilectos filios Simonem à Plagis in Ministrum Provincialem, ac Dominicum à Sancto Antonio in Custodem, necnon Mattheum à præsentatione, Antonium ab Angelis, Bonaventuram à Rosario, & Dominicum à Martyribus Fratres expresse professos Ordinis hujusmodi in Definitores ejusdem Provinciæ S. Antonii Brasiliæ respectivè ad tempus, quo ejusmodi officia juxtà Regularia ejusdem Ordinis instituta per Sedem Apostolicam confirmata durare consueverunt, cum omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, præeminentiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, &

one-

oneribus solitis, & consuetis auctoritate, & tenore præfatis constituimus, & deputamus; Ac illis secundo loco in casu mortis dilectos pariter filios Bernardinum à Purificatione in Ministrum Provincialem, & Stephanum à Regibus in Custodem, ac Joannem à Luce, & Danielem à Sancto Francisco ejusdem Ordinis professores in Definitores Provinciæ hujusmodi respectivè substituimus, & subrogamus.

Deputatio novorum Officialium.

Substitutio aliorum in casu mortis.

§. 7. Volentes, ut Minister Provincialis, ac Custos, & Definitores sic à Nobis deputati, sive substituti respectivè una cum Commissario per memoratum Franciscum Mariam Ministrum Generalem ad Provinciam præfatam, pro illius reformatione destinando electioni faciendæ novorum Guardianorum, juxta Statuta Ordinis, & exigentiam Provinciæ hujusmodi adsistant.

§. 8. Demum eidem Commissario sic destinando præsentes litteras executioni mandandi, ac demandari faciendi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, per Sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendi, auxiliumque brachii secularis ad hoc, si opus fuerit invocandi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eadem auctoritate harum serie tribuimus, & impartimur.

§. 9. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrii Nostri pœnis omnibus, & singulis, Provinciæ præfatæ Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut supra nominatos Fratres ad officia eis respectivè per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium, juxta earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant, eosque recognoscant, & illis in omnibus officia hujusmodi concernentibus pareant, & obediant, faveantque & assistant respectivè.

§. 10. Ac decernentes ipsas præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari

§. 11. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non præfatorum Ordinis, & Provinciæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis, quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis.

Derogatio contrariorum

§. 12. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 13. Volumus autem, ut illi quos à censuris, propter præmissa incursis, ut præfertur absolvimus, pœnitentiam, quam eis Sacerdos idoneus, propter eadem præmissa injunxerit, omninò adimpleant, alioquin præsentes litteræ quoad absolutionem hujusmodi eis in foro conscientiæ, minimè suffragentur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Maji Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XVI.

Indulgentia pro Ecclesiis Sancti Philippi Benitii Ordinis Servorum, tàm Fratrum, quàm Monialium in die festo ejusdem Sancti Philippi.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum Sectatores altis decoravit honoribus, & cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis tradita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos cœli incolas Fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Exordium.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe Nostra tunc existentium consilio, Beatum Philippum dum vixit, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis Professorem, & Propagatorem, auctoritate Nobis à Domino tradita, Sanctum esse decreverimus & definiverimus.

Indulgentia pro Ecclesii ejusdem Ord.

§. 2. Hinc est, quod Nos, ad augendam Fidelium religionem, & animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris, pia charitate intenti, & de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, die 23. Augusti festum ejusdem Sancti Philippi Benitii, à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, manu Notarii publici, subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, vel extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1672. Pontificatus Nostri anno Tertio.

XVII.

Breve exemptionis nonnullorum Familiarium suorum à gabellis, & aliis impositionibus, & facultatis testandi pro iisdem.

CLEMENS PAPA X.

Venerabili fratri Alexandro Crescentino Patriarchæ Alexandrinensi, Cubiculi Nostri Præfecto, ac dilectis Filiis Magistris Joanni Gualterio Slusio Leodiensi, Secretario Brevium Nostrorum Secretorum, & Prospero Bottinio Lucanensi, in utraque Signatura Nostra Referendariis, Au-

Nomina familiarium.

ditori, Prælatis Domesticis nostris, ac Josepho Vallemanio Pincernæ, Francisco Polino, Nicolao Gentili Camerinen. Architriclino, Carolo Balduccio Tusculan. Vestiario, Ascanio Paganallo, Venantio Benignio, Octaviano Cambio Camerinensi, Dominico Panti Pisaurensi, Pomponio Cavallio Ravennatensi, Cubiculariis secretis Nostris, & Josepho Barbio Camerinensi Cappellano secreto nostro, ac Brunoni Bellozzio Asculan. respectivè Civitatum, vel Diœcesum Clericis, seù Presbyteris, Cubiculi Nostri Auditori, familiaribus continuis Commensalibus Nostris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prœmium.

§.1. Ad Romani Pontificis, quem supremum in terris gratiarum Dispensatorem constituit Deus, circumspectam noscitur providentiam pertinere, ut sibi, & Apostolicæ Sedi devotos, eos præcipuè, quorum fidem, integritatem, prudentiam, & industriam in obeundis gravibus dictæ Sedis ministeriis, & muneribus nec non accuratam sollicitudinem, assiduitatem, dexteritatem, & vigilantiam in impendendis sibi gratis familiaritatis obsequiis, multis rerum experimentis spectatas habet, peculiarium gratiarum favoribus condecoret, eorumque indemnitati, ac hæredum, & successorum cujuslibet eorum securitati consulere satagat, sicut personarum meritis convenire arbitratur.

§.2. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ Nobis hactenus impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non ad vitæ, & morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita singulari ergà Nos, & Sedem prædictam fidei, & devotioni conjuncta, quibus vos omnes, & singulos etiam familiari experientia juvari novimus, condignam rationem habentes, vosque propterea specialis favore gratiæ prosequi volentes, & vestrum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Absolutio à censuris.

§.3. Motu proprio, non ad vestram, aut cujuslibet vestrum Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, meraque liberalitate Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam præter, & ultrà quascumque alias similes, vel dissimiles generales vel speciales gratias, facultates, exemptiones, indulta, & privilegia vobis, & vestrum cuilibet à Nobis, vel Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessas, & concessa, & in posterum etiam à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris concedendas, & concedenda, quas omnes, & singulas, quæque omnia, & singula, perinde ac si illarum, & illorum tenores præsentibus expressi, ac de verbo ad verbum inserti forent, in suo robore, & firmitate remanere, & esse, nec per illas, & illa eisdem præsentibus, vel per præsentes illis in aliquo præjudicari, vel eas, seu ea invicem confundi, seu impediri, sed etiam cumulativè procedendo unam, seu unum per aliam, seu aliud coadjuvari, & suppleri posse, vobisque omnibus, & singulis tam conjunctim, quam divisim plenissimè suffragari debere volumus, decernimus, & declaramus.

Motus proprius.

§.4. Vos omnes, & singulos, vestraque, & cujuslibet vestrum beneficia, & officia quæcumque quotcumque, & qualiacumque, ac cujuscumque qualitatis, etiam speciali expressione dignæ, existentia, tam hactenus in titulum, commendam, vel administrationem, seu alias quomodolibet obtenta, quam in futurum quovis modo, & quandocumque obtinenda, illorumque omnium, & singulorum fructus, reditus, proventus, obventiones, bona, res, emolumenta, & jura quæcumque, ac vestra, & cujuslibet vestrum prædia, possessiones, agros, terras, animalia, domos, molendina, & alia bona patrimonialia, & temporalia, mobilia, & immobilia, ac se moventia, nec non actiones, & juraquælibet præsentia, & futura, ac tam à vobis, & quolibet vestrum de præsenti possessa, & hactenus acquisita, quam in posterum quandocumque & quomodocumque acquirenda, & possidenda, urbana, & rustica, tam in Alma Urbe, ejusque districtu, quam in aliis quibuscumque Civitatibus, etiam Ferrariensi, Bononiensi, Beneventana, Anconitana, & Avenionensi, & aliis etiam specificam, & individuam mentionem requirentibus, earumque territoriis, & districtibus, ac quibuscumque Oppidis, Terris, & locis Status Nostri Ecclesiastici mediatè, vel immediatè subjecti, & alias ubicumque locorum, Provinciarum, & Regnorum respectivè consistentia, dictorumque bonorum fructus, proventus, pensiones, affictus, & emolumenta quæcumque, ac etiam respectu eorumdem bonorum tantum, vestros, & cujuslibet vestrum colonos, laboratores, affictuarios, & conductores quoscumque, cujusvis qualitatis, quantitatis, & naturæ bona hujusmodi, ac cujuscumque annui valoris illorum fructus, reditus, & proventus sint vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis, & singulis vestrum vendenda, & pro vestris, familiarumque vestrarum usibus emenda ab omnibus & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis, aliisque partibus, seu portionibus, subsidiis, etiam charitativis, nec non vectigalibus, gabellis, portoriis, datiis, pedagiis, taxis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tam urbanis, quam rusticis ordinariis, & extraordinariis, etiam subsidii triennalis, & quatreni carnis, aliisque impositionibus, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, ac mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, & vecturæ, etiam in aliud Territorium, seu Provinciam terra, mari, & flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum, & hospitationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, & manutentionis Classis, & triremium Pontificiarum, ac etiam ob bellum contra Infideles, vel in subventionem Sedis, & Cameræ prædictarum, aut Christianæ Reipub. seu Status Ecclesiast. prædicti tuitionem, & defensionem, ac aliàs ex quacumque licet gravissima, urgentissima, necessaria, insolita, incogitata, & inexcogitabili causa impositis, ac quandocumque, & qualitercumque imponendis, etiam ratione venditionis & emptionis equorum, aliorumque animalium solvi solitis, ita ut vos, & quilibet vestrum nihil omninò horum, vel similium subire, vel solvere teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, & Ministros, seu vectigalium, gabellarum, decimarum, subsidiorum, impositionum, tributorum, & aliorum prædictorum Redemptores, conductores, collectores, Subcollectores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos ad id valeatis coarctari, quamdiu vixeritis, & quilibet vestrum vixerit respectivè tenore præsentium eximimus, & plenariè liberamus, ac liberos, immunes francos, exemptos, liberaque immunia, fran-

Enumeratio bonorum, & fructuum, & beneficiorum quorumcumque.

Exemptio à gabellis pro omnibus.

Quoad vixerint.

ca,

ca, & exempta esse, & fore decernimus pariter, & declaramus. Præterea vobis, & cuilibet vestrum, ut de omnibus, & singulis jocalibus, gemmis, etiam pretiosis, & quolibet Principe, etiam maximo, & Præsule dignis, nec non de suppellectilibus, aliisque mobilibus, etiam in pecunia cujuscumque generis consistentibus, ac se moventibus, & immobilibus quomodolibet nuncupatis bonis, ac Castris, & Terris quacumque dignitate suffultis, villis, domibus, palatiis, vineis, casalibus, possessionibus, censibus, locis, & portionibus Montium quorumlibet, aliisque dominiis temporalibus, feudalibus, & jurisdictionalibus, meroque, & mixto imperio (sine præjudicio tamen jurium Cameræ Apostolicæ prædictæ quoad jurisdictionalia hujusmodi) tàm in Urbe, quam extrà eam ubivis, etiam penes beneficia Ecclesiastica quæcumque cum cura, & sine cura secularia, & cujusvis Ordinis regularia per vos, & vestrum quemlibet in titulum, commendam, vel administrationem, seù aliàs ex quibusvis dispensationibus, & concessionibus, etiam Apostolicis, obtenta, & in posterum obtinenda existentibus, ac juribus, actionibus, & nominibus debitorum quocumque modo, jure, via, forma, & occasione ad vos, & vestrum quemlibet respectivè nunc, & pro tempore spectantibus, & in quibuscumque rebus consistentibus, etiamsi illa omnia, vel eorum major, aut aliqua pars ex fructibus, & emolumentis quorumcumque Monasteriorum, etiam Consistorialium, Præpositurarum, Prioratuum, Præceptoriarum, dignitatum, etiam Conventualium, majorum, & principalium, personatuum, administrationum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum, Militiarum, & Hospitalium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, regularium quocumque nomine nuncupatorum, & quomodolibet qualificatorum, etiam personalem residentiam requirentium, quæ auctoritate ordinaria, vel ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus, seu indultis Apostolicis, Regumque, & aliorum Principum nominationibus, seù præsentationibus, aut aliàs quomodolibet in titulum, commendam, vel administrationem, & alio quocumque modo obtinuistis, & de præsenti obtinetis, & in posterum simul, vel successivè, aut pluries, & iteratis vicibus, & aliàs quomodolibet obtinebitis, ac vestrum quilibet obtinuit, obtinet, & obtinebit respectivè, necnon ex quibuscumque aliis fructibus, redditibus, & proventibus etiam Ecclesiasticis loco pensionum annuarum, ac pensionibus annuis super similibus, vel dissimilibus, etiam Mensarum Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, ac Monasteriorum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventibus, & emolumentis, atque etiam distributionibus quotidianis, & emolumentis, etiam manualibus, ac solis præsentibus, & divinis officiis, horisque diurnis, & nocturnis interessentibus dari, & per eos lucrifieri solitis vobis, & vestrum cuilibet respectivè reservatis, & assignatis, ac reservandis, & assignandis, necnon emolumentis quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, ac tam ex paterna, quam ex aliis hæreditatibus, seù aliàs quavis occasione, vel contemplatione provenerint, seù in posterum provenient, ac qualitercumque, quomodocumque, & undecumque, etiam in functionibus quorumcumque munerum, & legationum, ac aliàs quomodolibet per vos, & vestrum quemlibet acquisita sint, & in posterum acquiri contigerit, cujuscumque quantitatis prædicta omnia, ac cujuscumque valoris etiam annui, & inexcogitati, & qualitatis, seù conditionis bona, & alia supradicta fuerint (illa omnia, eorumque veros, etiam annuos valores, & denominationes, etiamsi omnia prædicta, seu eorum aliqua talia fuerint, quæ sub generali appellatione bonorum, & supellectilium non venirent, sed specialibus indigeant vocabulis, specialemque notam requirant, præsentibus ac si specificè, & sigillatim exprimerentur pro sufficienter expressis, & specificatis habentes) usque ad quancumque summam, quantumvis notabilem, notabilissimam, & inexcogitatam per viam testamenti nuncupativi, seù in scriptis, aut epistolarum, seù codicillorum, aut aliàs solo verbo, vel alio quovis modo, etiam minus solemni, & sine aliqua insinuatione testandi, seù donatione; tàm inter vivos, quàm causa mortis, etiam per viam simplicis distributionis, seù contractus, etiam omissis quibusvis solemnitatibus, etiam substantialibus, & formis aliàs requisitis, tam de jure quàm per Constitutiones, statuta, & consuetudines Urbis, Civitatum, vel locorum, ubi vos, seù vestrum quemlibet respectivè ità disponere, aut mori contigerit in eadem voluntate permanendo, etiam coram Notario publico, vel duobus testibus, aut per cujuslibet vestrum cedulam privatam, seù quacumque ultima voluntate, & aliàs prout, & quemadmodum vobis, & vestrum cuilibet respectivè videbitur, tàm in dicta Curia, quàm extra eam, etiam in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliarum vobis, seù vestrum cuilibet respectivè pro tempore concessarum, & in posterum concedendarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seù disponere intendatis, aut velitis, seù quilibet vestrum intendat, aut velit, in quosvis pios, & non pios usus, & in quascumque personas utriusque sexus, sivè consanguinei, affines, seù nepotes, aut etiam alii quovis modo vobis respectivè conjuncti, vel servitores, aut familiares vestri aut etiam extranei, etiamsi illegitimi ex quovis illicito, & damnato coitu, alias quàm ex proprio corpore cujuslibet vestrum respectivè procreati, ac etiam ipsorum illegitimorum parentes, conjuges, filii, descendentes, ascendentes, vel cognati, seù attinentes, fuerint, necnon Collegia, Universitates, & loca tàm pia, quàm non pia, & aliàs quomodocumque & qualitercumque pro libito, & voluntate cujuslibet vestrum absolutis, semel vel pluries in toto, vel in parte, etiam successivè, ac toties quoties cuilibet vestrum respectivè videbitur, & placuerit disponere, eaque legare, relinquere, & erogare, seù dispositiones, testamenta, legata, relicta in vim præsentium seù aliàs quomodolibet facta similiter quandocumque vobis respectivè videbitur in totum, vel in partem, etiam sæpè, & sæpiùs moderari, limitare, commutare, ac in totum, vel pro parte revocare, & in alias personas distribuere, ac aliàs de illis pariter prout vestrum cuilibet respectivè videbitur, & placuerit, ac duxeritis faciendum, tàm in curia prædicta, quàm extra eam etiam extra loca debitæ vestræ, & cujuslibet vestrum residentiæ respectivè, ac ubicumque, & quandocumque etiam in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore, seù cuilibet vestrum respectivè concessarum facultatum, vel quod in vim illarum testari, vel disponere velitis, & intendatis, ac etiam præsentibus Literis in actu condendi per quemlibet vestrum respectivè testamenti, seù cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, & dispositionis, si cui-

Etiam pro acquirendis.

Facultas testandi.

libet vestrum respectivè videbitur, non exhibitis, disponere liberè, & licitè possitis, & valeatis, ac vestrum quilibet possit, & valeat respectivè, liberam, plenam, & omnimodam licentiam, & facultatem perpetuò duraturam motu, scientia, deliberatione, liberalitate, & potestatis plenitudine paribus harum serie concedimus, & impartimur.

§. 5. Ac ex nunc testamenta, codicillos, donationes, dispositiones, legata, relicta, & erogata, ac ultimas voluntates vestras, contractus hujusmodi, & quidquid super his per quemlibet vestrum, etiam nulla, vel minùs sufficienti facultate suffultum, hactenus, vel in futurum in toto, vel in parte testatum, codicillatum, donatum, relictum, erogatum, & aliàs tam inter vivos, quam in ultima voluntate, seù aliàs quovis modo dispositum esse contigerit, omniaque & singula inde sequuta, & sequutura ex nunc prout ex tunc, & è contra approbamus, & confirmamus, ac valida, & efficacia esse, & fore, perpetuaque roboris firmitate subsistere volumus, omnesque & singulos juris, & facti ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Supplet omnes defectus.

§. 6. Et nihilominus statuimus, & ordinamús, vobisque omnibus, & singulis indulgemus, ut etiamsi contigerit vestrum quemlibet ab intestato, & sine ulla rerum, & bonorum suorum hujusmodi, vel cum invalida, & minus legitima dispositione in quacumque Mundi parte, etiam in d. Curia, vel extra loca debitæ à vobis respectivè residentiæ, etiam nulla subsistente causa decedere, omnia, & singula bona, res, & jura, actiones, fructus, pensiones, & alia quæcunque & qualiacunque supra expressa, non ad Sedem, & Cameram, vel Ecclesias, Monasteria, & beneficia prædicta, seù in eis successores, sed ad hæredes sanguinis cujuslibet vestrum respectivè, & quoscumque alios vestrum cuilibet ab intestato succedentes integrè devenire debeant.

§. 7. Decernentes omnia, & singula prædicta etiam ut præfertur qualificata, nec non spolia, & quæcumque alia per vos, & quemlibet vestrum respectivè pro tempore relicta, res, & bona, ac alia præmissa nullo unquam tempore tamquam spolia ad Nos, ac Sedem, & Cameram prædictas devolvi, seù spectare quomodolibet prætendi posse, ac hæredes donatarios, & alios, ad quorum favorem bona ipsa quovis modo relicta esse, seù ad quos illa ab intestato spectare contigerit, necnon executores, & alios quibus negotium executionis vestrarum voluntatum hujusmodi respectivè commiseritis, ad solven. tertiam, vel aliam partem bonorum eorumdem per quemlibet vestrum respectivè pro tempore relictorum, quæ forsan per Constitutiones Apostolicas, aut aliàs de jure, vel consuetudine post obitum cujuslibet vestrum ad dictam Cameram, aut ad Nos, & successores nostros Romanos Pontifices spectare, seù in pios, vel alios usus, & forsan contra Infideles, aut in Fabricam supradictæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, vel eorumdem Monasteriorum, aut Ecclesiarum, & beneficiorum prædictorum, seù Cruciatæ Sanctæ, vel alios usus converti deberet, seù dum vixeritis respectivè convertere debeatis, illudque nulla subsistente causa, sed pro cujuslibet vestrum respectivè libito voluntatis prætermiseritis, quam ex nunc vobis, & vestrum cuilibet, hæredibusque, donatariis, & aliis quocumque titulo, eitam ab intestato, successoribus vestris hujusmodi liberaliter, & titulo irrevocabilis donationis inter vivos gratiosè donamus, & elargimur, minimè teneri, nec super bonis per quemlibet vestrum, ut præfertur, seù aliàs pro tempore dispositis, seu etiam ab intestato relictis per Camerarium, seù Procamerarium nostrum pro tempore existentem, Thesaurarium generalem, Commissarium, Collectores, Subcollectores, aut alios quoscumque agentes pro dicta Camera quovis prætextu, auctoritate, potestate, occasione vel causa manus injici, minusque eis aliquam descriptionem, seù inventarium, vel depositum aut sequestrum, seù quid simile facere, attentare, seù prætendere licere, neque per eos, vel vestros, in Ecclesiis, Monasteriis, vel Beneficiis respective successores, aut dictæ Fabricæ Præpositos, vel alios quoscumque quovis modo directè, vel indirectè, etiam ex causa illicitæ negotiationis, vel quod fructus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum propter non residentiam, vel incompatibilitatem beneficiorum quorumcumque per vos, & vestrum quemlibet respectivè nunc, & pro tempore obtentorum, & in posterum obtinen. vel aliàs quacumque de causa vestros non feceritis, sed illos malè, atque indebitè perceperitis, & propterea ad illorum restitutionem Cameræ nostræ Apostolicæ, seù Monasteriis, & Beneficiis, vel Fabricæ prædictis, aut cuicunque alteri personæ, vel loco facien. teneamini, dummodò super his causa vobis viventibus respectivè non fuerit introducta, molestari, & inquietari posse, aut debere.

Non tenentur ad restitutionem fructuum.

§. 8. Necnon Camerarium, seù Procamerarium, Thesaurarium, Præsidentes Clericos, Agentes, Collectores, Subcollectores, Commissarios, Deputatos, aut alios prædictos quidquam à vobis, aut vestrum quolibet, seù vestris, & cujuslibet vestrum hæredibus prædictis, tàm ab intestato, quam ex testamento, legatariis, donatariis, aut aliis, in quorum favorem dispositum fuerit, aut qui ab intestato, ut præfertur, succedent, occasione præmissorum, seù sequestrationis, dissequestrationis, excamerationis, propinæ, seù trigesimæ, transactionis, vel cujuslibet alterius pactionis, aut aliorum quorumcumque jurium, vel regalium eis loco salarii, vel mercedis, aut pro labore, vel in recompensam quomodolibet debitum, seù etiam causa & titulo oneroso eis concessum, vel aliter competens, sive in parva, sive in magna quantitate petere, accipere, vel prætendere nullatenus unquam posse; sed præsentes litteras sufficere ad effectum tuendi dominium, & possessionem omnium, & singulorum prædictorum hæredibus, legatariis, & quibusvis aliis personis, in quarum favorem per vos, seù vestrum quemlibet respectivè dispositum fuerit, vel qui ab intestato succedent. Neque etiam ex eo, quod tàm condito testamento, vel aliàs inter vivos, seù in ultima voluntate, quam etiam nulla, vel minus valida, & legitima dispositione facta, aut etiam ab intestato quemlibet vestrum in prædicta Curia, aut quacumque Mundi parte extrà beneficia, etiam curam animarum habentia, & personalem residentiam requirentia secularia, & quorumvis Ordinum, ac Militiarum, etiam præfati Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani regularia, & alià qualitercumque qualificata per vos, seù vestrum quemlibet respectivè nunc, & pro tempore obtenta, & obtinenda, etiam pro cujuslibet vestrum sola voluntate, & nulla subsistente causa non residendi, vos, seù quemlibet vestrum decedere contigerit, Constitutionis fel. record. Pii Papæ IV. Prædecessoris Nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepi-

Abrogatio Constit. Pii IV. super residentia &c.

scopos

ſcopos, ſeu alios Prælatos, nec non Parochialium Eccleſiarum Rectores, alioſque perſonali reſidentiæ adſtrictos extrà illam quomodocumque decedentes 7. Kal. Decemb. Pontificatus ſui anno V. vel alio veriori tempore emanatæ, & aliarum quarumcumque Conſtitutionum, ac ſacrorum Canonum, & decretorum Conciliorum, etiam generalium, aut alio quocumque prætextu moleſtari, vel inquietari poſſe, aut debere, minuſque præſentes ſub prædicta Pii IV. Prædeceſſoris Noſtri ſuper reſidentia, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſacrorum Canonum, & Conciliorum Synodalium, vel Provincialium, ac etiam generalium decretis, nec etiam ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium exemptionum, & facultatum, aliarumque gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, declarationibus Apoſtolicis, ac dictæ Cameræ, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per modum legis, aut Conſtitutionis generalis, & ſtatuti perpetui ac Cancellariæ Apoſtolicæ Regulæ, etiam per Nos, & Sedem Apoſtolicam, ſeu Romanos Pontifices ſucceſſores Noſtros, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, etiam conſiſtorialiter, & ex quibuſvis cauſis, etiam inexcogitabilibus, ac in favorem Fidei, & Divini cultus augmentum, nec non pro dictarum Sedis, & Cameræ neceſſitatibus pro tempore factis, & in futurum faciendis comprehendi, ſed ab illis ſemper exceptas, & quoties comprehendi viderentur toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo ſub quavis poſteriori data per vos, ſeu veſtrum quemlibet, vel alios prædictos à vobis, ſeu veſtrum quolibet reſpectivè cauſam pro tempore ut ſupra quomodòlibet habentes, ſeu habituros eligenda conceſſas, ſemperque validas, & efficaces fore, & eſſe, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

Præſens Conſtitut. non poſſit ſuſpendi nec revocari.

§. 9. Neque præſentes per alias ſimiles, vel diſſimiles gratias vobis, & veſtrum cuilibet conceſſas, & concedendas revocari, ſuſpendi, limitari, vel confundi, ſed vos omnes, & ſingulos illis accumulativè in omnibus, & per omnia uti, ſi quid autem in una ex facultatibus hujuſmodi defecerit, id per aliam ſuppleri poſſe, & debere; Nec vos, ſeu veſtrum quemlibet ad aliquam particularem licentiam, ſeu indultum, vel confirmationem præſentium à Nobis, vel Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus petendum, aut impetran. vel etiam in alia quacumque ſimili, vel diſſimili gratia, vel ejus confirmatione vobis, ſeu veſtrum cuilibet quandocumque concedenda de præſenti mentionem aliquam faciendi teneri, nec ad id ulla umquam neceſſitate cogi poſſe; Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Camerarium, ſeu Procamerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, eorumque Vicelegatos, nec non Theſaurarium generalem, Præſidentes Clericos, Commiſſarios, Collectores, & Subcollectores, alioſve quoſlibet Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Miniſtros, quavis auctoritate, præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros in quacunque cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandatum de manutenendo & defendendo.

§. 10. Quocirca Venerabilibus Fratribus Noſtris Oſtienſi, & Portuen. Epiſcopis, ac Dilecto filio cauſarum Curiæ Cam. prædictæ generali Auditori motu pari per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios ipſas præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte veſtra, ſeu alicujus veſtrum, ſive quorumcumque donatariorum, legatariorum, hæredum, & ſucceſſorum cujuſlibet veſtrum reſpectivè, & aliorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, vobiſque & veſtrum cuilibet, & aliis prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate Noſtra omnia, & ſingula præmiſſa per locorum Ordinarios, Cameræ prædictæ Commiſſarios, Deputatos, & Miniſtros, alioſve quoſcumque inviolabiliter obſervari.

§. 11. Non permittentes vos, ſeu veſtrum quemlibet, vel donatarios, & legatarios, hæredes, & ſucceſſores veſtros reſpectivè, alioſve prædictos, vel eorum aliquem deſuper à quoquam quomodòlibet indebitè moleſtari, perturbari, vel alias quovis modo impediri. Contradictores quoſlibet, & rebelles auctoritate Noſtra prædicta per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, ſervata forma Concilii Tridentini; etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Eccleſiaſticum apponendo, & auxilium brachii ſecularis quatenus opus ſit invocando.

Derogatio Conſtit. Bonifacii VIII. Pii IV.

§. 12. Non obſtantibus præmiſſis, ac recol. mem. Bonifacii PP. VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, nec non prædicti Pii IV. Prædeceſſoris tam ſuper reſidentia Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & aliorum Prælatorum, nec non Rectorum Parochialium Eccleſiarum, cæterorumque perſonali reſidentiæ adſtrictorum extra illam quomodocumque decedentium ſub dat. 7. Kalen. Decembr. Pontific. ſui anno V. ſeu alio veriori tempore, quam de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intrà certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & in illa, ejúſque libris regiſtrandis, alioquin nullæ, & invalidæ exiſtant, ad quod vos, ſeu aliquem veſtrum teneri nullo modo volumus, ſed præſentes litteras, ac omnia, & ſingula in illis contenta, valida, & efficacia fore, & eſſe, ac ſuum plenarium, & integrum effectum ſortiri, & obtinere in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi in ipſa Camera præſentatæ, & inſinuatæ, ac in ejus libris regiſtratæ fuiſſent, decernimus, & mandamus, ac piæ mem. Sixti V. & Pii etiam V. Rom. etiam Pontificum Prædeceſſorum pariter Noſtrorum contra illegitimos, & teſtamenta, codicillos, legata, donationes, & quaſcumque alias diſpoſitiones ad eorum, ſeu ex ipſis deſcendentium favorem factas annullantibus, & præfati Bonifacii Prædeceſſoris, per quam conceſſiones de fructibus percipiendis in abſentia ſine præfinitione termini fieri prohibentur, nec non ſacrorum Canonum, & Conciliorum generalium decretis, quibus decernitur Prælatos, & Beneficiatos quoſcumque propter non reſidentiam, ſeu incompatibilitatem, vel alia quacumque de cauſa fructus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum, etiam conſiſtorialium, ſuos non facere, ſed eos Eccleſiis, ſeu beneficiis pro eorum reparatione vel ſucceſſoribus in eis deberi, vel in quoſcumque alios pios uſus in totum, vel in partem erogandos, aut Cameræ prædictæ, vel

Sixti V.

cui-

cuicumque alteri applicandos esse disponentibus, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter Nostrorum, ac etiam nostris super Prælatorum, & aliorum beneficiatorum decedentium spoliis hactenus editis, & in posterum eden. & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollen. aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac declarationibus, dictæque Cancellariæ Regulis, necnon Urbis, Cameræ, & Basilicæ prædictarum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & Hospitalium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aliorumque locorum, tam secularium, quam Regularium, in quibus beneficia hujusmodi forsan fuerint, seu à quibusvis illa dependere contigerit, & Ordinum, quorum illa fuerint, & Militiarum quarumcumque etiam d. Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, necnon Civitatum, Provinciarum, Terrarum, & locorum quorumlibet, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis Urbis, Cameræ, Fabricæ, Basilicæ, Ecclesiis, Monasteriis, Militiis, Hospitalibus, & Ordinibus prædictis, eorumque Præsulibus, Superioribus quocumque nomine nuncupatis; Capitulis, & Conventibus, necnon quibusvis Civitatibus, Provinciis, Terris, & locis, illorumque Communitatibus, Universitatibus, hominibus, & personis, ac pedagiorum, datiorum, gabellarum, decimarum, impositionum, & aliorum onerum prædictorum exactoribus, collectoribus, & redemptoribus, etiam ex titulo merè oneroso, & quibusvis aliis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, & successores Nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam motu, & scientia, & potestatis plenitudine paribus, & consistorialiter, seu alias quomodolibet concessis & conceden. ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis, etiamsi de illis servandis, & non impetran. Litteris Apostolicis contra illa præfatis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Militiis, seu eorum Præsulibus, Administratoribus, & Magistris, vel aliis quibuscumque personis per vos, vel Procuratores vestros respectivè præstiteritis, vel in posterum vos, seu quemlibet vestrum præstare contigerit juramentum. ac Litteris piæ etiam mem. Alexandri Papæ VI. prædecessoris pariter nostri, per quas etiam forsan motu simili, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine inter alia statuit, & ordinavit, quod tertia, seu alia tunc expressa pars omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium ex Ecclesiis, aliisque dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, eorumvè fructibus, seù aliàs acquisitorum, sive etiam intuitu, & contemplatione personæ pro tempore provenientium, de quibus per eos, quibus facultates testandi concessæ fuerint, in quibuscumque testamentis, donationibus, condicillis, & aliis ultimis voluntatibus quovis modo, etiam ad pias causas quascumque, & alios licitos usus, etiam prætextu similium licentiarum, facultatum, & gratiarum eis pro tempore cocessarum testari, seu disponi contingeret, dictæ Cameræ pro Cruciata Sancta, & aliis Romanæ Ecclesiæ necessitatibus reservaretur, illaque ad dictam Cameram pleno jure pertinere, ipsamque Cameram eam vendere posse, & debere, ac irritum, exindè decrevit, & inane quidquid secus quacunque auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, & quibusvis similium facultatum, & exemptionum restrictionibus limitationibus, modificationibus, & revocationibus quomodolibet factis, & faciendis.

Derogatio.

Etiam Alexandri

§. 13. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Præsentes litteræ non possunt ullo modo infringi.

§. 14. Cæterum easdem præsentes Litteras, ac omnia, & singula in eis contenta de subreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis, seu intentionis nostræ, vel quovis alio quantumvis magno, ac maximo, & substantiali vitio, vel defectu, etiam ex eo, quod in concessione præsentium interesse habentes, seu habere prætendentes, etiam specifica, & individua mentione digni, vocati, citati, vel auditi non fuerint, vel etiam ex contraria quavis contractus, vel privilegii dispositione, statuto, usu, vel consuetudine, seù alias undecumque, vel ex quavis alia causa, & occasione quantumvis magna, justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret notari, impugnari, invalidari, annullari, restringi, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas, seu illa restitutionis in integrum, aperitionis oris aliudvè quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti seu se juvare unquam posse, sed illa perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, vimque validi, & jurati contractus ex causa verè onerosa inter Sedem, & Cameram prædictas ex una, ac vos, & vestrum quemlibet ex altera partibus stipulati obtinere, ac vobis omnibus, & singulis, & illis, in quorum favorem, ut præfertur respectivè disposueritis, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari debere pariter decernimus.

§. 15. Quinimo nullum dari posse quantumvis insolitum, et incogitatum casum quo cujuslibet vestrum voluntas tam inter vivos quam causa mortis, vel alias expressa, & declarata, ac præsentium facultas, & beneficium si ab intestato, aut alias decedatis, seù vestrum quilibet decedat respectivè suum plenarium non sortiantur effectum, excepto tamen casu quo disponeretis, seù vestrum aliquis respectivè disponeret ad favorem illorum illegitimorum, quos suprà expresè voluimus, & declaravimus harum beneficio frui, & potiri non posse.

Cognitio ad Clericos Camer. Apost.

§. 16. Quod si ullo unquam tempore con-

tinge-

tingeret hanc Nostram concessionem, & facultatem vobis, & vestrum cuilibet concessam, & contenta in ea in dubium revocari, ejus rei cognitionem ad Cameræ Apostolicæ Clericos spectare volumus, & in ea via ordinaria procedi, non obstantibus facultatibus prædicto Thesaurario generali ejusdem Cameræ nunc, & pro tempore existenti per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, aut Nos concessis, ac etiam per Nos, & Successores Nostros Romanos etiam Pontifices in futurum concedendis.

§. 17. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pariter pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus similiter pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum omnium, & singulorum specialiter, & expressè etiam derogamus, & latissimè derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscunque.

Non derogatur Const. Julii III. & Urbani VIII.

§. 18. Per præsentes autem non intendimus in aliquo derogare, vel præjudicare Cam. Apost. prædictæ quoad fructus inexactos juxtà Constitut. similis rec. Julii III. & Urbani VIII. Rom. Pontificum Prædecessorum pariter Nostrorum desuper editas ac alias per Nos, seù Romanos Pontifices Successores Nostros edendas.

§. 19. Denique volumus, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si essent originaliter exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die sexta Julii 1672. Pontificatus Nostri anno Tertio.

XVIII. Confirmatio, & approbatio Decreti pro Custodia Sancti Petri de Alcantara Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum in Regno Neapolitano.

CLEMENS PAPA X.

Ad futurum rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Custos, & Definitores Custodiæ S. Petri de Alcantara Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Regno Neapolitano auctoritate Apostolica erectæ, quod cum ad favorem ejusdem Custodiæ à fel. record. Clemente Papa IX. Prædecessore Nostro, ac à Nobis binæ emanaverint in simili forma Brevis Litteræ; per quas status ipsius Custodiæ rectè, prudenterque ordinatus reperitur, Venerabilis Frater Noster Franciscus Episcopus Ostiensis, & Veliternus S.R.E. Cardinalis Barberinus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protector, vigore facultatis sibi super hoc à Nobis attributæ, omnibus, & singulis modernis, & pro tempore existentibus Superioribus, tàm majoribus, quam minoribus, ac quibuscunque Fratribus dicti Ordinis de Observantia, & Reformatis, aliovè quocunque nomine vocatis, aliisque ad quos spectat, spectareque potest, mandavit, & præcepit sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ, aliisque etiam gravioribus suo, & pro tempore existentis Protectoris arbitrio imponendis, ne adversus eamdem Custodiam, eique concessarum Litterarum prædictarum tenorem, sive in Romana Curia, sive extrà eam quidquam etiam minimum petere, attentare, vel facere quovis modo audeant, nisi prius vocatis, certioribusque redditis Custode, & Definitoribus dictæ Custodiæ pro tempore existentibus, ac etiam Ordinis prædicti Protectore informato, & alias prout plenius continetur in ipsius Francisci Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decreto desuper emanata, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Tenor decreti Eminentiss. Protectoris.

§. 1. Franciscus miseratione divina Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus S.R.E. Vice-Cancellarius Sacri Collegii Decanus, & totius Ordinis S. Francisci Protector Corrector, & Gubernator &c. omnibus &c. Cum Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa X. Nobis remiserit preces Sanctitati Suæ porrectas nomine Custodiæ S. Petri de Alcantara Fratrum Minorum Discalceatorum Sancti Francisci in Regno Neapolitano nuper erectæ, supplicantis nihil tractari, decerni, innovari, ac fieri contra eam, aut binas Apostolicas Litteras in forma Brevis à Sanctitate Sua eidem concessas, primam incipien. Apostolicæ servitutis &c. die 30. Septembris 1670. secundum incipiens *ex commissi Nobis*, &c. die 28. Augusti anni 1671. expeditas ipsa Custodia prius non audita, & non citata.

§. 2. Nos æquum, & justum ab ea petitum judicantes prædictæ ejusdem Sanctissimi Domini Nostri commissionis, ac etiam quo fungimur Protectoris officii vigore, & auctoritate, omnibus, & singulis nunc, & pro tempore Superioribus, tam majoribus, quam minoribus cujuslibet qualitatis, & dignitatis, ac quibuscunque Fratribus Ordinis Minorum Observantibus, & reformatis sive alio quocumque nomine vocatis, omnibusque etiam, ac singulis personis, ad quas quomodòlibet spectat, & pertinet, spectareque, & pertinere potest, mandamus, ac strictè præcipimus sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque etiam gravioribus Nostro, & Cardinalis pro tempore Protectoris arbitrio imponendis, ne quomodòlibet, & qualitercumque audeant adversùs prædictam Custodiam, aut eidem concessorum prædictorum Brevium tenorem, sive in eisdem contentorum aliquod, quidquam, vel minimum petere, attentare, vel facere tam judicialiter, quam extrajudicialiter, seù alio quovis modo intrà, vel extrà Romanam Curiam, directè, vel indirectè per se ipsos, vel per alios, non vocatis prius authenticè, aut vocari factis, ac plenè de omnibus, & singulis, quæ contrà eandem Custodiam, aut ejusdem memorata Brevia petenda, tractanda, tentanda, aut decernenda sunt certioratis; & in scriptis informatis, ut se defendant, aut defensiones suas Apostolicæ Sedi exponi possint facere, ipsius Custodiæ pro tempore Custode, & Definitoribus, ac etiam prius de eisdem Cardinale Ord. pro tempore Protectore informato cujùs etiam partes eruntid ad notitiam dictorum Custodis, & Definitorum deducere, ut debeant audiri, & audiantur, priusquam aliquid circa prædicta quomodòlibet tractetur, petatur, tentetur, innovetur, aut fiat, seù decernatur, aut fieri, & decerni mandetur; Et ità in omnibus observari mandamus, non solum præmisso, sed etiam omni meliori modo. Dat. Romæ in Cancellariæ Apostolicæ Palatio die 1. Aprilis 1672. F. Cardinalis Barberinus Protector. Loco † sigilli.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat prædicti exponentes præmissa quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis Nostræ

stræ patrocinio communiri summoperè desiderent.

Confirmatio ejusdem Decreti.

§. 4. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum memorati Francisci Episcopi Cardinalis, & Protectoris Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodòlibet intervenerint, supplemus.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Derogatio statutorum.

§. 6. Non obstantibus aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 7. Quibus omnibus, & singulis illorum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Julii 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XIX.

Indulgentia pro Ecclesiis Ordinis Excalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Fratrum, ac Monialium in die Commemorationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Andreæ Corsini, Angeli Martyris, & Alberti Confessoris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

CŒlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati Nostræ credidit divina dignatio, libenter erogamus, sicut ad fovendam, incitandamque fidelium ergà Sanctos in cœlis cum Christo regnantes devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Supplicationibus itaque Dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi.

Pro Ecclesiis totius Ord.

§. 2. Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tàm Fratrum, quàm Excalceatorum dicti Ordinis, quam Monialium Carmelitarum Excalceatarum hactenus Erectis, & in posterum quandocunque erigendis; ac ubicumque locorum existentibus die 16. Julii, aut Dominica immediate sequenti, qua festum Commemorationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo celebratur, ac in S. Andreæ Corsini Episcopi, & S. Angeli Martyris, ac Sancti Alberti Confessoris, qui religiosam vitam in Ordine præfato professi fuerunt, festis diebus à primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 3. Volumus autem ut præsentium Literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Julii 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XX.

Translatio Indulgentiæ à secunda Dominica Octobris ad diem 2. ejusdem mensis pro die festo S. Angeli Custodis concessa Archiconfraternitati ejusdem Angeli Custodis in Urbe.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Narratio Indulgentiæ.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Officiales, & Confratres Archiconfraternitatis sub invocatione Sanctorum Angelorum Custodum de Urbe, quod inter cæteras Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes eidem Archiconfraternitati per Sedem Apostolicam concessas omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus dictæ Archiconfraternitatis verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam, seù Oratorium dictæ Archiconfraternitatis Dominica secunda mensis Octobris, à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitassent & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio misericorditer in Domino, auctoritate Apostolica concessa reperitur.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes Indulgentiam hujusmodi à dicta Dominica secunda Octobris ad diem secundam ejusdem mensis, quæ per Decretum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum à Nobis approbatum, pro festo eorumdem Sanctorum Angelorum Custodum assi-

gnata fuit transferri plurimum desiderent.

§. 2. Nos eorumdem Officialium, & Confratrum votis hac in re benignè annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes.

§. 3. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam prædictam die Dominica secunda Octobris dictæ Archiconfraternitati concessam ad diem secundam ejusdem mensis, servata tamen in reliquis omnibus Litterarum Apostolicarum desuper expeditarum forma, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò transferimus, utque Confratres, Consorores Archiconfraternitatis hujusmodi præmissa adimplentes eandem prorsùs Indulgentiam, & peccatorum remissionem Die secunda mensis Octob. in posterum consequantur, quam consequerentur, si eadem præmissa die Dominica 2. mensis Octobris prædicti adimplerent concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Julii 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXI. Confirmatio nonnullorum Decretorum pro associandis, & sepeliendis cadaveribus in Ecclesiis Regularium factorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilecti Filii Alphonsi de Alarcos Presbyteri Regularis Procuratoris Generalis Provinciarum Hispaniæ, & Indiarum Societatis Jesu, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod eadem Congregatio die 7. Decembris 1640. ad instantiam Commissarii Curiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum declaraverat, Parochos, & Presbyteros Terræ de Leverano, ac alios Diœc. Brudusinæ, non posse accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum Fratrum, quam accipiebant pro iis, qui sepeliebantur in Ecclesiis dictorum Parochorum, & Presbyterorum Secularium, & deindè 31. Augusti 1657. ad instantiam Fratrum Provinciæ Dalmatiæ ejusdem Ordinis declaraverat functiones funerales super cadaveribus defunctorum quæ sepelirentur in Ecclesiis Regularium, postquam ipsa cadavera ad Ecclesias ipsorum Regularium pervenissent, ad eosdem Regulares, non autem ad Parochos pertinere; Similiterque declaraverat die 16. Decembris 1661. super controversiis, quæ inter Parochos Civitatis Placentinæ, & Monachos Monasterii S. Sixti Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti occasione funerum erant exortæ, prout etiam die 17. Novembris 1671. ad instantiam Procuratoris Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum declaraverat, Parochis, qui associabant cadavera defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium sepeliebantur, non licere ea occasione ingredi Ecclesias Regularium, sed à januis ipsarum Ecclesiarum dimittere debere cadavera hujusmodi, & solum posse benedicere, ac dare ultimum vale, officiaque, & alia munia, quæ in similibus fieri solebant, debere fieri à Regularibus non autem à Parochis.

§. 1. Et in eadem expositione subjùncto, quod licet præfatæ dispositiones, seu declarationes essent adeò justæ, & militarent eædem rationes illas observandi circa cadavera, quæ sepeliebantur in Ecclesiis domorum, & Collegiorum dictæ Societatis Jesu, nihilominus assiduè exoriebantur gravissimæ discordiæ, & scandala ex eo, quod Parochi illis stare nollent, in gravissimum præjudicium dictæ Societatis, & Christifidelium, qui post obitum sua cadavera in ipsius Societatis Ecclesiis speliri volebant; Ideòque supplicato, ut Congregatio præfata declararet supradicta Decreta, seù declarationes circa cadavera, quæ in Ecclesiis Domorum, & Collegiorum præfatæ Societatis Jesu sepelirentur, perindè observari debere, ac si ad instantiam ipsius Societatis emanassent.

§. 2. Emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet; Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Oratoris precibus benignè indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes sæpè aliàs editas, easque etiam in prænarratis Ecclesiis Societatis esse observandas, videlicet: Parochis in associatione, sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, & dare ultimum vale: Officia verò, & alia munia, quæ in hujusmodi Monasteriis adhiberi solent ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem à Parochis. Episcopos, seù Ordinarios locorum, permittere non debere, ut Parochi, aliique de Clero Seculari majorem eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in Parochiali, seù alia ipsius Cleri Secularis Ecclesia sepeliri voluissent.

§. 3. Functiones funeralium super cadavera Defunctorum, quæ in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, contrariis quibuscunque circa supracitata omnia minimè obstantibus. Romæ 6. Maji 1673. F. M. Cardinalis Brancatius. Loco † sigilli. C. de Vecchiis Archiepiscopus Ath.

§. 4. Cum autem, sicut præfatus Alphonsus Nobis subindè exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summoperè desideret: Nos specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium. Absolutio à censuris

Confirmatio ejusdem Decreti.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, suos-

que plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem ut præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii, vel alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique in judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Augusti 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXII.

Editto del Sant'Offizio; circa alcuni capi appartenenti alla Sacra Inquisitione.

Noi Francesco Vescovo d'Ostia Barberino, Francesco Maria Vescovo di Porto Brancaccio, Alderano del titolo di Santa Prasede Cybo, Pietro del tit. di S. Marco Ottobono, Lorenzo del tit. di S. Crisogono Imperiale, Francesco del tit. de'SS. Quarto Coronati Albizzi, Flavio del tit. di S. Maria del Popolo Chigi, Paluzzo del tit. de' SS. Dodicci Apostoli Altieri. Cesare del tit. S. Gio: avanti Porta Latina Raspone, Giacomo del tit. di SS. Gio: e Paolo Rospigliosi, Ludovico del tit. di S. Sabina Portocarrero, Giovanni del tit. di S. Bernardo Bona, Federico del tit. di S. Agnete fuor delle mura Borromeo, Gasparo del tit. d. S. Pudentiana Carpegna Preti, Decio di S. Eustachio Azzolino Diacono per la misericordia di Dio della Santa Romana Chiesa Cardinali, in tutta la Republiblica Christiana contro l'heretica pravità Generali Inquisitori dalla Santa Sede Apostolica specialmente deputati.

Disordine contro i buoni costumi.

Essendo a Noi per la continua esperienza manifesto, che molti per malitia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza, non sodisfanno all'obligo, che hanno di denuntiare al S. Offizio li delitti spettanti ad esso, e che perciò succedono grandissimi inconvenienti, & errori, non solamente contro i buoni, e Christiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica. Noi per tanto, a quali specialmente deve essere à cuore la gloria di Dio, la conservatione, & augumento della Fede Cattolica, e salute dell'anime, volendo provedere à tanto disordine, con autorità Apostolica à Noi commessa, commandiamo in virtù di santa obedienza, e sotto pena di scommunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da'Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de'Sommi Pontefici, per tenore del presente Editto à tutte, & ciascuna persona di qualunque stato, grado, e conditione, ò dignità, così Ecclesiastica, come secolare, che frà il termine di un mese, dieci de quali per il primo, dieci per il secondo, e dieci per il terzo termine peremptorio, si debbano rivelare, e giuridicamente notificare al Sant'Offizio, ò vero à gli Ordinarii, tutti, e ciascuno di quelli, de quali sappiano, ò habbino havuto, ò haveranno notitia.

Pena contro quelli, che non rivelano.

I fautori d'eresia, e simili.

1. Che siano Eretici, ò sospetti, ò diffamati d'Eresia, ò credenti, ò fautori, ò defensori loro, ò habbino adherito, ò aderiscono à riti de'Giudei, ò Maumettani, ò de'Gentili; ò habbino appostatato dalla S. Fede Christiana.

Meghi, & incantatori.

2. Che habbiano fatti; ò faccino atti, da quali si possa argumentare patto espresso, ò tacito col Demonio essercitando in canti, magie, sortilegii, porgendoli suffumigii, incensi, per trovar Tesori, & altri intenti; chiedendo da lui risposte, & invocandolo, & à quest' effetto promettergli obedienza, & consacrargli pentacoli, libri, spade, specchi, ò altre cose, nelle quali intervenga il nome, & opera sua.

Negromanti o inventori de' tesori.

3. Che si siano ingeriti, ò ingeriscono in far esperimenti di negromantia, e di qualsisia altra sorte di Magia, così entrare ne' circoli, far l'esperimento della Caraffa, del Crivello per trovare i medesimi Tesori, cose nascoste, rubbate, ò perdute, e fare altre simili, e superstitiose attioni ad altri fini, massime con abuso de'Sacramenti, ò di cose sacre, ò benedette.

O tengono libri eretici dinegia,

4. Che senza licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino Eresie, ò libri d'Eretici, che trattino ex professo di Religione, ò che gli habbino letti, ò tenuti, ò stampati, ò fatti stampare, ò li leggano, tengono, ò stampano, fanno stampare, introducano, ò difendino sotto qualsivoglia pretesto, ò colore.

5. Che habbino libri di Negromantia, Magia, ò continenti incantesimi, sortilegii, e simili superstitioni, massime con abuso di cose sacre.

Religiosi, che pigliando moglie, o ritenenti due mogli, o pure mariti

6. Che contro il voto solenne fatto nella professione in qualsivoglia Religione approvata, ò dopo haver preso l'Ordine sacro habbia contratto, ò contraha matrimonio.

7. Che vivendo la prima moglia, pigli la seconda, ò vivendo il primo marito, pigli il secondo.

Sollecitanti in confessione bestemiatori.

8. Che contro i Decreti, e Constitutioni Apostoliche, habbino abusato, ò abusino il Sacramento della penitenza, servandosi della Confessione, e Confessionario à fini dishonesti, sollecitando in essi i Penitenti ad turpia, & havendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, & per il quale è stato instituito.

9. Che habbiano proferito, ò proferiscono bestemmie ereticali contro Dio, la Beatissima Vergine, e Santi, o proceduto à qualche atto di offesa, e disprezzo contro l'Imagini, ò figure rappresentanti il medesimo.

Conventicole.

10. Che habbino tenute, ò tenghino occulte conventicole, ò radunanze in pregiudizio, ò disprezzo, o contro la Religione.

Seduttori de Christiani.

11. Che habbia indotto qualche Christiano ad abbracciare il Giudaismo, o altra setta contraria alla Fede Cattolica, o impedito i Giudei, ò Turchi à battezarsi.

Falsi celebriti.

12. Che non essendo ordinati Sacerdoti, s'habbiano con sacrilego ardire usurpato, o si usurpino di celebrar messa, ancorche non habbiano proferito le parole della Consecratione, & habbiano presonto di ministrare il Sacramento della Penitenza à Fedeli di Christo, ancorche non si sia venuto all' atto dell'assolutione.

Non relevando non possono esser assoluti.

13. In oltre si dichiara, che quelli i quali non denuncieranno, come si ordina col presente Editto, non possono essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, doppo che haveranno in esse giuridicamente rivelato li deliquenti, al che non possono sodisfare con bollettini, o let-

tere

tere, senza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, de quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Col presente editto non si deroga ad altri.

14. Si dichiara anche, che con la sudetta espressione de casi di sopra da Noi specificati da rivelarsi, non si escludano gli altri casi spettanti al Sant' Offizio, che per altro sono compresi ne' Sacri Canoni, Constitutioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, Nè meno col presente Editto s'intenda derogato all'altre provisioni Canoniche, Apostoliche, & à gl' altri Editti degli Ordinarii, & Inquisitori.

15. Et à fine, che del presente Editto non si possa pretendere ignoranza, commandiamo, che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notifichi alli Vescovi delle Città vicine à Roma, nelle quali non sono Inquisitori, acciò lo publichino, & ordinilo, che li Parochi delle loro Diocesi lo legghino ogn'anno la prima Domenica dell' Advento, e la prima Domenica di Quaresima; il che parimente vogliamo, che si facci dalli Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si trovarà in esse congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro chiese, e Sacrestie di esse un'essemplare del medemo per osservare quanto in esso si ordina. Dal Palazzo del Sant'Offizio questo di 21. Settembre 1672.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Not. &c.

Loco † sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo, Indict. 10. die verò 24. mensis Septemb. Pontific. autem Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Clementis, divina providentia Papæ X. anno tertio, supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jo. Antonium Bertarellum Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

XXIII.

Concessio & Indultum eorum, quæ pro totali stabilimento, & recto gubernio Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum de observantia nuncupatorum decernuntur.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii, quod autore Deo gerimus sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui è fluctibus seculi in arctioris Religionis portum confugerunt curam gerentes illorum statui, & felici progressui quantum Nobis ex alto conceditur providere studeamus.

Custodia S. Petri de Alcantara.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Custos, & Fratres Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quòd cùm eadem Custodia per ternas Apostolicas in simili forma Brevis Litteras erecta, & stabilita reperiatur, ipsaque Custodia tanquam ex Reformatione Fratrum Discalceatorum Hispaniæ, vigore concessionis, & ordinationis Apostolicæ juxta constitutiones, statuta, & particulares ceremonias, & usus ejusdem reformationis gubernari debeat, ac omnibus gratiis, & privilegiis, dictæ Reformationi ab Apostolica Sede concessis & in futurum concedendis gaudeat, ipsi Exponentes nonnulla, quæ pro totali stabilimento, ac conservatione, & recto gubernio ejusdem Custodiæ necessaria esse visa sunt à Nobis statui, & ordinari plurimùm desiderant.

§. 2. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita Venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Ostien. S.R.E. Cardinalis Barberini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, ac dilecti filii Francisci Mariæ Rhini de Politio Ministri Generalis ejusdem Ordinis, qui preces dictorum Exponentium, utpotè veritati, ac rationi innixas, & in quibus nullum latet inconveniens, imò per quas exauditas multorum inconvenientium occasio maturè præciditur, exaudiri posse existimarunt, relatione, ut Custodia præfata Familiæ Ultramontanæ dicti Ordinis unita, & aggregata remaneat, & eas tantùm Constitutiones Apostolicas, & Decreta Congregationum S. R. E. præfatæ Cardinalium quas, & quæ Provinciæ Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis prædicti observare tenentur, & observant, non autem illas, & illa, quæ pro Familia Cismontana Italiæ ejusdem Ordinis dumtaxat emanarunt, quippe peculiari eorumdem Fratrum Discalceatorum vivendi modo, ac Constitutionibus quibus ex dictæ Sedis ordinatione gubernantur, necnon privilegiis dictæ Reformationi per Sedem eandem concessis, quibus dicta Custodia fruitur, contrarias, & contraria, ad quarum, & quorum observantiam præfatæ Provinciæ Fratrum Discalceatorum non tenentur, nec illas, & illa proinde observant, & præsertim circa receptionem Novitiorum pariformiter observare teneatur.

Quibus subjiciatur superioribus, & quomodo.

§. 3. Et consequenter Custodia ipsa de cætero non subjaceat Commissario Generali Italiæ, licèt ità in Litteris ejus erectionis ordinatum fuerit, sed illius vice quando Minister Generalis Ordinis præfati ex Familia Ultramontana electus fuerit, eadem Custodia Procuratori Generali ejusdem Ordinis Hispano immediatè subjecta remaneat; & dum Minister Generalis ex Familia Cismontana electus, ac extra Italiam fuerit, Commissario Generali Curiæ Ordinis præfati itidem Hispano subjaceat.

§. 4. Nec ad eandem Custodiam mitti possint Visitatores Commissarii, aut Delegati causarum ex Fratribus de Observantia, vel Reformatis, sed tantùm ex Fratribus supradictæ Reformationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ juxta privilegia illi concessa: Ac demum, ut Custos dictæ Custodiæ pro tempore existens ad Congregationem Generalem intermediam dicti Ordinis quando in Hispania, non autem quando in Italia celebrabitur proficisci possit, & debeat, in eaque voti, sive suffragii prærogativam habeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ac concedimus, & indulgemus.

Quam prærogativam habeat Custos.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sor-

tiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat,& pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Septembris 1672. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXIV. Decretum quod in Congregationibus Ordinis S. Benedicti per Galliam & Hispaniam suffragium Abbatis ubicumque fuerit prævaleat in paritate votorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dionysius Mantilla Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ, & per substitutionem etiam Galliæ, Ordinis Cistercien. quod licet ex Regula S. Benedicti, quam Monachi dicti Ordinis profitentur, Monachi ad consilium vocati non habeant etiam in gravioribus causis votum decisivum, sed tantum consultivum ut constat ex Capitulo de adhibendis ad consilium Fratribus, ubi sic habetur. Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse unde agitur, & audiens consilium Fratrum tractet apud se, & quod utilius judicaverit, id faciat. Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod salubrius esse judicaverit ei cuncti obediant. Et in explicatione hujus tertii Capituli sit praxis observata, & stabilita per Constitutiones auctoritate Apostolica approbatas in Congregationibus S. Benedicti tàm Hispaniæ, quàm Galliæ, quod Abbates dictarum Congregationum suffragium qualificatum habeant tam in receptione, & approbatione Novitiorum, quàm in aliis agendis, ita scilicet, ut in deliberationibus, illa sententia prævaleat, ejusque conclusioni assentiantur omnes, cui fuerit suffragiorum pluralitas supra medietatem, aut in æqualitate, à qua stet Abbas: Ac in plerisque aliis Regulæ præfatæ Capitulis concedatur Abbatibus plena, & absoluta facultas agendi, illiusque præceptis omnes obedire, & agenda ab illius arbitrio pendere debere cautum reperiatur, nihilominus solent aliqui Abbates dicti Ordinis Cisterciensis in receptionibus Novitiorum tàm ad habitum, quam ad professionem stare majori parti suffragiorum, licet habito consilio decisio ab illis pendeat, ut ex Regula patet.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat in Congregationibus Monachorum Ordinis S. Benedicti tàm Galliæ, quàm Hispaniæ Abbates qualificatum, seu duplex suffragium habeant, ita ut quando suffragia sunt paria si sex in una, & sex in altera parte inveniantur, etiam numerato suffragio Abbatis, illa pars prævaleat, & censeatur major, executionique proinde mandanda sit pro qua stat Abbas tanquam Præses, præfatus verò Dionysius Procurator Generalis simile qualificatum, seù duplex suffragium Abbatibus præfati Ordinis Cisterciensis à Nobis concedi summoperè desideret. Suffragium Abbatum in Hispaniæ & Galliis.

§. 2. Nos ipsius Dionysii Procuratoris Generalis votis hac in re quantùm cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisve Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter oblatis inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum, consilio, quod in posterum quandocumque deliberationes capitulares in Monasteriis Ord. præfati Cistercien. habendæ sint, ea pars in paritate suffragiorum prævalere, & præferri debeat, cui Abbas Monasterii consensus sui prærogativam superaddere voluerit auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, atque decernimus. Consensus Abbatis quibus prævaleat.

§. 3. Decernentes pariter ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis Cistercien. ejusque Monasteriorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Derogatio Constitutionum in contrarium.

Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio & extra illud, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Septembris 1672. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Præ-

XXV. Præceptum in Cappuccinos Custodiæ Navarræ ne audeant Conventum, seu domum ædificare in loco Vianæ Calaguritanæ Diœcesis & perpetuum super hoc silentium eis impositum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

ALIAS fel. record. Alexandro VII. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Fratrum Conventus Oppidi Civitatis nuncupati de Viana Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Calaguritan. Diœcesis exposito, quod cum antea tunc existentes Fratres Cappuccini Custodiæ Navarræ novum Conventum eorum Ordinis in dicto Oppido erigere prætendentes, hospitium ibidem de facto aperuissent, sed deindè per duos Episcopos successores semper rejecti fuissent, etiam prævia sententia definitiva, Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam causa hujusmodi devoluta reperiebatur, partibus auditis, & dilecto filio Nostro Marcello ejusdem S. R. E. Cardinale Sanctacrucio nuncupato referente, re maturè examinata, & discussa, injunxerat, & præceperat memoratis Fratribus Cappucinis Custodiæ Navarræ, eorumque Superioribus ad quos spectabat, ne in prædicto loco Vianæ Conventum, aut hospitium, sivè sub quovis titulo domum permanentem ullo modo fundare, & retinere auderent, aut præsumerent, sed juxtà tenorem sententiæ ab Ordinario Calaguritano dat. sub die 24. Maji 1660. seu alio veriori tempore ab hospitio jàm, ut dicebatur, aperto, & retento omninò discederent.

Præceptum Congregat. Regular. sub. Alex. VII.

§. 1. Ut autem hujus decreti executioni tutiùs caveretur, eidem Ordinario commiserat, ut eosdem Capuccinos quatenus parere recusarent, sub censuris, aliisque sibi benevisis pœnis cogeret, & compelleret, in contrarium non obstantibus quibuscumque, & aliàs prout in ipsius Congregationis decreto desuper die 17. Novembris 1662. emanato dicebatur contineri; & subindè reproposita causa die 19. Septembris 1664. eadem Congregatio decretum prædictum confirmaverat, perpetuumque eisdem Fratribus Capucinis silentium imponendum esse decreverat, & postmodùm concessa rursus dictis Fratribus Capucinis nova audientia super articulo, An esset locus prætensæ fundationi novi Conventus in dicto Oppido Vianæ die 16. Januarii 1665. resolutum fuerat, non esse locum fundationi, idque ad relationem prædicti Marcelli Cardinalis; verùm illo absente die 12. Martii subsequentis, iidem Fratres Capucini insciis exponentibus supradictis extorserant à prædicta Cardinalium Congregatione licentiam erigendi dictum novum Conventum accedente licentia Ordinarii: Et in eadem expositione subjuncto, quod dicti exponentes successivè, nempè die 24. Novembris ejusdem anni 1665. recursum ad ipsum Alexandrum Prædecessorem in ejus Signatura gratiæ super præmissis habuerant, cupiebantque juxtà resolutionem, utraque parte informante, in eadem Signatura captam, causæ hujusmodi finem imponi.

Nova audientia pro Capucinis.

§. 2. Idem Alexander Prædecessor supplicationibus eorundem exponentium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, prædictos Fratres Capucinos, super prætensa fundatione Conventus, seu Hospitii in loco Vianæ Calaguritan. Diœc. amplius non audiri, auctoritate Apostolica mandavit, ac decrevit, eisdemque perpetuum desuper silentium imposuit, & alias prout in ipsius Alexandri Prædecessoris Litteris desuper die 3. Septembris 1665. in simili forma Brevis expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus uberiùs continetur.

Iterum inhibentur.

§. 3. Cum autem sicut dilecti filii Fratres Minores de Observantia nuncupati supradicti Conventus Oppidi Vianæ Nobis nuper exponi fecerunt, prædicti Fratres Capucini die 30. Decembris proximè præteriti sub nomine dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ, & Magistratus Secularis dicti Oppidi Vianæ nemine citato, nec audito, obtinuerint à Nobis rescribi Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, ut ejus arbitrio non obstan. clausulis in dictis Alexandri Prædecessoris Litteris appositis, posset iterum hujusmodi negotium examinari, & definiri; Et in executionem rescripti hujusmodi eadem Congregatio Venerab. Fratri moderno Episcopo Calaguritan. scribi mandaverit, ut informationem super his ad ipsam Congregationem transmitteret; licèt autem transmissa per eundem Episcopum nova relatio memoratis Fratribus Capuccinis favorabilis prætendatur, nullo tamen modo attendenda videatur, quippe quæ aliis duobus relationibus antecessorum Episcoporum, eorumque sententiæ definitivæ, ac probationibus judicialibus in processu causæ, & causarum hujusmodi contentis, & insertis adversetur: Et propterea exponentes prædicti perpetuum eisdem Fratribus Cappuccinis silentium de novo imponi, tandemque hujusmodi dispendiosas, & scandalosas lites finiri summoperè desiderent.

§. 4. Nos easdem lites penitùs, & omninò dirimere, ac tollere, ipsosque exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui suprascriptum prætensæ fundationis negotium iterùm examinarunt, atque discusserunt, ac desuper prædicti moderni Episcopi Calaguritan. relationem, & partes informantes audiverunt, consilio, decreta ab eorumdem Cardinalium Congregatione, aliàs ad favorem Fratrum Minorum de Observantia dicti Conventus de Viana emanata, & in prædictis Alexandri Prædecessoris Litteris die 3. Septembr. 1666. expeditis relata in quibus ipsa Cardinalium Congregatio persistendum esse die 19. Augusti proximè præteriti decrevit, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac PERPETUUM prædictis Fratribus Capuccinis silentium super præmissis imponimus, ipsosque Fratres Capuccinos circa hujusmodi fundationis petitionem non esse amplius audiendos harum serie eadem auctoritate decernimus, & declaramus.

Decretum de perpetuo silentio Capuccinorum.

§. 5. Decernentes pariter ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tem-

tempore spectabit, inviolabiliter observari, & illis respectivè plenissimè suffragari.

§. 6. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis & innovatis.

§. 8. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Septembris 1672. Pontific. Nostri Anno Tertio.

XXVI.

Constitutio Abrogationis omnium Indultorum, seù Privilegiorum personalium Fratribus Ordinis Minorum de Observantia, & Reformatorum, seù Strictioris Observantiæ, à quibusvis quoquomodo contrà, & præter ejusdem Ordinis Constitutiones concessorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancti Apostolatus Officium, quod inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati nostræ meritis licet, & viribus longè impari committere dignata est, salubriter exequi jugi vigilantia satagentes, in eam præcipuè curam sollicitis studiis incumbimus, ut Christifideles Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, sublatis iis, quæ regulari eorum observantiæ, atque disciplinæ detrimentum adferre noscuntur, juxta regularia eorum Instituta prosperè dirigantur, illisque firmiter insistentes, multiplicibus, in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis.

Abusus Indultorum.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, & Reformatorum, seù strictioris Observantiæ nuncupatorum, introductus fuerit abusus, ut passim Fratribus indulta voti perpetui, aliaque privilegia personalia concedantur; Ex quo magnum relaxationi ostium aperitur, & gravissimum paupertati, & humilitati, quas dictus Ordo profitetur nocumentum infertur.

§. 2. Nos, qui regularem disciplinam ubique vigere & omnem illius relaxationis viam præcludi summopere cupimus, de opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, ac fel. rec. Urbani Papæ Octavi Prædecessoris Nostri inhærentes vestigiis, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & quæcumque indulta, seu privilegia personalia, quomodocumque nuncupata, quibusvis dicti Ordinis Fratribus cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis existant (Charissimorum in Christo filiorum nostrorum Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Concionatoribus, & Confessariis dumtaxat exceptis) quocumque titulo, prætextu, causa, & occasione, & ad cujusvis instantiam, & supplicationem tàm à Nobis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, ac quibusvis S. R. E. Cardinalium Congregationibus, quàm etiam à Venerabili fratre Nostro Francisco Episcopo Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinale Barberino nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore, aliisque ejusdem Ordinis Protectoribus, ac à quibuslibet Ordinis hujusmodi Superioribus hactenus quoquomodo contra, & præter regularia Ordinis prædicti Instituta, & Apostolicas Constitutiones concessa, harum serie perpetuò revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque perpetuò revocata, cassata, abrogata, & abolita, viribusque, & effectu vacua fore, neminique ullatenus suffragari, neque de cætero à quoquam concedi posse; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Pœnæ contra inobedientes.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis, privationisque suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso incurrendis, dilectis filiis Ministro, ac Vicario, seu Commissario Generalibus, & Ministris Provincialibus, aliisque dicti Ordinis Superioribus, ut quamprimum præsentes nostræ Litteræ ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres, & Fratres Ordinis hujusmodi similia Indulta, seu privilegia habentes, illo eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam illis uti sinant, vel permittant, inobedientes quoslibet, & rebelles opportunis juris, & facti remediis juxta regularia ejusdem Ordinis statuta, Apostolica auctoritate confirmata, omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recursu remotis compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Litteris Apostolicis super concessione, seu confirmatione concessionis privilegiorum hujusmodi emanatis, aliisque ordinationibus & constitutionibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis etiam motu, & scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seù alias quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volu-

Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Octobris 1672. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XXVII. Declaratio circa jus conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci competens tantum Fratribus ejusdem Tertii Ordinis nationis Gallicanæ, & Capucinos ejusdem Nationis excludens.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ, quod licet Congregatio Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, in controversia inter ipsos exponentes ex una, ac dilectos pariter filios Fratres Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Cappucinorum nuncupatorum in Regno Galliarum degentes ex altera partibus, circa jus conferendi habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci utriusque sexus personis secularibus, easque dirigendi vertente, die 13. Martii proximè præteriti, partibus pluries auditis decrevisset, ut Fratres Cappucini præfati ab hujusmodi habitus collatione, & directione penitus abstinerent, nihilominus dilecto etiam filio Procuratore Generali dicti Ordinis Fratrum Cappucinorum conquerente, se in juribùs suis sufficienter auditum non fuisse, eadem Cardinalium Congregatio die 20. ejusdem mensis mandavit ab expeditione sui decreti hujusmodi supersederi, utque dictus Procurator Generalis quasdam provisionales in simili forma Brevis Litteras, quas à recol. mem. Clemente Papa IX. Prædecessore Nostro ad præfati Ordinis Fratrum Minorum Cappucinorum favorem emanasse asserebat, partibus communicaret.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Procurator Generalis id non præstiterit, nihilque habeat quod pluries, & in diversis contradictoriis tàm coram præfata, quàm coram altera nempe Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum Congregationibus non fuerit aliàs à dd. Fratribus Cappucinis productum; & propterea dicti Exponentes, ut hujusmodi controversiæ jam toties, & tam solemniter decisæ, & novissimè coram primodicta Cardinalium Congregatione ter expositæ, finis tandem imponatur, ac alia quinque Decreta à præfatis duabus Cardinalium Congregat. respectivè contra præfatos Fratres Cappucinos emanata, nec non desuper expeditæ pariter in forma Brevis Litteræ Apostolicæ observentur, opportunè sibi in præmissis à Nobis provideri, & ut infra indulgeri summoperè desiderent.

Decretum. §. 2. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui partibus auditis in Decreto aliàs, videlicet dicta die 13. Maji proximè præteriti edito persistendum esse censuerunt, consilio, præfatis Fratribus Minoribus Cappucinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis mulieribus ad habitum Tertii Ordinis S. Francisci, sive in ipsis dirigendis se ingerant auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, ac prædictis Fratribus Cappucinis perpetuum super præmissis silentium imponimus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis illorum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præsentium effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXVIII. Confirmatio Decreti Clementis IX. super unionis dissolutione Congregationum Eremitarum Camaldulensium, Montis Coronæ, & aliarum nationum cum comminatione pœnæ, & censurarum.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD pastoralis dignitatis fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabiles divinæ bonitatis divitias evecti, eá quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris stabiliendæ inter religiosos viros à seculi turbis segregatos, & Altissimi obsequiis sub laudabili strictioris observantiæ instituto addictos tranquillitatis studio, sapienter disposita esse noscuntur, ut firmiora sint, & serventur exactius Apostolici præsidii nostri patrocinio libenter corroboramus, illisque ne temerario cujusquam ausu violentur, novas sanctiones adjungimus, sicut conspicimus in Domino rationi esse consentaneum.

§. 1. Alias siquidem cum inter Eremitas Camaldulenses Nationis Etruriæ sub nomine Congregationis Eremi Sacræ ex una, ac Nationum

Controversiæ inter Congregat. Eremitarum nationum.

Status Nostri Ecclesiastici, Dominii Veneti, Regni Neapolis, Poloniæ, & Germaniæ sub nomine Congregationis Montis Coronæ respectivè militantes ex altera, necnon illos Nationis Pedemontanæ ex alia partibus variæ controversiæ exortæ, & suscitatæ fuissent, fel. record. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione suis, deque Apostolicæ potestatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem Eremi Camaldulensium Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationis Montis Coronæ, earumque respectivè, Eremorum, Monasteriorum, membrorum, & aliorum locorum regularium invicem, uniusque Congregationis ex illis sic unitis, annexis, & incorporatis erectionem, & institutionem dudum à rec. mem. Urbano PP. VIII. prædecessore pariter Nostro factas, necnon aliam unionem, sive incorporationem Eremi Camaldulensis propè Taurinum sitæ una cum aliis Eremis, domibus, & locis ab ea dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus ad præfatam Congreg. Camald. Montis Coronæ pridem factam, & ab eodem Urbano prædecessore confirmatam revocavit, dissolvit, irritavit, & annullavit, ac Nationes præfatas ab invicem separavit, easque ad formam regiminis, quo ante uniones respectivè gubernabantur, reduxit, & alias prout uberius continetur in ipsis Clementis Prædecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis expeditis tenoris, qui sequitur, videlicet.

Revocatio unionis Clementis IX.

§. 2. Clemens Papa IX. ad perpetuam rei memoriam. Illius, qui charitas est, & Deus pacis, vices, licet immeriti gerentes in terris ad ea peculiares vigilantiæ Nostræ curas libenter convertimus, per quæ religiosæ Christifidelium, qui abnegantes semetipsos divinis obsequiis sese sub suavi arctioris, atque severioris disciplinæ jugo devoverunt, quieti cousulatur, prout matura deliberatione adhibita salubriter expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster, certis tunc expressis causis adductus Eremum Camaldulensium Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationem Montis Coronæ Ordinis Camaldulensis, earumque respectivè Eremos, Monasteria, membra, & alia loca Regularia ab eis dependentia invicem perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, ac ex eis omnibus sic unitis, annexis, & incorporatis unicam dumtaxat Congregat. non amplius Montis Coronæ, sed Eremitarum Camaldulensium de cætero nuncupandam, cujus caput esset præfata Eremus Camaldulensis Etruriæ, similiter perpetuò erexit, & instituit. Ac insuper idem Urbanus Prædecessor unionem, & incorporationem Eremi Camaldulensis in Montibus propè Civitatem Taurin. sitæ una cum aliis Eremis, & domibus, seu locis ab ea dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus præfatæ Congregationi Camaldulen. Montis Coronæ sub certis tunc expressis conditionibus factas autoritate Apostolica approbavit, & confirmavit, & alias prout in binis ipsius Urbani Prædecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis die 8. Octobris 1634. & die 8. Augusti 1635. respectivè expeditis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

NarratioBrevis Urb. VIII.

§. 3. Cum autem (sicut accepimus) subindè inter dilectos filios Eremitas Camaldulenses illos nimirùm nationis Etruriæ, qui militant sub nomine Congregationis Eremi Sacræ ex una, & illos Nationum Status Nostri Ecclesiastici, Dominii Veneti, Regni Neapolis, Poloniæ; & Germaniæ, qui olim militabant sub nomine Congregationis Montis Coronæ ex altera, ac illos Nationis Pedemontanæ ex alia respectivè partibus variæ differentiæ, ac controversiæ exortæ, & suscitatæ fuerint: Nos pro commissa Nobis cœlitus pastoralis officii cura opportunum ejusmodi dissidiis remedium adhibere, ac fraternæ charitatis amœnitatem inter Eremitas præfatos quantum cum Domino possumus restituere atque firmiter solidare cupientes, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui controversias, & differentias præfatas ex commissione rec. mem. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris pariter Nostri, maturè, ac diligenter examinarunt, & perpenderunt, consilio: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem Eremi Camaldulen. Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationis Montis Coronæ earumque respectivè Eremorum, Monasteriorum, membrorum, & aliorum locorum Regularium præfatorum invicem, uniusque Congregationis ex illis sic unitis, annexis, & incorporatis erectionem, & institutionem à memorato Urbano Prædecessore factas, necnon alteram unionem, sive incorporationem Eremi Camaldulen. in Montibus propè Taurinum sitæ una cum aliis Eremis, domibus, & locis ab ea dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus ad præfatam Congregationem Camaldulen. Montis Coronæ factam, & ab eodem Urbano Prædecessore confirmatam, ut præfertur, & prout illas respectivè concernunt emanatas desuper ipsius Urbani Prædecessoris Litteras præfatas ex nunc tenore præsentium revocamus, dissolvimus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac ex nunc revocatas, dissolutas, irritas, & annullatas, viribusque, & effectu vacuas esse, & fore, decernimus & declaramus, necnon nationes præfatas ab invicem separamus, easque ad formam regiminis, quo ante uniones hujusmodi respectivè gubernabantur reducimus.

Controversiæ exortæ.

Facultas Protectoris super liter. & constitutiones.

§. 4. Prætereà dilecto filio Nostro Petro ejusdem S. R. E. Cardinali Vidono nuncupato Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori per easdem præsentes motu pari committimus, & mandamus, ut cuilibet ex dictis Nationibus leges, & consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto autoritate Nostra Apostolica statuat, exactèque observari faciat, jus unicuique tribuat, causas, & lites decidat, & terminet, cæteraque faciat, quæ ad majorem Dei cultum, & gloriam, ac dictarum Nationum tranquillitatem conducere arbitrabitur, Nos enim ipsi Petro Cardinali, & Protectori quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem harum serie motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus tribuimus, & impertimur.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod Eremitæ præfati, & alii quilibet in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, etiamsi cujusvis status, Ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, aut alias speciali, & individua mentione digni existant, illis non consenserint, seù ad ea citati, vocati, & auditi, aut causæ propter quas ipsæ præsentes emanaverint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque quantumvis legitima, pia, & privilegiata

causa,

causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seù adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de latere Legatos dictæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præfatis Urbani Prædecessoris Litteris, ac quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictarum Eremorum, & Congregationum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis etiam eisdem Eremis, & Congregationibus, earumque personis quibusvis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 7. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Octobris 1667. Pontificatus Nostri anno primo.

§. 8. Cum autem (sicut pariter accepimus) nonnulli Eremitæ Nationum prædictarum novas uniones ipsarum Nationum procurare; ac ad eum effectum subscriptiones quorundam simplicium Eremitarum dictæ Congregationis Montis Coronæ emendicare moliantur, non sine notabili observantiæ regularis detrimento, ac recidivarum inquietudinum, atque perturbationum periculo. Nos ejusmodi malis ansam maturè præcidere, ac Religiosæ Eremitarum præfatarum tranquillitati quantum cum Domino possumus consulere cupientes, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, præinsertas Clementis Prædecessoris Litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ac omnibus, & singulis memoratarum Congregationum, seù trium Nationum Eremitis, tam subditis, quam Superioribus etiam Majoratus officio fungentibus, seù alias quocunque gradu, dignitate, officio, vel præeminentia præditis nunc, & pro tempore existentibus, ne de cætero de nova Congregationum seù Nationum præfatarum unione, seù incorporatione, sine nova unius Congregationis ex illis erectione, & institutione per se, vel alium seù alios verbo, vel scripto, seù alias quomodòcunque & qualitercunque, sive directè, sive indirectè sub quocunque etiam charitatis prætextu, colore, vel ingenio tractare, ullosve tractatus forsan inceptos continuare, aut novos inire, sive quovis modo tractantibus consentire audeant quomodòlibet, seù præsumant, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum quorumcunque per eos obtentorum, perpetuæque ad illa, & alia quælibet in posterum obtinenda inhabilitatis pœnis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, à quibus absolutionem, seù adversùs illas rehabilitationem nemo præter Nos, seù Romanum Pontificem pro tempore existentem, (nisi in mortis articulo constitutis quoad excommunicationem hujusmodi dumtaxat) concedere valeat, tenore præsentium districtè prohibemus, & interdicimus; Laicos verò seù Conversos Eremitas dictarum Nationum respectivè, qui præsenti prohibitioni contravenerint, præter, & ultrà excommunicationem præfatam etiam pœna reclusionis in carcere ad decennium puniri, & castigari volumus.

§. 9. Decernentes easdem præsentes, & præinsertas Litteras semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; Nec de supreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliovè quolibet etiam quantumvis formali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudvè quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seù impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti seù se juvare ullo modo unquam posse; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cardinales, & Legatos, nec non

Nun-

Nuncios, & alios præfatos nunc, & pro tempore existentes, sublata pariter eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Clementis Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum volumus pariter, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Octobris 1672. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XXIX. Jubileum universale, ad implorandam divinam opem contra Turcas.

CLEMENS PAPA X.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causæ Jubilei.

INter gravissimas, multiplicesque curas, quibus ex sacrosancti Apostolatus humilitati, atque infirmitati Nostræ divinitus crediti munere assidue urgemur, illa animum Nostrum acriùs, vehementiusque angit, & lancinat sollicitudo, quam de florentissimi olim Poloniæ Regni rebus formidabili Turcarum potentia, atque immanitate summum in discrimen adductis corde jugiter versamus. Quis enim aliquo honoris Dei zelo, atque pietatis sensu præditus in luctuosam tam potentis, tantaque rerum pro Christiana religione fortiter gestarum gloria longè, latèque fulgentis Regni faciem mentis oculos absque lacrymis conjicere possit. Quis ad gravissima, quæ universæ Christianæ Reipublicæ imminent pericula, non expavescat. Expugnata siquidem nuper Camenecia, quæ infensissimorum Christiani nominis hostium impetus non semel cohibuerat, atque fregerat, immitis Turcarum Tyrannus, eo successu inflatus, pro inexplebili, qua flagrat, dominandi, imperiique sui pomæria proferendi libidine, victricia arma quaqua versum circumferre, Arces, Oppida, Civitates, & Provincias debellare, populos servitute opprimere, & miserandam in captivitatem abducere, ac Mahumetanæ perfidiæ abominationem vi, terrore, dolo, omnique conatu in agro Dei viventis plantare non cessat, totamque Rempublicam Christianam clade involvere molitur. Verùm exclamare licet cum Propheta, quis dedit in direptionem Jacob, & Israel vastantibus, nonne Dominus, cui peccavimus? Ita est planè, longanimem Dei patientiam proritant hominum flagitia, ejusque vindictam accersunt: nam ut subjungit idem Propheta, Noluerunt in viis ejus ambulare, nec audiverunt legem ejus, & effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum. Sed qui pius est, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, effundet in nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, huimili confessione agnoscentes, illasque dignis pœnitentiæ fructibus expiare satagentes, offeramus ei cordis contriti holocausta, & orationes Nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas, tanquam incensum super altare ejus adoleamus in odorem suavitatis.

Divina invocatio.

§. 1. Hoc itaque unanimi charitatis fervore agamus omnes, Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis concorditer invocemus, ut Dominator exercituum qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum sicut ab initio, & allidat virtutem inimicorum Nostrorum in virtute sua. Et qui facit pacem in sublimibus, ille fideles suos fortiter vinciat concordiæ nexu, & induat fortitudine, quæ de cœlo est, ut hostes Nostros, qui in multitudine contumaci, & superbia venientes hæreditatem Dei Nostri delere satagunt, protegente Domino, in cujus manu est salvare in multis, & in paucis, dissipent, & disperdant, atque à Christianorum cervicibus longè repellant, quæ ut fructuosius, majorique spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ, omnium matris, & magistræ more cœlestium gratiarum thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus in præsentibus necessitatibus aperire, & liberali manu erogare decrevimus.

§. 2. Igitur ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christifideles tam in Alma Urbe Nostra, quam extra eam ubicumque locorum constitutos Apostolica auctoritate paterne requirimus, monemus, & hortamur ad infrascripta devotè peragendum, ac ad Deum Salvatorem Nostrum toto corde orandum, ut per viscera misericordiæ suæ religionem Christianam, fidemque Catholicam tueri, & protegere, nefariorumque illius hostium Turcarum impetus reprimere, vires conterere, & consilia dissipare, Polonorum animos dissidiis distractos reconciliare, ac in pristinæ charitatis, atque unionis compagem restituere, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare, & firmiter solidare, eorumque vires, & consilia ad tutelam Christiani nominis, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltationem unire, augere, firmisque præsidiis munire, ac piis omnium Nostrorum laboribus, atque conatibus felices successus largiri dignetur.

§. 3. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, & solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, qui solemni processioni, quam aliqua die proximè venturæ hebdomadæ ab Ecclesia S. Mariæ super Minervam ad Ecclesiam S. Stanislai nationis Polonorum de eadem Urbe, una cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbatho alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Do- Requisita ad Jubileum pro existentibus in Urbe.

minica die immediatè ſequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter ſumpſerint, ac pauperibus aliquam eleemoſynam, prout unicuique ſuggeret devotio, erogaverint. Cæteris verò extra Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Eccleſias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, ſeù Officialibus, aut de eorum mandato, & ipſis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ pervenerint, deſignandas, vel Eccleſiarum hujuſmodi aliquam ſpatio duarum ſimiliter hebdomadarum à publicatione deſignationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, ſeù Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurſurarum ſaltem ſemel viſitaverint, ibique ut ſupra oraverint, ac quarta, & ſexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujuſmodi jejunaverint, pariterque peccata ſua confeſſi, ac in die Dominica immediatè ſequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam ſanctiſſima communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemoſynam, ut præmittitur, erogaverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilei viſitantibus certas Eccleſias intra, & extra Urbem prædictam concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus, & largimur.

Concessio pro navigantibus, & iter agentibus, & infirmis.

§. 4. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad ſuas ſe ſe domicilia receperint, ſuprascriptis peractis, & viſitata Eccleſia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam conſequi poſſint, & valeant.

§. 5. Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus, etiam in clauſtris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuſcunque tàm laicis, quàm Eccleſiaſticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeù alio quocunque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa Confeſſarius ex jam approbatis, à locorum Ordinariis ante præſentium publicationem, ſeu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere, quæ ipſi pœnitentes, efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Et monialibus.

§. 6. Inſuper omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus tàm laicis, quàm Eccleſiaſticis Secularibus, & Regularibus cujuſvis Ordinis Congregationis, & Inſtituti tàm in Urbe prædicta, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut ipſi adhunc effectum eligere poſſint quemcunque Presbyterum Confeſſarium tàm ſecularem, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à jure, vel ab homine quavis cauſa latis, ſeù inflictis, nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & aliàs per quaſcumque Noſtras, aut Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodòcunque reſervatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantum abſolvere, & liberare valeant.

§. 7. Et inſuper vota quæcunque (religionis, & caſtitatis exceptis) in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis.

Abſolutio à cenſuris etiam in Bulla Cœnæ Domini.

§. 8. Quapropter tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuſcunque venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque Ordinariis locorum, ubicumque exiſtentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præſentium Litterarum tranſſumpta, aut exempla, etiam impreſſa, acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Eccleſiamque, ſeu Eccleſias viſitandas deſignent.

§. 9. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta; nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quo quomodo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatum tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ, neque etiam eaſdem præſentes iis qui à Nobis, & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeù Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeù alias in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum ſatisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe aut debere.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis præſertim quibus facultas abſolvendi in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Indulgentiarum, & facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, nec non regula Noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, & quorumcunque Ordinum, & Congregationum, ſive Inſtitutorum Regularium, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem Ordinibus Congregationibus, & Inſtitutis, illorumque perſonis quomodòlibet conceſſis, approbatis, & innovatis.

§. 11. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, ac formam in eis traditam pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter, nominatim, & expreſsè ad effectum præmiſſorum derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

§. 12. Ut autem præſentes Noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præſentium tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsùs fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Novembris 1672. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo, Indictione decima, die vero 5. mensis Novembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ X. anno tertio supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranen. Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Carolus Francischinus Mag. Cursor.

XXX.

Declaratio incursus in excommunicationem, & anathema, aliasque pœnas canonicas, ac Excommunicatio, & Anathematizatio illorum qui nefariè vulnerarunt R. P. D. Jacobum Patriarcham Antiochenum, eorumque complicum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Casus, & locus vulnerationis.

CUM sicut non sine gravissima animi nostri perturbatione accepimus, Venerabilis Frater Jacobus Patriarcha Antiochenus die ultima Novembris proximè præteriti circa primam noctis horam, dum per viam Juliam nuncupatam hujus Almæ Urbis nostræ rheda sua domum revertebatur, à nonnullis iniquitatis filiis, qui ad præsens ignorantur, uno, seu pluribus archibusii jaculatibus nefariè petitus, & gravissimè, lethaliterque vulneratus fuerit.

§. 1. Nos crimen adeò horrendum, atque execrandum, & quod Nos sui atrocitate confudit, pœnis per sacros Canones, Conciliorum generalium decreta, & Constitutiones Apostolicas inflictis, & promulgatis pro officii Nostri debito vindicare, & punire volentes; Ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra omnes, & singulos, qui nefarium facinus præfatum in personam dicti Jacobi Patriarchæ commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seù factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium, vel favorem illis dederunt, seù illos scienter defensaverint, vel receptaverint, & generaliter quoscunque tam detestandi sceleris quomodòlibet complices, & culpabiles, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, sive Ecclesiasticæ, sive secularis, etiam specialem, & individuam expressionem requirentis, existant, anathematis, & excommunicationis majoris, aliasque pœnas quascumque à sacris Canonibus, Conciliorum generalium decretis, & Constitutionibus Apostolicis & speciatim illa quotannis in die Cœnæ Domini lege solita inflictas eo ipso damnabiliter incurrisse tenore præsentium declaramus, ipsosque, & eorum quemlibet, & quoscumque scientiam de prædictis delinquentibus habentes, & non revelantes anathematizamus, & excommunicamus, & anathematizatos, & excommunicatos publicamus, & nunciamus. Ab excommunicationis autem, & anathematis hujusmodi sententiis nemo prædictorum per alium, etiam majorem Sedis Apostolicæ Pœnitentiarium, quàm Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem (præterquam in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, atque cum reincidentia eo ipso quo convaluerit) etiam vigore, seù prætextu Jubilei Anni Sancti, Cruciatæ sanctæ aliorumque Jubileorum, Indulgentiarum, indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque Ecclesiasticis secularibus, & quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & locis piis, necnon laicis, etiam Regali, Ducali, & alia mundana præcellentia fulgentibus, per Nos, & Sedem Apostolicam, ac cujusvis Concilii decreta verbo, Litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & etiam pluries innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum, absolvi possit. Nullibi absolvi.

§. 2. Et quia major erit ipsorum confusio quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem præstiterint, & absolutionis beneficium, ut suprà, se obtinuisse docuerint, omnium, & singularum Urbis præfatæ, ejusque districtus Basilicarum, ac Collegiatarum, Parochialium, cæterarumque tàm secularium, quàm regularium, virorum tamen Ecclesiarum respectivè Capitulis, Rectoribus, Conventibus, Collegiis, Superioribus, & aliis quibusvis Administratoribus, seù alias quomodòlibet earum curam gerentibus, necnon omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis ubilibet constitutis per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut Capitula quidem, Rectores, Conventus, Collegia, Superiores, Administratores, & Ecclesiarum curam gerentes præfati in eisdem Basilicis, & Ecclesiis Urbis, dicti verò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & locorum Ordinarii per se, vel alium, seù alios per omnes Civitatum, & Diœcesum suarum Ecclesias respectivè quibuslibet diebus Dominicis, & festivis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis, & candelis accensis, prædictos sic excommunicatos, anathematizatos solemniter publicent, seù publicari curent, & faciant.

§. 3. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, graviùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

§. 4. Decernentes præsentes Litteras, etiam ex eo quod prædicti, & quicumque alii in præmissis interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, aut alio quopiam quantumvis substantiali defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, notari, impugnari, invalidari, redargui, seù rescindi, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu proprio concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo unquam tempore posse. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causa-

rum

rum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuscumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seù quibusvis aliis cujuscumque ordinis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi ut præmittitur Pontificali, Regali, Ducali, seu quavis alia Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, à Sede prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunerationis, etiam intuitu, & contemplatione Regum, Ducum, Rerumpublicarum, & aliorum quorumcumque ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, at etiam consistorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari, & anathematizari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem.

§. 6. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter derogamus, ac derogatum esse decernimus, & volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Decemb. 1672. Pontificatus nostri anno tertio.

XXXI.

Confirmatio Decreti Cameralis, & illius ampliationis in favorem Inquilinorum respectu Anni Sancti.

Palutius tit. SS. XII. Apostolorum Presbyter Card. de Alteriis S.R.E. Camerarius.

Ad favorem Inquilinorum, & Subinquilinorum hujus Almæ Urbis respectu Anni Sancti, seu Jubilei quandocumque hujusmodi Annus venisset de mandato fel. recor. Pauli Papæ Tertii Decretum Camerale, & subinde de pari mandato etiam fel. rec. Gregorii Papæ XIII. dicti Decreti confirmatio, & ampliatio emanarunt hujusmodi sub tenore, videlicet.

Causa hujus decreti.

§. 1. Aloysius tit. S. Marci Presbyter Card. Cornelius S.R.E. Camerarius. Invenimus alias Decretum in Camera Apostolica in favorem Inquilinorum factum tenoris sequentis, videl. Guido Ascanius Sfortia S. Eustachii Diaconus Cardinalis de S. Flora S.R.E. Camerarius. Nuper nobis in Camera Apostolica non sine animi nostri displicentia pro parte Inquilinorum, & Subinquilinorum Urbis querelantium expositum fuit, quod ipsi à Dominis Domorum per eos ad pensionem annuam conductarum respectu Anni Sancti, sive Jubilei, tàm sub augumento pensionis fictos oblatores majorem pensionem offerentes inducentibus, quàm etiam super earum evacuatione, etiam locatione durante asserentibus domos prædictas pro eorum usu habere velle quotidie molestantur, & ex domibus per eos conductis contra formam Juris expelluntur; Nihilominus expulsis Inquilinis, sive Subinquilinis domos prædictas pro majori pretio in grave damnum Inquilinorum, sive Subinquilinorum contra formam Decreti Cameralis, eorum promissionis, obligationis, & juramenti alteri locant. Nos ut tenemur ex debito nostri Camerariatus officii tranquillitati Curialium Inquilinorum, & Subinquilinorum, ac malitiis, calumniis, litibus, & controversiis, quæ inter Dominos domorum ex una, ac Inquilinos, & Subinquilinos partibus ex altera quotidie exinde oriuntur, quantum possumus providere cupientes, ne Decretum alias per Antecessores Nostros, & Cameram Apostolicam in favorem Inquilinorum factum in damnum, & præjudicium ipsorum retorqueatur: Idcirco de mandato Sanctissimi D. N. Papæ vivæ vocis oraculo nobis desuper, ac ex Decreto in Camera Apostolica matura consideratione facto statuimus, & ordinamus, quod in futurum respectu Anni Sancti, vel Jubilei quandocumque hujusmodi Annus venerit per annum antea, & pro dicto Anno Sancto, vel Jubilei Inquilinis pensio domus per eos conductæ à dominis ipsius augeri, nec modus solvendi pensionem alterari possit.

§. 2. Insuper pro majori Curialium Inquilinorum, & Subinquilinorum quiete, & ad lites, & controversias evitandas, ut præfertur oraculo, & Decreto similibus declarando, Decretum in favorem Inquilinorum per Antecessores Nostros, & per Cameram Apostolicam aliàs factum in perpetuum statuimus, & ordinamus, quod ex nunc in posterum durante locatione Inquilini, tàm ipse Inquilinus, quàm Subinquilinus ejusdem ex domo ab eisdem conducta, sive subconducta à Domino ipsius asserente dommum suam pro usu suo habere velle expelli non posse, nisi juxta formam Juris communis, finita verò locatione quocumque modo finiatur, si Dominus pro usu suo domum habere intendit, tunc utroque casu Inquilinus expelli non possit, nisi prius Dominus juraverit, ac sub pœna amissionis pensionis duorum annorum domus, de qua agetur de non locando alteri domum prædictam, vel partem ipsius, sed eam totam per seipsum per annum inhabitando in ampliori forma Cameræ Apostolicæ cum censuris, & mandatis executivis se obligaverit; Et si Dominus contravenerit statim in pœnam prædictam incidat, quæ pœna si non intervenerit accusator pro medietate, Fisco, pro pœna perjurii, pro alia verò Inquilino, vel Subinquilino respectivè in casu suo applicanda sit, sed si in dd. casibus intervenerit accusator, tertia pars pœnæ prædictæ unicuique ipsorum applicetur.

Pœna contravenientium huic decreto.

§. 3. Declarantes, quod Subinquilinus finita locatione sui autoris quocumque modo finiatus etiam de consensu Domini, & Inquilini hujusmodi Inquilinorum privilegio non gaudeat, sed Domino volente teneatur eam liberam, & expeditam relaxare, nisi ab ipso Domino reconductam habeat, & si Notarius obligationem, & promissionem per Dominos domorum fiendam contra formam præsentis nostri, & Cameræ Apostolicæ Decreti rogare præsumpserit ad pœnam supradictam teneatur, & statim docto summariè per duos testes de contraventione Domini domorum, vel Notarii, tàm contra eosdem Dominos, quàm contra Notarium censuræ, sivè mandatum executivum tàm ad instantiam Fisci, quàm Inquilini, Subinquilini, & accusatoris parte citata per Rev. Præsidentem Viarum per Cameram Apostolicam deputatum, & pro tempore deputandum relaxetur.

§. 4. Inhibentes omnibus, & singulis Almæ Urbis Judicibus tàm Ecclesiasticis, quàm Secularibus, ne viso præsenti nostro, & Cameræ Apostolicæ Decreto, sub majoris excommunicationis, suspensionis à divinis respectivè, ac sub aliis arbitrii nostri, & successorum nostrorum pœnis contra illius formam judicare, vel sententiare audeant, sive præsumant, nec quilibet ipsorum audeat, seù præsumat, sed omnia in præsenti Decreto contenta toties, quoties, opus fuerit futuris temporibus perpetuo, inviolabiliter observare ac observari facere teneantur, & debeant, & quilibet ipsorum teneatur, & debeat quocumque alio Decreto in contrarium forsan desuper facto, cæterisque in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque, si secus &c. irritum &c. sublata &c. & ut præfati Domini Judices, Fiscus, Notarii, Inquilini, Subinquilini, accusatores, & alii Curiales de omnibus contentis præsenti nostro, & Cameræ Apostolicæ Decreto plenam notitiam habeant Decretum hujusmodi in libris Cameræ Apostolicæ registrari, imprimi, in locis publicis solitis, & consuetis, affigi, ac publicè vendi, transsumptoque eiusdem impresso manu vnius ex Notariis Cameræ Apostolicæ subscripto tàm in judicio, quàm extrà indubitatam fidem adhibet volumus, & mandamus. Datum Romæ in Camera Apostolica anno à Nativitate Domini M. D. XLIX. Indictione septima, die verò 29. Aprilis, Ponficatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pauli Divina providentia Papæ Tertii. Guido Ascanius Cardinalis Camerarius. Visa Hier. Baren. Cameræ Apostolicæ Decanus. Visa Jul. Gonzaga Cam. Apost. Clericus. Visa A. Bononien. Cam. Apostol. Clericus. Visa Hie. Torcellanus Cam. Apost. Clericus. Visa F. Soderinus Cameræ Apostolicæ Clericus, & Viarum Præsid. Visa A. Floren. Camer. Apost. Clericus, A. Peregrinus.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 5. Cum verò ad Sanctissimum D. N. magnis Inquilinorum querelis perlatum esset Dominos domorum suppositis fictis oblatoribus hoc Anno pensiones ita augere cepisse, ut non modica inde eorum perturbatio, & præjudicium sequatur. Idcirco idem Sanctissimus D. N. vivæ vocis oraculo nobis injunxit, ut pro commisso Nobis Camerariatus officio super ea re maturè provideremus. Nos itaque volentes Apostolicis, ut par est obedire mandatis, simulque considerantes, quod Anni Sancti appropinquantis lætitia, atque devotio ab omnibus cum benedictione suscipi, non in occasionem lucri cum aliena calamitate fieri debeat, eodem vivæ vocis oraculo, & auctoritate nostri Camerariatus officii supradictum Decretum confirmantes, & innovantes, illudque insuper ampliantes statuimus, & ordinamus, quod in futurum respectu Anni Sancti, sive Jubilei, quandocumque is Annus venerit, per duos annos antea, & ipso Anno Sancto Inquilinis pensio domus, sive apothecæ per eos conductæ á Dominis ipsius, nec augeri, nec modus solvendi pensionem alterari possit, sive veteres Inquilini in conducta domo, vel apotheca manere velint, sive novi conducant, sub pœna in supradicto Decreto contenta, & ut præmissa omnia ad quorumcumque notitiam deducantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus præsens nostrum Decretum, & statutum in libris ejusdem Cameræ registrari, & in locis solitis, & consuetis ejusdem Urbis affigi, & publicari, illiusque transsumpto impresso, & manu unius ex dictæ Cameræ Notariis subscripto tantam fidem in judicio, & extra adhiberi qualis, & quanta eisdem præsentibus originalibus litteris adhiberetur, si in medium exhiberentur.

Datum Romæ in Camera Apostolica die 20. mensis Februarii M. D. LXXIII. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii Divina providentia Papæ XIII. anno primo. Aloysius Corn. Card. Camerarius. Ant. Guid. Aud. Andreas Martini.

Confirmatio à variis summis Pontificibus.

§. 6. Quod quidem Decretum, & illius ampliatio postea per simil. mem. Clementem VIII. Gregorium XV. & Innocentium X. denuò confirmari, & servari mandatum fuit per publica Edicta diversorum Cardinalium S. R. E. Camerariorum prædecessorum nostrorum in actis Brunori olim prædictæ Cameræ Notarii sub diebus 22. Maji 1598. 9. Maji 1623. & 14. Januarii 1648. respectivè expedita.

§. 7. Et volens Sanctissimus Dominus Noster D. CLEMENS Divina Providentia Papa X. suorum Prædecessorum vestigia insequendo pro tranquillitate Curialium, ac dd. Inquilinorum, & Subinquilinorum, ut Decretum, & ejus ampliatio hujusmodi omninò serventur Nobis, ut Decretum, & ampliationem ipsa confirmaremus, & observari mandaremus specialiter injunxit.

§. 8. Nos itaque mandata Apostolica, ut par est exequi volentes, & ut proximus futurus Annus Sanctus, sive Jubilei in remissionem peccatorum, & Christi fidelium animarum salutem institutus ea qua decet pietate, & devotione, atque lætitia, non autem in occasionem lucri suscipiatur, & nemini ex causa habitationum, & usus domorum, & apothecarum ejusdem Urbis litigandi materiam, vel aliquod aliud afferat incommodum opportunè providere, ac prædecessorum nostrorum vestigia in his insequi volentes de expresso ordine, & mandato ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ vivæ vocis oraculo nobis desuper facto, & auctoritate nostri Camerariatus officii præinsertum Decretum Camerale, necnon illius confirmationis, innovationis, & ampliationis litteras, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa quæcumque tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac prædictis Inquilinis, & Subinquilinis Decretum, & litteras hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta quæcumque à domorum, & apothecarum Dominis, ac aliis, ad quos spectat perpetuò, plenariè, inviolabiliter, & ad unguem etiam sub pœnis in illis contentis observari, & adimpleri; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & subdelegatos judicari, & definiri debere, de mandato, & auctoritate similibus earundem tenore præsen-

tium

tium decernimus, & mandamus. Irritum nihilominus decernentes, & inane quicquid secus fiet; contrariis non obstantibus quibuscunque.

§. 9. Volumus insuper, pariterque decernimus, quod præsentium transsumptis etiam impressis, unius ex quatuor dictæ Cameræ Secretariis manu subscriptis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ originalibus ipsis adhiberetur, si in medium exhiberentur. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Camera Apostolica Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, Indictione 11. die verò prima mensis Januarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X. Anno tertio.

P. Cardinalis de Alteriis Cam.

Franciscus Maria Antaldus Aud.

Matthæus de Angelis C. A. Secr. & Cancell.

Die, mense, Anno, Indictione, ac Pontificatu quibus supra, præsens Confirmatio affixa, & publicata fuit ad valvas Curiarum Illustriss. A. C. Eminentiss. Vicarii, ac Illustriss. Gubernatoris, & Capitolinæ, in acie Campi Floræ, ut moris est, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Græcum Apost. Cursorem.

Gregorius Staggius Mag. Cursor.

XXXII.

Confirmantur Indulgentiæ à Paulo V. concessæ Archiconfraternitatibus sub Invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, irritantur nonnullæ, & adduntur aliæ & quæ sint.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injunctæ Nobis cœlitùs dispensationis munere spiritualium gratiarum largitiones ad excitandam, fovendamque Christifidelium pietatem à Romanis Pontificibus pia, prudentique liberalitate factas, ut firmiùs subsistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio libenter roboramus, easque etiam pari Pontificiæ charitatis benignitate interdùm ampliamus, & alia desuper ordinamus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad Christiani Populi ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Indulgentiæ à Paulo V.

§. 1. Dudùm siquidem fel. recor. Paulus Papa V. Prædecessor Noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati, & Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus de cætero fruerentur, duxerat præscribendas, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitatibus sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum erectis, & erigendis, illarumque Confratribus, & Consororibus eatenùs per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores suos concessas, revocans, ac nullius roboris, & momenti fore declarans; omnibus utriusque Sexus Christifidelibus, qui Confraternitates sub invocatione ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum, tàm eatenùs canonicè institutas, quàm deinceps instituendas, in posterùm ingrederentur, & habitum, sivè Scapularium Religionis benedictum de manu alicujus Superioris Ordinis ejusdem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, sine alicujus voti emissione suscepissent, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, plenariam; Ac tàm ipsis tunc, & pro tempore describendis, quàm jam descriptis in dictis Confraternitatibus, Confratribus, & Consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter verè pœnitentes, & confessi, sacraque Communione refecti, & Scapularium dicti Ordinis deferentes, nomen JESU ore, si possent, sin minus, corde devotè invocarent, etiam plenariam; Nec non eisdem Confratribus, & Consororibus, qui similiter verè pœnitentes, & confessi, ac Sacrâ Communione refecti, die festo Sanctissimæ Trinitatis Ecclesias, vel Cappellas, seù Oratoria dicti Ordinis, vel Confraternitatum hujusmodi devotè visitavissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oravissent, plenariam similiter; Eisdem etiam Confratribus, & Cooperatoribus, qui pro Captivorum redemptione facienda ad partes infidelium proficiscuntur, si ante discessum verè pœnitentes, & confessi idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscepissent, plenariam pariter; Nec non ipsismet Captivis redemptis, si idem post reditum intra mensem egissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit.

§. 2. Insuper iisdem Confratribus, & Consororibus, qui dictum Scapularium, sivè habitum benedictum cum signo Redemptionis Nostræ pro cordis affectu gestarent, & semel in dies sexies Orationem Dominicam, cum versiculo *Gloria Patri* &c. & totidem vicibus Salutationem Angelicam, cum eodem versiculo pro pace Christianorum Principum, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, & hæresum extirpatione recitarent, septem annos, & totidem quadragenas; Qui verò in festis Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri JESU Christi, ac Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctæ Agnetis secundo, in quo die dictus Ordo nutu divino fuit institutus, Ordinis, vel Confraternitatum prædictarum Ecclesias, vel Cappellas, seù Oratoria visitassent, & ibi ut præfertur oravissent, septem annos, & totidem quadragenas; Nec non etiam ipsis Confratribus, & Consororibus, qui uno cujuslibet mensis Dominico die à Superioribus dicti Ordinis præscribendo, in quo de Ordinarii licentia Processio fieret, quam appellant Scapularii eidem processioni verè pœnitentes, & confessi interfuissent, septem annos, & totidem quadragenas: Ipsis similiter Confratribus, & Consororibus pia opera exercentibus tàm spiritualia, quàm temporalia in peccatorum suorum remissionem pro redemptione Captivorum à Turcarum, & aliorum infidelium servitute, septem annos, & totidem quadragenas, Illis verò utriusque Sexus Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quotidie per annum quotidie recitavissent ter orationem Dominicam, & totidem vicibus Salutationem Angelicam, & in fine semel versiculum *Gloria Patri* &c. cum versiculis, & responsoriis, ac oratione à prædictis Superioribus præscribendis, & oravissent pro iis, qui Captivi apud Turcas detinentur ne nomen Salvatoris Nostri abnegent, sed fortes in fide Christi persistant, & quantocitius à servitute liberentur semel quotannis, & anni die quo mallent; septem annos; Ac eisdem Confratribus, & Consororibus, qui dictos redemptos processionaliter recepissent; & ad Ecclesiam, vel Cappellam,

seù Oratorium dicti Ordinis, vel Confraternitatis associassent, si confessi essent, vel saltem confitendi propositum haberent dicto tempore septem annos, & totidem quadragenas; Ipsis quoque etiam utriusque Sexus Confratribus, qui cum lumine, si possent, vel sine eo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quando ad Infirmos defertur comitati fuissent, & pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effudissent quinque annos, & totidem quadragenas; nec non qui Corpora defunctorum, tàm Confratrum, & Consororum, quàm aliorum ad Sepulturam Ecclesiasticam associavissent, & pro eorum animabus oravissent, centum dies; Quoties verò Missis, & aliis divinis Officiis in Ecclesia, vel Cappella, seù Oratorio dictarum Confraternitatum pro tempore celebrandis, & recitandis, seù Congregationibus publicis, vel privatis earundem Confraternitatum interfuissent, aut pauperes hospitio suscepissent, vel quodcumque aliud pietatis, & charitatis opus exercuissent, toties pro quolibet præfatorum operum centum dies de injunctis, seù aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavit.

Interessentibus processioni cujuslibet mensa.

Perturbationes inde exortæ.

§. 3. Prætereà tunc, & pro tempore existenti Ministro Generali dicti Ordinis, seù ejus Generali, etiam Procuratori in Romana Curia commoranti, ut hujusmodi Confraternitates sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes supradictas Indulgentias, servata tamen forma Constitutionis rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri super Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ, communicare, liberè, & licitè posset, & valeret auctoritate Apostolica facultatem concessit, & impertitus est. Ac postmodùm idem Paulus Prædecessor volens Confraternitates sub ejusdem Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatæ Mariæ Virginis de Remedio nuncupatæ invocationibus in Ecclesiis domorum Regularium Fratrum Ordinis præfati per Universum Orbem (ut asserebatur) canonicè institutas, illarumque Confratres, & Consorores, qui (sicut dictus Paulus Prædecessor acceperat) ut in una Dominica cujuslibet mensis solemnem processionem magna cum Populi frequentia peragere solebant, speciali dono decorare, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum Confratribus, & Consororibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui processioni per easdem Confraternitates in una Dominica cujuslibet mensis in Ecclesiis prædictis fieri solitæ devotè interfuissent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quotiès id egissent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & aliàs prout in binis Litteris ipsius Pauli Prædecessoris, unis die VI. Augusti M. DC. VIII. & alteris die VI. Novembris M. DC. XX. respectivè in simili forma Brevis desuper expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, & quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 4. Cùm autem sicut Dilecti Filii Petrus Mercier Minister Generalis, & Dominicus Tafuri in Romana Curia Procurator Generalis dicti Ordinis Fratrum Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecerunt, super indulgentiis, & peccatorum remissionibus, quæ Confraternitatibus præfatis auctoritate Apostolica concessæ, seù communicatæ esse asserebantur, variæ in diversis Mundi partibus exortæ sint controversiæ, quæ & Christifideles magnoperè perturbarunt, & gravibus scandalis causam dederùnt, ut verò ejusmodi controversiis, atque scandalis ansa præcidatur, omnisque dubietatis tollatur occasio, iidem Petrus Minister Generalis, & Dominicus Procurator Generalis, plurimum cupiant opportunè in præmissis à Nobis provideri.

§. 5. Nos ipsorum Petri Ministri Generalis, ac Dominici Procurat. Gen. votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarùm relaxationes, quas memoratus Paulus Prædecessor Confraternitatibus tàm erectis, quàm erigendis præfatis, earumque Confratribus, & Consororibus, aliisque personis supradictis per binas suas Litteras præfatas sicut præmittitur concessit, ipsasque Litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illasque eisdem Confraternitatibus tàm erectis, quàm in futurum quandocunque erigendis, earumque Confratribus, & Consororibus denovo concedimus.

§. 6. Prætereà eosdem Confratres, & Consorores ad pietatis, & Christianæ charitatis ergà Christifideles, qui dura Turcarum, aliorumque Infidelium servitute opprimuntur, exercendæ opera uberiorum gratiarum spiritualium, quarum dispensationem Nobis commisit Deus, elargitione incitare cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis dictarum Confraternitatum canonicè hactenùs erectarum, & in futurum quandocunque erigendarum Confratribus, & Consororibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis, vel suarum respectivè Confraternitatum Ecclesias, vel Oratoria in Nativitatis, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, ac S. Michaëlis Archangeli, Sancti Clementis Papæ, & Martyris, inventionis Sanctæ Crucis, & Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ festis diebus devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non Captivorum præfatorum liberatione, eorumque perpetua perseverentia in Cristiadæ Religionis, Catholicæque fidei professione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; Illis verò qui aliquam ejusdem Ordinis Ecclesiam, aut suarum respectivè Confraternitatum Ecclesias, seù Oratoria hujusmodi in diebus Stationum Ecclesiarum Almæ Urbis Nostræ, prout in Missali Romano exprimuntur pariter devotè visitaverint, & ibidem sicut jam dictum est oraverint, ut omnes, & singulas Indulgentias,

Nova Indulgentia conceditur certis diebus.

&

& peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si easdem Ecclesias Urbis in diebus Stationum hujusmodi personaliter, & devotè visitarent, dicta auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus.

Omnes aliæ indulgentiæ revocantur.

§. 7. Cæterùm alias omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relexationes, si quæ, præter eas, quas, ut præfertur confirmavimus, & de novo respectivè concessimus, Confraternitatibus præfatis quovis modo generaliter concessæ, & nondùm revocatæ sint, aut quomodolibet prætendantur, auctoritate, & tenore præfatis perpetuò revocamus, irritamus, & annullamus, nulliusque roboris & momenti esse, & fore, decernimus, & declaramus. Ac tàm præfatis Petro, & Dominico modernis, quàm pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali Ordinis præfati, ut hujusmodi Confraternitates sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ubivis locorum erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas supradictas, à Nobis confirmatas & de novo respectivè concessas, non autem ullas alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes communicare liberè, & licitè possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata tamen cæteroqui præfatæ Constitutionis Clementis prædecessoris forma, & dispositione, facultatem dicta auctoritate earundem tenore præsentium concedimus & impertimur.

Formula orationis in Urbe.

§. 8. Porrò in functione quadam, quam Communicationem Indulgentiarum vocant, quæque à Fratribus Ordinis præfati certis anni diebus in eorum Ecclesiis fieri solet, abrogata veteri formula, quæ dudùm à tunc existente Romani Pontificis in Urbe præfata Vicario in spiritualibus Generali composita, & per quoddam Decretum Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum in aliqua sui parte correcta fuit post Antiphonas, versiculos, & Orationes ibidem expressas, de cætero servari volumus formulam infrascriptam, videlicèt: Dominum nostrum JESUM Christum humiliter deprecamur, ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benignè concedat, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas fel. record. Paulus Quintus & ejus Successores Summi Pontifices Ordini Nostro, cùm specifica facultate eas Confraternitatibus nostris communicandi concesserunt, juxtà privilegiorum Apostolicorum tenorem, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ Decretorum dispositionem. Misereatur vestri Omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet, & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam; Qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

§. 9. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quantenùs opus sit Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Februarii M. DC. LXXIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXXIII.

Decretum celebrationis Officii Sancti Cajetani Thiænæi Theatinorum Fundatoris ab omnibus utriusque sexus ad recitationem obligatis in die 7. Augusti de Communi Confess. non Pontif.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio per ineffabilem Divinæ Clementiæ abundantiam evecti, Sanctorum in Cœlis cum Christo Jesu Domino Nostro regnantium, illorum præsertim, qui in diebus peregrinationis suæ salubrium fuerunt autores Institutorum, quibus Ecclesia Dei cum ingenti animarum fructu multipliciter decoratur, cultum, & venerationem in terris promovere studemus, sicut ad Omnipotentis Dei, qui in Sanctis suis honoratur gloriam, fideliumque ædificationem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

S. Cajetanus catalogo Sanctorum adscriptus.

§. 1. Itaque eximia Sancti Cajetani Thiænei Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum Fundatoris, quem Nos Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripsimus, in Ecclesia Dei merita, pio, peculiarique devotionis affectu recolentes, sinceramque Nostram in eum pietatem aliquo honorum incremento magis testatam esse cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, de eodem Sancto Cajetano, quotannis die 7. Augusti celebretur festum cum Officio de Communi Confessorum non Pontificum sub ritu Semiduplici, de præcepto ab omnibus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, & sub eodem ritu in Calendario Breviarii Romani apponatur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis

& sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Martii 1673. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XXXIV. Præceptum in Carmelitas Discalceatos Congregationis Hispaniæ, ne audeant Conventum ædificare in Oppido de Bilbao Calaguritanæ Diœcesis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Magistratus, & Populi, ac Capituli, & Beneficiatorum, necnon Fratrum Conventuum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, & Eremit. Sancti Augustini Oppidi de Bilbao Calaguritanæ Diœcesf. Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dilecti pariter filii Fratres Carmelitæ Discalceati Congregationis Hispaniæ occasione legati cujusdam domus, horti, & furni in dicto Oppido existentium sibi à quondam Maria Diaz de Aguirre anno 1628. ad effectum erigendi ibidem novum Conventum eorum Religionis facti, tentaverant diversis vicibus, nempè annis 1619. & 1629. ac 1665. habere desuper necessarium consensum Civium, & incolarum, ac Ecclesiarum Parochialium dicti loci, eisque semper fuerat denegatus, ex eo quod in eodem loco, ejusque suburbiis respectivè aderant duæ Parochiales Ecclesiæ cum viginti quatuor Beneficiatis participantibus, & totidem expectantibus, quinque Conventus Regularium, & mendicantium, quorum duo erant Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia, septem Monasteria Monialium, & sexdecim Confraternitates Laicales, ac Hospitalia pauperum, & horum ratione prætensa fundatio hujusmodi expressè prohibita fuerat, & quia dicti Fratres Carmelitæ aperuerant de facto Oratorium, in quo Missam celebrabant, mandatum fuerat illud claudi, prout clausum fuerat: sed his non obstantibus iidem Carmelitæ nulla facta mentione præmissorum, imò ex falsa narratione, quod à Civibus, & incolis dicti loci de Bilbao desideratur dicta nova fundatio, & quod reditus ex dicto legato, seù hæreditate Mariæ de Aguirre provenientes, & Civium pietas ad alendos duodecim Fratres sufficere possent, extorserant à felic. recordation. Clemente Papa IX. Prædecessore Nostro specialem commissionem directam Ordinario Calaguritano, ut constito sibi de veritate expositorum, petitam licentiam fundandi concederet, prout in Litteris ipsius Clementis Prædecessoris in simili forma Brevis die 24. Septembris 1668. expeditis continetur, & successivè narrato, quod in multis locis Regnorum Hispaniæ novas Domos, & Monasteria dictæ Religionis fundari desideraretur, obtinuerant ab eodem Clemente Prædecessore sibi confirmari, antiqua privilegia Apostolica à recol. mem. Paulo V. & Gregorio XV. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostris concessa fundandi ubique locorum de sola licentia Ordinarii, nulla factæ revocationis amplissimæ omnium privilegiorum hujusmodi à piæ memoriæ Urbano Papa VIII. etiam prædecessore Nostro facta mentione, prout in aliis ipsius Clementis Prædecessoris pariter in forma Brevis die 8. Octobris ejusdem anni 1668. emanatis etiam continetur; harumque Litterarum vigore extorserant sub die 2. Novembris 1669. à tunc existente Vicario Generali Episcopi Calaguritani licentiam fundandi; sed recusante Populo, ac Clero seculari, & Regulari eos recipere, fuerat de mandato, & cum assistentia, tunc existentis Gubernatoris Cantabriæ, & Officialium ejusdem loci de Bilbao mense Januario 1670. convocatum generale concilium ipsis loci, ad effectum videndi, an & quanta pars Populi ipsos Carmelitas desideraret, ac posset eos suis eleemosynis sustentare, & pariter compertum fuerat, omnes dictam novam fundationem recusare ex eisdem causis supra narratis.

§. 1. Unde devolutá causá ad prædictam Cardinalium Congregationem, fuerat ab eadem scriptum Venerabili Fratri moderno Episcopo Calaguritano pro informatione, qui licet retulisset sibi constare per instructiones secretas habitas à viris ab omni suspicione alienis, dictique Oppidi rerum optimè peritis, dictam fundationem nulli in temporalibus damnosam, & omnibus in spiritualibus fore proficuam, ideoque majorem populi partem illam desiderare; tamen cum relatio hujusmodi appareret erronea, & minus vera ex supra relatis conciliis publicis, & contradictionibus semper factis à Populo, Ecclesiis Parochialibus, & Conventibus Sancti Francisci, & Sancti Augustini, causa hujusmodi in prædicta Cardinalium Congregatione die 25. Novembris proximè præteriti proposita, eadem Congregatio partibus utrisque informantibus, re maturè ac diligenter discussa, declaraverat non esse locum prætensæ fundationi Conventus Carmelitarum Discalceatorum in supradicto Oppido de Bilbao Calaguritan. Diœc. non obstan. eorum assertis privilegiis, ac indultis Apostolicis, quæ in casu de quo agebatur censuerant iis minimè suffragari, ac proindè prædictos Fratres Carmelitas non esse amplius super hujusmodi fundatione audiendos: Et in eadem expositione subjuncto, quod cum non obstante Decreto Congregationis hujusmodi nova audientia dictis Fratribus Carmelitis ex speciali rescripto nostro concessa fuisset, prædicti exponentes cupiebant ex eisdem rationibus supra relatis, & antea deductis confirmari dictum Decretum, ac ad obviandum novis scandalis, & litibus declarari, quod non liceret eisdem Fratribus Carmelitis retinere in dicto loco de Bilbao hospitium, nec aliam permanentem habitationem cum nova impositione perpetui silentii. Relatio Episcopi Calaguritani.

§. 2. Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita partibus hinc inde informantibus, negotio diligenter, & accuratè examinato, referente Eminentissimo Nino censuit persistendum esse in Decreto alias ut supra die 25. Novembris 1672. edito, ac propterea non esse locum prænarratæ fundationi Romæ 21. Aprilis 1673. F. M. Cardinalis Brancatius Loco † sigilli. N. Casanata Sacretarius. Confirmatur à Sac. Congr.

§. 3. Cum autem sicut iidem exponentes Nobis subindè exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri

summoperè desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Maji 1673. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXXV.

Approbatio, seù confirmatio Decreti Sac. Congregationis Regularium contra erectionem domus, seu Conventus Capuccinorum in Civitare, & Insula Majoricen. & perpetuum desuper impositum silentium.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in Insula Majoricæ degentium Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod Fratres Minores Ordinis ejusdem Sancti Francisci Capuccini nuncupati jam inde ab anno 1649. promovere cœperant fundationem novi Conventus in Insula & Civitate Majoricen. sed propter angustiam regionis, & nimiam quantitatem Conventuum, & Monasteriorum aliorum Mendicantium, ac Monialium usque ad nimirum quadraginta trium in Insula, quorum viginti septem sunt Mendicantium, & ex his octo Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, alia duo Monachorum, & reliqua Monialium, fuerant semper rejecti, & nihilominus cum de facto ibi dem hospitium aperuissent.

Decretum Sac. Congreg. in Cappuccinos.

§. 1. Dicta Congregatio ad supplicationem eorumdem Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia die 28. Januarii 1650. injunxerat tunc existenti Ordinario Majoricen. ut attenta contradictione dictorum Mendicantium nihil innovaret, nec permitteret ut Fratres Cappuccini Hospitium, nec aliam domum permanentem in dicta Civitate aperirent, nec retinerent.

§. 2. Verum dictis Fratribus Cappuccinis obedire recusantibus, opus fuerat, ut eadem Congregatio die 15. Junii ejusdem anni 1650. præcisè committeret Episcopo, ut illos cogeret ad discedendum ab Insula, sed illis obstinatissimè recusantibus obedire, prævio etiam confugio ad prætensas exemptas domos Hospitalis Sancti Joannis Hieronymi, iterum ipsa Congregatio mandaverat expressè eidem Episcopo, ut ordinationes circa eorumdem Fratrum Capuccinorum expulsionem hujusmodi alias prout in terminis dictæ Congregationis Litteris super præmissis respectivè emanatis plenius dicitur contineri, & successivè nempè die septima Septembris 1657. eadem Cardinalium Congreg. per suum decretum injunxerat Ordinario Majoricensi ut non permitteret, contradicentibus aliis Mendicantibus absque Sedis Apostolicæ expressa facultate, in ea Civitate per Fratres Cappuccinos Conventum erigi, seù per ejusdem loci Cives, Ministros, seu quoscumque alios super præmissis quidquam quomodolibet attentari, sed servatis circa ea quicquid in ipsis Congregationis Litteris ad eundem Ordinarium alias datis continebatur, mandaret, & præciperet, in contrarium non obstantibus quibuscumque, dictumque decretum etiam per quasdam fel. record. Alexandri PP. VII. Prædecessoris Nostri Litteras in simili forma die 28. Januarii 1658. expeditas confirmatum fuerat.

Decretum pro Cappuccinis subreptitium.

§. 3. His tamen non obstantibus dicti Fratres Cappuccini die 5. Septembris 1671. nulla facta mentione prædictorum Decretorum Congregationis prædictæ subreptitiè à Nobis per quasdam nostras pariter in forma Brevis Litteras obtinuerant facultatem, & licentiam erigendi dictum novum Conventum in dicta Civitate Majoricensi de consensu Ordinarii, cum clausula tamen, servatis alias ex præscripto Constitutionum Apostolicarum servandis, prout in eisdem Litteris uberius continetur, illarumque vigore die 2. Augusti proximè præteriti, non citatis, nec auditis memoratis Fratribus Minoribus de Observantia nuncupatis in dicta insula octo Conventus, ex quibus duo sunt antiquissimi in ipsa Civitate, habentibus, extorserant consensum à Venerab. Fratre Episcopo Majoricen. & successivè clam, & de nocte in certis domibus Hospitium aperuerant cum Oratorio, & Cappella publica, etiam cum campana, celebrantes quotidie Missas in ea, prout ex processu publico in dicta Congregatione exhibito constare dicebatur, unde die 27. Januarii proximè præteriti proposita causa super subreptione dictarum nostrarum Litterarum & revocatione attentatorum earum vigore commissorum, Congregatio prædicta utraque parte informante, rescripserat, seu decreverat easdem Litteras Nostras tanquam subreptitias non esse exequendas, & quidquid vigore illarum gestum erat, tanquam attentatum esse revocandum, ac servandas esse ordinationes, & decreta alias data, & facta: Et in eadem expositione subjuncto, quod cum eisdem Fratribus Cappucci-

nis

nis contra hujusmodi Decretum nova audientia concessa fuisset, prædicti exponentes ex iisdem rationibus supra relatis, & aliis deductis in scripturis antea exhibitis cupiebant confirmari dictum Decretum, cum impositione etiam perpetui silentii, & præcepto, seu specifica commissione eidem Ordinario Majoricensi, ut per censuras, aliaque remedia necessaria omninò compelleret dictos Fratres Cappucinos discedere à prædicta Insula Majoricensi juxta supra relatas ordinationes.

Novum S. Congreg. decretum cum impositione silentii.

§. 4. Emanavit ab eadem Congregatione novum Decretum tenoris qui sequitur videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita partibus informantibus, re iterum mature, ac diligenter discussa, referente Eminentissimo Sanctacrucio censuit persistendum esse in Decreto alias die 27. Januarii 1653. edito, quo prædictis Fratribus Cappucinis impositum fuit super controversa fundatione perpetuum silentium, nec non injungendum esse, prout præsenti Decreto injungit Ordinario Majoricensi, ut omnia gesta in executionem supradictarum Litterarum Apostolicarum tanquam subreptitiarum, utpotè attenta revocare omninò faciat, ad quem effectum prædicto Ordinario facultatem necessariam, & opportunam eadem Congregatio impertita est; Contrariis quibuscumque non obstantibus, Romæ 21. Aprilis 1673. Fr. M. Cardinalis Brancatius. Loco Sigilli. N. Casanata Secr.

§. 5. Cum autem sicut pro parte prædictorum Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de observantia nuncupatorum Nobis subindè expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 6. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus præmissis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Maji 1673. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXXVI.

Confirmatio & approbatio Indulgentiarum Ordini Carmelitano hactenus concessarum

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

COMMISSA Nobis divinitùs dispensationis ratio exigit, ut spiritualium gratiarum concessiones, quæ ex pia, prudentique hujus Sanctæ Sedis liberalitate ad piorum operum incrementum, & Animarum salutem processerunt, quo firmius subsistant, Apostolici muniminis præsidio constabiliamus, illasque etiam Apostolicæ benignitatis charitate ampliemus, & alia desuper statuamus, sicut spirituali Christi fidelium ædificationi cognoscimus in Domino profuturum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Matthæus Orlandus Prior Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod cùm à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, ac etiam à Nobis nonnullæ Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes tàm Christi fidelibus Ecclesias dicti Ordinis visitantibus, & alia præscripta pia opera peragentibus, quàm Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Sancti Scapularis ejusdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quas ubivis locorum extra hanc almam Urbem erigendi, & instituendi, illisque certas Indulgentias, & gratias Spirituales, servata forma Constitutionis fel. recor. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri super Confraternitatum aggregationibus, & institutionibus editæ communicandi facultas Priori Generali dicti Ordinis, vel illo absente, ejus Vicario Generali à recol. mem. Paulo Papa V. Prædecessore pariter Nostro attributa fuit, concessæ fuerint; ut omnis, quæ circa illas oriri posset, dubietas recideretur, ex Litteris Apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit illarum Summarium à dilecto filio Nostro Joanne tit. S. Bernardi in Thermis S. R. E. Card. Bona nuncupato revisum, tenoris qui sequitur, videlicet: *Summarium Indulgentiarum à diversis Summis Pontificibus concessarum Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.* Fel. rec. Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta*: Data Kalen. Aprilis MCCCCLXXVII. ad instantiam Fratris Christophori Martignoni Prioris Generalis Ordinum Fratrum Beatiss. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones à diversis Romanis Pontificibus concessas visitantibus Ecclesias dicti Ordinis, & in dicta Bulla recensitas confirmavit, approbavit, & innovavit: Verùm quia plures illarum elargitæ, & à d. Sixto IV. confirmatæ erant sub onere porrigendi manus adjutrices Fratribus, Monialibus, Ecclesiis, vel Domibus præfati Ordinis, & B. Pius Quintus per suam Constitutionem: *Etsi Dominici gregis*: datam 6. Idus Februarii MDLXVII

Sixtus IV.

revocaverat omnes Indulgentias, pro quibus, consequendis manus adjutrices porrigendæ erant, fel. mem. Gregorius XIII. in Litteris Apostolicis: *Ut laudes*: datis 18. Septembris MDLXXVII. dictas Indulgentias in pristinum, & eum, in quo erant ante dictam revocationem, statum restituit, & revalidavit, dempta clausula porrigendi manus adjutrices, & elargiendi eleemosynas; ità tamen, quod hi Christifideles, qui illas consequi voluerint, Ecclesias visitando, sint contriti, & confessi ac loco eleemosynæ prædictæ septies orationem Dominicam, itidemque Salutationem Angelicam recitent, vel Habitum dicti Ordinis gestent, vel Vesperas pro Defunctis recitent, aut ante Sanctiss. Domini Nostri Jesu Christi Corpus, terram exosculentur, ac pro Hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumque Principum pace, & unione, pias ad Deum preces effundant, & aliàs juxta Prædecessorum suorum litterarum seriem orent, aliaque peragant.

Breve Leonis IV. & aliorum Summorum Pontificum.

§. 2. Summarium autem Indulgentiarum concessarum est hujusmodi in dictis Litteris; Primò, Leo Papa IV. omnibus Christifidelibus, qui Ecclesias Beatæ Mariæ de Monte Carmelo hujusmodi in Festis Nativitatis Dominicæ, Paschæ, Pentecostes, Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis, Nativitatis Annunciationis, Purificationis Dei Genitricis Mariæ Sancti Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus Festis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, S S. Martyrum Fabiani, & Sebastiani, & in die Parasceves, & per Octavas præfatarum Festivitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis devotè visitaverint, septem annos, & totidem quadragenas. (Leo IV.) Secundò, & Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Joannes X. Joannes XI. Sergius IV. & Innocentius Quartus omnibus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, contritis, & confessis, qui præfatas Ecclesias piè visitaverint in præfatis Festivitatibus, & earum Octavis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. Tertiò, Item Clemens III. Alexander II. Gregorius V. & VII. in præfatis Festis, & in quolibet corumdem similem gratiam largiti sunt. Quartò, Item Clemens IV. iisdem Christi fidelibus, qui præfatas Ecclesias quater in anno visitaverint, videlicet in quatuor Festivitatibus ejusdem Dei Genitricis Mariæ, triginta annos, & totidem quadragenas piè concessit. Quintò, Item in Privilegio generali Lucii III. remittuntur ab eodem peccata levia, offensæ Parentum, negligentiæ votorum fractorum, dum tamen fractor ad vota rediret, & malè acquisita, si nescitur cui restitui debeant, præfatis locis, seu illorum domibus assignentur. (Lucius III.) Sextò, Demùm Innocentius IV. & Gregorius VIII. concesserunt qualibet die cuilibet dicenti Pater Noster, & Ave Maria in dictis Ecclesiis semel pro Vivis, & Defunctis, quadraginta dies Indulgentiarum. Septimò, Rursùs Honorius III. & Nicolaus IV. verè pœnitentibus, omnium suorum peccatorum veniam polliciti sunt. Octavò, Insuper Honorius IV. omnibus verè pœnitentibus, & confessis dicti Ordinis Ecclesias visitantibus, quadraginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis, videlicet in Festo vocabulorum ipsarum Ecclesiarum, & in die Sancto Parasceves, necnon in die S.Crucis, ac in Festivitatibus Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis Dei Genitricis Mariæ, misericorditer in Domino relaxavit, & concessit. Nonò, Ulteriùs Benedictus XI. omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ter in Hebdomada, videlicet, Quadragesimali tempore, Secunda, Quarta, & Sexta Feriis, atque etiam in Festis vocabulorum Ecclesiarum dicti Ordinis, necnon in diebus Sabbatinis ob B. Dei Genitricis reverentiam, & in diebus Dominicis easdem Ecclesias piè visitaverint, quadraginta annos, & totidem quadragenas, & omnium peccatorum septimæ partis remissionem in Domino relaxavit, omnesque Indulgentias, & peccatorum remissiones à suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus dicto Ordini concessas in diebus, & Festis prædictis duplicando. Decimò, Item Joannes XXII. omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis dicto Ordini concessas confirmavit, ac quadraginta annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis universis Christi fidelibus, dicti Ordinis Ecclesias in qualibet solemnitate quatuor Festivitatum B. Dei Genitricis Mariæ, videlicet, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis visitantibus contritis, & confessis in Domino piè concessit: (Joannes XXII.) Idemque Joannes XXII. pro Animabus, quæ in Purgatorio existunt, & Habitum hujus Religionis gestarunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero adscripti in honorem ejusdem B. Mariæ Matris Dei die Sabbati post earum transitum intercessionibus ejusdem continuis ipsius suffragiis, & meritis, ac speciali protectione adjuvandis Privilegium publicavit, corroboravit, & confirmavit. Undecimò, Item Urbanus VI. perpetuò concessit iis, qui Ordinem Carmelitarum, & Fratres ejusdem Ordinis, Ordinem, seu Fratres Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo vocaverint, nominaverint, & appellaverint, si in gratia extiterint, tres annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum. (Urbanus VI.) Duodecimò, Nicolaus V. omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac omnia privilegia dicto Ordini concessa à supradictis Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis in præfatis diebus, & Festis, Motu proprio duplicando confirmavit, atque annos septem, & totidem quadragenas in Domino relaxavit. (Nicolaus V.) Decimotertiò, Sixtus IV. omnes Indulgentias Ordini prædicto, illius Domibus, Ecclesiis, ac Personis utriusque sexus in genere, vel in specie quomodòlibet concessas, in suo robore, in suaque firmitate confirmavit, approbavit, & de novo concessit; & in Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Dei Genitricis Mariæ Festivitatibus, & per septem dies sequentes, & in diebus vocabulorum Ecclesiarum visitantibus Ecclesias, triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. (Sixtus IV.) Decimoquartò. Denique Clemens VII. post Joannem XXII. & Alexandrum V. eorum Litteras approbando, Habitum Gloriosissimæ, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, gestantibus, seu Confraternitatem ingredientibus, & alia servantibus, ut in eisdem Litteris continetur, Indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias singulis utriusque sexus concessas perpetuæ firmitatis robur addidit, & innovavit, ipsisque, & aliis participationem omnium bonorum Spiritualium totius Ordinis Carmelitarum, & universalis Ecclesiæ concessit. (Clemens VII.) *Aliæ Indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias Fratrum, & Monialium Discalceatorum, extensæ ad visitantes quaslibet Ecclesias Ordinis à Sanctissimo Domino Nostro Clemente X. per Breve dat.* XXX. *Octobris* M. DC. LXX. Sixtus Quin-

tus

tus per Litteras datas 11. Julii M. D. LXXXVII. Sixtus V. concessit Christi fidelibus, qui in illorum Ecclesiis Feriis Quintis Missæ, centum, qui verò prædicationi, aut lectioni Verbi Dei interfuerint alios centum, necnon qui ad orandum accesserint interim, quinquaginta dies, qui denique confessi eo die ibi communicaverint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis, seu alias debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit. Greg. XV. Gregorius XV. per Litteras datas 19. Septembris M.DC.XXII. Indulgentiam Plenariam iis, qui confessi, & Sancta Communione refecti visitaverint illorum Ecclesias in Festo Sanctæ Theresiæ, & oraverint pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione. Urbanus VIII. per Litteras datas Urban. VIII. 10. Maji MDCXXIV. similem Indulgentiam Plenariam illis, qui in Festo S. Josephi id præstiterint, & similiter iis, qui Orationi quadraginta horarum, de licentia Ordinariorum in Ecclesiis dictorum Fratrum tantùm semel in anno instituendæ, per aliquod spatium devotè interfuerint, & ut præfertur oraverint. Denique Sanctiss. D. N. Clemens X. per Litteras datas die 11. Augusti M D C L X X. & 16. Maji MDCLXXII. Plenariam Indulgentiam in Festis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, S S. Andreæ Corsini Episcopi, Angeli Martyris, Alberti Confessoris, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, iis qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis visitaverint, & oraverint ut Breve Clementis X. & aliorum commemoratio. supra. *Aliæ Indulgentiæ concessæ omnibus Christi fidelibus à præfato Sixto Quinto in supradictis Litteris.* Illis qui hoc modo salutaverint alios, nempè suo vulgari, seu latino sermone: *Laudetur Jesus Christus*, & his, qui sic responderint; *In secula*, vel *Amen*, vel *Semper*; utrisque tàm salutantibus, quàm respondentibus quinquaginta dies, ubicumque id factum fuerit. Qui nomen Jesu ore nominaverint reverenter, vel nomen Mariæ vigintiquinque dies, qui verò in articulo mortis ore, vel corde, si ore non potuerint, idem nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen Jesu; plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam. Qui Litanias ejusdem Sanctissimi nominis approbatas recitaverint, trecentos, qui Litanias ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ ducentos. Necnon Prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen Jesu, & Mariæ, auditores monuerint, & quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint easdem Indulgentias concessit.

§. 3. *Summarium Indulgentiarum à fel. mem. Paulo Quinto per Litteras in forma Brevis datas* 30. *Octobris* M. DC. VI. 31. *Augusti* M. DC. IX. *&* Paulus V. 19. *Julii* M. D C. X I V. *concessarum Confraternitati sacri Scapularis, seu Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.* Primò, Concessit omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui Confraternitatem sacri Scapularis ubivis locorum tàm hactenus canonicè institutam, quàm deinceps instituendam de cætero ingredientur, & Habitum acceperint, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi, Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Indulgentiam plenariam. Secundò, Descriptis, & describendis in d. Confraternitate verè pœnitentibus, & confessis, qui in Festo principali Commemorationis ejusdem B. Virginis Mariæ die 16. mensis Julii, aut juxta ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediatè sequenti celebrari solito Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam. Tertiò, qui in articulo mortis, pœnitentes, & confessi; ac Sanctissima Comunione refecti nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem corde, devote invocaverint, plenariam. Quartò, Qui pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti processioni in una Dominica cujuslibet mensis, per dictam Confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendæ devotè interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint plenariam. Quintò, Qui ab esu carnium iis diebus; quibus Confratres dictæ faternitatis ex illius instituto, vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies. Sextò, Qui qualibet die septies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem septem Gaudiorum ejusdem Virginis Mariæ recitaverint, quadraginta dies. Septimò, Qui cum Habitu ejusdem Confraternitati, pœnitentes, & confessi semel in mense Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, &, ut præfertur oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas. Octavò, Qui pœnitentes, & confessi in qualibet ex Festivitatibus ejusdem B. Virg. Mariæ Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia, vel Cappella dictæ Confraternitatis devotè sumpserint, & ut supra dictum est, oraverint, tres annos, & totidem quadragenas. Nonò, Qui cum lumine Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad Infirmos defertur, comitati fuerint, & pro iisdem Infirmis, pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas. Decimò, Qui corpora Defunctorum quorumcumque ad Sepulcrum associaverint, & pro eorum Animabus ad Deum oraverint, centum dies. Undecimò, Qui Officium B. Mariæ Virginis devotè recitaverint, centum dies. Duodecimò, Qui Missis, & aliis Divinis officiis in Ecclesia, seu Cappella, aut Oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, sivè Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut Pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quandocumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum, centum dies de injunctis eis seu aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta concessit, & relaxavit. Decimotertiò, Insuper concessit Priori Generali Ordinis, vel illo absente, ejus Vicario Generali, ut hujusmodi Confraternitatem Beatissimæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere, & instituere, illisque supradictas Indulgentias, & gratias spirituales, servata forma præscripta in Constitutione fel. rec. Clementis VIII. super Confraternitatum aggregationibus, & institutionibus editæ, communicare possit. Decimoquartò, Denique Sanctiss. D. N. Clemens X. per Litteras suas in forma Brevis datas die secunda Januarii MDCLXXII. indulsit, ut omnes supradictæ Indulgentiæ, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes per fel. mem. Paulum V. concessæ Animabus Christi fidelium per modum suffragii applicari possint. *Hoc Summarium fideliter excerptum est ex Bullis, & Brevibus citatis.* JO. CARD. BONA.

§. 4.

§. 4. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat præfatus Matthæus Prior Generalis ſummarium hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri, nonnullaque dubia præmiſſorum occaſione emergentia diſſolvi plurimum deſideret; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut opportunè in præmiſſis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur ipſius Matthæi Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodòlibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſummarium præinſertum, omniaque & ſingula in eo contenta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 6. Prætereà, ut Confratres, & Conſorores dictarum Confraternitatum Sac. Scapularis tàm hactenùs erectarum, quàm in futurum erigendarum, qui Proceſſioni in una Dominica cujuſlibet menſis ab ipſis fieri ſolitæ, commodè intereſſe non potuerint, ſi verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, Cappellas ſuarum reſpectivè Confraternitatum devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam Paulus V. Prædeceſſor illis, qui Proceſſioni hujuſmodi interſunt conceſſit, pariformiter conſequantur; & ſimiliter Infirmi, Captivi, & Peregrinantes, qui Cappellas hujuſmodi dicta Dominica viſitare nequiverint, ſi Officium parvum B. Mariæ Virg. aut quinquagies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint, & ſaltem contriti fuerint cum propoſito confitendi, & Sacr. Communionem recipiendi quamprimùm potuerint, quod adimplere omnino teneantur; Fratres quoque & Moniales Ordinis præfati commorantes in Conventibus in quibus non eſt erecta Confraternitas Sac. Scapularis, vel non fit Proceſſio hujuſmodi, ſi Litanias omnium Sanctorum in Choro, vel privatim, ſi legitimè impediti non poterint intereſſe Choro, devotè recitaverint, cæteraque in Litteris præfati Pauli Prædeceſſoris præſcripta adimpleverint, præfatam plenariam Indulgentiam, & peccatorum remiſſionem etiam conſequantur, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus.

§. 7. Porrò Feſtum principale Confraternitatum Sac. Scapularis hujuſmodi, juxta indultum ab eodem Paulo Prædeceſſore conceſſum, die 16. menſis Julii, vel Dominica immediatè ſequenti quotannis celebrari ſolitum, ob majorem devotionem, vel commoditatem Chriſti fidelium, aut quando eadem die occurret alia ſolemnitas, in aliam Dominicam ejuſdem menſis transferri permittimus.

§. 8. Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis poſſint extra Urbem præfatam in ſingulis Eccleſiis ejuſdem Ordinis & in quibuſcunque aliis, accedente conſenſu Ordinariorum, Confraternitates præfatas, ſervata cæteroqui præfatarum Pauli Prædeceſſoris Litterarum forma, & diſpoſitione, inſtituere, & nullus alius ſub pœna nullitatis. Inſuper ad augendam fidelium Religionem, & Animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac Sac. Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis d. Ordinis in Conceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, & Aſſumptionis ejuſdem B. Mariæ Virg. Immaculatæ Feſtis diebus devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

§. 9. Illis autem, qui ad Antiphonam *Salve Regina*, quæ quotidie poſt Completorium in eiſdem Eccleſiis ſolemniter decantatur, convenient, & ut præfertur orabunt, centum dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Poſtremò illis, qui aliquam ex Eccleſiis ejuſdem Ordinis in diebus Stationum Eccleſiarum Urbis præfatæ, proùt in Miſſali Romano exprimuntur, devotè pariter viſitaverint, & ibidem prout præmittitur oraverint, ut eas omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequantur, quas conſequerentur, ſi eaſdem Urbis Eccleſias in diebus Stationum hujuſmodi perſonaliter, & devotè viſitarent, dicta auctoritate harum ſerie concedimus ſimiliter & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ abud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Maji 1673. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Approbatio facultatis abſolvendi præſentes & intereſſentes Eccleſiis B. Mariæ Mercedis, Captivorum. XXXVII.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervituti munere, ea quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris ad ſpiritualem Chriſtifidelium ædificationem, animarumque ſalutem proindè conceſſa eſſe noſcuntur, ut fir-

ma

ma semper atque illibata persistant Apostolici muniminis patrocinio cum id à Nobis petitur libenter roboramus, & alias desuper statuimus, sicut in Domino salubriter expedire arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Matthias de Cardona Vicarius, & Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum B. Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, quod dudum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster ad cujus notitiam pervenerat in eodem Ordine vigere morem antiquissimum ab immemorabili tempore observatum in diebus S. Catharinæ Virginis, & Martyris, ac Cinerum, & Cœnæ Domini, omnes tam religiosos, quam seculares nimirum in Ecclesia præsentes, & genuflexos, post confessionem à Sacerdote coram omnibus recitatam, de more absolvendi, & benedicendi, ut etiam aliæ Religiones facere consueverant, hanc facultatem prævia dicta confessione, (ut præfertur) de more à Sacerdote coram omnibus recitata absolvendi, & benedicendi omnes præsentes, tam religiosos, quam seculares dictis diebus, Apostolica auctoritate approbavit, & confirmavit, ac eidem Ordini quatenus opus esset de novo concessit.

§. 2. Et subinde idem Clemens Prædecessor, ut similis absolutio, & benedictio generalis etiam festis diebus SS. Laurentii, & Antonii in prædicto ordine, ejusque Monasteriis, & Conventibus fieri posset, dicta auctoritate perpetuò concessit, & indulsit.

§. 3. Ac demum rec. me. Urbanus PP. VIII. pariter Prædecessor Noster feriam quintam in Cœna Domini, qua absolutio, & benedictio generalis hujusmodi sicut præmittitur fieri poterant, in diem festum S. Petri Nolaschi commutavit, & alias prout in terminis prædictorum Clementis, & Urbani Prædecessorum Litteris desuper in simili forma Brevis expeditis uberius dicitur contineri.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat prædictus Matthias Vicarius, & Procurator Generalis præmissa quo firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsius Matthiæ Vicarii, & Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, facultatem de more absolvendi, & benedicendi omnes in Ecclesia præsentes, & genuflexos tam religiosos, quam seculares prævia confessione à Sacerdote coram omnibus recitata in supradictis diebus Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris, ac Cinerum, nec non S. Laurentii, Sancti Antonii, & Sancti Petri Nolaschi Ordini prædicto concessam, ut præfertur, auctoritate prædicta tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: ea tamen lege, ut in hujusmodi functione de cætero servetur formula infrascripta, videlicet:

Formula absolutionis. Dominum Nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur, ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, benignè concedat, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas Summi Pontifices Ordini Nostro, cum specifica facultate eas Confraternitatibus nostris communicandi concesserunt juxta privilegiorum Apostolicorum tenorem, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Decretorum dispositionem. Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, confirmet, & conservet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam; Qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in secula seculorum, Amen.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Maji 1673. Pontificatus Nostri Anno quarto.

XXXVIII. **Approbatio Decreti Congregationis Regularium prohibentis fundationem Conventus Reformatorum S. Francisci de Observantia in terra Vezzani in Corsica.**

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum Ministri Provincialis, & Definitorii Provinciæ Corsicæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod Fratres Reformati dicti Ordinis novum Conventum in Terra Vezzani Plebis Castelli Aleriensis Diœc. fundare prætendebant, eaque fundatis in gravissimum cessura erat præjudicium, quatuor circumvicinorum Provinciæ prædictæ Conventuum, nempè locorum Corte, Botio, Zuani, & Grisone nuncupatorum, quæ intrà septimum a Terra prædicta milliare sita sunt, & eadem Terra maxima premebatur inopia, nec Conventus capax erat, cum circiter viginti septem ab hinc annis iidem Fratres Reformati Crucem ibidem erexissent, & per experientiam cognito, locum illum ad manutenendos, sive sustentandos tres, nedum duodecim Religiosos inhabilem existere, inde discesserint, & stationem deseruissent; illaque inhabilitas nunc maximè vigebat, cum tota Insula Corsicæ tantam victualium penuriam pateretur, ut pauperes Religiosi illic pane castaneaceo, atque milliaceo vesci cogerentur, quem neque idem quantum sufficeret reperirent, unde si Conventus ibidem multiplicarentur, id majores ipsis ærumnas adduceret. Ac propterea eidem Congregationi pro parte dictorum exponentium supplicato, ut prædictos Fratres ab incepto desistere juberet, ac decerneret de cætero per universam etiam Insulam Corsicæ prædictam novos Conventus erigi, & fundari non posse, nisi servata quindecim milliarium unius loci ab altero distantia, quemadmodum ipsa Congregatio anno 1661. quoad Provincias Burgensem & Granatensem, ac Aragoniæ; & prius nempè anno 1601. fel. rec. Clemens PP. VIII. Prædecessor noster quoad Provinciam Carthaginensem sub certis modo, & forma tunc expressis ordinasse reperiebantur. Emanavit à prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris qui sequitur.

§. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus auditis, reque iterum discussa, & examinata, referente Eminentissimo Sanctacrucio, declaravit, atque decrevit; prædictis Fratribus strictioris Observantiæ novum Conventum in loco dictæ Terræ Vezzani Plebis Castelli erigere minimè licere. Ac in posterum in dictæ Corsicæ Insula pro hujusmodi fundationibus, tam ab Observantibus, quam Reformatis, & Cappuccinis respectivè servandum esse dictam distantiam duodecim milliariorum mensuræ illarum partium, sicque omninò in præmissis observari mandat, ac præcipit, deductis in contrarium, cæterisque non obstantibus. Romæ 14. Aprilis 1673. F. M. Cardinalis Brancatius. H. Casanate Secretarius. Loco † sigilli.

§. 2. Cum autem sicut pro parte eorundem Ministri Provincialis, & Definitorii Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apost. confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Maji 1673. Pontificatus Nostri Anno quarto.

INDEX
RERUM ET MATERIARUM

Quæ in hac Appendice continentur ordine Alphabetico digeſtus.

A

D

E

F

G

H

I

FINIS.

